MONES, PO LO

828
XLVIII
BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. Im. Ossolińskich
XVIII 1.240
1835

Dend:

R. D.

NICOLAI POLONI,

DECRETORVM DOCTORIS,

ET REVERENDISS. EPISCOPI POSNANIENSIS SACELLANI, AC CONCIONATORIS celeberrimi,

SERMONES

SVPER EVANGELIA DOMINICALIA ET præcipua Sanctorum feſta totius anni, ad populum inſtruendum exquiſitiſsimi,

Vulgò

VIRIDARIVM

nuncupati.

OPVS MVLTIS IN LOCIS RECOGNITVM, MENDIS SVBLATIS, notis marginalibus illuſtratum, & ad Concionatorum vtilitatem denuò editum.



COLONIAE, Apud Ioannem Crithium
ſub ſigno Galli. Anno M. D. CXIII.

INSTYTUT OSSOLIŃSKIEGO

10.907

XVII - 1240 - III

ADMODVM REVERENDO ET RELIGIOSO IN CHRISTO PATRI,

D. BARTHOLOMÆO AB ANXTEL,

INSIGNIS MONASTERII VETERIS
Montis Ordinis Ciſtercienſium Abbati digniſſimo,
Domino ſuo obſeruandiſſimo.

MENDACII, erroris, vitij omnis auctor ille Diabolus, vſq; adeò exoſam habet diuini Numinis debitũ cultũ ſanctificationẽ, vt iã inde à mundi cõditione, in hoc incubuerit totus, totis calliditatis ſuæ quã nimiùm quantùm pollet, explicatis viribus, quò hominẽ à Deo à veritate abductũ, per errorum deuia, vitiorum lubrica æternis adſociet ignibus. Obſtinatus enim in malo, excuſſo tam procul à ſe quàm ipſe à cælo diſiectus omni amore virtutis,
ſtimulis agitatus inuidiæ ac odij in creatorem ſuum, quid niſi conſo-
ciam immortalium ambuſtionem flammarum, vnicum ſupplicij ſui
inde augeſcentis ſolamen moliatur mortalibus? Terror ille olim Ro-
manis aquilis, Carthaginenſium gloria Hannibal, patri ſuo ad aram
quod odium Italæ terræ & vltionem puer iurauit, non ſegnius vir fa-
ctus adimpleuit: ſed præ hoc humani generis iurato hoſte ab ipſo tem-
poris initio tantorum ſæculorum in decurſu, vix ille inimicitiarum
perpetuarum, hoſtilitatis nũquam intermorituræ vmbra fuit. Pacis
leges Carthago accepit, tametſi ille pacis in pace impatiens, toto orbe
bellum quæreret: ſed hîc pax nulla, induciæ nullæ: vel maius tum peri-
culum eſt, cùm minor ab infernali manu aduerſitas timetur. Mille
nocendi artibus, innumeris fallendi modis quaqua orbis patet robu-

ſtiſſimus ille iuxta ac inſidioſiſſimus venator, animarum prædo ca-
ptat, trahitq́; ſecum in profundiſſima damnationis ſempiternæ im-
menſam mortalium turbam, quos ſuis impeditos fraudulentijs, vete-
ratorijs irretitos aſtutijs captiuos tenet ſuam ad voluntatem, ducens
eos per peccatorum lutulenta, falſitatum confragoſa. Thalmudicæ
nugæ ſunt quas de monſtroſa magnitudine Behemothici bouis ſepte-
norum milliarium ſpatia complentis, cõfinxerunt Maſſorethæ mẽda-
citer, ſomniarunt ignorãter: monſtrũ horrendũ, informe, ingens. Ex-
Pſal. 62. *ſpectent à carnibus iſtis epulum, qui* partes *tartarearum* vulpiũ e-
10. runt, *qui adumbrari Satanam in iſtius deſcriptione belluæ, omnẽ ſuæ*
nomenclatione feram continentis, vacui veræ cognitionis, fabularũ
commentis dediti, non capiunt, amantes tam craſſis & portẽtoſis de-
lirijs faſcinari. Non eſt ſuper terram beſtia quæ mille mõtium floreas
quotidie depaſcatur herbas nouâ ſemper vbertate ſuccreſcentes; ſed
hoc in vniuerſo, eſt irreuocabili Dei ſententiâ infernali abyſſo adiudi-
Iob. 41. *cata poteſtas, quæ æſtimans ſemper* abyſſum quaſi ſeneſcentem, *&*
ver. 22 & *non amplius perditarum animarum mortibus fœcundandam, vitio-*
23. *rum æſtu* ferueſcere facit quaſi ollã profundum *hoc huius mun-*
c. 40. ver. *di* mare, & ponit quaſi cum vnguenta bulliunt. *Non valles tan-*
15. *tùm, ſed &* montes huic herbas ferunt: *Non abiecta ſolùm & ple-*
beia contemtibiliaq́; hominũ deuorantur inexplebili illo ab ore & nũ-
quã ſaturando ventre; verùm & capita populorũ brachia robuſtorũ,
Iere. 4. 6. *lumina cæcorũ deglutit; non* prædo iſte gentium *cæcos tantũ in pa-*
Iob. 40. ver. 18. *ganiſmo homines effuſos in omne malũ inſtar aquæ* abſorbet *vt* flu-
Abac. 1. uiũ; ſed & habet fiduciã quod influat Iordanis in os eius, *electiſ-*
16. *ſimus quiſque (nam* cibus eius electus*) Chriſti pretioſo ſanguine de-*
albatus, aſſertusq́; lauacro vitæ in libertatẽ. Nã vbi beſtijs viuendo aſ-
ſimiliorẽ ſe præbet homo, quàm quibus aſſociari poterat Angelis, ſe du-
Iacob. 1. 9. *ctus tranſitoriarũ delitiarũ ſpecie, æque ac fœnum etiã viride atque*
herba florens ſolet poſt quã cum ardore ſol exortus eſt, exareſcente; tũ
cedit in dulciſſimũ pabulum, in deuorationem ſuauiſſimam inimico il-
li capitali: cui hoc vnum ſummæ curæ eſt, vt opera noſtra ſint ſicut fœ-
nũ paleæ ſtipulæ, vt oẽs actiones noſtræ virtutis omni virore exuſtæ
Pſal. 128. *ac ſiccæ ſint, non aliter quàm fœnum* quod prius quàm euellatur
6. exaruit, *comburendum igni inextinguibili, vt vacuis & ſine fructu*
conſtitutis in die Domini ne miniſtretur, introitus in æternum
regnum Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti *quia* omnis caro, *homo*
1. Pet. 2. *quilibet, ſecundùm carnem ambulans* vt fœnum, *&* omnis gloria
11. eius, *cùm eſt* tanquam flos fœni, de carne *de operibus carnis* me-

tet &

tet & corruptionem, *excludentem à vitâ æternâ, in quā nō congre-* 1. Pet. 1. 24.
gatur niſi triticū per Verbū Dei viui permanentis in æternū, verſan Matth. 3.
tis venti labrū in manu ſua, & permundantis aream ſuā. *At* ſingu- 12.
laris *ille* ferus *qui demolitur quidquid poteſt*, habēs iram magnā, Pſal. 79.
ſciens quia modicū tempus habet *in nouiſſimâ horâ, mūdi quaſi* 14.
in caudâ caudam ſuam in quâ aculei peſtilentes quaſi cedrum ſtrin-
git, ictui mortifero ſemper intentè erectam tenens, vt trahat vel
ſtellas ſecum in deſtinatos ſibi citra finitionem igneos cruciatus.

Ferunt Scorpionis caudā ſemper in ictu eſſe, nulloq́ momento ceſſa- Plin. l. 11.
re meditari nocumentū ſc. ne quando deſit occaſioni, & obliquo ictu c. 25.
& inflexo ferire: quis non agnoſcat Gehennalis ſerpētis in animātis
noxij ingenio adūbrata letiferè lædendi ſollicitiſsima tētamenta, tā-
tò nocentiora, quantò hic ſentiuntur minus? Scorpio vt agat peſſimū,
corpus cui pereundū eſt perimit at ille animā interitui non obnoxiā,
à vitæ perpetuæ gloriæ extorrē agit, morti immortali immortalē de-
uouet. ille naturæ vi inſito dolo virus ſuū in improuidum eiaculatur,
morsū incauto imprimit; hic cui nulla ſuper terrā cōparari valet po-
teſtas, nulla inquā, nulla ſeu doli ſeu viriū, terrenorū momētaneæ vo-
luptati tanquā herbaceæ caducorū florū venuſtati incubātes, capiti-
bus etſi variæ vitæ in progreſſu diſiunctos, caudis tamē cōpares ob pœ-
nas connexos, ambuſtâ ſegetū meſſe, bonorū operū euerſâ actione, in
nūquam finē habitura dolorū tormēta caudæ ſuæ perniciosiſsimâ ver-
beratione proiectat, deluſos rutilante quod oſtentat aurum cornibus.
Fœnum habet in caudâ, cauda ferit ille: *caueat, quiſquis fluxarū*
rerū fallaci amore nō vult decipi: quiſquis blādientium voluptatum
illecebris cum ſalutis æternæ irrecuperabili iactura refugit ineſcari:
quiſquis in obſecundationē fidei recalcitrantis intellectus humanas
inuentiones fallacijs innexas non admittitur ſubiugare. Vndique peti-
mur inſidijs, pellacijs, technis illius hoſtis Dei & noſtri, qui omne ſub- Iob 41. 25.
lime videt, qui eſt Rex ſuper oēs filios ſuperbiæ. *cuius* ſuperbia Pſ. 73. 23.
aſcēdit ſemper, *augetur malitia, crudelitas inualeſcit. Quis faciet*
vt ſpes eius fruſtretur eum? quæ arma aduerſus eum capienda, qui re-
putat quaſi paleas ferrū & quaſi lignū putridū æs. Non eſt *enim* Iob. 41, 18.
nobis *profecto* colluctatio *dūtaxat* aduerſus carnē & ſanguinē Eph. 6. 12.
(& quanti tamen hic ſuccumbunt!) ſed *præcipuè* aduerſus princi-
pes & poteſtates, aduerſus mūdi rectores tenebrarū harū, con-
tra ſpiritualia nequitię in cæleſtibus. *An de facili ſinent ſe de tot*
animarum quas ſibi ſubiecerunt poſſeſsione deturbari, & ab illaqueā-
dis alijs iā ſpe deuoratis depelli, cùm iam iā quaſi ſoluendo ſi nō ſoluto

 Priu-

Principe ſuo multò auidius humanam ſitiant perniciem? In vanum
hic omnis humanus ſudat labor ſi non vt poßit ſtare aduerſus illum
Luc.2.68. Coloſ.2.15 *malum induat armaturam Dei,qui* fecit redēptionem plebis ſuæ,
qui fortem armatum fortior vicit,exſpolians principatus, & po-
teſtates traduxit confidenter,palàm triūphans illos in ſemet-
ipſo.*Succingendi lumbi ſunt in veritate,& induenda lorica iuſtitiæ,*
Luc.1.75. *ambulandum* in ſanctitate & iuſtitia coram Deo omnibus die-
bus vitæ noſtræ,*calceandi pedes in præparatione promptiſsimæ au-*
Eph 6.14 15.16.17. *ditionis Euangelij pacis.In omnibus ante omnia ſumendum* ſcutum
fidei,in quo poſſint omnia tela nequiſſima ignea exſtingui,
Iob 41.10. 12. *tametſi vel* halitus eius prunas ardere *faciat*, de ore eius proce-
dant lampades ſicut tædæ ignis accenſæ.*Imponenda capiti galea*
Gen.3.24. *ſpei ſalutis, in manu geſtandus* gladius ſpiritus quod eſt Verbum
Dei. *Flammeo & verſatili gladio terreſtris Paradiſi ab acceſſu arcet*
ex ſupremæ Hierarchiæ Cherubinorum ordine Angelus ; cæleſtis
verò introitum promouet imprimis gladius veritatis verbi Dei. Vi-
Hebr.4.2. uus eſt enim ſermo Dei & efficax , & penetrabilior omni gla-
dio ancipiti:& pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpi-
ritus,compagum quoq; ac medullarum , & diſcretor cogita-
tionum & intentionum cordis.*Hinc illa Eccleſiæ Catholicæ ſolli-*
citudo in conſtituendis Paſtoribus doctis vſu illius gladij decollare
quâ vitiorum quâ falſitatis innumera illa capita, tam variâ ac fertili
numeroſitate quotidie renaſcentia,vt Lerneæ Hydræ narratio Her-
culeam laſſantis detruncantem manum in nouiter repullulantium
capitum continua ſucceßione,verè fabula ſit præ hac veritate.

Hinc tot fide & doctrinarum ſacrarum ſciētia illuſtres viri tot no-
bilia edidere volumina Catholicarū quâ per Conciones quâ per Di-
ſputationes Inſtructionum,vt viam erroribus vitijs præcludant , vt
muniant pectora fidelium verbo veritatis , accendant q; in ijs chari-
tatis ignem,depulſo frigore pietatis. Inter eos verò qui inſigniores co-
ronas & glorias hâc ex paleſtra coram Deo & hominibus promerue-
runt,non poſtremum cenſendus locum ducere Nicolaus Plonius Poſ-
nanienſis,cuius hîc bono publico ſermones ſacros damus , qui toto ha-
ctenus ſeculo quia delituerunt pæne orbi ignoti ſunt, cum auctor ta-
men doctiſsimis alijs ex lucubrationibus Theologam materiam tra-
ctantibus clârus & notus ſit. Cui autem opus hoc eductum è tenebris
& noua luce publicæ notitiæ adauctū dedicarem, vbi cæpi inquirere,
tui nominis Religioſi ſplendoris titulo longè coruſcantis ſacræ placue-

runt

runt inſulæ. Debui enim hoc tuo in me raro amori, vt non vulgare aliquod ſed rarum & verâ doctrinæ & vtilitatis publicæ æſtimatione carum, tibi R. Abba inſcriberem. Amas hoc genus ſcriptorum, huic tempori maximoperè neceſſarium, ſcio: hunc vt videris legeris, amabis probabis. Nullus vereor ne curarum idētidem recurſantium atque orbiculatim ſe reuoluentium à lectione te impediat moles. Vicenos iam plus annos Prælaturæ Virgam, Virgam directionis, magni ſed oneroſum honoris geſtamen, ita manutenes, tanto maximè aduerſi temporis in nubilo, vt non præfueris ſolummodò, veruntamen & verè profueris alijs, nec tibi ipſe defueris: qui potuiſſes citra ſacram lectionem, ſtudium, meditationem? Puteorum caua, fontium receptacula, ſi occulti meatus, ſubterraneæ venulæ aquam ijs non ſufficiunt, citò exhauſtum ibis; ſimile eſt animo in humano: qui fluere vtilia ſubitò deſinet, ſi non noua legendo meditando ſuppedites. Quàm probè hæc noris, vel affatim teſtimonio eſt bona quæ tibi inceſſit cupido profectus tuorum, quibus inſtas opportunè importunè, vt diſciplinæ monaſticæ veterem obſeruantiam, ſacrorum officiorum miniſteria, ſolidæ pietatis exercitamenta, hactenus laudabiliter cuſtodita, porrò ſarta tecta ſeruare aduigilent. faciat Deus, & te diu illis, Ordini, nobis ſoſpitet ſuperſtitetq́. Vale. Coloniæ ex Officina noſtra, in peruigilio carniſpriuij Quadrageſimalis anni reparatæ ſalutis. 1613.

Reuer. Pater. tuæ

Obſeruantiſſ.

Ioannes Crithius Bibliop.
& Ciuis Colonienſis.

TABV-

TABVLA SERMONVM PARtis Hyemalis.

Dominica 1. in Aduentu Domini. Sermo primus pagina 1. Secundus. 12. Tertius. 19

Dominica 2. Aduentus Domini. Sermo primus. 24. Secundus. 32. Tertius. pag. 39

Dominica 3. in Aduentu. Sermo primus. 44. Secundus. 51. Tertius. 57

Dominica 4. in Aduentu. Sermo primus. 63. Secundus. 70. Tertius. 76

Dominica infra octauas Natiuitatis Chriſti. Sermo primus. 81. Secundus. 88. Tertius 93

Dominica infra Octauas Epiphaniæ. Sermo primus. pag. 99. Secundus. 105. Tertius. 110

Dominica 1. poſt octauas Epiphaniæ. Sermo primus. pag. 114. Secundus. 121. Tertius. 127

Dominica 2. poſt octauas Epiphaniæ. Sermo primus. pag. 132. Secundus. 140. Tertius. 144

Dominica 3. poſt octauas Epiphaniæ. Sermo primus. pag. 146. Secundus. 153. Tertius. 158

Dominica 4. poſt octauas Epiphaniæ. Sermo primus pag. 162. Secundus. 168. Tertius. 173

Dominica 5. poſt oct. Epiphaniæ. Sermo primus. pag. 178. Secundus. 184. Tertius. 190

Dominica Septuageſimæ. Sermo primus. pag. 194. Secundus. 204. Tertius. 209

Dominica Sexageſimæ. ſermo primus, pag. 215. Secundus. 220. Tertius. 227

Dominica Quinquageſimæ. Sermo primus. pag. 232. Secundus. 238.

Feria quarta Cinerum. Sermo primus. 244. Secundus. 248

Dominica Inuocauit. Sermo primus. pag. 253. Secundus. 259

Dominica Reminiſcere. Sermo 1. pag. 271. Secundus. 276. Tertius. 282.

Dominica Oculi. Sermo primus. pag. 287. Secundus. 297

Dominica Lætare. Sermo primus. pag. 303. Secundus. 309

Dominica Iudica. Sermo primus. pag. 315 Secundus. 323

Dominica Palmarum Sermo. 328

In die Cœnæ Domini Sermo. 331

In die ſancto Paſchæ. 335

Feria ſecunda Paſchæ pag. 341

Feria tertia Paſchæ. 347

In octaua Paſchæ. Sermo primus. pag. 352. Secundus. 357

Dominica 2. poſt Paſcha. Sermo. primus 361. Secundus. 366

Dominica 3. poſt Paſcha. Sermo primus. pag. 373. Secundus. 378

Dominica 4. poſt Paſcha. Sermo primus. 384. Secundus. 390

Dominica 5. Rogationum. Sermo primus. 400. Secundus. 405

In Aſcenſione Domini. pag. 408

Dominica infra octauam Aſcenſionis. Sermo primus. pag. 416. Secundus. 423

DOMI-

DOMINICA PRIMA IN ADVENTV DOMINI.

SERMO PRIMVS.

Cum appropinquaret Dominus Hieroſolymis. Matth. 21.

QVONIAM vt ait magnum lumen Eccleſiæ excellentiſſimus fidei Doctor Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 12. ca. 21. Sic Deus omnipotens hominem, cuius naturam quodammodo mediam inter angelos beſtiaſque condidit, vt ſi creatori ſuo tanquam vero domino ſubditus, præceptum eius pia obedientia cuſtodiret, in conſortium tranſiret angelorum, ſine morte media, beatam immortalitatem abſque vllo termino conſecuturus. Si autem Dominum Deum ſuum libera voluntate ſuperbè atque inobedienter vſus offenderet, morti addictus beſtialiter viueret, libidinis ſeruus, æternoque ſupplicio poſt mortem eſſet deſtinandus. Hæc Auguſtinus. Ex quibus verbis patet quanta fuerit dignitas humanæ conditionis quã in ſui creatione acceperat. In qua ſi perſtitiſſet obſeruando innocentiam, in conſortium tranſiſſet angelorum, perpetua cum illis in claritate victurus. Si autem à ſtatu innocentiæ degeneraſſet, beſtijs ſimilis fieret. Verum quia humana conditio ſuaſu Diaboli à primæua iuſtitia deuiauit, ac per hoc de ſimilitudine Dei, qua cunctis erat præſtantior, vt dicit Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 12. cap. 23. verſa eſt in ſimilitudinem beſtiarum. Iuxta quod conqueritur Pſalmiſta dicens: *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Quapropter Dei filius ex fonte paternæ miſericordiæ procedens, venire dignatus eſt in hunc mundum, vt ſi hominem beſtialem & brutalem ad primam reduceret diuinæ ſimilitudinis conditionem. Hinc eſt quod apparens in carne, vt homini peccatori deformitatem ſuæ conditionis culpabilis oſtenderet, appropinquando Hieroſolymis in aſina ſedere dignatus eſt, vt ſic hominem aſinina fatuitate, ignorantia, deſidia & ſtoliditate corruptum, ad priſtinam ſapientiam, intellectum & ſcientiam cognitionis ſuæ reducere ſe velle, & ad hoc veniſſe oſtenderet.

Chriſtus in mũdũ cur venit.

De qua quidem ſeſſione ſuper beſtiolam aſinæ proponit hodierna die mater ſancta Eccleſia Euangelium, de quo & ſuper quo ad vtilitatem Chriſti fidelium expediret aliqua breuiter in medium proponere, quo homines ad deſiderium & deuotionem & contemplationem tanti doni tantique beneficij accenderentur & inflammarentur. Sed quia vt dicit Apoſtolus, *Non ſumus ſufficiẽtes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,*

2. Cor. 3.

[illegible] *et aliquid homo quod non ac-* 1. Cor. 4. [illegible] operatur in no- Philip. 2. [illegible] perficere. Hinc dicit Auguſtinus, quod nullum bonum faciunt homines ſiue cogitando ſiue volendo ſiue agen- [illegible] correct. & grat. do ſine gratia, quæ omnium eſt cauſſa primaria & ſufficiens, eo quod ipſa ſola operatur in omni agente, & per conſequens omnis boni cauſa, vt inquit D. Thomas lib. 3. contra gentiles cap. 8.

Vt igitur gratiam oportunam huic operi noſtro inueniamus, ad illam glorioſiſſimam in cœlis reginam angelorum, & gratioſiſſimam in terris matrem orphanorum, imò omnium peccatorum tutricem & protectricem ſingulorum ad eam clamantium deuotis & pijs mentibus, ac affectuoſis ſuſ- *Luca 1.* pirijs & vocibus recurramus. Hæc enim eſt illa quæ ſola inuenit gratiam apud dominum. Hæc eſt quæ genuit illum pro quem *Ioan. 1.* gratia & veritas facta eſt dominum Ieſum Chriſtum. Ad illã ergo clamemus, vt de plenitudine eius aliquam ſtillam effundat nobis, inquit Ianuenſis in cata. de ipſius Mariç commendatione. Quod vt aſſequamur, ſalutemus eam omnes corde pio, mente ſerena, voceque amœna, dicentes illud quod ei Angelus de cçleſtibus ſedibus attulit, *Aue maria &c.*

Tria hoc Euãgelio conſideranda. In iſto euangelio tria tanguntur, ſecundum quod de tribus fit mentio principalis. Eſt enim hic mentio de Chriſto Dei filio, de Apoſtolis eius, & de turbis Iudaicis. In Chriſto notatur maxima pietatis miſeratio in hoc quod dignatus eſt appropinquare huic mundo. In diſcipulis Chriſti notatur mira obedientiæ deuotio, in hoc quod mandata eius quæ præcepit ſtatim fecerunt. In turbis notatur reuerentiæ & honoris debita exhibitio, in eo quòd Chriſto venienti occurrerunt, veſtimenta ſtrauerunt, voces extulerunt. Primum tangitur ibi *Cum appro-*
1. *pinquaſſet Dominus Hieroſolymis.* Secũdum,
2. *Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præce-*
3. *perat eis Ieſus.* Tertium, *Plurima autem turba.* Et iſto modo omiſſis ſubtilitatibus & *Auctoris intentio.* curioſitatibus diuiſionis ſcholaſticæ & magiſtralis, in omnibus ſequentibus ſermonibus procedam, vulgari & ſimplici, quantoque faciliori diuiſione contentus, præſertim cum hos ſermones auctore Deo, non niſi vulgo & ſimplici populo in Eccleſia recitandos, non in ſcholis legendos prima intentione ſcribere proponam. Et ideò indulgeant Doctores ſi eorum deſiderijs ſufficere ſimul non valeam. Facit enim hoc ruditas operis huius, quod lac dare in potum paruulis in Chriſto, non eſcam prouectis intendit. Vnde ſi ſimilam ſubtilioris diuiſionis & accuratioris ſtili appetant, aliorum quibus ſcholas docere curæ eſt, opera ſubtiliora requirant, in quorum comparatione noſtrum hunc groſſiorem furfurem, vulgaribus vtique vtcunque vtilem, relinquant. Videamus igitur auſpice Deo de prima particula Euangelij, in qua fit mentio de Chriſto filio Dei, in quo fuit maxima pietatis miſeratio, in hoc videlicet quod dignatus eſt appropinquare huic mundo, de quo dicit Euangelium in principio. *Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis.* Iſtud euange- *Euangelium hoc cur bis in anno legatur.* lium bis legitur in anno, ſemel vt hic ſub myſtico ſenſu. Non enim hodie Eccleſia recolit aduentũ Chriſti in Hieruſalem corporalem, quò viſitare dignatus eſt ciuitatem & locum illum in quo paſſurus erat pro nobis, ſed potius recolit aduentum eius, quò viſitare dignatus eſt hunc totum mundum per viſcera miſericordiæ ſuæ, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. *Luc. 1.* Quod vtique factum fuit per eius incarnationem, per quam aſſumpta carne humana viſibilis factus nobis apparuit. Poſt *Baruch. 3.* hæc in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt. Alio tempore recolit iſtud euangelium Eccleſia in Dominica ramis palmarum, ſub ſenſu præciſè litterali, recitando hiſtoriam ſuæ præſentialis viſitationis ad locum & ciuitatem in quibus paſſurus erat, operando ſalutem in medio terræ. Et ideò quilibet diſcretus prędicator iſtud Euangelium debet exponere ſecundum conformitatem repræſentationis ſanctę matris Eccleſiæ, quæ nunc pro illo, nunc pro iſto ſenſu verba ſancti Euangelij accommodat, prout videt deuotioni fidelium conuenientius expedire, quod heu paucorum prædicatorum moris eſt: Plures enim indifferenter iſtud Euãgelium exponunt ad litteram, quod tamen non congruit tempori, ac per hoc cum Eccleſia non

concordat ſed diſcordat. Dicit ergo: *Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis.*

I.

Tria nobis Chriſtus praeſtitit in aduentu.

Saluator noſter veniens in mundum, tria nobis fecit præcipua ſigna, amoris, miſerationis, & pietatis. Primò enim noſtræ mortalitati condeſcendit: vnde dicit *cum appropinquaſſet.* Secundò nuncios ſalutis noſtræ prouidit, quia *miſit duos diſcipulos.* Tertiò præcepta & monita ſalubria dedit, ibi: *Ite in caſtellum.* Quantum ad primum, Chriſtus veniens in hunc mundum primum ſignum ſui amoris & beneficium ſingularis pietatis nobis oſtendit, in hoc quod dignatus eſt noſtræ mortalitati condeſcendere. Ex peccato enim primorum parentum elongatus fuit homo à Deo, & Deus ab homine. Iuxta illud Iſaiæ 59. *Peccata noſtra diuiſerunt inter nos & Deum noſtrum.* Et in pſalm. *Longè à peccatoribus ſalus.* Et hanc elongationem ſignificat ille filius prodigus, qui recepta portione ſuperbè paterna, receſſit in regionem longinquam, & viuens luxurioſè conſumpſit eam. Vnde quamdiu erat in eo ſtatu, non poterat appropinquare Deo. Venit ergo filius Dei & appropinquauit nobis per ſuſceptionem noſtræ mortalitatis, vt nos poſſemus appropinquare Deo per gratiam adoptionis. Vnde in pſalmis: *Prope eſt timentibus eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria eius in terra noſtra.* Gloria Dei eſt filius Dei. Vnde dicitur Hebræorum 1. *Qui cum ſit ſplendor gloria eius.* Quæ quidem gloria tunc appropinquauit terræ, cum filius Dei carnem noſtram ſuſcepit, in qua redemptione facta humanum genus ad gloriam perduxit. Vnde Lucæ 10. *Appropinquans alligauit vulnera eius.* Eſt ergo vita præſens ſtatus maximè gratiæ, in qua propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Ideò Iſaias conſulit vnicuique dicens. *Quærite dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dũ propè eſt.* Et hoc eſt quod nunc Apoſtolus prænunciando clamat dicens: *Nunc enim proprior eſt noſtra ſalus quam cum credidimus.*

Iſaiæ 59. *Luc. 15.* *Vita præſens ſtatus gratiæ.* *Iſaiæ 55.* *Rom. 13.*

Circa iſtam appropinquationem noſtri ſaluatoris aduertendum, quibus Dominus ſpiritualiter appropinquare dignatur. Dicitur enim hic quod appropinquauit tribus locis, ſcil. Hieroſolymis, Bethphage, & mõti olіueti. Et deſignant iſta tria loca tres ſtatus hominum qui merentur Dei aduentum ad ſe. Primi ſunt pacifici, qui ſignificantur per Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis. Vnde in pſalm. dicitur. *In pace factus eſt locus eius.* Et Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Quo contra ſeminantes diſcordias filij diaboli vocantur, vt dicit Gregorius in paſtorali, iuxta illud Prouerbiorum 6. *Homo apoſtata vir inutilis.* Et ſequitur: *In omni tempore iurgia ſeminat.* Quod verbum tractans Gregorius ait: Qui iurgia ſeminant cuius ſint ſequaces agnoſcant. Et ſequitur. Niſi prius more ſuperbientis angeli à conſpectu conditoris mentis auerſione caderent, foras poſtmodum vſque ad ſeminanda iurgia non venirent. Hæc Gregorius. Quiſquis ergo Deum ad ſe venire cupit per gratiam, neceſſe eſt vt pacem ante omnia in ſe habeat, eamque triplicem, cum Deo, proximo, & ſemetipſo. In ſignum huius Chriſtus poſt reſurrectionem ter legitur pacem diſcipulis attuliſſe. Cum Deo tunc pax habetur, cum eius præcepta ſeruantur. Iſaiæ 48. *Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet velut flumen pax tua.* Cum proximo pax habetur, cum eius bonum vt proprium diligitur, & malum eius vt proprium vitatur. Iuxta illud: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Et ſaluator: *Quæcumque volueritis vt faciant vobis homines, eadem facite illis.* Sed certe multi ſunt potius diſcordiam quam pacem proximorum diligentes, quos Apoſtolus vocat carnales dicens: *Si inter vos eſt zelus & contentio, nonne adhuc carnales eſtis?* Et Iacob. 3. dicitur. *Si contentiones ſunt inter vos, nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt iſta ſapientia deſurſum, ſed terrena, animalis & diabolica; quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica.* Ecce quomodo diſcordes vocat vnus Apoſtolus carnales, alter verò animales & terrenos; immò quod peius eſt diabolicos. Et meritò, quia vt dicit Auguſtinus. Contentio non fit niſi pro terrenis & carnalibus.

Appropin quare tres ſtatus hominum deſignat. I. *In Paſtor. cap. 46.* *Ioan. 21.* *Pax tripliciter habenda.* *Matt. 22.* *Matth. 7.* *1 Cor. 3.* *Lib. de lit. & con. cor.*

bus. Tertiò cum ſeipſo homo pacem habet, cum caro obedit ſpiritui, & ſpiritus Deo. Vnde 1.Pet.2. *Abſtinete vos à carnalibus deſiderijs quæ militant aduerſus animam.* Et Paulus ad Galat. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Certè magnum periculum vbi caro rebellat ſpiritui. Simile. Simile eſt enim ac ſi vxor viro rebellet, quod cum fit, tunc eſt ordo peruerſus in homine, ſicut dicit Seneca: Tunc enim pendet domus capite deorſum, cum mulier viro in domo imperat, ſic cum ſenſualitas rationi reluctatur.

2. Secundus ſtatus hominum qui merentur Dei in ſe aduentum per gratiam, eſt hominum abundantium in virtutibus, quod deſignat locus Bethphage. *Bethphage quid.* Erat enim Bethphage locus ſeu villa paruula ſacerdotū ſub monte Oliueti ſita, in qua pecora ipſis oblata ſeruabantur & nutriebantur, & expleto officio vicis ſuæ manebant, vt dicit Remigius, & Magiſter in vita Chriſti. Vnde Bethphage interpretatur domus buccæ ſiue maxillarum, ſecundum Hieronymum, Bedam & Remigium. Quia maxilla erat propria pars ſacerdotum in lege, quorum erat officium verbum Dei prædicare & legem proponere. Per Bethphage ergo myſticè ſignificantur illi qui habent abundantiam & ſaturitatem bonorum cæleſtium in anima, ad quos Dominus libenter aduenit. Vnde Zacheus quia diues in virtutibus erat, *Luc.19.* meruit Chriſtum ſuſcipere hoſpitio. Sic Martha quia abundans erat in operibus *Luc.10.* pietatis, Chriſtū meruit habere hoſpitē.

3. Tertius ſtatus hominum qui merentur hodie ſuſcipere Chriſtum in ſe per gratiam, eſt ſtatus hominum operibus miſericordiæ inſiſtentium, qui deſignantur per montem Oliueti. Mons ſignificat altitudinem con- *Mons Oliueti quid.* templationis erga Deum per opera iuſticię: iuxta illud Pſalmi: *Iuſticia tua ſicut montes Dei.* Oliua ſignificat pinguedinem compaſſionis & miſerationis erga proximum, de quo oleo dicitur Matth.6. *Vnge caput tuum oleo.* Quod exponit ibidem Chryſoſtomus, Vnge caput.i. Chriſtum oleo miſericordiæ, ſcilicet pauperes reficiendo. Vnde Eccleſ.9. conſulit Salomoni: *Oleum de capite tuo non deficiet.* O ſalubre oleum cum quo tantum virgines prudentes ad nuptias ſponſi admittuntur. Quiſquis 4 ergo ad ſe vult habere domini aduentum, *Matt.25.* ſtudeat his tribus virtutibus inſiſtere præcipuis, vt ſit pacificus per quietem ad dominum, proximum, & ſeipſum; per tranquillitatem, abundans virtutibus; per conuerſationis honeſtatem, & compatiens proximorum defectibus; per miſerationis pietatem. Tunc enim erit ille cui meritò appropinquabit dominus, per gratiæ infuſionem.

Tunc miſit duos diſcipulos ſuos dicens eis. Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi. Hic ſecundo oſtenditur ſignum ſecundum pręcipuæ benignitatis noſtri Saluatoris, ex eo videlicet quod nobis nuncios ſalutis noſtræ prouidit. Vnde dicit: *Tunc miſit duos diſcipulos.* Iſti duo diſcipuli exprimunt in ſe typum ſeu figuram omnium prædicatorum. Eſt autem ſciendum quod ſecundum Gloſſam & Chryſoſtomum hi duo fuerunt Philippus & Petrus, quorum primus Samariam quaſi aſinam, ſecundus Cornelium quaſi aſinæ pullum adduxit ad fidem Chriſti. Petrus interpretatur agnoſcens; Philippus verò os lampadis, per quod ſignificatur ſecundum Magiſtrum in vita Chriſti, parte prima cap.26. quod ad prædicandum tales debent mitti, qui habent agnitionem veritatis ſeu ſcientiam ad intelligendū, & ſplēdorem honeſtatis ſeu gratiam ad docendum.

Et poſſunt hic elici plures conditiones *Conditiones Cōcionatori neceſſariæ.* prædicatori neceſſariæ. Prima eſt vt ſit intelligens interius diuinas ſcripturas, quod notatur per Petrum. 1. Secunda vt ſit honeſtæ conuerſationis exterius quod notatur per Philippum. 2. Tertia, vt ſit diſciplinatus in omnibus, quod notatur per hoc quod dicitur diſcipulos, id eſt diſciplinatos propter ędificationem exempli. 3. Vnde Thimotheo dicitur. *Exemplum eſto fidelium.* Quarta vt ſit firmatus in verbo. 4. vnde dicitur, *duos.* Tunc autem eſt firmatus prædicator in verbo, cum vita concordat doctrinæ in ipſo. Vnde canit Eccleſia. Dum vox vitam nō remordet, dulcis eſt ſimphonia. Hinc Auguſtinus libro de Doctrina Chriſtiana, vocat illos fures verborum Dei qui boni

volunt

volunt videri, loquendo quæ Dei ſunt, cum mali ſint, faciendo quæ ſua ſunt. In hoc etiam Chriſtus innuit ſecundum Hieronymũ, duplicem humilitatem prædicatoribus eſſe neceſſariam, cordis & corporis: & geminam charitatem, ſcilicet Dei & proximi, ſiue propter theoricam & practicam, ſcilicet ſcientiam & opera, vt dicit Beda in Homel. Et Chryſoſtom. addit. Ideò duos miſit, quia per duo generalia mandata omne genus hominum à peccato abſoluitur, qualia ſũt, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum*. Remigius etiam dicit quod duos miſit propter duos ordines prædicatorum miſſorum Iudæis & gentilibus, ſiue propter duo teſtamenta, ſiue propter litteram & ſpiritum, quæ debent prædicatores populo annuntiare. Attendant hoc moderni prædicatores, qui huiuſmodi conditionibus carentes, & in ſe adhuc tam ſcientia quam moribus deficientes, audacter currunt ad cathedras, ignari ſcripturarum, non intelligentes quid loquuntur aut de quibus affirmant. Quos B. Bernardus oſtendit ſimiles canalibus quę ſimul accipiunt & effundunt: hoc eſt quod non expectantes vt doceantur, ſtatim vt ſe putant temerariè doctos & intelligentes, prædicare currunt. Vnde Bernardus: Tantæ charitatis inquit ſunt per quos nobis fluëta cœleſtia manant, vt antè effundere quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere quod non didicerũt, & alijs præeſſe geſtientes qui ſeipſos regere neſciunt. Hæc ille.

Chriſtus cur duos miſerit diſcipulos.

Bern. ſer. 18. ſuper Cant.

Sunt & alij, qui etſi diuinas ſcripturas intelligunt, ipſi tamẽ per reprobam vitã, propriam prædicationem ſuam confundunt. quibus populus tacitè in eccleſia audiens ſermones ſępius reſpõdet: Cur ergo quæ dicis, ipſe nõ facis? Delicatꝰ certè magiſter eſt qui pleno ventre de ieiunijs diſputat, accuſare auariciam & latro poteſt; & raro ſacerdotis Chriſti os cum mentè concordat, vt inquit Hieronymus. Eſt etiam hic notandum quod ante omnia prædicatori neceſſaria eſt miſſio per Superiorem. Vnde hic dicitur *Miſit duos*. Nullus enim Apoſtolorum prædicare auſus eſt, donec eis diceretur. *Ecce ego mitto vos*. Vnde dicit Paulꝰ. *Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*. Sic enim fecit Chriſtus, ſic Apoſtoli, ſic omnes eorum ſucceſſores. De Chriſto namque dicitur quod ipſo baptizato & transfigurato audita eſt vox paterna de cælo intonans. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Ecce miſſio. Quam miſſionem Chriſtus affirmãs per prophetã Iſaiã, quadã vice ſumpto libro Iſaiæ legit apertè dicens id quod de eo ſcriptum erat. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad euangelizandũ pauperibus miſit me.* Sic Iohannes Baptiſta ne putaretur propria temeritate ad prædicandum ſe ingeſſiſſe, auctoritatem diuinæ miſſionis allegando dixit. *Ego vox clamantis in deſerto, ſicut dixit Iſaias Propheta*. id eſt, de me prophetauit ita. Sic fecerunt diſcipuli. Nã licet Paulus in cœlo authoritatem prædicandi acceperat, eo quod didicit Euangelium Chriſti non ab homine, ſed per reuelationem Chriſti, vt dicit ad Galathas, tamen & ipſe non prius prædicare cæpit donec aſcendens Hieroſolymam ad Petrum contuliſſet cum eo Euangelium, ne fortè fruſtra curreret aut cucurriſſet. Super quo dicit Hieronymus, quod Paulus non audebat prædicare Euangelium, niſi fuiſſet Petri auctoritate roboratum. Hic Dominus ait: *Rogate Dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam.* Ecce dicit *Rogate*, quod eſt dicere, rogate licentiam à prælatis, non propria temeritate vos ingeratis. Et hoc contra Huſſitas dicentes indifferenter omnibus vbilibet ſine licentia prælatorum eſſe prædicandum.

Hieron. in epiſt. ad Nepotia.

Miſſio Concionatori neceſſaria.

Matt. 10. Marc. 3. Luc. 6. & 9.

Ioan. 12. *Hebr. 5.*

Luc. 4.

Hieron. in epiſt. ad Aug.

Luc. 10.

Ite in caſtellum quod contra vos eſt. Hic Saluator iniungit diſcipulis mandata ſalubria dicens: *Ite.* per quod arguit accidioſos & tepidos, negligentes & pigros, qui quaſi ſtantes tota die ocioſi, nihil boni annunciant Chriſti populo, quibus dicitur hic: *Ite* inquit *in orbem prædicate Euangelium*. Quam multis hoc verbum rationabiliter poſſet dici in clauſtris iacentibus, ad prædicandum populo Dei aptis, & tamen tacentibus? Qui licet vitæ contemplatiuæ inſiſtant vt ſibi ipſis proficiant, tamen interdum vtilius facerent ſi proximorum ſaluti intenderent, & verbo prædicationis pariter & exemplo in

Matt. 10.

populo Chriſtiano proficerent exemplo Exod. 20. Moyſi, qui nunc aſcendit in montem cum Deo locuturus, nunc deſcendit de monte populum inſtructurus: exemplo Chriſti, Matth. 5. qui nunc aſcendit in montem orare ſolus, nunc deſcendit de monte turbas refecturus, curaturus & docturus. Vnde Bernardus tractans illud Canticorum. 1. *Meliora ſunt vbera tua vino*, dicit: *Noli nimis inſiſtere oſculis contemplationis, quia meliora ſunt vbera prædicationis*. Nec tamen per hoc dico ſimpliciter vitam actiuam eſſe meliorem contemplatiua, ſed hoc dico quantum per comparationem ad vtilitatem aliorum; quia actiua vtilior eſt proximorum neceſſitati, licet contemplatiua quoad ſe ſit melior, ſecundum Gregor. ſuper Ezech. libr. 1. homil. 3. & l. 2. hom. 2.

Bern. ho. 9. in Cāt.

Vita actiua & contēplatiua.

Ite in caſtellum quod contra vos eſt. Hic ponitur forma mandati quo iubentur ire quid facere & quomodo facere, & hæc eſt perfecta forma mandati. Primo ergò determinatur eis locus ad quem debent ire, *in caſtellum*: quid facere, ſoluere illam aſinam: tertio quomodo facere, quia allegare neceſſitatem. *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet*. De primo quo debent ire, quia in caſtellum. Caſtellum dicebatur Hieruſalem, ſiue propter ſitum, ſiue propter fortitudinem, quia triplici muro & propugnaculis & fortalicijs ad modum caſtri clauſa erat: vel vocauit eam ſic deſpectiuè. Iam enim nomen ciuitatis amiſerat, quia ex libertate temporali in ſeruitutem gentium redacta & Romanis ſubiecta erat. Item, de libertate ſpirituali redacta erat in ſeruitutem viciorum, & de frequentia populorum in paucitatem inhabitatorum, & ideò dicitur diminutiuè caſtellum. Item, non vocauit Hieruſalem ciuitatem ſed caſtellum, quia ibi non erat ciuium vnitas, ſed multiplex diſcordia inter eos, & quia munita erat armis maliciæ contra veritatem, id eſt, contra Chriſtum. *Ite ergo in caſtellum quod contra vos eſt*, ſiue per ſitum, ſiue per contradictionem futuram. Et ſtatim, ſcilicet ante portam in introitu ciuitatis, inuenietis aſinam & pullum eius, ſuper quem nullus ſedit, in biuio, id eſt, loco publico alligatos, & ad miniſteria pauperum deputatos. Mos quippe erat in illis regionibus, vt in ſingulis ciuitatibus vel oppidis aſinus vel aliud animal ad ſedendum aptum pro pauperibus haberetur præparatum, propter eos qui propria iumenta non habebant. Et ſi cui opus erat itinere vnius diei eo vteretur, & ei pro tunc cibum miniſtraret, & tandem ad locum commune reponeret, cui habitatores vrbis communiter de victualibus prouidebant.

Hieruſalē cur vocetur Caſtellum.

Soluite & adducite mihi. Ecce forma quid faciendi. Soluite & cum hoc adducite. Et tandem adiungitur quomodo, quia allegando neceſſitatem dicite. *Si quis vobis aliquid dixerit*, contradicendo ne ſoluatis, quia Dominus, omnium ſcilicet generaliter, non Dominus iſtius aut illius terræ, ſed Dominus cœli & terræ, Rex Regum & Dominus Dominantium, opus habet. Dicit autem hic Chryſoſt. quod virtus Chriſti præparauit cor Domini, id eſt, cuſtodis illorum animalium, vt mox ad verbum eorum daret eis quamuis ignotis aſinam & pullum. Et hæc ad litteram, quantum videtur exigere ſpiritalis ſenſus neceſſitas, vt clarior fiat myſtica intelligentia.

Myſticè itaque caſtellum illud ſignificat mundum, diſcipuli ſignificant prædicatores. Mundus verò eſt contra prædicatores, quia mundus amat diuitias, honores & delitias, è contra prędicatores prædicant paupertatem, abiectionem & aſperitatem. Aſina populus iudaicus propter ſtultitiam. Pullus eſt populus gentium, propter laſciuiam & peccandi conſuetudinem. Dicit ergo diſcipulis, ite ad prædicatores & prædicationis officium, ad ſacramentorum myſterium, in caſtellum, id eſt, mundum, qui multipliciter impugnat Deum, erroribus incredulis & paganis fictionibus in hypocritis & falſis Chriſtianis, voluptatibus in impudicis & delicatis, vanitatibus & pompis in ſuperbis, cupiditatibus in auaris & ambitioſis. Vnde Iohannes dicit. *Totus mundus in maligno poſitus eſt*, id eſt, in malo igne. Et verè in malo, quia quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis,

Caſtellū myſticè quid ſignificet.

carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Qui quidem mundus eſt contra prædicatores, diſſimili conuerſatione, tumidæ mentis obſtinatione, pudibunda oris obiurgatione.

Et ſtatim inuenietis aſinam. Patet hic quod non eſt excuſatio prædicatoris dicentis quod non habeat cui prædicet, quia dicitur hic, *ſtatim inuenietis*, quaſi ſine magna ſolicitudine quærendi inuenietis aſinam alligatam & pullum cum ea. Iudæa eſt aſina, pullus laſciuus & indomitus gentilis populus, nullo iugo legis aſſuetus. Iudæa enim ſecundum Deum & in ſpiritualibus mater eſt gentium, quia de Syon exiuit lex. Et Iohan. 4. *Salus ex Iudæis eſt*. Et ponuntur hic tres conditiones miſeriæ peccatorum quæ debent nos mouere ad quærendum.

Tres conditiones miſeriæ peccatorũ.

1. Prima eſt beſtialis ſimilitudo, quia de homine

2. iumentum eſt factum. Et ideò dicit *aſinam & pullum eius*. Secunda miſeria eſt ſpiritualis ligatio, quia de libero factus eſt captiuus. Et ideò dicit *alligatam*. Ligatio iſta eſt per malam conſuetudinem, de qua dicit Auguſtinus. Ligatus eram non ferro, ſed mea ferrea voluntate. Eſt autem ſciendum quod duplici funiculo ligatur homo peccator in anima, argenteo & aureo. Argẽteus funiculus eſt cupiditas argenti, de quo dicit Apoſtolus ad Timoth. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes & in laqueum diaboli*. Aureus funiculus eſt carnalis delectatio, quia dulciter ſonans ſed irremediabiliter puniens, quia momentaneum eſt quod delectat, æternum autem quod cruciat. De his funibus dicitur in pſalmis, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, quo ad primum. Et iterum, *Et funes extenderunt in laqueum*, quo ad ſecundum; vtrobique pluraliter dicit funes, quia quam plurima ſunt vincula in hoc mundo. Vincula ſunt deſideria viuendi, oblectamenta voluptatum. Vinculum noſtrum, auaritia, vinculum noſtrum concupiſcentia. inquit Ambroſ. ſuper Beati immaculati. Hi ſunt funes Samſonis, quibus fuit alligatus per Dalilam. Sed quid conſulit propheta dicens. *Dirumpamus* inquit *vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum*. vbi dicit Innocentius, Vinculum eſt cupiditatis, & iugum timoris. Vinculum eſt amor malè accendens, quo trahimur ad illicita. Iugum eſt timor malè humilians, quo premimur & retrahimur ne faciamus vtilia. Dirumpamus ergo vincula, & proijciamus iugum. Iſaiæ 52. *Conſurge, ſede Ieruſalem: ſolue vincula colli tui*. Et Iſaiæ 58. *Diſſolue colligationes iniquitatis, ſolue faſciculos deprimentes*. Et nota quod quidam ſoluunt vincula, quidam rumpunt, quidam præſcindunt. Soluunt qui peccata confitentur. Rumpunt qui ad arctiora ſe transferunt, vt clauſtrales, vti dicit Hieronymus ad Paulinum. Præſcindunt qui ad arctiſſima ſe conferunt, vt Eremitæ, Maria AEgyptiaca, Paulus, Anthonius, & alij Sancti. Tertia miſeria quæ cogit nos ad quærendum, eſt vniuerſalis multitudo. Vnde dicitur, *ſtatim inuenietis*, quia ſtultorum infinitus eſt numerus, vbique enim occurrunt peccatores. Dicit hic autem Chryſoſtomus, quod homines Dei filium non cognoſcentes aſſimilantur aſinis. Eſt enim aſinus animal immundum, rude, ſtultum & infirmum. Sic fuerunt homines ante Chriſti aduentum alligati praua conſuetudine peccati, quod vinculum eſt fortiſſimum, quia vetuſtate non corrumpitur vt alia, ſed fortificatur. *Peccator enim cum in profundum malorum venerit, contemnet*. Prou. 18. Soluite ergo monitis veſtris ab erroribus & peccatis enodando & extrahendo & ſolutos oſtendendo, & adducite mihi, in fide & moribus informando, vt ſoluti à vinculis me ſequantur imitando. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, contradicendo, dicite, quia Dominus his opus habet, non propter ſuam ſed noſtram vtilitatem. *Vult enim omnes homines ſaluos fieri*. Timoth. 1. Et: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*. 1. Theſſal. 4. *Et confeſtim dimittet eos.*

Auguſt. l. Confeſſ. — *Iudic. 16.*

Caſtellũ moraliter quid ſignificet.

Moraliter autem caſtellum Domino & ſuis Apoſtolis ac ſuæ gratiæ muneribus contrarium, poteſt dici cor hominis peccatoris, rationibus & excuſationibus, quaſi muris & propugnaculis contra Dominum munitum, & per turrim elationis, murum

rum obdurationis, & ſeram pertinaciæ firmatum. Aſina autem in eo ligata, eſt anima vinculis peccatorum præpedita. Pullus laſciuus eſt affectus lubricus & malus. Duo diſcipuli ſunt timor & amor ordinatus, qui aſinam & pullum ſoluunt dum à peccatis abſoluunt, & Dominum deſuper ſtratis veſtibus, id eſt, ornatis virtutibus & donis ſedere faciunt. Dicit hic Chryſoſt. quod antequam peccemus, liberum habemus arbitrium an peccare velimus: quod ſi ſemel peccauerimus, iam omnino noſtra virtute euadere non poſſumus, ſed ſicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, vbi eam tempeſtas impulerit, ſic homo per peccatū diuinæ gratiæ auxilio perdito non quod vult agit, ſed quod vult Diabolus. Et hoc vocatur hic alligatura animæ. Et ſubdit Chryſoſtomus: Ergo quidem noſtra voluntate & negligentia alligamur, ſed per Dei gratiam & miſericordiam abſoluimur. Et ideo Bernardus dicit hanc eſſe magnam miſericordiam Dei, per quam homo excutit iugum peccati à ceruice ſua, quod omnino humanæ virtuti eſt impoſſibile.

Hoc autem totum factum eſt vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem. Dicite filiæ Syon. Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Hic ponitur approbatio conſummationis in adimpletione Propheticæ auctoritatis. Iſta autem auctoritas quantum ad principium, ſcilicet dicite filiæ Syon, ponitur Iſa. 62. vltimum verò quod ſequitur, ponitur Zach. 9. cap. In Iſaia ponitur: *Ecce ſaluator tuus venit*. Sed in Zach. ponitur. *Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum aſinæ, & diſperdam quadrigā ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, & diſſipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ.* Hoc quando factum ſit vt Dominus Ieſus Chriſtus in itinere iumento huius generis vteretur, in Euangelio præſenti impletum eſt, vt dicit Auguſtinus. Vnde dicit: *Hoc autem factum eſt vt adimpleretur*, ſcilicet, conſecutiue non cauſatiue, ſecundum Gorranum. *Dicite filiæ Syon*, id eſt, ciuitati Hieruſalem ſitæ ſub monte Syon, *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus*. Ecce, demonſtratiuum eſt oſtendentis, id eſt, videte, non carnali aſpectu, ſed ſpirituali intellectu virtutem eius aſpicite; non naturā corporalem in qua decipiendi, ſed ad opera per quæ ſaluandi eſtis. Ita exponit Beda. *Ecce rex tuus venit tibi*. Hoc ideo propheta dixit diu ante conſtitutus, ac ſi eum præſentialiter videret, quem ſpirituali aſpectu videbat, quia ille antequam naſceretur iam erat. Et ideo dicit *venit*. Et addit *tibi*, ſcilicet, ſi intellexeris venit tibi, id eſt, ad tuam vtilitatem, ſi non intellexeris venit contra te. *Māſuetus*, nō rigidus aut ſeuerus. Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, quaſi dicat, non venit in faſtu regio, propter quod eſſet odioſus, ſed venit in manſuetudine propter quod eſſet diligendus, *ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis*, id eſt, aſinæ ſub iugo & onere poſitæ & domitæ. Aſina enim græcè, latinè ſubiugalis dicitur, in quorum vtroque ſedit Chriſtus, propter myſterium, ad ſignificandum quod ipſe debuit ſubijcere in vnam fidem Iudæos & gentiles. Et tanguntur hic quatuor propter quæ mundus & præcipuè Iudæi Chriſtum meritò ſuſcipere debuerunt. Primo propter dignitatem, quia Rex. Secundo propter proprietatem, quia tuus. Tertio propter vtilitatem, quia venit tibi. Quarto propter manſuetudinem, quia manſuetus. Et poteſt addi quintum, propter humilitatem, ſedens ſuper aſinam. Non ſicut Diabolus, qui eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ; qui non ſuper aſina, ſed ſuper equo rufo eidem Zachariæ apparuit. *Vidi in nocte & ecce apparuit ſuper equo rufo.* Et Apocal. 2. dicitur de ipſo, quod qui ſedebat ſuper equo rufo, datum eſt ei ſumere pacem, id eſt, permiſſum eſt ei tollere pacem & facere bellum, vt non eſſet pax in terra. Iſa. 47. *Non eſt pax impijs.* Econtra de familia Chriſti dicitur. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Venit autem Chriſtus ad multas vtilitates, de quibus in ſequentibus patebit. Myſticè hic datur præceptum prædicatoribus vt annuncient militanti Eccleſiæ quæ eſt filia illius Eccleſiæ triumphantis in cœlo. *Ecce Rex tuus venit tibi*, id eſt, ad tuam vtilitatem, non ad ſuam. Nam de omnibus operibus Eccleſiæ Deus non vult niſi gloriam, iuxta illud: *Soli Deo honor & gloria.* Et iterum, *Omnia in laudem*

Chriſtus ob quatuor ſuſcipi debuit.

Auguſt. lib. 18. de ciuit. Dei c. 35.

Luca 16.

Dei facite. Nobis autem reliquit vtilitatem, iuxta illud: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,* vobis dicit non mihi. Moraliter autem prædicatores & curati habent hoc præceptum vt diligant animas ſubditorum annunciando illis veritatem oportunam & neceſſariam ad ſalutem. Vnde eis dicitur, *Dicite.* quaſi dicat. Nolite tacere, nolite negligere. Vnde Iſaiæ 58. dicitur: *Clama, ne ceſſes, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Et ob hoc dicit Gregorius: Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium eos qui erudiri poterant in errore derelinquit.

Greg. in paſtor. ca. 43.

II.

Dixi ſecundo, quod in Euangelio præſenti ſit mentio de diſcipulus Chriſti, in quibus fuit mira obedientiæ deuotio & promptitudo, eo quod omnia vt eis iniuncta ſunt ſtatim fecerunt, vnde ſequitur. *Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præceperat eis Ieſus.* In quo ſecundum Hugonem de ſancto Victore, datur perfecta forma obedientiæ, quę eſt non ſolũ facere quod pręcipitur, ſed etiam ſicut præcipitur. Vnde Luc. 14. *Factũ eſt Domine vt imperaſti. Et adduxerunt aſinã & pullum & impoſuerunt ſuper eum veſtimẽta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Iſta veſtimenta ſecundum Baſilium ſignant inſtituta Apoſtolica & exempla, atque doctrinam ipſorum, quibus corda hominum inſtruxerunt, vt Deum habitatorem habere poſſent, quibus receptis à Iudæis & gentibus, ſedit in eis Chriſtus; quia niſi anima his inſtructa & informata fuerit & ornata, Deum ſeſſorem habere non poterit. Et Bernardus dicit, quod veſtimenta iſta ſignificãt doctrinam & mores Apoſtolorum, ſine quibus anima nuda eſt, & per conſequens Dominus ei inſidere non poteſt. Et ideò Eccleſia curat præparare & præornare ſe in veſtitu deaurato virtutum. Hæc Bernard. Quod autem Dominus ſuper vtrumque animal ſedit, primo ſuper aſinam, deinde ſuper pullum, tertio iterum ſuper aſinam, ſignificat quia Chriſtus primo venit ad Iudæos, vt dicitur Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierant domus Iſraël.* Deinde a Iudæis fides eius tranſiuit ad gentes, iuxta illud. *Vobis oportuit primum prædicari regnum Dei, ſed quia repuliſtis illud & indignos vos feciſtis, ecce conuertimur ad gentes.* Deinde in fine mundi iterum de gentibus procedet ad Iudæos, quia poſtquam plenitudo gentium introierit, ſcilicet in fidem, tũc reliquiæ Iſraël ſaluæ fient. Moraliter per aſinam intelligitur noſtra caro pigra, ſtolida & laſciua, ab anteriori debilis ad ſpiritualia, à poſteriori fortis ad temporalia: per pullum carnalis affectus & vanum deſiderium noſtrum, quo tunc ligantur cum voluptatum illecebris irretiuntur. Sed ea ſoluere & ſubijcere debemus per ornatum virtutum, mortificationem carnis, & contritionem ſpiritus contribulati. Vnde Gloſſa ſuper illud Pſal. 92. *Parata eſt ſedes tua Deus,* dicit. Humilis eſto & quietus vt in te habitet Deꝰ. Hoc ſignificat aſina, animal quietum & humile, ſicut equus ſignificat ſuperbum, de quo dicitur. *Fallax equus ad ſalutem:* Dicit ibi Gloſſa: quod equus eſt ſuperba opinio illorum qui in viribus ſuis credunt ſaluari. Iudith 9. *Non in viribus equorum,* id eſt ſuperborum, *voluntas tua, neque ſuperbi ab initio placuerunt tibi, ſed humilium & manſuetorum tibi ſemper placuit oratio.* Talem ergo aſinam Chriſtus equitauit, quia talem mentem eundo in Ieruſalem cœleſtem regit & gubernat, & poſt hanc vitam in cœleſtem patriam introducit, ſecundum Remigium.

Veſtimẽta ſtrata quid ſignificent.

Bern. ſer. 28. in Cãtic.

Rom. 11.

Pſal. 32.

III.

Dixi tertio, quod in verbis præmiſſis ſit mentio de tribus, in quibus fuit reuerentiæ & honoris debita & humilis exhibitio, vnde ſequitur: *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua.* Iſta turba tria fecit obſequia Chriſto valdè honorabilia. Primo ipſum antecedendo & ſequendo. Secundo viam præparando. Tertio vocibus laudando. Vnde dicit. *Turbæ autem quæ præcedebant,* & ſignificant ſanctos Patres veteris teſtamenti, qui præceſſerunt in figura Chriſtum. 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Turbæ quæ ſequuntur ſignificant Patres noui teſtamenti, qui Chriſtum ſequuntur per viam præceptorum & conſiliorum, inter quos eſt talis differentia, quia ſicut pręcedentes aliquem non vident eum, ſed ſequentes benè vident: ita ſancti Patres licet in Chriſtum crediderunt, tamen eum præſentia-

Turba Chriſto tria præſtitit obſequia & qualia.

ſentialiter non viderunt. Vnde Iob: *Dies mei velociores curſore fugierunt, & non viderunt bonum*. Dicit Gregor. id eſt, Chriſtum in quo ſunt omnia bona. Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona*. Quod autem dicitur de Abraham, *vidit & gauiſus eſt*, intelligendum eſt vidit in ſpiritu prophetico, non in præſentia corporali. Apoſtoli autem qui Chriſtum ſequebantur, viderunt Chriſtum, ex quo & beatificantur à Chriſto Luc. 10. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico vobis quia multi reges & prophetæ voluerunt hæc videre quæ vos videtis & non viderunt.*

Ioan. 8.

Secundo honorauit iſta turba Chriſtum viam præparando veſtibus ſuis & ramis. Veſtes turbarum ſignificant mandata legis Iudaicæ. Frondes vero tenent ſpeciem pietatis, & vtrumque iam ſub pedibus ponitur Chriſtianorum, quia iſta omnia Chriſtiani conculcant, quæ fuerunt cærimonialia Iudæorum & ſolis veſtimentis, Apoſtolorum inſtitutis & doctrinis ornantur. Beda tamen dicit quod turbæ quæ ſternebant veſtimenta in via, ſignificant credentes ex Iudæis qui gloriam quam habebant ex lege videntes Chriſtum deiecerunt in terram, ſemetipſos humiliantes. Qui autem ponebant frondes, ſignificant illos qui ante faciem gentilis populi exempla quaſi ramos virentes ponebant, vt ſine offendiculo ambularent per viam vitæ iſtius, donec intrarent in ſanctuarium Domini.

Tertio honorauit iſta turba Chriſtum, laudando eum vocibus, & ſignificat prædicatores noui & veteris teſtamenti, qui omnes vna voce clamabant. *Oſanna*, id eſt, ſaluifica filio Dauid ablatiuè, id eſt, per filium Dauid, id eſt, per Chriſtum, Vel datiuè, filio Dauid, id eſt, Chriſto Oſanna, vbi confitētur humanitatem. Oſanna ſecundum Huguicio, Hebræum eſt & in alterius linguæ interpretationem in toto tranſire non poteſt. Oſi enim ſalua vel ſaluifica interprætatur. Anna interiectio eſt depræcantis. Et inde deberet dici Oſianna integrè, ſed corruptè dicitur Oſanna, eliſa vocali ſcilicet, in quod Hebraicè ſalua vel ſaluifica obſecro interpretatur, ſubaudiendo totum mūdum. Et ſecundum hoc Oſanna eſt verbum, & habet in ſe vim iſtius verbi obſecro, ex vi interiectionis. Quidam autem dicunt qui Hebraicam linguam nouerunt, magis nos affectum obſecrantis ſignificare, & ita erit interiectio, quia nec græcus nec latinus hoc interpretari per aliquam vocem potuit. Sicut nec illud qui dixerit fratri ſuo racha, quæ eſt interiectio indignantis. Vel ſicut interiectio dolentis eſt heu, ita apud illos obſecrantis anna, & valet apud nos tantum ſicut vtinam, quod eſt aduerbium optandi ſecundum Magiſtrum de vita Chriſti. Et quia hæc interiectio anna non habetur in latino eloquio, poſuit pro ea Hieronymus Oſanna, id eſt, obſecro. Vnde in pſalmis vbi 70. interpretes poſuerunt, *O Domine ſaluum me fac*, in Hebræo ſcriptum eſt anna adonay Oſianna, quod Hieronym. tranſtulit obſecro Domine, ſalua obſecro. Idem namque ſignificat ô Domine per interiectionem obſecrantis, quod obſecro Domine per ipſum verbum obſecrationis. Eſt ergo Oſanna quaſi Oſianna, id eſt, ſalua obſecro Domine, & eſt vna dictio, & ſignificat quod aduentus Chriſti ſalus ſit mundi. Vnde ſubiungunt, *Benedictus qui venit*, id eſt, glorioſus ſit. Vel ſecundum Bedam, id eſt, ab omni peccato ſingulariter immunis & immunes faciens, *qui venit* per carnis aſſumptionem, id eſt, incarnatus eſt. *in nomine Domini*, id eſt, in nomine Patris miſſus, & a Deo Patre miſſus ad explendum voluntatem eius & glorificandum eum. Deinde iterum verba repetentes conuertuntur ad ipſum, dicentes, *Oſanna in excelſis*, id eſt, ſalua obſecro. Bis dicunt Oſanna quia Chriſtus eſt Saluator ſecundum vtramque ſubſtantiam, ſcilicet diuinam effectiuè, & humanam meritoriè. Et ad ſciendum de qua ſalute intelligatur, determinant vbi ſe velint ſaluari, ſcilicet in excelſis, id eſt, in cœleſtibus non in infimis & terrenis, ſalua in excelſis qui prius ſaluabis ab inferis. Ecce, duplex ſalus, vna in liberatione pœnæ, alia in collatione gloriæ, vbi manifeſtè oſtenditur quod aduentus Chriſti non tantum hominum, ſed totius mundi ſalus eſt. in excelſis, id eſt, in cœlis & in terris, & terrena iungens cœleſtibus, vt omne genu ſibi flectatur, cœleſtium terreſtrium & infernorum.

Oſanna quid ſignificet.

Salus duplex.

Iſtum triplicem honorem debent Chriſtiani hodie facere Chriſto ſpiritualiter: Primo

Tripliciter Chri[...]

jus à nobis honorandus. Primo namque debent præcedere Chriſtū per confeſſionem, iuxta illud. *Praoccupemus faciem eius in confeſſione.* Secundo ſequi per
1. mandatorum impletionem vt dicat quiſ-
2. que. Veſtigia illius ſecutus eſt pes meus. Sic Chriſtus hortatur quemlibet, dicens.
3. *Tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Tertio debent præparare viam Chriſto per veſti- *Veſtimēta quid ſit ſternere.* mentorum in via proiectionem. Via eſt præſens vita, in qua veſtimenta ſternimus quando proximis exempla virtutum oſtendimus, aut per martyrium, aut per continētiæ propoſitum, aut per ieiunium, aut per exercitium. Vel veſtimenta in via ad aduentum Chriſti ſternere & deponere, eſt antiquam conuerſationem peccati deponere. *Oliua miſericordia ſymbolū.* Ramos cedere de oliua eſt opera miſericordiæ facere. Oliua enim miſericordiam ſignificat. Ramos palmarum cedere eſt de tentationibus triumphare & victoriam reportare. Palma enim victoriam ſignificat. Et ſignificantur hic tres ſtatus Chriſto obſequentes in Eccleſia, prælati cedunt frondes; proferentes exempla virentia ſanctorum Patrum ad exemplum fidelium. Seculares veſtimenta proijciunt, quia temporalia in Chriſti obſequium expendunt. Religioſi ſunt vt aſina & pullus, qui Dominum in ſe portant, in cordibus ſuis per gratiam habitare facientes. Tertio debent fideles laudare Chriſtum cum turbis, per quos ſignificantur omnes contemplatiui qui orationi & diuinæ laudi magis ſunt intenti. Hic *Dubia tria.* mouentur tria dubia. Primum eſt quare fi-
1. lius Dei voluit incarnari. Ad quod reſpon- *Bern. ſer. 20. in Cātic.* deo ſecundū Bernardum, quod hoc fecit vt carnalium hominum qui niſi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones retraheret, & deinde gradatim ad amorem per-
2. duceret ſpiritualem. Hæc ille. Secundum dubium eſt quare Chriſtus non eſt incarnatus, antequam eo tempore quo factum eſt. Reſpondeo ſecundum Thomam quod *D. Thom. ſup. 2. ſēt. diſt. 1. Et l. 4 comp. cap. 7.* hoc decuit, primo ex eo vt homo defectum ſuum agnoſceret, qui erat duplex, ſcilicet in cognitione & in virtute, defectus in cognitione innotuit homini tempore legis naturæ, quo multi non obſtante lumine naturali in peſſimos errores Idolatriæ ſunt prolapſi. Sed defectus in virtute innotuit homini tempore legis ſcriptæ, quia tunc nullus eruditus per legem potuit iugum peccati à ſe excludere. Ideò decuit, vt poſt iſta duo tempora quaſi præparatoria veniret Chriſtus in mundum & non ante. Ter- 3.
tium dubium. Quare ita pauper venire voluit in mundum. Reſpondeo quod hoc fecit ideò vt homini nouam viam ſalutis oſtēderet. Adam enim amiſerat honores, diuitias, & delicias. Quæ tria voluit recuperare per alia tria, ſcilicet honorem per ſuperbiam, diuitias per auaritiam, delicias per luxuriā. Quia ergo Adam per illa tria recuperare non potuit amiſſam dignitatem, venit filius Dei & attulit alia tria, ſcilicet paupertatem contra mundi diuitias, vt cæleſtes acquireret: humilitatem contra Diabolum, per quam eius ſuperbiam deſtrueret: aſperitatem contra carnem, vt eius deſtrueret voluptatem. Vnde quia totus mundus iſtis tribus vitijs erat infectus, neceſſario Chriſtus debuit venire cum tribus remedijs ſupradictis. Quare benedictus ſit quia ita venit in nomine Domini. Cuius benedictionis nos participes faciat idem ipſe benedictus & glorioſus in ſecula ſeculorum.

Amen.

EIVSDEM DOMINICAE SERMO II.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21.

SI cōſideremus fratres cariſſimi humanæ dignitatis excellentiam, & donorum ac beneficiorum affluentiam, quibus eam diuinæ liberalitatis exundas profluuium miſericorditer viſitauit, abſque dubio ſufficienter moueri poterit: immo & debebit voluntas omnis mortalium, vt in laudem & gloriam tanti largitoris aſſurgat & deuotiſſimè prorumpat. Sicut namque Augustinus dicit: Tota mundi huius ingens creaturarum varietas, ſolam Dei bonitatem habuit cauſam, eo quod, vt dicit Damaſcenus libr. 2. cap. 2. bonus & ſuper bonus Deus non contentus ſuiipſius contemplatione, ſuperabundantia pietatis & bonitatis etiam prouidit, vt creaturis benefaceret, atque ideò vt creaturæ bonitatem diuinitatis ſuæ participarent, eas ex non ente ad eſſe produxit, & condidit vniuerſa, & cuncta prout cuiuſque natura capax erat, beatitudinis participem effici voluit, vt dicit Plato in Thimeo. Quamuis autem ſic magna, ſic decora, ſic multiplicia creauit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, omnia tamen non propter ſe, ſed propter hominem creare voluit, quæ ſub cœlo ſunt, vt ait Iſidorus. Et Hugo: Nec ſolum ea quæ ſub cœlo, ſed etiam quæ ſuper cœlum ſunt, vt Angelos cum eorum manſionibus beatis propter hominem creauit & condidit, eo quod omnes adminiſtratorij ſunt ſpiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Meritò ergo ab homine fuit laudandus quem tantis mirificauit beneficijs. Primo quidem dando ſibi eſſe, quod vtique ſine magna Dei bonitate non fuit, vt dicit Auguſt. libr. 3. meditationum. cap. 5. Secundo dando ſibi omnium creaturarum dominium, vt præſit piſcibus maris & volatilibus cœli. Geneſ. 1. Tertio præparando ſibi æternæ beatitudinis præmium. Ad hoc enim fecit rationalem creaturam Deus, vt eam ſummæ beatitudinis faceret participem. Vt autem iſta omnia illæſa homo conſeruaret, & finem debitum per creaturas, ipſum videlicet creatorem conſequeretur, poſitus eſt in paradiſo voluptatis, vbi ſecundum Bernardum, nihil indigentiæ ſenſit, odoriferis ſtipatus malis, id eſt, pomis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & conſtitutus ſuper opera plaſmatoris, cui ſors erat & ſocietas cum principibus angelorum, & cum omni militia cœleſtis exercitus. Hæc ille. Erat itaque homo in ſuis naturalibus ad imaginem Dei roboratus corpore, pictus ſpecie, ſpiritu adimpletus, veſtitus aſpectu, Dominus & mundi poſſeſſor, vt dicit Auguſtinus. Erat inſuper in gratuitis, contemplator Dei aſſiduus, innocentia ſtipatus, charitate afflatus, ſapientia dotatus, prudentia fulcitus, iuſtitia veſtitus, fortitudine vallatus, temperantia compoſitus, ſtabilitate firmatus, vt dicit Ambroſius in epiſtola ad Sabinum. Ecce quanta dignitas humanæ conditionis, quanta excellentia dignitatis vltra cæteras creaturas, quanto donorum beneficiorumque diuinorum prærogatiua in eo relucebat. Verum quia nulla eſt fælicitas quæ non habeat inimicum, eò quod inuidia ex opulentia orta eſt, & iuxta Bernard. in libr. de dilectione Dei, ſola miſeria caret inuidia, princeps omnium viciorum, vt dicit Auguſtinus homilia 11. dum vidit Adam de limo terræ ad imaginem Dei factum, & tantis donis ornatum, mox illis ſpoliauit eundem, pariter & peremit. Vnde vulnerauit eum in naturalibus, & gratuitis ſpoliauit, vt patet in parabola de vulnerato. Sicque Adam amiſſa temperantia intemperatus factus eſt, perdita charitate malus inuentus eſt. Quo factum

Aug li. 11. de Ciuit. Dei c. 21. & 24.

Iſid. li. 1. c. 11. de ſummo bono. Hugo de arca myſt. l. 4 c. 3. Hebr. 1. Ab homine cur Deus laudādus.

1. 2. 3. (margin)

Bern. ſer. 31. in Cāt. Dignitas humanæ conditionis in paradiſo.

Aug. ſer. 2 de annūc.

Luc. 10.

ctum eſt, vt idē ipſe primus noſter parens de paradiſi delicijs quaſi ob crimē læſæ maieſtatis à facie domini ꝓfugatus, vagus fieret in terra, & qui vt paradiſi accola fieret deſpexit, in terræ tuguriū velut in vallem miſeriæ & lachrimarum miſerabiliter eſt collapſus, in qua quidem valle miſeriæ, dignū pro ſuis demeritis cum tota poſteritate ſua, æternæ mortis excepit ſententiam, vt in eo impleretur illud quod ei à domino prædictum erat. *Quacunque die comederitis moriemini.* Morte itaque duplici, ſcilicet naturæ & culpæ, vt ſic & corpus moreretur quod animæ obedire noluit, & anima interiret quæ Deo parere contempſit.

Geneſ. 2.
Duplici morte Adam punitus.

Itaque mors per vnum hominem venit in mundū, vt dicit Apoſtolus, à qua nullus liberare potuit, niſi qui nihil morti deberet. vt ait Iſidor. Propter quod omnes deſcendentes ab Adam filij iræ merito nuncupabantur. Sicut dicit Apoſtolus, *Eratis* inquit *natura filij iræ.* Neceſſarius igitur erat mediator, hoc eſt reconciliator, qui hanc iram placaret: hoc autem eſſe purus homo non potuit, ſed neceſſe fuit eum eſſe hominem & Deum, qui ſecundum Anſelmum deberet ſatisfacere vt homo, & poſſet vt Deus.

Iſid. lib. 1. de ſum. bo. cap. 14.
Anſel lib. cur Deus homo.

Sed quia nullus talis inueniebatur inter homines, eò quod etſi omnes debebant ſatisfacere, eò quod omnes peccauerant & egebāt gratia Dei, non tamen omnes poterant ſatisfacere, cum omnes homines eſſent potentiæ finitæ, culpa autem pro qua ſatisfacere debuerāt erat infinita. vt dicit D. Thomas. Ideoque humanum genus videns ſe in huiuſmodi ſatisfactione defeciſſe in terris, clamabat ad Dominum, dicens. *Emitte domine manum tuam de alto*, id eſt, filium tuum vnigenitum, quo videlicet mortem deſtruas, hominem eripias, & pro culpa iræ ſatisfacias. hoc eſt ergo quod præfigurabāt Patriarchæ, quod præcinebant Prophetæ, quod optabant Sancti, quod deſiderabant iuſti, quod inquirebāt peccatores dicentes. *Vtinam diſrumperes cælos & deſcenderes.* In quo verbo magnus oſtenditur humanæ miſeriæ cumulus, ad quem releuandum non ſufficiebat totus mundi ambitus, quia non inueniebatur cōdignus. Quod patet ex eo, quia iſti non petunt remedium de terra, ſed de alto & de cœlo. Vnde prius dicebant. *Emitte manum tuam de alto.* Et poſtea. *Vtinam diſrumperes cœlos.* Magnum deſiderium, magnam neceſſitatem, magnumque defectum indicat.

Iſaiæ 44.
Rom. 7.

Licet autem humanum genus non merebatur exaudiri ex iuſtitia, tamen cōgruum fuit exaudiri ex miſericordia. Vnde Deus pater videns afflictionem populi ſui qui erat in Ægypto diabolicæ ſeruitutis, & gemitum eius audiens, non eſt oblitus clamorem pauperum, eò quod de eo ſcriptum eſt: Quia non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur, miſericordia motus filium ſuum vnigenitum mittere decreuit in mundum. Cuius miſſionis aduentum, ne ſubitò inſperatéque veniret, multis voluit præfigurare myſterijs & prædicere præconijs. Inter quos erant quidam qui de longè prædicebant, vt Patriarchæ in lege naturæ, in figuris obſcuris, qui etiam voluerunt videre eum ſed non viderunt. Quidam propius, qui eum per legem & prophetias manifeſtius venturum oſtendebant. Sed hi clamabant, dicentes: *Heu quis victurus ſit quando hæc fient, videbimus eum, ſed non modo.*

Exod. 4.
Luc. 10.
Num. 24.

Quidam verò propinquiſſimè eum prædicere meruerūt, vt Apoſtoli, qui Patriarcharum figuras, Prophetarum ſcripturas impleri videntes, Chriſto venienti viam præparabant. Fecit hoc Baptiſta Iohannes qui ammonens populum dicebat. *Dirigite viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Fecerunt hoc & Apoſtoli, quibus Saluator veniens priuſquam alijs aduentum ſuum tam gratioſum innotuit, innoteſcenſque toti mundo publicari mandauit, dicens. *Dicite filiæ ſyon, ecce rex tuus venit tibi manſuetus*, quæ fuerunt verba in principio thematis propoſita. In quibus verbis tria tanguntur circa Saluatoris noſtri aduentum.

Tria hic notanda ſunt.

Primò namque deſcribitur aduentus filij Dei vt commendabilis & gratioſus ex admirabili nouitate ſuæ maieſtatis cum dicitur: *Ecce rex tuus.* 1.
Secundò deſcribitur vt deſiderabilis & affectuoſus ex optabili vtilitate humanę fructuoſitatis, cum additur: *venit tibi.* 2.
Tertiò deſcribitur vt acceptabilis & ſolatioſus ex propitiabili pietate diuinæ bonitatis, cum ſubiungitur *manſuetus*. 3.
Non ergo homo amplius timeat principem mundi Chriſtum

BIBL. Z. N. IM. OSSOLINSKICH

ipſum ſubiugantem, audiens quia venit rex ſuus vtique fortior & potentior diabolo rege ſuperbiæ. De quo Iob 41. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* quo fortior Chriſtus ſuperueniẽs eum vicit, vniuerſaque eius arma abſtulit.

I.

Dixi primo, quod in verbis præmiſſis deſcribitur aduentus filij Dei, vt commendabilis & gratioſus ex admirabili nouitate ſuę maieſtatis, cum dicitur, Ecce rex tuus. Tanguntur autem hic tria benè ponderanda. Primò quod Chriſti aduentus eſt admirabilis nouitas, de qua nouitate dicitur per prophetam. *Ecce dies veniunt dicit dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum.* Et certè mirabilis nouitas. Quis enim audiuit tale, aut quis vidit ſimile, vt ſcilicet Dominus dominorum fieret ſeruus ſeruorum? Sicut ipſe de ſe ait. *Seruire me feciſtis in iniquitatibus veſtris.* Eſt ergo nouum quia nunquam apparuit ſimile, vnus enim
Eccle. 4. eſt & ſecundum ſimilem in hoc non habet, quia ſupra rationem & ſuper naturam. Vnde Pſalmiſta, A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Vnde Gregorius. Mirabilis natura, mirificè induta, aſſumens quod non erat, manens quod erat.

Secundò aduentus iſte eſt excellentiſſimus maieſtate, quia rex, excelſa regalis maieſtas eſt in terris. 1. Pet. 2. Siue regi tanquam pręcellenti obedite. Sed quia tanta ſublimitas pauperi ſeruo eſt formidabilis, ideò tertio additur, tuus. Eſt enim rex humanus. Primò propter humanæ naturæ conformitatem. Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum natum ex muliere.* Secundo pro-
Philip. 2. pter naturæ vnitatem. Philippenſ. 2. *Exinaniuit ſeipſum formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Tertiò propter do-
Iſaia 9. ni largitatem. *Paruulus natus eſt nobis.*
Hebr. 2. *Ecce omnino rex tuus.* Iſta enim angelis data non ſunt, quia nuſquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ. Eſt ergo rex omnium generaliter, quia ipſe eſt rex regum &
Apoca. 19. Dominus dominantium. Sed tamen eſt rex
Timot. 6. hominis ſpecialiter propter prædicta, ſic quod nec angelorum, qui tali modo non indiguerunt, nec dœmonum, qui tali modo non meruerunt, ſed indigni fuerunt. vt ait Anſelmus in libro Cur Deus homo cap. 3.

Sed contenti de eius admirabili nouitate & gratioſitate, breuiter videamus quis eſt iſte rex gloriæ, qui vt hodie ingreditur ad ſaluandas gentes. Eſt autem rex verè dictus, quia nullus regit eo melius. De
quo Pſalmiſta. *Dominus regit me, & nihil* *Pſal. 22.*
mihi deerit. Duo dicit de iſto rege Primo, quia regit, & hoc tripliciter ſecundum Innocent. quartum, ſuper iſto verſiculo. Primò vt dux viatorem ne deuiet. Sap. 10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Secundò vt lux in tenebris ambulantem ne exorbitet. Iohan. 8. *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Tertio vt paſtor gregem ne à lupis pereat. Hieremiæ 17. *Non ſum turbatus te paſtorem ſequens.* De primo dicitur in pſalmis: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et Abacuc. 4. *Deducet me victor in pſalmis canentem.* De ſecundo Iohan. 8. *Ego ſum lux mundi.* De tertio Iohan. 10. *Ego ſum paſtor bonus.* Benè ergo dicitur rex qui ſic regit vt nauem nauta, vt rex regnum, vt dux exercitum. De naue: Iacob. 3. Naues cum magnæ ſint circumferuntur à modico gubernaculo. Modicum gubernaculum apparuit Chriſtus veniens in mundum quaſi reputationis nullius, quia paruulus natus.
Iſaiæ 9. De regno in pſalmis. *Regnum tu-* *Iſaia 9.*
um regnum omnium ſeculorum. De exercitu Iſaiæ 6. *Dominum exercituum vidi oculis meis.* Benè regit iſte rex hominem ſicut oculus cœcum. Iob 29. *Oculus fui cæco,* dicit Chriſtus. Item regit hominem ſicut frenum equum. Eccleſiaſt. 28. *Facito frenos ori tuo rectos.* Nec ſolum regit freno ſed etiam ſtimulo, ne dormitet: 2. Corinthiorum 12. *Datus eſt mihi ſtimulus.* Item vt magiſter ſcholas. *Qui regis Iſrael intende.*

Secundò dicit quod non ſolum ita prudenter regit, ſed etiam abundanter, cum additur. *Nihil mihi* ſub iſto rege *deerit*, hoc non inuenitur apud alios reges, ſub quibus ſubditi multa patiuntur, defectus & incommoda, nec eſt talis curia alicuius regis in qua non oporteret ſeruitores pro ſe de multis ſolicitari. Eccleſiaſtic. *Vidi cuncta ſub*

tas ſub ſole, & eccelabor & afflictio ſpiritus. hoc non eſt ſub iſto rege, qui ſuis audacter dicit. *Nolite ſoliciti eſſe.* Vnde Petrus confidenter dicit proijcere in eum omnem ſolicitudinem, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Ideò bene dicit. *Nihil mihi deerit.* Vnde Auguſtinus dicit. Paſcit contemnentem ſe, ſcilicet gentilem & Iudæum, & non paſcet ſequentem ſe, ſcilicet Chriſtianum. quaſi dicat, non eſt veriſimile, cum ipſe promiſit ſuis dicens: Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Vnde Lucæ 22. dicit Chriſtus diſcipulis. *Quando miſi vos ſine ſacculo & ſine pera, nunquid aliquid vobis defuit? Qui dixerunt. Nihil.* ſcilicet defuit nobis. Benè ergo dicitur rex à regendo quo nullus regit melius.

Matth.6. *Matth.6.*

Eſt etiam rex quo nullus regnat excellentius, quia eſt rex regum. Apoc.19. Vnde reſpectu eius alij reges ſunt ſicut picti, reſpectu regis veri & viui. Eſt inſuper rex à rectè operando. Vnde Poëta, *Si benè regna regis dignus es nomine regis.* Et Iſidorus, Rectè reges vocantur qui ſeipſos & ſubditos benè regendo modificare nouerunt. Non eſt autem hoc facilè inuenire in regibus terrenis quin in aliquo deficiant. Nam quidam etſi ſubditos benè regant, ſeipſos tamen malè decipiunt. Dauid benè rexit alios, ſed ſe malè, eo quod commiſit adulterium & homicidium. Salomon bene & ſapienter gubernauit populum, ſed ſeipſum peſſimè, quia libidine victus ad idolatriam eſt prolapſus. Et quid de ſingulis dicere opus eſt, cum non eſt homo ſuper terram qui non peccet? Sunt alij qui benè ſe regunt, malè vero ſubditos, vt ſimplices & idiotæ. De quibus Hieronymus in prologo bibliorum in epiſtola ad Paulinum. Sancta inquit ruſticitas ſolum ſibi prodeſt, & quantum prodeſt ex vitæ merito, tantum obeſt ſi contra eam inimicus ſurrexerit. Vult dicere quod quidam reges et prælati bene viuunt quoad ſe & Deum, ſed neſciunt gubernare defendendo proximum ab inſultibus inimicorum. Sed non ſic Chriſtus, quia & quoad regimen vitæ propriæ bonus rex dicitur, quia ſine peccato. Iohannis. 8. *Quis arguet me de peccato.* Et Petrus. *In ore eius non eſt inuentum mendacium, qui peccatū non fecit.* Quo autem ad regimem aliorum bonus rex dicitur, quia de eo dicitur: *Bene omnia fecit,* quod de nullo rege dici poteſt, ideò meritò dicitur rex.

Apoc.19. *Iſid.l.3.de ſum. bon. cap.9.* *Marci 7.*

Tria requirūtur in Rege.

Tria autem attollunt in Chriſto ſtatum regium & eius regalem maieſtatem commendant, videlicet incomparabilis pietas, inflexibilis æquitas, & omnipotens poteſtas, & iſta tria debent eſſe in rege. De primo quomodo in rege debet eſſe incomparabilis pietas patet. Nam etſi omnibus pietas ſuadetur, Lucæ 6. *Eſtote miſericordes*, regibus tamen omninò indicitur & præcipitur, eò quod dicit Seneca, quod nihil decoris eſt in regente quam clementia; vnde ponit exemplum quod in ſignum huius rex apum ſine aculeo eſt naturaliter, quia natura nec ſæuum nec vltorem eſſe voluit, ideò aculeum detraxit, & iram eius inermem reliquit. Vnde de rege dicitur: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem.* Et quis ergo clementior rege Chriſto? qui ad vnius hominis deuotum gemitum omnia peccata dimittit & vindictam perpetuam in temporalem permutat. Vnde de eò dicitur, quod cum oblatus eſſet regi debitor decem milium talentorum, ad ſimplicem petitionem omnia illi dimiſit, per quod ſignificatur transgreſſio decem præceptorum, quam Dominus ad deuotum gemitum relaxat. Ezech. 18. *Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ſuarum non recordabor.* Vnde Eccleſiaſt. 18. dicitur. *Miſericordia domini ſuper omnem terram.* Non eſt ſic de alijs regibus, qui etſi miſericordes ſunt in amicos, tamen ſeueri & crudeles in hoſtes, iuxta illud Poetæ. *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.* Non ſic Chriſtus qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Et quid mirum quod ita pius eſt cum habeat patrem pijſſimum? vnde ei proprium eſt miſereri ſemper & parcere, vt dicit Gregor. in quadam collecta.

Senec.l.2. de Clem. *Matt.18.* *Lucæ 6.*

De ſecundo ſcilicet quomodo in rege debet eſſe inflexibilis æquitas, patet. Nam ſicut dicit Auguſtinus. Remota iuſtitia, regna non ſunt niſi magna latrocinia. Et ideò etſi rex debet eſſe pius in bonos, tamen debet eſſe iuſtus in maleficos, iuſtitia exigente. Ei enim dictum

Auguſt.l.4.de ciu. Dei c.4.

ctum eſt illud à Domino. *Maleficos ne patiaris viuere ſuper terram.* Exod. 22. In eo vt dicit Policratus lib. 4. cap. 2. Rex perſonam publicam gerit, quod non ſolum omnium iniurias & damna, ſed & crimina omnia media ęquitate perimit. Et ſecundum ipſum non eſt hoc odij, non rancoris, quia gladius eius eſt gladius columbę, qui ſine felle rixatur, ſine iracundia ferit, & cum dimicat nullam omnino concipit amaritudinem. Talis rex Chriſtus eſt, de quo dicitur. Ierem. 23. *Regnabit rex & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.* Ecce rex ſapiens in diſcernendo, iudex in puniendo malos, iuſtus in remunerando bonos. Quia rex, ideò non poteſt in iudicio vinci poteſtate. 1. Tim. 6. *Solus potens eſt rex regum.* Quia ſapiens, ideò ſeduci vel errare non poteſt. Quia iuſtus, ideò munere vel precio, amore vel odio corrumpi non poteſt. Prouer. 6. *Non accipiet pro redemptione dona plurima.* Quia iudex, ideò vlciſci paratus. Hierem. 10. *Quis non timebit te ô rex gentium.* Quia itaque rex, ideò reuerendus à ſubditis. Quia ſapiens, ideò audiendus. Quia iuſtus, ideò metuendus. Quia iudex, ideò formidandus.

De tertio, videlicet quomodo debet eſſe potentia in rege patet. Nam Prouerb. 20. dicitur: *Rex qui ſedet in ſolio diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Talis rex Chriſtꝰ eſt, de quo dicitur, Eccl. 18. *Deus ſolus iuſtificabitur & manet inuictus Rex in æternum.* Verè inuictus, ita vt dæmones territi dicant. *Quis eſt iſte rex gloriæ?* quaſi dicat. Nos habemus regem ſuperbiæ fortem in inferno, quis ergo eſt iſte rex fortior illo? Sed reſpondent angeli dicentes. *Dominus fortis & potens in prælio.* Fortis inquam, deijciendo eum de cœlo: Potens, eũ eijciendo de mundo. Ioan. 12. *Nunc princeps mundi huius eijcietur foras.* Et dominus potẽs in pręlio, captiuos auferendo de inferno. Matth. 12. *Vniuerſa arma eius auferet.* Timẽda eſt ergo iſta poteſtas hominibꝰ, ex quo ita intolerabilis eſt dæmonibus. Timenda eſt pauperi ſeruo, ex quo ita eſt formidabilis regi ſuperbo.

II.

Dixi ſecundo, quod in verbis præmiſſis deſcribitur aduentus filij Dei vt deſiderabilis & affectuoſus ex optabili vtilitate humanæ fructuoſitatis, cum additur tibi. Multum deſiderabilis aduentus iſtius Domini eſt, quem tot ſeculorum ſeculis, & ferè quinque milibus annorum & vltra, totum expectauit genus humanum. Nec mirum ſi fuit ita deſiderabilis Patribus, qui fuit vtilis omnibus. Iſaia 25. *Ecce Dominus Deus noſter iſte, expectabimus eum & ſaluabit nos.* Ecce fructuoſa vtilitas quæ maior eſſe nequit, quia ſalus, quæ meritò fuit ſanctis deſiderabilis, iuxta illud Aggęi 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Et Geneſ. 19. *Ipſe erit expectatio gentium.* Et *Expectabo ſalutare tuum Domine.*

Chriſtus à Patrib. ob nouem vtilitates deſideratus.

Circa quod ſciendum quod antiqui Patres expectabant Dominum, & deſiderabant propter multas vtilitates, & præſertim propter nouem, prout ſcribit Innocent. 4. ſuper illud pſalmi. *Et nunc quæ eſt expectatio mea*, nonne Dominus? Pſal. 38. Primò namque expectabant eum vt Doctorem.
1. Oſeæ 10. *Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit nos iuſtitiam.* Vnde iam quaſi poſt aduentum ipſius dicitur, Ioel. 2. *Exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem iuſtitiæ.* Hoc primum deſiderium exprimitur in antiphonis. Et primo in prima antiphona, quæ incipit. *O ſapientia,* vbi habetur in fine: veni ad docendum nos viam prudentiæ. Et ſumitur Lucæ 1. vbi dicitur. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* Principium autem antiphonæ, ſumitur Eccleſia. 24. Secundò deſiderabant & expectabant eum vt redem-
2. ptorem. *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo.* Burſa in qua repoſita fuit iſta redemptio, fuit beata Virgo, & ſignificatur hoc in ſecũda antiph. *O adonay.* Et ſumitur Iudith vltim. Qui Moyſi in igne rubi apparuiſti. Ecce redemptio in burſa. Vnde ſubditur, *veni ad redimendum nos in brachio extento.* Tertiò deſiderabant & expecta-
3. bant eum vt liberatorem à limbo. Zachariæ 9. *Tu quoque in ſanguine tuo eduxiſti vinctos de lacu in quo non eſt aqua:* quod ſignificatur in tertia antipho. *O radix Ieſſe.* Et ſumitur Iſai. 11. Et in fine ſubiungitur, *veni ad liberandum nos.* Quarto deſiderabant e-
4. um vt liberatorem à carcere peccatorum. Thren. 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt ſuper me lapidem.* hoc exprimitur in quarta antiph. *O clauis Dauid.* Et ſumitur Iſa. 22. Et ſubditur. *Veni & educ vinctũ de do-*

mo car-

mo carceris ſedentem in tenebris & in vmbra mortis. Et ſumitur hoc Iſa. 42. vbi dicitur. *Dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium vt aperires oculos cœcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in*
5. *tenebris*. Quinto expectabãt eum vt illuminatorem cordium. Luc. 2. *Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gẽtiũ*. Hoc exprimitur in quinta antiph. *O oriens ſplendor*. Et ſumitur Zach. 6. Et ibi ſubditur *ſplendor lucis æternæ*. Et ſumitur Sap. 7. Et ſubditur, *veni & illumina ſedentes in tenebris & in vmbra mortis*. Et ſumitur Iſa. 9. *Exortum eſt in tenebris lumen re-*
6. *ctis corde*. Sexto deſiderabant eum vt protectorem contra hoſtes Iſa. 19. *Mittet eis ſaluatorem & propugnatorẽ qui liberet eos*. Hoc petitur in ſexta antiph. *O Rex gentiũ*. Et ſubditur. *Et dominator earum*. Quod ſumitur Aggęi vltim. Et in fine ſubditur, *Veni ſalua hominem*. Sicut ergo expectauerunt Dominum venturum in carnem, ita nos expectamus eum venturum ad iudicium vt remuneratorem & ſaluatorem, quod petimus in
7. ſeptima antiph. *O Emanuel Rex & legifer noſter veni ad ſaluandũ nos*. Sed quia auxilijs ſanctorum indigemus in præſenti & in futuro, ideo dẽ ſanctis adduntur alię duæ an-
8. tiph. Vnde octaua eſt. *O Thoma didime*. In quo ſubditur. *ſuccurre nobis miſeris, ne damnemur cum impijs in aduentu iudicis*. Noua
9. antiph. eſt. *O virgo virginũ*. Et bene immediatè ante natiuitatem Chriſti dicitur, *quia de virgine natus eſt ille deſideratus Dominus*. Sed quare ſancti Patres tot ſeculis annorũ expectantes, in deſiderio ſuo ſunt fruſtrati. Quia dicitur de eis. *Voluerunt hæc videre, & non viderunt*. Voluerunt videre Deum in humanitate noſtra, & non viderunt corporaliter, licet ſpiritualiter, ſicut Abraham qui vidit & gauiſus eſt. Ad quod breuiter dicendum ſecundum Thomam, quod antiqui Patres non potuerunt mereri incarnationem Chriſti ex tribus. Primo quia meritum primi hominis non ſe extendit ad totã naturam humanam. Sed incarnatio eſt medicamentum totius naturæ humanæ, nullo ergo modo potuit ab aliquo puro homine mereri. Secundo quia illud quod eſt principium merendi, non poteſt cadere ſub merito. Sed incarnatio quodammodo eſt principium merendi, imo eſt cauſa omnium meritorum humanorum, quia omnia merita noſtra efficaciam habent à Chriſto, per quem gratia & veritas facta eſt, ergo non potuerunt mereri. Tertio quia meritum humanum non ſe extendit vltra conditionem humanam, quæ in hoc conſiſtit vt aliquis mereatur aliquam diuinitatis & bonitatis participationem, ſecundum quod tota plenitudo diuinitatis habitet in homine. Hoc excedit conditionem humanam & omne meritum humanum, ergo nullo modo cadere poteſt ſub merito, niſi large dicatur meritum omnis participatio ad aliquid habendum, quæ præceſſit in genere humano. Hæc Thomas.

S. Patres cur deſiderio ſuo tot ſeculis ſunt fruſtrati.

Luca. 10.
Ioan. 8.
Thom. ſup. 3. *ſent. diſ.* 4. *q.* 2. *a.* 1.

III.

Dixi tertio, quod in verbis præmiſſis deſcribitur aduentus filij Dei, vt acceptabilis & ſolatioſus ex propiciabili pietate diuinæ bonitatis, cum dicitur, *Manſuetus*. Ac ſi enim diceretur: licet ſit Rex magnus & terribilis ſuper omnem terram, tamen non venit debellare aut iudicare homines ſed Dæmones. Et ideo dæmonibus venit terribilis vt eos iudicet. Nunc iudicium eſt mundi, hominibus verò plus & miſericors & propitiabilis. Quia dicitur, *Neque pater miſit filium vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*. Venit ergo eis manſuetus tripliciter. Primo corde, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Secundo ore, *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam*. Tertio opere, *Quærite iuſtum, quærite manſuetum*. Venit ergo manſuetus vt manſuetudinem doceret ſeruos ſuos corde, ore & opere, contra illius ſuperbiam qui totum genus humanum ſeduxerat. Iſtud Dominus voluit oſtendere in eo quod tempore paſſionis venit ſedens ſuper aſinam, ſicut de eo propheta prædixerat. Quod Dominus facere voluit propter quatuor. Primo vt homini ſtatum ſuum qualem tunc habuit inſinuaret. Homo enim tunc erat ſimilis aſino propter peccatum. Iuxta illud, *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Sicut enim iumentum de nullo alio ſolicitum eſt niſi de terra de qua viuit, vnde & ad eã ſemper inſpicit, nihil curans de cœleſtibus, ita homo ante Chriſti aduentum de-

Ioan. 12.
Ioan. 3.
Chriſtus venit tripliciter manſuetus.
Matth. 11.
Ierem. 11.
Sopho. 2.
Zach. 9.
Super aſinam ſedit ob quatuor.
1.

ditus

ditus erat terrenis, nihil curans cœleſtia.
Iſaia. 1. Vnde ſibi dicebatur, *Si audieritis me, bona terra comedetis.* Nec ſolum quia terrena curabat, ſed & Dominum terræ non cognoſcebat, ſicut conqueritur Dominus, *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit.* *Iſaia. 1.* Nec tunc cognoſcebat ſeipſum, ſicut Dominus flendo ſuper Ieruſalem oſtendit ante Hieruſalem. *Luca. 19.* Secundo voluit hoc facere Dominus vt ſuperbiam iniquitatis deſtrueret. Vnde Zach. 9. poſtquam dictum eſt, *Ecce rex tuus venit tibi ſuper aſinam.* Sequitur & *diſperdam quadrigã ex Ephraim & equum de Hieruſalem.* Vnde Caſſiodorus tractãs illud pſalmi 75. *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt qui aſcenderunt equos*, dicit quod hæc prophetia dicit de illis ſuperbis qui in actibus ſuis gloriantur, in quo non ſedet Chriſtus, id eſt, ſalua or. iuxta illud *Pſal. 32.* non ſaluatur Rex per multam virtutem. Gloſſa. Rex qui carnem ſuam regit, non ſaluatur per multam virtutem, ſcilicet, ſi in ea præſumit aſſcribens ſibi bona & non Deo. Nec ſolum Rex talis non ſaluatur, ſed etiam gigas quaſi rege fortior, qui contra mundum & ſuam concupiſcentiam militat, non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ, ſi ſcilicet ſuperbiendo contra Deum ſe exaltat. Cuius ratio ſequitur quare iſti ambo non ſaluantur, quia fallax equus ad ſalutem, id eſt, ſuperba æſtimatio quæ aſcendit ęſtimans ſe ſua virtute ſaluandum, fallax eſt. Vnde in abundantiá virtutis ſuæ, id eſt, quantumcunque ſit perfectus, quãto citius properat ſicut equus tanto grauius cadit
9. ſeſſor equi. Tertio voluit hoc facere Dominus vt ſe ſimplices inhabitare oſtenderet, iuxta illud. *Cum ſimplicibus ſermocinatio eius.*
4. Quarto vt peccatores tamquam aſinos ponderibus peccatorum oneratos ſibi de cætero aſſociandos monſtraret. Vnde ipſe
Matth. 11. dicit, *Tranſite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.*

Ex quibus omnibus infero tria correlaria delectabilia mentibus deuotis Chriſti fidelium. Primo quod volens vt Chriſtus in mentem hominis hodie adueniat, neceſſe habet carnalia deſideria reprimere. Iſtud patet per hoc quod CHRISTVS venit vt Rex qui à regendo dictus eſt. Rex autem ſecundum Iſidorum, dictus eſt etiam quilibet deuotus, qui rectè agit & ſenſus ſuos benè regit, & motus reſiſtentes ſibi rationabili diſcretione componit. *Rex quis dicatur. Iſid. lib. 4. de ſum. bon. c. 9.* Hac ratione hodie conſulitur Chriſtianis, ieiunium, per quod concupiſcentia refręnatur, & caro domatur vt obediat imperio rationis. Secundo infero quod volens vt Chriſtus in mentem hominis adueniat, debet habere deuotum deſiderium ad cæleſtia. Iſtud patet quia Chriſtus non venit in mundum niſi deſideratus à patribus. Vnde de iuſta anima dicitur, *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei Domine.* *Pſal. 20.* Notãter dicit deſiderium cordis non carnis, quia tale non exauditur. Iob. 39. *Clamor exactoris non exauditur*, ita exponit Innocent. 4. iſtud verbum. Tertio infero quod volens mereri Chriſti aduentum in ſe per gratiam, debet habere perfectam mãſuetudinem & humilitatem. Iſtud patet quia Chriſtus venit ſuper aſinam humilem & manſuetam. Vnde Iacob. 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* Et Eccl. 1. Beneplacitum eſt Deo fides & manſuetudo. Primi ſignificant incipientes, quorum eſt carnalia deſideria reprimere, & ſic vitia vitare. Secundi ſignificant proficientes, in quibus ſancta deſideria virtutum debent creſcere, vt dicit Hugo de arca myſtica. Et tertij ſignificant perfectos, qui debent profunda humilitate virtutes congregatas cuſtodire, ne pereant, eò quod perit omne quod agitur, ſi non in humilitate teneatur. De omnibus his dicitur in pſalm. *Declina à malo*, quo ad primos incipientes. *Et fac bonum*, quo ad ſecundos, ſcilicet proficientes, *inquire pacem & perſequere eam*, id eſt, perſeueranter ſequere, ſecundum Innocẽtium. 4. quo ad tertios, ſcilicet perfectos. Tales ergo qui ſic diſponentur, in eorum conſcientia merebuntur habere gratioſum in ſe ſaluatoris aduentum per gratiam in pręſenti, & in futuro per gloriam, ad quam nos perducat Rex Chriſtus Dominus.

DOMINICAE I. ADVENTVS.

SERMO III.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

INTER omnia quæ humano generi ex præuaricatione primi parentis inflicta ſunt, vnū eſt præcipuum quod mox vt peccauit homo primus incurrit maledictionem & opprobrium ſempiternum. Geneſ.2. Iuxta illud: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo*. Iſtam maledictionem ſe Ierem.15. habere bene ſenſit Propheta qui ait, *Væ mihi mater mea quia me genuiſti virum rixæ & virum diſcordiæ in vniuerſa terra.* Et ſequitur. *Omnes maledicunt mihi*. Sed quia vt dicit Auguſt. lib. Ench. cap.47. Auguſtinus, tantum fuit illud peccatum, & tam magnum, ex quo ſcilicet illud maledictionis opprobrium proceſſit, vt in vno homine originaliter & radicaliter totum genus humanum damnaretur, quod ſolui aut dilui non potuit niſi per vnum mediatorem Dei & hominum Ieſum Chriſtum. Hæc ille. Proinde ſancti Patres ſciētes non per alium eis reſtitui poſſe benedictionem quam per Geneſ.22. illum cui dictum eſt. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, de quo & Pſalmiſta ait. *Etenim benedictionem dabit legiſlator*: Inuocabant meritò Deum vt mitteret eis ſaluatorem qui liberaret eos ab opprobrio maledi- Num. 6. ctionis ſempiternæ, iuxta illud, *Ipſi inuocabunt nomen meum & ego benedicam.* Quod quidem fecit Deus Pater per filium ſuum benedictum & glorioſum in ſecula, quando miſit eum in mundum vt auferret opprobrium & contemptum ab homine, & redderet benedictionem pro maledictione, & vitā pro morte. Quam quidem bonitatem diuinæ pietatis hodie recolit Eccleſia, reducendo ad memoriam fidelibus tantæ miſericordiæ beneficium, & gratias agendo Deo Patri, quia miſit filium ſuum benedictum in nomine ſuo. Vnde hæc fuit cauſa inſtitutionis huius temporis ab Eccleſia, vt à fidelibus deuotius celebraretur. Nā ſicut dicit Auguſtinus ſuper Ioannem. Nulla fuit cauſa veniendi Chriſtum niſi peccatores ſaluos facere, tollere morbos, tollere vulnera, & nulla erat cauſa medicinæ. Venit ergo magnus de cœlo medicus, quia totus mundus vbiq; iacebat ægrotus. Genus ergo humanum totum perierat, ex quo peccauit vnus in quo totum erat. Venit homo vnus ſine peccato, qui ſaluos faceret ab omni peccato. Non enim de cœlo ad terram traxerunt eum noſtra merita, ſed noſtra peccata. Hæc ille. Quomodo ergo non eſt celebrandum tantū beneficium in quo venit ille benedictus in nomine Domini, qui à maledictione peccati perpetua totum liberauit genus humanum, ſpemq́ue dedit hominibus; quia ſi tantam benedictionem dedit in primo aduentu quantam dabit in ſecundo? Vt dicit Bernardus ſermone de aduentu Domini. Meritò vt dicit Ambroſius ſuper Lucam Patres ſancti ſtatuerunt, vt vnuſquiſque hoc tempore dignè ſe præparet ad ſuſcipiendum eius natiuitatem, qui vt benedictus venit in nomine Domini. In quibus verbis aduentus iſte deſcribitur, in quo Chriſti aduentus oſtenditur à nobis ſuſceptione dignus tripliciter. Primo deſcribitur vt venerabilis & magnificus ex gloria aduenientis, quia *benedictus*. Secundo vt amabilis & gratioſus ex parte vtilitatis prouenientis, quia *venit*. Tertio vt potens & victorioſus ex auctoritate mittentis, quia *in nomine Domini*.

I.

Licet Chriſtus fuerit benedictus omni benedictione quæ poteſt communicari creaturæ, eo quod benedictionem omnium gentium Deus Pater dedit illi, vt dicitur Eccl. tāmen ne faciam tædium, tangā quadrupli-

druplicem benedictionem ſibi diuinitus in Patriarchis oſtenſam & præfiguratam. Secundo quadruplicem benedictionem ſibi in ſuo aduentu in carnem exhibitam. De primo quomodo quadruplex benedictio Chriſti fuit in Patriarchis præfigurata, patet primo. Dicit enim ad Abraham. *Benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ*. Quomodo autem hoc fieri debuit, declarauit Angelus dicens, *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ*. Et quia nullus alius præter Chriſtum apparuit in quo iſta prophetia eſſet adimpleta, ideo oportet dicere quod Chriſtus ſit iſtud ſemẽ benedictum, in quo Deus benedixit omnes tribus terræ. Vnde Apoſtolus dicit, *Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictus*: quod tunc factum eſt quando pependit in ligno. *Quia maledictus omnis qui pendet in ligno*. Et ne quis hoc intelligeret de aliquo alio, ſicut Iudæi dicunt, ſtatim Apoſtolus dicit. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius.* Non dicit & ſeminibus quaſi multis, ſed ſeminĩ tuo qui eſt Chriſtus. Iſtud ſemen benedictũ oſtendens iam veniſſe, dixit Angelus Mariæ, *Benedictus fructus ventris tui.* Secunda figura patet de Iſaac quam dedit filio ſuo Iacob, cui benedicens ait: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Seruient tibi omnes populi, & adorent te tribus terræ. Eſto Dominus fratrum tuorum & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus. Et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Certum autem eſt quod hæc benedictio non eſt adimpleta ad litteram totaliter in Iacob, quia frater eius Eſau non ſeruiuit ſibi: imo Iacob vocauit eum Dominum mittens ei munera, vt patet Geneſ. 32 nec in aliquo alio ita perfectè ſicut in Chriſto. De quo dicitur quo ad primum, *hic eſt filius meus dilectus*. Ecce odor filij ad p[illegible]. Seruiant tibi omnes populi quantum ad gentes, & adorent te tribus, ſcilicet Iudæorum. Eſto Dominus fratrum, ſcilicet Chriſtianorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, ſcilicet ſynagogæ. Iſta omnia expreſſe dicuntur de Chriſto in pſalmis. *Deus iudicium tuum regi da.* Et ſequitur. *Et dominabitur à mari vſque ad mare.* Et ſequitur. *Omnes reges ſeruient ei.* Et ſequitur. *Sit nomen eius benedictum in ſecula: ante ſolem permanet nomen eius. Et benedictum nomen maieſtatis eius.* Tertia figura patet de Iacob quam dedit Iudæ. De quo dicitur. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Iſtud non poteſt exponi de alio quam de Chriſto, ad quem durauerunt duces Iuda & ſceptrum regni, & non vltra; qui etiam de ſanguine proprio aſperſit corpus ſuum: vnde dicebat ſe vitem. Ioan. 15. & per conſequens ſanguinem ſuũ vinum. Quarta figura patet Num. 24. vbi Balaam ſpiritu ſancto in ſe irruente, vt ibidem dicitur benedicens tabernaculis Iacob dixit *Qui benedixerit tibi, ſit ille benedictus: & qui maledixerit tibi, maledictionibus repleatur.* Et ſequitur. *Orietur ſtella ex Iacob, & virga conſurget ex Iſrael. De Iacob erit qui perdet reliquias ciuitatis.* Hoc non poteſt intelligi de aliquo quam de Chriſto, in cuius aduentu in mundum orta eſt ſtella, ſicut proteſtantur gentiles Magi dicentes. *Vidimus ſtellam eius*, in ſignum quod ipſe radijs ſuę doctrinę illuminauit omnem hominem venientem in hunc mundum, quod nullus alius fecit. Fuit etiam virga quantum ad correctionem inimicorum, ſicut Pater pręceperat ſibi, dicens: *Poſtula à me & dabo tibi gentes.* Et ſequitur. *Reges eos in virga ferrea.* In aduentu etiam eius perditæ ſunt reliquię ciuitatis Ieruſalem, quia perdiderunt Iudęi locum & gentem. Ideoque ſpiritu Sancto ordinante pueri qui exierant obuiam Chriſto, clamabant dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ad ſignificandum quod hic eſt de quo figuræ ſub vmbra figurabant de quibus dicit Apoſtolus, quod omnia in figura contingebant illis. Reſtat igitur dicere quod de Chriſto iſta omnia fuerunt impleta, & per conſequens patet Iudæos falſum dicere quod adhuc ſint implẽda in antichriſto. Quomodo autem iſta circa incarnationem Chriſti fuerunt impleta, oſtendit Propheta dicens ad litteram de Chriſto. *Quoniam preueniſti eum in benedictionib⁹ dulcedinis.* Vbi dicit Inno. 4. Quod Chriſtus in incarnatione ſua fuit pręuentus quatuor benedictionibus realibus, ſicut ibi qua-

Chriſti benedictio quadrupliciter præfigurata. *Geneſ. 12.* *Geneſ. 22.* *Galat. 3.* *Geneſ. 27.* *Matth. 3. & 17.* *Geneſ. 49.* *Matth. 2.* *Ioan. 1.* *Ioan. 11.* *Pſal. 20.*

quatuor figuralibus. Prima benedictio fuit immunitas peccati, vnde dicit: *præueniſti*, id eſt, ante ortum donaſti, quia in peccato nō eſt conceptus. Nos autem præuenimur in maledictione amaritudinis, quia in peccatis concepit nos mater noſtra, & naſcimur filij iræ. Secunda benedictio fuit in vnione duarum naturarum, de qua Luc. 1. *Benedictus fructus ventris tui.* Tertia in plenitudine gratiæ & veritatis. Quia non ad menſuram datus eſt ei ſpiritus, ſed cum plenitudine. *Plenum gratia & veritate.* Quarta benedictio gloriæ, quia ab inſtanti conceptionis ſuæ fuit comprehenſor. *Erit* ſcilicet Chriſtus, *in ſolium gloriæ domui patris ſui, & ſuſpendam ſuper eum omnem gloriam domus patris eius.* De his benedictionibus dicitur Deuter. 33. *Nephtalim abūdantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus.* Hæc Innocentius. Ecce quomodo plenitudinem benedictionum habuit Chriſtus in ſuo aduentu, quam nullus præter eum habuit nec habere poteſt. Ideò etſi alij Sancti dicuntur benedicti à Domino & benedictiones accepiſſe in mundo, iſte tamen excellentiſſime omnia quæ in figuris fuerunt præoſtenſa in ſe habuit, & cum benedictionibus in mundum venit. Vnde de eo dici potuit veraciter. *Benedictus qui venit.*

Ioan. 3. *Ioan. 1.* *Iſa. 22.*

II.

Qui venit. Magna ſiquidem diuinæ pietatis bonitas apparuit in hoc, quia venit ad hominem qui venire nō potuit ad eum. Sed nunquid venit ad vindictam faciendam pro peccatis eius. Certè non, ſed venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, vt ipſe ſolus teſtatur dicens: *Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* Circa quod ſciendum quod Chriſtus venit ad hominem quadrupliciter. Et ſecundum hoc erit quadruplex aduentus eius. Primus eſt aduentus ad homines in mundum. Secundus in homines ſcilicet in mentem. Tertius contra homines in morte. Quartus ſimiliter ad iudicium. Et ſignificantur hi quatuor aduentus per quatuor ſeptimanas huius temporis ſacratiſſimi. In primo aduentu venit ad homines per carnis aſſumptionem, in ſecundo venit in animum noſtrum per gratiæ infuſionem, in tertio & quarto veniet in iudicium per meritorum diſcuſſionem. Propter primum aduentum debemus eſſe humiliati, propter ſecundum compuncti, propter tertium cauti, propter quartum circumſpecti. De primo dicitur, *Exiui à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem.* Felix itinerarius qui ſicut à patre exijt, ita ad patrē redijt. Iſte aduentus fuit ad ſaluandum, ſicut dixit Angelus. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* In iſto autem aduentu Chriſtus aſſumpſit noſtram humanitatem quatuor de cauſis. 1. Prima vt in ea nobis patrem ad miſericordiam flecteret, Vnde Gloſſa ſuper illum locum Apoſtoli. *Qui etiam interpellat pro nobis*, dicit, non voce ſed miſeratione & oſtenſione humanitatis ſuæ, ſemper enim hominem aſſumptum, & graue onus paſſionis quod ſuſtinuit paterno vultui offert vt noſtri miſereatur. Et hoc eſt quod dicitur, *Aduocatum habemus pro nobis apud Deum patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Et non tantū pro noſtris ſed etiam totius mundi.* 2. Secunda cauſa vt in ea Diabolum falleret. Adeò enim ſapienter in hac vita conuerſatus eſt, quod Diabolus ex certa ſcientia nunquam potuit comprehendere eum eſſe filium Dei, licet bene coniecturabatur eum eſſe filium Dei ex ſignis, ſic clamabat dicens. *Ieſu fili Dei vt quid veniſti ante tempus perdere nos.* Videns enim eius miracula opinabatur eum eſſe Deum, ſed videns eius famem & ſitim, credebat hominem, & ita decipiebatur. Et per conſequens vltimo deceptus eſt, quia credēs ſe procurare mortem hominis peccatoris, procurauit redemptionem hominis. Vnde dicit Iſidorus: Ideò diabolus quos iuſtè tenuit amiſit, quia iniuſtè redemptorem noſtrum occidit. Illuſus eſt Diabolus morte Domini quaſi auis. Nam oſtenſa Chriſtus ſuæ carnis mortalitate quam in [illegible] ille appetebat, abſcondit diuinitatem vt laqueum, quo eum velut auem improuidam prudenti irretiret decipula. Et ſequitur. Nam ſi innocēs Chriſtus non occideretur, homo diabolo addictus per præuaricationem non abſolueretur. Hæc ille. 3. Tertio aſſumpſit carnem vt in ea hominem glorificaret. Vnde Apoſtolus. *Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto.* Saluatorem enim noſtrum expecta-

Chriſtus in mundum cur venit. *Luca. 19.* *Eius aduentus quadruplex.*

I Aduentus. *Ioan. 16.* *Matth. 1.* *1. Ioan. 2.* *Marc. 1.* *Iſid. l. 1. de ſum. bo. cap. 14.*

pectamus qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Quarto vt in ea hominem ad ſuum amorem obligaret. Quid enim nos tantum ad amorem ſuum obligare potuit quam quod infirmitates noſtras ipſe portauit? vt dicit Bernardus in li. de diligendo Deum.

II. Aduentus. De ſecundo aduentu qui eſt in mentem per gratiæ infuſionem in quo venit Chriſtus ad inhabitandum, dicitur, *Verbum caro factum eſt, & habitabit in nobis* per gratiam. Ioan. 1. De qua inhabitatione dicitur, *Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit, & ad eum veniemus & apud eum manſionem faciemus.* Ioan. 14. Eius fructus triplex. Ex iſto autem aduentu homo conſequitur triplicem fructum. 1. Primo gratuitam in filium DEI adoptionem, quo ad hoc dicitur. *Pater meus diliget eum*. 2. Secundo gratia ſpiritus ſancti collationem, quo ad hoc dicitur, *ad eum veniemus*. Tertio collatæ gratiæ conſeruationem, quo ad hoc dicitur, *manſionem apud eum faciemus*. Iſta eſt dulciſſima ſua inhabitatio, de qua dicit ipſe. Prou. 8. Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. Apoc. 3. Vnde ipſe ſtat ad oſtium & pulſat per gratiam præuenientem, & ſi quis aperit ſibi, intrat per gratiam ſubſequentem, & cænat cum eo per gratiam perficientem.

III. Aduentus. De tertio aduentu ſcilicet in morte dicitur, *Et vos parati eſtote, quia qua hora non putatis filius hominis veniet*. Luca. 12. In iſto aduentu veniet ad diſcutiendum noſtra merita, & de omni verbo otioſo reddent homines rationem, ad exigendum nobis credita, ſcilicet bonorum naturalium fortuitorum & gratuitorum. De quibus Matth. 25. Vni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò vnum. Tunc enim requiret lucrum de omnibus iſtis. Iſte aduentus eſt valdè incertus, & ideo vigilare debet omnis Chriſtianus, ne eum imparatum inueniat Domini aduentus. Quare autem voluit eſſe diem aduentus huius incertum, aſſignat rationem Auguſtinus, & dicit, Ad hoc voluit Dominus te neſcire diem illum, vt quia neſcis quando veniat ſemper ſis paratus. Et Gregorius 12. li. Moral. dicit, Ad hoc conditor noſter nos latere voluit vltimum diem noſtrum, vt dum ignoratur ſemper proximus eſſe credatur. Et tanto quiſque ſit feruentior in operatione, quanto incertus eſt de reuocatione; vt dum incerti ſumus quando moriamur, ſemper ad mortem parati venire debeamus. Hæc Gregorius.

IV. Aduentus. De quarto aduentu ad iudicium dicitur. *Tunc videbunt filium hominis venientem cum poteſtate magna.* Matth. 24. Iſte erit terribilis aduentus malis, quia ad puniendum eos & ad faciendum vindictam in nationibus, bonis verò Luca. 21. delectabilis, quia ad remunerandum. Primis dicetur. *Ite maledicti in ignem æternum*. Secundis dicetur. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum*. Matth. 25. Sicut autem ille primus aduentus Chriſti fuit deſiderabilis Patribus antiquis, ita iſte deſiderabilis iuſtis omnibus. Omnes enim clamant *Oſtende nobis faciem tuam*, ſcilicet, claræ viſionis, *& ſalui erimus.* Nec mirum quia deſiderant, cum dies iudicij ſit eorum maxima vtilitas. Primo, quia tunc exaltabuntur iudicando cum CHRISTO, *Iudicabunt ſancti nationes*. Sap. 3. Et, *Sedebitis & vos iudicantes.* Matth. 19. Secundo quia tunc liberabuntur ab omni pœna & miſeria. *Auferet Dominus omnem lachrymam ab omni facie.* Iſaia. 25. Et *Abſterget DEVS omnem lachrymam ab oculis ſanctorum*, id eſt, omnem cauſam lachrimandi pro pœna. Apoc. 21. Tertio quia liberabuntur à poteſtate peccandi. *Auferet Dominus opprobrium populi ſui de vniuerſa terra.* Iſaia. 25. Et, *Adhuc puſillum & non erit peccator.* Quarto quia tunc eripientur à poteſtate Diaboli. *Non adijciet vt pertranſeat in te Belial.* Naum. 1. Et, *Non nocebunt neque occident*. Iſaia. 11. Quinto quia liberabuntur à ſeruitute corruptionis. *Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.* Rom. 8. Sexto quia tunc videbunt facie ad faciem DEVM ſuum. *Scimus quia cum apparuerit ſimiles ei erimus*. 1. Ioan. 4. Et, *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 13. Hæc Innocentius ſuper illud, *Vſquequo Domine obliuiſceris.* Pſal. 12.

III.

Nomen Domini forte & potens. *In nomine Domini.* De quo in pſalmis dicitur. *Beatus vir cuius eſt nomẽ Domini ſpes eius.* Vere potentiſſimum & victorioſiſſimum nomen, in quo vt dicit Pſalmiſta, fidelis penetrat etiam murum denſiſſimum, iuxta illud. *In nomine Domini tranſgrediar murum*. In hoc ſolo nomine Dauid vicit Goliath,

Goliath, ſicut ipſe teſtatur dicens. *Tu venis ad me cum haſta & gladio, ego autem contra te in nomine Domini*. Potentiſſimum & victorioſiſſimum nomen in quo eijciuntur
Lucæ.10. dæmones. *In nomine tuo etiam dæmonia ſubijciuntur nobis.* Et quia Chriſtus fuit vnus Deus in ſubſtantia cum Patre, & per conſequens in potentia & virtute, ideo ad ſignificandum eum eſſe æqualem Patri, ſpiritus Sanctus per ora puerorum clamabat de eo, *quia venit in nomine Domini.* Hoc ipſe ſolus
Ioan. 5. teſtabatur dicens: *Ego veni in nomine Patris mei & non accepiſtis me.* Quod autem venerit in nomine Domini, teſtabantur miracula quæ erant ad gloriam Patris, vt dicit
Ioan. 3. Lyranus ibidem. *Et quæ nemo potuit facere niſi eſſet Deus cum eo,* vt dicit Nicodemus. Et ipſe ſolus dicit Ioan. 15. *Si non feciſſem opera in eis quæ nemo alius fecit &c.*

Eſt autem ſciendum quod ſignum quod aliquis venit in nomine regis & de eius mandato & voluntate eſt, quando maiores regis & conſiliarij & generaliter omnes illi qui non niſi regi obediunt, eum audiunt, ei famulantur & obſequuntur. Quando autem ſubiecti quaſi inſtabiles quidam ei obediunt, quidam non, ſignum eſt nequitiæ in ſubditis, non in Domino veniente. Sic eſt in propoſito. Nam Pſalmiſta diu ante clamabat quod Chriſtus debuit venire in nomine Patris ſui, vt patet pſalmo 117. *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Qui cum venit in mundum, mox omnes creaturæ maiores de toto mundo, & omnes ſecretarij ſcilicet Angeli qui non obediunt niſi ſoli Deo, ei ſeruierunt & obſecuti ſunt humiliter & fideliter. Iſtud patet, quia in natiuitate
Lucæ. 2. cantabant gaudenter. *Gloria in excelſis* Et hi etiam in vita miniſtrabant ei vt patet Matth.4 *Accedentes Angeli miniſtrabant ei.* Ita etiam & aliæ creaturæ irrationales quæ in operibus ſupernaturalibus ſoli Deo obediunt, Chriſto parebant ad nutum, ſicut patet tranſcurrendo à principio ſui aduentus in mundum, vſque ad eius aſcenſum in
Matth.2. cœlum totam ſeriem Euangelij. Nam in natiuitate eius cœlum dedit ſtellam regibus in ductorem ad præſepium. Item Mare ſolidum calcanti ſe præbuit. Et tranquillitatem in tempeſtate dedit. Surdi, muti, leproſi, cæci à natiuitate, claudi, dæmoniaci multi curati ſunt. Et quod omnium maius eſt mortui ſuſcitati ſunt. Quomodo ergo Iudæi poſſunt negare Meſſiam veniſſe, aut quomodo expectant alium venturum? Vnde patet quod ipſi ſunt ſicut ſubditi inſtabiles & nequam, qui apertè videntes tanta miracula in Chriſto, noluerunt ei obedire, licet veniſſet *in nomine Domini.* Cum autem venerit antichriſtus in nomine ſuo illum accipient. Hinc conqueritur Ioannes dicens. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Et quod deterius eſt etiam ignominiosè tractauerunt. *In terra polluerunt tabernaculum nominis tui*, id eſt, Chriſtum in quo Deus habitauit. Marc.6. Matth.8. Pſal. 73.

Ex his omnibus ad piarum mentium cõſolationem tria infero memorialia. Primo quo ad primam partem ſermonis, quod volens ex aduentu Chriſti benedictionem conſequi gloriæ & gratiæ, neceſſe habet ſe à vitijs cuſtodire & præſeruare hoc ſacro tempore. Iſtud patet quia dicitur, *Qui vigilauerit ad illum inueniet benedictionem.* Bene autem vigilat qui oculos mentis in vero lumine tenet, ſecundum Gregorium in homil. Secundo infero quod volens conſequi benedictionem & vtilitatem aduentus Domini, neceſſe habet diligenter inſiſtere eloquio diuino & ſermoni. Iſtud patet Deuter. 33. vbi Leui dicit Patri ſuo. *Qui cuſtodierit eloquium tuum & pactum tuum ſeruauerit*, benedic eum Domine. Tertio infero quod volens conſequi benedictionem Chriſti venientis in nomine Domini, neceſſe habet operibus miſericordię & pietatis intendere. Iſtud patet quia nomen Domini non eſt niſi oleum miſericordiæ, vt dicitur Cant.1. Et ideo nullus eo dignus eſt niſi miſericors; iuxta illud. *Qui miſericors eſt miſericordiam conſequetur.* Et, *Pauperi porrige manum tuam vt perficiatur propitiatio & benedictio tua.* Moralia. Eccl.32. Eccl. 7.

Cuius propitiationis participes nos faciat benedictus qui venit in nomine Domini.
Amen.

DOMINICA II. IN ADVENTV DOMINI.

SERMO I.

Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis. Luc. 21.

IN hac Dominica ſecunda ſancta mater Eccleſia facit mentionem de vltimo aduentu Domini, qui erit ad iudicium finale in ipſa conſummatione ſeculi. Quod quidem iudicium appellatur generale, eo quod in ipſo Chriſtus venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Dicitur etiam nouiſſimum, quia & ſi hodie Chriſtus iudicat & ab humani generis initio iudicauit, deijciens de paradiſo primos parentes, & homines ſæpè luunt pro ſuis factis diuinitus pœnas, tamen tunc erit nouiſſimum, quia poſt illud erit bonorum pleniſſima & vera felicitas, & malorũ digna & ſumma infelicitas. In quo etiam non ſolum iudicabuntur quæ tunc fuerint iudicanda, verum etiam quæcunq; ab initio iudicata, & quæcunque vſque ad illud tempus adhuc iudicanda ſunt, apparebunt eſſe iuſtiſſima. Volens igitur mater ſancta Eccleſia filios ſuos habere illius aduentus memoriam, recolit Euangelium de illo nouiſſimo die & eius antecedentibus ſignis, vt per hoc inducat homines ad compunctionem, & veram pœnitentiam. Nam ſicut dicit Gregorius li. moral. 14. Terror iudicis non poteſt vitari niſi ante iudicium, quod vtique non eſt niſi per ſatisfactionem pœnitentiæ pro peccatis. Non ſolum autem memoria illius tremendi iudicij valet ad inducendam compunctionem in homine pro peccatis præteritis, ſed etiam ad cautelam faciendã de futuris. Vnde Chryſ. dicit ꝙ memoria iudicij impetum tenebit vehementius omni freno, quaſi dicat, qui tribus cathenis frenari non poſſet, ſola memoria futuri iudicij frenatur, iuxta illud pſalmi, *A iudicijs enim tuis timui*. Hinc Iob de ſe dicit, *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum*. Super quo Greg. lib. 21. moraliũ, in fine dicit, quod terrore iudicij omnis cura rerũ temporalium & carnis delectatio omnia deſpiciuntur. Et li. 14. dicit, Qui peruerſè agit, ſi iudicium tremendum timeret, male non ageret. Vnde *Memorare nouiſſima & in æternum non peccabis*. Quod tractans Greg. homil. 29. dicit. Noſtra præſentis temporis ita agenda ſunt gaudia, vt nunquam amaritudo futuri iudicij recedat à memoria. Vt igitur pro præteritis doleamus, à futuris caueamus, præſentis Euangelij ſeriem de ipſo iudicij generalis ordine audiamus. De quo aliqua me veſtræ charitati dicturum breuiter propono. Verum quia iſta ſine ſpiritus Sancti gratia facere non valeo, pro impetranda gratia ſpiritus Sancti vigilemus, quam vt facilius impetremus, ad Matrem gratiæ quæ ſpiritu Sancto concepit & peperit gratiam mundo, recurramus, ſalutantes eam verbo Angelico & voce amœna dicendo, *Aue Maria &c.*

Memoria æterni iudicij efficax. Chryſoſtomus in I. [illegible] hom. 45.

Iob. 31.

Eccl. 7.

I.

In Euangelio præſenti tria tanguntur. Primo deſcribit ſigna præcedentia iudiciũ, cum dicit, *Erunt ſigna*. Secundo deſcribit iudicis aduentum, cum dicitur, *Tunc videbunt*. Tertio addit conſolationem iuſtorum, cum dicitur, *His autem fieri*.

Erunt ſigna. Circa quod ſciendum quod Chriſtus hęc verba dixit Apoſtolis feria tertia poſt Dominicam Palmarum. Nam cum multas parabolas Iudęis in templo ipſo die propoſuiſſet, tandem exiuit de templo. Et cum diſcipuli oſtenderent ei ædificia murorum templi & ciuitatis, Chriſtus prædixit eis ſubuerſionem illorum, quæ & facta eſt per Titum & Veſpaſianum, & tandem ſubiunxit de conſummatione ſeculi hoc quod dicit Euangelium hodiernum dicens. *Erunt*

ſigna.

ſigna. Sicut autem dicit Liranus ſuper Matt. cap.14. Quod poſt tribulationem antichriſti antequam appareant manifeſta ſigna iudicij, erit tempus breue in quo poterint illi qui decepti fuerint per antichriſtum pœnitere.

Apoc.8. Et hoc ſignificatur vbi dicitur. *Factum eſt ſilentium in cœlo quaſi media hora.* Iſtud

Matt.24. enim tempus non durabit niſi 40. dies vel circiter. Vnde dicitur: *Statim autem poſt tribulationem illorum dierum,* id eſt, paruo tẽpore elapſo poſt tribulationem antichriſti, *apparebunt ſigna manifeſta propinqui iudicij.* Vnde dicit. *Erunt ſigna in ſole.* Matth.24. dicitur. *Sol obſcurabitur,* non per priuationem luminis ſui cum ſit ei naturale, corpora autẽ cœleſtia tunc manebunt in ſua natura integra: Sed iſta obſcuritas erit per interpoſitionem alicuius corporis opaci, quemadmodum fit in Ecclipſi. *Et luna.* In Mattheo dicitur. *Et luna nõ dabit lumen ſuum.* Quod poteſt intelligi dupliciter. Vno modo quia erit interpoſita inter terram & ſolem, & ſic pars lunæ quæ eſt verſus terram obſcurabitur cum non habeat lumen niſi à ſole. Alio

Matt.24. modo per interpoſitionem nubium obſcurantium. *Et ſtellis.* De ſtellis dicitur quod cadent de cœlo, non quantum ad earum ſubſtantiam, cũ ſint incorruptibiles, ſed ſecundum apparentiã, quia verè ſtellæ abſcondẽtur nubium denſitate, & de nubibus verſus terrã deſcendẽt exhalationes ignitæ quæ dicuntur ſtellæ cadentes.

Sol & luna quomodo obſcurabuntur. Gorranus autem dicit ſuper Matth. quod iſta obſcuritas ſolis & lunæ poteſt dupliciter intelligi, vel per ſubtractionem propriæ luminoſitatis. & ſic ſecundum Gloſſam ſol & luna ad tempus ſuo lumine priuabũtur, vt iam dictum eſt, vt vicinum domini nuncient aduẽtum. Sed peracto iudicio & mundo innouato, maius lu-

Iſaia 30. men recipient iuxta illud. *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptupliciter.* Vnde dicit Chryſoſt. quod patrefamilias moriẽte, domus eius turbatur, familia plangit & nigris ſe veſtimentis induit. Sic humano genere propter quod facta ſunt omnia, circa finẽ contriſtato, cæli myſteria lugent, & candore depoſito tenebris induuntur, vel obſcurari dicuntur, non diminutione ſuæ lucis, ſed ſuperueniente claritate veri ſolis obſcurati videbuntur, & nullius eſſe luminis.

Mala 24. *Erubeſcet luna & confundetur ſol cum regnauerit dominus exercituũ* Similiter quod dicitur de ſtellis, *Stellæ cadent*, hoc poteſt intelligi quantũ ad mutationem luminoſitatis in obſcuritatem, & ita cadent non à ſitu, ſed à lumine, vt ad tempus lumine careãt, vt vicinum domini indicent aduentum. *Stellæ quo modo dicãtur cadere.* Vel ſecũdo quantũ ad apparitionẽ. Sicut.n. nunc videtur vapor aſcendens inflammatus cadere ad modum ſtellæ, ſic veniente iudice, tales inflammationes crebrius & amplius fient quaſi ſigna inflãmationis mũdi. Vel tertiò hoc dicitur propter ſcintillationem quæ apparebit in aëre oculis ſtupefactis. De obſcuratione ſolis dicit Origenes, eſſe ꝓbabile ex hoc, quia tunc circa conſummationem ſeculi, ex magno fumo eleuato obtenebrabitur ſuperior pars aëris, ita vt lumen ſolis non luceat. De lunæ obſcuratione probabile eſt, quia cum luna non recipit lumen ſuum niſi a ſole, igitur obſcurato ſole obſcurabitur luna. De caſu ſtellarum probabile eſt. quia ex quo tãta erit obſcuritas quod obſcurabitur ſol & luna, multo magis ſtellæ obtenebrabuntur, quę quoniam nõ apparebunt, iudicabuntur ab hominib. cecidiſſe. Hugo autem de prato hic dicit, quod tunc erit vniuerſalis Eclipſis per totum mundũ, quæ non fiet per lunæ interpoſitionẽ, ſed per virtutem diuinã. Et ideò durabit quantũ Deo placebit, ſicut in paſſione domini factum fuit. Secũdo poteſt hoc intelligi metaphoricè, quia tũc ſol & luna & ſtellæ mærorem diei illius inſpicere non audebunt, ſicut nec paſſionem Chriſti. Tertiò poteſt hoc intelligi myſticè, quia tunc ſol, id eſt, Chriſtus qui eſt ſol iuſtitię obſcurabitur, eò quod ſubtrahet ſuis electis poteſtatem faciendi virtutes & miracula. Tunc etiã prædicatio ceſſabit per quam Chriſtus mundum illuminat. Luna etiam conuertetur in ſanguinem, vt dicitur Ioel.3. Luna intelligitur eccleſia quæ recipit lumen à ſole Chriſto, quæ tũc polluetur ſãguine peccatorũ & tyrannorum. Stellę ſunt Doctores qui ad iuſtitiã erudiũt hodiè multos, qui tunc cadent, quia à docendo deficient & ceſſabunt, loco quorum ſurgent pſeudo falſi Doctores, vt dicitur Matt.24.

Et in terris preſſura gentium. Iſta preſſura in terris erit ex concurſu multorum, qui ſecũdum Gorranum hic cõſurgent propter terræmotum maximè de locis montanis & *Preſſura gentium vt fiet.*

inſulis. Sed Hugo de ſancto Victore dicit
quod iſta preſſura erit duplex. Vna pro-
pter rugitum maris, quem tunc de propin-
quo audire erit horribile. Vnde in tex-
tu, *præ confuſione ſonitus maris & fluctuum.*
Erit in primo nimia eleuatio maris extra
terminum ſuum naturalem, ſcilicet vltra
altitudinem montium 40. cubitis, iuxta il-
lud pſalmi. *Mirabiles elationes maris.* Se-
cundo erit ipſius nimia ad infima loca de-
preſſio, ita vt vix appareat. Apocalypſis
21. *Mare iam non eſt.* Tertiò erit ipſius
horribilis ſonitus, iuxta illud *Eleuauerunt
flumina vocem ſuam.* Propter iſta ergo vt
dicit Hugo, illi qui habitant in marinis par
tibus concurrent ad loca elongata à mari,
timore rugitus maris præ confuſione ſoni-
tus maris & fluctuum, ſcilicet inordinata
commixtione vndarum. Vel ſecundum i-
pſum, confuſionem iſtam poſſumus intel-
ligere conturbationem nouam, qualis nun-
quam viſa eſt. Et eſt hoc multum probabi-
le. Nam ſecundum Iacobum de Alexan-
dria, facta alteratione circa corpora cœ-
leſtia neceſſe eſt confundi ... mare, quod di-
ſponitur per corpora cœleſtia, vt dicitur
primo Metherorum. Secundò iſta preſſura
erit ex perſecutione antichriſti, coram quo
fugient homines de regnis ſuis ad populum
alterum. Vel quia opprimentur vndique
per ipſum. Et hæc erit preſſura in terris. Ex
hoc autem terrore ſequetur in hominibus
immutatio, vnde ſequitur in littera. *Areſcē-
tibus hominibus præ timore,* ſcilicet malorũ
quæ cernent, & expectatione malorum quę
ſuperuenient in poſterum vniuerſo orbi, id
eſt, vniuerſaliter. Ita dicit Hugo de ſancto
Victore. Ex iſto igitur timore areſcēt homi-
nes qui erant opulenti & pingues, quia *Spi-
ritus triſtis exſiccat oſſa.* Tunc enim imple-
Prou. 17. bitur illud Iſa. 13. *Omnes manus diſſoluen-
tur, & omne cor hominis contabeſcet. Vnuſ-
quiſque ad proximum ſuum ſtupebit, & facies
combuſtæ vultus eorum.* Et illud Threno. 4.
*Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum &c.
Adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit & facta eſt
quaſi lignum.* De iſta expectatione quæ ſu-
peruenit vniuerſo orbi, quæ areſcere faciet
homines, dicitur Matth. 24. quod hoc erit
tempore Antichriſti quando erit talis tri-
bulatio qualis non fuit ab initio. Et merito
quia tunc conflabitur illa perſecutio ex tri-
bus perſecutionibus, ſcilicet tyrannorum,
qui trucidauerunt olim martyres, hære-
ticorum qui impugnauerunt confeſſores,
& falſorum fratrum qui decipient ſimpli-
ces. Et quia iſta ſimul concurrent, ideò erit
perſecutio maxima qualis nũquam fuit ab
initio. Nec eſt mirum quod homines areſcēt
cum etiam virtutes cœlorum mouebuntur. *Virtutes cœlorum quomodo mouebũtur.*
Hugo de ſancto Victore primo exponit, id
eſt, angeli in nouam admirationem tranſi-
bunt, vt etiam dicit gloſſa, & miniſteriũ pie-
tatis in miniſterium vindictæ permutabũt,
moti indignatione contra contemptores
diuinæ dignationis & angelicæ. Secundò
mouebuntur ſecundum eum, id eſt, cũ Chri
ſto deſcendent ad iudicium. Tertiò ſecundũ
Gorranum mouebuntur, id eſt, ad modum
timentium ſe habebunt. Quartò mouebũ-
tur timore reuerentiæ, qui licèt ſemper ſit
in eis, tamen tunc maximè apparebit. *Colũ- Iob 26.
næ cœli contremiſcunt & pauent ad nutum e-
ius.* Dicit Gregor. Quid faciet virgula de-
ſerti dum concutitur cedrus libani? Quintò
mouebuntur more terreno, ſicut milites
mouentur moto rege ad expeditionem, ci-
uitas feruet, populus concitatur, ſic Chriſto
moto ad iudicium angeli mouebuntur ſe-
cundum Chryſoſt. Sextò ſecundum Lyran.
ſuper Matth. Mouebuntur virtutes cœlorũ,
id eſt, illi angeli qui ſpecialiter dicũtur vir-
tutes, quorum eſt facere miracula & ſigna,
qui tunc mouebuntur ad facienda diuerſa
mirabilia in cœlo, in aëre, in terra, in mari
& in omnibus abyſſis, ad incutiendum ter-
rorem iudicis venientis. Dicuntur autem
virtutes cœlorum angeli, ſiue quia mouent
cœlos ſecundum Philoſophos, ſiue quia in-
habitant cœlos ſecũdum Gorranum. Hugo
de pratis dicit pulchrũ dictum de hoc quod
mouebuntur etiam angeli horrore diuinæ
vindictæ. Nam ſecundum Chryſoſt. licèt ni-
hil ſibi conſcij ſunt & in beatitudine con- 1. Pet. 4.
ſummati, tamen non ſine trepidatione i-
bi aſtabunt, ſcientes quia tunc vix iuſtus ſal-
uabitur.

Quare autem tot terribilia ſigna præce- *Iudicium generale cur præcedent ſigna.*
dent iudicium generale plures rationes vi-
dentur eſſe ſanctorum. Prima ratio ſecundũ
Gregor. eſt, vt nos Chriſtus paratos inueni-
ret tempore aduentus ſui. vnde Matt. 24. *Et*

vos eſtote parati quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Secunda vt nos ab amore mundi illicito compeſcat, dum eius mala quæ ſequuntur ante oculos mentis noſtræ oſtendit. Tertia vt ſemper in timore Dei maneamus, vt ſi Deum in tranquillitate metuere nolumus, ſaltem eius vicinum aduentum percuſſionibus attriti timeamus. Hæc omnia Gregor.

Vltra iſta ſigna corporalia colliguntur alia multa ex Euangeliſtis & Apoſtolicis ſcriptis. Magiſter in ſcholaſtica hiſtoria, Hieronym. Gorra. & Lyra. ſuper Matth. referunt ex annalibus Hebræorum, 15. ſigna

Quot & qualia.

proxima ante aduentum Chriſti. Quæ primo referam propter vulgares & ſimplices, deinde ponam alia magis certiora propter ſpirituales. Primum ſignum corporale erit quod erigatur mare 40. cubitis ſuper montium altitudines, ſtans in loco ſuo quaſi murus, & hoc erit primo die. Secundo die tantum deſcendet quod vix videri poſſit. Tertio marinæ beluæ apparentes ſuper mari dabunt rugitus vſque ad cœlum. Quarto ardebit mare & oẽs aquæ. Quinto, herbæ & arbores dabunt ſanguineum rorem. Sexto ruent ædificia. Septimo petræ ad inuicem collidentur. Octauo fiet generalis terræ motus. Nono æquabitur terra. Decimo exibunt homines de cauernis ſuis, & ibunt quaſi amentes, nec poterunt mutuo loqui. Vndecimo ſurgent oſſa mortuorum & ſtabunt ſupra ſepulchra ſua. Duodecimo cadent ſtellæ. 13. Morientur viuentes vt cum mortuis reſurgant. 14. Ardebit cœlum & terra. 15 Fiet nouum cœlum & terra, & reſurgent omnes. Iſta autem ſigna an fient ſucceſſiuè aut coniunctim, aut interpolatim dubitatur. An etiam ſint verè futura in re dubitant Doctores, ob id veniamus ad certiora & ſpiritua-

Signa decem diem iudicij præceſſura.

lia quæ ſunt decem. Primum eſt vniuerſalis ſecuritas. Nam ſicut fuit in diebus Noe quando homines magis ſecurè nubebant bibentes & comedentes, & gaudebant, tunc

1\. ſuperuenit diluuium & tulit omnes, ita erit de die iudicij, vt dicitur Matth. 24. Sed contra hoc videtur quia ibidem dicitur ſurget gens contra gentem, & ſic erunt potius prælia quam ſecuritas. Reſpondeo ſecundum Chryſoſtomum, quod poſt illa bella, poſt famem & terræmotum erit pax breuis 45. diebus, de quibus Danielis 12. dicitur, & tunc reprobi pacem & ſecuritatem ſibi repromittent. *Cum dixerint pax & ſecuritas,* 1. Theſſ. 2.
tunc repẽtinus ſuperueniet eis interitus, id eſt, ſubitanea diei iudicij perditio, ſicut exponit ibidem Gorra. Secundum vniuerſalis 2.
repulſio verbi Dei, iuxta illud. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum.* Et illud. *Mittam famem in terram, non famem panis, ſed famem verbi Dei.* Sed contra dicitur. Matth. 24. Prius prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio. Reſpondeo verum eſſe quod ante tempus Antichriſti erit generalis prædicatio euangelij in toto mundo, ſed veniente Antichriſto ceſſabit, ita quod ſeptem Eccleſię vel ſeptem Diocæſes aut prouincię, vel regna vix poterunt habere vnum prædicatorem. iuxta illud Iſaiæ, *Apprehendent ſeptem mulieres,* id eſt, ſeptem Eccleſiæ, *virum vnum,* id eſt, prædicatorem. Et de hoc tempore datur iſtud ſignum. Tertium 3.
ſignum eſt apoſtaſia in dignitate Eccleſiæ, vnde Matth. 24. *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.* Et illud licet ad litteram intelligitur de Antichriſto, qui veniens ſedebit in templo tanquam Deus, vt dicitur 2. Theſſalonic. 2. & Daniel. 11. tamen moraliter ſecundum Gorranum intelligitur etiam de malo Prælato, qui dicitur idolum abominationis & deſo- Zach. 11.
lationis. *O paſtor & idolum derelinquens gregem.* Tunc enim in proximo ante diem iudicij erunt Prælati peſſimi per impreſſionem ſecularẽ, per preces, precium, munera, obſequia, præcisè ſicut ante deſtructionem Hieruſalem, vt patet in lib. Machab. Quar- 4.
tum ſignum erit abominabilis concupiſcẽtia ad inuicem, iuxta 2. Thimotheorum 3. *In nouiſſimis diebus*, ſcilicet circa finem mundi, ſecundum Gorranũ, *erunt homines ſeipſos amantes*, non Deum nec proximum. Ex proprio enim amore tanquam ex radice omnia mala oriũtur. Quia vt dicit Aug. Ciuitatem Babylonis fecit amor ſui vſq; ad cõ- Augu. li. de ciu. Dei
tẽptum Dei. Quintũ ſignũ erit odium inter 5.
cõſanguineos. Vnde Matt. 24 *Tradet autem frater fratrem in mortem.* Et 2. ad Thim. 3. dicitur quod filij erũt parentib. nõ obediẽtes, quod vtiq; eſt ex odio, cum naturaliter

debeant inclinari ad dilectionem. Et breuiter. homines tunc habebunt ad inuicem generale odium, tam reſpectu proximorum ſuperiorum, quam reſpectu æqualium, quã
2.Tim. 3. reſpectu inferiorum. vt dicit Gorranus ibidem. Erunt enim inobedientes parentibus ſiue carnalibus ſiue ſpiritualibus, & hoc quantum ad præcepta. Secundò ingrati, quo ad beneficia recepta à parentibus. Scælesti, quo ad grauiora maleficia etiam in perſona parentum perpetranda. Item contra proximum æqualem erunt ſine affectione, id eſt, aliorum miſeriæ non compatiendo. Sine pace, ſcilicet aliorum quietem perturbãdo. Criminatores, id eſt crimina alijs imponentes, eorum famæ detrahẽdo. Incontinentes, id eſt peccatis carnalibus deſeruientes, gulæ & luxuriæ vacando, & mulieres polluendo. Item contra proximum inferiorem immites, id eſt crudeles erga eos quos poſſent opprimere. Sine benignitate, id eſt ſine miſericordia & largitate erga eos quibus debent ſubuenire. Proditores, id eſt ſecretorum reuelatores, erga eos quibus debent conſulere. Item erunt proterui quo ad ſe, id eſt inuerecundè ſe ha-
6. bentes. Tumidi id eſt inflati animo. Cęci, id eſt veritatis ignari. Sextum ſignum erit ſte-
Abacuc. 3. rilitas terræ, iuxta illud. *Mentietur opus oliuæ & arua non afferent cibum.* dicit gloſſa. Quia in vanum plantabuntur, & arua non afferent cibum, id eſt campi carebunt ſegetibus. *Abſcidetur de ouili pecus*, id eſt, interficietur vel deficiet, quia propter defectum paſtus non poterit ſeruari. *Et non erit armentum in præſepibus*, id eſt grex boum in
7. præſepibus. Matth 24. dicitur. Erunt peſtilentiæ & fames & terræmotus. Septimum ſignum erit prædicatio generalis euangelij Chriſti vt dicitur Matt. 24. Dicit tamen Auguſt ibidem, quod quando poſt prædicationẽ euangelij veniet, incertum eſt nobis, ſed ante nõ veniet. Et hoc erit propter inexcuſa-
8. tionem ignorantiæ veritatis. Octauum ſignum erit hypocriſis religioſorum. Erunt quidẽ habẽtes ſpeciem pietatis, id eſt Chri-
2.Tim. 3. ſtianæ religionis in exteriori ſimulatione, quia ſacramenta Chriſti quæ religionis ſũt, participabunt cum bonis, & ideò periculoſiores Matth. 7. *Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Virtutem autem eius, id eſt rem ipſius pietatis ſcilicet dilectionem Dei & proximi abnegantes
corde & opere. Confitentur ſe noſſe Deum, Tit. 1.
factis autem negant. Nonum ſignum e-
rit adinuentio nouitatum. Vnde 1. Thimot. 9.
4. dicitur, quod in nouiſſimis diebus erunt quidam attendentes ſpiritibus erroris, id eſt, hominibus in errore ambulantibus, & doctrinis dæmoniorum, id eſt, hæreticorũ. Et ſequitur, prohibentes nubere, hoc eſt, dicentes nuptias eſſe peccatum, & abſtinere à cibis quos Deus creauit. Aliaq; multa adinuenient quę omnia vocat Apoſtolus ibidẽ ineptas & aniles fabulas, id eſt, quas vetulæ ſolent narrare, & quæ pro nihilo ſunt repu-
tandæ. Decimum ſignũ erit furtiua doctri- 10.
na multorum hypocritarum, de quibus di-
citur, quod ſurgẽt Pſeudoprophetę & ſedu- Matt. 24.
cent multos. De quibus etiam 2. Thim. 3. dicitur. Et ex his ſunt qui penetrant domos, id eſt, qui intrant ſub prætextu religionis penetralia & ſecreta in quibus mulieres habitant, vt eas facilius decipiant & captiuas ducant mulierculas, id eſt, citius ſeducant propter defectum rationis in eis. vt dicit Liranus. Gorra. dicit quod erunt quærentes
occulta loca ad hæreſes ſuas prædicandas, Matt. 10.
cùm tamen Apoſtolis dictum ſit, *prædicate ſuper tecta*. Sed Gorra exponit. Penetrant domos ſpiritualiter, cuiuſlibet qualitatem & conditionem rimando, vniuſcu-
iuſque conſcientiam inquirendo. Vnde- 11.
cimum ſignum erit abnegatio fidei. vnde Matth. 24. *Putas ne filius hominis veniens inueniet fidem in terra?* Et 2. ad Timoth. 4. Spiritus ſanctus dicit, ſc. reuelando manifeſtè, quia in nouiſſimis tẽporibus diſcedẽt quidam à fide, id eſt, aliquę notabiles perſonæ. Semper. n. remanebunt aliqui fideles
Chriſti vſq; ad diem iudicij. Duodecimũ ſi- 12.
gnum erit diſceſſio ab obediẽtia in vtroque ſtatu ſpiritualium & ſecularium. De qua di-
cit Apoſtol. *Niſi venerit diſceſſio primum & reueletur ille iniquus*, ſcilicet antichriſtus. 2. Theſ. 2.
Quod ſecundum Liran. quidam exponunt de diſceſſione à Romano imperio quod florebat tempore Pauli, à quo iam receſſerunt quaſi omnia regna negantia ei ſubditionem, & redditionem tributi à multis annis. Illud etiam imperium caruit

Impe-

Imperatore multis annis, & tamen non ve-
niti Antichriſt' qui debuit vẽire ſub illa diſ-
ceſſione; propter quod alij exponunt de re-
ceſſu ab obedientia Romanæ eccleſiæ, à
qua iam receſſit diu Græcia. Sed ſaluo meli-
ori iudicio mihi videtur melius intelligen-
dum de receſſu à fide Catholica, non ſic
quod omnes diſcedant ab ea, ſed quia ma-
Matt.24. ior pars credentium diſcedet ab ea, quia tũc
refrigeſcet charitas multorum, & per con-
ſequens vera fides deficiet, & tunc veniet
antichriſtus facta diſpoſitione ad receptio-
nem ipſius. Ita dicit Lyranus. Sed Gorranus
præcisè & ſimpliciter exponit. Et tunc, id
eſt, poſt manifeſtam diſceſſionem gentium
à Romano imperio, & particularium Ec-
cleſiarum ab obedientia Romanæ Eccleſię,
& hominum Chriſtianorum à Fide, tunc
Aug. libr. quaſi parata ſibi via veniet antichriſtus. Et
20. de ciu. hanc ſententiam etiam approbat Auguſti-
Dei. c.19. nus circa medium dicens. Non abſurde
hunc textum de Romano intelligi imperio.

II.

Secunda pars Euangelij deſcribit Iu-
dicis aduentum, cum dicitur, *Tunc videbũt
filium hominis*, id eſt, poſt illa ſigna, & poſt
illos 45. dies, non quod determinate poſt
eos, ſed quod ante illos 45. dies non erit Iu-
dicium ſed poſt, tempore tamen eo quo ig-
noratur & non ſperatur, quia qua hora non
Matt.24. putatis filius hominis veniet. Tunc ergo
quando homines erunt magis ſecuri, tunc
videbunt ſupple, velint nolint etiam mali.
Videbunt eum qui eum pupugerunt. Sed iſte
Apoc.1. aſpectus erit terribilis, eo quod videntes
Sap.5. turbabuntur terrore horribili. Tunc in-
quam videbunt filium hominis, boni in for
ma vtraque diuina & humana; mali tantum
in forma humana, & non qualitercunque,
ſed in nubibus cum poteſtate magna & ma-
ieſtate. Plura dicuntur de hoc aduentu. Pri-
mo quod erit clarus & notabilis, quia vide-
bunt. *Oculo ad oculum videbunt* Et. *Tunc*
Iſaia 52. *autem facie ad faciem*, ſed diuerſimode ſicut
1.Cor.13. ſupra dictum eſt. Non enim erit aliquid
Iudicis quod impediat viſum humanum, eo quod
aduentus ignis præcedet, qui omnes vapores purga-
qualiter bit. *Ignis ante ipſum præcedet*. Secũdo iſte ad-
futurus. uentus erit perſonalis, quia filium hominis,
non per legatum aut ſubiudicem vicarium,
per ſe. *Qui autem iudicat me Dominus eſt*.
Iob. *In carne mea videbo Deum*. Tertio iſte *1.Cor.4.*
aduentus erit terribilis, quia in nubibus.
Quemadmodum vidiſtis eum ſic veniet. Hoc
autem fiet in nubibus. *Ecce veniet in nubi-* *Act.1.*
bus. Quarto erit potentialis, quia in maie- *Apoc.1.*
ſtate & poteſtate. Poteſtas eius apparebit *Eius po-*
ex mundi conflagratione, quia ignis præce- *teſtas in*
det qui purgabit ſuperficiem terræ. Secun- *quatuor.*
do in vocis virtute: *Dabit voci ſuæ vocẽ vir-
tutis*. Magna virtus vocis fiet, ad cuius ſoni-
tum non erit anima ita altè in cœlo nec ita
profundè in inferno, nec abſcondita in
centro, quin ſtatim compareat cum Chri-
ſto. *Canet enim tuba, & mortui reſurgent*. *1.Cor.15.*
Tertio poteſtas erit in promptitudine obe-
dientiæ omnium Angelorum qui ſibi tam-
quam verò Deo obſequuntur, congregan-
do pulueres pro corporibus ſuſcitandis.
Mittet Angelos ſuos & congregabunt omnes à *Matt.24.*
quatuor ventis cœli. Quarto iſta poteſtas ap-
parebit in iudicandi auctoritate, quia Pa-
ter omne iudicium dedit filio. Omne, id eſt, *Ioan.5.*
tam omnium hominum quam Angelorum
bonorum & malorum, qui omnes iudica-
buntur, vt dicit Thom. parte.3. q 45 ar.6.
Locus autem iudicij habetur Ioëlis 2. *Cõ-
gregabo omnes gentes in vallem Ioſaphat, &
diſceptabo cum eis*. Dicunt autem Doctores
quod boni ſtabunt cum Chriſto in aëre, ma-
li verò iacebunt ingroſſati in terra. Ibi etiã
ponetur ſignum crucis factum ex aëre lu-
cido, licet Chryſoſtom. dicat quod in Chri-
ſto apparebit. Et notandum quod illud tũc
de quo dicitur hic erit formidãdum pecca-
toribus, & deplorandum propter quatuor.
Primo quia tunc nõ erit tempus meritoriæ
actionis. Secundo quia tunc non erit tem-
pus excuſationis. Tertio quia tunc erit tem-
pus amariſſimæ ſeparationis. Quarto quia *Matt.12.*
tunc non erit tempus fugæ vel euaſionis.
De primo dicitur *Tunc dicet rex miniſtris, li-* *Matt.25.*
*gatis manibus & pedibus proijcite eum in te-
nebras exteriores*. De ſecundo, *Dicet rex his
qui ſtabunt à ſiniſtris. Eſuriui & non dediſtis
mihi manducare. Qui dicent. Domine quando
te vidimus*. Ecce excuſatio. Sed reſpondebi-
tur eis. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mi-* *Matt.25.*
*hi feciſtis. Diſcedite ergo à me maledicti in ignẽ
æternum*. De tertio dicitur: *Tunc ſedebit rex
& ſeparabit eos ſicut paſtor ſeparat grege ſuũ*.
Iſtam ſeparationem faciet peccatum, & i-

deò maximè fugiendum eſt. De quarto dicitur hic. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna,* à qua poteſtate non reſtat fuga, iuxta illud: *Si aſcendero in cœlum tu illic es.* Dicit Aug. In cœlo te habeo repreſſorem, in inferno inquiſitorem, ergo latere non poſſum.

III.

His autem fieri incipientibus, ſcilicet quæ dicta ſunt, ſcilicet ſignis & prodigijs & alijs, *leuate vos capita veſtra.* Reſpicite per fidem, & leuate per ſpem, capita veſtra, id eſt, corda veſtra exhilarate. Quia ſecundum Gregorium, cum finitur mundus cuius amici non eſtis, prope fit redemptio, quam quæſiſtis. Et ponitur hic caput pro mente, quia ſicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente diſponuntur. Capita ergo leuare *Spem quæ erigant.* eſt mentes ad cæleſtia erigere. Tria autem valent ad ſpei erectionem. Primo vt malum tranſitorium non timeatur, quod fit cum *Pſal.* homo per rationem eleuatur. *Super inimicos meos deſpexit oculus meus,* id eſt, deorſum aſpexit. Secundo vt in bonis temporalibus fiducia non habeatur: *Nolite confidere in* *Iob.10.* *principibus.* Tertio vt de proprijs meritis non confidatur. *Si iuſtus fuero non leuabo caput. Quoniam appropinquabit redēptio veſtra,* ſcilicet à temporali miſeria. *Nos ipſi intra* *Rom. 8.* *nos gemimus expectātes redemptionem corporis noſtri.* Redempti enim ſumus per paſſionem Chriſti à culpa, ſed non à miſeria, ſed tunc ab vtroque redimemur. Addit autem *veſtra,* ſcilicet qui redempti eſtis prius à captiuitate culpæ. *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo,* non Diabolo qui nunquam redimetur, vt dicit Auguſtin. in libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus. Deinde Chriſtus adducit ſimilitudinem dicens. *Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniā propè eſt æſtas.* Quia hoc ſignum eſt acceſſus ſolis ad nos. Ita & vos *cum videritis hæc* fieri, ſcilicet ſigna quæ dicta ſunt. *Scitote quoniam propè eſt regnum Dei* Hoc exponit quædam gloſſa primo de Iudæis quæ hodie ſunt quaſi ficus ſterilis, ſignificati per illam ficum in qua Chriſtus fructum non inuenit. Cum ergo hæc ficus, id eſt, populus Iudæorum ſuſceperit fidem, tunc incipiet quaſi ficus vireſcere. Cum autem ore fidem Chriſti confitebitur, tunc quaſi folia mittet. Cum autē ſecundum fidem operabitur, tunc quaſi fructum dabit. Et hoc erit propinquum ſignū aduentus Chriſti ad iudicium. Vnde dicitur. *Scitote quoniam propè eſt æſtas,* id eſt, æterna ſerenitas & renaſcentium nouitas. Et de hoc dicitur Iſa. 10 *Reliquiæ Iſrael conuertentur.* Secūdo ſecundū Gregorium exponitur generaliter de fructu mundi, quæ eſt eius ruina. Ad hoc enim mundus germinat, vt quæcunque germinauerit cladibus conſumet.

Vltimo adducit Chriſtus confirmationē omnium prædicatorum dicens. *Amen dico vobis.* Amen eſt ſignum certificationis, & *Amen quid.* tantum valet, id eſt, verè, licet hoc nec græcus nec latinus quiſquam transferre potuit propriè. Eſt ergo ſenſus. *Amen dico vobis,* id eſt, verè dico ego qui mentiri non poſſum. *Non præteribit generatio hæc* ſcilicet de mortalitate ad immortalitatem totum genus humanum, *donec omnia fiant. Iota vnum aut* *Matt.5.* *vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt* ſcilicet per commutationem innouationis, *verba autem mea non tranſibunt,* quia *in æternum Domine permanet verbum tuum.* Non ergo tranſibunt ſine effectu impletionis. Beda, cælum & terra tranſibunt, id eſt, innouabuntur, depoſita priori forma, permanente autem priori ſubſtātia. Vnde 2. Pet. vlti. dicitur. *Elementa ignis calore ſoluentur.* Intelligitur ergo hoc de cœlo aereo ſeu elementari, quod eſt ipſe aer ſub concauo orbis lunæ, qui conſumetur & depurabitur à materia groſſa per calorem ignis præcedētis. Sicut deducit Auguſtin. de ciuitate Dei libr. 20. cap. 24. tractans illud, *Opera manuum tuarum ſunt cæli.* Ipſi peribunt, non autem cœli illi in quibus ſunt ſydera & ſtellæ, vt quidam putauerunt, vt dicit Aug. ibidem.

Circa iſtum ſermonem moueo triplicem *Dubia.* dubitationem. Prima eſt, vtrum ante generale iudicium Antichriſtus naſcetur tamquam vnus purus homo perſecuturus Eccleſiam Chriſti. Secundum dubium, qualis erit conſummatio huius iudicij. Tertium vtrum iudicium illud erit per ſententiam *Primum.* vocalem. Ad primum reſpondeo quod Antichriſtus erit vnus homo pur' ſicut aliquis noſtrum, & vnum ſuppoſitum & indiuiduū

huma-

humanæ ſpeciei. Iſtud patet per omnes ſcripturas veteris & noui teſtamenti. Et primo per illud Gen. penulti. vbi dicitur. *Fiat Dan coluber mordens equum ad vngulam.* Vbi ſecundum omnes Doctores dicitur, ꝙ antichriſtus naſcetur de tribu Dan, quæ eſt maledicta, ideoque non enumeratur in catalogo Patriarcharum ſanctorum. Secundo iſtud patet per illud Dan. 11. vbi dicitur. *Stabit in loco eius*, ſcilicet Chriſti viliſſimus. Dicit Hieron. in gloſſa ordinaria. Antichriſtus ſcilicet qui in fine mundi conſurget de gente iudęorum & de gente modica tam humilis atque deſpectus, vt non ei detur honor regius, ſed fraudulenter obtinebit principatum, & brachia pugnantis populi Romani expugnabuntur ab eo, & hæc faciet quia ſimulabit ſe eſſe ducẽ veteris teſtamenti & legis Dei. Et ingredietur vrbes altiſſimas & faciet quæ non fecerunt patres eius. Nullus enim Iudęorum propter ipſum regnauit in toto orbe vnquam, & hoc contra Sanctũ Sanctorum inibit conſilium. Hæc Hieron. Item ibidem oſtenditur quamdiu regnaturus ſit, ſcilicet per tempus vnius anni, & tẽpora ſcilicet duorum annorum, & dimidiũ temporis, id eſt, vnius medij anni, vt habetur. 12 c. Et hæc expreſſius dicit ibidem textus, quod regnabit per dies mille. 300. & 31. Item ibidem oſtenditur qualis erit in vita, quia in concupiſcentijs fœminarũ, & ſic luxurioſiſſimus, licet palam oſtendet & ſimulabit ſe caſtum, vt dicit gloſſa. Item ibidẽ oſtenditur, quomodo veniet ad montẽ Oliueti, quem vocat inclitũ & ſanctum, & veniet vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei. Et gloſſa dicit quod ibi ſit periturus. Tertio hoc idem patet ex beato Auguſt. qui expreſſe dicit. Non veniet ad viuos & mortuos iudicandos Chriſtus, niſi pri⁹ veniet ad ſeducendas in anima mortuos aduerſarius eius Antichriſtus. Et ſequitur. Præſentia quippe eius erit ſecundum operationem ſathanæ in omni virtute, ſignis & prodigijs, mendacij & in omni ſeductione iniquitatis his qui pereunt. Hæc Auguſtin. Item hoc patet per Ambroſ. *Niſi venerit diſceſſio primum.* Priuſquam veniat Chriſtus, regni Romani defectio fiet, & apparebit Antichriſtus qui interficiet ſanctos, reddita Romanis libertate ſub ſuo tamen nomine. Item iſtud patet per Greg. 25. libro morali. cap. 15. Quomodo antichriſtus regnabit ex culpa populi, & quomodo ſancti prædicatores contra eum parum proficient. libr. 34. cap. 8. Et quomodo tota intentio ſua erit ad pœnas corporum, cum ſe ſciat in animabus nocere non poſſe. Ibidem cap. 9. Et quomodo Doctores ſancti per eum ruent, per quorum ruinã erit ruina infirmorũ. Ibid. c. 10. Et quomodo Diabolus ingredietur eũ tãquã vas proprium. libr. 32. cap. 12. Ecce omnes columnæ quatuor principales de eo loquuntur concorditer. Item Chriſtus de eo dicit quod veniet alter in nomine ſuo quem accipietis. Item Apoſtolus dicit de eo, quod in nouiſſimis diebus reuelabitur ille iniquus homo peccati, id eſt, homo totaliter deditus peccato. Iſidor. quoque multa de eo ponit li. 1. de ſummo bono c. 26. quæ longum eſſet hic ponere. In libro autem 8. ethimologiarum hoc ponit quod antichriſtus Hieroſolomis templum reparabit, & omnes veteris legis cærimonias reparare tentabit.

Apoc. 7.

Antichriſtus qualis futurus & quamdiu repugnaturus.

Auguſt. l. 20. de ciu. Dei c. 19.

2. Theſſ. 2

Ad ſecundum, qualis erit conſummatio 2.
huius iudicij Reſpondeo quod quædam erunt huius iudicij præcedentia, quędam comitantia, quædam ſubſequentia. Antecedentia iudicij erunt vt principatus antichriſti, qui decipere tentabit fideles ſex modis, ſcilicet ſapientia verborum, ſimulatione virtutum, teſtimonio ſcripturarum, operatione miraculorum, promiſſione diuitiarum, terrore perſecutionum. Secundo erunt bella & prælia & commotiones locorum. Vnde Matth 24. & alia in ſole & luna ſigna vt hic. Tertio erit mundi conflagratio per ignem. Iſte ignis conſumet omnia vegetabilia, incinerabit humana corpora, & purgabit à fœcibus elementa, & ſic clarificata renouabuntur. Non erit autẽ in vna parte, ſed in omni parte mundi, & aſcẽdet ad tantam altitudinem ad quantam aquæ diluuij aſcenderunt. Et erit ibi virtute ſupernaturali concurſus ignis elementalis, ignis terreſtris, purgatorij & inferni. Per infernalem reprobi adurentur. Per purgatorium iuſti purgabuntur. Per terreſtrem terræ naſcentia & bruta conſumentur. Per elementalem elementa ſubtiliẽtur. Iuſtis autem nihil nocebit, ſicut tribus pueris

Antichriſtus ſex modis fideles decipiet.

tis in camino ignis non nocuit. Horum trium ignium erit actio ſucceſſiua, habebit enim initium, medium & finem. Primo namque iudicis aduentum præcedet, & quaſi ſimul fiet per illum ignem purgatio iuſtorum & punitio malorum, & incineratio corporum humanorum. Quo facto ſtatim erit reſurrectio mortuorum, & aduentus Chriſti ad iudicandum. Et tunc ex illo igne inflammabitur totus mundus in circuitu, eritque valdè terribile tam magnum ignem cernere, iuxta hoc: *Ecce Dominus in igne veniet & in flamma ignis*. Terminato verò iudicio tota caliditas exequetur ſententiam iudicis, inuoluet reprobos, & trahet eos ad infernum, qui ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Poſt hoc erit cœlum nouum & terra noua. Sol autem ſtabit in parte ſua orientali, & luna in parte occidentali, vt dicit Richar. de media villa ſuper 4. ſententiarum. Sed ſi quæris. Quare per tantum ignem erit purgatio mundi? Reſpondeo quod ſicut contra ardorem luxuriæ induxit Dominus diluuium aquæ ad refrigerandum, ita inducet ignem contra teporem charitatis ad inflammãdum. *Tunc enim refrigeſcet charitas multorum*.

Iſaia vlt. — *Deut. 32.* — *Matt. 24.*

Ad tertium cum quæritur, an prolatio ſententiæ illius iudicij fiat vocalis. Videtur enim quibuſdam quod non. Quia dicit Auguſtinus, Deus conſcientias reproborum conuincet ſine vlla ſermonis prolixitate. Et idem li. eodem cap. 15. dicit quod omnes iudicabuntur ex lib. vitæ, vt dicitur Apoc. 20. Per librum autem vitæ intelligit quandam virtutem diuinam per quam vnicuique ſua facta oſtendentur. Item Roma. 2. dicitur. *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorũ, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium.* Sed in contrarium videtur eſſe beatus Gregorius, qui dicit quod illa verba iudicis audient illi qui eius fidem ſaltem verbo tenuerunt. Item Aug. l. 20. de ciuitate Dei ca. 1. dicit. Per quot dies tendatur illud iudicium, incertum eſt, ſed ſi fieret mentalis, ſtatim expediretur, ergo erit illa ſententia vocalis. Reſpondeo breuiter ſecundum Thomam & Robertum Holcoth, quod illud iudicium quoad diſtinctionem bonorum & accuſationem malorum & commendationem bonorum mentialiter perficietur. Et ſic ille proceſſus Matth. 25. *Eſuriui & dediſtis mihi manducare* erit mentalis. Sed Holcoth dicit, Salua reuerentia ſancti Thomę quod erit tã vocalis quã mẽtalis, quia Chriſtus qui iudicabit erit Deus & homo. Et ideò vt Deus iudicabit mẽtaliter, vt homo vocaliter. Et hoc erit maius gaudium ſẽſibile bonorũ & maior dolor ſenſibilis malorum. Et ita ipſe dicit quod erit vocalis accuſatio malorum & vocalis ſententia. Dicit etiam ipſe quod reprobi iudicabuntur de duobus, ſcilicet de præceptis iuſtitiæ & operibus miſericordiæ; hoc eſt, quia præcepta tranſgreſſi ſunt iuſtitiæ, & operibus miſericordię non redimerunt peccatum. Prima ergo ſententia de meritis erit mentalis. Secunda de operibus miſericordiæ erit vocalis, vt appareat eos eſſe dignos miſericordia. Quod autem dicit Aug. de ſermone, non negat ſermonem, ſed ſermonis prolixitatem. Et etiã quia & ſi non in particulari, ſaltem in vniuerſali iudicabuntur vocaliter.

Aug. l. 20. de ciuit. Dei c. 26. — *Greg. lib. 26. moral. cap. 11.* — *D. Thom. 4. ſent. diſt. 47. q. 1 ar. 1.* — *Holc. ſup. l. Sap. c. 5.*

DE EADEM DOMINICA, SERMO II.

Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis. Luc. 21.

Aug. l. 2. cont. Pelagium.

QVAMVIS vt ait Auguſtin. quando timore pœnæ non amore iuſtitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum. Et huius dicti poteſt eſſe ratio, quia opus bonum præcedẽs ex timore, nõdũ perfectũ eſt, eo ꝙ nõ ꝓcedit ex caritate, ſine qua nihil poteſt eſſe ꝑfectũ. Hinc dicit Ioh. in canonica ꝙ ꝑfecta charitas foras mittit timorem. Vnde patet quod opus præcedens ex timore, ideò eſt imperfectum, quia eſt inualidum & infirmum ſeu debile, cum ſit ſine charitate, quę ſola dat robur perfectũ cuilibet virtuti.

1. Cor. 15.

Verun-

Veruntamen etſi ſalus humana non poteſt perfectè haberi ex ſolo timore ſeruiendo DEO, timor tamen Dei & iudiciorum eius eſt initium humanæ ſalutis ad ſeruiendum Deo incitans. Vnde dicit Gregorius quod via Dei à timore incipit, per quem peruenitur ad fortitudinem ſcilicet caritatis. Hinc dicit Caſſiodorus quod principium noſtræ ſalutis ſapientięque ſecundum ſcripturas eſt Deum timere, ex quo timore vniuerſa vitia expelluntur & virtutes fructificant atque ſuccreſcunt, ita quod tandem deuenitur ad perfectionem caritatis, prout hoc clarè deducit beatus Anthonius in collationibus patrum. Ex quibus ego infero quod ſicut nullus poteſt eſſe conſummatus in caritate perfecta diuinæ dilectionis ſine vero amore Dei, ita nemo poteſt initiare viam ſalutis & diuinæ dilectionis niſi per timorẽ Dei. Nam dicit Bernardus: Quia ſicut plenitudo legis eſt dilectio, ita initium ſalutis timor Domini. Et ob hoc dicit Chryſoſtomus quod timor Dei mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſeruat, properam tribuit facultatem, quæ omnia ſunt initia humanæ ſalutis, & quædam præparationes ad amorem Dei. Vnde Caſſiodorus concludit quod qui Deum bene timet, etiam neceſſe eſt vt eum amet. Et èconuerſo. Qui Deum bene amat, etiam neceſſe eſt vt eum timeat, eo quod illę duæ res in vna cœleſti deuotione ſociatæ ſunt. Et quia ſancta mater Eccleſia Dominica præcedenti recoluit aduentum Domini in carnem, multum amabilem & deſiderabilem, propter quem Deus merito erat diligendus, eo quod venerunt homini omnia bona pariter cum illo. Nunc in iſta Dominica recolit alium aduẽtum terribilem ad iudicium vltimum, propter quem Deus merito eſt formidandus, vt ſic qui Deum nondũ diligit per amorem, ad diligendum eum & ſibi ſeruiendum moueatur per timorem. In primo enim aduentu erat Dominus dulcis, ſed in ſecundo erit rectus & iuſtus, ſecundũ hoc *Dulcis & rectus Dominus*. Super quo Caſſiodorus dicit. Cum audis quia Dominus tuus *dulcis* ſit, attende quod diligas. Cũ audis, *rectus*, attende quod timeas, vt timore & amore DEI excitatus legem eius cuſtodias. Et Hugo dicit. Si amor Dei tenere te non poteſt, ſaltem teneat & terreat timor iudicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, ſulphur fetens, flãma tartarea, & omnia mala. Hæc ille. Et quia Deus licet apparebit in iudicio cum non ſperatur, tamen omnibus vult innoteſcere propinquum diem aduentus ſui, vt homines ſe præparent: quod vtique ex maxima miſericordia faciet, ideo præmittet quædam ſigna propinquum aduentum ſuum nunciãtia, de quibus in verbis præmiſſis dicitur. *Erunt ſigna in ſole &c*. In quibus verbis tria tanguntur ſeu nobis conſideranda occurrunt. Primo namque conſiderandum eſt de ſignis in ſole. Secũdo de ſignis in luna. Tertio de ſignis in ſtellis. Et quia de his aliquãtum tactum eſt ad litteram in præcedenti ſermone, ideo hic videndum eſt ſpiritualiter de eiſdem. Nam ſecundum Auguſtinum in ſpiritualibus expoſitionibus, veritas multo magis concordat quam in corporalibus. Secũdum igitur hoc notatur in verbis pręmiſſis triplex defectus in tribus ſtatibus ante conſummationem ſeculi, ſcilicet in ſupremo, medio & infimo. Primo igitur deſcribitur defectus in ſupremo, ſcilicet in ſpirituali prçlatorum, cum dicitur: *Erunt ſigna in ſole*. Secũdo in medio, ſcilicet ſecularium rectorum cum dicitur, *in luna*. Tertio in infimo ſcilicet omnium indifferenter ſubditorum, cum dicitur, *& ſtellis*.

Greg. li. 5. moral. *Caſſiod. lib. 4. de Inſt. mon.* *Bern. ſer. 38. ſup. Cant.* *Chryſ. ſerm. de S. Ioan. Bapt.* *Caſſiod. ſup. Pſal. 33.* *Sap. 7.* *Eccleſia cur hoc Euangelium ſubiungat præcedenti.* *Hugo lib. de ani.* *Propoſitio.*

I.

Erunt ſigna in ſole. Circa quod ſciendum quod notanter dicitur in themate *Erunt ſigna*, ad innuendum quod hic non loquitur de quibuſcunque ſignis diuinis, ſed tantum de futuris, vnde nõ dicitur. Erant ſigna, nec dicit ſunt, ſed dicit erunt. Deus enim humano generi multa ſigna oſtendit. Quædam de præterito, quædam de præſenti, quædam oſtendet de futuro. De præterito oſtendit ſigna ſuæ beneuolentiæ, ad præſens oſtendit ſigna reminiſcentiæ, ſed in futuro oſtendet ſigna præuidentiæ. Signa beneuolentiæ ſunt omnes creaturæ factæ & creatæ homini ad ſeruiendum. Eſt enim ſignum quod vnum offert ſenſui & aliud derelinquit intellectui. Et ita omnis creatura ſenſibilis ſeipſam offert ſenſui, & Deum repræſentat intellectui cuiuslibet boni viatoris. Vnde ſecundum Robertum

Deus hominibus qualia ſigna oſtendit.

Serm.59. in collat. Linconienſem Epiſcopum, omnis creatura ſpeculum eſt, de quo reſultat ſimilitudo creatoris. Et iſtud deducit per longum paſſum, probans quod ex quo in qualibet creatura relucet potẽtia Patris, per quam de nihilo aliquid facta eſt. Sapientia filij per quã ſic pulchrè facta eſt. Bonitas ſpiritusſancti per quam in eſſe ſuo conſeruata eſt & in ordine ſuo collocata, patet quod omnis creatura eſt ſignum benignitatis ſui creatoris. Deus enim volens communicare bonitatẽ ſuam creaturis ſuis, impreſſit cuilibet creaturæ veſtigium ſuum per quod repræſentaret benignitatẽ Dei in ſapientia, repræſentando amaret, & perpetuo ipſo frui appeteret. Et ideò dicitur, omnis creatura eſt ſignũ benignitatis Dei, vel quia benignitatem Dei oſtendit in ſe, vel quia ex benignitate Dei data eſt homini.

Alia ſunt ſigna reminiſcentiæ, ſicut ſeptẽ ſacramenta Eccleſiæ, per quæ reducimur in memoriã paſſionis Dominicæ. Hinc loquẽs Chriſtus de ſacrificio corporis tanquam de *Matth. 25.* memoriali paſſionis ſuæ ſigno dicit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quaſi dicat, hoc eſt ſignum meæ paſſionis. Hinc dicitur ad Hebr. 2. quod ſalus noſtra firmata eſt cõteſtante Deo ſignis & portentis & varijs virtutibus, & ſpiritusſancti diſtributionibus. Alia ſunt ſigna præuidentiæ quæ dabit Deus ad ſecundũ aduentũ ſuũ, ne omnino veniat peccatoribus improuiſus. Inter quæ ſigna euidentiſſimum ſignum erit in ſole Luna & ſtellis. Quod quidẽ licet ad litterã ita futurũ ſit immediate ante diem iudicij in cœlo viſibili, nihilominus tamen primo ſpiritualiter his heu malis temporibus impleri non dubitatur in cælo ſpirituali & intellectuali. Et quia ſolẽ hic accipimus ſtatũ altũ & ſupremum ſpiritualiũ perſonarũ, ideò primo videamus de cœlo in quo ſol iſte poſitus eſt. *Bern. ſer. 28. ſuper Cant. Eccleſia cælo comparatur.* Cælum igitur vt dicit Bern. eſt ſancta mater Eccleſia quæ ſanctorũ virtutibus & ſapientia velut cęlũ ſuis ſyderibus adornatur. Qui enim docti fuerunt in Eccleſia, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiã erudiũt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sicut n cælũ eſt conſpicuũ, purũ, firmum latum, ſuſpenſum, ita Eccleſia ſancta habet homines vita & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos. Et hi ſunt pluẽtes pluuiã ſalutarem, & tonant increpationibus, choruſcant miraculis, & enarrant gloriã Dei. Hæc ille. In hac ergo ſancta Eccleſia, velut in quodã myſtico ſol eſt ſtatus ſpiritualiũ virorũ & prælatorũ. Sicut enim *Geneſ. 1.* ſol præeſt diei & luna nocti, ſic ſtatus ſpiritualis præeſt in ſpiritualibus & potioribus bonis animæ, quæ ſunt quaſi lux diei. Sol vocatur dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi & color cæli. Luna verò, id eſt, ſtatus ſæcularis præeſt temporalibus quæ ſunt quaſi nox, eo quod omnia temporalia ſunt vmbra noctis. Iuxta *Sap. 5.* illud. *Tranſierunt omnia velut vmbra.* Item ſicut ſol illuminat & non illuminatur, ſic ſtatus ſpiritualis habet informare ſecularem, & non ab eo informari. Vnde præ- *Matth. 5.* lati ſpirituales dicuntur lux mundi, habet enim ſtatus ſpiritualis iudicare & dirigere ſecularem, & non econuerſo. Iuxta illud. *1. Cor. 2.* *Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt, ſtultitia enim ineſt illi.* Spiritualis autem omnia diiudicat, & ipſe à nemine iudicatur. Vnde *Cant. 2.* dicitur de eccleſia: *Pulchra vt luna electa, vt ſol.* Illuminatur enim in ſubditis vt luna, ſed illuminat in prælatis vt ſol. Ex his infero, primo quod imperium non præeſt ſacerdotio ſed ſubeſt. Secundo infero quod ſpiritualis ſtatus excedit ſecularem in maxima & diſſimili proportione, & patet, quia tanta eſt excellentia dignitatis ſacerdotalis ſupra temporalem, quãtus eſt exceſſus magnitudinis ſolis ad Lunam. Conſtat autem ſecundum Ptolomeum quod ſol excedit Lunam quadrageſies octies, & tanta eminentia excedit ſpiritualis dignitas ſecularem. Ita notauit. *Hoſti. in ca. Solitæ de maioritate & obedientia in apparatu ſuo.* Ex his tertio infero quod prælati ſpirituales & viri Eccleſiaſtici *Prælati in multis debent alios excellere.* debent eſſe excellentioris vitæ & ſanctitatis in maxima & diſſimili proportione, ſupra laicos. Patet hoc, quia ſicut excellunt dignitate, ita debent excellere ſanctitate, cùm ſanctitas vitæ ponat eos in illa excellentia officij tam ſancti. Alioquin vt dicit Canon. viliſſimus computãdus eſt qui præfulget dignitate, niſi præfulgeat ſciẽtia & ſanctitate. Ex quo patet cõſequẽter ꝙ ſpiritualibus viris non ſufficit vita cõmunis cum laicis, aut ęqualis conuerſatio ſanctitatis cum ſubditis, quia dicit Bernardus, dignum eſt vt in aliquo,

Bern. in epiſt. ad Henricũ Epiſcop. Zenonenſ.

Bern. lib. de conſ. 2. 2. cap. 22.

liquo diſſimilis appareat ab ouibus vita paſſionis. Et Seneca epiſtola 5. dicit. Illud agamus vt meliorem vitam ſequamur quam vulgus. Alioquin profectò multum deforme erit, ſi quos dignitate præcedimus ab his virtute ſeparemur. Hinc eſt quod Bernardus dicit, illum prælatum monſtruoſum, qui habet ſedem ſupremam, & vitam infimam. Non ſufficit ergo prælato ad ſalutem adæquari ſubditis in vita & conuerſatione, niſi eos præcedat exemplo. Penſandum igitur nobis eſt quod ſi non ſufficit prælato adæquari ſubditis in vita, quid dicemus de illo quem ſubditi præcellunt in conuerſatione & moribus? Certè hoc non eſt aliud niſi deſtruere Eccleſiam, vt dicit Hieronymus. Vehementer enim ſecundum eum deſtruit Eccleſiam Chriſti, meliores eſſe laicos quam clericos. Nam qualis erit ædificatio diſcipuli, ſi ſe intelligit Magiſtro meliorem. Quid autem dicemus de illo, qui nedum non tranſcendit ſubditos in moribus bonis aut eis adæquatur in vitæ ſanctitate, ſed quod deterius eſt, ipſis ſuis ſubditis per omnia aſſimilatur in morum prauitate & conuerſationis deformitate, vt ſit verũ illud Ozeæ. 4. *Erit ſicut populus ſic ſacerdos.* Et hoc eſt certè ſolem iſtum eccliſpari & conuerti de luce in tenebras, de die in noctem. Quod tunc fit quando viri ſpirituales aſſimilari ſtudent ſecularibus in vanitate veſtium, equorum, vaſorum, ædificiorum, familiarium & victualium. Quod prodolor eſt videre ad oculum iſtis temporibus, quando viri ſpirituales æqualem exercent, imo maiorem pompam in veſtibus, ſuperfluitatem in cibis & potibus, beſtialitatem in Luxuria, fraudem in commercijs, dolum in verbis, auaritiam in pecunijs, ambitionem in honoribus. Æqualiter enim volunt eſſe hodie clerici diuites vt laici, ſimiliter terrenis inhiant, immo abundantius ipſam terrenorum percipiunt conſolationem. AEqualiter incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo. Vnde autem iſta affluentia talibus niſi de bonis ſponſæ Chriſti ſanctæ Eccleſiæ, quam negligentes ſibi ipſis omnia vſurpant, & aſſignata eius cultui, proprio retinere quæſtui non verentur, non amici ſponſæ, ſed æmuli. Verba ſunt non mea, ſed deuotiſſimi Bernardi. Et tales dupliciter peccant ſecũdum eundem; quia & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus abutuntur.

Bern ſer. 73. in Cant.

Sed quoniam in ſtatu ſpirituali triplex eſt ordo, ideò videamus in ſpeciali de quolibet illorum qualiter in vnoquoque erunt ſigna tanquam in ſole myſtico. Eſt igitur quilibet prælatus Eccleſiaſticus ſol dictus ſingulariter ſecundum intellectum ſpiritualem. Secundo quilibet religioſus eſt ſol dictus ſpecialiter. Et tertio quilibet clericus generaliter eſt dictus ſol. Quorum quilibet ante diem magnum iudicij generalis oſtendet in ſe ſigna, quibus apparentibus propinquus nunciabitur ad iudicium finale Chriſti aduentus. De primo ſcilicet, de ſole ſingulari qui eſt quilibet prælatus, patet. Nam ſol iſte naturalis eſt, ſitu communior, aſpectu clarior, & gradu excelſior. Propter primum ſcilicet quod eſt ſitu communior, ſignificat vitam cuiuslibet prælati: propter ſecundum quod eſt aſpectu clarior, ſignificat vitam cuiuslibet religioſi: propter tertium quod eſt gradu excelſior ſignificat vitam cuiuslibet clerici. Eſt igitur ſitu communior quo ad vitam prælatorum. Nam ſecundum omnes Aſtronomos, Sol eſt medius omnium planetarum, & tamen eſt princeps & Dominus omnium. Vnde Ambroſius dicit quod Sol eſt oculus mundi, iocunditas diei, pulchritudo cæli, menſura temporum, virtus & vigor terræ naſcentiũ, Dominus planetarum, decor & perfectio omnium ſtellarum. Sic prælatus debet eſſe ſuperior vita, medius tamen communi influentia. Sic igitur prælatus ſubditis prouideat, vt exemplo Chriſti ſemper in medio ſedeat. Eſt enim mediũ capacius & efficacius, æqualius & euidentius. Sedeat igitur prælatus in medio vt beneficia æqualius diſtribuat. Sedeat in medio vt euidentius per exempla luceat. Sic primo dicet cum Chriſto: *Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.* Sic dicet, *In medio populi mei habito,* dixit bona mulier Heliſæo. Quod tunc fit prælatus nec prece nec precio, nec timore nec amore, vel odio à via veritatis declinat. Habet autem ſol materialis quatuor ſtatus, ſcilicet orientalem, meridionalem, occidentalem & ſeptentrionalem.

Prælatus eſt Sol. Religioſus item & clericus.

Ambr. in exam.

Prælatus qualis eſſe debeat.

4. Reg.

Tunc

Tunc eſt in meridie prælatus quando medium tenet in omnibus, non declinans ad dexteram in proſperis, nec ad ſiniſtram in aduerſis. quando non eſt alter diuitibus, alter pauperibus in iudicijs. Et quia tunc eſt hora diei feruentiſſima, per quod ſignificatur quod prælatus debet eſſe charitate feruentiſſimus. Alias ſine charitate, ſi linguis hominum aut Angelorum loquatur nihil prodeſt. Secundo tunc prælatus eſt ſicut ſol in oriente, quando totam affectionem conuertit ad conſanguinitatem, de qua traxit originem. Quod fit quando nullum niſi ſuũ promouet ad beneficia. De tali dicitur in in pſalm. *Ortus eſt ſol*, id eſt, prælatus eſt exaltatus, *& congregati ſunt*, ſcilicet ad eum conſanguinei, *& in cubilibus ſuis*, id eſt, in beneficijs *collocabuntur*. Vel ortus ſolis ſignificat ingreſſum in prælationem, qui tunc obſcuratur, quando per potentiam pecuniã vel alias iniuſtè ingreditur. De quo Iſa. 13. *Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo*. Tunc prælatus ſicut ſol eſt in occidente, quando habet totam affectionem ad delectationem carnalem. Caro enim ſemper tendit ad occaſum & corruptionem, iuxta illud. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*. Tunc prælatus ſicut ſol eſt ad aquilonem, quod fit tempore noctis, quando imminente aduerſitatis obſcuritate timet timore vbi non eſt timor. Inter omnes tamen iſtos ſitus, ſol nunquam eſt in meliori diſpoſitione quam in meridie. Nam tunc clarius illuminat, ardentius inflammat, & omnibus æqualius ſe communicat. Sic prælatus nunquam eſt in meliori diſpoſitione, niſi cum per doctrinam ignorantes illuſtrat, per charitatem negligentes excitat, per opera bona vnicuique iuſtum ſe demonſtrat. De tali poteſt dici *Vas admirabile opus excelſi ſol in aſpectu annũcians*. Sed ecce mirabile eſt quod legitur in Amos ſignum terribile, vbi dicitur quod ſol occidit in meridie, quæ eſt hora quæ deberet eſſe ſerenior, clarior & feruentior. Occidit autem prælatus quadrupliciter. Primo quando in ipſo veritas vitæ, iuſtitiæ & doctrinæ corrumpitur. Secundo quando deficit in eo veritas bonitatis ſcientiæ & diſciplinæ. Tertio quando qui poſitus eſt alijs in exemplum, conuertitur in ſcandalum & offendiculum, quo præiudicio apud Deũ nullum maius eſt. Quarto occidit prælatus quando ecclipſante ipſo per negligentiam in ſubditis, fides non feruet ſed tepet, caritas non feruet ſed torpet, opus non lucet ſed fętet. Heu heu iſta ecclipſis & obſcuritas noſtris temporibus inualeſcit. Nubes enim ambitionis, vanitatis, auaritiæ & negligentiæ obſcurant nobis hunc ſolem prælatorũ, vt impleatur illud quod promiſſum eſt à Deo. *Solem nube tegam*, quia fragilitas nubis vanitas eſt ambitionis. Et certe quid expectamus aliud niſi diem iudicij imminere, de propinquo, quo imminente ſol conuertetur in tenebras, vt dicitur Ioel 3. Quando videmus tot mala in ſtatu ſpirituali, & in hoc myſtico ſole, qui lumen ſuum perdit & ecclipſatur quaſi continuè, reſtat ſolum vt vicinum aduentum Chriſti ſuſpicemur. Nam vt dicit Gloſſa ſuper Iohelem. Cum omnia fuerint obtenebrata, quod vtiq; fiet per obtenebrationem ſpiritualium principaliter, tunc Dominus quaſi Leo de Syon, terribili voce clamabit contra reprobos, vt terrarũ fundamenta quatiantur. Hæc gloſſa.

1. Cor. 13.

Ezech. 35.

Eccl. 43.

Secundo ſol myſticus dicitur ſtatus religionis propter aſpectum clariorem. Religioſus enim quilibet ad hoc poſitus eſt, vt luceat in candelabro religionis ſuæ. Tertio in candelabro vniuerſalis Eccleſię, debet enim habere verbum veritatis in operatione, & ſignum honeſtatis in conuerſatione. De tali dicetur, *Quaſi ſol refulgens*, ſic ille refulſit in templo Dei. Sed tunc iſte ſol ecclipſatur, quando per ſcandalum vitæ talis religioſi Eccleſia denigratur. Periculũ eſt religioſo, ſi apud ſe in conſcientia labitur, maius autem periculum ſi peccat in clauſtro, ſed maximum ſi operibus malis fideles ſcandalizat in publico. Et certè ſi aperiamus oculos, videbimus iſtum ſolem maximè his temporibus ecclipſari, ita vt dicatur de eo, *Sol factus eſt ſicut ſaccus cilicinus*: quod fit quando religioſi qui deberent vti cilicijs & accingi ſaccis, vtuntur delitioſis indumentis, & ſic cilicium vertunt in byſſum. *Vel factus eſt cilicinus ſaccus*, quod fit quando per hypocriſim exteriorem quæ apparet in ſacco, malis operibus deformant interius conſcientiam propriam. Secundum Philoſophos duo ſoles interdum apparent in cœlo, ſed vnus eſt quædam nubes ſimilima ſoli & non eſt ſol,

Religioſus qualis eſſe debeat.

Eccl. 50.

Apoc. 6.

vocatur

vocaturque pellion, & eſt ſignum futuræ inundationis. Ita ſpiritualiter multi religioſi apparent eſſe ſancti, tamen ſunt maximi nequam, geſtantes tantū cappas in plateis, & multa mala faciunt in angulis. Quorum multiplicatio in mundo eſt ſignum futuræ ſubuerſionis. Vnde legitur quod mortuus eſt Achab Rex Iſraël mutato habitu occidente ſole. Mutatur habitus & ſol occidit cum religioſus terrenis adhærens, fideles ſcandalizat. Sed de his ſufficiat dixiſſe pauca, non enim ſunt de foro noſtro, & potius tegenda ſunt verenda quam reuelanda, iuxta illud Poetæ. *Poſtulat in facie menda colore tegi.*

2. Paral. 18.

Tertio ſol myſticus dicitur vita cuiuslibet clerici propter gradum celſiorem. Sicut enim ſol materialis alijs corporibus eſt ſitu altior & ſtatu eminentior, ſic clericus quilibet ſorte ſuæ vocationis & electionis alijs debet præeminere. Vnde in lege clerici figurantur per nazareos, qui interpretātur ſancti, mundi, vncti vel floridi. Debet enim clericus eſſe ſanctus in conſcientia, mundus pudicitia, vnctus ſapientia & floridus innocentia. Tales cum huiuſmodi fuerint erunt ſicut ſol oriens in altiſſimis Dei. Clericus vt dicit Hieronymus dicitur in ſortem Domini vocatus, eo quod ſecundum Iſidorū cleros græcè, ſors latinè vt dicitur 21. diſt. Cleros. ad ſignificandum quod ipſi ſunt ſpecialius Deo aſſcripti, & in ſortem ſuam vocati. Vnde ipſi tenentur DEVM magis diligere quam alij. Et cauſa eſt, quia clarius habent cognoſcere, de pluribus gratias agere, plura beneficia recognoſcere. Sed prohdolor iſte ſol obſcuratur, ſicut dicitur in Apocal. *Sol & aer obſcurati ſunt de fumo putei. Sol* clerus, *aer* populus, *Puteus* concupiſcentia, *Fumus*, nequitia. Sicut enim aer illuminatur à ſole, ſic populus à clero. Sed quando de puteo conſcientiæ corruptæ clericorum & malitia vitæ procedit fumus ſcandali & infamiæ in ſubditos, tunc ſol & aer, id eſt, vterque ſtatus denigratur. Clerus namque per propriā nequitiam, & populus per nequitiam cleri deformatur Sicut cæcus cæcum ducens ambo in foueam cadunt.

Clericus qualis eſſe debeat.

Eccl. 26.

II.

Seculares comparātur Lunæ.

Erunt ſigna in luna. Bene autem ſtatus ſecularium comparatur lunæ propter continuam mutationem, quia nunquam eſt in eodē ſtatu; quandoque eſt vacua ſuperius & plena inferius, aliquādo plena tota, & quādoque nulla. Ita ſeculares Domini & temporales poſſeſſores, vacui ſunt ſuperius quantū ad cæleſtia bona, ſed pleni ſunt inferius quātū ad bona tēporalia. Vnde in talib⁹ eſt peruerſus ordo, eo quod in eis Domina eſurit & ancilla ſaturatur, anima vacua, caro autem repleta. Secūdo luna quādoque eſt plena, ſed poſtea fit tota vacua. Sic diuites & potentes huius mundi, quanto temporalibus ſunt magis pleni, tanto virtutibus vacui. Luna etiā eſt quandoque quaſi nulla, & hoc eſt quando coniungitur terræ. Sic diuites ſæculi quando coniungentur terræ in morte, nihil erunt, iuxta illud: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt, omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Et *Nihil intulimus in hunc mundum & nihil inde recipiemus. Sicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo.* Sunt autem plura ſigna in hac Luna nunciantia futurum propinquum aduentū Chriſti. Primum ſignum eſt, ſi cornua nouæ Lunæ fuerint obcęcata nube, & reliquum corpus lucidum, ſignum eſt tempeſtatis: immo ſi tempore veris appareat vnum cornu maculoſum, & macula magna & nigra duret à prima die apparitionis vſq; ad quintam, ſignificat tempeſtatem & aeris turbationem in futura æſtate. Sic moraliter ſi Domini ſeculares & temporales, qui vt Luna mutantur, in prælatione ipſorum ſeculari habuerint corpora prælationis nebuloſa nebula auaritiæ & terrenæ cupiditatis, ſignum eſt turbationis in populo. Nam ex auaritia talium, procedunt oppreſſiones ſubditorum per adinuentiones nouarum conſtitutionum, iurium & legum. Quando ergo videbimus multiplicari Dominos temporales, aut eorum præſides & officiales, procuratores & capitaneos, iudices & alios rectores regnorum, ducatuum, terrarum, ciuitatum, villarum, & ſic de alijs, auaros, raptores, calumniatores, inuētores cauſarum iniuſtarum, exquiſitores culparum, oppreſſores innocentum, tunc intelligere poterimus, quia dies Domini appropinquat, eo quod in Luna ſignum præcedet eum aduentum. O quantum deberent prouidere reges

1. Tim. 6.

Eccl. 5.

Eccl. 17.

Principes quales debeat ſibi eligere officiales. & principes de bonis officialibus, iudicibus & rectoribus populi ſui. Nam quid eſt dare prælationem in populo homini ſtulto aut auaro, niſi gladium furioſo, ait Seneca. Impoſſibile eſt enim vt alios vtiliter regat, quē proprius error ſubuertit. Proinde Moyſi dicitur vt prouideat ſibi viros timentes Deū, odientes auaritiam. Crede mihi quod tot mala in ſubditis quę communiter videmus, non oriuntur aliunde quam de peccatis principum aut officialium ipſorum. Lege hiſtoriam Numerorum, & videbis quia propter peccatum Zambri qui fuit vnus ex principibus Iſraël, in totum populum ira Dei deſęuit, nec ceſſauit donec Phinees vindicauit peccatum in Zambri, eumque pugione perforauit. Inde ſermo ad Moyſen à Domino egreſſus eſt, vt tollat cunctos principes & ſuſpendat eos in patibulo contra ſolem. Quod tractans Policratus li. 5. c. 10. dicit quod rapi principes ideo præcipiuntur, eo quod negligentia præſidentium ſæpiſſimè prouenit exceſſus ſubditorum. Et certè iſtud vitium ſcilicet auaritiæ, hodie maximè ecclipſat hanc lunā. Vnde Apoc. 5. dicitur quod Luna facta eſt ſicut ſanguis, quod de ſanguine peccati intelligēdum eſt, & maximè rapinæ & auaritiæ rapacitatis & crudelitatis. Iuxta illud. *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Et *In alis tuis inuentus eſt ſanguis.* *Iſa. 1.* *Ierem. 2.* Quod tunc fit quando potentes huius ſeculi alas ſuæ potentiæ, ſuperbiæ & pompæ dilatant rubricati purpura, ſcarleto aut examento, in veſtibus colorati incedunt de labore, ſanguine & ſudore pauperum. Notanter autem dicit *In alis tuis*, quaſi comparando eos potius aui prædariæ vt falconi & non homini. *Secularis ſimilis Falconi.* Tales enim ſunt Falcones diaboli, quia portantur ſuper pugnum diaboli, quia conſtituuntur in eorum officijs iniuſtè. Vnde locus ſtatus & gradus quæ habent eſt per manum diaboli. Caueant tamen ſibi tales quia in duplici periculo ſunt. Habent enim oculos coopertos quodam velamine, ne circa ſe conſiderent. Et habent pedes laqueatos quodam ligamine, ne à Domino ſuo auolēt, niſi quando placet Domino pro ſolatio ſuo & lucro. Ita eſt de iſtis ſæcularibus potentibus qui excæcati ſunt ad omne illud quod ad veram & perpetuam fęlicitatem pertinet, qui non habetur in vita iſta, Deus enim huius ſeculi excæcauit mentes infidelium. *2. Cor. 4.* Quoniam tamen placet diabolo, deponit eis omnem cæcitatē, vt iſta mūdialia venentur, & videāt prædam ſuā. Quo facto iterū redeunt ad manum diaboli, quia eius iuſſioni per omnia obtemperant. Sed quid contingit tali Falconi? dum viuit, in alto locatur; ſed cum moritur, turpiter eijcitur canibus ad deuorandum. Sic tales potētes poſt mortem eijcientur ad inferos. Baruch. 3. *Vbi ſunt principes gentium qui in nauibus cœli ludunt.* Sequitur. *Exterminati ſunt & ad inferos deſcenderunt, & alij in locum eorum exurrexerunt.* Nota quod tales ſunt deteriores Falconibus qui non prædantur niſi cū eſuriunt, ſed iſti omni tēpore. Vnde Aug. *Aug. lib. 2 de ver. Dom. ſerm. 2.* Nihil nobiſcū tollimus & tamen rapimus, quod ſi aliquid toleremus, nonne viuos homines voraremus? Quæ eſt auiditas concupiſcentiæ, cum ipſæ beluæ habent modum. Tunc rapiunt cū eſuriunt, parcunt vero prędæ cum ſenſerint ſatietatem. Inexplebilis eſt ſola auaritia diuitum, ſemper rapiunt & nunquam ſatiantur, nec Deum timent, nec hominem verentur. Hæc ille. Luna non ecclipſatur niſi per interpoſitionem vmbræ terræ inter ipſam & aſpectum noſtrum. Vmbra terræ, ſunt iſta temporalia, *Tranſierunt omnia velut vmbra*, *Sap. 5.* quæ quanto plus interponuntur inter oculum cordis in ſecularibus, tanto plus ecclipſantur in conſcientia, iuxta illud: *Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum &c.*

III.

Et ſtellis, Sicut enim ſoli comparantur prælati ſpirituales, propter morum & exēplorū reſplēdentiā: & lunæ Domini temporales, propter eorū in ſubditos influentiam, ita ſtellis comparantur ſubditi & omnes fideles Chriſti propter ipſorum vitæ relucentiā. *Subditi comparantur ſtellis.* Sicut enim ſtellæ de nocte lucent, ita inferiores in nocte ignorantiæ ſecundum ſuas viciſſitudines ſtatus & conditiones illuminant mundum, & lucent in Eccleſia Chriſti per fidei & operationis bonæ meritum. Iuxta illud. *Species cæli gloria ſtellarum mundum illuminans.* *Eccl. 43.* Conſiderantur autem in ſtellis quatuor, quæ debent eſſe in quolibet Chriſti fideli ſi vult dici vera ſtella, quæ ſunt actus naturalis, effectus accidentalis, motus circularis, & curſus regularis. *In ſtellis quatuor conſideranda.* Lu-

cens

ceat enim ſtellæ naturaliter, illuminant accidentaliter, mouentur orbiculariter, currunt indeclinabiliter & regulariter. Sic fideles debent lucere in ſeipſis per puritatem conſcientiæ, illuminare alios exemplo bonæ vitæ & claritate famæ, moueri orbiculariter, id eſt, faciliter per promptitudinem obedientiæ, & hoc quantum ad ſuos ſuperiores; currere regulariter quo ad Deum per ordinem intentionis rectæ. De primo, *Ego ſum radix Dauid ſtella ſplendida & matutina. Splendida*, vt non ſit concupiſcentia in affectu, laſciuia in aſpectu, immundicia in tactu, luxuria in actu. Ecce actus naturalis ſtellæ. Iſti enim ſunt actus naturalis innocentiæ cuiuslibet hominis. De ſecundo ſcilicet affectu accidentali dicitur. *Stella antecedebat eos.* ſcilicet Magos, *donec veniens ſtaret ſupra domum vbi erat puer*. Stella ſecundum Philoſophum nihil aliud eſt, niſi lux ſui orbis diffundens circumquaque radios ſuæ claritatis. Et fideles quique debent diffundere lucem ſui nominis & famæ, adducendum exemplo ſuo alios ad Chriſtum. Iuxta illud. *Sic luceat lux veſtra vt videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt*. Et Apoſtolus dicit quod nobis neceſſaria eſt vita noſtra, proximis verò fama noſtra. De tertio ſcilicet motu circulari dicitur. *Stellæ dederunt lucem in cuſtodijs ſuis, vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus*. Quod fit quando quiſque fidelis reddit ſe promptum & obedientem ad præceptum ſui ſuperioris, iuxta illud pſalmi *In auditu auris obediuit mihi*. Vnde Bern. Verus obediens non procraſtinat, non protrahit, ſed parat aures auditui, oculos viſui, pedes greſſui, & ſic de aliis. De quarto ſcilicet curſu regulari dicitur. *Stellæ manentes in ordine ſuo & curſu ſuo contra Zizaram pugnauerunt*, id eſt, contra Diabolum, qui interpretatur excluſio gaudij, quia nititur nos excludere de gaudio. Quod melius fieri non poteſt niſi per regularem curſum, id eſt, per rectam intentionem ad Deum, non ſicut hypocritę, qui faciunt omnia vt videantur ab hominibus. Sed prohdolor hodie iam incipiunt fieri ſigna etiam in ſtellis, eò quod ſtellæ, id eſt, fideles quidam quodammodo retrahunt ſplendorem ſuum, quidam obtenebrantur, & quidam cadunt. Retrahunt ſplendorem illi, qui multa bona poſſent facere eleemoſynis & alijs ſubſidijs pauperibus & defectuoſis, ſed ex auaritia & tenacitate retrahunt manum, vnde de ipſis dicitur. *Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. Obtenebrantur illi, qui cum multa bona fecerunt, committunt vnum mortale peccatum, quod totum ſplendorem virtutum obfuſcat, de quo Iob. 25. *Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius*. Cadunt illi, qui poſt perpetrationem culpæ deſperant de venia. Vnde Apocal. 8. *Stella magna*, ſcilicet per ſuperbiam, *cui nomen abſinthium, cadens quaſi facula cecidit in aquas*. Nos igitur videntes hæc ſigna timeamus Domini vicinum aduentum, & eum ſolicitè expectemus, vt tandem eum venientem iudicem ſecuri videamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Amen.

Apoc. 22. — *Matth. 2.* — *Stella quid.* — *Baruch. 3.* — *Iudic. 5.* — *Matth. 6*

DE EADEM SERMO III.

Leuate capita veſtra quoniam appropinquabit redemptio veſtra. Luc. *21.*

DICIT Auguſt. hoc quod nos lætificat in omnibus laboribus & periculis vitæ huius, eſt amor noſter in Deum & pium ſtudium & certa ſpes & feruor. Intendit per hoc, quod inter preſſuras & tribulationes noſtras, homo per charitatem & ſpem refrigeratur & quodammodo eleuatur à depreſſione triſtitiæ. Et quia in ſecundo aduentu Domini noſtri ad iudicium erit grauis tribulatio, qualis non fuit ab ini-

Matth. 24.

ab initio ex quo gentes eſſe cæperunt, ideò maximè opus eſt tunc firma ſpe & perfecta charitate in Deum, ſpes enim eſt quæ ſola in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala quæ tolerat ſentit. Vt igitur tunc homines non deijciantur per deſperationem, ſed potius erigantur ad Deum per ſpem, informans Saluator quid facturi ſint ſui fideles tempore huiuſmodi tribulationis, hortatur eos ad erectionem animi dicens: *Leuate capita veſtra.* In quibus verbis tria tanguntur. Primo namque hortatur fideles ſuos hoc ſacro tempore ad mentis erectionem, cum dicit. *Leuate capita veſtra.* Secundo animat eos per aduentus ſui approximationem, cum addit, *quoniam appropinquabit*. Tertio repromittit eis æternam conſolationē, cū ſubiungit, *redemptio veſtra.*

Propoſitio.

I.

Hortatur fideles ſaluator ſuos hoc ſacro tempore ad mentis erectionem, quia anima noſtra incuruata eſt per originalem infirmitatem, ita vt non poſſit ſurſum reſpicere, ſicut conqueritur Pſalmiſta. *Miſer factus & curuatus ſum vſque in finem. Miſer factus ſum,* quia ſapientiam & ſcientiam amittens, inſipientia & miſeria repletus ſum, *& curuatus ſum,* quia doloribus in mortem, quaſi dicat, quia enim per ſuperbiam fui erectus volens eſſe vt Deus, ideo ſum in mortem curuatus. Sequitur, *tota die,* id eſt, tota vita *contriſtatus ingrediebar,* de peccatis quę feci, & de malis quæ patior, Et quia per Chriſti aduētum primū liberati ſumus iā à culpa, & in futuro liberandi per ſecundū aduētū à miſeria, ideo ſaluator bene admonet ad abijciendam huiuſmodi triſtitiam quæ cauſat vultus deiectionem, & ſuadet mentis erectionem dicens: *Leuate capita veſtra.* Sed nonne homo ſemper eſt rectus & capite ſurſum incedens, quam ergo rectitudinem requirit Deus hic in eo? Reſpondeo ſecundū Bernardum quod in talibus locutionibus ſpiritus eſt qui loquitur, ſpiritualibus ſpiritualia comparans, ergo ſecundum animam non ſecundum carnem Deus requirit hominis rectitudinem. Secundum enim animam, Deus fecit hominem, rectum, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Ipſe enim ſecundum prophetam rectus eſt Dominus DEVS noſter, & non eſt iniquitas in eo. Rectus igitur Dominus rectum fecit hominem ſibi ſimilem ſine iniquitate, ſicut & in ipſo non eſt iniquitas. Ex quo infert Bernardus quod ſimilitudo Dei non eſt in carnali & lutea gleba hominis, ſed in anima. Iſtud patet quia iniquitas non eſt vitium carnis ſed mentis, ſine qua Deus creauit hominem. Verum tamen dicit ipſe quod etiam rectitudoo hominis in ſtatura exteriori non fruſtra ſic creata eſt, ſignificat enim iſta rectitudo exterior, illam interiorem rectitudinem in anima, quæ ideo ſtatura ſic recta facta eſt exterius, vt argueret & admoneret illum interiorem hominem in anima, ad ſeruandam ſuā rectitudinē à Deo ſibi concreatam, videlicet originalem innocentiam & iuſtitiam. Ex quo conſequēter patet ſecundum ipſum quod maxima verecundia & confuſione digna eſt anima, quæ ſenſus ſuos declinat ad terrena, cum corpus eius ſemper oculos habeat ad cæleſtia. Vnde talis anima non eſt iam cæleſtis naturæ, ſed ſcrofinæ eſt potius dicenda. Quæ enim debuit nutriri in croceis, amplexata eſt ſtercora. Et patet conſequenter, quod talis anima ſecundum Bernardum ibidem, indignè inhabitat corpus humanum, cum potius beſtijs & brutis aſſimilari vult quam diuinis ſpiritibus. Si ergo quæris quæ ſit curuitas iſta à qua ſaluator conſulit erigere caput mentis noſtræ, certè non alia niſi ſapere quæ ſunt ſuper terram, ſicut èconuerſo cogitare quæ ſurſum ſunt rectitudo eius eſt. Valde igitur homo deberet iſtam rectitudinem quærere, maximè hoc ſacro tempore aduentus; nam alias nō poteſt eſſe in Dei dilectione, quamdiu hanc rectitudinem non habet. Vnde dicit Bernardus quod animæ non habentes talem rectitudinem, non ſunt amicæ ſponſi, cum ſint amicæ mundi. Et talis omnis eſt inimica Dei. De amicis vero & dilectoribus Dei ſcriptum eſt, *Recti diligunt te.* Et in pſalm. *Laudabuntur omnes recti corde.* Rectus corde ſecundum Bernardum eſt, qui rectè in omnibus ſentit, & à recto quod ſenſerit in nullo diſſentiat: hoc eſt, qui in ſe & in alijs rectitudinem vitæ diligunt. Et hi ſunt in quibus fides operatur ex dilectione, & in quibus actio terrena non incuruat fidem, ſed fides erigit operationem. Ex quibus patet quod homo in peccatis exiſtens, non poteſt dic rectui

Pſal. 30.

Bern. ſer. 24. *ſuper Cant.*

Iacob. 4.

Cant. 1.

Rectus corde quis ſit.

rectus, fidelis, quia non eſt fides recta, ex quo iniquitates ſupergreſſæ ſunt caput eius, & ſicut onus graue grauatę ſunt ſuper eum. Ex quo enim iugum diaboli grauatum eſt ſuper eum, quomodo dicitur rect⁹? Duo igitur requiruntur ad hanc rectitudinem, ſcilicet operum rectitudo & fidei, nam alterum ſine altero rectum hominē nō poteſt facere, vt dicit Bern. Exempli gratia. Multi ſunt qui dant eleemoſynam ex deuotione, vel orare videntur deuotè, bona ſunt iſta opera & recta, ſed ſi tales tenent odium fraternum vel aliud peccatum in ſe habent, nō proſunt illa opera, quia nō rectè ſunt facta, cum ſint ſine fide recta operante per dilectionem. Quod ſi fortè dicunt tales ſe habere fidem ad Deum & dilectionem, ex qua hoc faciunt, certè mentiuntur, cum fides Dei ſine dilectione proximi ſtare non poteſt, & è conuerſo. Item è conuerſo habent multi fidem rectam, quia credunt omnibus quæ dicuntur de Deo, ſed nec iſti ſunt recti, quia non habent recta opera etiam ſi multa habeāt. Nam quomodo rectum opus quod cauſa vanæ gloriæ fit, quomodo rectum opus quod maculat fraterna inuidia, detractio, & ſimilia.

Bern. ſer. 25. ſup. Cant.

Ad quatuor oculi leuandi ſunt.

Vt igitur Chriſto exhortanti & admonēti ſatisfaciamus, quatuor breuiter ſunt facienda. Primo leuandi ſunt oculi cordis noſtri ad conſiderandum propria delicta. Secundo Dei beneficia. Tertio reproborum ſupplicia. Quarto iuſtorum diuina præmia.

1\. De primo quomodo leuandi ſunt oculi cordis noſtri ad conſiderādum delicta propria, ſcribitur Hiere. 3. *Leua oculos tuos in directum & vide vbi nunc proſtrata ſis.* Tria dicit. Primo, vt leuet oculos quos prius habuit in fæce terrenorum infixos. Pſalm. *Infixus ſum in limo profundi & nō eſt ſubſtantia.* & hoc quo ad derelictionem mali, quod pertinet ad incipientes. Secundo, vt eleuet eos non quocunque in obliquum ſed in directum, vbi eſt medium virtutis, quod pertinet ad adhæſionem boni, & pertinet ad proficientes. Tertio, vt conſideret vbi nunc proſtrata ſit, quod pertinet ad perſeuerantiam in bono, & pertinet ad perfectos, qui quanto plus proficiunt tanto plus proſternuntur & humiliantur.

2\. Secundo leuandi ſunt oculi cordis noſtri ad conſiderandum Dei beneficia, iuxta illud, *Si iniquitatē quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non permanſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia; tunc leuare poteris faciem tuam* ad Deum *ſine macula; & eris ſtabilis & non timebis*, propoſita tibi ſpe. Cum enim ab anima aufertur iniuſtitia, & non eſt propoſitum peccandi in conſciētia, ſtabit anima in bono, & tunc anima leuare poterit faciem ad Deum præcipiendo plura beneficia. Nam ex hoc conſequitur illuſtrationem mentis, renouationem virtutis, efficaciam orationis, & delectationē contemplationis. *Iob. 11.*

Tertio leuandi ſunt oculi cordis noſtri ad conſideranda reproborum ſupplicia. Scribitur de Dauide quod eleuās oculos ſuos vidit Angelum Domini ſtantē inter cœlum & terram, & euaginatum habētem gladium verſum contra Hieruſalem. Angelus iſte ſignificat Chriſtum, qui eſt medius inter cœlum & terram, quia mediator Dei & hominum, de quo dicitur: *Medius veſtrum ſtetit quem vos neſcitis.* Iſte habet euaginatum gladium, id eſt, ſententiam mortis omnibus reprobis paratam. *Gladiū ſuum vibrauit niſi conuerſi fueritis.* Sed contra quem, certè contra Hieruſalem quæ interpretatur viſio pacis, id eſt, contra hypocritas qui videntur eſſe pacifici & virtuoſi apparent, & ſunt magni nequam in occulto. Contra iſtos ergo nomine & nō re Chriſtianos ſententiam duram euaginabit, dicens: *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare. Ite* ergo reprobi *in ignem æternum.* 3. *1. Paral. 21* *Matt. 25.*

4\. Quarto leuandi ſunt oculi cordis noſtri ad conſideranda diuina iuſtorum præmia. De quo Ezech. 11. *Leuauerunt Cherubin alas ſuas & rota cum eis, & gloria Dei Iſrael erat ſuper ea.* Quod tunc fit, quando anima ſancta leuatur in cælum, quantum ad intellectum & affectum, & voluitur contemplando diuerſa præmia diuerſorum ordinum electorum, & tunc repletur gloria, hoc eſt intellectus repletur cognitione veritatis, & affectus fruitione bonitatis.

II.

Quoniam appropinquabit. Anima quia incuruata per originalem infirmitatem, elōgatur à Deo per actualem iniquitatē, ideò opus habet gratia qua eam ſibi vniat; ad hoc ergo dicitur quod Chriſtus per aduentum gratioſum appropinquabit animæ. Videamus

deamus igitur quomodo Deus diuerſis di-
uerſimode appropinquat. Et quia quadru-
Quadruplex Dei ad hominem appropinquatio. plex modus eleuationis mentis ad Deum ſu-
pradictus eſt, ideò ſecundum quadruplex e-
rit appropinquatio Dei ad hominem. Ex
prima igitur eleuatione quæ fit in conſide-
rando propria delicta, Deus appropinquat
homini immittendo animæ quaſi motiuũ
1. aduentus ſui dolorem. De quo ſic ſcribitur.
Iacob.4. *Appropinquate Deo & appropinquabit vobis,
& mundate manus peccatores, & purificate
corda duplices animo, miſeri eſtote & lugete.*
Notanter dicit. *Mundate manus & corda,*
ad ſignificandum quod volentes habere
Deum propicium, debent habere vtramq;
mundiciam cordis in intentione & manuũ
in operatione, contra hypocritas qui mun-
dant ea quæ ſunt foris calicis & paropſidis,
Matt 23. intus autem ſunt pleni rapina & dolo. Ta-
libus ergo qui ſic mundant conſcientiam
per ſimplicem & rectam intentionem, & o-
pera faciunt per iuſtam actionem, appro-
pinquabit Dominus dando gratiam vt pro-
2. moueantur in melius, & vt liberentur ab
anguſtijs. Ex ſecunda eleuatione mentis,
quæ eſt ad recolendum diuina beneficia, ap-
propinquat Deus immittendo animæ amo-
rem, iuxta illud: Samaritanus autem vulne-
Luc.10. rato appropinquans, *miſericordia motus al-
ligauit vulnera eius, infundens oleum & vi-
num.* Notanter dicit. *Miſericordia motus,* ad
innuendum quod Deus qui loco moueri
non poteſt, tamen miſericordia mouetur, in
quo apparet maxima fortitudo miſericor-
diæ quæ etiam Deum ſufficit mouere. Qui
ergo recolit diuina beneficia, iſta habet quę
ſequuntur. Primo habet Deum propicium
per compaſſionem, hoc notatur cum dici-
tur, appropinquauit vulnerato. Secundo al-
ligat vulnera eius, dando in neceſſitatibus
quibuſcunq; remedia & conferendo benefi-
3. cia. Tertio infundit oleum deuotionis & vi-
num dilectionis. Ex tertia eleuatione men-
tis quæ eſt ad recolendum reproborum
ſupplicia, appropinquat Deus immittendo
timorem. In huius figuram Ieſus cum ap-
propinquaret portæ ciuitatis Naim, ſuſci-
Luc.7. tauit filium viduæ tangendo loculum. Por-
ta ciuitatis conſideratio eſt extremi iudi-
cij, quia in porta finis eſt ciuitatis, & à por-
ta vel ingredimur ciuitatem vel egredimur
de ciuitate. Sic in extremo iudicio vel in-
greſſus fiet ad ciuitatem cœleſtem, vel e-
greſſus, quod abſit, de ea locus ergo in quo
iacet mortuus tangitur per Chriſtum, cum
conſcientia peccatoris timore iudicij ſti-
mulatur. Quem enim non concutiat: *Om-
nes nos oportet manifeſtari ante tribunal* 2.Cor.5.
*Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſſit ſi-
ue bonum ſiue malum?* Et quis eſt iſte quem
iſta non terreant? Quid enim terribilius,
quid acerbius illa expectatione iudicij, cũ
audimus nos ad generale concilium inuita-
tos imo citatos, vbi nullus deerit, non de-
fendet aliquis, non erit acceptio perſonæ,
non ſuffragabitur vlla tergiuerſatio, vbi
nulla erit diſſimilatio, vbi reddetur de om-
ni verbo ocioſo ratio, vbi multo magis diſ-
cutietur quem gradum quiſque in Eccleſia
tenuerit, qualiter, qua intentione, quibus
meritis, quibus ſuffragijs ad eum introierit,
qualiter in eo vixerit, qualiter alijs præfue-
rit. Et quid ſequitur, *vt recipiat vnuſquiſque* *Luca 16.*
inquit *prout geſſit.* O durum verbum, vt reci-
piat mala in illa vita, qui nunc recipit bo-
na. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita
&c.* Et vt recipiat bona, qui nunc recipit
mala. *Et Lazarus ſimiliter mala, nunc verò
hic conſolatur tu verò cruciaris.* Ex quarta e- 4.
leuatione ſcilicet mentis ad conſiderandũ
iuſtorum præmia appropinquat Deus ani-
mæ immittendo ſpem & conſolationem. *Luca vlt.*
De quo dicitur quod cum fabularentur diſ-
cipuli, & ſecum quærerent ambulantes in
via, ipſe Ieſus appropinquans ibat cum il-
lis. Non eſt autem veriſimile quod loque-
retur aliud extraneum, quam quod verte-
batur in cordibus diſcipulorum, ſcilicet de
ſpe reſurrectionis & gaudij cæleſtis. De hoc
enim erat inter eos quęſtio, ideò Dominus
appropinquauit eis infundendo ſpẽ, & con-
firmando gratiam conſolationis. Vnde de
eis ſcribitur quod reuerſi ſunt in Hieruſa-
lem cum gaudio, quod fit cum nobis in cõ-
templatione cœleſtis patriæ apparet ſicut
in ſpecie peregrini; quamdiu enim hic ſu-
mus, videmus eum in ænigmate & per ſpe-
culum, nõ in eſſentia. Nam videmus eum
adhuc more diſcipulorum, non in Hieruſa-
lem ſed extra Hieruſalem, non in domo
propria, ſed in itinere. Tunc autẽ videbimus
cum ſicuti eſt. Sed quid Dominus fecit iſtis?

ſequitur, quia *finxit ſe longius ire*, & ſic receſſit. Ad ſignificandum quod hic apparet nobis tranſitoriè, cum ad tempus dat gratiam conſolationis, quam dum vult ſubtrahit, vt ſic auidius reuocetur & fortius teneatur.

III.

Saluator repromittit fidelibus ſuis æternam conſolationem, cum addit: *Redemptio veſtra.* Ex eo namque quod per originalem infirmitatē ſumus incuruati ad malum, & elongati per actualem iniquitatem à bono, inde venimus in miſeriam & captiuitatem per tentationis pœnalitatem, à qua liberari non poſſumus, niſi per aduentum gratiæ diuinæ, quæ cum appropinquauerit menti noſtræ, tunc liberabit eam ab huiuſmodi pœnalitate, vt confiteatur anima, *quia apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio.* Ex quadruplici autem dono appropinquationis diuinæ ad nos, immenſum habemus profectum & prætium noſtræ redemptionis à tentatione, cui ſubiecti eramus ante aduentum gratiæ, quia dolor peccatorum noſtrorum nos redemit à carnis voluptate. *Nunquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea vt non poſſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare, & ponam flumina in ſiccum.* quaſi dicat. Ex magno & largo beneficio Dei eſt quod Dominus mittit nobis redemptionem, quia increpat per dolorem in lectulo, vt dicitur Iob 33. ac per hoc liberamur à carnis voluptate, quaſi ſignificatur permanere eo quod omnis delectatio carnalis in amaritudinem conuertitur, quæ etiam dicitur flumen, quia à fronte originalis concupiſcentiæ deriuatur. Secundo amor beneficiorum diuinorum redimit nos à cordis puſillanimitate. De quo in pſalmis, *Redemptionē miſit Dominus populo ſuo, mandauit in æternū teſtamentum ſuum.* Notanter dicit iſtam redemptionem teſtamentum Domini: teſtamentum enim quod vltimo nobis Dominus reliquit eſt memoria dilectionis ſuę, quam mandauit in æternum ſeruare. Hoc eſt, vt ſemper quamdiu viuimus manifeſtetur per exhibitionem operis, & non interrumpatur ex puſillanimitate cordis. Et bene præmittit, *mandauit in æternum teſtamētum ſuum.* Cætera mandata quandoque exſpirabunt, ſed dilectio in æternum ſtabit. Ideò dicitur, mandatum æternum teſtamētum ſempiternum. Tertio timor ex conſideratione ſuppliciorum redimit & liberat a præſumptione. Qui enim conſiderat diſtrictionem extremi iudicij & examinis, non præſumit etiam de operibus bonis. *Liberabo te de manu fortium*, Manus fortium ſunt opera virtutum, quæ tunc bene diriguntur ſi eorum extrema penſantur. *Recordare nouiſſima & in æternum non peccabis.* Nouiſſima iſta ſunt, mors, iudicium, & gehenna. Morte nihil poteſt cogitari horribilius, iudicio nihil terribilius, gehenna nihil intollerabilius. Quando enim timor ad iſta accedit, tunc peccatum expellit, & negligentiam non admittit, per quod homo dicitur liberari à præſumptione. Quarto ſpes & conſolatio diuina redimit à deſperatione, iuxta illud. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino. Quia apud Dominum miſericordia &c.* Deſperat homo quia fragilitas inclinat eum ad culpam, & ſeueritas vel iuſtitia iudicis quærit vindictam. Sic videt Angelum eiectum de cœlo, & hominem exulem de paradiſo, mundum deleri diluuio, linguas confundi diuerſiloquio, ciuitates exuri diuino incendio, ſanguinem martyrum fundi tyrannorum gladio. Sed non deſperes, quia apud Dominū miſericordia copioſior eſt quam noſtra peccata. Nam & ſi conſumpſiſti omnes dies in vanitate iuuentutis, ſaltem in ſenectute conuertere & ſaluaberis. Quia & Dominus 11. hora, id eſt, in vltima ætate homines mittit in vineam, & reddit mercedem, quam nobis præſtare dignetur copioſus redemptor Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Quadruplex appropinquationis diuinæ ad nos fruct°.

1. *Iſaia 50.*

2.

3. *Ierem. 15.*

Eccl. 7.

4.

DOMINICA TERTIA IN ADVENTV.
SERMO I.

Cum audiſſet Iohannes in vinculis opera Chriſti. Matt. 11.

IN hac tertia Dominica ſancta mater Eccleſia recolit aduentum Chriſti in mortem cuiuslibet hominis, in cuius figura inducit Euãgelium de Iohan. Baptiſta, qui propinquus morti, vinctus in carcere Herodis, miſit duos diſcipulos ſuos ad Chriſtum, ad certificandum eos de aduentu Chriſti: ſignificans per hoc quod quilibet fidelis debet ante mortem ſuam ſolicitus eſſe de ſalute ſua, vt inſtante morte certus ſit de aduentu Chriſti ad ipſum ſaluandum. Huius figura habetur Ioſue. 2. c. Vbi Ioſue miſit duos viros exploratores ad conſiderandum terram promiſſionis. Qui reuerſi ad Ioſue narrauerunt ei omnia quæ acciderant eis. Sic fecit & Iohannes mittens duos diſcipulos ad Chriſtum, qui promiſit nobis dare terram viuentium, non lacte & melle manantem, ſed gloria humanitatis & diuinitatis ſuæ abundantem. Qui renunciauerunt Iohanni ea quæ viderunt & audierunt facta à Chriſto. Secundo hoc idem figuratur. 2. Reg. 3 vbi Abner miſit nuncios ad Dauid dicens, fac mecum amicitias & reducam ad te vniuerſum Iſrael. Abner interpretatur patris mei lucerna, & ſignificat Iohannem Baptiſtam, de quo ſaluator ait: *Ipſe erat lucerna lucens & ardens.* Iſte ergo Abner mittit ad Dauid, id eſt, ad Chriſtum, qui interpretatur manu fortis. De quo in pſal. *Dominus fortis & potens in prælio.* Mittit autem nuntios Iohannes ad Chriſtum vt faciat ſecum amicitias, non vt ipſe recipiatur in amicum Chriſti, cum iam fuerit amic⁹ Chriſti ex vtero matris ſuæ, de quo ſaluator ait, quod ipſe fuit amicus ſponſi congaudens bonis Chriſti: ſed vt amicitias procuraret inter Chriſtum & diſcipulos ſuos qui de Chriſto dubitabant, vt ſic videntes ſigna & miracula eius, in Chriſtum perfectè crederent, & in amicitiam reciperentur per fidem, de qua quidem miſſione dicit Euangelium. *Cum audiſſet Iohannes in vinculis opera Chriſti.* In hoc Euangelio tria deſcribũtur. Primo namque deſcribitur Iohãnis per diſcipulos interrogatio. Secundo ſaluatoris ad interrogationem propoſitam data reſponſio. Tertio proponitur Iohannis per Chriſtum coram turba commendatio. Primum tangitur cum dicitur. *Cum audiſſet Iohannes in vinculis.* Secundum cum dicitur *Et reſpondens Ieſus ait illis.* Tertium cum dicitur. *Illis autem abeuntibus capit Ieſus dicere ad turbas de Iohanne.*

Propoſitio.

I.

Cum audiſſet Iohannes in vinculis opera Chriſti. Pro quo ſciendum quod ſicut dicit Sigardus, Iohannes fuit in vinculis primo anno prædicationis Chriſti, qui de eiſdem vinculis miſit duos diſcipulos ad Chriſtũ. Sed verius alij dicunt quod hoc factum fuit ſecundo anno prædicationis Chriſti ante paſcha. Cauſam autem detentionis ſuæ per Herodem, Ioſephus narrat dicens, cũ prædicaſſe hominibus iuſtitiam, & obtentu baptiſmi multos congregaſſe in vnum; timẽſque Herodes diſpendium populi ſui ſequẽtis Iohannem, captiuauit eum, & decollauit. Ob quod ipſe Herodes poſtea ſolus miſerabiliter fuit victus per exercitum Arethæ regis. Verius tamen dicitur quod ipſe Ioannes audiens Herodem rapuiſſe vxorem Philippi fratris ſui, & cum ea publicè adulterari, exiuit de eremo in quo iam diu morabatur arctiſſimam vitam ducens, & venit ad Herodem arguendo eum de adulterio prædicto. Propter quod Herodes iratus, miſit miniſtros, tenuit Iohannem, poſuit eum in carcerem. Et hoc eſt quod dicit littera, *Cum audiſſet Iohannes in vinculis,* ſcilicet ſedens in carcere Herodis. Et refert 11. libr. hiſtoria eccleſiaſtica, hoc factum eſt in caſtello

Sig. in Chronic.

Ioannes in vincula quãdo cõiectus.

Quare.

Marc. 6.
Matt. 14.

ſen

ſeu oppido quodam Arabiæ trans Iordanẽ, quod dicebatur Matheruntħæ. *Cum ergo audiſſet opera Chriſti*, id eſt, miracula tam in doctrina quam in opere. Actu. 10. *Pertranſiuit benè operando & ſanando omnes oppreſſos: Mittens duos diſcipulos ſuos*, duos propter hoc vt eis reuerſis magis credatur, quia *in ore duorum vel trium ſtat omne verbum.* Ait illi ſcilicet Chriſto per diſcipulos, vel illis, id eſt, diſcipluis miſſis vt proponerent hoc quod ſequitur. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*, quaſi dicat, ad diſcipulos: Si mihi non creditis qui teſtimonium perhibeo de Chriſto, voſipſi interrogate vtrum ipſe ſit ille qui venturus eſt, ſcilicet meſſias in lege promiſſus qui debet ſaluare Iſrael, an alium expectamus. Vbi dicit Chryſoſtomus, quod duos oſtendit venturos, ſcilicet Chriſtum & Antichriſtum. Iohan. 5. *Veni ego in nomine patris mei & non accepiſtis me, veniet alter in nomine ſuo, illum accipietis.* Sed vt euidentius pateat cauſa huius quæſtionis, eſt ſciendum quod vt colligitur Iohan. 3. cum Ioannes baptizaret in Ennon, quod idem eſt quod aqua, iuxta Salem quæ eſt villa à qua Melchiſedech dictus eſt rex, vbi multæ aquæ erant, & nondum Ioannes miſſus eſſet in carcerem: extunc facta eſt quæſtio inter diſcipulos Ioannis & inter Iudæos de Baptiſmo. Diſcipuli enim Ioannis videntes quod omnes quos baptizabat mittebat ad Chriſtum, ſed Chriſtus è conuerſo non mittebat ad Ioannem per ſe baptizatos, ex hoc Iudæi dicebant Chriſtum maiorem Ioanne. Et ideò contendebant cum eis diſcipuli Ioannis indignati contra eos quod eorum magiſtrum minorem reputabant Chriſto. cum tamen ipſi Ioannem præferrent etiam Chriſto. Et propter hoc dicebant Ioanni. Rabbi, *qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti*, id eſt clarum eum & circumſpectum hominibus oſtendiſti, *ecce hic baptizat & omnes veniunt ad eum:* quaſi dicat dimiſſo te & contempto. Sed Ioannes volens eos ab errore reducere, leniter eos corrigebat dicens: *Non poteſt homo quicquam accipere* ſcilicet bonitatis *niſi fuerit ei datum de cœlo.* quaſi dicat. Quicquid habet ipſe à Deo habet, & ideò ſi vos contradicitis ei, Deo contradicitis. Verum licet ſic Ioannes

Deut. 17.

diſcipulos de Chriſto certificaſſet, nihilominus adhuc de Chriſto dubitabant an ipſe eſſet Meſſias. Cum ergo Ioannes poſtea detentus eſſet in vinculis, & in carcere Herodis antipatris, videns ſibi mortem imminere, zelans pro diſcipulis ſuis, ne ipſi in errore præmiſſo ipſo decedente per mortem perirent, miſit eos ad Chriſtum, vt perſonaliter experirentur de ipſo an eſſet qui promiſſus erat in lege maior Ioanne. Fecit autem Ioannes prudenter quia expectauit tempus operum Chriſti, vt ſic factis docerentur qui verbis erudiri non poterant. Format autem eis quæſtionem cautè. Non enim dicit. Ite ad Chriſtum quia melior me eſt. Quia ſic ipſi æſtimaſſent eum de ſe humillimè ſenſiſſe, & per conſequens ſibi plus adhærerent, ſed format quæſtionem vt ipſi interrogent eum, & ſic videant opera quæ per ipſum fiebant, & diſcant diſtantiam inter ipſum & illum.

Sed hic quæritur cur Ioannes qui Chriſtum digito monſtrauerat dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, hic de Chriſto dubitando interrogat an ipſe eſſet. Reſpondeo breuiter ſecundum Gregor. quod non quærit dubitando de aduentu ipſius in mundum, ſed requirit vt ſciat ſi is qui per ſe in mundum venerat, per ſe etiam ad inferni clauſtra deſcendat, vt quem præcurrens naſcendo mundo nunciauerat, hunc moriendo & ad inferos præcurrendo nunciaret. Ait ergo. *Tu es qui venturus es*, ac ſi apertè dicat. Sicut pro hominibus naſci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris inſinua, vt qui natiuitatis tuæ precurſor extiti, mortis etiam precurſor fiam, vt venturum te inferno nunciem, quem iam veniſſe mundo nunciaui. Sed dicitur tamen, Ioannes fuit pluſquam Propheta, vt hic in euãgelio, quomodo ergo ipſum per ſe deſcenſurum ad inferos non cognouit? Reſpondet Gregorius, quod ſpiritus Prophetiæ non ſemper mentem æqualiter de omnibus illuminat; quandoque enim de præſentibus tantum docet, quandoque de futuris tantum, quãdoq; de vtriſque. Ioannem ergo ſolum de præſenti illuminauerat, oſtendendo illi omnia quæ circa myſterium incarnationis eius fuerunt, ſed non quæ circa Chriſti mortem vel deſcenſum ad infe-

Grego. hom. 6.

Greg ho. hom. 1. ſup. Ezec.

inferos,& ſic ſoluitur dubium.Sed Hilarius hic ſimpliciter dicit quod non propter ſe, ſed propter diſcipulos ſuos Ioãnes miſit ad Chriſtum,vt auctoritatem dictis ſuis opera conferrent;nec Chriſtus alius expectaretur, quam cui teſtimonium opera præſtitiſſent.

Dubitationis modus triplex.

Poteſt tamẽ diſtingui triplex modus dubitationis. Primus eſt infidelitatis qui fuit in Iudæis. Secundus tarditatis qui fuit in diſcipulis. Luc.vlt. Tertius pietatis vt in Petro Matt.16. *Abſit à te domine.* Et de iſto modo vltimo dicunt quidam Iohannem dubitaſſe ſicut pater videns filium peregrinaturum, dicit licèt ſciat,vis peregrinari.

Tria ex Euangelio documenta.

Circa iſtam partem Euangelij trahuntur tres morales doctrinæ.Prima eſt ꝙ Ioãnes exiſtẽs in carcere & vinculis ad Chriſtum mittit, ad ſi-
1. gnificandum quod nos in tribulationibus poſiti, debemus ad Chriſtum & eius auxilium recurrere: ad hoc enim frequenter Deus immittit tribulationes in nos,vt Chriſtum ex eis requiramus. Nam ſecundum
Greg. lib. 16. Moral. Gregorium. Aures cordis ſæpe perturbatio aperit,quas mundi proſperitas clauſit. Et ſecundum Auguſt. *Aug ſup. 31.Pſal.* Inter rectum & prauum cor hæc eſt differentia,quia prauum cor de tribulationibus murmurat, rectum cor in tribulationibus exultat. Talis fuit ille qui dicebat. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Debemus ergo potius agere gratias Chriſto, & humiles preces ad eum mittere tempore tribulationis,vt in ipſis cõſolatio-
2. nem valeamus inuenire.Secunda moralitas eſt,quod Ioannes quamdiu fuit liber extra domum Herodis,liber de Chriſto & palam nunciabat veritatem;ſed intra domum Herodis incluſus, format quaſi dubitationem de veritate,ad ſignificandum quod prædicatores veritatis quamdiu ſunt liberi extra curias regum & principũ, libere annũciãt veritatem, ſed cum beneficijs detinentur & quaſi ligantur in curijs magnatorum,vt ſæpius ſubticent veritatem.De quibus dicitur
Rom. 1. *Commutauerunt veritatem Dei in mendacium*, & iſti dicuntur adulterantes verbum
2.Cor.4. Dei. Tertia moralitas eſt quod Ioannes imminente morte ſua diſcipulos certificari de Chriſto voluit,ne in errore perirent, ad ſignificandum quod patresfamilias maximè debent intendere ſuper omnia, vt eorum filij & familia in recta fide & bonis moribus ſuccedant & relinquantur: non ſicut quidam qui cogitant plus quomodo filijs ſuis diuitias & theſauros relinquant. iuxta illud *Dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.* non curãtes ſi filij ſint luxurioſi,ebrioſi, luſores,vani & inſolentes.

Allegoricè autem Iohãnes interpretatur gratia Dei,quæ quidem tunc in vinculis eſt, quando vicijs carnis vel mundi obſidetur & tenetur ligata ne proficiat. Rom.1. *Veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Corpus etiam noſtrum carcerem, impediens animam ne proficiat in contemplatione veritatis. Vnde Sap.9 dicitur. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Et: *Quis me liberabit de carcere mortis huius.* *Rom. 7.* Vincula quibus homo ligatur in hac vita ſunt multiplicia. *Homo quibus ligatur vinculis.* Primum eſt originalis culpæ, hoc eſt vinculum concupiſcentiæ *Non quod volo bonum ago, ſed quod odi malum.* *Rom. 7.* Secundum vinculum eſt originalis pœnæ quo tenebantur patres in limbo. *Dedi te in fœdus populi mei vt educas de concluſione vinctum.* *Iſaiæ. 42.* Tertium vinculum eſt actualis culpæ. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Hæc vincula fuerunt Sedechiæ Hierem.39. Obſidetur Ciuitas, ſcilicet animæ per prauam delectationem: capitur per prauam operationem, rex excæcatur per prauam conſuetudinem, vincitur per obſtinationem. Quartum vinculum præſentis miſeriæ. *In funiculis Adæ traham te*, *Oſea. 10.* per hos enim trahuntur ad Deum, iuxta illud Gregor. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. De iſtis vinculis mittendi ſunt duo nuncij ad Chriſtum. Et primo propoſitum confitendi de præteritis, & propoſitum cauendi de futuris. Per hæc enim duo, certificatur aliqualiter homo quod Chriſtus venit in mentem eius per gratiam. Poſt iſtos duos diſcipulos iterum mittat alios duos, ſcilicet abſtinentiam & deuotam orationem. Per primum reuocatur animus ad ſapientiam, ſicut patet de Daniele & Salomone. *Dan. 1.* *Eccl. 2.* Per ſecundum dubietates ſi quæ ſunt circa fidem ſoluuntur, vt dicit Auguſtinus. Poſt iſtos duos mittat alios duos ſcilicet timorem,qui præparat viã gratiæ & charitati in corde hominis. *Initiũ enim ſapientiæ timor Domini*, & amorem quæ ipſam gratiã cõſeruat. Iuxta illud. *Ego diligẽtes me diligo* .i.dilectione mea cõſeruo.

II.

II.

Et reſpondens Ieſus ait illis. Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Quæ audiſtis, ſcilicet ab alijs antequam huc veniſtis, *& quæ vidiſtis* poſtquam huc veniſtis. Poterāt bene iſti diſcipuli dicere illud: *Sicut audiuimus ſic vidimus.* Vel ſic. Quæ audiſtis in prædicatione & vidiſtis in miraculorum operatione, quaſi dicat, ceſſent verba, vbi loquuntur opera. Et eſt documentū prædicatoribus vt non ſolum verbis, ſed etiam factis populum doceant. Ne dicatur de eis, *Matth. 23* *Dicunt enim & non faciunt.* Quia efficacior eſt vox operis quam ſermonis. Sed diceres quare dicit, *Renunciate Ioanni*, cū tamen vt dictū eſt Ioannes pro ſe nō dubitauerit, ſed diſcipuli. Reſpondeo vt per eorum reſponſionem Ioannes cōſolaretur, ſicut per eorū dubitationem turbabatur. Item quare Chriſtus non arguit hæſitationem iſtorum ſicut illorum Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Reſpondeo, quia illi ex malitia, iſti ex ignorantia dubitabant. Deinde Chriſtus recitando miracula coram ipſis facta dicit: *Cæci vident, claudi ambulant &c.* Sicut dicitur Luc. 7. In ipſa hora Chriſtus multos cæcos, claudos & infirmos coram iſtis diſcipulis curauit, & enumerat hic ſex euidentia opera quæ ſecundum Prophetarum vaticinia oſtendebant manifeſtè ipſum eſſe Chriſtum. Primo ponit cæcorum illuminationem, vnde dicunt. Cæci ſc. prius, *vident*, modo, quaſi dicat. Si ſciretis Prophetarū ſcripta apertè intelligeretis me eſſe Meſſiam in lege promiſſum. Nam Iſaias de me prophetauit dicens: *Deus ipſe veniet & ſaluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hoc ergo erat primum ſignum aduentus Chriſti viſio cæcorum vt Iſa. 42. *Dedi te in lucem gentium.* Iſtud impletum eſt de duobus cæcis quibus Chriſtus donauit viſum. Et in cæco nato de quo Ioan. 9 *Claudi ambulant.* hoc non legitur expreſſe in Euangelio, ſed probabile eſt quod hoc fecit coram eis, vt dicitur Luc. 7. quod corā eis curauit multos à languoribus eorum. Legitur præterea. *Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & ſanauit eos.* Claudicatio autem eſt quidā languor in potentia greſſiua priuans recto inceſſu hominē. *Leproſi mundantur.* Matt. 9. Et Luc. 17. expreſſe de hoc habetur, Matth. ponit de vno Lucas de decē, & ſic 11. leproſos mūdauit Chriſtus. *Surdi audiunt.* Iſtud habetur. Mar. 7. vbi Chriſtus fecit ſurdos audire. *Mortui reſurgunt.* Iſtud patet de Lazaro, puella archiſinagogi, & de adoleſcente. Iſta miracula viſa dabant verū teſtimoniū quod Chriſtus fuit filius Dei, vt dicit Amb. *Pauperes euangelizantur*, .i. denunciantur habere regnum cœlorum, vt dicitur Matt. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, & ſic per euangeliū beatificantur, ſecundū Gorranū. Vel *euangelizantur*, id eſt, in euangelio inſtruūtur, vt in prędicatione ſit nulla differentia inter pauperes & diuites *Ad annunciandum pauperibus miſit me.* Antiquitus enim ſoli diuites beatificabantur, iuxta illud: *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Vel *euangelizantur*, id eſt euangelizant ſecundum antiquam gramaticam vt ſit deponens, vel *euangelizantur*, id eſt, per euangeliū curantur & credūt magis euangelio quā diuites. vnde Ioa. 7. *Nunquid ex principibus aliquis credidit in illū? ſed turba hæc quæ non nouit legē maledicti ſunt.* Iſtud hodie videmus continuè quando vetulæ & pauperes intendunt ſermoni vel prædicationi, diuites verò vacāt ſomno & voluptati. Et patēt hic duo documenta. Vnum eſt quod Chriſtus voluit prædicare pauperibus. Primò vt principiū noſtræ fidei nō eſſet in magnificētia ſeculi ſed in virtute Dei. *Pauperes elegit Deus, diuites in fide, & hæredes regni.* Secundò vt oſtendat non eſſe acceptionē perſonarū apud Deū. Tertiò vt confundat ſuperbiam Phariſæorū & adulantiū prædicatorū, q nō niſi diuitib. prædicāt dicētes: Et quid deberē prędicare vetulæ vni q.me non intelligeret. contra quos Grego. dicit: Vtinā vel ſaltē vnā animā prędicatione mea lucrifacere. Sed dicit tamen aliquis: prophetæ in veteri teſtamento ſimilia miracula faciebāt, quomodo ergo erāt iſta atteſtātia Chriſti diuinitatē? Nam Thobias fuit illuminatus per filiū ſuū ex informatiōe angeli. Helias ſuſcitāuit mortuū. Reſp. quod oēs illi fecerūt vt miniſtri Dei virtute aliena, Chriſtus aut hoc fecit vt dñs auctoritate propria vnde de ipſo dicitur. *Qui facit mirabilia ſol⁹.* Spiritualiter autem hæc oīa & hodie Chriſtus facit in nobis per ſuam prędicationem, nam per verbum Dei illuminantur errantes & ignorantes, quos excæcauit malitia.

Sex ſignis probat Chriſtus ſe eſſe Meſſiam promiſſum.

Iſaia 35. Matt. 20. Luc. 18. Matth. 21. Ioan. 11. Matth. 9. Luc. 7. Iſaia 42. Iacob 2. Thob. 11. 3. Reg. 17.

ipſorum iuxta hoc. *Claudi rectè incedunt* *Sapien. 2.* *quos incuruat diuturna affectio in malo.* *3. Reg. 18.* *Vſquequo claudicatis in duas partes. Leproſi mũdantur*, quos maculat immunditia concupiſcentiæ carnalis. *4. Reg. 5.* *Erat vir fortis & diues ſed leproſus. Surdi audiunt*, quos detinet duritia obſtinatæ mentis. *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam. Mortui reſurgunt*, *Sap. 16.* id eſt, ſeparati a vera vita quæ eſt Deus viuificantur per gratiam inhabitantem. *Occidit homo per malitiam animam ſuam. Pauperes euangelizantur*, id eſt, defectuoſi in gratia & virtutibus ditantur per Chriſtum. *Pauperes facti ſumus nimis.* Hæc ſunt quæ tollit fides & prædicatio Chriſti, nam ratio iam illuminatur, affectio rectificatur, concupiſcentia extinguitur, obſtinatio frangitur, peccatum fugatur, gratia datur, vt poſſimus dicere: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Tandem ſequitur. *Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Hic certificat diſcipulos illos per opera paſſio- *Sap. 7.* nis ſuæ futuræ, ob id dicit, *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me,* dubitando ſcilicet de mea diuinitate ſicut vos, & hoc tunc cum me viderit pati, & non me negabit. Et in hoc corrigit inuidiam iſtorum duorum, *Luce 23.* qui ſcandalizabantur de Chriſto. Vnde, *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus* tempore paſſionis, ſicut ille bonus latro qui videns eum pati vt hominem, confeſſus eſt eum Deum: è conuerſo maledictus latro ſiniſter, qui de Chriſto fuit ſcandalizatus dicens: *Si filius Dei es ſalua temetipſum & nos.* qui certe viſis tot ſignis non ſcandalizati debuerunt, ſed admirari. Sed vndè præceſſit iſtud ſcandalum? certe ex hoc, quia incredulis ſtultum viſum eſt, vt pro hominibus auctor vitæ moreretur, & inde contra eum homo ſcandalum ſumpſit, vnde ei debitor amplius eſſe debuit. Sed dicet aliquis, tamen Matth. 18. dicitur. *Væ homini illi per quem ſcandalum venit*, quomodo ergo Chriſtus fuit cauſa ſcandali? Reſpond. quod Chriſtus nunquam fuit cauſa ſcandali actiuæ, *Iſaiæ 8.* ſed benè materia & occaſio eſſe potuit, vnde & petra ſcandali dicitur. Petra enim nullum ſcandalizat, quia facit naturæ ſuæ debitum, ſed de petra cœcus vel incautus *Scandalũ quid.* ſcandalizatur qui læditur. Vnde ſcandalum in Græco idem eſt quod offendiculũ ſeu ruina, vel impactio pedis, & diffinitur ſcandalum, quod ſit dictum vel factum vel ſignum cuius occaſione trahitur quis in conſenſum mortalis peccati. Sed gloſſa ſuper Matth. dicit, quod eſt dictum vel factum minus rectum præbens alijs occaſionem ruinæ. Modo conſtat quod Chriſtus nulli dabat cauſſam actiuæ ruinæ, licèt ipſi ſumebant tam ex verbis quam ex factis ſuis occaſionem ſcandali, malè interpretando ea, & murmurando contra illa. Vnde Chriſtus non dicit: *Beatus qui non fuerit à me ſcandalizatus*, ſed dicit *in me.*

III.

In verbis præmiſſis deſcribitur Ioannis per Chriſtum commendatio quadrupliciter. *Ioannes à Chriſto quadrupliciter cõmendatur.* Primo enim commendatur à conſtantia perſeuerantiæ, per comparationem arũdinis. Secundò a veſtium aſperitate, per comparationem curiæ regum. Tertio ab excellentia prophetiæ, per comparationem cuiuſcunque prophetæ. Quartò ab officij dignitate, per comparationem ad miniſterium Angeli. vnde dicit: *Illis autem abeuntibus.* Noluit enim eum commendare coram diſcipulis, ne ei adulari videretur, hoc enim eſt peruerſorum qui in facie laudant; & in parte vituperant: deinde ne diſcipuli in cordibus ſuis de Ioanne extollerentur, ſupra Chriſtum eum reputantes. Cœpit ergo dicere de Ioanne ad turbas, & cauſa fuit huius commendationis, vt amoueret de cordibus turbarum dubitationem. Ex eo enim quod Ioannes prius Chriſtum demonſtrauit apertè, & nunc de ipſo quærit quaſi dubitatiuè, potuit turba ſcandalizari de Ioanne quod eſſet leuis & inconſtans, nũc ſic, nũc aliter credendo. Ideò Chriſtus cõmendat Ioannem de conſtantia perſeuerantiæ fidei quam habuit ad Chriſtum à principio vſqe ad finem, & tam extra vincula quam in vinculis. Dicit ergo: *Quid exiſtis in deſertum videre, arundinem vento agitatam?* Matt 3. dicitur, quod exibat ad eum omnis Hieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem. Nec mirum, cum ipſe eſſet primus eremicula noui teſtamenti, & vitæ excellentiſſimæ. Eſt autem ſciendum *Arundo quid ſit.* quod arundo eſt leuis & vento faciliter cedens. Secundò intus vacua, & fructu carens.

rens. Tertio in fundamento valdè debili, quia in luto poſita. Iſta tria remouet Chriſtus à Ioanne. Non enim fuit leuis & mobilis, quia nec in aduerſis nec in proſperis à ſoliditate fidei mouebatur. Secundò, non fuit vacuus, quia gratia Dei ex vtero matris ſuæ repletus. Tertiò, non fuit in fundamento debili, ſed firmo, quia in fide Chriſti fundatus, quæ fides eſt illa petra, ſupra quã fundata eſt Eccleſia. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* quaſi ergo diceret, vos putatis eum leuem, ſed certè non eſt leuis ſed conſtans in omni tempore. Secundo commendat eum à veſtimentorum aſperitate dicens. *Sed quid exiſtis videre hominem mollibus veſtitum.* Sicut enim dicitur Matt. 3. Ipſe Iohannes erat in deſerto, cuius eſca erat locuſtæ, quæ ſunt parua animalia volitantia per modum ſaltus, & reperiuntur in deſerto Iudeæ, & frixa cum oleo ſunt cibi pauperum. Similiter mel ſilueſtre quod reperitur in truncis arborum vel herbis pratorum, vt habetur 1. Reg. 14. Veſtimentum autem eius erat de pilis camelorum, & zona pellicea præcingebatur, ex quibus patet auſteritas vitæ eius. Vult ergo Chriſtus dicere, quod ſi Ioannes eſſet adulator, non eſſet in deſerto, ſed in regio palacio, vbi mollibus veſtiretur, quibus veſtiuntur qui in domibus regum ſunt. Ad hoc enim multi adulantur magnatibus, vt cum ipſis commorantes delicijs vtantur; ſed homines veritatis talia aſpernantur. Tertiò commẽdat eum ab excellentia Prophetiæ. Vnde ſequitur. *Sed quid exiſtis videre Prophetam,* ſcilicet tantum, exiſtimantes eum prædicere futura ſolum ſicut cæteros. *Etiam dico vobis pluſquam prophetam,* quia ipſe etiam præſentialiter Chriſtum demonſtrauit, quem prophetæ ſolum prædixerunt. In tribus autem exceſſit prophetas; Primò in eo quia Dominum prophetarum baptizare meruit. Secundo quia prophetiæ ſuæ effectum digito monſtrauit. Tertiò quia nondum natus prophetauit, per os ſcilicet matris Elizabeth. Quartò commendatur ab officij dignitate cum dicitur. *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt,* ſcilicet per Malachiam prophetam ex perſona Dei patris ad filium. *Ecce ego* ſcilicet Deus pater *mitto. (Fuit homo miſſus à Deo) Angelum,* Ecce officium dignisſimum, quia angelicum, quorum eſt reuelare ſecreta diuina, & vitam innocentem & celibem ducere, *qui præparabit viam ante faciem tuam,* id eſt, ante manifeſtationem tuam in mundo. Ioannes enim præparauit viam in cordibus fideliũ & ſcilicet, prædicationi Chriſti, baptiſmo Chriſti, & vitæ Chriſti. Nam prædicauit pœnitentiam, quam poſtea fecit Chriſtus. Ioannes baptizauit in aqua, Chriſtus autem in aqua & ſpiritu. Johannes vitam duxit celibem, Chriſtus autem non habuit vbi caput reclinaret in maxima paupertate, laſſitudine, & defectuoſitate vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vnde in pſal. *Pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea.* Et ſic pręparauit Chriſto viam, id eſt, corda audientium ad recipiendum Chriſtum per prædicationem ſuã & baptiſma ſuum. Vnde de Chriſto dicitur. *Paraui lucernã Chriſto meo.* Attẽdat ergo quiſq;, qualis eſt hic cui ipſa veritas teſtimonium perhibuit; & hic expreſſa eſt forma prædicatorum veritatis in quattuor. Primò vt ſint conſtantis fidei, ne ſint arũdo quæ à vento tollitur. Secundò vt ſint in vita auſteri, ne mollibus induãtur. Tertiò vt ſint clari in notitia ſcripturarum ad modũ prophetarum. Quarto vt ſint cœleſtis conuerſationis more Angelorum. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.*

[margin: Luca 1. — Matt. 16. — Ioannes in tribus Prophetas exceſſit. — Malach. 3. — Ioan. 1. — Matth. 3. 4. — Ioan. 3. — Matth. 8. — Sap. 5. — Philip. 3.]

Dubia.

Circa materiam præſentis ſermonis tria occurrunt dubia. Primum, vtrum omne ſcandalum ſit mortale peccatum; ſecundum, vtrum vſus precioſorum veſtimentorum ſit omnibus æqualiter prohibitus; tertium, vtrum adulatio ſit ſemper mortale peccatum. 1.

[margin: Thom. 2. 2. q. 43. art. 2. — Scandalũ eſt duplex.]

Ad primum reſpondeo quod ſcãdalum eſt duplex, actiuum & paſſiuum. Cõtingit autem fieri dictum & factum alicuius eſſe occaſionem peccandi dupliciter. Vno modo per ſe quando ſcilicet aliquis per ſe ſuo malo facto vel verbo intendit alium ad peccatum inducere, vel etiam ſi ipſe hoc nõ intendit, tamen factum eſt tale quod de ſui ratione habet vt ſit inductiuum ad peccandum. Puta quod aliquis publicè facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati, & hoc vocatur ſcandalum actiuum. Sed per accidens quando præter intentionem operantis, & pręter conditionem operis, aliquis male diſpoſitus inducitur ad peccandum.

Puta cum quis inuidet bonis aliorum, & ſic ille qui facit non dat occaſionem ruinæ, ſed ille ſumit occaſionem ſcandali paſſiuè. Ex his infero quod ſcandalum eſt ſemper peccatum in eo qui ſcandalizatur, ſimiliter actiuum. poteſt tamen ſcandalum patientis eſſe ſine peccato agentis. Sed tunc an ſemper ſit mortale. Reſpondeo quod non ſemper, quia ſcandalum ex infirmitate vel ex ignorantia non eſt mortale, cum ſit defectus conſequens naturam ſicut & alij, & hoc vocatur ſcandalum puſillorum. Sed ſcandalum ex malitia & inuidia malorum peruertentium bona facta vel verba bonorum, eſt ſemper mortale. Et hoc vocatur ſcandalum phariſæorum de quibus dicit ſaluator: *Sinite eos, cæci ſunt & duces eorum*. Et pro tali ſcandalo nunquam aliqua veritas eſt obmittenda.

An ſemper ſit peccatum.

Matth. 18

Matth. 15

2. Ad ſecundum dubium reſpondeo ſecundum Thom. Quod in ipſis rebus exterioribus quibus homo vtitur, non eſt aliquod vicium, ſed ex parte hominis qui immoderatè vtitur eis; quæ quidem immoderantia poteſt eſſe duplex. Vno modo per cōparationem ad cōſuetudinem hominum cum quibus aliquis viuit. Vnde Auguſtinus dicit, quod ea quæ contra mores hominum ſunt, flagitia ſunt, & per conſequens vitanda, quia turpis pars quæ non congruit ſuo vniuerſo. Alio modo eſt immoderatio in vſu talium rerum ex inordinato affectu mentis, ex quo contingit quandoque quod homo nimis libidinosè talibus vtitur, ſiue ſecundum conſuetudinem eorum cum quibus viuit, ſiue etiam præter conſuetudinem; Contingit autem iſta inordinatio affectus tripliciter. Vno modo quod aliquis ex ſuperfluo cultu veſtium gloriam quærit, ſicut diues epulo. Alio modo quod per iſtum cultum quærit delitias corporales, ſicut etiam diues idem qui induebatur purpura exterius ad vanam gloriam, & byſſo ſubtus ad delectationē. Tertiò quod nimiam diligentiam & ſolicitudinem apponit ad exteriorem veſtium cultum, etiāſi non ſit inordinatio ex parte finis. Alio modo contingit iſta inordinatio ex parte defectus. Vno modo ex negligentia hominis, quam homo nōn adhibet ad hoc vt exteriori cultui honeſtè vtatur: Sicut illi qui

D.Thom. 2.2.q.168. art.1.

Aug. lib. Confeſ.

Lucæ 16.

trahunt veſtimentum per terram, quos appellat philoſophus molles, 7. Ethic. Alio modo ex eo quod ipſum defectū exterioris cultus ordinat ad vanam gloriam. De quo dicit Aug. quod etiam in ſordibus & lutoſis veſtibus poteſt eſſe iactantia, & tanto periculoſior, quanto ſub nomine ſeruitutis Dei decipit. Ex his infero plura; Primò quod quinque reddunt cultū & ornatum veſtiū peccatum, ſc. ſuperfluitas, vt veſtes mulierū per terram & lutum protenſę. Secundò precioſitas vltra ſtatū cōgruū. Tertio curioſitas vltra conſuetudinē cōmunis vſus. Quartò mollities vt ꝓpter delectationē. Quintò nimia ſpecioſitas ꝓpter vanitatis apparētiā.

Aug. in lib. de ſer. Dom. in monte.

Secundò infero quod in dignitatibus cōſtituti, & miniſtri altaris licitè vtuntur præcioſioribus quam cæteri: patet quia non vtuntur propter ſui gloriam, ſed ad ſignificandum ſui miniſterij excellentiā vel cultus diuini. Et ideò in eis non eſt vicioſum. Tertiò infero quod vti vilioribus veſtibus competit his qui alios verbo & facto ad pœnitentiā hortantur, ſicut fuerūt prophetę, de quibus ad Heb. 11. dicitur, quod circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Ex his patet quod ornatus veſtium non æqualiter omnibus competit, ſed ſecundum diuerſas cōditiones & ſtatus. Vnde Tho. dicit ibidem poſt Aug. in epiſtola ad Poſſidonium, quod mulieres habentes viros, poſſunt ſe licitè ornare ad placendum viris ſuis; & tamen ſi vidua hoc faceret, vel virgo, quæ non intendit habere virum, peccaret mortaliter, ſi ad placēdum viris aliarū hoc facerent, ſed ſi ex quadam leuitate hoc facerent, peccarent venialiter. Omnibus tamen fœminis nudare capita, generaliter dicit eſſe peccatum, vt dicitur 1. Pet. 3. non obſtante etiam conſuetudine quacunque quæ non eſt in hoc laudabilis. Similiter dicit: Omnibus fœminis generaliter prohibita eſt fucatio, quæ eſt quædam ſpecies fictionis, & non poteſt eſſe ſine peccato. Vnde dicit Aug. Fucari figmentis quo rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt. Non tamen talis fucatio ſemper eſt mortale peccatum, niſi quando fit propter laſciuiam vel in Dei cōtemptum. Et in hoc caſu dicit Cyprianus, quod tales maius Deo dedecus inferunt, quando id quod ille formauit reformare

Veſtium ornatus æqualiter omnibus competit.

com-

contendunt. Dicit tamē quod aliud eſt tingere pulchritudinem non habitam, & aliud eſt occultare turpitudinem ex aliqua cauſa prouenientem, puta ex ægritudine vel huiuſmodi, hoc enim eſt licitum. *1.Cor.11.* *Quæ putamus eſſe ignobiliora membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus.*

3. Adulatio tripliciter charitati contrariatur. Ad tertium dubium de adulatione reſpōdeo breuiter peccatū mortale eſt, quod cōtrariatur charitati. Adulatio autem quādoque contrariatur charitati, quādoq; nō. Cōtrariatur autem charitati tripliciter. Vno modo ratione ipſius materiæ, ſcilicet cum quis laudat alterius peccatum, & hoc eſt mortale peccatū. *Iſaiæ 5.* *Væ qui dicūt malū bonū.* Alio modo ratione intētionis, cū videlicet qs adulatur alicui ad hoc vt fraudulēter ei noceat, vel corporaliter vel ſpiritualiter, & hoc eſt etiam mortale peccatum. *Prou. 27.* *Meliora ſunt verbera diligentis quam fraudulenta oſcula odientis.* Tertiò cum laus adulatoris fit alicui occaſio peccandi etiam præter adulatoris intentionem, & in hoc oportet conſiderare vtrum ſit occaſio data vel accepta, & qualis ruina ſubſequatur, ſicut rectè de ſcandalo dictum eſt. Si autem quis ex ſola auiditate delectandi alios, vel etiam ad euitandum aliquod malū, vel cōſequendum aliquid in neceſſitate alicui adulatus fuerit, non eſt cōtra caritatē, nec peccatū mortale ſed veniale. Ex his patet quando adulatio ſit peccatum mortale & quando veniale; Et quia iſta tria peccata maximè nocent, ideò fugienda ſunt à nobis, vt Chriſto venienti in morte noſtra, expediti & parati occurramus, lætique eum videamus. Quod nobis cōcedere dignetur ipſe dominus noſter qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

DOMINICA TERTIA IN ADVENTV.
SERMO II.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus. Matth. 11.

SIcut ſecundū Auguſt. Deum de cælo ad terrā non traxerunt merita noſtra, ſed peccata noſtra, ſic Chriſtus veniēs in mūdū corporaliter ſemel, non venit niſi ad faciēdum de peccatoribus iuſtos, vt per hoc redderet eos ſibi habitacula & receptacula munda in quibus habitaret. Ita ſine dubio vbicūque hodie & ſemper inuenit talia habitacula ſibi dignè in anima præparata, non differt venire per gratiam inuiſibiliter. Quē quidem aduentū quilibet fidelis debet in ſe ſentire, & ſentiēdo de eo ſæpius inquirere, an in eius mentem Dei filius per gratiam dignatus ſit deſcendere, dicēs: *Tu es qui venturus es.* In quibus verbis circa aduentum Chriſti in mentem inſiſtendo, tria nobis conſideranda occurrūt, quę circa hoc thema moueri poſsēt. *Propoſitio* Primo inquirēdū eſt de conditione aduenientis, ſecundo de competenti diſpoſitione ſuſcipientis, tertio de fructuoſa operatione inhabitantis. Conditio aduenientis eſt alta & mirabilis, quia Dei filius. Diſpoſitio ſuſcipientis eſt ima & humilis, quia mens hominis. Operatio inhabitantis eſt efficax & vtilis, quia ſalus. Dicamus ergo iam quærentes à Chriſto. *Tu es qui venturus.*

Dixi primo, quod inquirendo primo de aduentu Chriſti in mentem hominis ſalutifero, inquirendum eſt de conditione aduenientis. Iſta eſt enim cautela qua vtimur erga Aduenas, alienos & peregrinos, ignotos & extraneos ſolemus quærere, qui ſint, vnde ſint, aut cuius generis ſint. Sic quæſitum eſt à Iona propheta, *quæ terra tua, aut ex quo populo es, Quo vadis, & quod eſt opus tuū?* *Ionæ 1.* Inquirendum ergo & nobis de conditione aduenientis filij Dei, & inueniemus quia non venit de terra qualicunque mortalium, eo quod regnum ſuum nō eſt ex hoc mundo. Venit ergo à regalibus ſedibus, de terra viuentium, in qua *Ioan. 9* eſt omne bonum & nullum malum. Hæc eſt *Sapien. 6.*

Deuter. 8. terra bona & ſecura, promiſſa filijs Iſrael. Venit etiam de populo non qualicuque, ſed de cœleſti. Et ipſe dominus cœlorum qui dicit de ſe. *Cœlum & terram ego impleo.* Veruntamen licèt iſte nobiliſſimus hoſpes in natura diuina ſit altus & mirabilis, tamen in natura humana eſt mitis & cor de humilis (Matt. 11.) manſuetus & amabilis. Ideò conditio iſtius aduentus ex duobus cognoſcitur. Partim enim eſt ſeuerus & formidabilis Iuxta illud: *O rex gentium quis non timebit te?* Pro iſta enim parte ſcilicet naturæ diuinæ, eſt plenus iuſtitia & æquitate. Iuxta illud pſalmi, *Iuſtus dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*. Ex alia verò parte iſte hoſpes eſt manſuetus & placabilis cum ſit homo hominis filius, qui naturaliter eſt animal manſuetum, politicum & ciuile. Pro iſta enim parte dicitur de eo quod diffuſa eſt gratia in labijs eius. Ex quibus patet quod aduentus Chriſti in mentem humanam eſt cum veritate & gratia. Iuxta illud. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi.* Sũt autem iſta duo connexa ſibi in viſitatione & aduentu Chriſti in mentem, vt alterum ſine altero plenam viſitationem non faciat. Nam ſicut dicit Bernardus: Seueritas iuſtitiæ Dei ſine miſericordia, oneroſa eſt. Miſericordiæ verò hilaritas ſine iuſtitia, poſſet videri diſſoluta. Amara eſt veritas, feruor leuis & neſciens modum, plerumque & inſolens ipſa deuotio. E conuerſo autem multis non profuit accepiſſe gratiam, pro eo quod temperamentum de veritate petitur non acceperunt. Ex hoc enim pluſquam oportuit complacuerunt ſibi in ea, dum non veriti ſunt veritatis obtuitus, nondum reſpexerunt maturitatem, magis autem leuitati hilaritatique dederunt. Inde factum eſt vt in qua priuatim exultare voluerunt, gratia priuarentur. Hæc Bernardus. Ex his infero primo quod gratiæ Dei triplex eſt gradus. Primus in veritate & iuſtitia operum noſtrorum, quod tunc fit quando opus noſtrum eſt bene, decenter, diſcretè, & prudenter diſpoſitum. Hæc enim eſt donum Dei, quod quis ſcit debitè exercere actum virtuoſum. Nam vt ait Bernardus. Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo, dona Dei ſunt. Vnde Salomon de ſe dicit: *Sciebam quod non potui eſſe continens niſi tu dederis mihi.* Et apoſtolus. *Quid habes quod non accepiſti.* Saluator quoque concludens ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Et verè nihil; nam omne bonum ſiue ſit gratuitum, ſiue naturale, à gratia Dei eſt, quia nullum bonum eſt quod ipſe non velit eſſe, cuius velle eſt facere. Non eſt ergo bonum quod ipſe non faciat, inquit Linconienſis ſermone 140. Magnum igitur donum gratiæ eſt diuinæ ſcire aliquid facere prout eſt faciendum.

Matt. 11.
Conditio aduentus Christi vnde cognoſcatur.
Bern. ſer. 74. ſup. Cant.
Gratiæ Dei triplex gradus.
1.
Bern. ſer. 3.
Sap 8.
1. Cor. 4.
Ioan. 15.

2\. Secundus gradus gratiæ diuinæ eſt in promptitudine voluntatis & affectus, quod tunc fit quando homo inuenit ſe promptum ad opera virtuoſa & ſalutifera. Et hæc voluntas non eſt niſi à Deo qui operatur in nobis velle & perficere, ideò donum Dei eſt; non enim habetur à nobis, iuxta illud Apoſtoli. *Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis.* Et Bernardus dicit hunc gradum ſuperiorem ad primum. Nam quid prodeſt ſcire quid te oporteat facere, ſi non detur & velle facere, nam ſcienti & non facienti peccatum eſt illi. Item ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, vapulabit plagis multis. Patet ergo quod alterum ſine altero non ſufficit, immò nec expedit.

2. Cor. 3.
Bern. ſer. 74. ſup. Cant.
Luc. 12.

Tertius gradus gratiæ diuinæ eſt in ordinatione operum ad debitum finem, finis autem operum noſtrorum eſt gloria Dei & ſalus noſtra. Vnde Bernardus dicit, quod gratia non prodeſt, vbi veritas non eſt in intentione operum, immò plus obeſt. Ex quo infero quod nihil ita priuat hominem gratia ſicut vana gloria, quia ibi non eſt veritas in intentione, eo quod tales omnia operãtur vt videãtur ab hominibus, quod eſt reprahenſibile per Chriſtum. O quã multi hodie accipiunt munus gratiæ, ſed ſtatim illud amittunt propter carentiã veritatis. Sicut Iudas accepto munere Euchariſtiæ, quia in veritate non ambulauit, & mala, intentione ſcilicet tradendi Chriſtum: quid ſequitur de eo, poſt buccellam introiuit in eum ſathanas. Quam multi corrupta intentione hodie communicantes ſimiles ſunt Iudæ, quia ad tem-

Bern. ſer. 74. ſup. Cant.
Matth. 5. & 23.

ad tempus à peccatis abſtinent, ſed intentionem peccandi nihilominus habent. Sunt & alij, qui pro quod ad eo ſuam gloriam & laudem bona oſtentant, gratiam amittunt Sic Diabolus qui fuit factus in decore maximo, omnia amiſit. De quo ſcriptum eſt:
Iſaiæ 14. *Perdidiſti in decore tuo ſapientiam.* Quã mul-
Ezech. 28 ti & alij qui ſibi ſufficere credentes, dicunt.
Matt. 25. Quid mihi deeſt, ſed amittunt omnia, dum ſe ſufficere credunt ſibi. Sic quinque fatuæ virgines ſufficere credẽtes lampades vacuas ſine oleo, merito audiunt, neſcio vos. Sed & illi qui pro ſuæ dignitatis merito gratiam miraculorum datam credunt & gloriantur cum acceperint, merito audiunt. *Neſcio vos. Diſcedite* inquit *à me maledicti, quia non noui vos.* Sed & alij qui ſingulariter acceptam gratiam ſibi datam credunt, dum cæteros decipiunt, audiunt publicanum iuſtificatũ,
Luc. 18. phariſæum verò damnatum. Iſti ſecundum
Bern. ſer. 12. ſuper. Cant. Bern. ſunt fures Dei, eo quod furantur gloriam quam ipſe Deus ſibi reſeruauit, dicens per prophetam: *Gloriam meam alteri non dabo.* Sed timeant iſti fures, ne cum Iuda la-
Matt. 27. queo inferni ſuſpenſi crepent medij.

II.

Inquirendum nunc eſt de conuenienti diſpoſitione ſuſcipientis, ſic enim quæſitũ eſt a Iona, *quo vadis?* Certè ſi quæramus à Chriſto quo vadat, breuis erit eius reſponſio, quia ad humilẽ. Sic enim ait ex perſona
Iſaia 66. ſui propheta: *Ad quem* inquit *reſpiciam niſi ad humilem & trementem ſermones meos.* Duo dicit, ſcilicet humilitatem & timorem. Hæ ſunt virtutes, quę præparant habitationem dignam gratiæ diuinæ. De prima dici-
Iacob. 4. tur, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat*
Luca 1. *gratiam.* Et: *Quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit.* De timore: *Miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Sed quia timor reſpicit humilitatem & includitur in ea, quicquid facit humilitas per timorem facit. Videamus ergo qualiter hæc
Tres virtutes diſponunt ad gratiã. humilitas cum alijs virtutibus diſponit habitaculum huic hoſpiti venienti. Sunt ergo tres virtutes diſponentes huiuſmodi habitaculum gratiæ diuinæ. Prima eſt fides. *Au-*
Prou. 1. *di fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas*
1. *legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo,* id eſt, menti tuæ, ſcilicet in præſenti, & *torques collo tuo*, ſcilicet gloriæ, in futuro. Duo præcipit hic ſeruare, ſcilicet diſciplinam præceptorum Dei patris, & fidem credendorum Eccleſiæ matris. Nam alias fides ſi-
ne operibus præceptorum mortua eſt. Sed Iac. 2.
quia conſilia diſponunt ad præcepta, vt dicit beatus Thom. hinc eſt quod volens præparare habitationem venturæ gloriæ, debet etiam conſilia cuſtodire. Iuxta illud: *Cuſto-* Prou. 3.
di legem atque conſilium, & erit vita animæ tuæ & gratia faucibus tuis. Nec ſolum fides meretur Dei viſitationem qualemcunque vel leuem vel breuem, ſed etiam gratiæ ipſius diuturnam inhabitationem. Iuxta illud. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.*

Secunda virtus quæ diſponit habita- 2.
culum aduenienti gratiæ, eſt patientia. Vnde Paulo patienti afflictionem dictum eſt: 2. Cor. 12.
Sufficit tibi gratia mea. Tunc autem vera pa- Patientia
tientia eſt, cum homo ſe benè circũſpectè vera quæ ſit.
& vigilanter habet contra tentamenta diaboli, flagella Dei, & contumelias proximi. Greg. homil. 7. ſup. Ezech.
Nam ſicut Greg. dicit tribus modis virtus patientiæ exerceri ſolet. Alia namque ſunt quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduerſa- Tribus modis exercetur.
rio, alia quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo namque perſecutiones, damna & cõtumelias ſuſtinemus: ab antiquo aduerſario, tentamenta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus modis vigilanti animo oculus mentis debet ſemetipſum circumſpicere, ne propter mala proximi protrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta aduerſarij, ſeducatur ad delectationem vel conſenſum delicti: ne contra flagella opificis prorūat ad exceſſum murmurationis.

Tertia virtus quæ diſponit habitaculum 3.
aduenienti gratiæ diuinæ in anima hominis, eſt humilitas vera, de qua dicitur. *Deus* Iacob. 4.
ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat grati- Prou. 3.
am. Illuſores ipſe deludit, manſuetis autem dat gratiam. Vbi gloſſa oſtendens in quo conſi- 1. Pet. 5.
ſtat hæc humilitas, dicit: Humilitatem primo dicimus vel quando aliquis pro abluẽdis peccatis incipit ſalubriter atteri, vel ſecundo quando ſpontanea mentis deuotione perfectiores Deo humiliantur & proximis, vel tertio quando contra perſecutores per patientiæ virtutem animus armatur ad omne genus humilitatis. Sed quia hæc omnia

nia deficerent abſque timore Dei, ideò ad omnia iſta timor eſt neceſſarius. Omnes enim virtutes præparantes & diſponentes habitaculum gratiæ Dei ſine timore, ſunt debiles. Hæc enim eſt quæ fortitudinem in omnibus gignit, vt dicit Gregor. *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum.* Iſte etiam timor facit vt nihil de continentibus circa præparationem mentis obmittatur. Nam vt dicitur Eccl. 7. *Qui timet Deum nihil negligit* Quod Gregor. exponit dicens: Timere eſt nulla quæ facienda ſunt bona prætcrire. Ex his infero quod ſicut præſumptuoſi, ſuperbi & accidioſi negligenter obmittunt procurare ea quæ ſunt ſaluti ipſorum neceſſaria, ita virtuosè timentes prouident quæ oportet de omnibus. Figura de Gabaonitis, qui timentes a facie filiorum Iſrael, cautè eis prouiderunt, ne ab eis deſtruerentur. Vnde Epimenides Philoſophus legitur dixiſſe, Beata ciuitas quæ tempore pacis timet bellum.

Greg. li. 5. moral.

Greg. li. 1. moral.

Ioſue 9.

Homini quæ ſint timenda.

Quæ autem debet timere quilibet homo, oſtenditur in vitis Patrum, vbi dicitur quod Abbas Helias dixit. Tres res timeo. Vnam quando anima egreſſura eſt de corpore, aliam quando occurſur⁹ ſum Deo, tertiam quando de me fuerit proferenda ſententia. Maximè autem timor iſte valet ad retundendam ſuperbiam quæ gratiam nititur expellere. Proinde dicit Bern. In veritate comperi nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam & recuperandam, quam ſi omnino coram Deo inueniaris non altum ſapere & timere. Beatus enim homo qui ſemper eſt pauidus. Et quia gratia diuina quandoque arridet cum aduenit, quandoque recedit & abit, quandoque denuo redit, ob id circa omnia iſta debet eſſe homo pauidus. Ideò benè dicit ſapiens *ſemper*, non ſemel vel aliquando, ſed pro omni tempore.

Lib. 2. parte 3.

Bern. ſer. 55. ſup. Cant.

Sed diceres quare debeo timere pro gratia cum adeſt, cum vtique potius deberem gaudere. Reſpondet Bern. vbi ſupra, quod ideo timere debes, ne fortè nõ dignè opereris ex ea, quod admonet Apoſtolus: *Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et ad diſcipulum ait. *Noli* inquit *negligere gratiam quæ in te eſt.* Et de ſemetipſo dicebat: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Sciebat homo conſilium Dei habens, redundare, & contemptum donantis donum negligere nec expendere ad quod donatum eſt, idque intolerabilem ſuperbiam iudicabat. O quã multi ſunt hodie vacui receptores gratiæ diuinæ, qui aut in dignitatibus, honoribus, ſedibus & officijs quibuſcunque, aut etiam ordinibus ſecularibus & ſpiritualibus conſtituti, non exercent ea quæ ipſorum officia requirunt. Hi pro certo in vacuum gratiam Dei receperunt; nam quamplures ſunt ſacerdotes, ſed pauci miſſas legentes, pauciores confeſſiones audientes, pauciſſimi prædicantes. De quibus Chryſ. dicit, quod multi ſacerdotes pauci ſacerdotes, multi nomine pauci re, quam multi reges, principes, milites & barones, ſed pauci pauperum defenſores; & vtinam ipſimet non fierent egenorum oppreſſores, ſimiles tutori qui in ſubditum & ſibi commiſſum deſæuit pupillum, quod vtique maximę impietatis & infidelitatis eſt. Idem etiam eſt in talibus, ac ſi cum mucrone ſuo iugules, ob cuius defenſionem ab eodem traditum tibi gladiũ accepiſti. Quam multi ſunt alij in priuatis officijs, & ipſi habentes diuiſiones gratiarum, qui tamen in vacuum recipere ſe oſtẽdunt, dũ in eis ociantur. Multi quoq; & alij qui etſi agunt ex donis gratiæ ipſis collatis, tamen effectum gratiæ arrogant ſibi, & hi peiores ſunt. In quibus vt dicit Bern. Diabolus etſi non valet impedire actionem, ſaltem curat impedire intentionem, vt dicant tales, Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. Sed & hi non minus in vacuum gratiam probantur accepiſſe, cum ex eius operatione remanent vacui & inanes; Omnia enim in eis vento ſuperbiæ euaneſcunt. Ex his patet quod duplices ſunt homines in vacuum gratiam recipientes. Pmi ſunt ocioſi, ſecundi vanè glorioſi. Vt igitur gratiam vtiliter recipiamus, vtamur ea corde & opere. Corde cogitando, meditando & contemplando diuina beneficia, in cælo, terra, mari, aere, in teipſo, & ſuper omnia in Domino Ieſu Chriſto tibi miſero collata. Ore ſimiliter de ipſis loquendo, vt ex abundantia cordis os loquatur,

2. Tim. 4.

Bern. ſer. 55. ſup. Cant.

Gratiam in vacuũ qui recipiant.

Coloſſ. 4. tur, & ſermo veſter ſemper in gratia, ſale ſit conditus. Sed de multis verum eſt hodie illud: *Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium*. Et: *Os tuum abundauit malicia*. Sequitur. *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris.* Ecce detractio. Et iterum, *Venenum aſpidū ſub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt*. Verè maximum venenum ſermo impudicus, qui toxicat etiam animam, quod nullum venenum facere poteſt. Tertio vti gratia in operatione; quanto enim plura operatur quis, tanto maiorem gratiam habere approbatur. Quia ſecundum menſurā operationis bonæ, accipitur menſura dilectionis diuinæ. Non ſolum autem timendum eſt homini cum habet gratiam, ne ea indignè vtatur, ſed multo plus timendum eſt ei cum ab eo aufertur; tunc enim non deficit gratia ſibi, ſed ipſemet deficit. Audi quid dicat dator gratiæ. *Sine me nihil poteſtis facere*. Time ergo ſubtracta gratia cum ſis ſine Deo, ac ſi mox caſurus. Time & contremiſce, Deo tibi vt ſentis irato: Time quia reliquit te cuſtodia tua. Nec dubites in cauſa eſſe ſuperbiam, etiam ſi non appareat, etiam ſi nihil tibi conſcius ſis; quod enim tu neſcis, ſcit Deus, & qui te iudicat, ipſe eſt, ſed nec qui ſe commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Nunquid commendat te Deus cum gratia priuat, aut nunquid humilibus dat gratiam, humili aufert datam. Et ergo argumentum ſuperbiæ, priuatio gratiæ eſt, quamquam tamen interdum non pro ſuperbia quæ iam eſt, ſed quæ futura eſt etiam ſubtrahatur; ſicut patet de Paulo, qui non quia extolleretur, ſed ne extolleretur patiebatur ſtimulum. Sed ſiue iam exiſtis ſiue nondum, ſuperbia tamen ſemper cauſa erit ſubtractæ gratiæ. Hæc Bern. Iam ſi gratia redierit propiciata, multo amplius tunc timendum ne forte contingat recidiuum pati. Iuxta illud: *Ecce factus es ſanus, vide ne deteriꝰ tibi cōtingat*. Audiuimus recidere quā incidere eſſe deterius, proinde inualeſcente periculo inualeſcit & metus. Beatus igitur es ſi cor tuum triplici repleueris timore iſto, vt timeas quidem pro recepta gratia, ampliꝰ ꝓ amiſſa, plꝰ pro recuperata. Et quia parum eſſet hominem parare habitaculū aduenienti gratię in anima eius, ſimiliter modicum vel nihil cōmoditatis foret ſuſcipere gratiam ad tempus, niſi eam ſciret diutius conſeruare, ideò pro omnibus iſtis vltra ea quæ dicta ſunt, eſt ſciendum quod aliæ virtutes præparant habitaculum gratiæ aduenienti, aliæ eam impetrant, & aliæ eam cōſeruant. Diſponunt & præparant mentē illæ tres de quibus dictum eſt, ſcil. fides, patientia, & humilitas. Impetrant, memoria diuinorum beneficiorum quæ in homine facit eſurire gratiam, vt ſic eſurientes implentur bonis. Item ſapientia, iuxta illud: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum*, dici- (Luca 1.) tur de ſapientia. Item tertio oratio deuo- (Prou. 4.) ta, vnde orantibus Apoſtolis cecidit Spiritus ſanctus. Conſeruant verò tres, ſcili- (Act. 11.) cet iuſtitia operum ſeu exercitatio virtutū. (Prou. 14.) *Inter iuſtos morabitur gratia*. Et præmittitur. *Stultus illudit peccatum*, qui ſcilicet ſine operibus ſequentibus ſe habere gratiā vel ſaltem in fine inuenire putant. Secundo pietas & miſericordia: *Eleemoſyna viri quaſi ſaccu-* (Eccl. 17.) *lus in via, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit*. Tertio diligens ſui circumſpectio & vigilantia ad perſeuerandum in bono. Vnde de incircumſpectis dicitur: *Gratia fatuorum effundetur*. Et: *Cor fatui quaſi vas* (Eccli. 20. & 21.) *confractum, omnem ſapientiam non tenebit*. Cum igitur ſic homo fuerit diſpoſitus & paratus in mente, certè & abſque dubio merebitur gratiam diuinam.

III.

Quærendum eſt parte hac tertia de fructuoſa & efficaci operatione gratiæ inhabitantis, quia in mente noſtra ordinatur per ſe, & directe in ſalutem noſtram. Ad hoc enim filius hominis dicit ſe veniſſe quęrere & ſaluū facere: hoc ſignificat & nomē ſuū Ie- (Matt. 1.) ſus, ꝙ interpretatur ſaluator. Aduentus igi- (Aduentꝰ in mente quid operatur.) tur eius in mentem non aliud operatur quā ea quæ ſunt ſalutis, nam ad hoc venit gratia vt ſubueniat lapſis, illuminet cæcos & vacuos impleat. Ita dicit Auguſtinus ſuper illud *Ad eum veniemus*. Vnde Beda deſcri- (Beda l. 3. ſup. Cāt. in illud, Veni in hort.) bens multiplicem operationem huius aduentus, ſic dicit. Veni vt errantes corrigam, infirmantes adiuuem, & dubitantes in fidę confortem, bene agentium fru

ctibus

ctibus perfectis quaſi ſuauiſſimis floribus paſcar, certantes ab hoſtium inſidijs defendam, & victores hoſtium perpetuæ meæ viſionis corona remunerem. Hæc ille. Et quia ſalus hominis incipit ab vna parte iuſtitiæ, & tendit ſeu proficit per aliam, quouſque conſumetur per tertiam, quæ ſine gratia eſſe non poſſunt, ideo breuiter videamus de omnibus iſtis effectibus gratiæ quomodo in mente noſtra per gratiam ordinantur. De ipſa enim gratia ſcribitur. 1. Iohan. 2. Vnctio docet de omnibus, ſcilicet partibus iuſtitiæ generalis. Prima auté pars iuſtitiæ eſt declinatio mali, ſecunda adhæſio boni, tertia perſeuerantia in bono. Iſta omnia aduenienꝭ gratia diuina in mente hominis operatur & efficit. Vnde Apoſtolus deſcribens
Tit. 2. eius efficaciam ſic ait. *Apparuit gratia ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatē & ſecularia deſideria.* Ecce declinatio mali. Impietatem dicit auerſionem à bono incommutabili. Secularia deſideria dicit, quæ pertinent ad conuerſionem ad bona commutabilia, ſecundum Gorranum, vel ſecundum Remig. ſuper locum iſtum vbi dicit *Abnegantes*, id eſt, à nobis repellentes *impietatem*, id eſt, omnem libidinem, ſuperbiam & ambitionē. *Secularia deſideria*, id eſt, cupiditatem ſecularis honoris & cætera carnis deſideria. Alexander tamen dicit impietatem illud,
Alenſis. quod eſt contra cultum Dei, vt peccata & omnia vicia, vana doctrina, ſortilegia, diui-
1. Ioan. 2. nationes & ſimilia. Secularia deſideria ſunt concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ. Et hæc eſt prima vtilitas gratiæ aduenientis, expellere ſcilicet peccata & purgare domum mentis ad dignum habitaculum ſpiritui ſancto præparandum.

Secunda pars iuſtitiæ eſt adhæſio boni q̃
1. Sap. 8. docet gratia, iuxta illud, *Doctrix enim eſt diſcipiina Dei & electrix operum eius.* Duo dicit de ea. Primum quod eſt caſtigatrix paſſionum quantum ad primam partem iuſtitię primo dictam. Secundo quod eſt electrix operationum quantum ad exercitationes operationum. Sic exponit Holcoth ibidem. Quid autem docet operari, ſubditur. Sobriè quo ad nos, iuſtè quo ad proximos, piè quo ad Deum viuamus in hoc ſeculo. Sobrietas ſecundum Alexand. conſiſtit in ab- Alenſ.
ſtinentia & continentia, non ſolum cibi & potus, ſed etiam omnium quibus ad neceſſitatem homo debet vti, vt omnibus tēperatè vti ſciat. O quam neceſſaria eſſet iſta gratia noſtris temporibus, vt inſtrueret nos ſic ſobriè viuere quo ad nos, quę quia prohdolor deficit, ideò in nullo homines habent temperantiam. Nam ſine menſura bibunt & comedunt, ſine modo dormiendo quando vigilandum eſt, & vigilant quando dormiendum eſt; ſine menſura veſtiuntur. Nam quæ menſura eſt caudas protendere palliorum in tantum, vt abominationem & horrorem bonis viris in Eccleſia inducant. Aut quæ abuſio eſt illa trahere per terram & lutum quæ ſufficere poſſent pro tegumento pauperum & egenorum. Et quæ inſuper impietas eſt erga Deum, & irreuerentia ergà ſacramenta, & præcipuè venerabile ſacramentum altaris, ſic caudis illis pulueriſare & altaria ſqualore pulueris conſpergere. Videant qui eiuſmodi ſunt quantam temperantiam habent in talibus. Præterea iuſtitia quam docet gratia eſt quæ reddit vnicuique iuxta ſtatum ſuum, & præſertim proximo quod ſuum eſt, non ſolum reſtituendo alienū, ſed etiam cōmunicādo ꝓpriū. *Mutuū dātes, nihil inde ſperātes.* Et illud. *Frā* Luc. 6.
ge eſurienti panem tuū. Non ſolum ille iuſtus Iſaia 58.
eſt qui non recipit alienum vel receptum reſtituit, ſed etiam ille multo iuſtior eſt qui communicat proprium. Non ergo dicit, Redde panem alienum, ſed frange tuū. Pietas etiam eſt cultus proprie humilis & deuotus, qui tunc fit quando pio mentis affectu diuinæ protectioni nos contra omnia pericula committimus, & inter flagella etiam gratias referimus ei qui prior pro nobis maiora ſuſtinuit, apud quem patientia pauperum non peribit in finem. Sed quia iſta parum prodeſſent ſine perſeuerantia in talibus, ideo gratia docet perſeuerantiam omnium. Quo ad hoc ſubditur: Expectantes beatam ſpem, id eſt, tamdiu iſta ſeruate, expectantes beatam ſpem, id eſt, beatitudinem ſperatam quouſque veniat, & aduentum magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, id eſt, aduentum Chriſti ad iudiciū, qui eſt magnus Deus & ſaluator noſter. Sic exponit Gorra. ſuper epiſtolam ad Ti-

tum.

Ex defe- tum. Ex his iam patet reſponſio ad quæſti-
ctu gratiæ onem qua quæritur, Quare & vnde eſt quod
multa in- hodie homines malos mores nõ abijciunt,
cõmoda. ſed eos potius continuant, virtutes deſerũt,
& in eis non exercitantur, in deuotione ad
Deum deficiunt, proximos offendunt & ſe-
metipſos turpiter & inhoneſtè confun-
dunt, in bono cœpto non perſeuerant, nec
opera ad finem producunt, ſed potius ante
finem deſerunt. Et eſt breuis mea reſponſio,
quia cauſa omnium iſtorum eſt defectus
gratiæ, cum qua veniente omnia bona ve-
Sap. 7. niunt, & ea diſcedente, omnia bona diſce-
Ioan. 15. dunt, & omnia mala proueniunt. Iuxta il-
lud: *Sine me nihil poteſtis facere.* Vt igitur ad-
uentum Chriſti per gratiam in mentes no-
ſtras mereamur, præparemus corda noſtra
per fidem, patientiam & humilem deuotio-
nem. Nam in rei veritate ſperare poterimꝰ,
quod ſi fecerimus quod in nobis eſt, non
fraudabit Deus deſiderium noſtrum, iuxta
illud quod ſcriptum eſt. *Deſiderium* inquit
*pauperum exaudiuit Dominus, præparatio-
nem cordis eorum audiuit auris tua.* Vides
quia dicit quod deſiderium & cum hoc præ-
parationem exaudiuit. Multi inquit deſide-
rant vocibus oris & cordis, ſed non præpa-
rant bonis operationibus, ideò vtrumque
coniungitur, quia alterum ſine altero non
ſufficit.

Nota ſecundum Gorran. ſuper epiſt. 13. *Effectus*
c. ad Heb. Gratia Dei multos habet effectus: *gratiæ*
Primo enim filios Dei gignit, ad eſſe ſpiri- *Dei.*
tuale producendo, ſicut coniunx fœcunda, 1.
quia viuere idem eſt quod eſſe. *Gratia Dei* *1. Cor. 15.*
ſum id quod ſum. Secundo genitos nutrit, in 2.
eſſe illa conſeruando, ſicut nutrix ſedula. *Sap. 16.*
Omnia nutrici gratiæ tuæ deſeruiebant. Ter- 3.
tio erudit, de neceſſarijs inſtruendo, ſicut *Tit. 2.*
ſapiens magiſtra. *Apparuit gratia Dei, erudi-
ens nos &c.* Quarto protegit, à periculis li- 4.
berando, tamquam gubernatrix ſiue nauis
tuta. *Aliquotiens vſque ad mortem periclita-* *Eccl. 34.*
*tus ſum cauſa horum, ſed gratia Dei liberatus
ſum.* Quinto purgat, à peccatis iuſtifican- 5.
do, tamquam ſalubris medicina. *Iuſtificati* *Rom. 3.*
gratis, per gratiam ipſius ſcilicet Dei. Sexto 6.
iuuat, in bonis corroborando tamquam ef-
ficax ſocia. *Plus omnibus laboraui, non ego* *1. Cor. 15.*
autem, ſed gratia Dei mecum. Septimo con- 7.
fortat in tentationibus roborando, tanquã
ſtabilis amica. *Tu ergo fili confortare in gratia* *1. Tim. 2.*
Dei. Octauo ſaluat in vitam æternam tan- 8.
quam fidelis aduocata. *Gratia Dei vita æ-* *Rom. 6.*
terna. Et *Gratiam & gloriam dabit Dominus.*
Quam nobis præſtare &c.

DE EADEM SERMO III.

Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te. Matth. 11.

QVoniam vt ait Auguſt. ſuper pſalm. 70. ad hoc vt ſit homo aliquid, conuertat ſe ad illum à quo creatus eſt, recedendo enim frigeſcit, accedendo ferueſcit; recedendo tenebreſcit, accedendo clareſcit. A quo enim habet vt ſit, apud illum habet vt benè ſit. Qui ergo vult ſimul eſſe cum Deo, non ab illo recedat, ſed ad illum accedat. Hæc ille. Verum quia peccator homo & ſi velit interdum ad Deum accedere, per ſe tamen hoc facere non poteſt, eo quod peccata viam qua ad Deum redire deberet infecerunt, iuxta illud: *Via impiorum complantata lapidibus.* Et: *Via eorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini, quod deterius eſt, perſequens eos.* Ideoque neceſſe habet peccator habere ductorem & viæ præparatorem. Ex quo enim eſt in tenebris, debet habere lucidum ductorem. Et ex quo eſt in lubrico, debet habere viæ præparatorem. Ex quo habet Angelum perſecutorem, neceſſe debet habere Angelum protectorem. Volens igitur ſaluator noſter vt ad eum ſecuri accedamus, & per viam tutam reuertamur, prouidere dignatus eſt de ductore & præparatore viæ ſalutaris, & hoc per prædicatores nuncios & ſeruos ſuos. Quorum

vnumquemque dirigens ad hominem dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum.* In quibus verbis tria deſcribuntur multum peccatoribus maximè iſto ſacro tempore conſolatoria. Et licet iſta verba ſint dicta ad litterã de Iohanne Baptiſta, qui debuit præparare viam fidei Chriſto in mundum venturo, tamen congruè poſſunt competere cuilibet prædicatori ab Eccleſia miſſo ad prædicandum & oſtendendum viam ſalutis cuilibet peccatori, qui non minus vtiliter, quam alter Iohannes Baptiſta, & ſi non vitæ merito, ſaltem ordinis ſui officio faciet & præparabit viam fidei, & morum iuſtitiæ diuinæ in cordibus fidelium. Vnde vt peccator non deſperet, ſed conſoletur de ſalutis ſuæ præſidio, ad eum dicitur verbum ſaluatoris ex perſona ſui *Ecce ego mitto.* Vbi primò deſcribitur hæc miſſio nunciorum Chriſti, & redditur commendabilis, tanquam autẽtica à mittentis auctoritate, cum dicitur. *Ecce ego mitto.* Secundo redditur commendabilis à miſſi dignitate, cum dicitur, *Angelum meũ.* Tertio redditur commendabilis a miſſionis vtilitate, cum dicitur, *qui præparabit viam* Mittentis auctoritati eſt fideliter obediendum & obtemperandum humiliter. Miſſus eſt reuerenter tractandus, & honorandus decenter & venerabiliter. Miſſionis vtilitati eſt perſeueranter inſiſtendum & intendendum vnanimiter.

Propoſitio

I.

Hæc miſſio redditur commendabilis, primo ex mittentis auctoritate, cui obediendum eſt fideliter & humiliter. Non enim eſt ſimplex perſona, non Prælatus ſpiritualis vel ſecularis, non rex aut princeps, qui omnes poſſunt inobedientes ſuos in corpore dũtaxat corripere; ſed hic eſt Dominus; qui cũ occidit corporaliter, habet poteſtatẽ animam mittere in gehennam. Hic enim eſt, qui de ſe ait: *Ego Dominus & non alius præter me.* Et iterum. *Ego Dominus formans terram & creans cœlos.* Idcircò cum ſit magnæ auctoritatis Dominus, eſt ei obediendũ; pro tanto namque dicit ſignanter: *Ecce ego mitto.* Certè ſi Angelus, ſi patriarcha, ſi propheta, ſi papa Chriſti vicarius in terris, qui habet claues regni cœlorum ex ſucceſſione Petri; ſi imperator aut rex, qui non ſine cauſa gladium portat; ſi dux aut comes vel princeps, qui ad vindictam malorum, laudem vero bonorum miſſi ſunt, nuncium ſuum vel legatum mitteret ad nos, iuſtum eſſet & dignum, vt ei pareremus: quanto magis ergo obediendum eſt Deo, cui venti & mare obediunt, & cui curuatur omne genu, cæleſtiũ, terreſtriũ & infernorũ. Hic.n. eſt. qui, vt dictũ eſt de ſe ait: *Ego Dominus & non ali⁹ præter me.* Et iterũ. *Ego Dominus formans terram & creans cœlos.* In quo oſtendit ſuam immenſam poteſtatem; nam formare terrã & creare cælum eſt poteſtatis infinitæ, cum productio talium ſit de nihilo ad aliquid. Omnis autem potẽtia menſuratur per proportionem facti ad id, ex quo fit. Tanta eſt enim potentia facientis, quantum factum excedit illud, ex quo fit. Omne autem aliquid, quantumcunque vile & paruũ in infinitum excedit nihil. Igitur cum ratio inuenerit cælum & terram eſſe aliquid ex nihilo, & decurrerit ab his ad potẽtiam facientis, menſurauerit que eam per proportionem facti ad illud, ex quo fit, videtur certè hæc egreſſa non à minori, quam ab infinita potentia. Sic igitur cælum & terra ſunt ſimulachrum, ſeu exemplar infinitæ Dei potentiæ efficientis, vt dicit Robertus Linconienſis. Iſta potentia infinita patet ex operum eius multitudine, magnitudine & pulchritudine. Quis enim ſufficienter exprimat diuerſitates terrarum, genera arborum & herbarum, fructum & granorum, colorum, cantilenarum, odorum & florum, carnium, piſcium, ſaporum, lapidum & omnium metallorum, genera animalium & ſtellarum, & multitudinem Angelorum? Quis ſufficienter exprimat, quam ſit admirabilis in omnibus tanta diuerſitas facierum? Quis dignè ediſſerat, quanta ſit illa ſcientia, quę ſciuit diſtinguere tam diuerſa? Cum enim ſe habeat ad infinita talia producenda, cum nihil producatur, quod prius non fuerit in illa ſcientia ſecundum ſimilitudinem idealem, neceſſe eſt eſſe illam ſapientiam infinitam. Vnde cum propheta dixiſſet. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Statim adiunxit. *Magnus Dominus Deus noſter & magna virtus eius, & ſapientia eius non eſt numerus.* Et.

Matt. 16.

1. Pet. 2.

Matth. 8.

Philip. 2.

Rob. Lincon. in coll. ſer. 59.

Potentia Dei infinita vnde dignoſcatur.

1. Reg. 2.

2.Reg.2.dicitur. *Deus ſcientiarum Dominus*
eſt,& ipſi præparantur cogitationes. Quia igi-
tur ſic ſapiens & potens eſt, per ſapientiam
omnia diſcutiet, & per potentiam omnia
puniet. Vnde Apoſtolus conſiderans iſta di-
Hebr.4. cit: *Viu⁹ eſt ſermo Dei & efficax,& penetrabili-*
or omni gladio ancipiti; pertingens vſque ad
diuiſionem animæ & ſpiritus,compagum quo-
que & medullarum, & diſcretor cogitationum
& intentionum cordis;& nulla creatura inui-
ſibilis eſt in conſpectu eius,ſed omnia nuda &
aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo.
quaſi dicat: de omnibus iſtis tenemur ſibi
reddere rationem. Ex hoc infert Gorra.
quod ideò timendum eſt offendere talem
Deo omnia ſunt cognita. iudicem,qui ſcit & poteſt omnia. O quan-
ta ſapientia & ſcientia in iſto iudice! qui eſt
diſcretor cogitationum cordis;ſcit enim de
quo quis cogitat, & intentionem ipſarum
cogitationum.Scit ad quem finem cogita-
tiones tendunt,ſiue ad bonum,ſiue ad ma-
lum.Scit etiam cuiuſmodi peccatum quiſ-
que faciat, & quomodo eadem peccata
adinuicem ſint connexa. Scit ad quæ pecca-
ta quiſque magis afficiatur, nec eſt vlla
creatura ſcilicet terrena cæleſtis vel infer-
nalis,inuiſibilis in conſpectu eius, id eſt, in
Iob.26. potentia diuinitatis eius. *Nudus eſt infernus*
coram illo. cuius eſt diuinitas vicina omni
rei.Vnde omnia cæleſtia,terreſtria & infer
nalia nuda, id eſt, diſcooperta & reuelata
Eccli.23. ſunt & aperta,id eſt,plenè manifeſta oculis
eius.id eſt,viſioni eius filij Dei. *Oculi eius*
lucidiores ſole,circumſpicientes omnes vias ho-
minum.

Ex his iam patet immenſitas auctorita-
tis iſtius Domini mittentis Angelum ſuum.
Rom.11. Ipſe enim eſt qui omnia fecit,omnia nouit,
omnia regit. *Quoniam ex ipſo & per ipſum &*
in ipſo ſunt omnia.Ipſi honor & gloria. Et pa-
tet vlterius,quia ex hoc tenemur Deum di-
ligere,qui fecit omnia propter nos,quia nos
ſumus finis omnium inferiorum. Cæcus.n.
diligeret eum multum,qui daret ei viſũ:ſic
nos Deum:qui dedit animam& corpus.Bre-
uiter igitur colligendo omnia ſupradicta
dico,quod iſtius mittentis Domini patet
potentia, ſapientia & clementia in omnib⁹
Ecc 18. ſupradictis.Fecit.n.omnia potẽter, quia de
2.Mach.7. nihilo.*Qui viuit in æternum,creauit omnia ſi-*
*mul.*Et:*Peto fili,vt reſpicias in cælũ & ad ter-*
ram & ad omnia,quæ in eis ſunt,& intelligas,
*quia de nihilo fecit ea Deus.*Et:*Vnus eſt altiſſi-* Eccli.1.
*mus creator omnium.*Secundo fecit ea ſapie-
ter,quia ſine vllo vitio.*Omnia per ipſum fa-* Ioan.1.
*cta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil,*id eſt,pec-
catum.Exponit Gorra.& Pſal. *Omnia in ſa-*
*pientia feciſti.*Verè in ſapientia, quia omnia Sap.11.
in numero,pondere &menſura. Tertio fecit
ea clementer,quia ſine vllo merito. *Omnia*
*quæcunque voluit Dominus,fecit,*quia omnia Sap.9.
fecit ſua clemẽti bonitate & voluntate.*Do-*
mine multæ miſericordiæ qui feciſti omnia ver-
*bo tuo.*Ideò dicitur. *Bene omnia fecit.*Nõ ſo- Marc.7.
lum autem omnia fecit,ſed etiam nouit o-
mnia.*Domine qui habes omnium ſcientiam.* Heſt.14.
Nouit autẽ omnia primo æternaliter, quia
ex ſe,non ex alio.*Domino enim Deo, antequã* Eccl.23.
crearentur,omnia ſunt agnita. Secundo prin-
cipaliter,quia ſine aliquo medio ſucceſſore
ſed in ſeipſo.Vnde ſupra dixit Apoſtol⁹, *Nõ*
eſt vlla creatura inuiſibilis coram eo. Tertio
certitudinaliter, quia ſine aliquo dubio. Ioan.16.
Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non eſt opus
tibi vt quis te interroget. Ideò Petrus dicit. Ioan. vlt.
*Domine tu ſcis omnia.*Nec ſolum fecit &no-
uit omnia,ſed etiam regit omnia. *Omnia à*
te expectant,vt des illis eſcam in tempore opor-
*tuno.*Regit autem omnia perfectè ſine defe-
ctione.*Omnia duplicia,vnum contra vnum,* Eccl.42.
& non fecit quicquam deeſſe. Secundo regit
benignè,quia ſine ſeueritate. *Miſereris om-* Sap.11.
nium quia omnia potes. Tertio regit iuſtè,
quia ſine inordinatione.*Cum ergo ſis iuſtus,* Sap.12.
*iuſtè omnia diſponis.*Ideo pſal.dicit. *Aperiente*
te manum tuam omnia implebuntur bonita-
te: auertente autem te faciem turbabũtur &c.
Ecce auctoritas mittentis, qui tam potens,
tam ſapiens,& tam clemens dicere meritò
poteſt.*Ecce ego mitto &c.*

II.

Dixi quod hæc miſſio redditur commen-
dabilis ex miſſi dignitate, quia tractan-
dus eſt honorabiliter & venerabiliter, cum
dicitur:*Angelum meum.* Et quoniam hic
non loquitur de Angelo ſecundum naturã,
ſed ſecundum officium:Ioha.n.Baptiſta, de
quo iſta dicta ſunt,non erat Angel⁹ per na-
turã,ſed ſecũdũ officiũ;Ideò quilibet ſacer- *Sacerdos dicitur Angelus.*
dos Dei miſſus populo in ſalutem, ſimiliter
dicitur Angelus officio. Verum quia dicit

thema

thema noſtrum *Mitto Angelum meum*, ex hoc datur intelligi quod quidam eſt Angelus non Domini ſed ſathanæ, ideò de omnibus iſtis videamus. Primo ergo dico quod
1.Cor.11. ſacerdos intelligitur cõgruè per Angelum, ſcribitur enim: *Mulier debet habere velamen ſuper caput propter Angelos.* Gloſſ. id eſt, propter reuerentiam ſacerdotum qui nuncij
Malach. 2. Dei ſunt. Et *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ratio huius de-
Holkoth ſup libr. Sap. c. 16. nominationis metaphoricè ſecundum Holkoth eſt, quia ſacerdotē decet Angelum in 11. conditionibus imitari quæ in his verſib⁹
Sacerdos Angelum in 11. conditionib. decet imitari. continentur: *Paſcit & hortatur, ducit, vehit, exercitat, arcet. Orat, congaudet, punit, laudat, ſine ſumptu.* Prima igitur operatio Angeli circa nos ſecundum ordinem iſtorum verſuum eſt paſcere. Cuius exemplum habemus 3.Reg.19. Vbi legimus quod Angelus detu-
1. lit panem & aquam ad Eliam dormientem, & famelicum inde pauit. *Surge* inquit *& comede, grandis enim reſtat tibi via.* Iſto modo moraliter proprium eſt ſacerdotis paſcere populum verbo & exemplo & ſubſidio temporali ſi poſſit. Vnde Petro ter ſignanter
Ioan.21. dictum eſt, *Paſce, paſce, paſce.* Bis autem dictum eſt ei, *paſce agnos meos,* & ſemel, *paſce oues meas.* Ad innuendum differentiam inter doctrinam neceſſariam iuuenibus & ſenibus. Nam ſenibus ſimplex admonitio ſufficit, Iuuenibus verò opus eſt tam verbis
2. quam verberibus vt debitè doceantur. Secunda operatio quam Angelum legimus circa nos exercere, eſt exhortari. Cuius exemplū habemus. Matth.2. *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens. Surge & accipe puerum & fuge in Ægyptum.* Hāc operationem imitatur ſacerdos ſana conſilia priuatim ſuggerendo. Tertio tenetur ducere
3. *Thob.5.* per bonam & aptam conuerſationem, Exēplo Raphaelis, *Ego inquit Angelus ducam & reducam eum ad te.* Et ſicut victoria exercitus eſt gloria boni ducis, ita ſanctitas po-
Chryſ l.3. de ſac. dignit. puli attribuitur pro merito ſacerdotis. Vnde Chryſoſt. inquit, Bene agente populo vnuſquiſque pro merito ſuo remuneratur, Sacerdos autem pro bonis omnium; Habebit enim pro proprijs bonis auream, pro acquiſitione aureolam. Et ideò ſecundum eundem Chryſoſt. Sacerdos eſt in populo ſi- *Et ho. 30. ſup Matt.*
cut radix in arbore, & ſicut ſtomachus in corpore. Quemadmodum inquit cum videris arborem cum marcidis folijs, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cum videris populum indiſciplinatum & irreligioſum, ſine dubio cognoſce quod ſacerdotium eius non eſt ſanum. Vlterius dicit Chryſoſt. quod ſacerdos eſt in grege ſicut ſtomachus in corpore. Quemadmodum inquit, medicus, quando primo ingreditur ad infirmum, ſtatim de ſtomacho eius interrogat, & eum componere feſtinat. Quia ſi ſtomachus ſanus eſt, totum corpus validum eſt, ſi autem diſtemperatus fuerit totum corpus infirmum eſt: Ita ſi ſacerdotium integrum fuerit, tota floret Eccleſia, ſi autem corruptum fuerit, omnium fides marcida eſt. Et infra. Sicut ſtomachus accipiens cibum coquit ipſum in ſemetipſo, & per totum corpus diſpergit. Sic ſacerdotes accipiunt ſcientiam ſermonis per ſcripturas ex Deo, & excoquentes eam in ſe, id eſt, tractantes & mediantes apud ſe, vniuerſo populo ſubminiſtrant. Et infra. Sicut in corpore ſi membrum aliquod fuerit infirmatum, non omnino languet & ſtomachus; ſi autem ſtomachus languerit, inueniuntur & membra infirma: Sicut ſi aliquis peccauerit Chriſtianorum, non omnino peccat & ſacerdos. Si autem ſacerdos fuerit in peccatis, totus populus conuertetur ad peccata. Et ideò, Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant, dicente Domino per prophetam. *Speculatorē dedi te domui Iſrael. Si non fueris locutus vt cuſtodiat ſe peccator à via ſua mala, ille in iniquitate ſua morietur,*
ſanguinē vero de manu tua requiram. Quar- 4.
tus actus Angelicus ſecundum prædictos verſus eſt vehere, id eſt, tranſportare, deferūt enim boni Angeli animas morientium in
cœlum. *Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinū Abrahæ.* *Luc.16.*
Sic Sacerdotes Angelici de terrenis deſiderijs ad amorem cœleſtium transferunt pænitentes, quando eis confitendo peccatis
priſtinis moriuntur. *Peccatis mortui iuſti-* *1.Pet.2.*
tiæ viuamus. Quintus actus An- 5.
gelicus.

gelicus eſt excitare. Actor. 12. *Angelus domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris, percuſſoque latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter.* Et Petrus dormiens in carcere eſt peccator irretitus mala conſuetudine, iacet inter duos milites vinctus cathenis duabus, & duo cuſtodes ante oſtium cuſtodiunt carcerem. Duo milites mors & dæmon, Mors inſidiatur corpori, Dœmon animæ. Duæ cathenæ amor delectandi & conſentiendi. Duo cuſtodes ne homo oſtium confeſſionis exeat, & præſumptio veniæ & confidentia vitæ prolixæ. Huic aſtare debet ſacerdos angelus, & eum corripiendo excitare & percutere & non palpare.
6 Sextus actus angelicus eſt arcere poteſtatem dœmonum, ſicut Raphael de Aſmodæo, quod ſuffocauerat ſeptem viros Saræ. *Tob. 5* Conſimiliter ſacerdos debet arcere omnes malos per cenſuras eccleſiaſticas; Dœmones etiam per adiurationes ſacras, ne noceant viris bonis.
7 Septimus actus angelicus eſt orare. Vnde legimus quod Paulo apparuit per viſum Angelus in ſpecie viri Maſedonis dicens: *Tranſiens Macedoniam, adiuua nos.* *Acto. 16.* Qui dicitur fuiſſe macedonum præpoſitus, qui eorum à Paulo ſupplicauit ſalutem, ſic ſacerdos pro ſalute populi tenetur orare.
8 Octauus actus angelicus eſt, quia angelus congaudet pœnitentibus de peccatis. *Luca. 15* *Gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Et pœnitentia populi gaudium debet eſſe boni ſacerdotis.
9. Nono angelus punit. *4. Reg. 19* *Venit angelus domini & percuſſit in caſtris aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Sic ſacerdotum eſt ſententias excommunicationis ferre contra contumaces & rebelles
10 Decimo angelorum officium eſt laudare. *Iſaia. 6* *Clamabant alter ad alterum, & dicebant. Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus.* Hoc etiam ſacerdotibus dignoſcitur conuenire. *2. Eſdra. 3* *Steterunt ſacerdotes in ordine ſuo vt laudarent dominum.*
11. Vltimo angelus eſt ſine ſumptu. Sicut patuit in angelo Thob. 5. qui fuit magnæ vtilitatis & parui ſumptus. Conſimiliter ſacerdotes relicta cupiditate temporalium, de decimis & oblationibus tantum viuant. Similiter cum ſpiritualia miniſterialiter largiuntur, nihil pro eiſdem recipiant pro mercede ne ſymoniæ vitio maculentur.

Vbi conſequenter aduertendum quod angeli quattuor habent conditiones in quibus ſacerdotes habent eos imitari. *Angelorũ aliæ cõditiones quatuor.* Sunt enim immateriales ſiue ſubſtantiæ ſeparatæ, intellectuales, pleni ſcientia & veritate. Sunt motores orbium, & rectores hominum.
1 Primò angeli ſunt immateriales, Spiritus enim ſunt, & carnem & oſſa non habent. Et tales debent eſſe ſacerdotes per continentiam vt motus paſſionum non ſequantur. *Sacerdotes debent eſſe continentes.* In cuius figura dictum eſt Petro: *Caro & ſanguis non reuelauit tibi.* *Matt. 16.* Marbotus de lapidibus cap. 30 dicit de alectorio. Primò quod lapis ille non generatur niſi in gallis caſtratis. Secundò quod extinguit ſitim. Tertiò quod reddit hominem honorabilem. Et quarto diſertum. Iſte lapis ſignificat moraliter continentiam clericalem, qui non inuenitur niſi in his qui ſe refrenant à carnis deſiderijs propter meritum vitæ æternæ. *Matt. 19.* Sunt eunuchi qui ſemetipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Hæc virtus extinguit ſitim fornicationis carnis infectæ & illicitę concupiſcentiæ. Data eſt illis aqua de petra altiſſima & requies ſitis de lapide duro. *Sap. 10.* Lapis durus eſt continentia, Durum eſt enim contra ſtimulum carnis calcitrare. Hæc virtus facit hominem honorabilem, Sicut incontinentia facit hominem confuſibilem. *Vna mulier fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor.* *Iudith. 14* Hominem facit diſertum. id eſt eloquentem, & acceptum in loquendo tam in oratione quam in prædicatione. Et per oppoſitum ſacerdotes infames de incontinentia nec digni ſunt orare nec prædicare. Sunt igitur ſacerdotes immateriales & ſubſtantiæ ſeparatæ, in cuius figura dicitur de Nathan: *Et ſurrexit Nathan propheta, & quaſi adeps ſeparatus à carne.* *Eccli. 47.* Et de talibus angelis dicitur, *Facit angelos ſuos ſpiritus.*

2 Secundo angeli ſunt intellectuales pleni ſcientijs & veritate. Sic ſacerdotes Dei debent pollere ſcientia ſacræ ſcripturæ. Et ideò conuenientius ſancitum eſt de magiſtris & ne aliquid exigant pro licentia docendi quod aliquis magiſter in Theologia habeo-

habeatur in metropolitana Eccleſia, qui doceat ſacerdotes. Omnes autem tam cathedrales, quam aliæ Eccleſiæ, quibus ſuppetunt facultates, habeant in grammatica, qui clericos gratis inſtruant & etiam alios iuxta poſſe. Et ideò dicitur ſignanter. *Interroga ſacerdotes legem:* ſuper quo dicit Hieronymus. Conſidera ſacerdotum eſſe officium interrogatos de lege reſpondere. Si ſacerdos eſt, ſciat legem domini; ſi ignorat legem Domini, ipſe ſe arguit, non eſſe ſacerdotem. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt de ore eius, quia angelus domini exercituum eſt.* Tertio ſunt motores orbium, à quibus cauſatur & generatur, quicquid inter corporalia procedit ad eſſe. Sic ſacerdotum officium eſſe debet mouere nobiles & potentes, quorum virtute regantur ſubiecti ad cultum Dei. Iohan. 5. dicitur de angelo, qui deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua, ad quam qui primus deſcendebat, ſanabatur. Piſcina aquæ eſt perſona magnæ potentiæ: in hanc deſcendit angelus ſacerdos vel curatus, quando eius conſcientiam examinat de delitijs, mouet aquam, quando limitat ſuam potentiam ad regulas iuris diuini. Quartò angeli ſunt rectores hominum & cuſtodes, ſecundum ſanctos, & eodem modo ſacerdotes & curati qui pro ſubditorum animabus habent coram Deo reſpondere. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Talis igitur ſacerdos quiſquis fuerit, verè angelus Domini dici poterit, etſi non per naturam, ſaltem per officium & imitationem. Qui quidem angelus mittitur à Deo ad inſtruendum, & eſt verbum Domini mandantis prędicatoribus. *Ite*, inquit, *angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.*

Aggei 1. · Malac. 2. · Pſal. 90. · Iſaia 18.

III.

Dixi quod miſſio redditur commendabilis ex miſſionis vtilitate, cui perſeueranter eſt inſiſtendum, cum dicitur: *præparabit viam tuam ante te*, id eſt, ante oſtenſionem tuam. Et quia hæc præparatio, quæ fit per ſacerdotes in mentibus fidelium, non eſt niſi miniſterialis: ipſi enim ſunt miniſtri, per quorum officium prædicationis & doctrinæ, Deus auctor principalis præparat corda fidelium, vt ſint digna receptacula gratiæ diuinæ. Vndè de ſacerdotibus dicitur: *Vos ſacerdotes Domini miniſtri vocabimini Dei noſtri.* Et Paulus pro omnibus dicit. *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego.* Qualiter autem Deus præparat corda fidelium, dictum eſt in ſermone præcedenti, ideòque hic ſolum reſtat videndũ de via, quomodo diuerſi diuerſimodè in eam præparantur. Alius enim de inuio reducitur ad viam, alius in via deducitur per viam, alius deducitur ſuper viam, alius de via educitur ad patriam. De inuio, ad viam ducitur cœcus. In via, per viam ducitur iuſtus. In via ſuper viam, ducitur perfectus. De via, ad patriam ducitur ſanctus. De primo quomodo de inuio ad viam ducitur cœcus, dicitur: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet. & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: & quæret eos & non inueniet: & dicet. Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quam nunc.* Iſtud allud it facto, quod cotingit circa cæcos, qui tunc diriguntur ad viam, quando aliquod obſtaculum vel impedimentum inueniunt in inuio. Vnde quando ſe ſentiunt inter ſpinas aut tribulos, tunc intelligunt ſe non eſſe in via recta, & ſic coguntur quærere viam. Sic etiam Deus volens peccatorem reducere ad viam veritatis & iuſtitiæ ponit eum inter ſpinas, i. mittit in eũ, tribulationes & anguſtias, quibus compũctus peccator non valens procedere vlterius ad peccandum, reducitur ad viam ſalutis. Vnde tribulationes ſunt ſigna miſericordię diuinæ. & Apocal. 3. dicitur: *Ego quos amo, arguo.* Et Bernar. dicit. Nullum teſtimonium amoris eius credibilius, nullum certius in vita iſta, quam quod deſiderat propheta dicens. Corripiet me iuſtus in miſericordia. Licet enim videtur eſſe iratus, tamen eſt miſericors. *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Super quod verbum dicit Richardus. Volo iraſcaris mihi pater miſericordiæ, ſed ea ira, qua corrigis deuium,

Iſaia 61. · Oſee 2. · *Tribulationes ſigna miſericordiæ diuinæ.*

non qua excludis de ira. Non enim cum iraſceris, ſed cum te ſentio iratum, tunc maximè ſentio te propitium. Ad hoc enim iraſceris, vt ſentiam iram, & ſentiens corrigam quod peccaui. De ſecundo quomodo in via per viam ducitur iuſtus, dicit Pſalmiſta: *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.* Et quaſi Dominus reſpondens dicit ibidem. *Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum: ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat.* Et iterum. *Intelligam in via immaculata quando venies ad me.* Via iſta immaculata eſt via virtutis & iuſtitiæ, quæ dicitur immaculata, quia non patitur in ſe maculas vitiorum. De tertio, ſcilicet quomodo ſuper viam ducitur perfectus, loquitur ſapiens.

Prou. 4. *Viam* inquit, *ſapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Iſta tria deſignant tres ſtatus, ſcilicet incipientium, proficientium & perfectorum. Incipientes deſerunt malum, ideò quaſi cæci reducuntur de inuio ad viam. Proficientes operantur bonum, ideò ambulant in via. Perfecti perſeuerant in bono, ideò gradiuntur ſuper viam non ſolum enim cōtenti ſunt implere præcepta, ſed etiam conſilia. Poſt hos ſtatim ſequitur alter, qui de via ducitur ad patriam, & iſte eſt ſanctus. *Deduc me domine in via æterna,* id eſt, qua itur ad æterna. Et iterum. *Deus in ſancto via tua.* Hæc eſt triplex via, quam angelus domini, id eſt, qui libet prædicator præparat in cordibus fidelium. Nam eius eſt officium peccatores quaſi cæcos ducere de inuio ad viam nè aberrent à ſalute: iuſtos ducere per viam in via, nè declinent à bono: perfectos ducere ſuper viam, vt proficiant, & perficiant nè ceſſent. Solius autem Dei facere vltimum, id eſt, ſanctum ducere de via ad patriam, vt præmium accipiat. Quod nobis præſtare dignetur Ieſus Chriſtus per ſecula benedictus.

Prædicatoris officiū quod.

DOMINICA QVARTA IN ADVENTV.
SERMO I.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis. Ioan. 1.

IN hac quarta dominica ſancta mater Eccleſia recolit quartū aduentum Chriſti in mētem hominis per gratiam. De quo ipſe ſaluator dicens ait: *Si quis diligit me, ſermonē meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et: *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum & cœnabo cum eo.* Volens igitur Eccleſia fideles inueniri paratos ad ſuſcipiendum gratiam huiuſmodi, hodie per Ioannem Baptiſtam præcurſorem Chriſti intonat dicens: *Dirigite viam domini.* Viam vtique non corporalium pedum, ſed mentalium affectionum. Tenet autem hic Ioannes formam cuiuſlibet prædicatoris, qui veniēti Chriſto præparat viam in cordibus fidelium. Vnde ſignificatur per ſeruum Heliſęi, de quo dicitur 4 Reg. 4. Vbi Heliſæus miſit ſeruum ſuum ante ſe cum baculo ſuo ad ſuſcitandum puerum mortuum, ſed non ſurrexit puer. Per Heliſæum intelligitur Chriſtus, per ſeruum Ioannes, per baculum prædicatio, per mortuum genus humanum. Quia ſicut dicunt omnes Doctores Ioannes per baptiſmum & prædicationem peccata non dimiſit, ſed animas hominū ad Chriſti reuerētiā & audientiā præparauit. Sed Heliſæus id eſt, Chriſtus adueniēs, qui interpretatur Dei mei ſalutare, ſuſcitauit puerū, id eſt, genus humanū mortuū, à peccatis originalibus & actualibus liberauit. Sic & hodie prædicatores præparant corda fideliū per verbum ſuæ prædicationis: Chriſtus aūt, veniēs in men-

Ioan. 14. Apoc. 3.

Ioannes tenuit formam Concionatoris.

in mente eorum, viuificat corda per gratiam ſanctificationis. Et ideò nemo prædicatori docenti tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit qui doceat, docentis lingua in vanum laborat. Quapropter ante omnia pro gratia Chriſti per Spiritum ſanctum nobis danda laboremus, vt aliquid ad ſalutem de verbis Euangelij hodierni intelligere valeamus. Quod vt aſſequamur, ad matrem gratiæ virginem glorioſam recurramus ſalutantes eam voce amæna dicentes, *Aue gratia &c.* In verbis præmiſſis deſcribitur interrogatio facta per Iudæos de Iohannis Baptiſtę conditione. Circa quam tria ponuntur. Primò namque deſcribitur quærentium & interrogantium honorabilis auctoritas, cum dicitur: *Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis.* Secundo deſcribitur ſtabilis beati Iohannis humilitas, cum dicitur: *Et confeſſus eſt & non negauit.* Tertiò ſubditur ſaluatoris noſtri per Johannem laudabilis commendatio, cum dicitur: *Ego quidem baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit &c.*

Propoſitio

I.

Miſerunt Iudæi. Jſtud factum eſt circa annum 30. Ætatis Chriſti, vt dicit Magiſter in ſcholaſtica hiſtor. Stabat enim Iohannes in deſerto prædicans baptiſmum pœnitentiæ quē Judæi reputabant Chriſtum propter vitæ ſanctitatem. Et ideò volentes certificari de hoc, miſerunt ad eum ſacerdotes & leuitas. Dicit autem hic Lyranus quod tempore prædicationis Ioannis erat famoſa opinio, & maximè in Ieruſalem vbi vigebat ſtudium legis & prophetarum quod tempus Meſſiæ eſſent de proximo. Primò quia videbant ab eis ablatum regnum eſſe quod fuit eis datum pro ſigno. Secundò quia videbant completas hebdomadas dictas à Daniele de aduentu Sanctiſanctorum, quæ completæ erant in natiuitate Chriſti, vt dicitur Daniel. 9. cap. propter quod Meſſiam de proximo expectabant. Ex alia parte videbant Joannis Baptiſtæ mirabilem natiuitatem; ſecundo eius excellentem ſanctitatem & meritum vitæ; tertio eius doctrinæ prudentiam efficacem; Quarto baptiſmi nouitatem. Vnde propter iſta ſuſpicati ſunt eum eſſe Chriſtum propter quod miſerunt ſolēnes nuncios ad eum, volentes ſcire ſuper hoc veritatem. Veruntamen Chryſoſt. dicit quod malitioſè venerunt, & poteſt hoc eſſe verum de phariſæis, qui vt audita opinione quam turba habebat de Joanne, moti contra eum quod ſibi baptizandi officium præter ordinem legis, & traditionem eorum aſſumpſiſſet indebitè. Et dubitantes an Meſſias eſſet miſerunt ab Ieroſolymis. Sed quantum ad Iudæos, ſimplici animo fecerunt, vt dicit Orige. volentes inquirere veritatem. Et hoc patet quia in modo quærendi habuerunt magnam ad Iohannem reuerentiam. Et hoc ex quattuor. Primò ex perſonis mittentibus nuncios ad ipſum, quod notatur cum dicitur. *Miſerunt iudæi*, id eſt, de tribu Iuda, qui erant nobiliores in populo. Secundò ex loco miſſionis cum dicitur, *Ab Ieroſolymis*, quæ erat ciuitas ſacerdotalis & regia, & quia ſtudium legis & prophetarum & cultus diuinus vigebat ibi, eratque caput regni. Tertiò ex parte nunciorum cum dicitur, *ſacerdotes & leuitas*, qui erant ſolennes perſonæ, & maximè quia illi ſacerdotes & leuitæ qui fuerunt miſſi erant de ſecta phariſæorum, vt dicitur hic, qui erant magis religioſi & famoſi in toto illo populo. Quartò ex modo interrogandi cum dicitur, *vt interrogarent eum. Tu quis es*, quaſi volentes acquieſcere dictis eius. Dicit enim Chryſoſt. quod Iudæi ita fide dignum æſtimauerunt eſſe Johannem, vt ei de ſeipſo dicenti crederent. Quærunt ergo dicentes: *Tu quis es.* Dicit hic Chryſoſtomus, quod Iudæi multum affecti erant ad Johannem; indignum enim æſtimabant eum ſubiici Chriſto, propter multa quæ Ioannis claritatem demonſtrabant. Quorum primum eſt genus illuſtre, principis enim ſacerdotum filius erat; ſecundum erat dura educatio; tertium erat humanorum deſpectio. In Chriſto autem videbatur genus humile, quod ei exprobrabant dicentes: *Nonne hic eſt filius fabri?* Similiter diæta fuit in Chriſto competens & humana, vnde vocabant eum carnium voratorem & vini potatorem. Similiter veſtimenta erant honeſta, & conuerſatio humana. Sed quia Io-

Geneſ. 49.

annes

annes continuè mittebat ad Chriſtum, & Iudæi refutabant Chriſtum, volentes ergo Ioannem magis habere in magiſtrum, mittunt ad eum opinantes blanditijs eum allicere ad confitendum ſe eſſe Chriſtum. Vnde dicunt, *Tu quis es*, non quaſi ignorantes, ſed ad confitendum ſe Chriſtum inducere volentes. Et patet hic ſecundum Hugo. de ſancto Victore, quod iſti expreſsè nituntur præferre Ioannem Chriſto, quaſi indignum reputantes Chriſtum & vilem ac contemptibilem, quod ei merito Ioannes non ſubeſſe ſed præeſſe debeat, & ratione generis & ratione ſanctitatis, ac tamen credebant Ioanni, quod ſi ſe dixiſſet etiam Dei filium, credidiſſent, Chriſto autem in nullo credere volebant, dicentes: *Tu de teipſo teſtimoniũ dicis, teſtimonium tuum non eſt verum*, & alia multa.

Ioan. 8.

Documentum.

Iſti nolentes ſubijci Chriſto propter eius genealogiam pauperem, & vitam competentem, & humanam, ſignificant illos tam in ſtatu ſęculari quam ſpirituali, qui dedignantur ſubijci prælatis eorum aut Dominis minus generoſis, vel minus ſanctis, minus doctis, vel minus ſapientibus. Contra quos eſt Apoſtolus dicens. *Obedite præpoſitis veſtris*, non tantum bonis ſed etiam diſcolis, quod fecit & Chriſtus, qui per omnia ſubditus erat parentibus ſuis.

1. Pet. 2.

II.

Et confeſſus eſt & non negauit. Et confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus. Dicit hoc Gregorius in homil. quod ex iſta reſponſione commendatur Ioannis humilitas, qui cum tantæ virtutis eſſet, vt Chriſtus credi potuiſſet, elegit ſolidè ſubſiſtere in ſe, ne humana opinionũ raperetur inaniter ſuper ſe. Dicit ergo. *Et confeſſus eſt*. Confeſſus eſt publicè ſe non eſſe Chriſtum, & non negauit, ſupple veritatem, ſcilicet ſe eſſe præcurſorem ipſius. Vel non negauit ſcilicet ſilendo. Ali qui enim negant veritatem tacendo, de quibus dicitur. Qui tacet conſentit, *de re. iuramen. qui tacet libro. 6. Et confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus*, ſcilicet vt quidam veſtrum opinantur. Vel ad minus vt hoc dicerem machinantur, & ita manifeſtè percutit corda eorum. Licet enim vt dicit beatus Thomas, illi non quærebant vtrum eſſet Chriſtus verbis, tamen intentione, & ideò intentioni reſpondet magis quam quæſtioni ſecundum Gorran. De hac fideli confeſſione dicitur. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum* Ioannes maximè confeſſus eſt, quia cum poſſet reputari Chriſtus noluit. Et ſic dum non vult rapere nomen Chriſti, factus eſt membrum Chriſti. *Et interrogauerunt eum. Quid ergo Helias es tu?* Dicit beatus Thomas ſuper Ioannẽ, quod duo quærebant, ſcilicet perſonam & perſonæ officium. Prima quæſtio fuit de perſona, omnes aliæ ſequentes ſunt de officio. Vnde ſequitur. *Et interrogauerunt eum.* Fraudati ab intentione ſua & remota priori opinione dicunt. *Quid ergo* ſcilicet es. Non expectant reſponſionem prioris quæſtionis, ſed ſtatim opponunt aliorum opinionem dicentes; *Helias es tu?* Dicit Thomas, quod à populo Iudæorum ſicut expectabatur Chriſtus vẽturus, ſic Helias ipſum præcurſurus. *Mittam Heliam Teſbiten.* Et ideo videntes Ioannem nolle ſe fateri Chriſtum, inſtant vt ſaltem ſe dicat Heliam. Vnde dicunt. *Quid ergo, Helias es tu?* Quærunt de Helia primo, quia Helias apud eos maior cęteris habebatur ſecundum Chryſoſtomum. Secundo quia in Helia præceſſit figura baptiſmi, qui diuiſo Iordane cum Heliſæo pertranſiuit. Tertio quia Helias latitauit in ſpeluncis ad modum feræ, & quia auſterè vixit. Sic Ioannes vt patet Matth. 3. Quarto quia ſicut Helias maximum zelum habuit in corrigendo, ſic Ioannes corripuit Herodem. Propter iſta ergo putabatur Helias, etiam in perſona ſecundum errorem illorum, qui dicebant quod anima vnius hominis poſt mortem intrare poſſet corpus alterius hominis, & facere ſimilia opera; maximè autem hoc putabant de Helia, qui non fuit mortuus, ſed in paradiſum tranſlatus. Vnde putabant eum rediſſe de paradiſo & habitare more priſtino in deſerto. Sed beatus Ioannes reſpondet non ſum, & contra hoc videtur, quod Chriſtus dicit Matth. 11. *Si vultis ſcire, ipſe eſt Helias qui venturus eſt*. Et 17. *Dico vobis Helias iam venit* Et tunc intellexerunt quod de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis, quomodo ergo negauit ſe hic Heliam. Reſpondeo ſecundum Dionyſium. Intellectus diuini, id eſt, Angelici, diſtribuuntur in ſubſtantiam, virtutem & operatio-

Matth. 10.

Malach. vlt.

Iudæi eum Ioannem Heliam exiſtimarunt.

4. Reg. 2.

3. Reg. 19.

Matth. 24.

nem. Vnde Angelus annunciator ſuæ conceptionis non dixit. *Ipſe præibit ante illū in perſona Heliæ, ſed in ſpiritu & virtute*, id eſt, in ſimilitudine operum, ſecundum Thomam. *Luca.1.*

Deinde proponunt tertiam quæſtionem dicentes: *Propheta es tu?* ſecundū Chryſ. quęrunt de illo propheta, quē ſimilē Moyſi expectabant. De quo Deuter. 18. *Propheta ſuſcitabit vobis Dominus de fratribus veſtris, ipſum tanquam me audietis.* Vel: *Propheta es tu*, id eſt, Helizæus, quem antonomaſticè prophetam eſſe dicebāt, quia duplicem ſpiritum Heliæ habuit, & ob hoc credebatur eſſe Ioannes, qui & diuiſit Iordanem, qui ſignificat baptiſmum. Et Ioannes baptizabat, & ſic eum putabant Helizæum, qui dicitur auctoritatiuè propheta. *Et reſpondit, non ſum.* Sed contra Zacharias dicit eum eſſe prophetā. *Tu puer propheta altiſſimi vocaberis.* Reſponſio, quod propriè loquendo propheta dicitur prædictor futurorum: Ioannes ergò quia præſentē oſtendit, nō futurū prædixit, ideò nō fuit propheta, ſed pluſquā propheta. Ita ſoluit Greg. Sed contra hoc videtur, quia ſi fuit pl⁹quā propheta, igitur propheta, quia minus includitur in maiori. Reſpondeo ſecundū Lyran. ꝙ verè nō fuit propheta ille, quē Moyſes prædixit Iudæis loco ſui venturū: hoc enim de Chriſto dictū fuit ad litterā. Vnde Ioannes intelligens ipſos quærere de illo magno propheta, rectè reſpōdit ad intentionem eorum, ſcilicet nō ſū Chriſtus, quē vos æſtimatis ſicut prius. Dixerunt ergò ei, ſcilicet illi nūtij cōſiderantes, quod nihil magni dixit de ſe, volentes modum ſcire, nè vacui redirēt ad mittētes, & quærūt quartò. *Quis es, vt reſponſum demus his qui miſerunt nos, quid dicis de teipſo?* Hanc quæſtionem iam fecerant, ſed Ioh. ſic ſeu eam iterant. Vnde cauſam ſuam ſubijciunt dicentes *vt reſponſum demus his*, quaſi dicāt, non aliud quærimus, niſi vt reſponſū reportemus mittentibus; per quod obumbrabāt dolum, quem habebāt in corde, quod patet quia ſtatim vt audierunt reſponſum, quid Ioannes diceret de ſeipſo, arguerunt eum, dicentes, *Quid ergo baptizas?* Sed Ioannes tanquam conſtans & humilis, humilia & vera de ſe reſpondit dicens, *Ego vox clamantis in deſerto*, quaſi dicat, ego ſum quaſi vox reſpectu Chriſti, qui eſt verum verbum de corde patris ante ſęcula genitum, & modò huic mundo viſibiliter incarnatum.

Luca.1.

Propheta quis.

Non reſpondit Ioannes propriam nominationē, neque genus nobile, neque patriam, vt diceret: Ego ſum Ioannes filius Zachariæ pontificis de Ieruſalem ciuitate, de tribu Leui, ſicut faciunt vani iactatores, cum quæritur, imò cum non quæritur ab eis: Ego ſum talis dignitatis, fili⁹ Palatini, Caſtellani aut alterius ex proauis & auis & patribus, deſpicientes per hoc alios. Contra quos dicit Hieronymus: ſola apud Deum nobilitas eſt non ſeruire peccatis, atque clarum eſſe virtutibus. Quid ergò prodeſt illi nobilitas, quem ſordidant mores? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? inquit Chryſoſtomus ſuper Matth. tractans illud: *Patrem habemus Abraham.* Magis ergò Ioannes reſpondit illud de ſe, per ꝙ ipſe ad Chriſtum pertinebat. Vnde dicit, *Ego vox clamantis in deſerto.* Vbi primo affirmat ſe eſſe præcurſorem Chriſti dicens: *Ego vox clamantis in deſerto*, id eſt, ego ſum ille, de quo ſcriptum eſt. *Vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini*, id eſt, ego ſum ille, qui debet clamare in deſerto Iudææ, vt homines ſe præparent ad aduentum Chriſti in mundum. Vocat autem ſe Ioannes vocem, Chriſtum autem verbum, Iudæam verò deſertū: primò quia ſicut vox præcedit verbum, ita Ioannes Chriſtum. *Ipſe præibit ante illum.* Secundo quia ſicut vox eſt propinquior verbo, quam ſonus: ita Ioannes propinquior fuit Chriſto, quantum ad præſentiam corporalem: quia ipſum digito demonſtrauit; quem alij prophetæ à longè prædixerunt. Tertio quia ſicut vox manifeſtat verbum: ita Ioannes naſcendo, baptizando, prædicando, moriendo Chriſtum manifeſtauit. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Quartò quia ſicut vox tranſit & deficit, verbum autem remanet, ſic Ioannes tranſiuit de hoc mundo, Chriſtus autem permanſit poſt eum. *Me oportet minui, illum autem creſcere.* Quinto quia ſicut vox eſt inutilis ſine verbo, ita baptiſmus Ioannis ſine baptiſmo Chriſti. Vnde hic dicit. *Ego quidem baptizo aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Dicit autem ſe Ioannes vocem non qualiſcunque verbi, ſilenter aut ſecretè prolati, ſed verbi clamantis.

Hier. in epiſt. ad Thalaſ.

Iſaia.40.

Ioannes cur ſe dicat vocē.

Luca.1.

Ioan.1.

Ioan.3.

mantis: ideo dicit. *Vox clamantis*: Chriſtus enim clamabat, primò quia manifeſtare veritatē venerat. *Stabat Ieſus & clamabat*. Secundò quia Iudæi ab ipſo maxime diſtabant. *Elongaſti à me amicum*. ideò neceſſe fuit Chriſtum clamare. Tertio quia ſurdi erant. *Quis ſurdus niſi ſeruus meus?* Quartò quia Chriſtus propter inobedientiam eorū cum indignatione loquebatur, ideo clamare dicitur. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua*. Et vbi clamat hæc vox? dicit: *in deſerto*. Iudæam vocat deſertum: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. Deſerta erat Iudæa, id eſt, deſtituta & derelicta ſolatio redemptoris & gratia Chriſti. *Vobis primum oportuit prædicari regnum Dei; ſed quia indignos vos feciſtis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus.* Sed quid clamabat iſta vox? certe hoc quod ſequitur: *Dirigite viam Domini*. Ad litteram, Ioannes in deſerto clamabat; Ioannes venit prædicans in deſerto, & clamabat, *dirigite viam Domini*, quia prædicabat pœnitentiam, per quam dirigitur via peccatoris ad Deum, quę ſcilicet eſt obliqua, quādiu peccat: dirigitur autem per mandatorum obſeruantiā. Vnde Ioan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*. Et ſequitur. *Ad eum veniemus*. Ecce via. Beatus autem Thomas hic dicit, quod loquitur de via iuſtitiæ, quæ Chriſto eſt præparanda. De qua Iſa. 26. *Semita iuſti recta eſt*: quod tunc fit, quando homo totus ſubditur Deo, vt ſcilicet intellectus per fidem, voluntas per amorem, operatio per obedientiam Deo ſubijciatur. Sed contra Ierem. 10. dicitur. *Non eſt hominis via eius, neque viri vt dirigat greſſus ſuos*; ergo hortatur ad impoſſibile. Reſpondeo verum eſt, quod ſolius Dei eſt dirigere viam hominis per gratiam & charitatem, ſed hominis eſt præparare ſe, quantum in ipſo eſt, ad directionem. Vnde Gregorius Via Domini dirigitur, cum ad præcepta cor præparatur.

Ioan. 7. — *Chriſtus quare clamauerit.* — *Iſaia 42.* — *Matth. 23.* — *Actor. 13.* — *Matth. 3.* — *Via Domini quādo dirigatur.*

Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Hic deſcribit quærentium improbitatem. Inter Iudæos erant tres ſectæ, ſcilicet Sadducæorum, Eſſeorum & Phariſæorum, inter quos Phariſæi erant inuidi, & malitioſi contra Chriſtum, de quibus hic dicitur, quod iſti nuntij erant ex Phariſæis, qui, vt dicit Chryſoſtomus neſciunt quærere, ſed inuidere, & ideo quærunt improbè dicentes: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias neque Propheta*, quaſi dicant. Vnde tibi hæc auctoritas, quod vſurpas tibi alienum officium, & inducis nouum ritum, & ſectam nouam? Si tu non es Chriſtus, qui poteſtate propria baptizabit; neque Helias, qui in tranſitu Iordanis ſignificauit baptiſmum; neque propheta, cuius officium eſt baptizare, vt patet de Heliſæo, qui iuſſit baptizari Naaman principem; quaſi dicant. Cum te dicis non eſſe aliquem illorum trium, quibus ſcriptura concedit baptizare, ſine auctoritate facis, & ſtultè. Dicit Chryſ. Quia non potuerunt blanditijs ſupplātare, accuſationes immittere tentant. Origenes, hic dicit, quod iſti fuerūt alij nuntij a præcedentibus: quod patet quia illi reuerenter, iſti improbè quærunt. Sed Auguſtinus, Gregorius & Chryſoſtomus dicunt fuiſſe eoſdem ſacerdotes & leuitas, tamen nobiliores ex Phariſæis, inter quos etiam erant ſacerdotes & leuitæ. Iſti ergo videntes concurſum populi ad Ioannis baptiſmum, volentes impedire iſtum nouum ritum tanquā inuidi, dixerunt Ioanni. *Quid ergo baptizas?* quaſi dicant, quomodo audes baptizare? Similes ſunt inuidis dicentibus, videntibus: nolite videre. Sed audiamus reſponſionem prudentem. Reſpondit eis Ioannes exprimendo veritatem ſui officij dicens. *Ego baptizo in aqua*, id eſt, lauo exterius tantum, non tamquam Chriſtus interius, ſed ad ipſum viā pręparo. *Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ oſtēdens eū cui crederent.* Ego baptizo in aqua in pœnitentiā, non [illegible] in remiſſionem peccatorum: doceo vos pœnitere, ſed non poſſum abſoluere, præparo ergò corpora lauando, ad deſignandum illum, qui venturus eſt baptizare in Spiritu ſancto auctoritatiuè etiā animas abluendo. Non debetis ergò mirari, ſi non exiſtens Chriſtus, Helias aut propheta, baptizo; Baptiſmus enim meus non eſt perfectus, nec completus, quia ſolum eſt in corpore, non in anima: vnde ego lauo corpora in pęnitentiā, & in ſignum pœnitentiæ purgātis animas. Et eſt ſenſus ex iſta expoſitione.

4. Reg. 2. — *4. Reg. 5.* — *Iſaia 30.* — *Act. 19.*

ne. Ego baptizo in aqua, id eſt, ego qui ſum purus homo, lauo corpora, ſed veniet alter in ſpiritu, id eſt, qui erit Deus & homo, & ille lauabit perfectè vtrumque, ſcilicet animam & corpus; Corpus corpore ſuo, & animam ſpiritu ſancto, qui eſt Deus. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini ſpiritu ſancto. Conueniebat autem Ioanni baptizare propter tria. Primo quia licet non eſſet Chriſtus, erat tamen præcurſor eius, ergo debuit parare viam ſua prædicatione prædicationi Chriſti, & baptiſmo ſuo baptiſmo Chriſti. Secundo quia licet non eſſet Helias perſona, erat tamen virtute. Tertio quia licet non eſſet ille propheta ſingularis, erat tamen pluſquam propheta communis. Erat etiam vtilis ille baptiſmus ad tria: primo ad aſſuefactionem ad baptiſmum Chriſti; ſecundo propter emendationem, quia baptizabantur confitentes peccata ſua: & tertio propter Chriſti manifeſtationem, ſicut ſtatim ſequitur.

Actor. 1.

Ioanni ob tria baptiſmus conueniebat.

Luca. 1.

Eius baptiſmi vtilitas.

III.

Medius autem veſtrum ſtetit, id eſt, Chriſtus eſt inter vos quem prædico, qui eſt mediator Dei & hominum. Et, *Medius veſtrum ſtetit*, id eſt, communiter viuens, inter homines vitam communem duxit, quem vos neſcitis, ſcilicet quantum ad diuinitatem. *Neque me ſcitis, neque patrem meum*. immo ſimpliciter eum negauerunt coram Pilato. *Quem vos neſcitis*, id eſt, hoc quod ipſe ſit ſanctus homo, exiſtens Deus, capere non poteſtis ſecundum Thomam. Et etiam neſcitis quam magnus ſit ſecundum naturam diuinam quæ in eo latet. *Ecce Deus magnus vincens noſtram ſcientiam*. Exponitur ergo dupliciter. Vel ſecundum humanam naturã, & ſic Chriſtus ſtetit medius inter Iudæos, & quia communiter conuerſatus eſt cum eis, habitu inuentus vt homo. *Ego in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat*. Secundo quantum ad diuinam naturam in medio veſtrum eſt, id eſt, in omnibus creatis. *Cælum & terram ego impleo*, & tamen nemo ſcit eum propter cæcitatem & obſtinationem cordis. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt*, ſcilicet ad prædicandum, ad baptizandum, & ad moriendum, quem ego vt præcurſor prænuncio. Tota enim Ioannis vita fuit quoddam præparatorium ad Christum qui ante me factus eſt, id eſt, qui me præcedit honore & dignitate. Et ſic præcedit me tanquam perfectus imperfectum, & tanquam Dominus ſeruum. Quaſi dicat, ſecundum Chryſoſtomum. Non ergo me exiſtimetis maiorem, quia & ſi tempore ſum prior in prædicatione, tamen poſterior ſum ordinis dignitate. Licet enim poſt me natus eſt Chriſtus, tamen ante me factus eſt dignitate, & mihi prælatus tanquam clarior & honorabilior, ſeu maior & dignior. Ante me ergo factus eſt, ſinceritate conſcientiæ, innocentia vitæ, famę decore. Ante me eſt diuinitate, quæ ab æterno eſt, vnde ipſe maior me eſt. Ego enim ſum ſeruus, ille Dominus. Ego miles, ille imperator. Ego homo fragilis, ille Deus fortis, *cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti eius ſoluere*, quod vtique vile & humile officium eſt, quaſi dicat, tantæ dignitatis eſt, quod ego non ſum dignus ſibi ſeruire, nec eius miniſter vocari etiam in minimo miniſterio diſcalciationis. Et hoc ſecundum Gorran. Etenim nullus quantumcunque bonus, debet ſe dignum reputare, vt Chriſtum diſcalciet. Vnde Centurio Matth 8. *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*. Ex hoc patet quod Ioannes multum acceſſerat ad Dei cognitionem, in quantum ex conſideratione diuinæ magnitudinis ſe totaliter vilipendebat & nihil ſe eſſe dicebat. Sic & Abraham cũ Deũ cognouiſſet, dixit: *Loquar ad Dominum cum ſim cinis & puluis*. Et patet etiam ex hoc quod quanto homo ſe a Deo longe in ſua imperfectione diſtare conſpicit, tanto magis erga Deum de ſe humilia ſentit & ſeipſum repræhendit. Hinc Iob cum Deum vidiſſet dixit: *Nunc oculus meus videt te, idcirco repræhendo me & ago pœnitentiam*. Sed contra iſtam litteram videtur. Cum enim Chriſtus non detulerit calciamenta quæ Apoſtolis prohibuerat, & ipſe quod decuit fecit, quomodo verũ loquitur Ioãnes de calciamentis Chriſti? Propter iſtam rationem dicit Lira. Gorra. & ſanctus Tho. iſtam locutionem eſſe metaphoricam. Vnde dicit Lira quod Iohannes loquebatur hoc per quandam ſimilitudinem, ſicut homo aliquis ſuam paruitatem & alterius excellentiam exprimens dicit, non ſum dignus religare

Ioan. 8.

Iob. 36.

Philip. 2.

Luca. 22.

Ierem. 23.

Ioan. 3.

Matth. 8.

Geneſ. 18.

Iob. 42.

Luca. 10.

Act. 1.

Calciamentum ſoluere quid ſit.

gare

gare ſotulares ipſius. Nec mirum, quia homo comparatus Deo, nihil eſt ſecundum ipſum. Allegoricè verò ſecundum Gorran. calciamentum eſt humanitas Chriſti, pes calciatus deitas humanata, corrigia calceamenti eſt vnio naturarum. Soluere ergo corrigiam calceamenti, eſt explicare myſteriũ vnionis, ad quod indignum ſe dicit Ioannes.

Iſaie.53. *Generationem eius quis enarrabit*, quaſi dicat, nullus, quia nemo eſt dignus. Et intelligendum eſt quod licet Ioannes & alij Doctores explicauerunt aliqua de vnione humanitatis cum Deitate, non tamen perfectè & ad plenum, ſed imperfectè. Alio modo ſecundum Thomam exponitur ſecundum illud quod ponitur Deuter. 25. Quod cum aliquis moriebatur ſine liberis, frater eius ſcilicet defuncti cogebatur recipere vxorem eius & ex ea ſemen fratri ſuo ſuſcitare. Quod ſi eam nollet recipere in vxorem, tunc aliquis propinquus defuncti eam recipere volens, debebat illum diſcalciare in ſignum ceſſionis huius, & illam in vxorem recipere, & domus eius debebat vocari domus diſcalciati. Vnde dicit. *Cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti*, id eſt, non ſum dignus habere ſponſam quę ſibi debetur, ſcilicet Eccleſiam. quaſi dicat, non ſum dignus vt vocer ſponſus Eccleſiæ, quæ conſecratur à Chriſto in baptiſmo ſpiritus. Ego enim baptizo in aqua tantum. Vnde Ioan. 3. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.*

Tandem deſcribit locum, vbi hæc facta ſunt propter meliorem certitudinem dicẽs: *Hæc in Bethagia facta ſunt trans Iordanem, vbi Ioannes erat baptizans*. Quidam legunt in Bethania, & malè, quia Bethania eſt iuxta montem Oliueti prope Hieruſalem, quæ multum diſtat à Iordane. Eſt ergo alia bethagia ſupra Iordanem, ex altera tamen parte fluminis in ſorte duarum tribuum & dimidiæ, ſecundum Gregorium, Liran. Chryſoſtomum & Thomam. Et ita etiam habetur in græco, ſed apud nos vitio ſcriptorum corruptum ſicut alia multa. Ad litteram ideo ponit iſtum locum, *vbi erat Ioannes baptizans*, vt reducat illis ad memoriam qui tunc adhuc viuebant, & locum nouerant, & ſic magis certi erant & crederent. Spiritualiter Bethagia interpretatur domus obedientiæ, ad ſignificandum quod neceſſe eſt per

Ioan. 11. Matth. 16.

Bethagia & Iordanis quid interpretentur.

obedientiam fidei ad baptiſmum peruenire. Iordanis interpretatur deſcenſus, & ſignificat ſecundum Orig. Chriſtum, qui deſcendit de cęlis, non vt faciat voluntatem ſuam, ſed voluntatem patris ſui, qui etiam ideò deſcendit vt nos lauaret à peccatis in ſanguine ſuo.

Moraliter inſtruimur de tribus. Primo in Ioanne, vt in omnibus noſtris operibus, gloriam Dei, non noſtram quæramus, ſicut ipſe Ioannes, qui Chriſto omnia perfectiora aſcripſit, & ſe ad ipſius honorem extollẽdum præcurſorem dixit. Vnde Chriſtus. Si ego gloriam meam quæro, gloria mea nihil eſt. Et Apoſtolus. *Omnia in gloriam Dei facite.* Secundo inſtruimur vt veritatem à nobis quærentibus non occultemus, ſed quod falſum eſt negemus, quod verum aſſeramus, ſicut Ioannes negauit, quod non fuit, confeſſus eſt quod fuit. Vnde dicit Auguſtinus Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vterque reus eſt. Ille quia prodeſſe non vult, iſte quia nocere deſiderat. Hæc ille. Maximè autem veritatem fidei, loco & tempore oportunis, quilibet tenetur confiteri publicè ore. Nam ad Rom. 10. dicitur quod *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*. Tertio inſtruimur hic, vt in omnibus noſtris actionibus ſemper medium iuſtitiæ obſeruemus, exemplo Chriſti qui medius ſtetit. Medium enim eſt locus humilitatis, locus communitatis, locus vnitatis, locus ſtabilitatis, locus proximitatis. Ad ſignificandum quia nos debemus ſemper conuerſari inter alios humiliter, omnibus eſſe indifferenter communes ad vtilitatem, cum omnibus eſſe pacifici & vnanimes, in aduerſis eſſe ſtabiles, omnibus eſſe proximi. Iuxta illud Ambroſij. Omnis homo omni homini proximus eſt.

Apoc. 11. Documenta. *Ioan. 8.* *1. Cor. 10.* 2. *Aug. in lib. de ago. Chryſ.* 3.

Hic occurrunt tria dubia. Primum eſt vtrum baptiſmus Ioannis conferebat gratiã. Secundum vtrum baptiſmus Chriſti fuit neceſſario inſtituendus. Tertium vtrum baptiſmus Chriſti æqualiter proficiat omnibus. Ad primum reſpondeo quod licet baptiſmus Ioannis potuit dici Sacramentum largè ſicut alia Sacramenta legalia, eo quod ſignificabat rem ſacram ſcilicet baptiſmum Chriſti, tamen non conferebat gratiam. Ideoque vt dictum eſt, fuit in aqua ſolum,

Dubia.

quia exterius lauabat; interius autem non cōferebat gratiam, nec remiſſionē peccatorū, vnde dictus eſt baptiſmus hominis, quia in eo Ioannis operatio viſibilis erat exterius lauātis, nō inuiſibilis gratia Dei operātis interius. Sed tamen & illa operatio à Deo erat, non ab homine: hominis autem dictus, quia nihil ibi gerebatur, quod non ageret homo. Forma autem huius baptiſmi erat: *Ego te baptizo in nomine venturi Chriſti*. Et iſti ſic baptizati per Ioannem, rebaptizabantur per Chriſtum, vt communiter dicunt omnes Doctores ſuper 4. ſententiarum diſt. 1. & ſpecialiter Ioannes de monte leonum, qui hoc ibi ponit pro vna concluſione. Ad ſecundum dubium reſpondeo. Quod baptiſmus Chriſti fuit neceſſario inſtituendus. Cuius ratio, quia omnia legalia & circumciſio, per quam peccatū originale abluebatur, in morte Chriſt. fuerunt terminata, nec extunc pfuerūt, ſed ſeruātibus obfuerunt; ideo neceſſe fuit inſtituere vnum ſacramentum cōmune ad remiſſionem peccatorum, in quo daretur renouatio mentis à peccato veteris hominis, & in quo eſſet depoſitio vitiorum, & collatio virtutum. Hæc Ioannes ibidem. Ad tertium dubium ſecundùm eundem ſuper 4. diſt. 4. q. Sacramentū baptiſmi diuerſi diuerſimodè recipiunt; quidā n. ſuſcipiunt ſacramentum & rem, vt omnes paruuli & adulti deuoti: in paruulis enim deletur originale, in adultis vero originale & actuale; quidam ſuſcipiunt Sacramentum tantum, & non rem, vt adulti ficti, non habentes veram cordis contritionem; aliqui verò ſuſcipiunt rem & nō ſacramentum, vt illi qui patiuntur pro Chriſto habentes fidem eius: vel illi, qui habentes fidem Chriſti, nullo modo poſſunt baptizari. Ex quo patet, quod illud Ioan. 3: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Intelligitur de illis, qui poſſunt & contemnunt. Secundo patet, quod adultus putans & credens ſe firmiter baptizatum, licet non ſit, præſertim ſi probabilem habet de hoc credulitatem, vt quia habitat inter parentes & Chriſtianos fideles, & gerit ſe in omnibus & reputat, & ab alijs reputatur pro Chriſtiano, poſito quod per negligentiam parentum non eſſet baptizatus in aqua, ſaluabitur: patet quia talis baptizatus eſt per ſpiritum ſanctum in fide Chriſti. Ita notant Doctores de baptiſmo & eius effectu *c. maiores.*

DE EADEM SERMO II.

Tu quis es? Ioan. 1.

Aug. ſer. ... SANCTVS Auguſtinus deſcribens verum Chriſtianum, ſic ait: Ipſe eſt Chriſtian⁹, qui in domo ſua peregrinū ſe eſſe cognoſcit: patria enim noſtra ſurſum eſt. Et alludit verbis Apo-

Hebr. 13. ſtoli dicentis *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Ex quo patet, quod homo maximè deberet conſiderare ſuam conditionem, & maximè illam, quę eum facit Chriſtianum; hæc eſt autem conſideratio ſuæ pœnalitatis & miſeriæ, quā deberet homo frequenter penſare, vt per eam ad compunctionem afficiatur. Nam ſicut

Greg. lib. 24. Moral. dicit Greg. hæc eſt vna de quatuor qualitatibus, quibus viri iuſti anima in cōpunctionē afficiatur, cū aut malorū ſuorū reminiſcitur, conſiderans vbi fuit, vbi erit, vbi eſt, vbi non eſt. Et hanc conſiderationem dicit pro ſpe fortitudinis fundamentum. Et Hugo li. 1. de anima cap. 9. vocat eam ſummā philoſophiam. Et verè ſumma ſapientia eſt ſeipſum cognoſcere ſeruum Dei, quia per hanc homo aſcendit ad Deum, vt dicit Caſſiodorus ſuper illud pſalm. *Miſerere mei Deus quoniam infirmus ſum.* Vt igitur homo verè Chriſtianus dici valeat, vt fundamentum omniū virtutū in ſe ponat, vt ſummam ſapiētiam acquirat, iure quodam & meritò ei indicitur, vt ſtatū conditionis ſuæ agnoſcat. Quod tunc tāto facilius faciet, ſi ſe, quis ipſe ſit, interroget per verba noſtri thematis, dicens ad ſeipſum & piè quærens. *Tu quis es?* In quibus verbis tria nobis cōſideranda occurrunt,

Seipſum cognoſcere ſumma ſapientia.

Propoſitio.

currunt. Secundum enim triplicem naturã in homine, triplex ei quæſtio eſt neceſſario formanda. In homine ſiquidẽ eſt anima ſubſtantia nobilis, corpus ſubſtantia vilis, & vita mutabilis. Secundum hoc ergò triplex erit quæſtio de homine. Prima quid ſit ſecundum animam. ſecunda quid ſit ſecundum corporalem ſubſtantiam. tertia quid ſit ſecundum vitam: de quorum quolibet quærẽdo dicat. *Tu quis es?* Prima quæſtio reſpicit hominis dignitatem, ſecunda hominis vilitatem, tertia vtriuſq; hominis ſanctitatem.

I.

Homo quid ſit ſecundum animam.

Tu quis es? Certè ſi homo verum vult reſpondere, quid ſit ſecundum animam, dicet nõ aliud, niſi quia ſecundũ animam eſt ſimplex ſubſtãtia, deinde q; hæc eſt immortalis & perpetua: tertio quod eſt ſui iuris & libera. Quæ tria ſi conſiderantur, maximè ſignificãt ſtatũ & conditionem ipſius hominis. Primò igitur dicit eam eſſe ſubſtantiam ſimplicem, hoc eſt, incorpoream vt dicit Aug. Et per hoc homo omnẽ creaturã corporalẽ dignitate naturæ præcellit. Nec ſolũ eſt ſimplex ſubſtantia qualiſcunq;, ſed eſt ſimplex ſubſtantia, rationis particeps, corpori regẽdo accommodata, dicit idẽ Aug li. de quantitate animæ. Eſt aũt talis ſubſtantia animæ noſtræ, vt eã non poſſit gignere, formare vel creare alius, niſi Deus. Vnde Orig. dicit: Ego nõ puto quod quilibet hominum poſſit animam gignere. Vnde ipſe Adam in initio creationis ſuę dicens ad Euam ait: *Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea.* Nec tamen addidit: & anima de anima mea. Ecce ſecũdum Origenem, quæ de terra ſunt, ſua eſſe profitetur, quæ autem ſcit de terra non eſſe, non audet dicere ſua. Sic & Laban, qui cum dicit ad Iacob, quoniam os meum & caro mea es tu. Nec ipſe amplius aliquid videtur addere ſuum, dicẽs tantum ſuum, quod terrenæ conſanguinitatis agnoſcit. Hæc Orig. de quo latè & diffusè S. Aug. l. 7. ſuper Gen. ad litterã & l. 10. & 2. de origine, & natura animæ per totum. Secundo ad iſtam inquiſitionem reſpondens homo, dicit animam ſuam immortalẽ & perpetuã. De quo dicit Greg. l. 4. dialogorũ; Tres vitales ſpiritus creauit omnipotẽs Deus. Vnũ qui carne nõ tegitur, aliũ qui tegitur; ſed non cũ carne moritur; tertiũ, qui carne tegitur, & cũ carne moritur

Aug. l. de deſin. ani.

Orig. hom. 1. ſup. exod.

Vitales ſpiritus tres creauit Deus.

Primus Angelorum, ſecũdus hominum, tertius animaliũ. Iſtud autem, quod anima humana eſt immortalis, non ſolũ eſt credibile ſecundum ſanctos per fidẽ, ſed etiã probabile per philoſophicã rationẽ ſecũdũ philoſophos. Vnde Plato in Thimeo c. 4. & 5. inter multa erronea, quæ de anima fingit humano, hoc verũ interſerit quod anima humana eſt immortalis, & ſecundũ quod vicerit paſſiones, vel vincetur ab eis, præmiabitur; vel punietur poſt mortem. Idem patet per Ouidium. *Morte carent animæ priore relicta: Sicq; nouis domibus viuunt habitantq; receptæ.* Calcidius quoque in commento ſuper Thimeũ Platonis dicit. *Corpore depoſito cum liber ad æthera perges, Euades hominẽ factus Deus ætheris alti.* Et Ariſt. dicit, quod intellectus eſt ab extrinſeco, & ſolus habet eſſe diuinu. Idẽ probat 2. de anima. Vbi dicit quod anima intellectiua diſtinguitur à vegetatiua ſicut incorruptibile à corruptibili. At idẽ pulchrè in li. de pomo & morte. Item Seneca epiſtola. 5. dicit, quod mors non eripit vitã, ſed interimit. *Veniet iterũ, qui nos in lucem reponat dies.* Verũ quia tam a prophetis, quã a ſanctis fides de hoc Catholica ſufficienter diuulgata eſt, ideò non oportet vlteriori perſuaſioni de hoc inſiſtere: quarè iſta ſufficiãt. Tertiò homo reſpondet ad interrogationem ſibi factam, dicens animam ſuam eſſe voluntate liberam. Libertas ſiquidem animæ noſtræ in ſui prima creatione fuit triplex, ſcilicet, quia fuit creata libera à peccato, à miſeria, à neceſſitate, vt dicit Bernardus de libero arbitrio. Veruntamen licet anima per peccatũ primi hominis huic triplici defectui iam ſit addicta, nihilominus tamen adhuc habet libertatem, quæ eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem, vt dicit Anſelmus. Quæ quidem libertas quodammodo naturaliter ſemper eſt in homine, licet ſecundum ipſum non ſemper ea vtatur, quæ etiam ita fortis eſt, vt nulla res homini rectitudinem prædictam, id eſt, iuſtitiam, quam habet, valeat auferre, quamdiu hac libertate voluerit vti. Hæc Anſelmus. Ex his iam poteſt apparere dignitas, & nobilitas animæ humanæ, quæ ſic creata eſt in decore & nobilitate, vt ad imaginem & ſimilitudinem DEI dicatur facta. Nam vt ait Bernardus per ſimplici-

Ouid. 15. Metham.

Ariſt. lib. 16. de anim. c. 4.

Anima noſtra libertas triplex.

Anſel. lib. de lib. arb. cap. 1.

Bern. ſer. 81. ſuper Cant.

plicitatem naturę immortalitatem & libertatē anima dicitur ad ſimilitudinē Dei facta, licet non ad æqualitatem, eo quod multo inferiori modo & gradu anima habet ſimplicitatem ſui eſſe, ſimiliter immortalitatē, ſimiliter libertatem, quam Deus. Ille enim habet eſſe ſimplex, cui hoc eſt eſſe, quod beatum eſſe. Anima vero eſt eſſe quod viuere. Vnde Deus eſt vita viuens & viuificans. Similiter anima hoc idem habet, ſed diſpari modo, quia anima eſt vita à creante creata, quæ niſi ab illo non eſſet, ſic niſi ab ipſo viuificata non viueret. Hæc Bernardus. Sed heu, homo parum iſtam dignitatem aduertit. Vadit enim ſicut ſcriptum eſt de illo. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Heu heu pauci hodie ſimplicitatem naturæ animæ ſuæ attendunt, qui cum deberent ſecūdum animam ſimpliciter & ſpiritualiter viuere, ſicut ipſa ſimplex & ſpiritus eſt: viuunt econuerſo dupliciter & carnaliter, & quod deterius eſt, beſtialiter. Dupliciter viuunt, qui in aliquo volunt videri vt homines, ſed in aliquo viuunt vt animalia, & iſti ſunt quædam monſtra in natura. Refert Valerius Maximus in libro. 1. cap. 4. in quodam loco infans natus fuit cum elephantino capite. Sic certè multi hodie habent corpus humanum, ſed caput, id eſt, mentem, quæ eſt caput animæ, habent elephantinam. Elephas enim habet caput mōſtruoſum contra morem aliorum animalium, habet enim os ſuum ſub mento. Sic iſti habent os ſuum non in cælum apertum per deuotionem, ſed in terram depreſſum per vanam operationem & locutionem. Iuxta illud: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, vt ſic verè aſſimilentur elephanti non ſolum in capite, ſed etiam in cæteris difformitatibus. Dicitur enim, quod elephas delectatur ſanguine. Vnde bellatores ad prouocandum elephantes ad tranſitum pugnæ ſolent oſtenſione vuæ mori prouocare. Morus enim habet ſimilitudinem ſanguinis in colore rubedinis. Et ſignificat crudelitatem in homine, qui delectatur effundere ſanguinem innocentū. Ideo pſalm. bene dicit: *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Sanguinem autem dico, & ſi non ſemper corporalem: tamen victum & panem acquiſitum per ſudorem. Iuxta illud: *Panis egentiū vita eorum, qui accipit eum, homo ſanguinis eſt.* Elephas etiam dicitur habere pedes rectos ſine curuaturis genuum & poplitum. Et ſignificat illos ſuperbos, qui nulli reuerentiam vel honorem impendunt, nolētes cuiquā incuruari. Sed illi audiant Apoſtolum. *Cui honorem, honorem*, ſupple reddatis. Sed quid mirum ſi homini non faciunt reuerentiam, qui eam Deo denegant facere? Videmus enim pleroſque in Eccleſia Dei infra ipſa ſacra miſſarum ſolemnia, erecta ceruice, pede diſtento, fronte impudica aſſiſtere, & velut elephantes ſuperbos, imo velut ſimulachra inſenſata & ſtatuas mutas, pedē in terra rectum defigere, nec eum etiam vel vix infra eleuationem hoſtiæ ſacræ incuruare, & illum duntaxat vnicum, nec terrę quidem perfectè adhærentem, cum tamen *in nomine Ieſu omne genu flectatur*. Duplices ſunt illi etiam, qui aliud agunt opere, aliud intendunt cogitatione. vt vanè glorioſi, qui faciunt opera ſua, vt videantur. Duplices & illi ſunt qui videri nolunt quod ſunt, ſed quod non ſunt, imo non ſolum nolunt videri, ſed etiam nec patiuntur. Nam vt dicit Proſper. *Superbus vult credi conſtans, prodigus liberalis, auarus diligens, temerarius fortis, inhumanus parcus, guloſus humanus, ignauus quietus, timidus cautus.* Hæc ille. Duplices ſunt & illi, qui in aperto fingunt bona, in occulto agunt mala, *in veſtimentis ouium venientes, intus autem lupi rapaces*. Duplices & illi qui cum malè fecerint, bonis excuſationibus ſe excuſant. Nam deprehenſi, dicunt ſecundum Bernardum: Et ſi malè feci, parum tamen feci: & ſi multum, non tamen mala intentione, ſed vt inde bonum proueniret. Hypocrita, non ſunt faciēda mala, vt veniant bona, inquit Apoſtolus. De numero talium videntur eſſe moderni curienſes apud reges & principes, qui propter bonum reipublicę multa in ſuperbia & abuſione veſtium, equorum, apparatuum, exercitiorum, iocorum, ludorum & diſſolutionū adinuenerunt, aſſerentes per hoc rempublicam promoueri & magis inſigniri. Sed certè mentita eſt iniquitas ſibi, fabricando excuſationes in peccatis, quod tamen eſt maximum vitium, & tardius pœnitere permittit.

Sicut

Pſal. 48. — *Dupliciter viuere.* — *Val. Max.* — *Infans elephantino capite.* — *Pſal. 13.* — *Elephantis natura.* — *Pſal. 13.* — *Eccl. 34.* — *Elephas caret poplite.* — *Rom. 13.* — *Inde voti perſtringuntur.* — *Philip. 2.* — *Matth. 5.* — *Proſper, lib. de vita cont.* — *Bern.* — *Aulici perſtringuntur.*

Caſſiod. Pſal. 140.

Sicut dicit Caſſiodorus ſuper illud pſalmi; *Ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Certè pudeat tales manifeſta ratione confundi. Quis enim ſapiens dicat laudabilem tantam ſumptuoſitatem veſtium, vel aliorum iocalium breui tempore duraturam, ſine magno diſpendio reipublicę procedere? certè nullus. Non vult hoc reſpublica, vt fructum longi temporis breuis mora conſumat, in vanitatibus & inanijs falſis, vult reſpublica non ſuperfluis, ſed moderatis regi ſumptibus, eò quòd in omnibus ſemper regitur moderatione rationis, prout inquit Policratus lib. 5. cap. 2. Ratio autem ſemper deprecatur ad optima 10. Ethicorum. Multum ergo reprehendendi ſunt tales, qui propriæ ſuperbiæ faſtum, abuſum, exceſſum, pompam & iactantiam, vanitatem & diſſolutionem aſcribere reipublicæ vtilitati non verentur. Quis enim neſciat multas prouincias, ducatus & regna ſine talibus vanitatibus, non modo benè & pacificè regi, ſed etiam diſponi fœliciter.

Superbia & vanitatis mala.

At vbi ſuperbia & vanitas in omnibus, quæ erit pax ab hoſtibus, quæ fœlicitas in rebus, creatore omnium ante omnia prouocato? Niſi fortè quis dicat, Deum talibus fore propitium, quem tamen legimus & Angelum vt fulgur de cœlo, pro eo, quod eleuatus eſſet in decore ſuo, deieciſſe. ſicut ſcriptum eſt. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Sed nec primis pepercisse parentibus: De quibus ſcriptum eſt: *Increpaſti ſuperbos.* Nec dubium quin de Adam & Eua loquetur ſecundum Auguſti. Quod ſi illis qui duntaxat ſola præſumptione mentis elati, iniquitatem meditati ſunt in corde ſuo, diuina animaduerſio non pepercit: quomodo tibi parcet, qui non ſolum in corde tuo vana vanè concepiſti, ſed ore & opere multipliciter, ac per hoc damnabiliter multò plus effudiſti? Decipieris ſanè, ſi maiori delicto minora vel nulla adhiberi flagella arbitraris, cum ſcriptum ſit: *Iuxta menſuram delicti, erit & plagarum modus.* Attendant proinde huiuſmodi dignitatem animæ ſuæ, & ſimplicitatem eius in vita, moribus & conuerſatione oſtēdant: nè audiant illud, *Væ duplici corde filiis ſceleratis.* Nec minus à natura animæ ſuæ degenerant, qui immortalitatem eius aut non credentes, aut non attendentes, multis eam peccatis mortificant, quantum in eis eſt. Anima ſiquidē, etſi omnis immortaliter viuit vita naturali, non omnis tamen viuet vita ſpirituali. Qualis enim vita in pœnis in qua melius foret non naſci, mors potius eſt & ideò grauior, quia peccati, non naturæ. Denique mors peſſima. Ita igitur quæ ſecundum carnem viuit anima, viuens mortua eſt: cui reuera bonum erat omninò non viuere, quam ſic viuere. O quam multi ſunt, qui quaſi immortalitatis ſuæ obliti, dicunt. *Ex nihilo nati ſumus: & poſt hæc erimus, tanquam ſi non fuerimus. Venite ergo & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter.* Tales qui ſic vtuntur vita iſta, nihil curantes de futura, vocat Apoſtolus miſerabiliores omnibus hominibus. Sicut patet 1 Corinthiorum 15. *Si tantum in hac vita ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Sunt & alij, qui à natura animæ ſuæ degenerant in eo, quod eius libertatem in ſeruitutem redigunt, ita quod cum anima eorum deberet eſſe libera vt domina, ipſi faciunt eam ancillam. Nam *qui ſeruit peccato, ſeruus eſt peccati.* Nec tamen voluntas excuſanda eſt: Ipſa enim non coacta, ſed volens ſe ſeruam fecit & facit. Ideò quis excuſabit, cum ipſa fecerit. Vt igitur attendat homo conditionem animæ ſuæ, ſæpius eam quantum ad iſta tria interroget: *Tu quis es?*

Lucifer Angelus de ſuperbia punitus.
Pſal. 72.
Et primi parentes.
Pſal. 118.
Deut. 25.
Eccl. 2.
Iſai. 1.
Mors peccati miſerrima.
Sap. 2.
Impiorū vox.
Cor. 15.

I I.

Secunda quaſt. ſolutio.
Iob 14.

Ad ſecundam interrogationem reſpondebit illud Iob 14. *Homo*, inquit, *natus* ſum ſecundum carnem *de muliere, breui viuens tempore, repletus multis miſeriis.* Ecce vilitas triplex eſt, In ingreſſu in mundum, in progreſſu per mundum, in egreſſu de mundo, ſcilicet fragilitas, breuitas, & calamitas. Primò itaque tangit ingreſſum in mūdum, qui eſt ſatis turpis & abominabilis: quia natus de muliere, & ſic de fragili ſubſtantia, & de turpi materia. Vnde corpus humanum inter omnia corpora formatum eſt ex viliori materia. Nam cœleſtia corpora ex luce facta ſunt, piſces & volatilia ex a-

Humanæ conditionis vilitas.
Prima.

qua

qua, flatus & ventus ex aëre, greſſibilia ex terra ſola: corpora verò noſtra non ſunt ex terra ſola, ſed limoſa & lutoſa. ſicut patet Geneſ. *Formauit* inquit *hominem Deus de limo terræ*. Conſiderans ergo aquatica, ſe vilem inueniet: conſiderans aërea, viliorem ſe reputabit: & conſiderans cœleſtia, viliſſimum ſe æſtimabit. Vnde Innocentius de hoc ſic ait: Homo formatus de puluere, de luto, de cinere, quodque vilius, de ſpurciſſimo ſpermate conceptus, in pruritu carnis, in feruore libidinis, in fœtore luxuriæ, in labe peccati natus; quod deterius eſt, natus ad laborem, timorem & dolorem, quodque miſerius eſt, ad mortem. Quid igitur homo niſi lutum & cinis? Hinc enim homo dicit ad Deum: *Memento quaſo. quod ſicut lutum feceris me & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti?* Hinc & Deus dicit ad hominem: *Cinis es, & in cinerem reuerteris.* Et Iob de ſe dicit: *Comparatus ſum luto: & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri. Quid ergo lutum ſuperbis? de quo puluis extolleris? vnde cinis gloriaris?* Hæc ille.

Innoc. lib. 1 cap 2 de vili hum. condit.

Quæ autem incommoda conſequuntur ingreſſum in mundum hominem? Certè vt idem enumerat ibidem cap. 5. quidam concepti priuſquam nati, moriuntur. Alij etſi nati, tamen deformati & monſtroſi naſcantur, vt non homines, ſed abominatiores videantur: plerique diminuti membris & ſenſibus corrupti, amicorum triſtitia, infamia, verecundia propinquorum. Et generaliter omnes ſine ſcientia, ſine virtute, ſine verbo, flebiles, debiles, imbecilles oriuntur, parum à brutis diſtantes, imò vilius naſcentes. Nam illa vt orta ſunt ſtatim gradiuntur: nos autem non ſolum erecti pedibus non incedimus, verũ etiam incuruati manibus non reptamus. Et ſequitur, cap. 8. ibidem: *Nudus egreditur, nudus reuertitur, pauper accedit, & pauper recedit*. Et cap. 7. *O vilis humanæ conditionis indignitas.* Indigna conditio vilitatis humanæ, herbas & arbores inueſtiga, illę de ſe producunt flores & frondes, tu de te lendes pediculos & pulices & lumbricos. Illæ de ſe fundunt oleum, tu de te ſputum. Illæ ſpirant odorem, tu fœtorem. *Qualis eſt arbor talis fructus. Non poteſt arbor mala fructus bonos facere.*

Natiuitatis humanæ incommoda.

Secunda. Secunda vilitas hominis eſt ſecundum corpus in progreſſu per mundum, qui eſt valdè breuis, iuxta illud, *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, & amplius labor & dolor.* Vnde Eccleſiaſtic. 9. dicitur: *Nemo eſt, qui ſemper viuat.* Vnde Iob. *Breues dies hominis ſunt.* Super hoc dicit Gregorius Et ſuper illud: Job 10. *Memento, quod ſicut lutum &c.* multa per longum paſſum. Similiter Bernardus in meditationibus ſuis. Et Seneca in libro de breuitate vitæ per totum Et epiſtola 80. vbi ſic dicit: *Vita breuis eſt ſicut fabula, & comparatur puncto, cuius pars non eſt.* Vnde Iob 21. *In puncto ad inferum deſcendent.* Super quo Gregorius lib. 15 Moralium dicit: *Omnis longitudo præſentis vitæ punctus eſſe cognoſcitur, cum fine terminatur: quia de præterito nihil tenet, de futuro nihil habet.* Et Seneca epiſtola centeſima tertia dicit: *Vita noſtra proxima eſt nihilo.* Vnde Sapient. 2. *Exiguum eſt tempus vitæ noſtræ.* Ecce patet breuitas temporis.

Eccl. 9. Iob 14. Greg. li 7. moral. & lib. 8. & 9. Seneca. Gregor.

Tertia. Tertia vilitas hominis eſt ſecundum corpus in egreſſu de mundo, qui eſt pœnalis, doloroſus & flebilis: imminet enim tunc circa egreſſum de mundo ſenectus, febris, & morbus. Ideò Auguſtinus dicit: Fragiliores ſumus quam ſi vitrei eſſemus, quia etſi vitro caſus timeatur, non tamen ſenectus aut febris: nos verò, ſi caſus non accidit, tempus annihilat. Quam autem miſera illa ætas ſit, qua egredimur de mũdo, oſtendit Innocentius quartus libro primo de vilitate humanæ conditionis cap 9. Poſt omnia miſera mors ſuccedit, quæ eſt omnium terribilium terribilior. Quærit autem Pſalmiſta: *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem*, quaſi dicat; nullus. Si igitur *omnes morimur, & ſicut aquæ, dilabimur,* omnes humiliari debemus, conſiderantes quia poſt mortem nihil erimus, niſi puluis & cinis fœtor & horror. Verſus: *Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror. Sic in non hominem vertitur omnis homo.* Vt igitur homo humilietur ſub potenti manu Dei, attenta huiuſmodi vilitate corporalis ſuæ ſubſtantiæ, ſępius in ſeipſo recogitet quærendo à ſeipſo, *Tu quis eſt*

Augu lib. de verb. Dom. ſer. 1

2. Reg. 14.

III. Ad

III.

Quæſt. 3. ſolutio. Ad tertiam quæſtionem, qua quæritur, quid ſit homo ſecundum vitam: reſpondebit vtique, quod homo non ſit aliud ſecundum vitam, niſi ſanctus, pius, verus, iuſtus, pacificus, & alijs virtutibus adornatus. Sicut enim dicit Bernardus ſuper cantica: *Homo ſic fuit à Deo perfectè creatus, vt huic nihil deeſſe putaretur. Nam quid huic deerat, quem miſericordia cuſtodiebat, veritas docebat, iuſtitia regebat, pax fouebat?* Hæc ille. Sicut ergò in his virtutibus creatus fuit, ad hoc vt tandem per eas ad regnum cœlorum transferretur: ſic ex quo peccauit, ad hoc de paradiſo huc expulſus eſt, vt reſtauratis eiſdem virtutibus, in ſanctitate vitæ & iuſtitia coram Deo ſuo viuens, regnum cœlorum aſſequeretur. Et hæc eſt hominis ſanctitas. *Charitas commendatur.* Et quia omnes virtutes ordinantur in charitatem & charitate informantur, ideò quiſquis vult ad priſtinam dignitatem, & innocentiam originalem redire, & ſanctitatem acquirere, ante omnia debet ſtudere, vt veram dilectionem habeat. *Vera charitate quis præditus.* Veram autem charitatem habet & ordinatam ille, qui primò non diligit quod non eſt diligendum. Secundò etſi diligit non amplius diligit, quod minus diligendum eſt.
1.
2. Tertiò qui etſi diligit, non minus diligit
3. quod eſt amplius diligendum. Quartò qui
4. non minus, nec amplius diligit, quod æquè eſt diligendum. Quæcunque ergò alia homini ſuadentur, illa omnia ſuadentur cauſa dilectionis, & per conſequens cauſa ſalutis, vt pudicitia corporis, caſtitas animæ, veritas doctrinæ. *Vitæ ſanctitas vt obtinẽda.* Si igitur ſanctitatem vitæ acquirere volumus, ſtudeamus
1. inſiſtere illis virtutibus ſupradictis, vt ſic
2. per miſericordiam primò noſtræ animæ, ſecundo proximi defectibus compatientes

Tobiæ 4. ſubueniamus: ſic enim ſcriptum eſt de nobiſipſis: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Scriptum eſt & de proximo: *Quomodo potes, ita eſto miſericors.* Miſericrodia enim in tantum eſt neceſſaria homini, vt omnis ſumma Chriſtianæ religionis in ea dicatur conſiſtere, inquit Ambroſ. ſuper epiſtolam ad Timoth 4. cap. Nihil enim ita commendat Chriſtianum, quam miſeratio charitatis, inquit, Ambroſ. de officijs. Et ſecundum Hieronymum in epiſtola ad Nepotianum: *Impoſſibile eſt talem à Deo non exaudiri, cum habeat multos interceſſores.* *Veritati ſtudendũ quæ triplex eſt.* Secundò ſtudere debet homo & diligenter attendere, vt acquirat veritatem, quæ triplex eſt, ſcilicet vitæ doctrinæ, & iuſtitiæ: Tunc autem vt dicit Bernardus inquirimus veritatem, in nobis, cum noſmetipſos dijudicamus: in proximis, cum eorum malis compatimur; in ſui natura, cum meditando mundo corde contemplamur. *Bern. lib. de 12 gradi hum. Veritas vt inquiratur.* Ad primum gradum aſcendimus per laborem humilitatis, ad ſecundum per affectum compaſſionis ad tertium per exceſſum contemplationis. Tãta verò huius virtutis ad ſalutem hominis neceſſitas, vt ſine ea cætera non valeant. Ipſa enim ſola liberat, ſola ſaluat, ſola lauat. *Veritatis neceſſitas. Iuſtitiæ danda opera.* Tertio homo debet ſtudere iuſtitiæ. Eſt autem iuſtitia reddere vnicuique quod ſuum eſt, ſcilicet ſuperiori reuerentiam, æquali conſilium & auxilium, ſubdito cuſtodiam & diſciplinam. Idem ponit Anſelmus in libro, *Cur Deus homo?* Vltimo debet homo acquirere pacem. *Pax colenda.* Tunc autem vera pax homini, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur; Eſt etiam vera pax, à Dei voluntate non diuidi, & in his quæ ſolius Dei ſunt delectari. Quando enim ſenſualitas nulla parte reſiſtit voluntati, & voluntas nulla parte contradicit rationi, tunc eſt ſerenitas mentis, & regnum Dei.

Ad quod nos perducat, &c.

DE EADEM SERMO III.

Dirigite viam Domini: ſicut Dicit Iſaias propheta. Iohan. 1.

QVoniam vt ait Auguſtinus in epiſtola ad Dioſcorum: *Non aliam quiſque ad capeſſendum & ad obtinendum ſalutem, veritatis viã debet inuenire, quam quæ inuenta eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tanquam Deus vidit infirmitatem.* Hæc ille. Quia igitur multi multas vias viuendi ſibi excogitant: Nam vt Auguſtinus teſtatur in lib. confeſſ. ſuarum, non ſolum hodie, ſed etiam tempore ſuo, alius ſic, alius ſic in via Dei ibat. Jnter illos verò ſic diuerſimodè incedentes ſunt quidam, qui etſi in via incedunt, tamen obliquè, & non rectè; ideò Ioannes Baptiſta veniens in mundum præparare viam domino, in cordibus fidelium, iuxta vaticinium de ſe per Prophetam Jſaiam diutius promiſſum, per thema præmiſſum omnes exhortando, vt eandem viam rectam faciant, dicit: *Dirigite viam Domino.* quaſi dicat. Ex quo natiuitas Chriſti imminet de proximo, per quam venturus eſt & naſciturus Dei filius in vobis per gratiam. Idcircò vt via ſit in vobis recta & non obliqua, dirigite viam domini. Ad hoc enim vt dicit Ambroſius ſuper Lucam: *Hoc tempus non ſine cauſſa aduentus Domini vocatur. Ideò enim Sancti patres celebrare cœperunt aduentum Chriſti, vt ſe vnuſquiſque fidelis præparet & emũdet, vt digne Dei ſus valeat natiuitatem celebrare.* Hæc ille. Et quia non poteſt ſe melius præparare quiſque, quam ſi recto corde rectam viam Deo paret: ideò hortatur præcurſor eius dicens: *Dirigite viam Domini, ſicut dicit Iſaias propheta.* Jn quibus verbis tria tanguntur. Primò namque hortatur nos Ioannes ad rectam pœnitentię actionem, cum dicit. *Dirigite viam.* Secundò oſtendit actionis rectæ vtilitatem, cum addit, *domini.* Tertiò vtriuſque ſubiungit neceſſitatem, cum ſubdit, *ſicut dicit Iſaias.*

Propoſit.

J.

Dirigire viam. Iſta via non eſt alia, niſi pœnitentia, quæ ſola eſt via iuſtorum, qua ad paradiſum tendunt, iuxta illud pſalm. *Nouit Dominus viam iuſtorum.* Quæ dicitur via recta, quia rectè tendit in cœlum. Sicut via impiorum dicitur obliqua, iuxta illud: *In circuitu impij ambulant.* Ad hoc autem, vt hæc via ſit bona, requiruntur plura, inter quæ præcipuum eſt, vt ſit recta. Primò namque hæc via pœnitentiæ debet eſſe clara per illuminantem ſapientiam & diſcretionem; *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectam diem*, id eſt, ad æternæ beatitudinis claritatem. Vnde ſicut via noctis obſcura, multum eſt periculoſa, quia ſæpe in fine errorem inducit: ita via pœnitentiæ ſine diſcretione & obſcuritate intelligentiæ facta, nihil proficit. Refert Henricus de Vrimaria, quod cum inter ſanctos patres diutius de gratia acquirendæ perfectionis quæreretur, quænam eſſet virtus vel obſeruantia, quæ poſſet hominem à Diaboli laqueis & tentationibus cuſtodire, vel per quam recto tramite poſſit ad culmen perfectionis aſcendere, ventum eſt ad ſanctum Antonium, cumque alij aliam virtutem, alij aliam dicerent, Nam quidam dicebant ieiunium, quidam continentiam, quidam mundi contemptum, quidam charitatem & humanitatem; Beatus Antonius tandem intulit: Omnia hæc, quæ dixiſtis vtilia ſunt ſitiẽtibus Deum, & cupientibus ad eum peruenire, ſed ſola diſcretio eſt, quæ omnia laudabili fine concludit. Quam multi omittentes conuerſationem ſuam laudabilem non laudabili fine concluſerunt, quia ſine diſcretione in inceptis virtutibus non potuerunt perdurare. Et ſubdit Antonius: Hæc enim

Prou. 4.

Lib. 3. de perf hom. cap. 1.

Quæſtio de certa ſalutis via.

Diſcretio laudata.

enim virtus eſt, quæ docet quemlibet ad perfectionem tendentem via regia ſemper incedere: Eſt enim diſcretio oculus animæ iuxta illud. *Lucerna corporis tui oculus tuus.* (Matt. 6.) Quæ ideò dicitur oculus, quia omnes noſtras cogitationes & actus noſtros diſcernit atque perluſtrat. Illa autē diſcretio non eſt niſi rectum iudicium rationis, quo errante omnia peccatorum tenebris implicantur. Ideò ſaluator addit: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autē nequam fuerit, totum corp⁹ tuum tenebroſum erit.* Iſtud patet de Saul, qui contra præceptum Samuelis æſtimans victimas magis placere Deo, quam obedientiam, diuinam offenſam incurrit. Similiter Achab rex, qui credens meliorem fore miſericordiam parcendo regib⁹ ſibi diuinitus, q̄ ſeuerā traditis executionem diuini præcepti, iram Dei incurrit & acerba morte interijt, ſicut & Saul. (*Saul & Achab reges indiſcreti, in ſuam perniciem.*) Non ſolum autem diſcretio lucerna corporis dicitur, ſed etiam ſol ab Apoſtolo appellatur, iuxta illud, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Exponit Hericus & omnes alij, id eſt, iudicium rationis. (*Diſcretio lucerna ac Soli comparata.*) Hinc Salomon ait: *Omnia fac cum conſilio*, id eſt, cum moderamine diſcretionis. Ex quibus infero, quod ſine diſcretionis gratia nulla virtus poteſt ſtare vel perfici. (*Diſcretionis efficacia.*) Iſtud patet ſecundum Henricum vbi ſupra. c. 4. Sola diſcretio quemlibet hominem fixo gradu perducit ad Deum, & omnes virtutes illæſas conſeruat: ſine qua multi conatu feruide laborātes, à virtutis culmine ceciderunt. Nec mirū, cū hæc ſit omniū virtutū generatrix cōſeruatrix, & moderatrix. Vnde dicit Bern. (*Bern. ſup. Cant. ſer. 19.*) Nō habet hoſtis callid⁹ machinamētū efficaci⁹ ad tollēdū charitatē de cordibus fidelium, quam ſi efficere poſſit, vt in ea incautè & non cum ratione ambuletur. Refert Hēricus ibidem ex collationibus patrū, quod quidam ſenex quinquaginta annis in eremo maximam continentiam ſeruauit, ita vt in die paſchæ eam etiam nollet relaxare nec cæteris fratribus conuiuere, quem diabolus illudens, acceſſit in ſpecie Angeli, ſibiq; perſuaſit, quod iam eſſet tantæ ſanctitatis, vt nulli poſſet diſcrimini ſubiacere, etiam ſi in fluuium mergeretur. (*Eremitæ cuiuſdam infelix exitus.*) Quod ipſe experiri volens, in puteum ſe proiecit, ibique perijt, & hoc non propter aliud, vt dicit Henricus, quia plus ſuis diffinitionibus quam patrum inſtitutis voluit obedire. Refert etiam de quodam, qui ſecum filium in monaſterio habuit, cui diabolus perſuaſit, vt eum exemplo Abrahæ immolaret, quod ipſe ſtatim impleuiſſet, niſi filius videns patrem acuentem gladium aufugiſſet. (*De patre filium immolaturo.*) Ex præmiſſis ergò patet, quod diſcretio eſt mater & origo omnium virtutum, quæ non niſi vera humilitate acquiritur: quod tunc fit, cum omnia agenda, imo cogitationes ſingulares ſeniorum reſeruantur examini, vt in illo ſuo iudicio credens ſibi ſeniorum diffinitionibus acquieſcat, & quid bonum, quid malum debeat iudicare, eorum traditione cognoſcat. (*Diſcretionis quanta virtus.*) Talis certè tunc nullatenus decipi poterit, qui non ſuo iudicio ſed maiorum viuit exemplo.

Secundo via pœnitentiæ debet eſſe publica per exemplum bonæ operationis. *Publica gradiemur via ſine omni offendiculo.* (*Pœnitentia via ſit publica. Num. 20.*) Quod fit per exemplum ſanctæ ædificationis. *Via iuſtorum ſine offendiculo.* (*Prou. 15.*) Certè non benè agit pęnitētiā occultam quis pro publico ſcandalo, ſicut ille qui verecundatur in pane & aqua ieiunare coram hominibus pro ebrietate vel fornicatione, de qua pluribus ſuſpectus eſt. Tertio via pęnitētię debet eſſe impolluta iuxta illud: *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat.* (*Impolluta.*) Polluta eſt pęnitētia, quæ de vno peccato facit pœnitentiam, & aliud ſimile, vel aliud committit. Mala pœnitentia, quia ieiunat, & tamen inebriatur: abſtinet à cibo, ſed non a detractione vel ioco, riſu, & diſſolutione. Vltimò via pœnitētiæ debet eſſe directa per rectitudinem intentionis. *Hæc erit vobis via directa, vt ſtulti non erret per eam* (*Directa. Iſa. 35.*) Stulti dicuntur apud ſeculares pænitentes, eo quod deridēt, ſubſannātur, & deluduntur: ſed certè apud Deum ſunt vltra cæteros electi. *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus.* (*1. Cor. 1.*) Et è conuerſo ſapiētes reputantur apud ſeculares aſtuti, doloſi, ſupplantatores, fraudulenti, deceptores, de quibus dicitur: *Sapientes ſunt, vt faciant mala.* Stulti igitur reputatione humana pænitentes, ipſi habent viam directam pænitentiæ, vt nō errent per eam. Error in via fit, cum homo declinat ad dexteram vel ſiniſtram. Vnde filij Iſrael dixerunt ad Seon regem Amorrhæorum. *Via regia gradiemur,* (*Num. 20.*)

Regia via quæ.

neque declinabimus in agrum, non in vineã, non bibemus aquam de lacu. Via regia, ſecundum Origin. ſuper librum Numeri homel. 11. ad finem, eſt via Chriſti qui dicit de ſe: *Ego ſum via.* Et de quo rege dicitur in pſal. *Deus iudicium tuum regi da.* Quam profitetur ſe quiſque fidelis incedere in baptiſmo, cũ abrenunciat diabolo & omnibus pompis eius. Similiter cum in pœnitentia proponit non eſſe: viſurum vllis voluptatibus eius, nõ agro auaritiæ, non vinea voluptatis aut gulæ & ebrietatis, non aqua de lacu laſciuiæ, ſic vt non velit declinare ad dexteram vel ſiniſtram, quia neque ad opera neque ad ſenſus diabolicos mens fidelis pænitentis debet recurrere, ſed ſuper omnia via pœnitentis debet eſſe recta: per intentionem. Vnde Saluator reprehendens Phariſæos ait *Omnia opera agunt vt videantur ab hominibus.* Pœnitentes igitur nihil debent facere gratia humanæ laudis, ſed ad gloriam Dei & ſalutem propriam, iuxta illud: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videãt opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrũ, qui in cælis eſt.*

Ad opus bonũ duo requiſita.

Ex his infero primo quod ad bonum opus & meritoriũ duo requiruntur ſcilicet cognitio veri & amor boni. Primũ patet per illud, quod dictum eſt ſupra de diſcretione, quæ docet verum cognoſcere, ſine qua nulla virtus incipit, neque proficit. Secundum patet ſcilicet de amore boni per beatum Bernard. qui dicit: Vt interior oculus verè ſimplex ſit, duo illi arbitror eſſe neceſſaria, ſcilicet veritatem in electione: Ecce cognitio veri per diſcretionem.: & caritatem in intentione. Ecce amor boni.

Bern. in l. de diſp. & precep.

Pro quo ſciendum quod homines diuerſimodè ſe habent ad bona opera. Quidam enim bona diligunt, & tamen mala neſcientur vel impudenter agunt, vt ſunt illi qui libenter benè facerent, ſed quia non quærunt à ſapientibus quomodo facere debeant, contingit ſæpius, quod mala putantes bona agunt imprudenter. De quibus dicitur. *Væ qui dicitis malum bonum.* Iſti non ſunt omnino mali, quia etſi in eis deeſt diſcretio, qua verum agnoſcant, tamen deeſt peruerſitas, qua iniquitatem non diligant. In eo ergo quod bonum diligunt, boni ſunt: ſed quia malum faciunt, mali ſunt. Sunt & alij qui bonum agunt, ſed malum intendũt: qui & mali ſunt, quia bonum agunt intentione praua, & ſic permiſcent bonum malo. Alij ſunt qui bonum agunt, ſed malum credunt: Hi peiores ſunt, quia bonum non agerent, ſi ipſum bonum fore ſcirent. Alij ſunt qui malum agunt, ſed intendunt bonum: & hi ſimiliter mali, quia non ſunt facienda mala vt eueniant bona. Alij ſunt, qui veritatem non agnoſcunt, & peruerſitatem diligunt; hi peſſimi, quia & in ratione & in voluntate deformati: de his dicitur: *Corrupti ſunt,* ſcilicet in ratione, *& abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis.* Alij ſunt, qui bonum cognoſcunt in ratione & diligunt in operatione: hi optimi. Iſti ſoli ſunt qui faciunt Domino viam rectam in cordibus ſuis, quia rectum rectè faciunt. De quibus dicitur: *Et deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.* Iſti enim recto tramite pergunt in ciuitatẽ cœleſtem, & rectè operantur & recta intentione illud amant; hi ergò & non alij, dirigunt Domino viam. Verum quia multi ſunt heu his temporibus, qui rectum non rectè agunt, ideò hortatur Ioannes dicens, *Dirigite viam Domino.*

Hominũ circa bona opera diuerſitas. — *Iſa. 5.* — *Peſſimi qui.* — *Optimi quinam.*

II.

Domini: ac ſi dicat: merito hanc viam dirigere debitis vos ſerui, ex quo eam ipſe Dominus & ſaluator veſter prior dilexit. Vnde dicit gloſſa ſuper Matth. Via Domini pœnitẽntia eſt, per quam Deus ad nos deſcendit, & nos aſcendimus ad ipſum. Iſtã viam pręfigurando in ſe, cum appropinquaret Ieruſalem, primò venit Bethphage, ſecundo ad montem olіueti aſcendit. Dicitur autem, quod primo egreſſus de Bethania, & tunc primo tranſiuit ad prædicta loca. Hæc fuit via Domini corporaliter eũdo Ieruſalẽ materialem, ſed noſtra eſt moralis tendendo Ieruſalem cæleſtem. Primo ergo Dominus exiuit de Bethania. Bethania interpretatur domus afflictionis, & ſignificat in peccatore vehementem doloris afflictionẽ per contritionem, à qua primo viam ſuæ cõuerſionis quilibet peccator debet incipere, iuxta illud: *Dolor meus in conſpectu meo ſemper,* id eſt, in cognitione peccati. Secundò peccator procedit vſque Bethphage, & ſignificat confeſſionem: Betphage enim interpretatur domus buccæ ſeu oris, & ſigni-

Via Domini quæ ſit. — *Bethania quid.* — *Bethphage quid.*

ficat confeſſionem vocalem, iuxta illud: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Tertiò appropinquauit ad montẽ quẽ & aſcẽdit: & ſignificat eleuationẽ mẽtis per deuotionẽ orationis ad Deũ. Nã ſecũdũ Aug. oratio non eſt aliud niſi aſcenſus mentis in Deum. Quartò aſcendit ad montem, non quemcunque, ſed oliueti, & ſignificat eleemoſynarum largitionem, propter pinguedinem olei: debet enim pœnitens fructificare bona opera & præcipuè eleemoſynas, redimendo per eas peccata, iuxta illud: *Peccata tua eleemoſynis redime.* Et: *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Talis ergo merito dicere poterit: *Ego ſicut oliua ſpecioſa in campis.* Quiſquis ergò taliter pœnitentiam agit, vere viam Domini dirigit. Non eſt tamen leuiter tranſeundum, quia Ioannes non ſimpliciter dixit, *Dirigite viam*, ſed addere ſtuduit; *Domini*, volens ſignificare aliquam aliam eſſe viam, quia vadunt peccatores ad damnationem quæ nõ eſt Domini ſed diaboli: de qua ſaluator dicit: *Arcta eſt via quæ ducit ad ſalutem: & pauci gradiuntur per eam: lata verò eſt quæ ducit ad perditionem.* Et verè lata: nam dicimus viam latam apud nos in qua poſſunt concurrere & ſibimet inuicem obuiare duo vel tres currus. Sic via diaboli eſt ad tantum lata quod non ſolum duo aut tres currus, ſed etiam ſeptem ſimul concurrentes poſſunt ſibi inuicem obuiare. Sunt enim ſeptẽ genera mortalium peccatorum quæ in via diaboli ſimul concurrunt, & vnum non impedit aliud, ſed ſe in pace obuiando prætereunt, & ideò dicitur via lata & ampla. Sed licet ſit lata, tamen eſt multum grauis & laborioſa; via vero Chriſti eſt leuis & facilis, iuxta illud: *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Vnde pſal dicit de ſe. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Videtur enim à principio via Domini arcta, vt vix poſſit homo progredi per eam: ſed proceſſu temporis ita dilatatur, vt liberè poſſit currere per eam. Quod fit cum homo ex charitate omnia facit: tunc enim amanti nihil erit difficile. E cõuerſo via diaboli à principio ita lata eſt, vt homo liberè diſcurrat qua vult. Sed poſtea ita arctatur vt non poſſit progredi de loco. Quod fit cum mala conſuetudine peccandi ita afficitur, vt non poſſit ad bonum moueri, iuxta illud: *Peccator cum in profundum malorum venerit, contemnit.* Hinc eſt quod iſta via diaboli admodũ eſt laborioſa, & ad extremum fatigabilis, ſicut damnati conqueruntur dicentes: *Laſſati* inquiunt *ſumus in via iniquitatis, & perditionis: ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus.* Iſtud verificatur ſecundum Rupertum Holcoth, vbi ſupra, in omni genere hominum peruerſorum, qui inter nobiles & milites pro vanitate & fama volantibus in ore hominum totaliter ſe exponunt, ſuſtinentes plus de pœna in equeſtri decurſione ſeu haſtiludio, vel bello, quam ſanctus monachus in decem annis. Item mercatores, qui mare tranſeunt perſonaliter, ſuſtinentes periculoſas latronum inſidias, maris tempeſtates & naufragia: certè iſti experiuntur, iſtas vias diaboli eſſe difficiles. Similiter clerici vel laici, qui magnorum regum vel comitum vel epiſcoporum curias aggrediuntur ad ſeruiendum, qui & ipſi certè ſciunt quantum iſta via habeat difficultatis, vbi ſeruiunt multis annis cum remorſu conſcientiæ, cum obiurgationibus dominorum, cum inuidia ſociorum, cum omni infortunio corporali. Et ideò omnes illi, ſiue ſubditi, ſiue Domini, qui peccato ſeruiunt pro fœlicitate mundi, dicere poſſunt: *Laſſati ſumus in via iniquitatis.* Sunt autem ſeptem viæ iniquitatis quæ ſunt valdè difficiles, & tamen hominibus valdè amabiles. Et huius cauſa alia eſſe non poteſt niſi ignorantia. Omnis enim via eſt difficilis, ſi ſit montoſa, ſpinoſa, lutoſa, tenebroſa, tumultuoſa, ſumptuoſa, & tædioſa. Montoſam vadunt ſuperbi & ambitioſi, quæ via eſt periculoſa, quia de modico lapſu imminet magnum periculum, & quantò gradus altior, tantò caſus grauior. Sed certè ipſi ſunt ſimiles leporibus, qui facilius currunt contra montem aſcendendo, quam de monte deſcendendo: iſti enim facilè aſcendunt ad dignitatem, & cum magno conatu

Dan.4. *Luc.11.* *Matt.7.* *Diaboli via lata.* *Septem peccata mortalia.* *Matt. 11.* *Via Domini.* *Diaboli.*

Sap.5. *Reproborum vox.* *Pericula decurrentium in hippodromo.* *Mercatorum.* *Aulicorũ.* *Iniquitatis via ſeptem difficiles.* 1

conatu & velocitate, ſed de dignitate diffi
2. culter amouentur. Secundam viam ſcilicet
ſpinoſam vadunt auari, Spinæ enim ſunt di
Luc.8. uitiæ. Quia habent punctionem laboris in
3. acquirendo & doloris in amittendo. Terti-
Pſal. am viam ſcilicet lutoſam eligunt luxurioſi,
de quibus in pſal. *Inquinatæ ſunt viæ illius in*
omni tempore. Bene dicit *in omni tempore*,
quia tales etſi non agunt turpia, tamen de
eis meditantur & loquuntur. Ideò dicit *in*
omni tempore, ſcilicet in menſa, in ſolatijs,
in collationibus, in ſomno, in vigilia, in die
& nocte. Quartam viam ſcilicet tenebroſã,
4. eligunt inuidi, qui per maliciam propriam
ſunt excæcati, & vbicunque ſunt, in tene-
Prou.2. bris ambulant: *Relinquunt iter rectum, &*
ambulant per vias tenebroſas. Pſal. *Fiat via*
illorum tenebræ. Sed tales timeant, quia neſ-
Prou.4. ciunt vbi corruant: *Via impiorum tenebroſa;*
5. *neſciunt vbi corruant*. Quintam viam ſcili-
cet tumultuoſam eligunt iracundi, & plenã
preſſura, quia vbicunque ſunt, preſſura eſt.
Pſal. Vnde pſal. *Contritio & infelicitas in vijs eo-*
6. *rum*. Sextam viam eligunt guloſi videlicet
viam ſumptuoſam. Mercatores non liben-
ter vadunt vias ſumptuoſas, vbi eſt caritas
panis & potus, quia plus perderent in via v-
na nocte, quam lucrarentur in die. Via ſum-
ptuoſa eſt taberna, vbi homo plus expendit
vna hora, quod ſibi ſufficere poſſet tota die.
Vnde in pſalmo. *Hæc via illorum ſcandalum*
7. *ipſis*. Septimam viam eligunt acedioſi. Iſti
enim licet nihil faciant boni, tamen ſunt
quaſi continuè fatigati. Eſt enim acedia
quoddam ſpirituale tædium in his, quæ Dei
ſunt, ita quod omne illud quod ad diuinum
pertinet officium, reputatur ab eis nimis
longum. Hi volunt habere longum prandi-
um, ſed breues gratias. Garrulationes diu-
turnas, & horas ſyncopatas, ſomnum infan-
tis, & miſſam venantis. Infans habet neceſ-
ſariò dormire & multum, quia in ſomno
maximè nutritur. Hæ ergo ſunt omnes viæ
iniquitatis quas debet homo derelinque-
re, & viam Domini incedere. Iuxta illud:
Iſaia 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniqu⁹*
Ezech. 6. *cogitationes ſuas*. Et: *Cõuertimini à vijs ve-*
ſtris peſſimis. Verum quia multi ſunt, qui in
his vijs decipiuntur: tranſeuntes enim viam
diaboli credunt ſe tranſire viam Domi-
ni: nam viuentes ad ſuperfluitatem,
credunt viuere ad neceſſitatem Ideò peten-
dus eſt Dominus, vt doceat nos cognoſcere
vias ſuas. Iuxta illud: *Vias tuas Domine de-*
monſtra mihi. Et iterum: *Notam fac mihi*
viam, in qua ambulem.

III.

Sicut dicit Iſaias propheta. Magna ſiqui-
dem neceſſitas incumbit facere aliquid ex
pcipiẽtis autoritate pręcipue ꝓphetæ: Pro
phetæ autẽ sũt ſecretarij pręcipui Dei. Ideò Propheta ſecretarius Dei.
quæ ipſi præcipiunt, huni iter exequi debe-
mus. Quia ergo dirigere viam iſtam ſuadet
propheta Iſaias, ideò ei eſt obediendum. Ac
ſi enim dicat: Non ſolum iſta via eſt dirigẽ-
da, quia eſt Domini, ſed etiam, quia hoc ſua-
det propheta. Circa quod ſciendum, quod Prophetis obedire tenemur.
neceſſitas nobis incumbit obediendi pro-
phetis, & hoc multiplici ratione. Primo pro-
pter mittentis auctoritatem. Dominus e- 1.
nim illos mittit & ipſi eius nuncij ſunt. *Miſi* Ierem. 7.
ad vos ſeruos meos prophetas. Et: *Ecce ego mitto* Matt. 23.
ad vos prophetas & ſapientes & ſcribas. Qui
ergo obedit nuncio, obedire debet & Do-
mino. Vnde Christus dicit: *Qui vos audit, me*
audit. Et qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autẽ Luc.10.
me ſpernit ſpernit eum, qui me miſit. Vnde E-
zechielis 3. *Domus Iſrael nolunt audire te,* Ezech. 3.
quia nolunt audire me. Secundo propter di- 2.
centis dignitatem: non enim loquuntur ex
proprio ſenſu, ſed inſpirati à ſpiritu ſancto.
Non voluntate humana allata eſt aliquan- 2. Pet.1.
do prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti
ſunt ſancti Dei homines. Propter hoc dicebat
Chriſtus. *Non enim vos eſtis qui loquimini,* Matt. 10.
ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in
vobis. Tertio propter doctrinã prophetiæ & 3.
vtilitatem, illuminat enim animam per ſpi-
ritualem intelligẽtiam. *Habemus firmiorem* 2. Pet. 1.
propheticum ſermonem, cui benè facitis atten-
dentes. Quarto propter bonorum æternæ 4.
gloriæ adeptionem. *Credite prophetis eius, &* 2. Par. 20.
cuncta venient vobis proſpera. Vnde Domin⁹
phariſæis exprobrans ait: *Si crederetis Moyſi,* Iohan. 5
crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcri- Luc.16.
pſit. Et: *Si prophetis non credent, nec ſi quis ex*
mortuis ſurrexerit credent. O quam parua fi-
des hodie adhibetur ſcripturis propheta-
rum, quas homines mundani aut vertunt in
dubium, aut omnino non credunt ita eſſe.
Sed quid mirum, ſi ſeruis non creditur, cum
Domino non credatur? Iuxta illud: *Si me*
audierint,

dierint, & vos audient: ſi ſermonem meum ſeruauerint, & veſtrum ſeruabunt: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Vnde autem talis contemptus in hominibus non credentibus verbis Dei & prophetarum? Certè ex defectu charitatis, & dilectionis ad Deum. Nam ſcriptum eſt: *Quod quis non diligit, facilè contemnit.* Si contemnit, igitur non credit, ex quo pro nihilo reputat. Cum ergo hodie homines pro nihilo habeant terram deſiderabilem, vt dicitur in pſalmo, non mirum, quod etiam omnia, quæ dicuntur de ea, non attendunt neque credunt. Nos igitur fratres attendentes propheticam ſuaſionem, humiliter obediamus ei, vt ſic iuxta prophetæ conſilium viam Domini hoc ſacro tempore dirigamus, quatenus per eam gradiendo ſine offendiculo ad vitam poſſimus peruenire æternam; ad quam nos perducat ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS CHRITSI. SERMO I.

Erant pater & mater Ieſu mirantes ſuper his. Luc. 2.

Regum principũ iſtmos.

MOrale eſt omnibus Regibus & principibus, terras ſuas nouiter ingredietibus, vt ſe malis & inobedientibus rigidos & ſeueros per iuſtitiam oſtendant: bonis verò & ſubiectis beneuoli & clementes appareant. Iſtę enim duæ virtutes maximè conſeruant regnum; per primam irrogantur malis ſupplicia: per ſecundam autem diſtribuuntur bonis beneficia. De his duabus virtutibus dicitur: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & clementia roboratur thronus eius.* Vnde Virgilius informando AEneam Troianum, Romanæ vrbis fundatorem, legitur dixiſſe lib. 6. AEneidos: *Tu regere imperio populos Romane memento, (Hæ tibi erunt artes) paciſq; imponere morem: Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.* Chriſtus Dominus noſter eſt rex regum, & princeps regum terræ, qui veniens, vt nouus homo in mundum, noua præcepta dedit mundo: dedit autem duplicia præcepta, quæ omnibus quadrageſimo die natiuitatis ſuæ in templo fecit proponi & publicari, ſcilicet iuſtitiam ſuppliciorum, & clementiam prę̄miorum. Nam ipſe venit reprobis in ſuppliciũ æternum: iuſtis verò in vitam æternam. Hinc eſt, quod cum Chriſtus eſſet præſentatus in templo ipſo die purificationis Mariæ, beatus ille ſenex Simoen iſta duo de ipſo proferebat dicens: *quod ipſe poſitus eſſet in ruinam, & in reſurrectionem.* In ruinam reprobis, & reſurrectionem electis; vt ex ruina reprobi reportarent ſupplicia, & ex reſurrectione iuſti reportarent præmia. Quæ quidem audientes parentes Chriſti, *mirabantur merito de his, quæ dicebantur de illo,* vt dicit Euangelium. Super quo charitati veſtræ aliqua breuiter dicere propono. Verum quia iſta abſque ſaluatoris noſtri auxilio facere non valeo, & vt illud aſſequamur, matrem gratiæ ſalutemus, dicentes ei: *Aue maria gratia plena &c.* In euangelio præſenti tria tanguntur. Primo tangitur parentum Chriſti admiratio, cum dicitur: *Erant pater & mater eius mirantes.* Secundò Simeonis de Chriſto vaticinatio, cum dicitur: *Et benedixit illi Simeon.* Tertio Annæ propheteſſæ confeſſio, cum ſequitur: *Et erat Anna.*

Iuſtitia & clemẽtia regnũ conſeruatur. — *Prou. 20.* — *Virgil. Æn. 6.* — *Apoc. 1.* — *Duo præcepta Dei.* — *Simeonis de Chriſto præconium.* — *Propoſit.*

I.

Erant pater & mater eius mirantes. Circa quod ſciendum, quod cum Maria virgo quadrageſimo die poſt partum Chriſti iuxta legis præceptum veniſſet in templum ad offerendum Chriſtum, cum oblatione in lege deſcripta, ſcilicet cum columbis, vel turturibus, aut agno, extunc Simeon qui

Cauſa admirationis.

qui tunc miniſtrabat in templo, veniens in ſpiritu accepit puerum in vlnas ſuas, & gratias agens Deo, quod meruit videre Chriſtum promiſſum patribus antiquis, cecinit canticum nouum, carmen Deo noſtro, dicens: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Quæ omnia videntes & audientes parentes Chriſti mirabantur: Et hoc eſt quod dicitur, *Erant pater & mater eius*: pater ſcilicet Ioſeph, qui fuit pater putatiuus Chriſti & nutricius. Vnde Luc. 3. dicitur quod, Chriſtus putabatur filius fabri. Bonus faber pater Chriſti, non Ioſeph qui fabricat ligna, ſed Deus qui fabricatus eſt auroram & ſolem, & cætera ſidera. *Et mater eius*, id eſt, beata virgo Maria, quæ fuit vera mater Chriſti, eò quod omnia ad conceptionem requiſita, quæ vera mater dare poteſt puero, miniſtrauit, vt dicit Damaſcenus. Mirabantur autem non quia ignorarent infantem illum eſſe Deum, ſed quia ſic cito erat notificatus mundo, paſtoribus rudibus, & deuotis Magis. Secundò mirabantur, quia non ſolum ab Angelis, ſed etiam ab hominibus concorditer illum laudabatur, vt a Simeone & Anna & paſtoribus. Tertiò mirabantur, quia quanto vlterius, tanto plura cognoſcebant de eius maieſtate diuinitatis. Non autem erant mirantes dubitando, ſed aſſentiendo & congaudendo, iuxta illud: *Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Cauſa aũt admirationis ponitur, cum ſubditur *ſuper his quæ dicebantur de illo.* Omnia enim mirabilia circa Chriſtum: mirabilis namque erat conceptio, quia præter ordinem & ſupra naturam ſine viro & de virgine ſola; quod Aug. dicit mirabilius, quã mundum creare. Mirabile nomen habuit, quia Ieſus, quod interpretatur ſaluator. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Magnum mirabile, quod tam exilis infantulus videbatur, qui tamen ſaluator mundi prædicabatur. Vnde in pſal. *Admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.* Iſa. 9. *Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri ſeculi.* Mirabilia fuerunt iſta, homo fragilis & Deus fortis, filius pauperis, & princeps pacis, in tempore natus, & pater futuri ſeculi perpetuus. Mirabilis etiam fuit eius tota vita: vnde de ipſo dicitur. *Valde mirabilis es Domine & facies tua plena eſt gratiarum,* non vnius gratiæ, ſed omnium gratiarum; ab eo enim procedunt omnes diuiſiones gratiarum ſecundum menſuram donationis. Vnde ipſe fuit fons & origo omnium virtutum & gratiarum, vt dicit Bernardus ſuper cantica.

Canticũ Simeonis. — *Luc. 3.* — *Chriſti verus pater qualis faber.* — *Cur admirarentur Ioſeph & Maria.* 1. 2. 3. — *Iſa. 60.* — *Cauſæ plures admirat.* — *Concept.* — *Nomen.* — *Matt. 1.* — *Iſa. 9.* — *Vita.* — *Heſt. 15.*

Et notandum, quod tria fuerunt miranda circa Chriſtum, ſcilicet quæ dicta ſunt de eo. Secundo quæ dicta ſunt ab eo. Tertio quæ facta ſunt ab eo: dicta autem erant de Chriſto multa per Patriarchas & prophetas. Nam Iacob prædixit eum diu ante, venturum *Non auferetur ſceptrum de Iuda.* Similiter Balaam vocauit eum ſtellam ex Iacob. Similiter Iſaias vocauit eum florem, & matrem eius virgam, ſuper quem florem requieſcere debebat ſpiritus Domini: quod certè mirabile ſatis eſt. Patriarchæ etiam multa figurabant de eo, de quibus longum eſſet tractare, quæ omnia mater non ignorabat, ſed ſpiritu ſancto docta perfectè ſciebat. Et ideò non mirabatur, quia iſta de eo eſſent dicta, ſed quia iſta excedebant ſupra intellectum, licet non ſupra fidem. Miranda etiam erant, quæ dicebantur de eo ab Eliſabeth, quæ ſpiritu ſancto repleta prophetauit, Mariam eſſe matrẽ Domini, & Chriſtum eſſe benedictum fructum ventris eius. Similiter miranda erant dicta per Zachariam & paſtores, vt dictum eſt. Similiter miranda erant quæ dicta ſunt per Magos, qui dicebant: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum: Vidimus ſtellã eius in oriente, & venimus cum muneribus.* Secundò miranda erant quæ dicta ſunt à puero Chriſto: nam eius reſponſa & ſermones quos proferebat, vertebant homines in ſtuporem. *Stupebant autem omnes qui audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius: & videntes admirati ſunt.* Mirabantur Iudæi, quo modo litteras ſciuiſſet, cum non didiciſſet. Io. 7. & Luc. 4. *Omnes dabant illi teſtimonium, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* Tertiò miranda erant, quæ facta fuerunt ab eo: fecit enim mirabilia in vita ſua: & mirabantur turbæ dicentes: *Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Vnde pſal. ad ipſius facta contemplanda inuitando dicit:

In Chriſto tria. 1. 2. — *Luc. 2.* 3. — *Eccl. 31.* — *Marc. 7.* — *Pſal.*

eſt: *Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram*. Verè prodigia & mira: prodigia, quia futura gaudia prætendunt: & mira quia nulli alteri niſi illi conueniunt. In omnibus itaque dictis & factis mirabilis apparuit Chriſtus, vt de eo pſal. dicat: *Mirificauit Dominus*, ſcilicet Deus pater, *ſanctum ſuum*, ſcilicet filium ſuum, qui antonomaſticè & ſimpliciter ſine quocunque addito, dicitur ſanctus, eo quod ipſe naturaliter & ab æterno in eſſentia ſua, non participatiuè dicitur ſanctus. Vnde Luc. 1. *Quod enim naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*. Vnde Innoc. ſuper verbo pſal. prædicto: mirificauit Dominus pater Chriſtum qui eſt ſanctus ſanctorum, id eſt, mirabilem fecit octo modis, ſcilicet in conceptione: *Creauit Dominus nouum ſuper terram: fœmina circumdabit virum*: interlinearis ibidem: gremio vteri ſui. Item mirabilem fecit eum in natiuitate ſua, quia porta clauſa exiuit. *Porta hæc erit clauſa intranti & exeunti*. Tertiò in prædicatione. *Nunquam ſic locutus eſt homo ſicut hic loquitur*. Quartò in paſſione ſuſtinendo. *Poſui faciem meam vt petram duriſſimam*. Quintò in morte elementa mutādo. *Sol obſcuratus eſt & petræ ſciſſæ ſunt*. Sextò in reſurrectione eum celeriter reſuſcitādo. *Non derelinques animam meam in inferno*. Septimò, quia ſepulcro clauſo exiuit. Item in aſcenſione faciendo cum aſcendere in cælum cum triumpho, *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus?* Hæc ille. Merito ergo parentes Chriſti mirabantur, videntes tam mirabilia iam de præſenti, & credentes mirabiliora de futuro.

Pſal. | *Luc. 1.* | *Innocent.* | *Octo modis mirificatus à Patre.* | *Ierem. 31.* | *Ezech. 44* | *Ioa. 7.* | *Iſa. 50.* | *Matt. 27.* | *Iſa. 63.*

II.

Tria fecit Simeon.

Et benedixit illis Simeon. Tria facit Simeon Primò parentibus Chriſti benedicit. Secūdò de Chriſto prædicit. Tertiò Mariæ paſſionis dolorem indicit: vnde dicitur: *Et benedixit illis*, ſcilicet Mariæ & Ioſeph Simeon. Hæc benedictio fuit ex affectu congaudendo bonis ipſorum, id eſt, Mariæ & Ioſeph; ob id huius benedictionis formam expreſſam non habemus. Sed benedictio iſta poteſt intelligi gratiarum actio; ſic enim benedicit creatura creatori, ipſum gratiarū actionibus proſequendo. Vndè benedixit eis, id eſt, quaſdam gratiarum actiones obtulit pro eis Deo. Erat enim cōſuetudo apud Iudæos, vt ſacerdos circa oblationem pueri in templo laudibus & hymnis decantatis benediceret parentibus, hoc eſt, quandam comprecationem ſalutis & proſperitatis dirigeret pro eis ad Deum, vt Deus eos conſeruaret in bona vita & caſto coniugio, & concederet eis bona temporalia, & conſimilia. Sed contra hoc videtur illud ad Hebræos 7. vbi dicitur: *Quod minus eſt, à maiori benedicitur*; ergò Simeon non debuit nec potuit benedicere Mariæ, quæ fuit eo maior. Reſponſio: verum eſt quod hic maius benedicitur à minori, non merito, ſed officio & miniſterio, & ſic fuit hic, quia Simeon etſi non erat maior merito, tamen erat maior officio, quia ſacerdos. Eſt tamen hic ſciendum quod triplex eſt benedictio: vna qua creatura benedicit creaturam, & hæc fit bonum optando: 1. Alia qua creator benedicit creaturam bonum augendo, & hoc vel in numero vel in merito: ſic enim creſcit Eccleſia; 2. alia qua creatura benedicit creatorem, vel laudando, vel bonum ei attribuendo: & ita etiam maius à minori benedicitur. 3. Sequitur: *Et dixit*, ſcilicet ex reuelatione Spiritus S. prophetiam, quæ ſequitur, ad Mariam, non ad Ioſeph: quia illa ſola erat mater eius vera, ſed ille putatiuus pater, vnde Mariæ incūbebat cura maior de Chriſto. Ideò dixit ad Mariam, conuertens ſermonem ad eam, prophetando de puero: *Ecce poſitus eſt hic*, id eſt Chriſtus conſtitutus, non per cauſam, ſed per occaſionem, *in ruinam*: Gloſſa: non 1. credentium, qui eius prædicationi & reſurrectioni, & omnibus alijs eius factis detrahent, & ex hoc occaſionem ruinæ habebūt. *Et in reſurrectionem multorum in Iſrael*, id eſt credentium qui crediderint & à peccatis mundati in anima ſpiritualiter ſurrexerint. Secundò in ruinam vitiorum, & in reſurrectionem virtutum; 2. ab Adam enim vſque ad Chriſtum regnauit peccatum. Vnde Chriſto adueniente debuit ruere illud regnum cum rege ſuperbiæ diabolo, & renouari regnū virtutum.

Vnde proceſſerit benedictio Simeonis. | *Creatura creatori benedicendo gratias agit.* | *Hebr. 7.* | *Benedictio triplex.* | *Prophetia de Chriſto*

tum. *Sicut per inobedientiam vnius, peccato-*
3. *res conſtituti ſunt multi: ita per obedientiam*
vnius, iuſti conſtituti ſunt multi. Tertio poſi-
tus eſt in ruinā dæmonum, & in reſurrectio-
nem multorum, id eſt, Angelorum, quorū
4. ruina reparata eſt per Chriſtum. Quartò in
ruinam ſuperborum, & in reſurrectionem
Luc. 1. humilium. *Depoſuit potentes de ſede, & exal-*
Eccl. 10. *tauit humiles.* Eccl. 10. *Sedes ducum ſuperbo-*
rum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis.
Quod factum eſt tunc, quando ſuperbos
Iudæos reiecit, & humiles gentiles aſſump-
ſit.

Signum Christi multiplex. *Et in ſignum, cui contradicetur,* ſcilicet ab
incredulis & crucifixoribus. Iſtud poteſt in-
telligi multipliciter, ſecundum quod mul-
tiplex eſt ſignum Chriſti. Nam primū ſig-
1. num eius eſt Euangelium, de quo in pſal.
Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fu-
giāt à facie arcus, ſcilicet diuinæ ſententiæ.
Huic contradicunt mali Chriſtiani, qui cō-
trariantur Euangelio malis factis: cum ta-
men dicatur Matt. 5. *Eſto conſentiens aduer-*
Matth. 5. *ſario tuo, dum es ſecum in via,* id eſt, ſacræ ſcri-
2. pturæ ſecundum Aug. Secundum ſignum
Chriſti, fuerunt miracula, ſicut etiam de
Act. 6. Stephano dicitur, quod faciebat ſigna. Huic
ſigno contradicitur ab infidelibus Iudæis,
qui videntes ſigna contradixerunt Chriſto.
Cum ergo vidiſſent tot ſigna, non credide-
runt in eum: imo blaſphemauerunt ea, di-
Ioan. 12. centes: *In beelzebub principe dæmoniorum*
3. *hæc facit.* Tertium ſignum Chriſti, fuit vexil-
lum crucis, in quo ipſe pependit; de quo
Ierem. 50. Ierem. 50. *Leuate ſignum: prædicate, & nolite*
celare. Et iſtud ſignum datum fuit in ſig-
num reconciliationis hominis ad Deum.
Iſa. 7. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.*
Huic ſigno contradicunt ingrati, qui rur-
ſum crucifigunt filium Dei in ſemetipſis: vt
Heb. 6. dicitur ad Hebr. 6. Et tales vocat Apoſtolus
Philipp. 3. inimicos crucis Chriſti. Præterea Chriſtus
Christi ſignū aliud triplex. poſitus fuit in ſignum aliud triplex, ſignum
ſcilicet paupertatis & humilitatis in præ-
ſepio. *Hoc vobis ſignum: inuenietis infantem*
pannis inuolutum. Ecce paupertas. Sed huic
1. ſigno contradicunt ambitioſi & auari; *Sicut*
Eccl. 13. *abominatio ſuperbo humilitas: ita execratio*
diuiti paupertas. Secundo poſitus fuit in gre-
2. mio virginitatis, in ſignum caſtitatis. *Do-*
minus dabit ſignum, ecce virgo concipiet. Huic
contradicunt luxurioſi Eccl. 21. *Audiet lux-* Eccl. 21.
urioſus, & diſplicebit ei. Tertio poſitus eſt 3.
Chriſtus in cruce in ſignum patientiæ & o-
bedientiæ. Thren. 3. *Poſuit me quaſi ſignum*
ad ſagittam, ſcilicet Iudaicus populus. Huic
contradicunt impatientes & inobedientes.
Et ſic patet, quod Chriſtus poſitus eſt ma-
lis in ruinam per ſcandalum ipſorum, qui
tā ex dictis, quam ex factis eius ſcandalizati
ſunt. Vnde Iſa. 8. dicitur Chriſtus petra ſcan- Iſa. 8.
dali, & lapis offenſionis, non per cauſam,
ſed per occaſionem. Similiter poſitus eſt in
ſignum, cui contradicitur a Iudæis, à gen-
tilibus, ab hæreticis non credentibus ip-
ſum verum mediatorem; & a prauis Chri-
ſtianis contradicentibus ei per vitam ma-
lam. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem* Tit. 1.
negant. Deinde Simeon conuertit ſe ad præ- Prophetia de dolore virginis Mariæ.
dicendum paſſionis dolorem virgini Ma-
riæ, ex paſſione Chriſti futurum. Vnde di-
cit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gla-*
dius. Beda ſic exponit, id eſt, gladius & do- 1.
lor dominicæ paſſionis pertranſibit ani-
mam ipſius tuam, id eſt, tuiipſius: non e-
nim potuit videre filium crucifigi ſine do-
loris affectu materni. Secūdò ſic; pertranſi- 2.
bit gladius doloris animam tuam, quæ eſt
ipſius Chriſti, quia ipſe dicit: *Omnes animæ* Ezech. 18.
meæ ſunt. Tertio ſic, *pertranſibit gladius do-* 3.
loris animam tuam, id eſt, non figetur in te
perpetuo, ſed cito tranſibit & ceſſabit, vel
finietur. Quarto ſic: *gladius doloris pertranſi-*
bit animam ipſius, id eſt Chriſti tuam, id eſt,
quam tu reputas vt tuam, ſecundum Chry-
ſoſtomū, quia ineffabili affectu amoris a-
nima Mariæ erat animæ Chriſti colligata.
Sed Bernard. exponit de gladio amoris,
qui per Mariam tranſiens venit vſque ad
nos, quia de plenitudine eius accepimus
vniuerſi. Ex his patet, quod martyrium Martyriū B. Mariæ quantū.
Mariæ fuit maius martyrio quorumcun-
que martyrum. Primo quia iſtud mar- 1.
tyrium amoris; aliorum verò ſanctorum
fuit martyrium fidei: maior autem eſt
charitas, quam fides. Secundo, quia 1. Cor. 1.
alij martyres percuſſi ſunt in corpore; i- 2.
ſta verò in corde. Tertio, quia paſſa 3.
eſt in parte impaſſibili ſcilicet in men-
te: dolores enim, quos effugit
par-

parturiens, hos ſuſtinuit Chriſto compatiens. 4. Quartò, quia alij martyres paſſi ſunt alijs inſtrumentis, quam Chriſtus; iſta eodem cum Chriſto. Quintò quia alij paſſi sũt
5. poſt Chriſtum; iſta ſimul cum Chriſto, & in Chriſto, id eſt, eodem ictu, quo Chriſtus.

Dolores. Habuit autem plures dolores ſucceſſiuè. Primũ, vt hic, quãdo ei Simeon prænũciauit paſſionem Chriſti. Secundũ, quando Angelus admonuit eam ad fugam cum Chriſto. *Matth.2.* Tertium habuit in amiſſione filij in comitatu. *Luc.2.* Quartum, in captione filij per Iudæos. Quintum in flagellatione ipſius per Pilatum. *Ioan.19.* Sextum, in crucifixione filij. Septimum, quando ipſum vidit lancea perforari. Iſtos dolores nos debemus habere per compaſſionem membrorum Chriſti; quoties ei tales iniurias videmus inferri, toties debemus compati; quia quod vni minimo fideli fit, Chriſto fit. Deinde ponitur effectus & ſequela proueniens ex huiuſmodi *Matt.25.* paſſione doloris. Vnde ſequitur. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Multorum namque cogitationes erant clauſæ & abſconditæ de Chriſto vſque ad tempus paſſionis eius, & reſurrectionis, quæ tunc patuerunt, & reuelatæ ſunt; quia crucifixo Chriſto reuelatæ ſunt cogitationes Iudæorum. Nam ante eius natiuitatem omnes Meſſiam expectauerunt; ſed ipſo nato quidam ipſius magiſterio adhæſerunt, & in eum crediderunt, quidam verò reſpuerunt. Tunc oſtenſum eſt illud occultum maleficium Iudæorum; qui prius clamabant: *Benedictus, qui venit in nomine domini*; nunc clamauerunt: *Crucifige eum.* Tunc reuelata eſt fragilitas Apoſtolorũ, qui, .n. prius parati erant & in mortem & in carcerem cum Chriſto ire, tẽpore paſſionis relicto eo omnes fugerunt. Multorum ergò cogitationes reuelatæ ſunt, qui prius dubitabant dei filium; qui videntes eum reſurrexiſſe crediderunt, quod prius facere non audebant. Et ſic reuelatæ ſunt cogitationes ſeu intentiones multorum, qualiter ſe vnusquiſque habuit ad Chriſtum in vita ſua: hoc enim patuit in paſſione ſua, quia inimici & increduli fuerunt ſcandalizati in Chriſto: amici autem eius & fideles in fide fuerunt confirmati.

III.

Et erat Anna Propheteiſſa. Iſta confeſſio Annæ fuit laudabilis teſtimonij de Chriſto. Vnde licet eſſet mulier, cuius de iure ſuſpectum eſt teſtimonium niſi in certis caſibus: tamen iſta merito vitæ ſuæ, & ſpiritus ſancti illuſtratione meruit fieri teſtis Chriſti, & myſteriorum eius. Voluit autem Chriſtus habere multos teſtes, quia debuit habere multos contradictores. Vnde dicit: *Et erat Anna.* Deſcribit eam tripliciter. Primo à gratia Spiritusſancti, vnde dicit: *Erat Anna Prophetiſſa.* Hoc dicit ad differentiam aliarum ſanctarum fœminarum eiuſdem nominis: fuerunt enim quinque perſonæ laudabiles iſtius nominis. Prima fuit mater Samuelis prophetæ. Secunda vxor Raguelis. Tertia vxor vel mater Tobiæ. Quarta mater ſanctæ Mariæ virginis glorioſæ. Quinta fuit filia Phanuel, vt hic. Vnde ſecundo eam deſcribens à dignitate naturæ, dicit: filia Phanuel, de tribu Aſer, qui Aſer erat vnus de duodecim patriarchis, & octauus in ordine inter eos, & ſic commendatur à generis nobilitate. Tertiò commendat eam à ſanctitate vitæ, quæ proceſſerat in diebus multis, id eſt, prouectæ ætatis erat, & ex hoc erat magis honorabilis, quia perſona ſenis honorabilis. Item ex hoc erat magis fide digna. *In antiquis eſt ſapientia.* Et vixerat cum viro ſuo annis ſeptem, & non plus, à virginitate ſua, id eſt, à tempore amiſſæ virginitatis ſuæ. Et hæc vidua erat vſque ad annos octuaginta quatuor. Et ita fuit in ſtatu virginali, coniugali, & viduali perfecta. *Quæ non diſcedebat à templo,* id eſt, a loco vicino templo. Gloſſa, quia circa templum frequens erat, ideò eam non diſcedere dicit, non quia ad horam non diſceſſerit, ieiunijs quoad ſe, & obſecrationibus quoad Deum, vel ieiunijs contra peccata carnis; obſecrationibus contra peccata cordis, ſeruiens Deo, ſcilicet die ac nocte orans: de die enim ieiunabat, & nocte orabat. *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.* Probabile etiam eſt, quod multas eleemoſynas faciebat. Hæc igitur Anna ſuperueniens ipſa hora, qua Simeon ſuſcepit puerum & benedixit Deum: ſuperueniens ergò Spirituſancto duce confitebatur domino, id eſt, laudabat Deum pro tanto

B. Anna commendata à Christo.

Quinque eius nominis fuerũt & quæ.

1. Reg. 1. *Tobiæ 6.* *Tobiæ 1.*

Leuit. 19.

Iob 12.

beneficio. *Confitebor tibi domine in toto corde meo.* Et loquebatur de illo, inſtruens populum, omnibus ſcilicet fidelibus, qui iugo Herodis alienigenæ grauati, liberationem populi & ciuitatis expectabant; promittebat enim per Chriſtũ in proximo liberationem à diabolo. Et vt perfecerunt omnia

Leuit. 12. ſecundum legem Moyſi, quę requirebantur ad purificationem, reuerſi ſunt in Galilęam, non ſtatim, ſed poſt ſeptem annos. Nam ſicut dicit Matthæus parentes Chriſti admoniti per angelum, receſſerunt in Ægyptum; ibique erant vſque ad obitum Herodis ſeptem annis; quo mortuo reuerſi ſunt in Galilæam ciuitatem ſuam Nazareth, & habitabant ibi. Nazareth interpretatur flos, ad ſignificandum quod Chriſtus, qui erat flos de radice Ieſſe deſcendens, debuit habitare non alibi, quam in florida ciuitate, vt eius conuerſatio eſſet florida. Ibi enim voluit conuerſari, vbi conceptus erat de Spiritu ſancto.

Nazareth flos interpretatur.

1\. *Puer autem.* Commendat hic Chriſtum, quantum ad profectum corporis: Secundò quantum ad profectum animæ. Profectus corporis erat, quia creſcebat corpore, & confortabatur, id eſt, roborabat infantilia membra, vel confortabatur Spiritu ſancto,

Coloſſ. 2. ſicut etiam Lucæ 22. *Apparuit ei angelus confortans eum*, id eſt, Chriſtum hominem, quia in eo habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Plenus ſapientia, quantum ad intellectum, & hoc in quantum

Ioan. 1. homo, non in quantum Deus. *Et gratia Dei erat in illo*, id eſt, in Chriſto, ſecundum

Coloſſ. 2. quod homo, quantum ad affectum. *Plenum gratia & veritate.* Et verè plenus ſapientia, quia in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientię abſconditi.

Moralia. Moraliter in euangelio tanguntur tres ſtatus ad noſtram informationem, actiuorum & ſęcularium, deuotorum & ſpiritualium, contemplatiuorum & clauſtralium. Actiui & ſęculares ſignificantur per parentes Chriſti, Mariam & Ioſeph. Maria interpretatur amara, & ſignificat amaritudinem compunctionis & contritionis, iuxta illud. Magna eſt velut mare contritio tua, & hoc pertinet ad incipientes. Secundò Ioſeph interpretatur accreſcens, & ſignificat profectum in virtutibus, in quibus debent creſcere actiui, quantum ad proficientes. *Ibunt de virtute in virtutem.* Tertiò Chriſtus ſignificat perfectos: de Chriſto enim dicitur, quod fuit plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo; quæ duo perficiunt hominem. Nam plenitudo ſapientiæ fugat ignorantiam agendorum, plenitudo gratiæ culpam noxiorum. Secundò deuoti & ſpirituales ſignificantur per Simeonem: Simeon enim interpretatur confitens, ſeu laudans, & hoc eſt ſpiritualium, qui ſemper debent inſtare diuinis laudibus. *Semper laus eius in ore meo.* Et ſicut Simeon prędixit Chriſtum eſſe in ruinam malis, & in reſurrectionem bonis: ſic ſpiritualium & ſpecialiter prædicatorum eſt prædicere malis ſupplicia, bonis verò præmia. *Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.* *Matth. 25.* Et: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti verò in vitam æternam.* Tertiò contemplatiui & clauſtrales ſignificantur per Annam viduam: vidua enim eſt deſolata omni conſolatione, & contempta ab omnibus, etiam ſuis. Vnde dicit Apoſtolus. *Vidua deſolata ſperet in Deum.* *1. Tim. 5.* Dicit hic Gorra. Deſolata, non habens domum vel familiam: vel deſolata, id eſt, à ſuis contempta, & mundi ſolatio deſtituta, ſperet in Deo, id eſt ſperare debet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus die ac nocte, id eſt, oportunis temporibus diei & noctis? Ecce verum officium clauſtralium. Quorum primum eſt carentia domus vel familiæ propriæ, licet in cõmuni iſta haberi poſſint. *Erant illis omnia communia, & nihil proprium eſſe dicebant.* Secundum eſt deſolatio proximorum, iuxta illud: *Qui non reliquerit patrem & matrem propter me, non eſt me dignus.* Tertium eſt, vt totaliter ſpem ponat in Deum, nihil de præſentibus vel craſtinis ſolicitando. Philippenſ. 4. *Nihil ſoliciti ſitis.* Et Matth. 6. *Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Iacta cogitatum tuum in domino, & ipſe te enutriet.* Specialiter tamen hic inſtruuntur virgines coniugatæ & viduæ in iſta Anna. Virgines in eo primò, vt virginitatis ſuæ caſtitatem ſeruent integram vſq; ad coniugium, ſicut iſta, de qua hic dicitur.

Clauſtralium officium.

Actor. 4.

Documenta pro Virginibus, Coniugatis & Viduis.

citur, quod virginitatem ſuam ſeruauit vſque dum virum duceret. Et dicit Iacobus de Alexandria eam tredecim annorum fuiſſe quando fuit nupta. Sed de multis verũ eſt hodie illud Hieronymi ad Paulam & Euſtochium in epiſtola, quod plurimæ puellæ prius fiunt viduæ quam nuptæ. Vult dicere quod prius virginitatem perdant, quam nubant viris in matrimonio. Secundò coniugatæ informantur, vt cum viris ſuis caſtè viuant & continenter, carnem ſuam non
Geneſ. 2. diuidendo in plures. *Erunt duo*, non tres vel quattuor *in carne vna*. iſta enim ſeptem annis ſic vixit cum viro ſuo. Tertiò informantur viduæ, vt poſt mortem maritorum deinceps continenter & deuotè viuant, Chriſto adhærentes in virtutibus ſpiritualibus & corporalibus; & hoc exemplo Annæ quæ habuit in ſe ſeptem virtutes, quas deſcribit Apoſtolus. Prima eſt ſpes de

Virtutib. 7. B. Annæ ornata

1. Tim. 5. Deo, quæ debet eis eſſe loco viri. Vnde dicitur hic: *Et hæc vidua*, id eſt, ſeparata à viro, & adhærens Deo erat. Quæ verè vidua,
1. eſt, ſperet in Deo. Secunda ætas diuturna,
2. vt ſit in propoſito fixa. Dico autem viduis
1. Cor. 7. & innuptis; bonum eſt ſi ſic permanſerint. Non enim debet eſſe vidua ad annum vnũ, vt tandem nubat, ſed vt in viduitate perſeueret, ſicut hæc, quæ vidua erat vſque ad octuaginta quatuor annos. Et ſic erat centum & quatuor annorum in toto. Tertiò vt
3. frequentet eccleſiam: eſt enim quaſi ſemimonialis ex colore veſtium, ex ligatura capitis, niſi quod profeſſio deeſt, & non diſcedebat de templo. Quartò debet fugere mundi
4.
Iudith 7. delitias & vacare ieiunijs, per quæ libidines extinguat. *Habebat Iudith cilicium, & ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter neomenias*, id eſt, feſta & ſabbatum. Hinc Apoſtolus dicit, quod vidua in delitijs viuens mortua eſt, id eſt, propè mortem ſpiritualẽ eſt, vel ſecundum Gorranũ, viuens vita naturæ in corpore, mortua eſt vita gratię in anima, cuius ſepulchrum eſt corpus delitijs

1. Tim. 5.

Rom. 8. vacans. *Si ſecundum carnem vixeritis morie-*
5. *mini.* Quintò debes orationibus inſiſte-
1. Tim. 5. re, vnde iſta inſiſtebat die ac nocte. Sextò vt ſit eleemoſynis intenta. Si ſanctorum pedes lauit, ſi hoſpitio recepit. Vnde de Anna di-
6. citur, quod ſeruiebat, quod intelligitur de ſeruitute pietatis, quæ ad omnia valet. Sep-
7. timò debet intendere, vt non ſit otioſa, nec ſolum otioſæ ſed & verboſæ, id eſt, plenę ver- 1. Tim. 4.
bis inutilibus, loquentes quæ non oportet. Gorra: id eſt, turpia & religioni nociua. Vn- 1. Cor. 7.
de de Anna dicitur, quod inſtabat obſecrationibus, id eſt, diuinis allocutionibus, non humanis confabulationibus. Quæ igitur mulier ſoluta eſt à lege viri ſui, meditari debet in lege Domini die ac nocte. In lege Dei: non verbis ſæculi & fabulis vanis.

Hic occurrunt tria dubia. Primum eſt vtrum Deus poſſit eſſe auctor mali, vt ruinæ alicuius vel damnationis. Reſpondeo quod aut quæritur de cauſa per ſe, aut de occaſione ſeu cauſa per accidens. Item aut quæritur de malo culpæ, aut pœnæ. Et tunc dicendum, quod loquendo de malo culpæ, Deus nunquam eſt auctor mali culpæ, & per conſequens nec damnationis, vt cauſa per ſe, licet benè ſit interdum cauſa per occaſionem, non vtique per occaſionem datam ex bonitate ſua, ſed acceptam à malitia liberi arbitrij. Sic Iudæi in verbis Chriſti bonis, & factis eius ſanctis fuerunt ſcandalizati, & ita ſumpſerunt occaſionem damnationis ex Chriſto, ſed ipſe non dedit eis eam, nec intendebat niſi eorum ſalutem. Sed loquendo de malo pœnæ, Deus eſt cauſa pœnæ, quia ſecundum eius iuſtitiam mala culpæ ordinantur ſub pœna, & ſic dictante iuſtitia Deus fecit & inſtituit mala pœnarum diuerſarum, ſiue temporalium præſentium, ſiue æternorum & futurorum. Vnde illud. *Non eſt malum in ciuitate, quod Deus non fecit*. Secundum dubium vtrum Dei voluntati poſſit aliquis reſiſtere. Reſpondeo quod voluntas Dei eſt duplex, ſcilicet voluntas ſigni, vt eſt in præceptis & conſilijs, quæ ſunt ſigna eius voluntatis, & tali benè poteſt quis reſiſtere contemnendo, omittendo, vel negligendo, ſeruare præcepta vel conſilia eius, ſicut fecerunt Iudæi, de quibus dicit Stephanus: *Dura ceruice, vos ſemper reſtitiſtis Spiritui ſancto*. Alia eſt voluntas beneplaciti, ab æterno intenta à Deo, & huic nullus poteſt reſiſtere. Vnde Iob vndecimo. *Si ſubuerterit omnia, quis reſiſtet*

Dubia. 1. An Deus poſſit eſſe auctor mali.

2. An eius voluntati reſiſti poſſit.

Actor. 7.

Heſter 13. *reſiſtet ei?* quaſi dicat nullus. Et: *Non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ dominus omnium tu es.* Et tali voluntati non poteſt quis contradicere, & ideò notanter dicit in littera: *Poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur,* id eſt benè ſtat, quod voluntati ſigni contradicetur. Et hoc de facto tantum, non de iure: ſed non voluntati beneplaciti.

3. Mulieribus num in Eccleſia liceat prædicare. Tertium dubium; Vtrum mulieri liceat in eccleſia publicè prædicare, ex quo Anna hic de Chriſto in templo multa prædicauit. Reſpondeo quod non. *1.Cor.14.* *Mulieres in eccleſia taceant.* Quod autem de Anna dicitur, dicendum, quod preuilegia paucorum legem cõmunem non faciũt; hoc .n. fuit priuilegium ſpeciale propter eius ſanctitatẽ & merita vitæ. *1.Tim. 2.* S. Paulus dicit: *Docere mulieres in eccleſia non permitto.* Et eſt ratio ſecũdum Gottã ibidem, quia ſi loquitur, magis incitat ad luxuriam, ſicut dicit gloſſa. *Eccl.9.* *Colloquium eius ſicut ignis exardeſcet.* Vnde Chryſoſtom. Edocuit quandoque mulier virum, & omnia ſubuerſa ſunt. Alia etiam ratio poteſt reddi ſecundum Chriſoſto. quia hoc genus mulierum nimis loquax eſt. Tertia ratio, quia in ea minus viget ratio. Vnde Lira ſuper locum Apoſtoli prædictum dicit: Quia docere eſt opus ſapientis; ſapientia verò nõ viget in mulieribus de communi curſu. *1.Cor. 14.* Quarta ratio. Quia ſecundum Liram mulier naturaliter eſt ſubdita viro; ideò non debet præcipere, ſed audire. Quinta ratio, quia ſi iſte modus eſſet in eccleſia, tunc videretur eſſe ſimilis ordo in eccleſia, qui apud gentiles, vbi in templis Veneris, & Dianæ mulieres prædicabant, & ſic ſecundum Liram videretur eccleſia ſumpſiſſe ordinem ſuum à gentilibus, non à Iudæis, cum tamen ſalus à Iudæis ſit. *Ioan. 4.* Sexta ratio, quia mulierib⁹ prohibetur quod eſt minus, ſcilicet quærere publicè in eccleſia; igitur & quod eſt maius. De primò habetur, *1.Cor. 14.* Si autem voluerint diſcere, domi viros interrogent. Septima ratio, quia ſecundum Liram prohibetur eis aduocatio ſecundum leges; igitur prædicatio à fortiori. *Mulierib. quatuor al' Apoſtolo prohibentur.* Concludendo igitur dico quod Apoſtolus prohibet quatuor mulieribus. Primo publicè viros docere. *1.Tim.2.* Secundò in Eccleſia loqui vel prophetare. *1.Cor. 14.* Mulieres in eccleſia taceant. Et ſi dicitur: Tamen aliquæ mulieres fuerunt prophetiſſæ, vt Delbora. *Iudic. 5.* Et in nouo teſtamento quatuor filiæ Philippi. *Actor. 21.* Item Magdalena legitur in partibus Marſiliæ prædicaſſe? Reſpondeo quod priuilegia paucorum legem communem non faciunt. Tertiò prohibentur mulieres viris præeſſe. *Epheſ.6.* *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint.* Quartò mulieres debent velato capite orare. *1.Cor.11.* *Omnis mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput ſuum.*

DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS CHRISTI, SERMO II.

Erant pater & mater eius mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Lucæ 2.

Aug. l.21. de ciu. Dei. CÆleſtium ſecretorum ſcrutator mirabilis S. Auguſtinus, oſtendens opera Dei non eſſe mirabilia, ſic ait: Sicut non fuit impoſſibile Deo, quas voluit creaturas inſtituere; ſic nec ei eſt impoſſibile, quando voluerit quas inſtituit naturas mutare. Vult dicere Auguſtinus, quod conſiderata Dei omnipotentia in ſe, nullum opus ab eo factum eſt mirabile. *Dei opera mirabilia* Veruntamen opera Dei ex alia parte ſunt hominibus multum mirabilia. Nam licet in rebus mirabilibus tota ratio faciendi eſt potentia facientis, vt dicit *Aug.l.83. quæſt. & in epiſt. ad Voluſ.* Auguſtinus: tamen ratio humana mirabiles res reputat, quarum rationem & cauſas inueſtigare non valet, & comprehendere non poteſt. Maximè verò de talibus admiratur, quæ præter curſum naturæ contingunt, vel quia rara ſunt, vel quia nimis pulchra

chra

chra, vel quia nimis magna, vel quia nimis parua, vt dicit Hugo in libro de operibus trium dierum. Quia igitur omnia, quæ contigerunt circa natiuitatem Christi, fuerunt præter curſum naturæ, vt eſt generatio ex virgine ipſa manente illibata: fuerũt etiam rara, quia à ſęculis inaudita: fuerunt nimis pulchra, quia ſpecioſus forma præ filijs hominum natus eſt: nimis magna, quia Dei filius de ſinu patris in ſinu matris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt: nimis parua, quia in paruo corpore magna virtus occultata eſt; *Paruulus enim datus eſt nobis:* Et cum horum omnium ratio humana cauſam & rationem inueſtigare non valeat, eò quod pax Dei exuperat omnẽ ſenſum: natiuitas enim Chriſti credi poteſt, inueſtigari non poteſt, vt dicit Ambroſius; meritò ſi[c]: parentes Chriſti mirabantur de omnibus, quæ dicebantur de Chriſto, in quibus verbis tria notantur: primò, parentum Chriſti commendatio, cum dicitur: *Erant pater & mater eius.* Secundò deſcribitur eorum de operibus Chriſti meditatio, cum dicitur: *mirantes.* Tertiò ſubiungitur prædictæ admirationis ratio, cum dicitur, *ſuper his, quæ dicebantur de illo.*

Baruch. 3. *Iſaia 9.* *Amb. lib. cont. Gẽt.* *Propoſit.*

J.

Erant pater & mater eius. Magna certè dignitas, eſſe patrem & matrem Chriſti. Patrem dicit Ioſeph, matrem dicit Mariam. Veruntamen licet ambo commendabiles ex operibus iuſtitiæ, quia ambo iuſti coram Deo: nam de Ioſeph dicitur, *quod cum eſſet iuſtus voluit occultè dimittere eam.* De Maria loquitur Propheta: *dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*, id eſt, gratia Spiritus ſancti te repleuit præ conſortibus tuis; tamen Mariæ dignitas incomparabiliter ſuperat & excedit dignitatem Ioſeph & in ſanctitatis merito, & in ſingulari propinquitatis ad Chriſtum priuilegio. Licet enim Joſeph dicatur pater Chriſti, tamen ſolummodò putatiuus, & ſic fictus, ſimulatus apparens & non exiſtens, vmbra non veritas. Non ſic autem eſt de matre, quæ vera mater extitit, quæ ex proprijs ſanguinibus concepit, vt dicit Damaſcenus: & proprio lacte pauit vbere de cœlo pleno, vt dicit Gregorius. Ideò omiſſa commendatione

Matth. 1. *Mariæ dignitas excedit Ioſeph.*

Ioſeph reſpectu Chriſti, intendamus ſoli commendationi virginis glorioſæ, quæ fuit vera mater Chriſti, & per cõſequens Chriſto propinquiſſima. Conueniunt autem illi ſex proprietates, quæ ſunt in qualibet matre reſpectu filij, quas ipſa etiam habuit, ergò vera mater fuit. Quæ ſunt ſolicitudo prouidendi, auctoritas iubendi, neceſſitas diligendi, facilitas impetrandi, intimitas compatiendi, ſingularitas concipiendi & pariendi. Nulla autem mater ſic propriè, ſingulariter & vnice eſt mater prolis ſuæ, vt Maria mater Chriſti. Nam ſicut dicit Damaſcenus libro 3. cap. 2. poſt aſſenſum virginis, Spiritusſanctus ſuperuenit in eam, purgans ipſam & virtutem ſuſceptiuam verbi Dei tribuens, ſimul autem & generatiuã, & obumbrauit ſuper ipſam altiſſimi virtus, velut diuinum ſemen, & conſtruxit ſibi ex caſtiſſimis & puriſſimis ſãguinibus carnem animatam anima rationali non ſeminans ſed creans. Idem cap. 23. dicit: Vſque ad virginem matrem in parentibus, & voluntas ſeminauit & natura germinauit. ſed Spiritusſanctus virum de virgine mirabiliter propagauit. Hæc ille. Sicque patet primum & ſecundum, ſcilicet ſingularitas concipiendi & pariendi, qua ſola Maria ſic concepit & peperit, vt ſimilem nuſquam habere poſſit, iuxta illud: *Tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas.* De tertio patet, ſcilicet de ſolicitudine prouidendi & nutriendi: ſicut enim dicit Bernardus: nunquam Martha ſic ſolicita fuit circa Chriſtum vt Maria, Martha enim ſuſcepit eum hoſpitio, ſed in vtero Maria: illa operuit veſte, hæc carne: Illa pane & vino, iſta lacte proprio pauit. Verè ergò dici poteſt de ea quia ſatagebat circà Chriſtum. De quarto ſcilicet de auctoritate iubendi, legitur: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Hoc verò impleuit Chriſtus quando dixit: *Non veni vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me, patris.* Similiter de matre eius ſcribitur, quomodo erat illi ſubditus, & deſcendit cum ea de Ieruſalem in Nazareth. Vnde Bernardus dicit: quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas ſine exemplo, quod fœmina Deo principetur, ſublimitas ſine modo. Hoc enim nulli naturæ conceditur. Nam ſancti angeli & ſi poſ-

Matris ſex proprietates. *Prou. 1.* *Luca 2.*

Hier. in ſer. de aſſumpt. etſi poſſunt rogare, non tamen imperare. Vnde Hieronymus. Scimus beatam virginem tanti eſſe penes Deum meriti, vt nihil horum quæ vellet efficere, aliquatenus poſſet effectu carere. De quinto ſcilicet de facilitate impetrandi dicitur 3. Regum 2. vbi Salomon matri dixit: *Pete à me mater mi quidvis. Non enim fas eſt vt auertam faciem.* Vnde Bernardus dicit: Aduocatam vis habere apud Chriſtum, ad Mariam recurre, exaudiet vtique matrem filius. De ſexto ſcilicet de neceſſitate diligendi: Si enim

2. Reg. 1. eſt mater, diligit. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.* Et in hoc virgo iſta excedit omnem creaturam. Nam licet Seraphin maximè Deum diligunt, tamen à Maria ſuperantur. Nam vt dicit Bernard. ſuper Cantic. Amor Chriſti non ſolum animam Mariæ confixit, ſed etiam pertranſiuit vt nullam in pectore virginali particulam vacuam relinqueret, ſed tota anima, toto corde, tota virtute diligeret. De ſeptimo ſcilicet de intimitate compatiendi patet. Nam compatitur frater fratri, nutrix

B. Maria in dilectione creaturas omnes excedit.

3. Reg. 3. puero, ſed maxime mater filio. *Cõmota erant viſcera matris ſuper filio, quem rex decreuerat occidere & diuidere.* Vnde ſequitur. *Date huic infantem: Hæc eſt enim mater eius.* Sic & B. virgo compatiendo Chriſto, excellentius matrem ſe probauit. Vnde hic dicitur per Simeonem ad eam: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Vbi Bernardus dicit: Alij Sancti etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima pati non potuerunt, quia immortalis: Maria in ea parte paſſa eſt quæ impaſſibilis habetur, ideò alijs ſanctis martyribus plus paſſa eſt; quia amplius dilexit, ideò plus omnibus doluit. Nos igitur ſi volumus propinquitatem Chriſti acquirere, ſtudeamus matrem iſtam imitari in ſuis affectibus & operibus, vt ſic primo cõcipiamus Chriſtum per mundam cogitationem: ſecundo pariamus eum per bonam operationem; tertio ſeruemus eum per ſolicitam cuſtodiam; quarto iubeamus & præcipiamus noſtræ voluntati vt obſequatur præceptis & obedeat volũtati diuinæ; quinto diligamus eum ex toto corde; ſextò impetremus commiſſorum veniam; ſeptimò compatiamur paſſioni eius per iugem memoriam: ſic poterimus dici mater eius ſpiritualis. Nec putes te paruæ æſtimationis & commendationis, quod mater eius ſpiritualis dici poſſis; nam cum Chriſtus commendaretur à muliere quadam inter turbas, vt ei diceretur, *Beatus venter qui te portauit*, volens Chriſtus potius gloriari de ſpirituali cognatione & propinquitate fidelium quam corporali matris ſuæ, reſpondit: *Quin imò, Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* *Lucæ 11.* Et iterum dicentibus ei quibuſdam: *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant volentes tibi loqui?* Reſpõdit Chriſtus: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei.* Et ſequitur: *Extendens manum in diſcipulos ſuos dixit, Ecce mater mea & fratres mei.* *Matt. 12.* *Quicunque ergo fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe eſt meus frater, ſoror & mater.* Vides & audis quia caro non facit proximum Deo, ſed ſpiritus. Vnde dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* *Ioan. 1.* Qui ergò fecerit voluntatem Chriſti, iſte propinquus eſt Chriſti. Sed quę ſit volũtas eius, oſtendit Apoſtolus dicens: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* *1. Theſſ. 4.* Sanctificatio autẽ illa conſiſtit in quinq; præcipuè. Primò, vt abſtineamus à commiſſis malis & eorum nos pœniteat. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* *2. Pet. 3.* Secundò, in eo vt præſentes tribulationes ſuſtineamus. *Qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei creatori fideli commendent animas ſuas in benefactis.* *1. Pet. 4.* Tertiò, vt in omnibus Deo gratias agamus. *In omnibus gratias agite, hæc eſt enim voluntas Dei:* *1. Theſſ. 5.* vt bonum exemplum alijs oſtendamus. *Sic eſt voluntas Dei vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* *1. Pet. 2.* Quartò, vt proximorũ miſereamur. *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* *Oſeæ 6.* Ecce Dei voluntas vt ſimus miſericordes. Quinto, vt ſalutem æternæ beatitudinis conſequamur: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* *Matth. 9.* *1. Tim. 2.* Ex his patet quod facilè quis iſtis modis poterit acquirere Chriſti propinquitatem.

Sanctificatio noſtra in quo conſiſtat.

II.

Erant mirantes. Quamuis autem omnia

mi-

Pſal. mirabilia opera Dei ſunt, *Mirabilia teſtimonia tua Domine, ideò ſcrutata eſt ea anima mea,* tamen tria ſunt opera Dei præcipua omni modo miráda, ſcilicet Chriſti incarnatio, de qua mirabantur parentes eius, vt hic dicitur. Secundò peccatoris conuerſio, de qua hodie mirantur homines. Tertiò beatorum glorificatio, quam mirabuntur in futuro non ſolum parentes Chriſti, non ſolum homines moderni & iuſti, ſed etiam Angeli beati. De primò patet, quomodo meritò parentes Chriſti mirabantur eius incarnationem, & hoc præcipuè propter tria: Primò, pro eo quod tantus fuit humiliatus, cuius potentiæ nullus reſiſtere poteſt, cuius ſapientiæ nullus reſpondere poteſt, cuius gloriæ nullus ſe comparare poteſt. Secundò, merito mirabantur pro eo quod per incarnationem Chriſti illa antiquiſſima diſcordia, quæ inter Deum & hominem per quinque millia annorum & amplius durabat, reconciliationem ſaciebat & pacem, ſicut Apoſtolus ait Ephe. 2. Tertiò, merito mirabantur quod tam abiectus ſcilicet homo in Deum exaltabatur, & quem angeli, imò bruta deſpiciebant & dedignabantur, à Deo honorabatur, non ſolũ autem mirabantur opus incarnationis, ſed etiam affectum Dei patris, qui tanta charitate motus eſt vt filium ſuum vnigenitum daret. Vnde dicit Apoſtolus: *Propter nimiam charitatem qua Deus habuit ad nos, filium ſuum miſit.* Inſuper mirabantur & incarnationis modum. Modus enim fuit valdè ſapientiſſimus & ordinatiſſimus; vt ſicut Diabolo ſuggerente, Eua conſentiente & peccatum producente mors intrauit in orbem terrarum; ſic angelo nunciante, Spirituſancto obumbrante, virgine conſentiente & filium producente, vita daretur mũdo. Poſt hæc omnia mirabantur incarnationis effectum, quoad hominem redemptum, qui ita redemptus eſt, vt in nullo deficiat: *Copioſa apud eum redemptio.* Nam redemptus eſt à culpa originali & actuali, in gratiam reſtitutus originalẽ, virtutibus decoratus per ſãctimoniam ſpiritualẽ. Certè mirabilia. Mirabantur præterea de incarnatione Chriſti, non ſolum parentes ſed etiam angeli homines & dœmones. De angelis primo patet. Nam cum ſe ante incarnationem adorari permitterent, poſt incarnationem nunquã adorari voluerunt. Apoc. 21 Dixit angelus Ioanni cum ſe adorare vellet: *Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum & fratrum tuorum.* De ſecundo patet, quomodo videlicet homines mirabantur: nam multi ita mirantur Chriſti incarnationem & natiuitatem, vt viſque modo non poſſint credere, vti Iudæi, hæretici & pagani, pro impoſſibili eam habentes. Sed certè audiant tales, quod dicitur Luc 1. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* De tertio quomodo dæmones mirabantur, patet quia nunquam poterant comprehendere quod tanta maieſtas tantum poſſet humiliari, vt Deus ſummus poſſit fieri homo infimus. Videbãt enim eum eſurire, ſitire, algere, calere, laſſari, triſtari, & pauere, propter hæc non credebant eum Deum. Cum verò vidiſſent eum in nullo peccare, dœmones fugare, cæcos illuminare, mortuos ſuſcitare, leproſos mundare, timuerunt eſſe Deum. Et ſic pro vtraque parte dubitantes, mirabantur eſſe eum talem qualem nunquam viderunt. Sed dices, tamen Luc 4. dicitur: *Sciebant eum eſſe Chriſtum* Reſpondeo quod non ſciebant certitudinaliter, ſed vehementer præſumebant, quia parentes, & angeli, & homines, & dæmones mirabantur eius incarnationem. *Mirabilia opera illius & glorioſa & abſconſa.* Mirabilia hominibus, & glorioſa angelis, abſconſa dæmonibus.

tria opera Dei maximè miranda.

Parentes quid mirati.

Ioan. 3.

Incarnationis Dei modus quis.

Secundum opus Dei de quo hodie mirantur homines, eſt peccatoris conuerſio, de qua dicit Bernard. Via mirabilis eſt, homines multum mirantur, quia Deus fecit viſibilia ex nihilo, quod creauit mundum & ordinem creaturarum. Sed multo mirabilius eſt, cum Deus vnum peccatorem conuertit, viuificat & iuſtificat. Hinc Auguſtinus dicit. Maius eſt peccatorem conuertere quam creare cœlum & terram. Sed dices hoc videtur falſum & impoſſibile. Ad quod reſpondeo eſſe verum, propter tres rationes. Primò, quia peccator demeruit ſuam iuſtificationem, per quam ſe fecit inhabilem ad eam per culpam. Quod non fecit cœlum & terra, quæ ſeruant ſuum ordinem & officium. Deus enim tantum odit peccatorem vt vix eum tolleret in terris,

Bern. ad Carthuſ.

Peccatoris conuerſio excedit opus creationis.

ris, & niſi eum refrenaret miſericordia, faceret in quolibet, quod fecit in Dathan & Abiron, quos viuos terra deglutiuit: & in Sodoma & Gomorra, quos ignis cœli exuſſit & conſumpſit. Secundò, quia ad peccatoris iuſtificationem Deus indiget adiutorio, quoad quid, ſcilicet hominis voluntate; quia qui creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te: ex hoc patet quod maius eſt miraculum conuerſio peccatoris, quam creatio cœli, quia non eſt dictum in creatione cœlorum: Beati cœli. quia creati ſunt, ſed dicitur in conuerſione peccatoris: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*. Tertiò, quia omnes angeli gaudent in peccatoris conuerſione. *Gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. Et tantum gaudent ac ſi mundum mille ſolibus facerent clariorem. Hinc dicitur Matth. 15. quod cum acceſſiſſent quidam ad Ieſum habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, & debiles, curauit omnes ita vt mirarentur. Facit hoc & hodie in animabus, quod fecit in corporibus tunc, & tamen nemo miratur: curat enim peccatorem cæcum in cognitione, mutum in oratione, claudum in affectione, debilẽ in Dei operatione, & iſtud eſt maius miraculum primo.

Luca 15.

Angeli mirantur beatorũ glorificationem.

Tertium opus Dei, de quo mirabuntur angeli in futuro licèt & hodie mirentur, eſt beatorum glorificatio: cum enim videbũt angeli homines remunerari in corpore & anima, valdè mirabuntur, eò quod Deus hoc ſecretum à ſæculo ſolum ſibi reſeruat, iuxta illud Iſaiæ: *Secretum meum mihi*. Cum ergò hoc primum viſuri ſint, quod nũquam viderunt, valdè mirabuntur, idque ex pluribus cauſis. Primò, quia ad glorificationem electorum generalem omnes angeli vocabuntur, qui tamen ad nullum opus Dei huc vſque conuocati ſunt. Sic enim ſcribitur: *Cum venerit filius hominis & omnes angeli cum eo*. Dicit hic Alexander Alenſis quod cum Deus deſcendit in terram, non omnes angeli deſcẽderunt cum eo: nec cum aſcendit, omnes cum eo aſcenderunt, quod tamen fiet in reſurrectione generali, de qua dicitur: *Aduocauit cœlum de ſurſum & terram diſcernere populum ſuum*. Secundò, quia ad hominis glorificationem totus mundus ornabitur. Ad hunc diem feſtum nunquam

Matth. 25

fuit opus tam magnum & laudabile, pro quo ſe totus mundus veſtiret, vt patet quia nec in natiuitate, nec in reſurrectione, nec in aſcenſione Chriſti, ſed tunc primò cum homo glorificabitur: iuxta illud Iſaiæ. *Ecce ego creo cœlum nouum & terram nouam*. Tertio, quia vita electorum coram omnibus laudabitur. *Eſuriui & dediſtis mihi manducare*, & ſic de alijs: & certè hoc mirabile eſt, non minus cæteris; valdè enim eſt mirabile ꝙ creator creaturam laudet & commendet, cum Dominus ſæcularis vix ſeruum ſuum aliquando commendet. Ipſe tamen dicet non ſolum vniuerſaliter omnibus, ſed etiam ſingulariter: *Euge ſerue bone & fidelis, quia in paucis fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui*.

Matth, 25

III.

Super his quæ dicebantur de illo: quæ autem dicebantur de Chriſto? Refert Lucas tria, ſcilicet ab angelis, à paſtoribus, & à Simeone. Angeli cantabant: gloriam in excelſis Deo. Paſtores annunciabant quæ viderant de puero. Simeon benedixit parentibus pueri, & prophetabant de puero, omneſque glorificabant puerum. Angeli attribuebant gloriam Deo, pro incarnatione Chriſti. Paſtores reuerſi ſunt glorificantes & laudãtes Dominum in omnibus, quæ audierunt & viderunt; Simeon etiam benedixit eum dicens: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace*. Per iſtos tres ſignificantur tres ſtatus incipientium, proficientium, & perfectorum; qui omnes pro opere incarnationis Chriſti, debent laudare Deum, & gratias ei agere pro tanto beneficio & tam immenſa dilectione, quod videlicet tantum ſe exinaniuit vt paſceretur omnium paſtor, & viſus eſt & adamatus ab inope pauper, factus dilectus propter ſimilitudinem, non ſolum autem, ſed & propter manſuetudinem, & iuſtitiam: quod per eum ſcilicet promiſſiones adimpletæ ſunt, quod iniquitates remiſſæ ſunt, quod ſuperbi dæmones cum principe ſuo iudicati ſunt. Vnde ſicut dicit Bernardus: licet Chriſtus potuiſſet aliter redimere genus humanum abſque vlla difficultate, maluit tamen cum iniuria ſui: & hoc ideò, ne peſſimi & odio-

Luca 2.

Bern. ſer. 20. ſup. Cant.

Bern. ſer. 11. ſup. Cant.

ſiſſimi

ſiſſimi vitij ingratitudinis actionem reperiret in homine. Sanè multum fatigationis aſſumpſit ideò, vt multæ dilectionis hominem teneret; commoueret ad gratiarum actiones difficultas redemptionis, quem minus fecerat deuotum creationis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? gratis quidem conditus ſum, ſed nullo amoris vel laboris grauamine: ſiquidem dixit, & factus ſum, quemadmodum & vniuerſa: quid magnum eſt, cum id cuilibet in magna verbi facilitate donauerit? ſic beneficium attenuant creationis: humana impietas magnitudinis materiam non ſumebat, vnde amoris cauſa eſſe debuerat. Sed obſtructum eſt os loquentium iniqua luce clarius: nam iam patet quemadmodũ pro te, homo diſpendium fecerit; de Dominus ſeruꝰ, de diuite pauper, caro de verbo, de Dei filio hominis filius fieri non deſpexit. Memento iam, te etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at verò per totos triginta annos operatus eſt ſalutem tuam in medio terræ. O quantum laborauit ſuſtinens carnis neceſſitates, hoſtis tentationes. Nonnè ei crux aggrauauit ignominiam mortis, cumulauit horrorem? Hæc Bernardus. Hæc itaque conſiderantes prouenisſe hominibꝰ ex incarnatione Chriſti, tam Angeli, quam paſtores, quam Simeon, glorificabant & laudabant Deum; quibus auditis tanquam nouis & inſolitis meritò parentes eius mirabantur. Nos igitur fratres chariſſimi pro tam eximio beneficio Chriſti ſtudeamus ei reddere laudem & gloriam: non ſolum autem pro iſto, ſed etiam pro omnibus alijs beneficijs diuinis: nihil enim Deus vult ab homine, niſi gloriam & laudem. Nec melius honoratur quibuſcunque incenſis vel oblationibus, quam gratiarum actionibus. Vnde Hermes Triſmegiſtꝰ inquit: quod ex quo in Deo ſunt omnia, & ipſe eſt omnia, nos non habentes, quod dignum ei reddamus, gratias agentes ei ipſum adoremus. Hæc enim ſunt ſumma incenſa, cum gratiæ aguntur Deo à mortalibus. Agamus igitur gratias Deo pro omnibus, vt per hoc à minimis perueniamꝰ ad maxima, & de opere redemptionis perueniamus ad beatitudinem glorificationis, quam nobis præſtare dignetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Her. li. de nat. Deorum.

DOMINICA INFRA OCTAVAS NATIVITATIS CHRITSI. SERMO III.

Puer Ieſus creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia & gratia Dei erat in illo. Luc. 2.

Aug. li. de vera relig.

Vita Chriſti diſciplina morum.

SANCTVS Auguſtinus ſcribens de operationibus Chriſti, quas operatus eſt operando ſalutem in medio terræ, ſic ait: Tota vita Chriſti in terris per hominẽ quã geſſit, diſciplina morum fuit. Omnia enim bona mundi Chriſtus contempſit, quæ cõtemnenda docuit: & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit. Vult dicere Auguſtinus, quod Chriſtus veniens in mundũ, omnia facienda per nos vel vitanda à nobis, in ſe exẽplo expreſſit, iuxta illud: *Exẽplum enim dedi vobis, vt & vos ita faciatis.* Vnde ſicut alia opera ſuæ conuerſationis, cum factus eſſet perfectæ ætatis, nobis propoſuit in exemplum; ſic & opera ſuæ infantiæ, vt ſic omnibus omnia fieret. Et ideò Euangeliſta ponderans huiuſmodi infantiæ ætatem, nobis in exemplum propoſitam, de Chriſto notanter ſcribere non omiſit dicens: *Puer creſcebat.* Nec enim dubium quin propter nos iſta dicta ſint: nam ſicut Lucas eodem capite ait: *Proficiebat ætate, ſapientia,* & gratia apud Deum & apud homines; dicens enim, *proficiebat apud Deũ,* addidit, *& apud homines,* vt daret intelligere quia qui ſanctus erat propter homines, hominibus

Ioan. 13.

minibus proficere voluit, & proficere ſe oſtendebat. Licet igitur ſecundum diuinitatem creſcere nõ poterat in ſapientia & gratia, tamen in aſſumpta humanitate ſecudũ carnis ſubſtantiã verè creſcebat: ſecundum verò ſapientiam & gratiam animæ nõ creſcebat, ſed ſe creſcere oſtẽdebat, quia ſecũdũ quod in corporis magnitudine procedebat, ſe maiorem ſapientiam habere oſtendebat, qui tamen ab inſtanti conceptionis ſuæ omni ſapientia ſecundum animã etiam plenus erat. Propter nos igitur ſicut factus eſt puer, ita & creſcebat & confortabatur plenus ſapientia, ſicut dicit thema. In quibus verbis tria tanguntur. Primò, Chriſti puritas admirabilis, cum dicitur *Puer*. Secundò, profectus ætatis delectabilis, cum dicitur: *creſcebat & confortabatur*. Tertiò, plenitudo virtutum incomparabilis, cum ſubditur, *plenus ſapientia & gratia Dei erat in illo.*

Chriſtus quomodo creuerit.

Propoſit.

I.

Puer. Sicut dicunt omnes Grammatici, puer dicitur à pura ætate, eo quod illa ætas pura ſit & innocens ab omnibus delictis: ideò Chriſtus voluit eam oſtẽdere, vt ſignificaret quod non niſi tales qui eſſent vt pueri mundi, intrabunt in regnum cœlorum. *Sinite paruulos venire ad me; talium enim regnum cœlorum.* Voluit ergo apparere paruulus quadruplici ratione. Primò ad docendum homines innocentiæ puritatẽ. Puer enim dicitur à puritate. Chriſtus autẽ habuit triplicem puritatem, ſcilicet originalis concupiſcentiæ, actualis ignorantiæ, & corporalis impotentiæ. Chriſtus enim ſanctificatus ab inſtanti conceptionis ſuæ, fuit plenus ſapientia ab eodem inſtanti, & quia nullam reſiſtantiam habuit in eodem corpore ſuo, ideò fuit depuratus ab omni infectione. Fuit etiam purus triplici puritate cogitationis, locutionis, & operationis. Habuit enim cogitationes mũdiſſimas, locutiones vtiliſſimas, & operationes ſanctiſſimas. Vnde dicitur de eo. *Qui peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Talem puritatem debent habere omnes ſerui Dei. Primò enim debent eſſe mundi cogitatione. *Purificate corda veſtra duplices animo.* Secundò debent habere puritatem, vt ſint mundi locutione. *Sententiam puram*

Puer à pura ætate dicitur.

Luc. 16.

Chriſtus paruulus apparuit, & quare.

Triplicem puritatẽ habuit.

1. Pet. 2.

Puritas à nobis requiſita.

Iacob. 4.

Iob. 33.

labia mea loquentur. Prou. 15. *Sermo purus pulcherrimus firmabitur ab illo*. Tertiò debent habere puritatem operationis. *Volo viros in omni loco orare, leuantes puras manus ad Deum.* Et: *Emundate manus veſtras peccatores.* O quam pauci ſunt hodiè tales pueri, qui proh dolor potius habent cogitationes iniquas, iuxta illud: *Cogitauerunt iniquitates in corde, locutiones immundas* Et: *Vana locuti ſunt vnuſquiſq;.* Et vtinam tantum vana & non ſcurrilia vel mendoſa, aut etiam doloſa. Timeant igitur tales illud pſalmiſtæ, quod comminatur eis dicens: *Diſperdet Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.* Habent etiam operationes fœtidas & infectas fœtore luxuriæ, iuxta illud: *De cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* Et: *Cõputruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Verè magnus fœtor, quem etiam dæmones abominantur. Communiter videmus quod qui comedit allium, non ſentit fœtorem alterius comedentis: diabolus comedit alliũ, quia fœtidis & immundis cogitationibus, locutionibus & operationibus delectatur. In ſignum huius in quodam obſeſſo habitauit in ſepulchro fœtido, vt dicitur Marci, 5. & tamen horret fœtorem luxuriæ, præſertim ille dæmon qui eſt nobilioris naturę vltra cæteros.

1. Tim. 2.

Iacob. 4.

Ioel. 1.

Luxuria fœtorem horret diabolus.

Secundò Chriſtus voluit eſſe puer, ad docendum obedientiam & ſubiectionem. Puer enim ſubiectus eſt parentibus, imo omnibus, vti Chriſtus fuit *Erat ſubditus illis*. Sic quilibet fidelis debet eſſe ſubditus & obediens ſuperioribus ſuis, iuxta quod ſuadet Apoſtolus dicens: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.* Et iterum: *Obedite præpoſitis veſtris. Subiecti eſtote omni creaturæ humanæ. Subiecti inuicem in timore Chriſti.* Tunc autem vera eſt ſubiectio & obedientia, cum ſubditus nihil agit iuxta voluntatem propriam, ſed ſuperioris. Vnde dicit Bernardus: Grande malum propria voluntas, quæ facit vt bona tua, bona non ſint. Hinc dicitur: *Melior eſt obedientia, quam victima.* Quod tractans Gregorius 35. libro Moral. dicit. Obedientia merito victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Attendant hoc filij erga parentes,

Luc. 2.

1. Pet. 2.

Epheſ. 5.

Obedientia ſubditi.

Bern. ſer. 71. ſup. Cant.

1. Reg. 15.

Confeſſarijs obediendum.

tes, attendant ſerui erga dominos, ſubditi erga prælatos, & generaliter omnes fideles erga ſuos confeſſores, vt nihil agant cõtra eorum voluntatem: nam quicquid cõtra præceptum illorum aut conſilium aut ſuaſum fuerit, mortiferum eſt & vanæ gloriæ deputatum. O quam multi hodiè ſunt, qui omnia iuxta caput ſuum faciunt tam carnalibus, quam ſpiritualibus parentibus non obedientes, & ſenſum ſuum præferre ipſorum voluntati conantes, quod vtique non ex alio, q̃ ſuperbia, ꝓcedit: nã ſicut dicit Hugo, inobedientiæ morbus ex ſuperbiæ tumore procedit; ſicut ſanies ex vlcere, ſic ex ſuperbia contemptus manat. Sed attendant iſti Chriſtum Dominum, qui Deus exiſtens, obediuit parentibus; non deſpexit magiſter diſcipulos, Deus homines, verbum & ſapientia Dei patris fabrum & fœminam, dicit Bernardus ſuper Cantic. ſerm. 19.

Hugo de 12. abuſ.

Philip. 2.

Tertiò Chriſtus voluit apparere puer ad docendum humilitatem. Paruulus enim humilis eſt, & ſuperbire neſcit. Sic Chriſtus humiliauit ſemetipſum formam ſerui accipiens: per quod Chriſtus informare voluit filios fideles quod niſi humiliarentur ſicut paruuli, non intrarent in regnum cœlorum: non eſt enim via ad cœleſtem exaltationem, niſi per humilitatem: *Humiliamini ſub potenti manu Dei vt vos exaltet* Et: *Quãto maior es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Hinc dicit Bernardus quod oportet humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora, nèdum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe, niſi in ſe per veram humilitatem ſolidatus fuerit. Et ſubdit: non niſi humilitatis merito, maxima obtinentur: tunc autem eſt vera humilitas, cũ non ſolum ea, per quæ nos Deus per ſeipſum humiliat, libenter accipimus, ſed etiam cum ab alijs illata libenter tolleramus. Iob per Deum fuit humiliatus. Dauid per hominem maledicentem ſibi: & dico notanter quando libenter illata tolleramus. Nãm ſecundum Bern. vbi ſupra, multi humiliantur qui humiles non ſunt. Alij enim cum rancore humiliantur, alij patienter, alij & libenter. Primi rei ſunt. ſecundi innoxij. tertij iuſti. Is ergo verè humilis eſt, qui dicere poteſt. *Bonũ mihi, quia humiliaſti me.* Hoc non poteſt dicere, qui inuitus eſt: multo minus qui murmurat; neutri horum promittimus gratiam, quod humiliatur. Eſt tamen inter iſtos duos differentia & conueniẽtia: nam differunt in hoc, quia qui inuitus patitur, in patientia ſua poſſidet animam ſuam. Qui verò murmurat, ſimpliciter perit in anima ſua: Conueniunt autem in hoc quia neuter eorum gratiam conſequitur nec meretur, etſi vnus eorum ſcilicet qui murmurat iram mereatur, quoniam non humiliatis ſed humilibus dat gratiam ſuam. Ille verò verè humilis eſt, qui humiliationem vertit in humilitatem, dicitque Deo. *Bonum mihi quia humiliaſti me.* Ex prædictis patet quod ad verum humilem requiruntur duo, vt ſcilicet ſpontè & libenter humilietur: debet ergo tacita eſſe & læta humilitas. Talis fuit Paulus qui dixit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis vt in me habitet virtus Chriſti:* Hæc Bern.

Matt. 18.

1. Pet. 5.

Eccl. 3.

Bern. ſer. 35. ſup. Cant.

Humilitatis efficacia.

Humilis quis.

Duo requiruntur ad verum humilem.

Quartò Chriſtus voluit apparere puer, propter paruam reputationem, quia puer pro minimo reputatur. Sic Chriſtus Iſa. 53. *Deſpectus eſt vultus eius, vnde nec reputauimus eum.* Et: *Ecce paruulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde.* Per quod docuit nos vt ſimpliciter & non glorioſè viuamus. Talis fuit Dauid qui de ſe dicebat: *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus.* Et Apoſtolus. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Verè ſic eſt quod qui hominibus ſtudent placere, magnæ ſunt reputationis: qui vero diligunt veritatem & ſoli veritati intendunt placere, nullius ſunt in mundo reputationis, imo magnæ deriſionis, iuxta illud, *Deridetur iuſti ſimplicitas.*

Abdiæ in princ.

Vndè hodiè adulatores prçualent viris iuſtis, & ſanctis & doctis, quia omnia ad placitum dominorum dicunt. Et propter hoc quia ad placitum omnia dicunt, reputantur eis amici; ſed in rei veritate ſunt deceptores & capitales inimici: nam vt dicit Holcoth. ſimiles ſunt illi qui ſuauiter radit ſed guttur amputat vel genã tergit, ſed oculũ eruit. Vnde Eccl. 12. dicitur. *In labijs ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur vt ſub-*

Adulatores inimici Dominorum.

Rob. Hol. ſup. lib. Sap. c. 10.

vt ſubuertat te in foueã; In oculis ſuis lachrymabitur inimicus & quaſi adiuuans ſuffodiet te. Et Seneca epiſtola 8. dicit: Venit ad me blandus inimicus pro amico; vitia ſub virtutum nomine ſurripiunt. Certè hoc eſt hodie videre ad oculum, quod nullus vitia maiora inducit in regibus, principibus aliiſque, niſi adulatores, aſſerentes ea eſſe virtutes: nam prodigalitatem liberalitatẽ dicunt, humilitatem fatuitatem aſſerunt, deuotionem & cultum Dei monachatum perſuadent, ſuperbiam honeſtatem aſtruũt, voluptatem & delitias in ſolatium vertunt, & ita hominem ſeducunt, & in malis moribus confirmant, vt quãdoque vſq; ad mortem in eis conſeneſcat, & moriatur in eiſdem. Vnde ſi quis vult aduertere quare diuites etiam in ſenio vix emendentur, facilè videbit hoc ex adulatorum blanditijs prouenire. Nam cum ſe credunt bonos ex aſſertione adulatorum, quomodo poſſunt conuerti vel in melius mutari? Hinc Seneca dicit epiſtola. 95. Non ſumus contenti modica adulatione; imò ſi quis nos ſanctiſſimos, & modeſtiſſimos prædicet, totũ acceptamus tanquam nobis debitum, & cum credimus eis qui nos laudant, non corrigimus nos, nec mutari volumus, quia nos optimos credimus eſſe. Et ideò ſententia Platonis fuit, prout dicit in libro de dictis Philoſophorum, quod homines ex inimicis magis, quam ex amicis proficiant: quia dũ inimici eis errores improperant, corriguntur: amici verò non improperant eis errores, ſed tolerant & occultant. Hinc dicitur: *Inimici hominis domeſtici ei⁹.* Iſa. 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt & ſeducunt.* Tales ergò non ſunt amici, ſed inimici: nam vt Policratus dicit libro 3. c. 4. Adulator omnis virtutis eſt inimicus, eoq; magis cauẽdus, quò magis ſub amãtis ſpecie nocere nõ deſinit, donec rationis obtũdat acumen, & luminis modicum, quod adeſſe videbatur, extinguat. Certè grauiſſimè tales peccant, cum eis nocent, & ſub eis infideliter agunt, quibus fidem debent & tenentur, circumuenientes blanditijs & in ſordes viciorum præcipitantes. Quid odibilius fraude & dolo? quo ſub imagine amoris & fidei in ſimplicem & credulum, & quod deteſtabilius eſt, amicum perfidiæ & inimicitiarum nequitia exercetur. O quomodo multiplicati ſunt hodiè tales ſuper numerum, dicit Policratus vbi ſupra ca. 6. Et verè ita multiplicati, vt non ſit locus iuſtis & bonis viris in curijs principum ante ipſos. Ex quibus omnibus iam patet, quantum noceant adulatores ipſis magnis Dominis. Si igitur volunt ab eis benè cauere, duo ipſis ſunt neceſſaria. Primò vt in principio talibus reſiſtant: quod tunc fit, quando vt dicit Seneca, nosmetipſos tales reputamus, quales nos eſſe ſcimus, non quales nos adulatores commẽdant. Refert Seneca ibidem de Alexandro, quod cum ab alijs diceretur filius Iouis illius Dei, contigit vt in obſidione cuiuſdam ciuitatis, dum circuiret muros, ſagitta percuſſus ſit; cumque vulnus vehementer doleret ait: Omnes me filium Iouis eſſe dicunt, ſed vulnus hoc me hominem eſſe probat. Sic debet facere talis princeps vel Dominus: Vos me dicitis prudentem, ſed ego non inuenio hoc in me: vos me dicitis temperatum, ſed ego ſentio in me defectum maximum in excedendo modum & tẽpus, & ſic de alijs. Vnde dicit Cato: *Plus alijs de te quam tu tibi credere noli.* Secundò neceſſarium eſt eis, vt ſemper habeant aliquos viros iuſtos & litteratos ſecum, qui eos contra tales præmuniant & præcuſtodiant, & eos euadere doceant. Ezechias cum eſſet vir iuſtiſſimus & ſanctus, legitur tamen Iſaiã prophetam in conſilio habuiſſe. Dauid etſi ſanctiſſimus, & ipſe propheta prophetarũ, tamen habuit Nathan prophetam in conſilio ſuo, qui eum de non ædificando templo præmonuit, & pro peccatis adulterij & homicidij corripuit. Salomon licet ſapientiſſimus, tamen Nathan prophetam & Sadoch ſacerdotem in conſilio ſuo habuit. Carolus pius imperator habuit doctiſſimum Alcuinum. Traianus iuſtiſſimus imperator, ſapientiſſimum Plutarchum philoſophum; Nero licet nequam, tamen habuit ipſe Senecam. Alexander Ariſtotelem prudentiſſimum, Ptolomeus ſeptuaginta interpretes librorum. Nec mirum quod tunc benè ſtabant eorum principatus, ex quo à ſapientiſſimis regebantur, cum ſine ſapientia nullus poſſit ſtare principatus, inquit Policratus lib. 4. cap. 6. Vnde Socrates Apollinis oraculo

Vitia inducunt.

Diuitibus ſunt pernitioſi.

Matt. 10.

Adulator cauendus.

Quomodo.

Senec. epiſt. 95.

culo ſapientiſſimus iudicatus, tunc demū fore reſpublicas beatas, aſſeruit, ſi eas Phil. regerent, aut carū rectores ſtudere ſapientię contigiſſet. Tales ergò viros honorent principes, & non contemnant, ſi benè volunt imperare. Si tamen viri boni pro veritate contemnantur, non debet pro magno reputari, quia non ipſis, ſed contemptoribus væ: nam vt ait Cicero, cuius aures clauſæ ſunt veritati, vt verum audire non poſſit, eius ſalus deſperanda eſt.

II.

Creſcebat & confortabatur. In hoc Christus ſe veram carnem aſſumpſiſſe demonſtrauit, non phantaſticam. Sicut enim puer eſſe voluit, ſic in virum non niſi ſucceſſiuè adoleſcere voluit. Vnde dicitur: *Creſcebat* ſecundum humanam naturam: nam ſecūdum diuinam: *magnus Dominus & magnitudinis eius non eſt finis*. In hoc tamen ſaluator nos docere voluit, vt in noſtris actionibus, quas benè agēdo incipimus, non ſiſtamus, ſed ſemper in eis ad meliora tendentes proficiamus, & ſic ſpiritualiter creſcamus vſque in virum perfectum. Duo tamen hic dicuntur de Christo, primò quia creſcebat: ſecundò quia proficiebat, ad ſignificandū cuilibet benè agenti duo eſſe neceſſaria. Primò augmentum virtutum interiorum: Secundò progreſſus in illis virtutibus & exercitatio exterior. Vnde Machab. 9. dicitur. *Capit Ionathas creſcere & proficere*. De primò patet, quia debet creſcere in ſeptē pręcipuis virtutibus. Et primò in certitudine fidei & cognitionis. *Spem habemus creſcentis fidei veſtra*. De modicitate fidei reprehenſus eſt Petrus, *modica fidei quare dubitaſti*? Sed benè creuerat mulier Cananea, quæ audiuit: *Mulier magna eſt fides tua*. Et Centurio cui dictum eſt. *Non inueni tantam fidem in Iſraël*. Secundò debet creſcere in feruore deuotionis, qui feruor maximè elucet in orationis continuatione & lachrymarum effuſione. *Fons paruus creuit in fluuium maximum*, hoc eſt, parua deuotio in principio & paucæ lachrymæ in pueritia, debent poſtea creſcere in fluuium in ſenio, ſicut fecit Dauid, qui dicit de ſe. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis*. Sed certè multi feruent in principio, qui deficiunt in fine & in ſenio. Tertiò debet creſcere in exercitatione operum virtutis. *Semita iuſti quaſi lux ſplendida procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem*, id eſt, diem mortis, quæ eſt perfecta dies. Hodiè enim non eſt perfectus dies, quia interdum habemus lucem gratiæ, interdum tenebras culpæ; quia nunc boni, nunc mali ſumus. Quartò debet creſcere in perfectione charitatis quoad Deum *Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo*. Bernard. Qui habet magnam charitatem magnus eſt, qui paruam paruus eſt, & qui nullam, nihil eſt. *Si linguis hominum loquar* &c. Et ſequitur: *nihil mihi prodeſt*. Quintò debet creſcere in amore volūtariæ paupertatis. *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*; quod tunc fit, quando homo quanto vlterius, tantò plus diligit paupertatem propter Deum. Sextò debet creſcere in puritate caſtitatis erga ſeipſum. *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt*. Candor liliorum ſignificat caſtitatem fidelium. Septimò debet creſcere in virtute pietatis quoad proximum. *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio*.

Progrediendū ſemper. — *Benè agēti duo neceſſaria.* — *Virtutes 7. ſectari debet.* — 1. 2. Cor. 10. — Matt. 14. — 2. — Heſt. 11. — 3. Prou. 4. — 4. Epheſ. 4. — 1. Cor. 13. — 5. — Gen. 41. — 6. — Matt. 6. — 7. Iob. 31.

Tria autem faciunt hominem creſcere, ſc. gratia benedicens. *Operibus manuum eius benedixiſti, & ideò poſſeſſio eius*, ſc. virtutum *creuit in terra*. Secundò doctrina erudiens quaſi lac puerū creſcere facit: *quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite, vt in eo creſcatis*. Tertiò tribulatio patiens facit creſcere ſicut aqua arborem: *quantò magis opprimebantur filij Iſrael, tantò magis creſcebat*. De ſecūdo quomodo debet proficere homo dicitur Lucæ 2. *Quod Ieſus proficiebat apud Deum*, ſcilicet per bonam & rectam intentionem. *Et apud homines*, per exempli exterioris oſtenſionem. Vnde ſicut nobis neceſſaria eſt vita noſtra, ita proximis noſtris fama noſtra. Et ideò Apoſtolus ait: *Prouidentes bona non tamen coram Deo, ſed etiam corā omnibus hominibus*. Sed certè pauci ſunt hodiè, qui ita proficiant, cum multi potius deficiant: ideò videamus quæ impediant hominem. Septem ſunt quæ impediunt hominem à ſpirituali profectu. Primum eorū eſt præſumptio ſufficientiæ, ſicut in illo, qui dicit ſibi, ſatis eſt, iam nihil tibi deeſt: de quo in pſalm. *Ego dixi in abundantia mea nō moue-*

Homini tria faciunt creſcere. Iob. 1. 1. Petri 2. Exod. 1. — *Impedimenta 7. ſpiritualis profectus.* 1.

mouebor in æternum. Sed tales Deus permittit cito cadere. Vnde ſequitur: *Auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus.*
2. Secundum eſt virium laſſitudo: quando enim diu laborauit homo in bello ſpirituali, poſtea tamquã vilis fatigatur & laſſeſcit. Ita laſſus fuit Helias qui petiuit præ tædio animæ ſuæ, vt moreretur. Sed certè Apoſtolus docet huic obuiare.
Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.*
3. Tertium eſt occurſus aduerſitatum, iuxta illud: *Vtinam mortui eſſemus.*
Num. 14. Talibus enim maiora occurrunt tẽtamenta; ſed audiant tales; *quia fidelis Deus*
1.Cor. 10. *eſt qui non patietur vos tentari ſuper id quod poteſtis.*
4. Quartum gelicidium tepiditatis quæ conſtringit & non permittit florem vel fructus egredi: de quo Prou. 26. dicit piger,
Iob.15. *leo eſt in via.* Et: *lædetur quaſi vinea in primo flore.* Quod tunc fit, quando in talibus nondum deſideria bona roborantur.
5. Quintum eſt occupatio temporalium, de quo figura,
1.Reg. 17. quomodo Dauid in armis Saul non potuit
Matt. 19. procedere. Ideò dicitur: *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia: quod cum audiſſet, abijt triſtis.*
6. Sextum eſt erubeſcentia ſæculi.
Iob.6. *Venerunt vſque ad me & pudore cooperti ſunt.*
7. Septimum eſt vileſcentia ſpiritualium: de quo Numeri. 21. *Anima noſtra nauſeat.*

Adiumẽta 7 profectus.

Sunt autem è conuerſo ſeptem, quæ iuuant hominem ad profectum. Primum eſt exiſtimatio propriæ imperfectionis.
Iob. 11. *Cum te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer.* Secũdum eſt pudor defectionis
Ierem.6. Bern. *Non proficere, deficere eſt.* Et: *Facti ſũt retrorſum.* Tertiũ
Matth.25 eſt timor amiſſionis: talibus dicitur. *Ei qui non habet & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quartum ſeueritas exactionis, repetit
Luc.19. enim Dominus talentum cũm vſura *Quare non dediſti pecuniam meam ad mẽſam?* Quintum hoſtium multitudo & fortitudo: Vnde debet homo laborare vt ſit fortis & arma-
Epheſ.6. tus contra eos. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus rectores tenebrarum harum.* Sextum præmij magnitudo, quod maius dabitur magis la-
1.Cor.3. boranti. *Vnuſquiſq; mercedem ſuam recipiet ſecundum ſuum laborem.* Septimum breuitas tẽporis conceſſi ad proficiẽdũ.
Eccl.9. *Quæcũq; facere poteſt manus tua, inſtanter operare.*

III.

Chriſtus plenus ſapientia.

Plenus ſapientia & gratia Dei erat in illo. Duo dicit de Chriſto. Primò, ꝙ erat plenus ſapientia. Secundò, quod gratia Dei erat in illo. Plenus ſapientia fuit, quia ipſe ſapientia eſt Dei Patris; per quem facta ſunt om-
Prou.8. nia. *Cum eo eram cuncta componens.* Et præmittitur. *Quando præparabat cœlos aderam:* & de multis alijs. Vnde, Apoſtus dicit, quod ipſe eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ & ſcientiæ Dei abſconditi: quod ſi ſic, meritò Iacobus dicit: *Si quis indiget ſapien-*
Iacob.1. *tia, poſtulet eam à Deo.* Benè dicit à Deo, non à mundo, non à carne, non à diabolo. Non eſt hæc ſapientia deſurſum, ſed animalis, terrena, & diabolica. Animalis eſt in luxurioſis, qui totum intellectum ad voluptatẽ conuerterunt: qui melius nôrunt adulari & blandiri q̃ orare aut coram Deo ſe ſiſtere. Terrena ſapientia eſt in auaris, qui facilius ſciunt diſcurrere decem miliaria ad forũ, q̃ decẽ paſſus facere ad Eccleſiæ chorũ diabolica ſapientia eſt in ſuperbis, qui melius ſciunt componere capitis flores, quam animi mores melius ornare corpus, quam animã. Hi ergo non ſunt pleni ſapientia Chriſti ſed

Homines vitijs diuerſimode ſunt pleni.

ab ea vacui, & ſunt pleni ſapientia diaboli. Sunt aũt diuerſi diuerſimodè pleni diuerſis vitijs: nam quidam ſunt pleni dolo per occultam cordis machinationem. *Cor tuũ*
Eccl.1. *plenum eſt dolo.* alij pleni maledictione per ſermonis ſeueritatem. *Quorum os maledictione plenum eſt.* Alij pleni iniquitate per operationem *Repleti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Alij pleni hypocriſi per ſanctitatis
Matt. 23. ſimulationem. Vę vobis hypocritæ qui intus eſtis pleni iniquitate & omni ſpurcitia.
Rom.1. Alij pleni cupiditate per auaritiam. *Repletos omni iniquitate & malicia & auaritia.* Alij pleni adulterio per carnalem voluptatem. *Hi ſunt oculos plenos habentes adulterij*
2.Pet.1. *& inceſſabilis delicti.* Alij pleni vino & ceruiſia
Sap.2. p ebrietatẽ. *Vino precioſo nos impleamus.* Alij
Luc.4. pleni ira per indignationem. *Repleti ſunt ira in ſynagoga hæc audientes.* Alij pleni ſuperbia, ſicut legitur de Antiocho, quod reple-
1.Mach. 9. tus ſuperbia ſpirabat in Iudæos. Vt igitur iſti pleni ſint ſapientia Chriſti, euacuent iſtam plenitudinem: nam vt dicit Auguſt. Si vis recipere quod non habes, effunde quod habes; non enim mittunt vinum nouum in

vtres veteres. Hinc Apoſtolus hortatur dicens: *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio*. Fuit etiam Chriſtus plenus gratia, iuxta illud: *Vidimus eum plenum gratia*. Et quomodo non plenus, qui non ad mẽſuram recepit gratiam, ſed ad abundantiam & redundantiam? *Nam eſt via, veritas & vita.* Ipſe omnibus omnia factus attulit veritatem vt Doctor, manſuetudinem vt liberator, iuſtitiam vt cognitor, inquit Auguſt. ſuper Iohan; & ideò ipſe eſt fons omnium chariſmatum, virtutum, donorũ & gratiarum, ſicut mare omnium fontium & fluminum origo. Rogemus igitur, vt nobis aliquam ſtillam ſapientiæ & gratiæ ſuæ impartiri dignetur, quatenus per gratiam eius poſſimus peruenire ad gloriam, ad quã nos perducat pater & filius.

Ioan.1.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIAE, SERMO I.

Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim. Luc.2.

POſtquam mater ſancta Eccleſia deſcripſit nobis infantiam noſtri ſaluatoris in Dominica præcedenti: nunc in iſta intendit deſcribere pueritiam eiuſdẽ, oſtendendo quæ, quãta & qualia Chriſtus egerit in ætate duodecim annorum, quomodo videlicet audierit doctores Iudæorum attentiſſimè, & reſponderit illis prudentiſſimè. Cuius figura habetur, 1. Regum 3. Vbi Samuel indicauit viſionem Heli ſacerdoti ſeniori, & euenit ſermo eius in Iſrael, quẽ reuelauerat ei Dominus. Samuel interpretatur poſtulatꝰ à Deo & ſignificat Chriſtum qui poſtulatus fuit à ſanctis patribus, iuxta illud. *Emitte agnũ Domine dominatorem terræ*. Hic ergò Samuel, id eſt, Chriſtus indicauit & manifeſtauit viſionem, id eſt, ſapientiam, quam vidit in abſcondito conſilio Dei patris, iuxta illud: *Quæcumque audiui à patre meo nota feci vobis*. Hoc autem Chriſtus præcipuè fecit in ætate puerili ipſis ſacerdotibus Iudæorũ, quorum figuram tenuit Heli ſacerdos, & euenit ſermo prout dixerat eis Chriſtus, quia omnia impleta ſunt in Iudæis, quæcũque erant dicta à Chriſto. *Non enim præteribit generatio hac, donec omnia fiant.* Simile etiam habetur in figura Daniel. 2. vbi Daniel adhuc puer loquitur ſapientiã inter ſapientes Babylonis, interpretãs omnia sõnia regis. Dan. puer ſignificat Chriſtũ, ſapiẽtes Babylonis ſignificãt ſacerdotes, & Doctores Iudæorum. Babylon enim confuſio interpretatur, & apud Iudæos tunc omnia erant confuſa in ordine ſuo; eò quod cęleſtibus præponebant terrena, & derelicto Deo adhærebant diabolo, iuxta illud: *Vos ex patre diabolo eſtis*. Vnde & ipſis potuit dici: *Confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos*. Quod autẽ Daniel interpretatus eſt ſomnia regis, ſignificat, quod Chriſtus diuites huius ſęculi qui in diuitijs quaſi ſomniant longam vitam & tamen breuiter viuunt, & quibus diabolus & mundus promittit delicias, & ſoluit miſerias, cum exſurrexerint de ſomno mortis; de cœlo in mundum veniens docuit dicens, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Et iterum: *Diues difficile intrabit &c.* Et de hac doctrina ſaluatoris, quam cœpit ſpargere anno pueritiæ ſuæ duodecimo hodiernũ loquitur Euãgelium, de quo loqui veſtræ charitati intendo. Sed quia ſine gratia ſaluatoris noſtri iſta facere nequeo, ad matrem gratiæ primum recurramus, ſalutantes eam voce amœna dicentes ei *Aue gratia plena*. In Euangelio præſenti tria deſcribuntur. Primò Chriſti à parentibus ſuis amiſſio, cum dicitur: *Cum eſſet Ieſus duodecim annorum*. Secundò eius inuentio, cum ſubditur: *Factum eſt autem.* Tertiò deſcribitur eius humilis & mitis ſubiectio, cum additur: *Et deſcendit cum illis.*

Figura.

Luc.21.

Babylon quid.

Ioan.8.

Luc.16.

Propoſit.

I.

Cum eſſet Ieſus annorũ duodecim. Pro quo ſciendũ ꝙ licet multæ fuiſſent ſolẽnitates & feſtiuitates Iudæorũ, tamen tres erant præcipuæ, ſcilicet Paſcha, Pentecoſtes & Scænopegia. Paſcha erat in memoriam exitus eorum de AEgypto, Pentecoſtes in memoriam datæ legis per Moyſen à Deo. Scęnopegia in memoriam habitationis quadraginta annorum in deſerto. Et de his ita fuit præceptũ: Ad locũ, quẽ elegerit Dominus, accedetis, & offeretis holocauſta & victimas. De victimis habetur Leuit. 23. de oblationibus. Num. 28. & 29. Omnes aũt vniuerſaliter ire tenebantur tribus vicibus in anno, ſcilicet in Aprili, in Iunio, & in Septemb. Et ſubditur, *per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.* Gloſſ. in Paſcha, Pentecoſte, & Scęnopegia. Dicitur etiam ibi. *Ter in anno apparebit omne maſculinum coram Domino Deo tuo.* Et ſic omnis maſculus de vniuerſis finibus Iſrael debebat ſe præſentare in Ieruſalẽ, & offerre hoſtias determinatas in lege. De mulieribus aũt non erat præceptum, ſed ſi comitabantur viros ſuos, bonũ erat. Dicitur etiam, quod qui remoti erant, à duabus feſtiuitatibus pro minoribus cauſis poterãt emanere, ſed à feſto Paſchæ non excuſabãtur, niſi cauſa infirmitatis vel cauſa hoſtilitatis capitalis: & hoc eſt quod dicitur: *cum Chriſtus factus eſſet annorũ duodecim aſcendentibus illis,* ſcilicet Ioſeph ex neceſſitate præcepti legis, *& Maria* ex conſilio beneplaciti, & Chriſto ex legis edicto Ieroſolymã tãquam metropolim, vbi erat ſacerdotiũ & templũ, *iuxta præceptum Domini, ſecundum cõſuetudinem diei feſti,* id eſt, quã requirebat dies feſtus Paſchę ex cõſuetudine laudabili; non quod in die Paſchæ aſcenderent, ſed in vigilia ſecundũ Gorrã. Et eſt documentũ, vt ad Eccleſiã etiã in vigilijs veniamus, ſi fieri poteſt. Conſummatiſq; diebus ſcilicet azimorũ, cũ redirent; dicit gloſſa ꝙ illa ſolẽnitas protelabatᷣ octo diebus, ita videlicet vt in quartadecima luna Aprilis conuenirent ad veſperã, & comederent agnũ paſchalem, poſtea peragerent ſeptẽ integros dies, vt habetur Deut. 16. vbi dicitur: *Septẽ diebus comedetis abſq; fermento.* Et nota hic ꝙ iſte aſcẽſ erat occultus ſecundũ Aug. propter metum Archelai. Nã Chriſtꝰ etiã admonitione Angeli erat in AEgypto ſeptem annis vſque ad obitum Herodis Aſcalonitæ, quo defuncto ſucceſſit ei filius Archelaus qui in Iudæa regnauit pro eo. Audiens ergo hoc Ioſeph, timuit illuc ire, ne filius Herodis ſequeretur patrem in malicia ad perdendum puerum Chriſtum. Et ideò admonitus iterum per Angelum iuit in Galilęam & manſit in Nazareth, & ſic de Nazareth latenter aſcendebat ad ſolennitatem paſchalem cum Chriſto & Maria in templum Ieruſalem, ita vt non eſſent inter turbas notati & conſpicui, & maximè in feſtiuitatibus, quando homines ſunt alijs intẽti, boni ad cultũ Dei, mali ad lucra & vanitates. Et cum redirent ſcilicet parentes eius domum, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, præferens ſcholas theologiæ parentibus; & non cognouerunt parentes eius. Sed Beda hic quærit. Quomodo potuit Chriſtus à parentibus obliuiſcendo relinqui qui tanta prouidentia parentum nutriebatur? Reſpondendum eſt quod filijs Iſrael ad feſta confluentibus vel ad propria redeuntibus, mos erat ſeorſum viros & ſeorſum fæminas incedere: pueri verò cum quolibet parente indifferenter ire poterãt. Ideoque dicitur Mariam & Ioſeph viciſſim putaſſe puerum Ieſum, quem ſecum nõ cernebant, cum altero parente reuerſum. Vnde Zach. 12 dicitur. *Familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum.* Et ideò ſequitur: *Exiſtimantes autem eum eſſe in comitatu,* cognatorum vel notorum, qui ſimul fuerant comitati à Nazareth, venerunt ſcilicet eodem die reuerſionis verſus Galilæam ſine puero. Et requirebant eum ſerò inter cognatos & notos. Gloſſ. id eſt, inter vicinos, inter quos eſſe conſueuerat aliquando. Et nõ inuenientes eum primo die reuerſionis in domum, reuerſi ſunt in Ieruſalem ſecundo die, requirentes eum tertio die, ſecundum Gloſſam. Alij dicunt quod venientes domũ prima die de Ieruſalem quærebant eum inter cognatos & notos ſecunda die, & non inuenientes eum reuerſi ſunt in Ieruſalem & quærebant eum tertia die. Sed modica eſt in hoc differentia. Lira dicit, quod reuerſi domum quærebant ſequenti die & non inuenientes eum ibi, reuerſi ſunt tertia die Ieruſalem, & quærebant eum quarto die, & tunc inuenerunt.

Iudæorũ ſolemnitates tres.

Deut. 12.

Exod. 23.

In vigilijs Eccleſia frequentanda.

Quomodo permanſerit Chriſtus in Ieruſalem.

Et

Documēta moralia tria.

1. Cōſuetudines bonæ obſeruandæ.

Aug. lib. 3. de doct. Chriſt.

Et hic ſunt tria documēta moralia. Primum eſt, vt non ſolum præcepta legis diuinæ expreſſa, ſed etiam conſuetudines laudabiles ſeniorum noſtrorum obſeruemus exemplo parentum Chriſti, qui ſecundum conſuetudinem diei feſti aſcendebant in tēplum. Et hoc ideò ne ſociale bonum turbetur, quia diſſimilitudo omnis diſcors eſt. Vnde dicit Auguſtin. Quiſquis ſic vtitur rebus exterioribus, vt metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedat, aut aliquid, hic flagitioſus eſt. In tantum autem ſeruanda eſt bona conſuetudo, vt nullus æſtimet ſine ea leges quantumcunque ſalubres diu poſſe ſubſiſtere. Nam quia ad faciendum homines virtuoſos, non ſufficit ſolus ſermo legum perſuaſiuus, cum multi iuuenes & alij proterui etiam metu pœnarum legalium à malis non poſſint retrahi; ideò requiritur bona conſuetudo, quæ paulatim exterminat inclinationem paſſionis ad vitium. Habet enim conſuetudo bona quandam vim & violentiam inclinantem ad bonum, quæ ſicut & lex antiqua, non eſt aliqualiter ſine maxima & euidentiſſima cauſa mutanda.

2. Documentum.

Pueri bonis moribus à iuuentute imbuendi.

Secundum documentum eſt parentibus, vt aſſuefaciant pueros ſuos ex iuuentute ad diuinum cultum & bonos mores. Vnde Tren. 3. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Et Hieronymus epiſtola 89. ponit exempla de brutis animalibus, qualiter non niſi à iuuentute ſua poſſunt domari, & de arbuſculis, quarum arbores flecti poſſunt non niſi in iuuentute. Vnde prouerbium eſt quod canis inueteratus neſcit ire vinculatus vel cathenatus.

Senec. epi. 64. Eccl. 11. Eccl. 25. Auguſt. hom. 23. ſup. Ioan. Seneca ep. 103. & 127.

Hinc Seneca dicit de ſe: ante ſenectutem oraui, vt benè viuerem, in ſenectute curaui, vt benè morerer. Hinc Salomon cōſulit: *Mane ſemina ſemē tuum.* Et: *Quæ in iuuentute non congregaſti, quomodo in ſenectute inuenies?* Et beatus Auguſtin. reddit horum rationem naturalem dicens: quod memoria iuuenum eſt quaſi theſaurus, in quem quicquid poſuerunt, in ſenium conſeruant. Seneca etiam dat ſecundam rationem dicens: quod iuuentus hominis eſt ætas optima, & ſic ad benefaciendum magis opportuna, apta & congrua. Dat & rationem tertiam, quia illa ætas eſt fortiſſima, quantum ad ingeniū & vires corporis. Et epiſtola 92.

Senectus ætas miſera.

Iob 29.

Parentes perſtringuntur.

Non eſt igitur exſpectandum benè operari vſque in ſenium, cum illa ætas ſit per omnia miſera, ſicut dicit Tullius libro de ſenectute, propter tria: quia reuocat à rebus agendis, & quia corpus facit infirmum & omnibus voluptatibus priuat, & non procul eſt à morte. O quam multi ſenes dicunt: *Quis mihi det, vt ſim iuxta dies priſtinos? nunc derident me iuuenes pauci temporis.* Jſta deberent aduertere parentes filios aut filias habentes, quam grauiter peccent aſſuefacientes eos à pueritia ipſorum ad malum, ad vanitates ſæculi, ad choreas, ad ludos, ad ſpectacula, quos poſtea in ſenio retrahere non poſſunt: iuxta illud. *Quod puer aſſueſcit, dum vult dimittere neſcit.* Talibus Chriſtus comminatur in die iudicij væ, fletum, & planctum, dicens: *Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me,* ſcilicet pro eo, quod vos condemno iuſtè, *ſed ſuper vos & filios veſtros flete,* quos ſic docuiſtis peccare.

3. Documentum. Dies feſti deuotè colendi.

Malac. 2. Iſaia 1.

Tertium documentum eſt, vt dies feſtos iuxta præceptum diuinum in omni puritate & deuotione mentis celebremus, exemplo Chriſti, Mariæ & Joſeph, qui fuerunt omni puritate & innocentia præclari. Tales enim debent eſſe Chriſtiani in feſtiuitatibus, vt ſint abſque peccato mortali. Alias enim totum erit Deo odibile, quicquid ab eis fuerit in peccato mortali tunc factum. Vnde multis comminatur Dominus dicens: *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum.* Et: *Solennitate veſtras odiuit anima mea.* Thren. primo. *Viderūt eam hoſtes & deriſerunt ſabbata ſua.* Amos 5. *Odi & proieci feſtiuitates veſtras* dicit Dominus. Ecce quomodo Deus vocat tales ſolennitates ſtercora & abominationes.

Solemnitates & feſta tribus polluuntur peccatis.

Aug. lib. de 10. chordis.

Hier. ad Euſtoch.

Tribus autem peccatis ſolemnitates noſtræ viciantur & polluuntur. Primò, per ineptam lætitiam, de qua dicit Augu. quod melius faceret aliquis in agro ſuo aliquid vtile, quam in theatro ſolatioſus exiſteret, & melius fœminæ eorum die ſabbati lanam facerent, quam in feſtis turpiter ſaltarent. Vnde de cōſec. diſt. 1. Qui die: dicitur, quod qui die Dominico prætermiſſo diuino officio ad ſpectacula vadit, excommunicetur. Secundò per gulam, de qua dicit in epiſtola Hieronym. Valdè abſurdum eſt nimia ſaturitate velle honorare martyrē, quem ſci-

mus Deo placuiſſe ieiunijs. Tertiò per ſuperbiam; homines enim in feſtis magis ornantur exterius, & per conſequens mutuò ad peccatum ſe prouocant.

Geneſ. 34.

Vnde quaſi in figura huius Dina filia Iacob cum egreſſa eſſet, vt videret mulieres regionis illius, à Sichen filio Hemor Heuæi principis terrę Sichimitarum corrupta eſt. Dicit autem ibidem Magiſter in ſcholaſtica hiſtoria poſt Ioſephum, quod tunc erat ſolemnitas Sichimitis, in qua Dina ſola tranſiuit ad vrbem emptura ornamenta prouincialium mulierum. Ecce propter ornamenta ſuperbiæ Dina in feſto perdidit caſtitatem.

Ad feſtorum celebrationẽ tria neceſſaria.

Contra iſta tria, neceſſaria ſunt alia tria ad benè feſtiuandum. 1. Occupatio circa licita, ſalutaria & diuina. Vnde ſi deſinas ab omnibus ſæcularibus & nihil mundanum geras, ſed ſpiritualibus operibus vaces, hæc eſt obſeruatio ſabbati Chriſtiani, vt inquit Origen.

Orig. ho. 69. ſup. Exod.

Secundum eſt corporis afflictio. Vnde Leuit. 23. dicitur: *Affligetiſque animas veſtras in eo.* Et iterum: *Omnis anima, quæ non fuerit afflicta die hoc, peribit de populo meo.* Notanter dicit, *anima.* Quia iſta afflictio debet procedere ex deuotione animæ interioris affectus per pietatem ad Deum, non per exteriorem tantum oſtẽtationem, vt in hypocritis, qui ieiunant, vt videantur ab hominibus.

Matth. 6.

Tertium eſt humilis & deuota oratio, quæ conſiſtit in mentis ad Deum erectione. De qua dicit Gregor. in regiſtro. Die dominico à labore terreno ceſſandum eſt, atque omninò orationibus inſiſtẽdum, vt quicquid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis dominicæ expietur.

II.

Factum eſt autem, poſt triduum inuenerunt illum in templo. Determinantur hic plura circa iſtam inuentionem. Primò tempus, ſecundo locus. Tertio actus. Vnde dicit: *Factũ eſt poſt triduum,* id eſt, quarto die ſecundũ Hugonem, *inuenerunt illum in templo,* id eſt, in atrio templi, non in theatro, vel foro vel ludo, vbi laſciui iuuenes inueniri ſolent, ſed in loco orationi & doctrinæ ſacræ deputato, *in medio Doctorum,* pro reuerentia, quæ eminebat ſecundum Hugonem, vel vt melius poſſet omnes audire, ſecundum Liran. & cum eis melius conferre, *Audientem illos & interrogantem.* Prius audientem, poſtea interrogantem, iuxta illud ſapientis: *Priuſquam audieris, non reſpondeas.*

Eccl. 11.

Stupebant autem, qui audiebant eum ſuper prudentia & reſponſis eius. Stupor ſecundum Damaſcenum eſt ex inconſueta imaginatione, vndè quia Iudæi talem puerum nunquam audierant, ſtupebant propter tria.

Stupor vnde procedat.

Primò, quia mira & occulta myſteria de Chriſti aduentu & de redemptione generis humani proferebat diſcurrens per ſcripturas eorum. Vnde de ipſo poteſt dici: *Occulta produxit in lucem.*

Iob 28.

Secundò, quia iuuenilem ætatem prætendebat, de qua ſapientia antiquorum procedebat. *In antiquis eſt ſapientia.*

Iob 12.

Tertiò, quia hunc nunquam ab aliquo per exercitium exterius didiciſſe cognouerant, vnde dixerunt poſtea. *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?*

Ioan. 7.

Super quo autem ſtupebant, ſequitur, *ſuper prudentia* ſcilicet interrogandi, & reſponſis ad quæſtiones propoſitas per Chriſtum datis. Et in hoc vtramque naturam Chriſtus oſtendebat ſecũdum Chryſoſtomum & Bedam; humanam, quia humiliter audiebat; diuinam, quia ſubtiliter reſpondebat. *Et videntes admirati ſunt,* Maria & Ioſeph, & multi alij. *Et dixit mater eius ad illum.* Mater dixit, non Ioſeph, quia ſecundum Liranum non audebat eum arguere, ſciens ipſum Dei filium: ſed mater ex maxima dilectione excellens, quia verus amor dominium neſcit, dixit ad eum: *Fili quid feciſti nobis ſic?* vt remaneres nobis ignorantibus. Non increpat eum virgo fidelis, ſed quærit vt alij doceantur. *Ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te,* ſcilicet de abſentia tua, quæ nobis eſt duriſſima. Sed heu multi hodie plus dolent de amiſſione caprarum, quam filiorum. Sed quare dolebant: Nunquid quia credebant periſſe Chriſtum, quod non eſt dicendum, quia virgo & Ioſeph credebant eũ Dei filiũ, ſed primo quia timebant nè Archelaus aliquid in Chriſtum attentaſſet, & nè ipſi fuiſſent occaſio mortis Chriſti.

Cauſa doloris Mariæ & Ioſeph.

Secundò, ſecũdum Originem, quia timebant, nè ſic citò rediſſet in cœlum. Tertiò, ſecundum Grego. quia maternis affecta viſceribus, cum la-

mentis inquiſitionem doloroſam oſtendebat. Sed Chriſtus reſpōdet corrigendo matris dicta. *Et quid eſt, quod me quærebatis*, inter cognatos & conſanguineos? id eſt quid in cauſa eſt, vel propter quid hoc feciſtis? *An neſciebatis* quaſi dicat, Scio quia ſciebatis, quia in his locis, templo & negotijs ſiue operibus, quæ patris mei ſunt, ſcilicet cæleſtis, non Ioſeph putatiui, ſed Dei, oportet me eſſe. Sicut enim ad patrem, ita ad filium cura templi pertinet, inqt hic Beda. Et ipſi, id eſt, circumſtantes ſcribæ & ſcholares non intellexerunt verbum hoc, ꝙ locutus eſt ad illos id eſt Ioſeph & Mariam, quid vellet innuere per hoc verbum, cum tamen vellet dicere, quod cura templi & ſpiritualium gubernatio æqualiter ad eum cum patre pertineret, ſecundum Bedam Ioan.17. *Omnia mea tua ſunt & tua mea.*

Documēta moralia tria. 1. Moraliter hic ſunt tria documenta. Primum eſt, vt in omnibus noſtris actionibus medium teneamus, ſi volumus amiſſam ſæpius gratiam inuenire, exemplo parentum Chriſti, qui non niſi in medio doctorum Chriſtum inuenerunt. *Virtuti cōtraria duo vitia.* Hoc autem medium eſt virtutis, non loci, quælibet .n. virtus habet duo vitia, vnum ſuperabundantiæ, aliud defectus; vt liberalitas prodigalitatem & auaritiam. Prodigus dat, vbi non debet, auarus non dat, vbi debet. In medio iſtorum eſt liberalis, qui dat, vbi debet, & non dat, vbi non debet, & ſic de alijs. *Medium tenendū.* In ſignum huius Chriſtus legitur ſæpius in medio habitaſſe; vnde in medio hyemis natus eſt: in medio veris conceptus, in medio noctis natus, in diuerſorio, quæ eſt media domus, inter duos parietes locatus, in medio bouis & aſini poſitus. In medio Doctorum hic, in medio latronum in cruce, in medio diſcipulorum poſt reſurre- *1.Tim.2.* ctionem, & ipſe eſt mediator Dei & hominum. 2. Secundum documentum eſt, vt in acquirendo ſcientiam ſalutis prius audiamus, quam loquamur vel doceamus. Vn- *Eccl. 18.* de Chriſtus hic prius audiuit, poſtea inter- *Prou.18.* rogauit. Hinc Salomon ait: *Antequam* *Eccl. 3.* *loquaris, diſce.* Et: *Qui prius reſpondet, quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat.* Et ideò ponitur regula omni loqui volenti, cum dicitur, *Tempus tacendi, tempus loquendi.* prius dicit tempus tacendi eſſe obſeruandum. *Greg. ho. 10. ſuper Ezech.* Vnde Gregorius dicit: Ille loqui veraciter nouit, qui prius benè tacere didicit. Similiter Hieronymus epiſtola 58. præſcindenda eſt lingua, vt quæ loqui neſcit, diſcat vel ſaltem tacere. *Tacendū aliquādo & quare.* Eſt autem tacendum quandoque propter plura. Primò, propter ſignum ſapientiæ. *Eccl.20.* *Eſt tacens qui inuenitur ſapiens, & eſt odibilis, qui procax eſt ad loquendum.* Secundò, propter in- *Eccl.32.* ſolentiam auditorum. *Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonem.* Vnde Macrobius lib.1. Saturnalium cap.1. Cum Socrates in quodam conuiuio ad loquendum hortaretur, reſpondit. Quæ præſens locus & tempus exigit, ego non calleo; & quæ ego calleo nec locus nec tempus callet præſens. Tertiò, tacendum eſt ad intelligendum dicta propoſita. Vnde Hieronymus de ſe dicit epiſtola 2. Quod voce prompturus eram, mente prius pingebam. Quartò, tacendum eſt propter aſſiſtentium honorem. *Eccl.7. & 32.* *Noli eſſe verboſus in medio presbyterorum.* Et: *Audi tacens & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Et ſequitur: *Adoleſcens loquere vix in tua cauſa.* Quintò, tacendum eſt propter periculi maioris cautelam; vnde Propheta. *Auditui meo dabis gaudium.* Super quo Auguſtin. homil. 57. dicit: Tutius aliquando auditur veritas, quā prædicatur, quia in primo humilitas cuſtoditur, in ſecundo vix non ſurripit quantulacunque iactantia. *Prælatus inſtruitur* Et eſt hoc ſpeciale documentum omnibus prælatis, qui prius debent audire in ſtudio ſacram Scripturam, quam alijs prædicare, ne tunc quærant diſcere, quando debent alios docere. Vnde Dauid prius ex gratia Spiritus ſancti donum percepit, poſtea gubernationem regni aſſecutus eſt. *2.Reg.22.* Et dominus prius poſuit verba ſua in ore Ieremiæ, poſtea conſtituit eum ſuper gentes & regna. *Ierem.1.* Sic Chriſtus prius Apoſtolos docuit, poſtea ad prædicandum miſit. Et patet ex his, quod nullus habet excuſationem ab alijs addiſcendo & ſtudendo, ex quo videt Chriſtum audiſſe, qui tamen fuit fons ſapientiæ, virtus & ſapientia Dei patris. Vnde Auguſt de ſe dicit. Ego ſenex & epiſcopus tot annorum, à iuuene & collega meo non-

nondum anniculo paratus ſum edoceri. Tertium documentum eſt parentibus, vt filios ſuos, imò & ſubditos ex amore, non ex odio corrigant exemplo beatæ virginis dicentis, *Fili quid feciſti nobis. Fili dicit,* non nequam, nõ maledicte, nõ fatue, non quod peius dicitur ſeu eſt, diabole. Attendant potius doctrinam ſapientis, dicentis: *Percute filium virga & animam eius liberabis à morte.* Hoc fecit beatus Benedictus qui dœmoniacum quem precibus curare non poterat, correctione liberauit. Sic Chriſtus malè verſantes in templo flagellauit; Et Apoſtolus tradidit hominem ſathanæ coporaliter vexandum.

3. Documentum. *Prou. 2.* *Marci. 11.* *Matt. 21.* *1. Cor. 6.*

III.

Et deſcendit cum illis, ſcilicet Maria & Joſeph, & venit Nazareth, vbi erat domicilium Ioſeph, vbi etiam Chriſtus conceptus eſt, & ibi oſtenditur etiam hodie fons, de quo Chriſtus aquam hauriebat. *Et erat ſubditus illis.* Bernardus, quis quibus? Deus hominibus. *Et mater conſeruabat omnia verba* hæc in arca memoriæ, *conferens ea in corde ſuo,* quomodo videlicet ꝑphetiæ implebãtur de Chriſto, quæ omnia poſtea Apoſtolis declarauit, vt dicit Hieronym. in ſermone de aſſumptione: & hæc collatio erat ei delectabilis. *Puer autem proficiebat ætate,* quod verũ eſt, quia creſcebat quantũ ad augmẽtũ corporalis quantitatis, de infantia ad pueritiam, & vlterius proficiendo vt dicit Gregorius *Et ſapientia & gratia apud Deum & apud homines,* id eſt, ad laudem Dei & honorem & ad vtilitatem hominum. Roman. 12. *Prouidentes bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Hic datur forma humilitatis omnibus ſapientibus, qui videntes filium Dei ſic humiliatum parentibus, & ipſi non dedignentur humiliari & obedire ſuis parentibus, etſi non carnalibus ſaltem ſpiritualibus, vt dicit Beda. Vnde Auguſtinus dicit cõtra quoſdam. Quid iniquius, quam velle ſibi obtemperari à minoribus & nolle obtemperare maioribus? Vnde rectè obedietia victimis præponitur. Quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas immolatur. Et Bernardus de noua militia dicit, quod nec ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, vt lucerna pœnitentis, extra obedientiam eſſe poterunt, propter quod idem Bernardus arguit ſuperbos dicens: non legiſtis quam formam obediendi puer Ieſus tradiderit: nam cum remanſiſſet in Ieruſalem & dixiſſet: *In his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe*; non acquieſcentibus parentibus eius, ſequi illos in Nazareth non deſpexit, magiſter diſcipulos, Deus homines, verbum & ſapientia fabrum & fœminam. Quid etiam addit ſcriptura? *Erat* inquit, *ſubditus illis.* Quouſque ſapientes eſtis in oculis veſtris? Deus ſe mortalibus tradit & ſubdit, & vos in vijs veſtris adhuc ambulatis? Hæc ille.

Sapientes instruuntur. *Aug. lib. de ope. Monach.* *Ber. ser. 19 sup. Cant.*

Hic occurrunt tria dubia textualia. Primum eſt de ætate Chriſti. Secundum de plenitudine gratiæ. Tertium, de plenitudine ſapientiæ ipſius. Primum dubium eſt, quare Chriſtus in ætate duodecim annorum voluit arcana ſapientiæ ſuæ demonſtrare? Et reſpondetur breuiter ideò, quia iſte numerus tam in veteri, quam in noua lege multis eſt myſterijs conſecratus. Nam in veteri teſtamento duodecim erant Patriarchæ magni, filij Iacob, qui totum cultum diuinum per mundum dilatauerunt: & in nouo teſtamento duodecim Apoſtoli qui prædicatione ſua fidem Chriſti per orbem terrarum diffuderunt. Item in veteri teſtamento duodecim fontes in Helym erãt: & in nouo duodecim cophini ex ſaturatione turbarum per Chriſtum apoſtolico miniſterio collecti. In veteri teſtamento 12. erant boues & 12. leones ex præcepto domini per Salomonem in templo facti: & in nouo teſtamento 12. iudices per Chriſtum in duodecim ſedibus electi, & multa ſimilia. Quia ergo iſte numerus eſt perfectus, conſtitutus videlicet ex duobus ſenarijs, qui eſt numerus perfectus, ideò Chriſto dedicatur ad ſignificandum in nobis duodenariam perfectionem, ſcilicet decem præceptorum & duplicis charitatis Dei & proximi. Ad ſecundum dubium de plenitudine gratiæ tria ſunt conſideranda ſcilicet an Chriſtus habuerit plenitudinẽ gratiæ: an illa gratia fuerit infinita: an illa gratia potuerit augmentari. Dico ergò primi ſecundum Thomam quod plenitudo gratiæ eſt triplex, ſcilicet ſufficientiæ, vt in ſanctis omnibus, in quibus eſt gratia ſufficiens ad omnes virtutes, & expulſionem omni-

Dubia tria. 1. *Duodenarius numerus myſticus.* *Matt. 24.* *Matt. 18.* *2. Dubiũ.* *Tho. ſup. 3. Sent. diſt. 13.*

omnium peccatorum. Secunda eſt plenitudo copiæ, ſicut in tota eccleſia, quia nulla gratia ei deeſt, quæ non ſit in aliquo eius membro. Tertia eſt plenitudo ſingularis prærogatiuæ, quæ fuit in beata virgine, per quam & peccatum, & potentia peccandi etiam venialiter tollitur. Sed præter has plenitudines eſt plenitudo gratiæ Chriſti propter gratiam vnionis, qua ſummè Deo vnitur, quia in vnitate perſonæ & propter gratiam capitis non ſolum habuit gratiam ſufficientis, imò in omnes effudit eam abũdè, ita vt etiam faceret aliquos per miniſterium ad gratiam inducentes; per quem modum caput influit corpori, & facit, quod aliqua membra etiam alijs membris aliquo modo influant. Eſt etiam plenitudo gratiæ ſingularis, in quantum habuit gratiam, quę ipſum perficiebat, quantum ad omnes virtutes, & omnes virtutum vſus, & quantum ad omnem effectum gratiæ. Ad ſecundum autem dicendum, quod gratia Dei fuit infinita, quantum ad eſſentiam ſicut quælibet alia creatura. Sed tamen tribus modis potuit dici infinita. Primò, ex coniunctione ad diuinitatem, in quantum vnus Chriſti actus eſt, & a diuinitate & ab anima gratia informata. Secundò, quo ad ipſam rationem gratiæ, quia omnis ratio gratiæ, quantum ad omnem eius effectum fuit in Chriſto, nec fuit eius gratia finita vel limitata ad aliquẽ effectum determinatum gratiæ, ſed omnem gradum gratiæ habuit. Tertiò quantum ad effectum, quia per gratiam quam habuit Chriſtus, potuit in infinitos operari redemptionem. Et per hoc patet ad tertium ſolutio quod ex quo gratia Chriſti à principio fuit fini vltimo vnita, quaſi ſuo termino, cũ quando res in ſuo termino eſt, tunc poſſibilitas tota & capacitas ſit impleta, illius gratia augmentari non potuit. Quod ergò hic dicitur *proficiebat gratia*, intelligendum eſt non in re, ſed ſecundũ manifeſtationem in alijs, vt dicit gloſſa, Gorra. & Lira.

Gratia tribus modis eſt infinita.

3. Dubit.

Ad tertium dubium de plenitudine ſcientiæ Chriſti tria dico ſecundum D. Thomam. Primo quod in Chriſto fuit ſcientia creata; Ratio quia talis ſcientia pertinet ad perfectionem naturæ humanæ. Secundò dico, quod Chriſtus per ſapientiam ſuam cognouit omnia, quæ ſunt, vel aliquando fuerunt, vel aliquando erunt, quia alias non fuiſſet in anima omniquaque perfectus. Veruntamen dicit D. Thomas, ꝙ eorũ quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, quę tamen Deus poteſt facere, ſciẽtia Chriſto non ineſt, quia anima Chriſti omnipotentiam Dei non comprehendit. Tertiò dico, ꝙ Chriſtus profecit aliquo modo in ſcientia, & aliquo modo nõ: proficere enim in ſcientia conuenit dupliciter, vel ſecundum eſſentiam, vel ſecundum experientiam: primò modo non creuit, quia ab inſtanti conceptionis anima Chriſti perfectiſſima fuit in ſapientia: ſed ſecundò modo creuit & profecit inquantum ea, quæ certiſſima nouit, & ſciebat, experimentaliter didicit. Et talis ſcientia alicui acquiritur, quãdo rem videt præſentem ſenſibiliter, quantumcunque perfectam demonſtrationem de ea prius viderit.

Tho. ſup. 3. Sent. diſt. 14.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIAE SERMO II.

Poſt triduum inuenerunt eum in templo. Luc. 2.

Aug. ſer. 19. in Ioã.

GLorioſum vas & organum Spiritus ſancti S. Auguſtinus, oſtẽdens magnitudinem, & ſufficientiam diuinæ bonitatis cũctis hominibus impẽſam, ſic ait: Deus totum tibi eſt: ſi eſuris, panis eſt: ſi ſitis aqua tibi eſt: ſi in tenebris es, lumen eſt: ſi nudus es in moralitate, veſtis tibi eſt; q. d. Deus omnem ſufficientiam noſtram habet in ſe, ſicut ait Apoſtolus. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* Meritò itaq; quærẽdus eſt nobis,

2. Cor. 3.

eò quod omnia bona nobis paritercum illo *Prou. 8.* ueniunt. Et ſapientia Dei, quæ filius eius eſt, dicit: *Qui me inuenerit, inueniet vitã & hauriet ſalutem à Domino.* Veruntamen quia multi & diuerſi diuerſimodè hanc ſapientiã quærunt, nec tamen inueniunt propter defectũ loci & temporis, ideò Chriſtus veniẽs in mundũ, volens in ſe præfigurare modum ſuæ inuentionis ſpiritualis, non niſi poſt triduum a parẽtibus ſe permiſit in templo in- *Propoſit.* ueniri, ſicut dicit noſtrum thema. In quibus verbis tria circa acquiſitionem gratiæ diuinæ tanguntur. Primo namq; deſcribitur inueniẽdi tempus, quia *poſt triduum.* Secũdò, inuentionis actus, quia *inuenerunt.* Tertiò, aptus locus, quia *in templo.*

J.

Poſt triduum. Iſtud triduum figuratur per illud Exodi, de quo dicitur: filij iſrael volẽ *Orig ho. 3. ſup. Exod.* tes exire Aegyptum dicebant Pharaoni: *Viam trium dierum itineris ibimus ad ſacrificandum Domino Deo noſtro.* Spiritualiter ſecundum Orig. nõ vult Moyſes vt ſeruiat populus in Aegypto Domino, ſed vt exeat ex Aegypto in deſertũ, & ibi ſeruiat Domino, hoc ſine dubio ideò euenit, quia donec quis in *Seruienti Deo quid agendum.* tenebroſis ſæculi actibus manet, & in negotiorum obſcuritate verſatur, non poteſt ſeruire Domino: non enim poteſt ſeruire Deo & mammonæ. Exeundum eſt ergo de Aegypto, relinquendus eſt mundus; relinquendus dico, non loco, ſed animo, non itinere proficiendo, ſed fide proficiendo. Audi hæc eadem Joannem dicentem: *Filioli nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo ſunt. Quoniam omne, quod in mundo eſt, aut eſt deſiderium carnis aut deſiderium oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Quomodo autẽ iubet proficiſci ex Aegypto, ſequitur: *Viam* inquit, *trium dierum ibimus in eremũ.* Quæ eſt via trium dierum, quæ nobis incedenda eſt, vt exeuntes de Aegypto peruenire poſſimus ad locũ, in quo immolare debeamus? *Ex Aegypto proficiſcẽdum.* Ego viam illum intelligo, qui dixit: *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Hæc via tribus diebus nobis incedenda eſt. Qui enim confeſſus fuerit in ore ſuo dominum Ieſum Chriſtum, & crediderit in corde ſuo, quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis tertia die, ſaluus erit. Hæc ergò eſt tridui via, per quam peruenitur ad locum, in quo Domino immoletur, & reddatur ſacrificium laudis. Hoc quantum ad myſticum intellectum. Si verò etiam moralem, qui nobis perutilis eſt, requiramus *Quomodo.* locum; iter tridui de Aegypto proficiſcimur, ſi ita nos ab omni inquinamento corporis, & animæ & ſpiritus conſeruemus, vt quemadmodum dixit Apoſtolus, integer Spiritus & anima & corpus noſtrum ſeruetur in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tridui iter proficiſcimur de Aegypto, ſi rationalem, naturalem, moralem ſapientiã, à rebus mundanis auferentes, ad ſtatuta diuina cõuertimus. Tridui iter proficiſcimur de Aegypto, ſi purificantes in nobis dicta, facta vel cogitata, ſpiritualia opera in nobis compleamus. Tria enim ſunt hęc per quæ homines peccare poſſunt. Efficiamur mundi corde, vt poſſimus Deum videre. Hæc Origen. Poſſumus autem & alio ſenſu iſtud triduũ intelligere, vt prima dies ſit pudor pro cõmiſſis, ſecunda, dolor pro bonis amiſſis, *Triduum quid ſignificet.* tertia dies, amor deſiderij pro bonis promiſſis. Prima dies pro malis commiſſis, inducit nos vt cogitemus quid faciemus, quia patrem miſericordem offẽdimus, quia tam fœda, tam peſſima perpetrauimus. Iſta dies in nobis plena eſt verecundia, iuxta illud: *Tota die verecundia mea contra me eſt.* Secunda dies pro bonis amiſſis inducit nos, vt cogitemus, quid amiſerimus. Et certè inuenimus, quia paradiſum, in quo creati ſumus, cœlum, ad quod creati ſumus, & etiam angelorum ſocietatem & perpetuam amœnitatem perdidimus. Hæc eſt illa dies plena amaritudinis, *Ponam nouiſſima eius quaſi diem amaram.* *Amos 8.* Tertia dies eſt dies amoris deſiderij pro bonis promiſſis. Hæc eſt dies illa, in qua Heſter parauerat ſe, & ingrediebatur ad Aſſuerum. Vnde dicitur; *die tertia induta eſt Heſter.* Iſta dies eſt ſerena, & iucunda, quia homines ponit in bona ſpe. Dicitur enim ei tali die, *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* *Tridui alia interpretatio.* Triduum etiam iſtud poteſt dici triplex modus conuerſionis ad Deum, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio: nam non niſi poſt iſta reſtauratur gratia perdita in homine. Contritionis dies ſi erit perfectus, debet eſſe ſeptiformis. Moroſa, & intenta, non perfunctoria: ſolitaria, non publica: integra, non diminuta: ordinata, non confuſa:

Perfectio contritionis. propria, non aliena: gemebunda, non delicioſa: iuſta, non ſimulata. Hæc ſeptem tanguntur in illo verbo Ezechiæ dicentis: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* *Iſaia 38.* Secunda dies eſt confeſſio, quæ etiam debet eſſe ſeptiformis, feſtina, non tarda; *Confeſſionis.* humilis & verecunda; aperta, non palliata; vera, non ficta; integra, non diuiſa; flebilis, non ridiculoſa, ſed lachrymoſa; obediens, & prompta. De hac dicitur in Pſalmo. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati, &c.* Quaſi dixiſſet; propoſui ad te appropinquare, & tu ad me appropinquaſti. Tertia dies eſt ſatisfactio, quæ ipſa debet eſſe ſeptiformis, *Satisfactionis.* ſecundum quod ſeptem requiruntur ad hoc, vt perfecta munditia peccati habeatur. Primò enim requiritur ad perfectam ſatisfactionem abſtinentia à peccato; ſicut primo medicus imponit infirmo abſtinere à cibo. *Vade & amplius noli peccare.* Secundò requiritur reſtitutio alienæ rei, *Ioan 8.* quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Tertiò requiritur humilitas; ſic dicebat Iob: *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Quartò requiritur memoria mortis. *Eccl. 7.* *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Quintò requiritur ieiunium. *Ioel 2.* *Conuertimini ad me in ieiunio & fletu* Sextò requiritur eleemoſina. *Luca 11.* *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Septimò requiritur oratio debita & deuota: vnde hoc genus peccati non eijcitur, niſi in ieiunio & oratione. Ieiunium curat peſtes corporis; oratio peſtes mẽtis. Et poteſt eſſe ſpirituale triduum ex his tribus, ſcilicet oratione, eleemoſyna, & ieiunio. Oratio facit nos appropinquare Deo in anima; ieiunium in corpore; Eleemoſyna in bonis temporalibus. Bona dies oratio, *Fructus orationis.* in qua homo tantum aſcendit, vt perueniat vna hora ad Deum: oratio enim ſecundum Auguſtinum eſt aſcenſus mentis in Deum. Vnde apud Eccleſ. dicitur: *Oratio humiliantis ſe penetrat cœlum.* Felix dies, quo ita iter noſtrum proſperatur, vt quo nõ poſſemus per mille annos peruenire, in momẽto, in ictu oculi perueniamus. Bona etiam dies dicitur eleemoſyna, *Eleemoſyna.* quæ vna hora portat omnia bona noſtra in cœlum, quæ eò totus mundus portare non poſſet, nec transferre. Eccleſ. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus ante ipſum præcedet.* Sed & ieiunium bona dies eſt quæ corpus noſtrũ ita aptum reddit, *Ieiunij.* vt vna hora plus mereatur ieiunijs, quam guloſus mille. Vnde Niniuitæ in triduo ieiunij obtinuerunt veniam delictorum. Laboremus igitur, vt poſt hoc triduum Chriſtum inuenire ſpiritualiter valeamus. *Ionæ 2.*

II.

Inuenerunt eum. O quam dulce verbũ: verè nihil puto dulcius reſonare in aures quam cum dicitur: *Inuenerunt eum*: quem cum? vtique Deum & hominem, dominũ, totius conſolationis patrem. Inuentio iſtius igitur Domini, multum eſt fructuoſa. Pro quo ſciendum, quod quidam inueniunt aliquid, cuius inuentio eſt vana, vt theſaurum temporalem, quidam aliquid, cuius inuentio eſt mala, vt peccatum, & eius turpitudinem, quidam aliquid, cuius inuentio eſt nobiliſſima, & fructuoſiſſima, vt Chriſtum & ſimul gratiam eius. De primo quomodo quidam inueniunt aliquid cuius inuentio eſt vana, *Mũdanæ res ſunt vanæ.* vt theſaurum temporalem; res enim temporales ſunt vanæ in comparatione ad æternas. Nonne primò vanum eſt, quod teneri non poteſt, ſed totus mundus non poteſt impedire quin diuitiæ temporales defluant, imò ſunt ſicut anguilla, quæ quanto plus ſtringitur per caudam, tanto facilius elabitur. Secundò vanæ ſunt etiam diuitiæ quia mentem hominis replere non poſſunt: quia ſcriptum eſt: *Auarus non implebitur pecunia.* Creſcit enim ignis pariter creſcentibus lignis. Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit, & creſcit ſine fine, quia creſcit in infinitum. Tertiò vanæ ſunt res temporales, quia sũt ſimiles dormienti, qui ſe credit habere multa, ſed euigilans nihil inuenit, Iob. *Diues cũ dormierit, nihil ſecum affert. Aperit oculos ſuos & nihil inuenit.* & Pſa. *Dormierũt ſomnũ ſuũ, & nihil inuenerunt, omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Videamus quid inuenit diues ille purpuratus ex diuitijs, qui nec guttã aquæ potuit ab Abrahã obtinere. Quid ille, qui dixit: *Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos, epulare,* *Luc. 16.* ſed audiuit

diuit ſtatim: *Stulte hac nocte morieris*, dœ-
Lucæ 12. mones *repetunt animam tuã à te, & hæc quæ congregaſti cuius erunt*: Sed dices. Mirum eſt te ô domine damnare diuitias, quæ tamen ſunt vtiles ad acquirendum regnum cœlorum, iuxta hoc: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ad quod dicendum, quod diuitiæ ſimpliciter non damnãtur, ſed abuſus earum. Vnde Auguſt. dicit: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Jlle, qui non habet, non ambiat vt habeat, qui habet, non ſuperbiat. Et ideò non dicit nolite habere, ſed cor apponere. Non enim damnat diuitias, vnde mereamur cœlum, ſed cor appoſitum. Hæc Auguſt. Et hoc ait Ambroſius. Quod diuites crimen habent, non in facultatibus, ſed quia his vti neſciunt. Nam diuitiæ vt impedimenta ſunt reprobis; ita bonis ſunt adiumenta virtutis.

Diuitiis quomodo vtẽdum.
Aug. ſup. pſal. 61.
Amb. l. 8. ſup. Lucã.

De ſecundo quomodo quidam inueniũt aliquid, cuius inuentio eſt mala, non tamẽ vana; & talis res eſt peccatũ cõtra Deum & proximũ perpetratũ, cuius malicia ex trib⁹ apparet. Primò quia eſt deformitas, quam deteſtatur Deus: ſecundò quia eſt iniquitas, quam amplexatur diabolus: tertiò quia eſt infirmitas qua diſſipatur totus mundus. De primo quoniam Deus odit eius deformitatem, dicitur Geneſ. 6. Deus videns malitiam hominum ſuper terram, induxit diluuium ad delendum peccatum. Non eſt ita vehementis iræ quis, vt deſtruat domum ſuam, quamuis eam viderit denigratam, & tamen Deus deſtruxit mundum, quod erat opus eius propter peccatũ. Nõ eſt qui deteſtetur vas aureum propter vnam maculam in eo factam quin maculam abſtergit & vas reſeruat. Et tamen Deus animam, quæ eſt pulchrior auro, & quouis lapide præcioſo, cum ſit ad imaginem illius, deſtruxit propter vnum peccatum. *Odio eſt domino impius, & impietas eius.* Super omnia Deus odit peccatum, quia vnigenitum ſuum crucifigi permiſit propter illud. *Propter ſcelus populi mei percuſſi illum.* Secundò peccatum eſt malum, quia placet diabolo, cuius ſignum eſt triplex. Primò quia ipſe non vult aurum nec argentum, ſed tantum animas peccatrices, quibus ditatur & paſcitur. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Vnde ipſe eſt ſicut auis rapax, quæ diligit cor prædę; ſic ipſe cor hominis peccatoris. Hinc legitur quod diabolus interrogatus a quodam, quid plus diligeret; reſpondit tria, ſcilicet primam lunam, rotam ſolis, & canis iram, hoc eſt cor, quod componitur è tribus litteris, habentibus illas figuras. Secundum ſignum, quod diabolus amat peccatum eſt, quia in procurando peccatum nunquam fatigatur. Iam enim ſunt ſex milia annorum & quadringenta triginta quinque anni, quo nihil aliud fecit, niſi quod procurat peccatũ. Vndè interrogatus à Domino vbi fuiſſet, reſpondit: *circuiui terram & perambulaui eam.* Vndè idem dicit: *qui me comedunt, non dormiunt*, quaſi dicat: *non bibunt nec comedunt.* Tertium ſignum eſt, quia diabolus amat peccatum, & nunquam peccato ſaturatur. Iam enim deuorauit multa millia hominum, & tamen adhuc eſt famelicus quærens quem deuoret. Tertiò peccatum eſt malum, quia corrumpit totum mundum: eſt enim ſicut infirmitas, qua mundus diſſipatur, & præcipuè ſicut febris tertiana. *Quia quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Et hinc dicit Ioannes, quod totus mundus in maligno poſitus eſt. Eſt etiam ſicut febris quartana propter quadruplicem gradum, ſcilicet cordis, oris, operis, & conſuetudinis: eſt enim peccatum, ſicut febris quotidiana & continua; quæ eſt valdè periculoſa, & hoc propter peccatum ſuperbiæ, quæ eſt in omni peccato. Eſt & peccatum ſicut podagra in pedibus, propter peccatum acediæ, paralyſis propter peccatum iræ, hydropiſis propter peccatum auaritiæ, dolorum viſcerum propter peccatum inuidiæ, ſquinancia propter peccatum gulæ, lepra propter peccatum luxuriæ. Hinc dicitur Iſa. 1. *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Ecce quomodo peccatũ corrumpit totum mundum. De tertio ſcilicet, quomodo aliqui aliquid inueniant, cuius inuẽtio eſt fructuoſiſſima, non eſt .n. tãtum bona, ſed valde bona, & hæc eſt inuẽtio Chriſti & gratiæ eius. Pro quo ſciendum ꝙ cũ aliquid inuenit, ſtatim inquirit quid ſit illud

Peccati grauitas, & vt Deus illud deteſtetur.
Sap. 14.
Iſaiæ 53.
Gen. 14.
Dæmon cor hominis deſiderat.
Iob 1.
1. Pet. 5.
Peccatum febri comparatur.
1. Ioan. 2.

illud quod inuentum eſt; ſi ergo quis inueniens Chriſtum per gratiam vult ſcire quid ſit in effectu, certè videbit maximam vtilitatem & fructum.

In Christo non in mundo omnia inueniũtur.

Multa ſunt quæ deſiderantur in hoc mũdo, quæ tamen nullo modo poſſunt inueniri niſi in Chriſto: nam primò deſiderantur copioſæ diuitiæ: ſecundò in diuitijs multa requies: tertiò in diuitijs & requie longa & ſalubris vita, quæ non inueniuntur hic aliquo modo, ſed in Chriſto plenè habentur. Primò in eo inuenimus theſaurum incomparabilem omnium diuitiarum: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Et ipſemet dicit per Salomonem: *Mecum ſunt diuitiæ & gloria.* Secundò inuenimus in eo requiem imperturbabilem, iuxta illud: *In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem.* Vnde Aug. lib. confeſſionum dicit. Inquietum eſt cor meũ Domine, nec poteſt requieſcere, niſi in te. Et idem dicit. Væ animæ peccatrici, quæ ſperauit, ſi à te receſſerit, ſe aliquid melius habituram, verſa & reuerſa in tergum, & in latera; dura ſunt omnia & tu ſolus requies. Tertiò inuenimus in eo vitam interminabilem: vita enim præſens breuis eſt, & miſera & afflictionibus plena; Chriſtus autem eſt vita longa: *Longitudine dierum replebo eũ,* Et: *Longitudo dierum in dextera eius.* Et quanta longitudo? certè carens fine & termino. Secundò Chriſtus eſt vita non ſolum lõga, ſed omnino felix, beata & conſolationibus plena. Vnde in pſal. *Domine apud te eſt fons vitæ.* Et: *Hæc eſt vita æterna.* Et: *Delectationes in dextera tua vſque in finem &c.*

III.

In templo. Nec mirum, Rex enim aptius inuenitur in aula, quam in taberna; & quilibet in proprio domicilio facilius, quam in alieno. Cum igitur templum ſit aula Chriſti & domicilium eius ſpeciale, eò quod vt ipſe dicit hic, *in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe*, volens ſignificare quod iure hæreditario & ſucceſſione paterna templũ ſit aula eius, meritò ibi inuentus eſt tanquã in propria ſede. Vnde pſalm. *Dominus in tẽplo ſancto ſuo.* Et iterum: *Veniet ad templũ ſanctum ſuum dominator Dominus:* ſuum dicit, vt innuat ad eum iure ſpirituali pertinere. Et quia vt idem ſaluator ait: *Templum non eſt aliud niſi domus orationis*, igitur qui vult Chriſtum inuenire, nullibi aptius eum inueniet quam in oratione, quamquam & alibi inuenitur. Pro quo breuiter ſciendum quod Chriſtus inuenitur in tribus locis, ſcilicet in præſepio afflictionis corporalis; præſepium enim in quo iacuit, durum fuit; ſtramenta vilia & dura, quia fœnum aridũ; ad ſignificandum quod ipſe in afflictione corporali & tribulatione noſtra inueniatur; Vnde ait per pſalmiſtam: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Sic inuenerunt eum paſtores, qui debent ſpiritualiter mortificare corpora & membra ſua ad exemplum alijs oſtendendum, ſicut fecit Apoſtolus, qui de ſe dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, nè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Per hoc etiam ſignificatur quod paſtores & prælati debeant eſſe ſolicιti de ſcripturis ſanctis, quæ ſunt cibus animarum; verbum enim Dei eſt, quod nutrit animas, quod debet inueniri in præſepio ſacræ ſcripturæ. Secundò inuenitur Chriſtus in ſtabulo, à Magis. Magi ſignificant omnes proficientes diuites in bonis operibus, qui etiam debent eſſe ſapientes per diſcretionem. Hi ergò inueniunt eum in ſtabulo humilitatis, quia quantò maior es, humilia te in omnibus. Magna fuit humilitas Magorum, qui tam diuites & ſapientes de longinquo venerunt ad puerum, & cum hoc ad ſtabulum. Et quid fecerunt? certè procidentes adorauerunt, apertiſque theſauris obtulerunt ei aurum: ſic proficientes debent humiliter adorare eum per deuotionem, & offerre per ſanctam operationem, Aurum rerum temporalium, thus ſanctæ orationis, & myrrham mortificationis. Tertiò inuenitur in templo per deuotam orationem, & hoc à parentibus, vt dictum eſt, id eſt, ab his, qui faciunt voluntatem eius. Sicut ipſe dicit: *Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.* Et pertinet iſtud ad perfectos, qui in omnibus intelligunt, quæ ſit voluntas Dei beneplacens, & perfecta. Incipientes quidem intelligunt, quæ ſit voluntas Dei, ſcilicet abſtinere à malo: *Hæc eſt voluntas Dei vt abſtineatis à fornicatione:* proficientes intelligũt, quæ ſit voluntas Dei beneplacens, ſcilicet adhærere bono: *Ecce ſeruus meus intelliget,* ſcili-

Chriſtus in tribus locis inuenitur.

Matth. 4.

Matt. 2.

Magorũ humilitas commẽdatur.

Eccl. 3.

1. Theſ. 4.

Iſaia 52.

ſcilicet voluntatem meam: Sed perfecti intelligunt, quæ ſit voluntas eius beneplacẽs & perfecta, ſcilicet perſeuerare in bono. Eſt iſti Deum inueniũt in perfectiori loco, quia in templo. Quæramus igitur eum & nos, vt inuenire ipſum poſſimus hic per gratiam, & in futuro per gloriam.

DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIAE, SERMO III.

Dolentes quærebamus te. Luc. 2.

Aug. ſup. pſal. 104.

SANCTVS Auguſt. oſtendens neceſſitatem quærendi Deum, tractãs illud pſal. *Quærite faciem eius ſemper*; dicit: ſi ſemper quæritur, Deus quando inuenietur? & reſpondens idem ipſe ait: ſemper dixit ideò, quia in tota vita, qua hic viuitur, & quãprimum nos hoc debere facere cognouimus: quoniam & inuentus quærendus eſt: iam Deum inuenit fides, ſed adhuc eum quærit ſpes: Charitas autem & inuenit eum per fidem, ſed eum quærit habere per ſpem; vbi tunc ſic inuenitur, vt vltra non quæratur. Hæc ille: Vult dicere Auguſtin. quod in tota vita noſtra quærenda eſt gratia diuina, per quam poſſimus inuenire tandem gloriam cœleſtem. Nam licet per fidem inuenimus gratiam, eò quod & magna gratia Dei factum eſt, vt in fide illius ſimus, per ſpem tamen inquirimus rem illius gratiæ, ſcilicet veritatem patriæ cæleſtis apertam, quam hic in ſpeculo & ænigmate tenemus. Verum quia vita præſens non eſt ſolatij nec iucunditatis, ſicut Saluator ait. *nunc quidem triſtitiam habetis*. Ideò Deᵘ vult, vt non qualitercumque, ſed dolentes quæramus eum. Nam vt dicit Bern. ſer. 24. *Si nolumus fruſtra quærere, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perſeuerãter, vt nec quæramus pro illo aliud, nec in illo aliud, ſed nec ab illo ad aliud conuertamur. Facilius eſt enim cælum & terram tranſire, quam vt ſic quærens non inueniat, ſic petens non accipiat, & ſic pulſanti non aperiatur.* Quiſquis ergo quærere vult Deum, nè fruſtra quærat, parentes eius attendat, qui non ridentes, ſed dolentes quærebant eum. In quibus verbis tria tanguntur. Primò quærendi Chriſtum lamentabilis modus, cum dicitur: *Dolentes*: ſecundò diligens inquiſitionis actus; quia *quærebamus*: tertio inquiſitionis Chriſti quæſitus fructus, quia *te*.

Ope diuinæ gratiæ inuenitur cæleſtis gloria.

Ioan. 16.

Chriſtus vt quærendus.

Parentũ ſuorum exemplo.

Propoſit.

I.

Dolentes. Non potuit Euangeliſta melius facere, quam quod ita euidens verbum & ad quærendum Chriſtum aptum à parentibus Chriſti prolatum non omiſit: nam gratia Dei non poteſt quæri ſine difficultate & dolore, & hoc ideò, vt dulcius poſtea ab homine teneatur, & libentius poſſideatur; quod enim difficilius quæritur, dulcius inuenitur. Difficultas aũt iſta exprimitur per hoc verbum, *dolentes*, quod deſignat cordis ardorem. Pro quo ſciẽdum, quod gratia Chriſti quærenda eſt tripliciter, in tempore, vbi oportet, & ſicut oportet. In tempore primò, ſcilicet tempore præſentis vitæ de quo dicitur: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Ideò propheta dicit. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt*. Et iterum Apoſtolus. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Non in tempore quæſierunt quinque virgines fatuæ, quibus dictum eſt; *Neſcio vos*. Vndè Bernardus: Nunc tempus acceptabile ad quærendum, in quo planè, qui quærit, inuenit. Et hæc eſt vna cauſa, quare non inuenitur Chriſtus à quærentibus ſe, quia non quæritur in tempore opportuno. Secunda cauſa eſt, vt quæratur, vbi oportet, *non. n. inuenitur in terra ſuauiter viuentium*, quia gratia Chriſti in hominibus voluptuoſis, & reſolutis potius amittitur, quam inuenitur, & ideò ibi fruſtra quæritur. Vnde Sponſa: *quia quæſiuit eum in lectulo per noctem, non inuenit eũ*; in nocte extra tempus congruum, in lectulo extra locum aptum. Nox ſignificat tenebras culpæ, &

Quare Gratia Dei ſine doloreque quæri non poteſt.

Tripliciter quærẽda.

Matt. 25.

Bern. ſup. Cant. ſer. 75.

Iob. 38.

Noctis ſignificatio.

pæ, & peccatorum, in quibus quãdiu quiſque moratur, non inuenit Chriſtum, quia longè à peccatoribus ſalus. Lectulus ſignificat deliciarum voluptatem: vndè de mala muliere ſcribitur: *Intexui funibus ex AEgypto lectulum meum.* Funes AEgypti ſignificant conſuetudinem delitiarum huius mũdi, quibus lectus voluptuoſorum intexitur, vt ab eo minimè auellatur. Tertia cauſa vt quæratur, ſicut opportet: quod fit, cum diligenter & ardenter, non perfunctoriè aut negligenter, ſed corde ardenti quæritur, & omnino infatigabiliter, vt decet: ſic quæſiuit Pſal. cũ dixit: *In toto corde meo exquiſiui te.* Sed de hoc videbitur in ſequenti mẽbro.

Ob amiſſam gratiam dolendum. Hoc ergo tertium, ſc. cordis ardorem dicit verbum noſtri thematis, *dolentes*. Debet enim homo pro amiſſa gratia, vt eam inueniat, multum dolere, & hoc propter plura:

1. primò propter Dei offenſam, quem contra ſe grauiter prouocauit; nam intollerabilis eſt ira Dei in peccatores, vt dicitur 2. Paral. 36. Sic dolebat qui dicebat: *Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem.* Et quia nullus poteſt nos reconciliare Deo, niſi Chriſtus, qui eſt pax noſtra & mediator Dei & hominum, ideò cum dolore quærendus eſt.

2. Secundò debet dolere peccator propter vilem ſeruitutem diaboli, quam incurrit peccando.

Ioan. 8. *Qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati.* Vndè pſal. *Dolor meus in cõſpectu meo ſemper.* Et quia nullus poteſt hominem liberare de hac ſeruiture, niſi Chriſtus, de quo dicitur. *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis*; ideò eſt quærendus cum dolore tamquam noſter propugnator fortiſſimus: ipſe enim dicit:

Ierem. 29. *Cum quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis & redimam*

2. Paral. 5. *captiuitatem veſtram.* Et: *In tota voluntate quæſierunt Dominum, & inuenerunt, & præſtitit eis Dominus requiem per circuitum.*

3. Tertiò debet dolere propter omnis boni & ſpiritualis meriti amiſſionem, quo diabolus eũ crudeliter ſpoliauit: qui enim in vno peccat, multa bona perdet, vt dicitur in Eccleſiaſte. De hoc dicitur:

Iob. 30. *Omni nocte perforatur os meum doloribus.* Et Dauid: *Ego autem pauper ſum & dolens.* quaſi dicat, depauperatus ſũ, in bonis meritorijs priuatus: ideò ſum dolens. Ad hoc ergo recuperandum debet homo quærere dolẽdo Chriſtum, vt omniũ bonorum reſtauratorem, iuxta illud: *Inquirentes aũt Dominum non minuentur omni bono.* Et: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7.

4. Quartò debet dolere peccator propter naturalium vulnerationem, per quam impotens ad bonum redditur, & quaſi ſterilis & infructuoſus efficitur: diabolus .n. non tãtum ſpoliat gratuitis, ſed etiam vulnerat in naturalibus. Luc. 10. De hoc doluit Dauid qui dixit: *Quoniam defecit in dolore vita mea:* Et ſubdit: *Quoniam infirmata eſt in paupertate virtus mea.* Ecce vtrumque: paupertas propter ſpoliationẽ gratuitorũ, & defectio virtutis propter vulnerationẽ naturaliũ. Debet ergò peccator quærere Chriſtũ ad medendũ huiuſmodi vulnerationẽ, qui infundat oleũ & vinũ vulneribus. Luc. 10.

5. Quintò debet homo dolere propter miſeriã & calamitatẽ, quã patitur, ſicut Iob doluit. Iob. 6. *Vtinam appenderẽtur peccata mea quibus irã merui; & calamitas, q̃ patior in ſtatera; quaſi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore ſunt plena.* Pro iſta miſeria repellẽda debet peccator quærere Chriſtũ tãquã conſolatorem; de quo dicitur in pſal. *Adiutor in oportunitatibus, in tribulatione.* Et ſequitur: *non dereliquiſti quærentes te Domine.*

6. Sextò debet peccator dolere timore gehẽnalis pœnæ, quã propter peccatũ meruit; Rom. 6. *Stipendia peccati mors:* huius .n. cauſa dolebat Dauid qui dicebat, *Dolores mortis circũdederũt me,* id eſt, obligatio ad mortẽ. Et Iob. 10. *Dimitte me, vt plangã dolorem meũ.* Cum eiuſmodi dolore debet quærere peccator Chriſtum, vt liberatorem & redemptorẽ, qui ſolus poteſt nos eruere de manu inferni.

7. Septimò debet dolere peccator de honore, & hæreditatis æternæ amiſſione, à qua ſe peccãdo excluſit, iuxta illud Iſa. *Tollatur impius, nè videat gloriam Dei.* De hoc dolebunt damnati grauiter, dicentes: *Tranſiuit meſſis, finita eſt æſtas,* id eſt, tempus aptum ad benè operandum, *& nos ſaluati non ſumus.* Ierem. 8. Cum iſto dolore debet homo quærere Chriſtum, vt hæreditatis reſtauratorem: iuxta illud: *Quærite me & viuetis,* ſupple æterna vita. Et pſalm. *Quærite Dominum & viuet anima veſtra.* Amos 5.

II.

Quærebamus. Deſcribitur hic actus diligentis inquiſitionis, qui vt ſit benè ordinatus,

dinatus, plura requiruntur, quæ Salomon *Sap.1.* exprimit dicens. *In ſimplicitate* inquit *cordis quærite illum.* Primò ergo requiritur rectitudo ſanctæ conuerſationis; ideo dicit: *In ſimplicitate*: ſecundò gratitudo piæ deuotionis; ideo addit, *cordis*: tertiò ſolicitudo diſcretæ inquiſitionis; ideò ſubdit, *quærite*. Primò ergo requiritur ad debitam inquiſitionem rectitudo ſanctæ conuerſationis, vt quæratur in ſimplicitate, quæ vtique debet eſſe cū prudentia, ſicut dicitur Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ.* vnde Gen. 25. dicitur de Iacob, quod vir ſimplex habitabat in tabernaculis, & tamen quantæ prudentiæ fuerit erga fratrem ſuum Eſau in emendo primogenita, erga patrem in ſuſcipiendo benedictionem, erga auunculum in cuſtodiendis gregibus, ergo vxores, eas patienter regendo, & in multis alijs, nemo non videt. Debet erga iſta eſſe ſimplicitas columbina, non aſinina. *Rom.16.* *Volo vos ſapientes eſſe in bono, ſimplices autem in malo.* Maximè autem debet eſſe iſta ſimplicitas ſine plica vanæ intentionis, ſine ruga falſæ operationis, ſine tegumento palliatæ fictionis. Primam ſimplicitatem non habent qui faciunt opera de genere bonorum intentione humanæ laudis, vel lucri temporalis, & non propter laudem Dei; cō- *Matt.6.* tra quos dicitur: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quod ex- *Aug. l. de ſerm. Do. in mon. ſecunda.* ponens Auguſt. dicit: Oculus dicitur intentio, quia quilibet in opere ſuo finem intuetur: Per corpus vero congeries operum intelligitur: tunc autem oculus eſt ſimplex, quando intentio ſolummodo in Deum dirigitur, quod cum fit, tota congeries operū luce iuſtitiæ coram Deo reſplendet. Vnde *Greg. ſup. Ezech. hom.7.* Greg. ſuper Ezech. Si noſtra intentio apud Deum fuerit ſimplex, eius iudicio noſtra actio tenebroſa non erit. Secundam ſimplicitatem non habent hæretici, qui veris ſententijs fidei Chriſtianæ errores falſarum *Eccl.2.* opinionum ingerunt: de his dicitur: *Væ duplici corde, labijs ſceleratis, & manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti duas vias.* Nonnè duplex cor, vbi veritatem ſic palliant, vt eam dum videntur oſtendere ad ædificationem, laborent ad ſubuerſionem? Et iſtæ ſunt duæ viæ. Matt. 7. *Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouiū, intrinſecus autē ſunt lupi rapaces.* Tertiam ſimplicitatem non habent proditores & doloſi, qui prætendunt vnum in ore & aliud in corde; de quibus in pſal. *Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt.* De talibus dicit Iacobus: *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis.*

Secundò requiritur ad debitam inquiſitionem gratitudo piæ deuotionis; vbi ſciendum, quod Deus exigit cor humanum ſibi dari tripliciter, liberaliter, integraliter, & perpetualiter: *Cor hominis Deus exigit tripliciter.* Primò vult Deus vt demus ſibi cor noſtrum liberè, hoc eſt, liberaliter; & dico demus, non mutuemus, non vendamus, ſed donemus. Illi Deo mutuant cor, qui ei ſeruiunt pro temporali proſperitate conſequenda, quæ ſi eis ſubtrahitur, ſubtrahunt & illi cor a Deo; illi autem vendunt, qui eum diligunt pro mercede: qui tantū de Deo cogitant, quantum iam de beneficijs ab ipſo ſe percepiſſe cognoſcunt. Primi mutuant ſub ſpe commodi futuri, hi vendunt pro mercede iam accepti beneficij; de quibus dicitur. *Populus hic me labijs honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Illi autem cor ſuum Deo dant, qui meram Dei bonitatem & beneficia ſpiritualia recogitantes, nec non amore cæleſtis patriȩ cor ſuum cuſtodiendum & regendum in manibus Dei ponunt. Et iſtum modum exigit ſibi Deus, ſi bene conſideretur, Prouer. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*, quaſi dicat. *Fili* per creationem, *fili* mi per informationem *fili* mi per redemptionem. Vult ergo Deus vt demus ei cor noſtrum liberaliter, & hoc per donationē, *præbe* cor per dilectionem, *tuum* per compaſſionem, *mihi*, per deuotionem. Vult ſecundò vt demus ei cor noſtrum integraliter: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* *Matt.22.* Eſt enim Deus, ſicut homo zelotipus, qui non permittit vxori ſuæ vt alios diligat: *Noli adorare Deum alienum; Dominus enim zelotes nomen eius; Dominus eſt amulator.* *Exod.34.* Nec mirum certè; ſolus enim nos redemit. Auis generoſa, cum diu volando ſe fatigauerit, & prædam cæperit, cor prædȩ ſuæ requirit; *Chriſtus aui comparatur.* Chriſtus aūt eſt ille generoſus falco, qui pro nobis volauit de cælo in virginis vterum, de virginis vtero ad patibulum, de patibulo ad infernum, de inferno in mundum, de mundo in cælum; ideoque meritò

vo-

vendicat ſibi totum cor noſtrum. Parare ergò debemus ei cor noſtrũ; ſicut aui prædali paratur cor prædæ ſuæ, cui primò extrahitur cor, lauatur & comprimitur, & niger ſanguis exprimitur, & in partes diſſcinditur. Sic ergò & nos moraliter extrahamus cor noſtrum per peccatorum occultorum recordationem. Vnde pſal. *Effundite coram illo corda veſtra.* Lauetur per lachrymarum ſuperinfuſionem. *Laua à malitia cor tuum, vt ſalua ſis.* Comprimatur per contritionem, iuxta illud; *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Et ſanguis, id eſt peccatum exprimatur per confeſſionem. Faciamus ergò vt de corde exeant cogitationes malæ, furta, adulteria; diſſcindatur per pœnoſam ſatisfactionem, atque ita totaliter Deo per deuotionem, ſicut ipſe Deus petit. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, Ecce quo modo quęrendus ſit Deus in toto corde noſtro.

Ierem. 4.

Ioel. 2.

Tertiò vult vt demus ſibi cor noſtrum perpetualiter. Solent homines quando volunt ſimpliciter, & perpetuò aliquid dare cuipiam, vt iſtius ſemper tranquilla poſſeſſione fruatur, eum litteris ſigillis munitis aſſecurare & de dono certiorẽ per hoc reddere: ſic & nos volentes Deum de animabus noſtris in perpetuum ſecurum reddere, faciamus ei chartam, ſeu litteras de corde noſtro, ſcribendo in eo mandata, & præcepta eius. Scribe illam in tabulis cordis tui; & poſtea ſignetur ſigillo humanitatis Chriſti, quod ſculptum fuit multis litteris in paſſione; hoc eſt, applicemus per deuotam contemplationem menti noſtræ illius paſſionis memoriam, & hoc deuotè memorando: *Pone me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum*; atq; ita Deum ponamus in poſſeſſionem, id eſt, in habitationem cordis noſtri per gratiam. *Det vobis Dominus ſecundum diuitias gloriæ ſuæ corroborari per ſpiritũ eius in interiori homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.* Hoc eſt ergo in ſimplicitate cordis quærere Chriſtum, ſicut dictum eſt. Tertiò ad debitam inquiſitionem Chriſti requiritur ſolicitudo diſcretæ inquiſitionis: & quo ad hoc debemus eum inquirere ſapienter cum tribus Magis, de quibus dicitur, quod quæſierunt cum ſtella duce; & nos duce Maria, quæ ſtella maris appellatur. Vnde S. Bernard. dicit: Si inſurgunt venti tentationum, ſi incurris ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, inuoca Mariã; quę re non ſolum ſapienter, ſed etiam diligẽter, exemplo mulieris dragmam amittentis; quæ lucernam accendit; ecce opus diſcretionis; domum euerrit, ecce opus diligitis inueſtigationis; nec ceſſat, donec inueniat, ecce opus perſeuerantis perfectionis; conuocat vicinas ad congratulandum, ecce opus lætitiæ ſpiritualis; nec ſolum quæramus ſapienter, aut diligenter, ſed etiam perſeueranter, iuxta illud: *Petite, & accipietis, pulſate & aperietur vobis.*

Prou. 8.

Cant. 8.

Epheſ 3.

Matth. 2.

Bern. ho. 3. ſup. Miſſus eſt.

Luc. 15.

I I I.

Te. Hic tangitur inquiſitionis Chriſti quæſitus fructus, qui magnus eſt, cum eo adepto nihil vlterius homo deſiderare queat. Iſtud autem non poteſt melius oſtendi, niſi per illius contrarium: ſicut enim dicit Auguſtinus in lib. de ciui. Dei, facilius dicitur de cœleſti beatitudine quid ibi non eſt quam quid ibi eſt; ita facilius comprehendere poſſumus, quid ſine Chriſto incurrimꝰ per abnegationẽ, quã quid aſſequamur per affirmationem: Ideo parentes Chriſti nõ valẽtes ad plenũ deſcribere, quid eſſet Chriſtus quem quærebant, dixerunt ſimpliciter *te*: *Te* inquam primò vt dicit Aug. in ſoliloquijs, qui es vera vita, in quo, & à quo & per quem beata, quæ beata ſunt, omnia. *Te*, à quo auerti eſt cadere, in quem conuerti reſurgere eſt, & in quo manere conſiſtere eſt: *Te*, à quo exire mori eſt, & in quem redire reuiuiſcere eſt: *Te*, quem nemo amittit, niſi deceptus; quem nemo quærit, niſi admonitus; quem nemo inuenit, niſi purgatus. Secundò *te* qui es medicamentum non ſano, regula prauo, lux tenebroſo, habitatio deſerto, inquit Auguſtin. in libr. de ciuitate. Tertiò *te* qui es diues in miſericordia, magnificus in iuſtitia, munificus in gratia, numerator copioſiſſimus, remunerator æquiſſimus, liberator pijſſimus, gratis reſpiciens humiles, iuſtè iudicans innocentes, miſericorditer ſaluans peccatores, ait Bernard. in ſerm. 62. Quartò *te*, quem diligendo omnia in te reperimus, *te* qui licet ſis vnus, quem quærimus, tamen omnia in te continentur. O lucrum mirabile! O compendium ſingulare! cur nos per diuerſa fatigamus? Ad ipſum ergò vnanimiter feſtinemus poſt quem

Fructus inquiſitionis Chriſti.

bona cuncta vltra non quærimus, ſed tenemus. Quintò *te.* qui es ſplendor numquam deficiens, vita indefeſſa non moriens, fons ſemper ſcaturiens, ſeminale vitæ ſeminariũ, ſapientiæ principale principium, initiale bonitatis initium, inquit Alanus de planctu naturæ. Sextò *te,* ſine quo nullum poteſt eſſe verum gaudium, & cum quo eſt verum gaudium, quod qui poſſederit nemo tollet ab eo. Cui comparata omnis iucunditas mœror eſt, omnis ſuauitas dolor; omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne poſtremò quodcumque delectare poſſet, moleſtum. Et breuiter *te* ſeptimò, apud quẽ eſt ſapientia ſine ignorantia, memoria ſine obliuione, intellectus ſine errore, ratio ſine obſcuritate. Ex his patet fructus inquiſitionis Chriſti, qui continet in ſe omnia bona, ita vt nemini eum deſerenti bonum ſit, & cui aduenit omne bonum ipſum inuenienti; in ipſo nãq; eſt omne bonũ honeſtũ, delectabile, & expediens, quod non eſt in aliquo alio ſimul inuenire. Quam multæ ſunt delectationes in creaturis, ſed tamẽ nõ honeſtæ, & ſi honeſtæ non tamen expediunt? Ideò Petrus benè dixit: *Domine ad quem ibimus,* ſcilicet à te. Nos igitur fratres dolẽtes per contritionem, quæramus Chriſtum per bonam operationem, & pœnitentiæ actionem, vt cum eo omnia bona inueniamus; ad quæ nos perducat qui ſine fine viuit & regnat, per omnia ſæcula Deus benedictus.

Ioan. 6.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS EPIPHANIAE SERMO I.

Nuptiæ factæ ſunt in Chana Galilææ. Ioan. 2.

POſtquam ſancta mater Eccleſia fidelibus ſuis de Chriſto propoſuit eius mirabilẽ natiuitatem, vt in feſto natiuitatis; eius infantiam, vt in prima Dominica poſt feſtũ natiuitatis; eius pueritiã, vt in Dominica proximè præcedenti. Nunc hac Dominica proponit eius mirabilem virilitatem in qua fuit 31 annor. tunc enim Chriſtus incæpit facere miracula, quorum primum fuit mutatio aquæ ſimplicis in vinum optimum; quo viſo diſcipuli eius fuerunt in fide confirmati. In huius figura legitur quod Iſaac fodit puteũ & reperit aquam viuam. Chriſtus enim in nuptijs iſtis de puteo ſuę diuinitatis ex aqua mortua terreſtri produxit vinũ, ex cuius ꝓductione diſcipuli eius & plures alij inanima fuerunt per fidem, & gratiam Chriſti viuificati, iuxta illud pſal. *Vinũ lætificat cor hominis.* In huius figura etiam legitur, 4. Reg. 2. vbi Heliſeus miſit ſal in aquas Iericho, & ſanatæ ſunt à ſterilitate. Sic Chriſtus mediante carne humana aquas in vinũ cõuertit, cũ Deus pater ſalem, diuinam ſapiẽtiam, hoc eſt, ſuum filium, in aquas Iericho, id eſt, huius mundi mutabilitatem diſpoſuit incarnandam; Quas aquas peſſimas ita ſanauit, vt nec mortalitas æternę damnationis, nec ſterilitas bonæ operationis in ipſis, *niſi voluerimus, reperiri amplius poſſit.* Sicut autẽ dicitur in naturalibus quod Elephas naturaliter bibit vinum, & per hoc animatur ad prælium: Sic Apoſtoli & alij conuiuæ ex hoc vino fuerunt animati ad quiduis pro Chriſti tolerandũ. Vnde in fine Euangelij dicitur: *Crediderunt in eum diſcipuli eius.* Super quo Euangelio pauca loqui veſtræ charitati intendo. Verum quia hoc ſine gratia noſtri Saluatoris facere nequeo; ipſe eſt enim ille, qui promittit omni petẽti dare aquam viuam doctrinæ ſalutaris, qui & hodie mutauit aquam amaram in vini lætificantis dulcedinem; ad matrem gratiæ ad cuius præces hodie mutata eſt aqua in vinum, recurramus, vt eius interueniente ſuffragio, auxilium gratiæ percipiamus, ſalutantes eam voce amœna dicentes: *Aue Maria gratia plena &c.* In præſenti Euangelio tria deſcribuntur circa huius miraculi patrationem occurrentia. In prima parte deſcribuntur quædam antecedentia miraculum.

Figura Geneſ. 25.

Propoſit.

culum, cum dicitur, *Nuptiæ factæ ſunt*. In ſecunda deſcribuntur quædam comitantia miraculum cum dicitur: *dicit ergò eis Ieſus, implete* &c. In tertia ponuntur quædam ſubſequentia ipſum miraculum cum ſubditur: *Vt autem guſtauit &c.*

I.

In prima parte Euangelij deſcribuntur quædam antecedentia miraculum, quę fuerunt celebritas nuptiarum, defectus vini, inſtantia matris Chriſti, & obedientia miniſtrorum, de quibus per ordinem videam⁹. Dicit ergò. *Nuptiæ factæ ſunt*, ſc. in triceſimo primo anno ætatis Chriſti. Nam cū Chriſtus eſſet baptizatus triceſimo anno ætatis, ſtatim poſt baptiſmum iuit in deſertum, in quo tentatus fuit à diabolo. Deinde exiens deſertum venit iterum ad Ioannem, & ibi aliquamdiu morabatur, vt ita Ioannes frequenter daret teſtimonium de ipſo in ſui præſentia, & ab alijs agnoſceretur. Cum ergo Ioannes quadam die perhibuiſſet de Chriſto teſtimonium dicens: *Ecce agnus Dei*: ſtatim duo diſcipuli Ioannis, Andreas & Ioannes Euangeliſta ſecundum quoſdam, vt etiam Liranus dicit, ſecuti ſunt Chriſtum: Andreas autem mox accedens, Petrum fratrem ſuum adduxit eum ad Chriſtum, quem Chriſtus tunc Cepham nominauit, id eſt, capitaneum, & idem ſonat hoc nomen Petrus, quod fundamentum ſecundam Liran. In craſtinum aūt, cum vellet Ieſus ire in Galilæam, in reditu illo vocauit denuo Philippum, qui ſtatim inueniens Nathanaelem fratrem ſuum, adduxit eum ad Ieſum, & ſic Chriſtus habuit quinq; diſcipulos. Poſt vocationem igitur diſcipulorum, tertia die factæ ſunt nuptiæ iſtæ, de quibus hic dicitur, reuoluto nimirum integro anno à baptiſmo Chriſti. Vnde vocatio diſcipulorum facta eſt in fine primi anni. Dicit ergo: *Factæ ſunt nuptiæ in Chana Galilææ*, id eſt, in quadam villa dicta Chana, quæ ſita eſt in terra Galilææ. Et hoc ponitur ad differentiam alterius villæ quæ dicitur etiam Chana, ſed ſita eſt in alia terra. Iſtæ nuptiæ cuius fuerint non exprimitur, ſed tamen communiter oēs Doctores tenent ꝙ fuerint Ioan. Euangeliſtæ, quem Dominus tunc de nuptijs nubere volentem vocauerit in diſcipulatum ſuum, vt dicit Hieron. in prologo Iohan. Spōſa verò dicitur fuiſſe Maria Magdalena ſecūdū quoſdā, ꝙ non eſt veriſimile ex eo, ꝙ Magdalena fuit diues & nobilis atq; ſecūdū ſeculū ſpectabilis & illuſtris, quæ nō deſpōſaret Ioāni piſcatoris filio ruſticano & pauperi. Cui⁹ quidē paupertas in hoc patet, ꝙ ſufficiētiā vini habere nō potuit pro celebritate nuptiarū. Veri⁹ ergò dicitur ſpōſā iſtarū nuptiarū fuiſſe quādā virginē nomine Anathitā ſecundū Magiſtrū de vita Chriſti. Sequitur. *Et erat mater Ieſu ibi*. Iſta littera multū facit ad hoc, ꝙ nuptiæ fuerunt Ioān. qui fuit nepos B. Mariæ virginis; nā niſi fuiſſet ex propinqua linea conſanguinitatis, non fuiſſet inuitata. Sed cū Maria filia Salome vxor Zebedæi celebratura eſſet filio ſuo Ioāni nuptias, miſit in Nazareth, quarto miliario à Chana, intimās B. V. iſtas nuptias, & ſic ipſe ante alios venit ad præparationē nuptiarū. Vnde ſequitur. *Et erat mater Ieſu ibi*. Non eſt vocatus Ioſeph, quia vt dicit Magiſter in ſcholaſtica hiſtoria, & Libro de vita Chriſti, creditur fuiſſe iā mortuus. *Vocatus eſt autē & Ieſus*, tanquā cōſanguine⁹ nubētis ſponſi, & diſcipuli eius, tāquam familiares Chriſti, nō ꝙ iā fuiſſent veri diſcipuli, quia nōdū perfectè adhæſerāt Chriſto, ſed iā ſequebātur eū gratia cuiuſdā familiaritatis & ſocietatis amicabilis, cupiētes inſtrui de doctrina eius. *Et deficiente vino*. Nō eſt putādū caſu fortuito id eueniſſe, ſed diuina ordinatione vt ſc. iſte defectus eſſet occaſio miraculi. Quē quidē defectū virgo beata intelligens, & ex corde pijſſimo totalē defectum præuenire volēs, nè cōfuſio appareret, inuitauit filiū, quē ſciebat ad hoc potētē, attendens etiā adeſſe iā perfectionem ætatis, in qua Chriſtus facere miracula aptus eſſet, & potentiam diuinitatis ſuæ oſtendere deberet. *Dixit ergo mater eius ad illum: Vinū non habent*. quaſi dicat. Da eis vinum; vel prouideas ſecundum potentiam diuinam, qua de nihilo etiam omnia potes facere vt habeāt ſufficientiā vini. In hoc notatur miſericordia maxima virginis glorioſæ: ad miſericordiam. n. pertinet, vt quis defectum alterius reputet quaſi ſuū; quia miſericors dicitur, quaſi miſerū cor habens. *Quis infirmatur & ego non infirmor*. 2.Cor.11. Sic beata Virgo defectus aliorum ſubleuare volens dicit: *vinum non habent*. Sed quid ei reſponderit Chriſt⁹, audia-

Vini defectus occaſio miraculi.

Nuptiæ cuius fuerint.

audiam? *Quid tibi* inquit *& mihi eſt mulier?* Ex hoc verbo ſumpſit occaſionem ſui erroris Manichæus, dicens Chriſtum habuiſſe corpus phantaſticum, & nihil ſumpſiſſe de virgine, pro eo quod hic dicitur: *Quid tibi & mihi eſt mulier*, quaſi dicat, nihil a te habeo. Et eſt modus loquendi apud nos, quo vtimur repræhendentes aliquos nobis extraneos & impertinentes. Quid tibi mecũ negotij? Similiter ex hoc verbo Valentius hæreticus dixit Chriſtum non aſſumpſiſſe carnem ex virgine, ſed attuliſſe corpus cœleſte. Ebion autem hæreticus dixit, Chriſtũ natum ex ſemine viri, pro eo hic dicitur mulier; vnde iſte nequam dixit, quod quamuis virgo concepit, virgo peperit, tamen poſt partum virgo non permanſit. Huic ſe ſocium adiunxit alius quidam nomine Heluidius, quia ſecundum eos mulier videtur importare corruptionem; ſed contra iſtos dicit Aug. Si credis hoc Euangeliſtæ dicenti. *Quid tibi & mihi eſt mulier*, crede & eidẽ qui dicit. *Stabat iuxta crucẽ mater Ieſu Maria.* Vnde Apoſtolus clamat: *Miſit Deus filiũ ſuum natum ex muliere. factum ſub lege*: Et mulier ibi nõ dicit corruptionem, ſed ſexũ, ſecundum Auguſtinum iuxta illud, quod dictum eſt de Eua; *Mulier quam dediſti mihi ſociam*: Conſtat autem quod Eua tunc fuit virgo, nondum ab Adam cognita. Eſt ergo alter ſenſus Catholicus ſecundum Aug. hic. *Quid tibi & mihi eſt mulier* In Chriſto ſiquidem fuerunt duæ naturæ: diuina, ſecundum quam competebat ei agere, & facere miracula; & humana, ſecundum quam competebat ei pati. Vnde. *Quid tibi & mihi eſt mulier*, id eſt, illud, quod facio miracula, non recepi à te, & ideò imperium tuum non debeo facere, quando tu vis, quia diuinitas mea non obedit tibi, ſed illud tantum in quo debeo pati, id eſt, humanitas, illã quidem recepi a te, ſed huius paſſionis nondũ venit hora. Sed Chryſoſt. dicit ad litteram, quod virgo beata voluit præuenire totalem defectum vini, vt Chriſtus ſuppleret, antequã totaliter deficeret: ſed ſi iſta feciſſet Chriſtus, nõ fuiſſet notũ exiſtentibus, & cõuiuantibus ibidem; ideò diſtulit vſque ad horam totalis defectus: Et ideò dicit, *nõdum venit hora.* q. d. Ego ſolus noui melius tẽpus opportunũ ad faciendũ miraculũ, cũ mihi ſoli hoc cõpetat ex deitate, in qua tu mecũ non cõmunicas, & ideò ait: quid mihi & tibi, ſupple, eſt commune in deitate. q. d. nihil. *Nondum venit hora mea*, nondũ conuiuæ cognoſcunt vini defectum, & ſic miraculum non eſſet eis gratum. Poſtquã ergò cognouerint, faciam vt ſit eis maius beneficium. *Omni negotio tempus eſt.* Hinc Priſcillianiſtæ ſumpſerunt erroris ſui occaſionem dicentes, animam hominis eſſe ſubditam fato ſeu conſtellationi cæleſti, ita vt homo non poſſit aliquid facere niſi ſecundum influxum cœleſtium corporum, quod eſt falſum; quia cum intellectus rationalis ſit immaterialis, non poteſt ſubijci actioni corporali, propter quod influxus ſiderum non pertingit directè ad ipſum, ideò Ptolomeus in centiloquio dicit: Sapiens dominabitur aſtris, ſcilicet quia non ſequitur appetitum ſenſitiuum, in quem influxum habet aſtra, ſed ſequitur dictamen rationis. adhęc, cum rationalis ſit potentia libera, poteſt quando vult, & quid vult, operari; alias homo excuſaretur a peccato, ſicut & bruta, quæ determinata ſunt ad vnam partem, & agunt ex neceſſitate, non voluntate electiua liberi arbitrij: & ideò nec habent meritum nec demeritum. Multò ergò minus in Chriſto hoc debuit eſſe, cui ſubiecta erant omnia cœleſtia. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Sed quamuis mater Chriſti fuit repulſa, tamen de miſericordia filij non diffidit dicens miniſtris: *Omnia quæcumque dixerit vobis*, ſcilicet filius meus, *facite.* Optima doctrina glorioſæ virginis, per quam docet perfectionem iuſtitiæ. Perfecta namque iuſtitia eſt in omnibus obedire. *Omnia quæcumq; præceperit nobis Dominus faciemus*: quod non conuenit niſi ſoli Deo. Homo enim poteſt aliquando errare, non Deus; vnde in talibus quę ſunt contra Deum, hominibus obedire non tenemur. *Oportet magis obedire Deo, quam hominibus.*

Origo erroris Manichæi.

Hæreticorum de Chriſto impoſtura.

Galat. 4.

Geneſ. 3.

Eccl. 8.

Origo erroris Priſcillianiſtæ

Matt. vlt.

Deo obedire perfecta iuſtitia.

Exod. 24.

Act. 5.

Deinde deſcribuntur vaſa, in quibus miraculum patratum eſt: vnde ſequitur. *Erant autem ibi hydriæ lapideæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum.* Dicit Lira, quod ex traditione ſeniorum Iudæi ſæpius lauabant & purgabant vaſa, vt dicitur Matth. 23. Ad

iſtum

iſtum vſum poſita erant iſta ſex vaſa ſeu hydriæ, ab hydor, quod eſt aqua, quaſi vaſa aquatica, ex quibus Iudæi ſæpius lauabantur, quando aliquis de cõuiuis immundum vel morticinium tangebat, vt dicitur Leuit. 10. & Marci 7. *Capientes ſingulæ metretas*, id eſt, menſuras binas vel ternas. Metreta ſecundum Iſidorum 16. ethymo. eſt menſura continens decem ſextarios: ſextarius autem continet duas libras. Hinc eliciuntur tres moralitates.

Metreta quid.

Moralia tria.

1. Prima eſt quod iſtæ nuptiæ ſignificant nuptias inter Chriſtum & eccleſiam; de quibus Matth. 22. *Fecit nuptias* ſcilicet Deus pater filio ſuo; de quibus etiam dicit Apoſtolus. *Sacramentum hoc magnum eſt, dico autem in Chriſto, & eccleſia.* Hæ nuptiæ celebratæ ſunt in Cana Galilææ. Cana interpretatur zelus, Galilea tranſmigratio; ad ſignificandum, quia illi ſunt digni coniunctione Chriſti, qui zelo deuotionis & feruoris tranſmigrant de ſtatu culpæ ad gratiam, quaſi de morte ad vitam. His nuptijs interfuit Maria ſicut nuptiarum conciliatrix, quia per eam & eius interceſſionem coniungimur Chriſto. *In me omnis ſpes vitæ & veritatis.* Diſcipuli etiam vocati ſunt, quia ipſi ſunt quaſi paranymphi coniungentes Chriſto eccleſiam. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quod autem vinum defuit ibi, ſignificat, quod vinum ſpirituale triplex in veteri teſtamento ante Chriſtum deficiebat, ſcilicet vinum mordax iuſtitiæ, quod noſter Samaritanus vulneribus ſauciati infudit. *Potaſti nos vino compunctionis:* ſecundò vinum lætificatiuũ, ſcilicet ſapientiæ in pſal. *Vinum lætificat cor hominis.* Et: *Meditatio ſapientiæ maximè lætificat. Non habet amaritudinem conuerſatio illius.* Tertiò vinum inebriatiuum, ſcilicet charitatis. *Bibite & inebriamini chariſſimi.* Iſtud ergò triplex vinum deficiebat in veteri lege; Primò quia iuſtitia legis imperfecta erat, ſed Chriſtus eam perfecit. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra* Vinum ſapientiæ deficiebat, quia occulta & figuralis erat eius ſapientia. *Omnia in figura contingebant illis*; ſed Chriſtus eam lucidè manifeſtauit: *Viam ſapientiæ monſtrabo tibi.* Vinum charitatis deficiebat, quia acceperant ſpiritum ſeruitutis in timore; ſed Chriſtus aquam timoris conuertit in vinum amoris: *Charitas enim diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*

Epheſ. 5. *Eccl. 24.* *2. Cor. 11.* *Defectus triplicis vini in veteri teſtamento.* *Sap. 8.* *Cant. 6.* *Matth. 6.* *1. Cor. 10* *Prou. 4.* *Rom. 5.*

Secundum documentum quod elicitur hic, eſt magnum ſolatium omnibus coniugibus. Nam Chriſtus voluit intereſſe nuptijs, vt approbaret & honoraret ſtatum coniugalem. Nam ſicut de virgine voluit naſci; ſic à vidua Anna voluit laudari; & nuptijs poſtea dignatus eſt intereſſe, vt deſignaret omnes ſtatus eſſe ſalubres. Per hoc etiam dedit exemplum humilitatis, vt quantumcunque exaltati, ſapientes, ſancti & digni ſimus, non dedignemur ad inferiores deſcendere ratione neceſſitatis eorum, ſecundum Chryſoſt. & Auguſtin. Et patet dignitas matrimonij ex præſentia Chriſti, matris eius benedictæ, & diſcipulorum Chriſti, & miraculi eius primi. Faciunt autem multa ad commendationem matrimonij. Primò enim commendatur à natura. Secundò ex ſcriptura. Tertiò per ſanctorum exempla. Primò à natura, eò quod naturaliſſimum ſit producere ſimile. 2. de anima. id quod patet in omnibus viuentibus. Vnde ſicut naturale eſt homini comedere ad conſeruandum perſonam propriam; ita generare ad conſeruandam ſpeciem humanam. In ſignum huius omnia aquatica, aërea & terrena animantia ſimul morantur, & conſortium proprium diligunt, extraneorum autem odiunt. Nam leo adulteram perſequitur & occidit: ſimiliter ciconia, turtur etiam poſt primum alium non requirit. Secundò commendatur à ſcriptura Matth. 19. vbi dicitur. Quod Deus ab initio creauit maſculum & fœminam; propter quam homo dimittet patrem & matrem. Ad idem facit & illud, quia per iſtum actum coniugalem vitatur fornicatio, grauiſſimũ ſanè peccatum. Vnuſquiſque propter fornicationem habeat propriam vxorem. Item facit ad commendationem eius indiuidua coniunctio, quę tanta eſt, vt non liceat coniugibus ab inuicem ſeparari, niſi ratione adulterij, vt ibidem dicitur. Tertiò patet per ſanctorum exempla: Primò quia omnes patriarchæ & quaſi omnes Prophetæ in iſto ſtatu fuerunt. Item quod Chriſtus matrem ſuam voluit in iſto ſtatu viuere, & ipſe voluit

2. Documentum. *Matrimonij dignitas.* *1. Cor. 7.*

luit ſub matrimonio naſci. Item voluit nuptijs intereſſe, & ſic expreſsè approbauit eas. Tertium documentum eſt, vt celebrantes nuptias noſtras, honeſtas perſonas inuitemus, ſicut iſti fecerunt; non ſicut nos facimus, qui inuitamus ribaldos, potatores, adulatores, ſaltatores cytharœdos per quos grauia committuntur peccata; contra quos dicit Auguſt. in ſermone de nuptijs. Nupſit Abrahæ Sara: accepit Moyſes Zephoram: accepit Iſaac Rebeccam: duxit Iacob Rachel & Lyam: accepit Thobias Saram. Tot nuptiæ antiquorum, & verius amicorum Dei, in quibus nullus inuenitur ſaltator, nec organum pulſaſſe, nec citharas percuſſiſſe, nec tybias implicaſſe, &c. Hæc Auguſtinus.

3. Docum.

II.

Deſcribuntur nunc quędam concomitãtia miraculum, ſc. miniſtrorũ obedientia in hydriarum impletione, in vini ex aqua facti hauſtione, in eiuſdem ad architriclinum delatione. Vnde ſequitur: *Dicit ergo eis Ieſus*; ſcilicet rogatus à matre dicit miniſtris: *Implete hydrias aqua*; licet enim aliquantulum aquę fuiſſet in hydrijs, tamen quia non plenæ erant, ideò iuſſit impleri hydrias, vnde ſequitur: *Et impleuerunt eas vſque ad ſummum*: Id quod fuit ad euidentiam miraculi maiorem, quod aqua fuit appoſita de nouo per miniſtros, qui ſciebant totalem defectum vini. Plura faciunt ad probationem miraculi hic poſita. Primum quod iſtæ hydriæ erant vaſa aquatica, & nunquam ad vſum vini deputata, ne quis ſuſpicaretur aquam infuſam vel ſuperfuſam fœcibus ſaporem vini contraxiſſe. Secundum eſt, quia iſta vaſa erant notabilis quantitatis, quia capiebant hydriæ ſingulæ metretas binas vel trinas, ne quis diceret, etſi vinum ibi factum eſt, tamen ita modicum, vt benè diſcerni nõ potuerit, an fuerit verum vinum. Tertium eſt quod miniſtri impleuerunt hydrias aqua, non diſcipuli Chriſti, nè diceretur ſuis diſcipulis occulte dediſſe vinum ad implendum eas. Quartum fuit, quia impleta erant vaſa vſque ad ſummum; eò quod aliquid de aqua ad purificandum fuit ablatum, & ſic ille defectus fuit de nouo ſuppletus, nè diceretur fuiſſe ibi vinum ab antiquo. Quintum fuit, quia iuſſit illud afferri architriclino, qui erat ſenior in conuiuio, ad probandum, non ſponſo aut ſponſæ, ſed architriclino. Dicitur autem ab archos, quod eſt princeps, & triclinium, quod eſt locus, vbi homines ſedent in conuiuio, quia antiquitus comedebant ſedentes in lectis, propter quòd in ſcriptura dicuntur comedentes accumbere vel recumbere; & ideo locus ille vocatur triclinium, quaſi locus trium menſarum. Eſt ergò architriclinus nomen appellatiuum, non proprium, & ſignificat illum, qui principaliter inter conuiuas ſedebat. Et probabile eſt, quod fuerit aliquis ſacerdos illius temporis, qui ſtabat ad benedicendum nuptias, ad inſtruendum, qualiter deberent procedere ſecundum legem, & ſtatuta ſeniorum. Iſti ergò iuſſit prius afferri, quia cum ei cura totius conuiuij commiſſa eſſet, non comedebat vſque poſt alios, & ideò fuit magis ſobrius ad iudicandum de vino quam qui ſunt repleti cibo & potu, vt ſic veritate cognita, alijs prædicaret. Sed dices, quare hodiè prohibentur ſacerdotes nuptijs intereſſe? Reſpondeo id eò, quia multæ ibi fiunt diſſolutiones, ex quibus poſſent ſcandalizari.

Miraculi mutati vini in aquam confirmationes.

Architriclini ſignificatio.

Sacerdotibus nuptiæ cur interdicãtur.

Hic occurrunt tria dubia. Primum eſt, cur Chriſtus prius repreſſit matris petitionem tanquam indignam, dicens non eſſe faciendum miraculum ad eius inſtantiam, & tamen fecit. Reſpondeo primò ideò, quia mater Chriſti petebat ex affectu materno humanæ naturæ: ſecundò quia petebat pro conſanguineis: tertiò quia petebat pro ſupplenda indigentia paupertatis: at ratione horum trium non debet fieri miraculum: Primò quia eſt opus diuinum; ergò nihil habet commune cum poteſtate humana, ſicut virgo putabat, quod ratione humanæ naturæ, quam habuit Chriſtus ab ea, competiſſet Chriſto facere miracula. Secundò, non eſt acceptio perſonarum apud Deum; ideò pro conſanguineis non eſt faciendum miraculum. Tertiò non propter indigentiam, ſed Dei gloriam declarandam, faciendum eſt miraculum: veruntamen quia mater Chriſti ſancta mulier erat, & illi, pro quibus petebat, pauperes & humiles erant, & glo-

Dubia tria.

& gloria Dei in Chriſto, diſcipulis manifeſtanda erat, ideò Chriſtus exaudiuit, licet poſt modicum tempus, petitionem matris. Secundum dubium quare non creauit nouum vinum potius, quam de aqua mutauit. Reſpondeo licet maius, & mirabilius eſt ex nihilo aliquid facere, quam ex aliquo aliquid, attamen non eſt ita credibile, & euidens, & ideò Chriſtus condeſcendit capacitati eorum, vt crederent citius. Secundò fecit hoc ad confutandam hæreſim Marcionis & Manichæi hæreticorum, qui dixerunt iſta viſibilia eſſe à diabolo. Vt ergò Chriſtus oſtendat iſtas creaturas eſſe bonas, fecit ex eiſdem plura miracula. Tertiò vt oſtenderet ſe non omninò nouam doctrinam condere, & veterem reprobare, ſed potius adimplere. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Tertium dubium, quare non fuerint ibi tunc pauciores vel plures, quam ſex hydriæ. Reſpondeo diuina ordinatione id factum fuit, ad ſignificandum, quod per aduentum Chriſti baptiſmus Chriſti habeat vim purificandi homines in ſex ſucceſſibus temporum, ſecundum Thomam, ſcilicet in pueritia, iuuentute, adoleſcentia, virili ætate, ſenio, & decrepita ætate. Secundum Auguſtinum autem, quod capiebant metretas binas vel ternas, ſignificatur quod in nomine trium diuinarum perſonarum fiat baptiſmi collatio, vel propter duos populos, ſcilicet Iudæos, & gentiles, ex quibus conſtructa eſt eccleſia.

Matth. 5.

Hydriæ ſex quid denotant.

III.

Dixi tertiò quod in tertia parte euangelij deſcribuntur huius miraculi ſubſequentia quæ fuerunt plura. Architriclini publica prædicatio, & diſcipulorum in fide confirmatio. Dicit ergo. *Vt autem guſtaſſet architriclinus*, ſcilicet qui magis ſobrius erat, aquam, ſupple prius, vinum modo factã, dicebat ſponſo arguendo eum ruſticitatis. *Omnis homo primo bonum vinum ponit*, id eſt, in principio conuiuij, vinum bonum ponit ad menſam. Hoc eſt de conſuetudine illarum partium, & illius temporis veteris legis, in quo vigebat carnalis delectatio, ita vt gulæ intenti optima quæque & electiſſima apponerent in principio menſæ; quod tamen apud Chriſtianos non debet eſſe magnæ reputationis; quia ſecundum Hieronymum Chriſtus voluit nos eſſe Chriſtianos, non medicos. *Et cum inebriati fuerint, dat illud, quod deterius eſt*, quia iam non percipiunt bonitatem, nec ſaporem. *Tu autem ſeruaſti vinum bonum*, id eſt, optimum, *vſque adhuc*, id eſt, ad finem conuiuij. Dicit hic Chryſoſtomus, quod Chriſtus omnia miraculoſa fecit perfectiſſima: nam ſocrum Petri ita perfectè curauit, vt ſtatim ſurgens miniſtrarit. Et paraliticum ita perfectè ſanauit, vt ſurgens tulerit grabatum ſuum: ſic etiam hic fecit vinum electum & optimum quale potuit eſſe de mundo. Moraliter eodem modo hæretici primò ponunt pulchrũ vinum & dulcis doctrinæ; ſed poſtquam homines inebriati fuerint aſſentiendo eis, tunc dant id, quod deterius eſt, ſcilicet errorem, & perfidiam. *Ingreditur vinum blandè, ſed nouiſſima eius mordent vt coluber.* Item multi ſunt, qui in principio ſuæ conuerſionis dant Chriſto bonum vinum per bonam conuerſationem, ſed poſtea in vitam carnalem degenerant. *Sic ſtulti facti eſtis, vt cum ſpiritu caperitis, carne conſummamini.* Chriſtus autem in principio non ponit vinum dulce, ſed amarum; *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*: ſed poſtea ſucceſſiuè, quantò magis homo procedit in ea, tantò ſentit ſuauitatem maiorem. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens in eis non habebis offendiculum.*

Marci 1.

Ioan. 5.

Prou. 23.

Galat. 3.

Matth. 7.

Prou. 4.

Hic occurrunt tria dubia. Primum eſt, quare matrimonium ſit inſtitutum, ſecundum vtrum actus matrimonij poſſit fieri meritoriè? tertium, vtrum ex aliqua cauſa poſſit habere quis iam concubinam. Ad primum reſpondeo ſecundum Holcoth, ſuper librum ſapientiæ cap. 4. quod matrimonium inſtitutum eſt in paradiſo ante peccatum, & hoc in officium naturæ, ſcilicet vt fieret ꝓpagatio ſpeciei humanæ. Et hoc fuit in ſtatu innocentiæ tantum. Secundò inſtitutum fuit in ſtatu legis ſcriptæ, & hoc fuit in remedium & in officium; in ſe-

Dubia tria.

in remedium ſcilicet infirmitatis humanæ ad vitandam fornicationem: in ſtatu autem gratiæ eſt in officium, in remedium, & ſimul in ſignum: ſignificat enim coniunctio maris & fœminæ carnalis, cõiunctionẽ Chriſti, & Eccleſiæ per naturæ conformitatem, qua verbum caro factum eſt. Vnde Archidiaconus 27. *quæſt.* 1 *Cum ſocietas*, dicit: quod licet in deſponſatione repræſentetur illa cõiunctio, qua Chriſtus copulauit ſibi Eccleſiam fide & dilectione, tamen in ſola carnis cõmixtione ſignificatur illa coniũctio, qua ſibi Eccleſiã copulauit conformitate naturæ. Ad ſecundum dubium quo quæritur,

2. Dubiũ. vtrum iſte actus poſſit eſſe meritorius, reſpondeo quod ſic; ſunt autem tria excuſantia iſtum actum à peccato, & ipſum facientia meritorium, ſcilicet fides, proles, & ſacramentum, ſecundum doctorem ſubtilem ſuper 4. ſententiarum diſt. 31. *Matrimonij actum tria à peccato excuſant.* Fides in propoſito non eſt virtus theologica, de qua Hebræor. 11. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum. Nunc autem manent fides ſpes & charitas*; *1. Cor. 13.* ſed hic accipitur fides prout eſt quædam virtus moralis contenta ſub iuſtitia, per quam homo adimplet efficaciter illud, quod promiſit, & vocatur fidelitas. Vnde ad fidem conſeruandam inter coniuges requiritur, vt neuter corpus ſuum alteri deneget, nec alieno concedat ad opus carnale, iuxta ſponſionem in facie eccleſiæ factã. Ex hoc patet, quod ſi quis eo animo contrahit, vt non ſeruet fidem alteri, impeditur matrimonium ſecundum Archidiac. 27. q. 1. *Omne bonum.* Item in prole attenditur, vt amanter ſuſcipiatur, & religioſè informetur, & quo ad hoc matrimonium eſt quaſi naturale, vt dicit Thomas, *D. Thom. ſup. 4. diſt. 26. q. 1.* quia ad hoc natura inclinat mediante libero arbitrio, vt proles educetur ad perfectum ſtatum; quod fit per obligationem viri & mulieris. Et hæc eſt ratio, quare in nulla alia ſpecie fit determinatio maris ad certam fæminam, quia ſecundum eum alia animalia, quorum filij ſtatim poſſunt ſibi victum quærere, vel ad quorum ſuſtentationem ſufficit vnum, non indigent tali obligatione. Et patet ex hoc ſecundum Archidiac. *in cano. Omne bonum*, quod ſi quis contrahit intentione non procreandi prolem, impeditur matrimonium, & non contrahitur. Sed quid dicemus de ſenibus, qui iſtam intentionem certiſſimè habent: reſpondeo quod non obſtat, quia non deducunt eam in pactum. & etiam quia illorum matrimonium etſi non eſt in officium, eſt tamen in ſolatium mutuæ ſeruitutis. Tertium, quod excuſat iſtum actum, eſt ſacramentum: & accipitur ſacramentum pro illa indiſſolubilitate, nè aliquando in vita ſeparentur, & ideò ſi quis intentione, ſe quandoque ſeparandi ab vxore contrahit, impeditur matrimonium: & hoc ſacramentum ſemper requiritur in principio contractus. Vnde quamuis poſtea mutet alter illorum voluntatem, non nocet, dummodò à principio ita intenderit. *Matrimonij quomodo ſit meritoriũ* Patet ergò ex his quod quilibet volens meritoriè contrahere, debet iſtas tres cauſas habere in intentione: vnde ſi quis habeat iſtas cauſas principaliter, poteſt etiam alias habere ſecundariò, propter quas ducit vxorem, vt propter diuitias, amicos, pulchritudinem, & ſic de cæteris: Quæ omnia vt pateant melius, pono hic ſex memorialia dicta. *Documẽta pro Cõiugibus.* Primum eſt; *1.* actus matrimonialis poteſt fieri ſine peccato; quod patet ex hoc, quia per ipſum impletur præceptum diuinum. *Creſcite & multiplicamini*: *Geneſ. 1.* ſed implere præceptum eſt meritorium. Item per ipſum impletur actus iuſtitiæ illius, de qua 1. Cor. 7. *Vir vxori reddat debitum, & ſimiliter vxor viro.* Secundum documentum, *2.* actus matrimonialis poteſt fieri virtuoſè ſeruatis debitis circumſtantijs, ab homine exiſtente in gratia; vt faciendo, quando oportet, & ſicut oportet, & ad debitum finem, & hoc eſt virtuoſè fieri & per conſequens meritoriè. Tertium documentum, *3.* actus matrimonialis tunc ſimpliciter eſt meritorius, & abſque omni peccato mortali & veniali, quando eſt cauſa religionis, id eſt, cauſa prolis, & cauſa iuſtitiæ reddendi debitum, & ſeruandi fidem promiſſam. Quartum documentum, *4.* accedens ad vxorem ex ſola delectatione, quam habet ad vxorem, non vt ad quamcunque mulierem, ſed vt ad vxorem, peccat venialiter; Patet quia vt ſic, non intendit aliquod bonum principale de tribus prædictis, ſed ſolam delectationem: igitur peccat venialiter; quia matrimonium indultum eſt ad vitandam fornicationem; talis autem indulgentia eſt de peccatis veni-

ali-

alibus ſecundum Thomam in 4. ſententiarum diſt. 31. Quintum documentum; accedens ad vxorem ex delectatione excedenti, quam habet, non vt ad vxorem, ſed vt ad quamcunque mulierē, cum qua ita facere vellet, etiāſi non eſſet vxor eius, peccat mortaliter: patet, quia vt ſic, ęquipollet fornicationi, ex quo nullum bonum mouet ipſum ad hoc, & cum hoc, quia excedit limites matrimonij, eò quod accedit ſimpliciter, vt ad quamcunq; mulierē. Sextum documētum, delectatio ſuperflua in oſculis, tactibus, & abuſus in modo delectandi, de facili ſunt peccata mortalia etiam inter coniuges: patet, quia talia excedunt limites matrimonij & quādoq; sūt occaſio peccatorū Sodomiticorum, vt ſæpius audiuimus in cōfeſſione. Et licet iſta ſint vilia, & turpia vt quę dicantur, audiantur vel legantur, tamen ſunt vtilia ad ſciendum cōfeſſoribus, quamobrē & ita diſtinctè ſunt hic poſita.

3. Dubiū. Ad tertium dubium, ſcilicet de concubinis habendis, reſpondeo ſecundum Thomā per tria dicta: primum eſt, quod habere concubinam eſt contra legem naturæ; quod patet, quia concubina, vt communiter, quæritur propter delectationem ſolam: & poſito quod eſſet ad prolem procreandam, tamen non eſt intentio ad educationem prolis debitè, ordinatè ad cultum diuinū: quia vt videmus, communiter peſſimā curam gerunt cōcubinarij de filijs ſuis; propter quod communiter ſiunt malè morigerati, & indiſciplinati, fures, bibuli, luſores, & fornicarij, quia ſequitur patrem ſua proles: & hac ratione prohibentur etiam tales ordinari, quia timor eſt, nē ſint parentum imitatores in malo. Secūdò dico quod accedere ad cōcubinam ſemper eſt peccatum mortale: Patet, quia eſt contra amicitiam, quæ debet eſſe ad alterum; eſt enim contra prolis bonū, quia cōtra eius educationē, vt dictum eſt, & præterea, quia fit ex inordinata delectatiōe ſine intentione boni finis, ſcilicet prolis. Tertiò dico, quod nunquam fuit licitum quacunque diſpoſitione habere concubinā, neque ſecūdum legem diuinam, nec humanam: quia hoc eſſet contra finem principalem matrimonij, ſcilicet bonum prolis. Sed dices: tamen Jacob habuit cōcubinas, ſimiliter Dauid, ſimiliter Salomon? Reſpondeo ſecundum Thomam, quod hæ fuerunt eis matrimonialiter coniunctæ vſque ad tēpora vitæ, ſed in tantum quod concubinæ dicebantur, quia ad eas non pertinebat diſpoſitio familiæ, nec operum domeſticorum cōmunicatio; vnde ſimpliciter erant vxores, quia ad thorum deſeruiebant viris; ſed ſecūdum quid concubinæ, quia non diſpenſabāt familiam, dicebantur. Illa ergo tantum dicebatur vxor, quæ habuit regimen totius domus Sed iterum dices; tamen 34. diſt. Is qui dicitur: Si quis non poteſt habere vxorem, ſaltem loco eius habeat concubinam. Reſpondeo, quòd ibi concubinam non vult intelligere mulierem ſolutam, ſed vxorem ductam ſine ſolemnitate dotis, vt eſt modus pauperum. Præterea dico, quod habere plures viros vni vxori magis eſt contra naturā, quam habere vni viro plures vxores, ſecundum Thomam, vbi ſupra. *Tho ſup. 4. ſent. diſ. 33.*

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS EPIPHANIAE, SERMO II.

Nuptiæ factæ ſunt. **Ioan. 2.**

Aug. lib. de doct. Chriſt. AIT S. Auguſt. Luxuria eſt inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnē ſubſtantiam, & ad tēpus voluptatem diligens, futuram non ſinit cogitare paupertatem, quaſi dicat, quod luxuria tam Deo, quam homini in corpore & anima, & temporali ſubſtantia nociua, in præſenti & in futuro egeſtatis inductiua. Vt igitur hoc malum vitare homines poſſent, omnipotens Deus in prima creatione mundi, vbi primum hominem creauit, ſociam ei fœminam adiunxit in vxorem, vt eſſent duo, & non plures in

carne

carne vna, quatenus homo ſic legitimo vtés coniugio, vitium luxuriç effugeret, & euitare poſſet. Verum quia multi peruerſorum in dubium verterent talem coniunctionem legitimam maſculi & fœminç, non eſſe ſacramentum, nec in ſe licitam, ideò veniens Dei filius in mundum, hoc ipſum coniugiũ tanquam licitum, & ſanctum voluit approbare & confirmare. Quod quidem tunc dignatus eſt facere, quãdo ad nuptias cum matre ſua vocatus non recuſauit venire, ſed eas ſua præſentia dignatus eſt honorare, & miraculo in eis facto manifeſtiſſime condecorare; de quibus quidem nuptijs dicitur: *Nuptiæ factæ ſunt &c.* In quibus verbis conſideranda eſt cõmendatio venerabilium nuptiarum, quæ factæ ſunt per Chriſtum, quarum quædam factæ ſunt ſemel nunquã de cætero facienda, aliæ ſæpè fiunt, & ſæpius ſunt iterandæ; tertiæ verò ſemper fiunt, & continuantur. Primæ ſunt inter Deum & humanam naturam: ſecunda inter Deum & fidelem animam: tertiæ vero inter hominem & hominem, id eſt, inter virum & fœminam. Dico igitur, quod nuptiæ ſemel factç inter Deum & humanam naturam ſunt ſacramentales & myſticç, quæ ſunt bonitate incõparabiles; aliæ ſunt allegoricæ, et tropologicæ & morales, gratia & pietate amabiles; tertiæ ſunt humanæ & corporales, multum vtiles.

Chriſtus cur nuptiis interfuerit.

Nuptiæ triplices & quæ.

Propoſit.

I.

Dixi quod quædam ſunt nuptiæ quæ ſemel factç ſunt inter Deum & humanam naturam ſacramentales, & myſticæ, bonitate incomparabiles patet quia clinitate & bonitate ineffabili Dei filius diues in omnes, gloria & honore coronatus, humanam naturam deſpectam, quam abiectam, paupertculam, & ancillam duxit in ſponſam & coniugem dulciſſimam: ſicut filius regis amore captus ancillæ cuiuſcunq; quem non generis nobilitas, non formæ ſpecioſitas, non virtutum dignitas, non diuitiarum copia, non parentum amicitia, ſed ſola benignitas ad vxorandum ſibi attraxit, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ ſuum vnigenitum daret.* O quam admirabiles nuptiæ, q[?] ſublimes & incomparabiles? Et vere admirabiles, quoniam, vt dicit Bernard. Omnipotens ſeipſum exinaniuit ſeipſum ad hoc vſq;, vt paſceretur, & inuentus eſt inter lilia, adamatus eſt ab inope, pauper factus dilectus propter humilitudinem; non ſolũ autem, ſed & propter veritatem, manſuetudinem, & iuſtitiam, quod per eum ſc. promiſſiones adimpletç ſunt, quod iniquitates remiſſæ ſunt, quod ſuperbi, ſc. principes tenebrarum naturam dæmones vna cum ſuo rege iudicati ſunt. Hæc ille. Hæ nuptiæ figuratæ ſunt Gen. 28. vbi dicit Iſaac ad Iacob, id eſt, pater ad filium. *Non duces tibi vxorem de genere Chanaan: ſed vade, & proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ.* Cauſa verò prohibitionis huius habetur 32 q. 2. Chanaan interpretatur poſſidés domos, & ſignificat angelos, quorum Dominus naturam non aſſumpſit, ipſi. n. ſemper poſſiderunt domos cœleſtes, ſed humanam naturam aſſumere dignatus eſt, quaſi de Syria: Syri interpretantur ſublimes, & ſignificãt genus humanũ, quod ſublime fuit per creationem, quia ad imaginem Dei factum. Hinc dicit Apoſtol. *Nuſquã angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* Et dicit, *ſemen Abrahæ,* notanter, quia ſecundum Gorram. huic facta eſt principaliter promiſſio. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Hæ nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, id eſt, in cœlo tranſmigrationis filij Dei, Cana enim interpretatur zelus. Galilæa tranſmigratio: per hoc enim oſtenditur, quem zelũ habuerit ad nos Dei filius, qui propter nos de ſede maieſtatis in exilium noſtræ humanitatis voluit deſcendere, in tantum omnes defectus noſtros aſſumpſerit præter ignorãtiam & peccatum. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari,* id eſt, debuit per omnia, ſcilicet naturalia, id eſt, in omnibus defectibus naturalibus, qui conſequuntur naturam, fratribus aſſimilari, vt ſcilicet eſſet natus educatus, paſſibilis, mortalis, & ſic de cæteris; & hoc ideo, vt ibi ſequitur, vt miſericors fieret, actu videlicet q natura ab çterno erat miſericors, & fidelis, id eſt, nullum fallendo. Hæc Gorra. Sponſa verò, id eſt, humana natura, fuit traducta in domum ſponſi in aſcenſione Chriſti, quando natura humana introducta eſt in thalamum cœleſtem. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Ex his nuptijs ſecutæ ſunt aliæ, quæ ſunt inter Chriſtum & Eccleſiam: de quibus Apoſtolus dicit. *Viri, diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea; vt ipſam.*

Nuptiæ Chriſti myſtica cũ humana natura.

Ioan. 3.

Ber. ſup. Cant. ſer. I.

Figura coniugij inter Chriſtũ et humanã naturam.

Chanaan ſignificatio.

Hebr. 2.

Gen. 15.

Cana Galilææ quid.

Hebr. 2.

Cant. 1.

Epheſ. 5.

ipſam ſanctificaret, mundans eam lauacro aqua in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata: & poſt pauca dicit; *ſacramẽtum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, id eſt, inter Chriſtum & Eccleſiam. In his nuptijs pulcher eſt ſponſus, pulchra & ſponſa: iuuenis eſt ſponſus, virgo ſponſa. De pulchritudine ſponſi dicitur in pſal. *Specioſus forma præ filiis hominum*: de pulchritudine ſponſę dicitur: *Ecce tu pulchra es amica mea*; de vtriuſque virginitate dicitur apud Iſaiam, *Habitabit iuuenis cum virgine.* Ornatus eſt ſponſus, *quia amictus lumine ſicut veſtimento.* Ornata ſponſa, *quia aſtitit in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Fortitudo & decor indumentum eius.* Sed dicet aliquis. Cætera benè conueniunt, ſed neſcio quomodo dicis ſponſam Eccleſiam, pulchram & inſuper virginem? quomodo enim pulchra, de qua dicitur, imò ipſa de ſe dicit: *Nigra ſum, ſed formoſa*? quomodo dicis eam virginem, quæ fornicaria appellatur Oſeæ 1. vbi dicitur, *Sume tibi mulierem fornicariam.* Et ſecundum gloſſam, verbum eſt patris ad filium, vt ducat ſibi Eccleſiam fornicariam, id eſt, Eccleſiam ex gentibus. Reſpondeo, quod Eccleſia conſideratur dupliciter: vel ſecundum ſtatum prædeſtinationis in iuſtis & innocẽtibus, & ſic ſemper formoſa eſt & virgo: vel ſecundum ſtatum præſentis iuſtitiæ, & ſic nigra eſt & fornicaria. Quia denigratur ſæpius vitijs, & fornicatur cum alienis, ſcilicet dæmonibus, ſicut dicit propheta ex perſona Dei: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamẽ reuertere & ego ſuſcipiam te.* Item Eccleſia adhuc conſideratur dupliciter: vno modo, vt à principio fidelium, & à principio fundationis ſuæ; ſic ſecũdum ſe totam conſiderata, eſt pulchra, & formoſa, & virgo, quia ab initio, quo Deus notitiam & fidem ſui patribus inſpirauit, ſemper fuerunt aliqui iuſti rectam fidem de Deo tenentes, ſicut ſaluator dicit: *Incipiendo à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ.* Alio modo conſideratur Eccleſia vt eſt vocata maxima ex parte de gentibus, & ſic poteſt dici fuiſſe nigra olim, ſed nunc formoſa; olim fornicaria, nũc virgo; quia caſtitas mentalis recuperatur per præſentiam, licet non corporalẽ, ſecundum Hieronymum ad Euſtochium. Dicit etiam Bernardus hoc etiam poſſe intelligi de Eccleſia militante, quæ nigra eſt propter conuerſationem tetram, quam prius habuit propter imaginem huius mundi: nunc verò eſt formoſa propter cœleſtem ſimilitudinem, quam ſibi comparauit ambulans in nouitate vitæ: hæc ille. Hæ nuptiæ fuerunt nunciatæ in patriarchis, ſcilicet per Abrahæ ſponſionem, quando *credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Procatæ per angeli ſalutationem, contractæ per verbi incarnationem, cõſummatæ in Chriſti crucifixione, quando profluxit ſanguis & aqua in redemptionem. Ioan. 19. Tunc enim, ſicut de latere Adæ dormientis formata eſt Eua: ſic de latere Chriſti in cruce pendentis formata eſt Eccleſia. Factæ ſunt autem hæ nuptiæ in Cana Galileæ, id eſt, in cœlo tranſmigrationis, quia ex magno zelo charitatis, quam habuit Chriſtus ad eccleſiam, dedit ſe pro ea; iuxta quod ipſe dicit per prophetam: *Zelus domus tuæ comedit me.*

Cant. 4. — Prou. vlt. — *Eccleſiæ conſideratio duplex* — Matt. 23. — Bern. ſup. Can. ſer. 26. — Ioan 19.

II.

Nunc conſiderandæ ſunt aliæ nuptiæ allegoricæ & morales, gratia & pietate amabiles, quæ ſæpè fiunt inter Deum & fidelem animam. Iſtæ nuptiæ ſæpè celebrantur in conuerſione peccatorum; deſponſatur enim anima Deo, vt dicitur Oſeæ 2. cap. *Sponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, in miſericordia & miſerationibus.* Iſtud matrimonium figuratum eſt in coniugio Moyſi, & AEthiopiſſæ. Nume. 12. de quo dicit Bernardus. Moyſes duxit Aethiopiſſam, ſed eius non potuit mutare colorem, ſed Chriſtus, quam adamauit adhuc ignobilem, & fœdam, glorioſam ſibi exhibuit: vnde in cõiugio noſtro virgines corrumpuntur; in cõiugio verò Chriſti corruptæ reſtaurãtur: hæ nuptiæ initiãtur per contritionẽ cordis, & veram fidem de remiſſione peccatorum. *Sponſabo te mihi in fide:* ratificantur in sãcta operatione, & hoc cũ homo adhæret Deo,

Nuptiæ Chriſti cũ anima fideli. — *Figura earum.* — Oſea 2.

exiſtens vnus ſpiritus cum eo, conſummatur in gloriæ adeptione, quando tenebit eũ ſponſa, vt nunquam eum dimittat. Cant.3.
Tria ad eas requiſita. In his nuptijs debet eſſe triplex bonum, ſcilicet fides, nè vnquam anima a ſponſo ſuo Chriſto adulteretur cum diabolo, timés il-
1. lud pſa. *Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs*
2. *te.* Secundò proles bonorum operum, *quia*
Exod. 23. *maledicta ſterilis, quæ non peperit.* Sic Apoſtolus dicit, quod mulier ſaluabitur per filiorũ
1.Thi.2. generationem id eſt, per bonorum opera-
3. tionem. Tertiò requiritur ſacramentum, id eſt, inſeparabilitas, vt nunquam ſeparetur à Chriſto. Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum.* Benè dicit *in ſempiternum.* quia Deus ex his nuptijs animam transfert in cœlum, vbi celebrat cum ea nuptias æternales, vt
Matt. 22. dicitur. Vnde figurãtur illæ nuptiæ cœleſtes per nuptias Aſſueri regis & Eſther; Aſuerus interpretatur beatitudo, Heſter interpretatur humilis, quia non niſi humiles ſuſcipiet Chriſtus ad illas nuptias. *Cũ vocatus*
Luca 14. *fueris ad nuptias, diſcumbe in nouiſſimo loco.* Et ſequitur: *quia omnis, qui ſe humiliat exal-*
Aqua in vinũ mutatio ſpiritualis. *tabitur.* In his ergo nuptijs aqua mutatur in vinum: nam in primis aqua vindictæ diuinæ mutata eſt in vinum amoris; in ſecũdis aqua legalium figurarũ mutata eſt in vinũ ſpiritualis intelligentiæ, quia eccleſia verba
Ioan.6. legis recipit, vt ſpiritualia. *Verba quæ locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*; in vltimis verò nuptijs, quæ ſunt inter Deum & animam, mutatur aqua voluptatis ſæcularis in dulcedinem ſanctæ contemplationis, & deuotionis, quando guſtato ſpiritu, deſi-
Hydriæ nuptiarũ Chriſti quæ. pit animæ omnis caro. Habent & iſte nuptiæ ſuas hydrias; primæ inter Deum & humanam naturam, quinque ſenſus exteriores, & cor ſextum, quos Deus per ſuam incarnationem mirabiliter in nobis reparauit, & repleuit; cum alias ante eius incarna-
Bern.li.de amo.Dei. tionem fuiſſent quaſi vacui, vt dicit Bernar. in nuptijs quæ ſunt inter Deum & animam ſunt ſex hydriæ tribulationes, de quibus Job dicit, ſcilicet fames, ſitis, frigus, calor, laſſitudo, infirmitas, & mors; quæ omnia repleta ſunt charitate poſt incarnationem Chriſti & vnionem eius cum Eccleſia; ita vt homines agentes pœnitentiam, iſta nedum non refugiant, ſed etiam amplectantur, vt dicit Bernard. In tertijs nuptijs quę ſunt inter Deum, & humanam animam, ſunt ſex hydriæ, ſcilicet ſex genera contemplationis, prout homo ex ſex creaturis concipit ſibi gaudium ſpirituale per gratiam inhabitantem: primum eſt circa creaturas, quæ habẽt eſſe tantum, ſecundum circa ea, quæ viuũt; tertium circa ea, quæ ſentiunt; quartum circa ea, quæ diſcernunt, vt homo; quintum circa ea, quæ apprehendunt, vt angelus: ſextum circa ea, quæ ſunt incomprehenſibilia. vt eſt Deus, trinitas, creator iſtorum. Demus ergo operam, & diligentiam fratres chariſſimi, vt has nuptias cuſtodiamꝰ ſolicitè, ne rumpamus Deo noſtro fidem, diabolo adhærendo per peccatum; ne ſimus ſteriles, à bonis torpendo; nè violemus ſacramentũ, ante finem vitæ noſtræ bonum deſerendo.

III.

Tertia hac parte conſiderandæ ſunt nuptiæ quæ ſemper fiunt & continuantur inter hominem & hominem, id eſt, inter virũ & fœminam, & ſunt multum vtiles. Et certè vtiles: nam coniugium in lege naturæ inſtitutum eſt in officium. *Creſcite & multi-* *Nuptiæ humanæ Coniugij vtilitas et cauſa eius*
plicamini: ſecundò in lege ſcripta fuit ap- 1.
probatum in remedium, vt propter forni- 2.
cationem vnuſquiſque haberet vxorem ſuam: tertiò in lege noua confirmatum per 3.
Chriſtum, tanquam ſignum Sacramenti inter ipſum, & Eccleſiam. Epheſ.5. In officium naturæ fuit inſtitutum, vt ſcilicet fieret propagatio ſpeciei: in remedium concupiſcentiæ, vt conſuleretur infirmitati & culpa vitaretur, & in ſignum ſacramenti, vt in reuerentia habeatur; hodiè tamen eſt tam in officium, quam in remedium, ideoque valde Eccleſiæ vtile, quæ quodammodò perpetuat Eccleſiam & reddit eã quaſi immor-
talem. Vnde dicitur: *O quam pulchra eſt* *Sap. 4.*
caſta generatio cum claritate! immortalis enim eſt memoria illius; quia & apud Deum nota eſt, & apud homines. Immortalis dicitur quia nunquam vſque in finem deficient boni in eccleſia Dei. Verum quia iſte ſtatus communior eſt cæteris in eccleſia, & ad ipsũ indifferenter ſæpius cõcurrunt omnes, qui tamen ignorant ſe debitè diſponere ad illũ, & regulariter viuere in illo: ideò de quatuor circa hoc videamus.

Con-

Circa Matrimonium qua conſideranda. Conſiderandum igitur omnium primo occurrit, qualiter vxor ſit eligenda: ſecundò qualiter corrigenda: tertiò qualiter dirigenda & regenda: quartò, qualiter diligenda. Eſt enim vxor eligenda diſcretè, dirigenda manſuetè, corrigenda ſecretè, diligẽda complete; vt ſit electio per diſcretam deliberationem, directio per manſuetam gubernationem, correctio per diſcretam informationem, & dilectio per completam communicationem. *Vxor eligenda diſcretè.* Primò ergò vxor eſt eligenda diſcretè, non ſubito, nec præcipitanter rapiẽda, eò quod talis feruor in principio parit pœnam in futuro. *Gen. 34.* Exemplum habemus in Sichem, qui ad primum aſpectum Dinæ filiæ Iacob, eam rapuit, & mori voluit, niſi eam ducere poſſet; quod & fecit. Sed quid factum eſt: certè cum tota ipſe poſteritate ſua & ciuitate occiſus eſt. Non igitur in eligenda vxore habeatur talis reſpectus ad formam vel ſpeciem mulieris, propter quam multi perierunt: *Eccl. 9.* non ad diuitias, non ad parentes, ſed præcipuè ad bonos mores. *Ob bonos mores, nõ diuitias.* Nam in tantum eſt gratioſum negotium benè nubere vt teſte Salomone donum Dei propriè reputetur. *Prou. 19.* *Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino vxor bona.* *Amicitia triplex.* Diſtinguit Ariſt. 8. Ethicorum. c. 3. ſpecies amicitiæ, videlicet vtile, delectabile, & honeſtũ, hoc eſt ꝑpter bonos mores, & iſta ſola eſt perfecta amicitia; & quicquid eſt boni in duabus primis ſpeciebus, totum eſt in iſta: vnde iſta propriè ſola eſt amicitia ſtabilis. *Suſcepta cauſa vtilitatis.* Amicitia propter vtile, quæ eſt mercatorũ & ſenũ, tranſit beneficio vtilitatis ceſſante. *Cauſa delectationis.* Amicitia propter delectabile, quę eſt iuuenum, ceſſat velociter delectatione tranſeunte: & ideò dicit Ariſt. quod amicitiæ iuuenum ſunt de facili tranſmutabiles propter duo: primò, quia ſecundum ætatẽ variamus delectationem; non enim eadem delectatio placet adoleſcenti, quæ placet pueros; ſecundò, quia incipiunt amare, non ex perfecto iudicio rationis, ſed ex paſſione; paſſio autem citò tranſit; & ideò velociter amant & velociter ceſſant. *Cauſa honeſti.* Sed tertia amicitia, quę eſt propter bonum honeſtum, habet iſtas conditiones: quia ſtabilis & rara, quia fundatur ſuper bonos mores, quæ in virtute præditis ſemper manet. Rara autem eſt, quia pauci virtutem colunt: & indiget hæc amicitia longo tempore & conuictu, & experientia morum. Vnde dicit ibidem Ariſt. Non eſt ſcire ad inuicem veram dilectionem niſi modius ſalis conſumatur. *Amicitia ſtabilis quæ.* Cum igitur viri ad vxorẽ debeat eſſe amicitia ſtabilis, non poterit fundari in pulchritudine, quia tranſibit. *Prou. vlt.* *Fallax gratia & vana eſt pulchritudo: mulier timens Deum ipſa laudabitur.* Nec poterit fundari in diuitijs, quia illa amicitia eſt propter vtile, & eſt amicitia per accidens, quia bona diliguntur, & nõ perſona. Vnde Hier. refert, ꝙ Martia Catonis filia minor, cum quæreretur poſt amiſſum maritum, denuò cur non nuberet; reſpondit ſe non inueniſſe virum, qui ſe magis vellet, quam ſua. *Hier. l. 1. contra Iouinianũ.* Quo dicto, vt dicit Hieronymus, oſtendit diuitias magis eligi ſolere, quã pudicitiam. Certè nec hodiè pudicitia, nec honeſtas morum mouent ad nuptias, ſed tantum diuitiæ & libido; & ideò nec perſeuerat amicitia, nec prouenit proles apta. *Chryſ. ho. 1. ſup. Matt.* Vnde Chryſoſt. *Salmon genuit Booz de Rahab.* Qui, inquit, ſecundum imperium Dei acceperit vxorem, & à Deo promiſſam, in virtute generat filios, etiam in ſeipſis virtutes habentes; Booz enim interpretatur robur: qui autem accipiunt vxores ex promiſſione diaboli, in infirmitate generant filios, nec valentes, nec fortes, niſi in malo & ad pænam ſuæ irregularitatis, non ad gaudium & conſolationem. Et infra Booz genuit Obed, qui interpretatur ſubditus: nunc autem, quia diuitias eligunt, & non mores, *Cur filij hodie contumaces.* pulchritudinem, & non fidem, & quod in meretricibus ſolet quæri, hoc in coniugibus optant, propterea non generant filios ſubditos, vel ſibi, vel Deo, ſed contumaces contra ſe, & contra Deum. Hæc ille. Huius exemplum habetur expreſsè Tobiæ 6. *Tobiæ 6.* vbi Sara filia Raguelis ſeptem viris tradita fuerat, quos ſingulos prima nocte dæmon quidã nomine Aſmodeus ſuffocauit, virgine manente intacta; Et ideò cum Raphaël ſuggereret minori Tobiæ vt eã duceret, quodq; ſibi debebatur vxor, timenti ei dixit: *Audi me, & oſtendã tibi, qui ſunt, quibus præualere poteſt dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludãt, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equ⁹ & mulus, quibus non eſt intellectus: habet ſuper eos poteſtatem dæmonium. Tu autem cum accepe-* *In quos ita dæmonium habeat poteſtatem.*

ris eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea; & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea. Tranſacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Dei, amore filiorū magis, quā libidine ductus; vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris. Refert Robertus Holcoth ſuper librū Sap. c.10.& c.3 quod vt colligitur ex hiſtoria Geneſ.6. cum cœpiſſent homines multiplicari in terra, & filios proceaſſent, anno 200. à creatione mundi videntes filij Dei, id eſt, filij Seth. filias Cham. quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores, ex omnibus, quas elegerant. Et quia tantum eas diligebant vt abuterentur mutuò vxoribus fratrū ſuorum; ideò Dominus viſa eorum malitia induxit diluuium. Ideò vxor volenti nubere eſt eligenda diſcretè, exemplo Abrahæ, qui adiurauit Eliezer ſeruum ſuum, vt non acciperet vxorem filio ſuo Iſaac de filiabus Chanaan. Sic Iacob ſibi etiam maturè prouidit de vxoribus, ſeruiens pro illis 14. annis Gen.29. non ſicut noſtri, qui ad vnam & primam viſionem fæminæ in chorea, vel ad vnam collocutionem blandam cum ea, ſtatim deſponſantur ei clandeſtinè; quod apud Catholicos, debet eſſe vituperabile, cum & apud paganos olim illicitum ſit reputatū. Nam vt refert Ambr. de quadam virgine, cū optaretur à viro quodam, reſpondit: Maritum non eſt eligere meum, ſed parentum.

Holcoth ſuper libr. Sap.c.3.& 10.

Gen.24.

2\. *Vxor quomodo regenda.* Secundò vxor eſt regenda manſuetè, non cum tyrannide, non cum auſteritate vel rigore, verbis, non verberibus, amore, non timore, dulcedine, non amaritudine. *Viri diligite vxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.* Vnde, vt dicit Robertus Holcoth ſuper librum Sap. cap.4. mulier ideò formata eſt, non de capite, non de pede, ſed de coſta, in ſignum quod nec debeat eſſe Domina nec ancilla, ſed ſocia viro ſuo. Sicut notat etiam magiſter ſententiarum 2. diſt.18. & tale regimen cum concordia eſt. Tria enim ſunt, in quibus ſpiritus ſanctus dicit ſibi beneplacitum eſſe. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus; concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier benè ſibi conſentientes.*

Coloſſ.3.

Tria ſpir. S. beneplacita. Eccl.25.

3\. *Vxor vt corrigēda.* Tertiò vxor eſt corrigenda ſecretè, non cum confuſione vel verecundia publicè, vel contemptibiliter arguenda. Vndè Varro dicit: Coniugis vicium aut tollendum, aut ferendū. Qui tollit vicium, cōmodiorem coniugem efficit; qui fert, ſeipſum efficit meliorē. Hinc meritò fuit arguenda ſeuera auſteritas trium virorum, de quibus narrat Valerius, quorum primus vocabatur Caius Sulpicius, hic publicè vxorem repudiauit, quia in publicum prodierat diſcooperto capite; ſecundus dicebatur Sempronianus ſophus, qui ſimiliter vxorem repudiauit, quia auſa eſt ludos ſpectare marito ignorante: tertius dicebatur Metellus, hic vxorem pro eo, quod vinum biberat, fuſtè percuſſit & occidit: vnoquoque exiſtimante optimè illam violatæ ſobrietatis pænas exoluiſſe. Vnde quæcunque fæmina vini vſum immoderatè appetit, virtutibus ianuam claudit, & vicijs aperit. Hæc Valerius. Non ſic fecit Iob, qui vxorem licet peſſimam arguebat, ſed ſecretè & modeſtè *Quaſi inquit vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Non dixit, ſtulta es, ſed quaſi ſtulta, vel quaſi vna de ſtultis. O vbi ſunt noſtri qui vxores ſuas meretrices vocant, nec nomine proprio appellant. Non ſic fecit Elcana vir ille bonus, pater Samuelis prophetæ, qui vxorem ſuam Annam corrigens ait. *Anna cur fles? quare non comedis? quam ob rem affligitur cor tuum?* Noſtri autem dicunt: Comede meretrix peſſima; non ſine cauſa non comedis, fortè cogitas de alio.

Valerius Max. libr. 6.c.3.

Iob. 2.

4\. *Vt diligēda.* Quartò vxor eſt diligenda completè: Iſtam plenitudinem charitatis, & amicitiæ, quæ eſſe debet inter virum & vxorem, Apoſtolus menſurat tripliciter. Primo modo per dilectionem Dei ad Eccleſiam, quæ fuit maxima: ſecundo modo per dilectionem viri ad corpus proprium; tertio modo per dilectionem viri ad ſeipſum. De primo dicit. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea.* De ſecundo dicit quod viri debeant diligere vxores, ſicut corpus proprium; de tertio dicit quod debeant diligere eas ſicut ſeipſos: Nec immeritò bonæ vxores sūt ita diligendæ: ſunt enim bonæ vxores gratæ in cōuiuendo, in condolendo & in commoriendo. Vnde narrat Valerius de Regina vxore Mithridatis. Quod in tantum amauerit virum, vt tonſis capillis habituque virili aſſumpto,

Epheſ.5.

Cur diligenda.

Vel. Max. li.4 c. 6.

Exemplũ amoris coniugalis. ſumpto, equis, & armis ſe aſſuefecit vt virũ fugientem per terras extraneas ſequeretur. Raræ hoc faciunt, vel nullæ noſtris temporibus, quinimò fugiente marito mox alteri adhęrent. Narrat idem quomodo Gracchus *Eiuſdẽ exemplũ aliud.* Romanus cum duos apprehendiſſet ſerpentes maſculum & fæminam, certificatus per aruſpicem quod dimiſſo maſculo, vxor ſua moreretur celeriter, dimiſſa fæmina ipſe moreretur; Ille ſtatim fæminã dimitti iuſſerit, ſuſtinueritque in conſpectu ſuo ſeipſum interitu ſerpentis occidi. Ecce amor viri ad vxorem, quia potius elegit mori, quam *3. Exemplum eiuſdem.* vxorem permitteret. Secundò ſunt vxores gratæ & piæ in condolendo: Narrat Valerius ibidem; quod cum Lacedæmonij à Spartanis eſſent capti, & ad decollandum in carcere ſeruati, coniuges eorum velut allocuturæ viros ſuos perituros intrauerint carcerem, impetrato à cuſtodibus aditu, commutataque veſte per ſimulationem doloris velatis capitibus eos abire paſſæ ſint, & ſaluti reſtituerint. Sed heu noſtri temporis fæminæ non ſolum non zelant pro ſalute virorum, ſed etiam quædam mortis venena, aut interitum eis per alios propinant. Tertiò ſunt gratæ in commoriendo: narrat Hieron. quod Indi & omnes pænè barbari vxores plurimas habeant, apud Indos lex ſit, vt vxor chariſſima cum marito defuncto crematur. hæ igitur contendunt inter ſe amore viri, & ambitio ſumma certantium eſt ad teſtimonium caſtitatis, atque ita victrix in habitu ornatuque priſtino iuxta corpus defunctum accubat, amplexans illud & oſculans, & ſuppoſitos ignes pudicitiæ laude contemnens. Ecce quam grata mutui amoris apud paganos inter coniuges indicia. Nos igitur tanquam Chriſtiani præmiſſa ſtudeamus ſeruare, quatenus coniugium noſtrum poſſit nobis eſſe non culpa ad damnationem, ſed meritum ad ſalutem æternam: ad quam nos Deus, qui regnat per infinita ſecula, perducere dignetur. *Hier. libr. 1 contra Iouinianum. 4. Exemplum.*

DE EADEM DOMINICA SERMO III.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint dat quod deterius eſt. Ioan. 2.

Aug li. de l. arb. & l. de verb. Dom. Dicit B. Auguſtin. Virtutes, quibus rectè viuitur, magna bona ſunt: ſpecies autem quorumlibet corporum, ſine quibus rectè viui poteſt, minima bona ſunt Potentiæ verò animæ, ſine quibus rectè viui non poteſt, minima bona ſunt. Quib. verbis vult diſtinguere in rebus humanis triplicem differentiam eſſe; ſcilicet quia quædam ſunt *Differentia in rebus humanis triplex.* bona ſuprema, quædam infima, quędã media. Cui cõcordat thema noſtrum, quod recommendans prouidentiam humanam, dicit quoddam vinum bonum primò apponi, quoddam verò poſtea apponi, quod deterius eſt, non tamen ſimpliciter malum, per quod ex conſequenti innuit, quoddam vinũ *Propoſit.* eſſe infimum, & ſic malum de ſe. Secundum hoc in verbis præmiſſis tanguntur tria: primò gratiæ diuinæ tamquam boni vini electio cum dicitur. *Omnis homo primum vinũ bonum ponit:* ſecundò malitiæ & culpæ diabolicæ reiectio, tanquam vini peſſimi, & hoc per comparationem ad bonum, quia vbicunque fuerit vnum oppoſitorũ, ibi erit & alterum; & oppoſita iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Tertiò crapulæ humanæ regulatio, cum dicitur, *quod deterius eſt*. Primum vinum eſt laudabile, ſecundum vituperabile, tertiũ tolerabile: primũ omnino purũ, ſecundum omninò fæculentum, tertiũ indifferens. primum ponit Chriſtus, ſecundum diabolus, tertium caro & mundus.

I.

Omnis homo primum bonum vinum ponit. Iſte homo poteſt dici Chriſtus, de quo dicitur in pluribus locis *Homo quidã fecit cænã magnã.* Si aũt fecit cęnã aut prãdiũ, neceſſa- *Luc. 14.*

rio

rio poſuit in ea vinum. Non eſt autem veriſimile, quod tantus homo regius poſuerit vinum malum, quin potius magnificentia regia dignũ, vt dicitur. *Vinũ quoq; vt magnificetia regia dignũ erat, abũdas & præcipuum apponebatur.* Vndè Deus pater, ex quo facit hodiè tẽpore gratiæ nuptias filio ſuo, vt dicitur Matt. 22. profert vinum electũ pro honore ſuo. Ponit autem Chriſtus triplex bonum vinum, ſcilicet compunctionis, deuotionis & fruitionis: de 1. patet in pſal. *Potaſti nos vino compunctionis.* Hoc vinum homini auertenti ſe a peccato eſt amarum: ſentit enim amaritudinem, & dolorem, ac ſi vinum recens & forte biberet. De hoc vino dicit ſaluator: *Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres:* patet quia gratia compunctionis non infunditur cordi habenti vetuſtatem peccati, ſed ambulanti in nouitate vitæ. Propter quod clamat Apoſtolus. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Ac ſi diceret: vinum nouum gratiæ diuinæ propè eſt, ideò præparate noua vaſa, id eſt, præparate corda veſtra domino. Hoc vinum habet tres effectus: primò prouocat peccatorum confeſſionẽ: ſicut enim in ebrioſo nullum manet ſecretum: ſimiliter in compuncto corde & habẽte iſtam gratiam. *Nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas.* Qui enim hoc vino inebriatus fuerit, quidquid habet in corde, reuelat, & quicquid diu latuit, patefacit. Et ſicut vinum nouum lagenas rumpit, ſic gratia compunctionis cor aperit. *Iob.* 32. *En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit.* O quam pauci bibunt de iſto vino, qui malè confitentur, & peccata abſcondunt! Secundò iſtud vinum inducit ad ſuiipſius humilitatem & contẽptum. *Inebriaberis atque nudaberis:* inebriaberis ſcilicet vino compunctionis, tũc quaſi nudatur homo, quando ſibi ipſi vileſcit, & coram alijs deſpicit ſemetipſum: ſicut Maria Magdalena quæ ſecundum Gregor. quia ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, nihil æſtimabat, quod erubeſceret foris. Ideò dicitur. *Factus ſum ſicut vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino.* O quam precioſum vinum humilitas ſui! Tertiò iſtud vinum præſtat ſecuritatem, & audaciam; ſicut vinum materiale; facit enim audacem contra dæmones. *Omnem mentem vertit in ſecuritatem.* Bonam ſecuritatem habent pœnitentes habentes promiſſionem regni cæleſtis; iuxta illud: *Pœnitentiam agite & appropinquabit vobis regnum cælorum.* Secundum vinum, quod ponit Chriſtus, eſt vinum deuotionis; Et habet tres effectus; primo facit timidos audaces ad omnia facienda & ſuſtinenda *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti.* Benè potauerat iſte in tertio cœlo, ideò fuit ſic audax, vt nec gladium, nec ignem, nec quicquid durum timuerit. Sic Petrus, qui prius fuit timidus negando Chriſtũ, poſtea fuit audax confitendo, quando dixit. *Magis oportet obedire Deo.* Hoc vino lætificatur triſtis, vt ſit iucundus: patet de Apoſtolis, qui cum muſto madere putabantur, vt dicitur, *Ibant gaudentes à concilio, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Acto.* 5. Secundo vinum hoc lætificat triſtes. Pſal. *Vinũ lætificat cor hominis.* O ſi nos biberemus iſtud vinum, vel ſaltem ſemel, vel vnam guttam, quam libenter ſufferemus tribulationes! ſicut Paulus, qui benè biberat ex ipſo, de ſeipſo dicit. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Sed heu pauci bibimus; ideò nihil patimur. Tertiò hoc vino ditatur pauper. Sicut enim ebrius vino materiali omnia ſe credit poſſidere, cũ nihil habeat; ſic deuotus quiſque habens gratiam, omnia videtur habere, iuxta illud. *Nihil habentes & omnia poſſidentes.* Et quomodo non omnia habet, qui Deum habet? *Venerũt mihi omnia bona pariter cum illa.* Tertium vinum, quod ponit Chriſtus omnibus beatis, eſt vinum æternæ fælicitatis & fruitionis beatæ: De quo dicunt beati hodiè Chriſto. *Seruaſti vinum bonum vſque adhuc.* De hoc etiam dicit Chriſtus. *Bibam illud nouum vobiſcum in regno patris mei.* Optimũ vinum: Primum enim eſt bonum, ſecundum melius, tertium verò hoc optimum, quia puriſſimum. *Faciet Dominus conuiuium vindemiæ defæcatæ,* id eſt, ſine fæce triſtitiæ, eò quod ibi *abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum.* Optimum vinum propter tres effectus: Primò quia faciet obliuiſci omnium dolorum, ſicut vinum materiale facit obliuiſci plagarum. *Bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris non recordentur amplius.* Secundò quia inducet copiam & abundantiam ſanctæ lætitiæ in anima. Pſal.

Inebria-

Eſther. 1. — *Vinum bonum triplex Chriſtus ponit.* — 1. *Compunctionis.* — *Luc.* 5. — *Epheſ.* 4. — *Huius effectus tres* 1. — *Prou.* 3. — *Iob.* 32. — 2. *Effectus* — *Thren.* 4. — *Gregor.* — *Ierem.* 23. — 3. *effectus.* — 2. *Eſdræ* 3.

Matt. 3. — 2. *Vinum deuotionis.* — *Effectus eius tres.* 1. — *Rom.* 8. — *Actor.* 5. — *Actor.* 5. — 2. — 2. *Cor.* 12. — 3. *Effectus.* — *Sap.* 7. — 3. *Vinum æternæ fælicitatis.* — *Matt.* 26. — *Iſaia* 25. — *Apoc.* 21. — *Huius tres effectus.* 1. — *Prou.* 31. — 2.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Et certè magna abundantia, vbi omne, quod volent ſancti, erit, & quod nolent, non erit.
3. Tertiꝰ effectꝰ, quia gratis dabitur vnicuiq;. Iſa. *Venite & bibite abſque vlla commutatione vinum & lac,* id eſt, humanitatem tanquam lac, & diuinitatem tanquam vinum, & ſic erit liberale vinum.

II.

Dixi ſecundò, quod in verbis præmiſſis deſcribitur malitiæ & culpæ diabolicæ tanquã vini mali, & peſſimi reiectio, quod eſt vinum vituperabile. Hoc vinum propinat diabolus, primò per culpam in præſenti: ſecundò in futuro per pœnam hic dat prægustare, ſed in futuro perfectè potabit peccatores. Dat autem multiplex vinum ſecundum multiplicem culpam: primo vinum immoderatæ cupiditatis. *Expergiſcimini ebrij & flete & vlulate omnes, qui bibitis vinũ in dulcedine.* Hoc vinum bibebant filij Iob cum ſororibus ſuis in conuiuio Iob. 1. qui poſtea interempti ſunt. Dat ſecundò vinum carnalis voluptatis. *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens.* Sic bibit Loth Gen. 19. qui inebriatus, commiſit inceſtum cum filiabus. Tertiò dat vinum ſuperbiæ. De quo. *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Notanter dicitur vinum iniquitatis in ſuperbis, id eſt, inæqualitatis. Quæ enim maior inæqualitas, quam non ſubeſſe ſuperiori, non conformari æquali, & contemnere inferiorem. O quam multos exterminauit vinum iſtud, vt dicitur Eccl. 31. Certè plurimos, quia diabolum de cælo, hominem de paradiſo, reges de ſolio, vt Nabuchodonoſor, Antiochum, & Saulem: de quibus longum eſſet hic tractare.

Vinum peſſimum quod. — *Multiplex.* — 1. *Ioha. 1.* — 2. *Prou. 20.* — *Vinum luxuriæ fomentũ.* — 3. *Prou. 4.*

Poſt illud vinũ culpæ miniſtrabit diabolus vinum pœnæ æternæ, de quo in Pſal. *Veruntamen fax eius non eſt exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* O vinum peſſimum penetrans ad interiora cordis! de quo dicitur. *Inebriabimini & non à vino,* quaſi diceret, imo à pœna. Iſtud vinum habebit tres effectus maledictos, ſcilicet amaritudinem, quia erit amariſſimum; ſecundò quia erit turbulentiſſimum; tertiò quia erit mortiferum. De primo dicitur. *Vua eorum vua fellis, & botrus amariſſimus. Ecce ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle.* Habebunt enim damnati cibum & potum, quia patientur in corpore, & anima. Tertiò erit turbulentiſſimum, quia turbabit dãnatorum conſcientias: Vnde in Pſal. *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius. Clamor erit in plateis ſuper vino.* In plateis enim inferni vnus damnatus litigabit contra aliũ; quia ibi filius maledicet patri, & filia matri, dicens illud. *Va mihi mater mea, quia me genuiſti virum doloris. Tumultuabitur puer contra ſenem.* Nec ſolũ ad inuicem litigabunt, verum etiam contra Deum exurgent, quem blaſphemabunt, vt dicitur Apoc. 16. Tertiò erit mortiferum, ſiue toxicatum, ſecundum illud. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Et propter hoc dicitur Hierem. 51. *In calore eorum potus eorum, & inclinabo eos, vt ſopiantur & dormiant ſomnum ſempiternum.* Malus ſomnus perpetuæ mortis. Ecce vinum amarum, turbulentum, & mortiferum peſſimum ſanè, execrandum, ideoque omnibus cane peius & angue fugiendum.

Iſa. 51. — *Deut. 32.* — *Hier. 23.* — *Iſa. 24.* — *Hier. 15.* — *Iſa. 3.* — *Deut. 32.*

III.

Quod deterius eſt. Iſtud vinum eſt carnis & mundi: de quo dicitur Prouerb. 20. *Luxurioſa res eſt vinum:* Et Apoſtolus. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Hoc vino continuò potantur mundani & carnales, qui nihil aliud, quam deſideria carnis perficientes, dicunt illud peſſimum verbum Sap. *Vino precioſo & vnguento impleamus nos, & non prætereat nos flos temporis.* O quam peruerſus ordo rationis in talibus, in eo quod dicunt, *impleamus*; non ſufficit eis bibere ad neceſſitatem; ſed addunt ad ſuperfluitatem, *impleamus*; cum tamen vinum in iucunditate & moderatione ſit creatum ab initio, vt dicitur. Vnde ibidem: *Exultatio animæ vinum cum temperantia.* Ecce quomodo non culpatur vinum in ſe, niſi immoderatè ſumptum. Ideò dixi notanter, quod vinum iſtud eſt deterius, non tamen ſimpliciter malum, ſed quaſi indifferens, quia ſobriè ſumptum confert ſaluti; ſed ſuperfluè ſumptum nocet animæ & corpori.

Vinũ deterius quid moraliter. — *Prou. 20.* — *Epheſ. 5.* — *Sap. 2.* — *Eccl. 31.*

Vinum immoderatè ſumptum nocet quadrupliciter.

Quomodò autem noceat breuiter audiamus: ſciẽdũ vſum vini immoderatũ nocere homini quadrupliciter: primò quia eſt detrimentum libertatis: ſecundò, quia inducit confuſionem honeſtatis: tertiò quia eſt complementum voluptatis: quartò quia eſt experimentum ſeu ſignum fatuitatis. De primo patet; nam prima radix ſeruitutis, & ignobilitatis fuit per vinum, vt dicitur Geneſ.9. vbi Noe cum plantaſſet vineam, & fructum collegiſſet, expreſſo ſucco bibit, & inebriatus eſt, dormienſque in tabernaculo nudauit fęmora: ad quem accedens filius eius Cham & videns nuditatem eius, patrem deriſit: quod pater reſciens, ipſum vnà cum filijs ſuis in ſempiternum perpetua ſeruitute damnauit: & hæc fuit origo ſeruitutis, ſicut dicit Auguſtin. Ecce plura mala: primò priuatio vſus rationis, & ſenſus, vt ſe non ſentiat, vt beſtia, & ſit quaſi dormiens, quod notatur in eo quia dormit: ſecundò expoliatio virtutum, imò etiam diuitiarum; quia communiter magni potatores fiunt pauperes, iuxta illud: *Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur*. Hoc patet ad oculum in noſtris artificibus, qui continuè capiunt pecuniam ex artificio, & tamen non ditantur, non ex alio, niſi quia hauſtu bono & delicatis ferculis delectantur; vnde & ipſi, vbi magnus Dominus non daret vnum groſſum dāt duos pro recenti piſce, vel carne. Sed quid contingit eis in ſenio, certè egeſtas maxima, quia tales, vt communiter, in mendicitate moriuntur. Tertiò facit deriſibilem, non ſolum inimicis, ſed etiam amicis, quia filijs. Quartò inducit ſeruitutem in ſucceſſoribus: nam filij potatorum communiter ſubijciuntur ſeruituti aliorum; ſicut Noe filio euenit Hinc ſicut dicit Auguſtinus multi propter vinum amiſſis honoribus ignobiles remanſerunt, & laribus paternis profugi, vitam, non vbi ſumpſerunt, finierunt. Secundò vinum immoderatè ſumptum eſt confuſio honeſtatis: confundit enim & deturpat hominis honeſtatem. Quid enim turpius ebrioſo, cui fætor in ore, tremor in corpore; promit ſtulta, pandit occulta; cui mens alienatur, facies transformatur. *Nullum erit ſecretum, vbi regnat ebrietas*. Et: *Non eſt animus in ſua poteſtate ebrietate deuictus, quemadmodum muſto dolia ipſe rumpuntur, & quod in imo iacet, in ſummam partem vis caloris eructat*. Patet ad ſenſum: nam multa ebrij faciunt contra honeſtatem, quę ſobrij erubeſcunt. Ideò Seneca dicit, ebrietatem nihil eſſe, niſi voluntariam inſaniam. Refert idem, vbi ſupra Epiſtola 88. de Alexandro Macedone, quod inebriatus Titum tirum ſibi cariſſimum ac fideliſſimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore, cum eſſet ſobrius mori voluit. Fingitur a quibuſdam prout refert Holcoth, Quia imago ebrietatis ſic pingebatur à Romanis. Primò imago pueriſis, cornu habens in manu, & in capite coronam de vitro. Pueriſis pingebatur in ſignum quod facit hominem puerum elinguem, & inſenſatum more pueri. Cornu habebat in manu, in ſignum quod ſemper tubat & prodit ſecreta & clamando reuelat. Coronam habebat vitream, quia reputat ſe glorioſum & diuitem, cum nihil habeat. Et hæc eſt vna cauſa, quare regibus & principibus prohibetur vinum. Noli inquit ſancta mulier mater Salomonis ô Lamuel vinum dare regibus, ne obliuiſcantur iuſtorum iudiciorum: quia nihil ita periculoſum eſt reipublicæ, ſicut ebrietas in rege vel principe. Vnde dixit Sapiens. *Væ terra cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt*. Et certè væ, quia à tali principe vltiones indebitè aut indefinitè & præcipites irrogantur, conſultationes acceptæ in iniuriam aliorũ incautè reuelantur, ordinationes reipublicæ conceſſæ & vtiles retractantur. Narrat Valerius libro.6. cap. 2. Quod mulier quædam innocens damnata fuit à Philippo rege temulento & ebrio, quæ propriæ innocentiæ conſcia clamauit. Apello inquit à Philippo ebrio ad ſobrium. Quo verbo regis ebrietatem excuſſit, qui cauſam diligenter inſpexit, & mulierem liberam à pæna dimiſit. Tertiò vinum eſt complementũ voluptatis. Verecundia namque bona multos cohibet à peccatis, & vbi illa per vinum aufertur, voluptas quæ latuit in corde ſine pudore ſe detegit. Vnde Seneca Epiſtola 120. dicit plures, pudore peccãdi, quam bona voluntate prohibiti ſunt à ſcelere. At vbi

Margin notes: 1. — 2. — 3. — 4. — *Aug. l.19 de ciuit. Dei c.15.* — *Aug. in li. ad ſacr. Virg.* — *Ebrietatis turpitudo.* — *Senec. ep. 120.* — *Ebrietas inſania volũtaria.* — *Holcoth. in l. Sap. cap. 2.* — *Regibus cur vinũ prohibeatur.*

vbi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat emergit. Quartò vinum eſt experimentum fatuitatis, quia ſi homo ſit diſpoſitus ad quodcumque malum, in ebrietate poteſt de eo capi experimentum. Eccli.31. Vinum corda ſuperborum arguit, id eſt, oſtendit & proponit. Ex præmiſſis infero, quod ebrietas & omnis potus inordinatè & intemperatè ſumptus, nocet cuilibet ſtatui. Patet ab inferiori ad ſuperius cū confuſione arguendo. Nam ſi pauper eſt nō ditabitur, ſicut ſupra patuit. Si diues eſt depauperabitur & ſubſtantia nudabitur. Si iuuenis eſt non docebitur, quia vinum immoderatè ſumptum turbat acumen ingenij. Si eſt ſenex & doctus infatuabitur, quia vinū & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes Eccl.19. & 31. Iſtud patuit in Salomone, qui licet ſapientiſſimus, tamen infatuatus eſt ebrietate & voluptate. 3. Reg.11. Denique ſi caſtus eſt ipſe polluetur. Patet de Loth qui ebrius inceſtum commiſit cum duabus filiabus, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. Et quo ad hoc dicit Orige. ſuper Geneſ. homilia.5. quod licet Loth excuſari poſſet quod propoſitum & voluntatem peccandi non habuit, inculpandus tamē eſt, quia vino nimis indulſit. Et ideò dicit quod ebrietas peior fuit quam Sodoma, quia ebrietas decepit, quem Sodoma non decepit. Vritur ille flammis mulierum, quē ſulphurea flamma nō vſſit. Præterea ſi quis honeſtus eſt ebrietate confundetur. Quia vt dicit Hieronymus: Noe ad vnius ebrietatis horam nudauit fæmora quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Sed etſi quis fortis eſt vincetur. Patet de Holoferne, quem nimia ebrietate ſopitum Iudith vidua occidit. Et de Alexandro de quo refert Seneca, quod licet eum totus mundus ſuperare non potuit, tamen ſola intemperantia vicit; quia in ebrietate lethale poculum hauſit, à quo & obijt. Poſtremo ſi quis ſanctus eſt ipſe contaminabitur ebrietate. Vnde ſacerdotibus qui ſancti erant prohibebatur vinum, quando tabernaculum ingrediebantur, ſicut patet Leuitici 10. ne in ſanctitate contaminarentur. Ex quibus patet, quod licet omnibus ſit vinum nociuū, tamen præcipuè regibus & principibus, ſacerdotibus & ſapientibus, continentibus & virginibus. Et eſt ratio, quia iſti tenentur magis eſſe ſobrij & ratione vigere.

Gen.19. *Hier. ad Occ. in ep.* *Iudith 13.* *Sen ep.84*

Dubium.

Circa præmiſſa occurrit dubium ſatis pulchrum. Vtrum vſus vini ſit homini licitus, & idem de quolibet potu inebriante. Et videtur quod non, quia dicitur. *Cogitaui à vino abſtrahere carnem meam, vt animam meam ad ſapientiam transferrem.* Sed ſine ſapientia homo non poteſt ſaluari, ergò &cæt. quia *Neminem Deus diligit niſi qui cum ſapientia habitat.* Igitur neceſſe eſt homini abſtrahi à vino. Secundo, quia bonum eſt non manducare carnem, nec bibere vinum, ſed ceſſare à bono virtutis eſt vicioſum & illicitum. Tertiò quia Hieronymus dicit, vinum cum carnibus poſt diluuium eſt dedicatum, Chriſtus autem venit in fine ſæculorum, ideò extremitatem traxit ad principium: ergo tempore legis Chriſti eſt illicitus vini vſus. Ad oppoſitum eſt Apoſtolus dicens: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere.* Ad quæſtionem reſpondet Holcoth dicendo, quod per ſe loquendo vſus vini homini eſt valdè licitus, poteſt tamen contingere quod alicui homini ſit illicitus, vel ex conditione bibentis, vel aliorum qui de ſuo facto fortè ſcandalizarentur. Ex conditione bibentis, quia fortè ex tali potatione perdit caput, linguam & pedes de facili: vel quia ex voto ad abſtinentiam ſe aſtrinxit. Ad primum ergo dico quod licet hoc ſit perfectionis & conſilij, non tamen vſus vini ideò eſt illicitus. Aliter dupliciter quod ſapientia eſt duplex. Vna quæ à Deo infunditur, alia per ſtudium & doctrinam acquiritur. Et certè reſpectu primæ diſponit abſtinentia à vino; reſpectu vero ſecundæ non. Ad ſecundū dico quod Apoſtolus prohibet ſolum Romanis conuerſis ad fidem, quod nec carnibus nec vino vtantur in ſcandalum Chriſtianorum de nouo conuerſorum. Ad tertium dico quod Hieron. vult dicere, quod Chriſtus à vino retraxit tanquā ab impedimēto perfectionis, ſi exceſſiuè ſumatur. Nos igitur fratres potiti de illo vino primo ſc. gratię Chriſti cōpunctionis

Eccl. 2. *Sap.7.* *Rom. 14.* *1.Tim.5.* *Holcoth ſup. lib. Sap. ca. 2.*

ſtionis & deuotionis ſumamus, & vinum diaboli ſimpliciter malum abijciamus. Quatenus vino materiali temperatè vtentes, ad vinum ſempiternæ fruitionis perueniamus. Ad quod nos perducat Ieſus Chriſtus.

DOMINICA SECVNDA POST OCTAVAS EPIPHANIAE SERMO I.

Cum deſcendiſſet Ieſus de monte. Matt. 8.

IN hac Dominica recolit mater ſancta Eccleſia duo magna beneficia humano generi per Chriſtum impenſa, ſc. beneficium curationis lepræ & paralìſis. Quas duas paſſiones & infirmitates Chriſtus miraculosè in duobus hominibus perfectè ſubito vnico verbo curauit, ſignificans per hoc quod ſi nos deuotè ad ipſum clamauerimus, exemplo iſtorum ab omnibus infirmitatibus mentis noſtræ curari merebimur. In figura huius Maria
Num. 12. ſoror Moyſi, quæ propter murmur à Domino percuſſa fuit lepra, clamans ad Dominum ſanata eſt. Sic debet facere anima lepra peccati infecta, dicens cum Pſalmiſta: *Ad Dominum cum tribularer clamaui.* In figura huius etiam Naaman Syrus curatus eſt à lepra per lotionem in aqua Iordanis, ad ſignificandum quod nos curari volentes à lepra peccati, debemus lauari in aquis lachrymarum; & hoc ſepties, id eſt, omni tẽpore vitæ noſtræ. Magna ergo confidentia datur hodiè peccatoribus, quos Deus paratus eſt ab omni infirmitate mentis curare, ſi ad eum deuota humilitate recurrant, exemplo iſtius leproſi, de quo dicit Euangelium. *Cum deſcendiſſet Ieſus de monte.* Super quo veſtræ charitati aliquid dicere expediret. Verum quia omnes ferè infecti ſumus lepra peccati, ita quod ſi dixerimus ꝙ
Ioan. 1. peccatum non habemus, nosipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; *Omnes e-*
Rom. 5. *nim peccauerunt & egent gratia Dei,* ideoque neceſſaria eſt nobis gratia ſpiritꝰ ſancti, per quam corda noſtra ab hac peccati lepra mundarentur. Quam vt obtinere mereamur, matrem gratiæ ſalutemus dicentes ei voce amœna. *Aue gratia plena.* In Euangelio præſenti tria deſcribuntur: primum eſt leproſi per Chriſtum mundatio, cum dicitur: *Cum deſcendiſſet Ieſus.* Secundum eſt ſerui Centurionis a paraliſi curatio, *Cum autem introiſſet Capharnaum.* Tertium eſt gentilium ad Chriſtum conuerſio & Iudæorum reprobatio, *dico autem vobis.* Propoſit.

I.

Cum deſcendiſſet. Pro quo ſciendum quod iſta mundatio facta eſt primo anno prædicationis Chriſti. Chriſtus enim conuocatis Apoſtolis ſuis quadam vice aſcendit in mõtem Thabor, qui mons eſt in Syria, vel ſecũdum alios in Galilęa, & ibi eleuatis oculis in diſcipulos docebat eos dicens: *Beati pauperes ſpiritu.* Cui etiam ſermoni interſeruit orationem Dominicam, ſcilicet Pater noſter, vt dicit Magiſter in Scholaſtica hiſtoria. Quo facto miſit diſcipulos de illo monte ad prædicandum per Iudæam tantũ, prohibens eis ne intrarent ciuitates gentium nec Samaritanorum. Et deinde deſcendens de illo monte, occurrit ei leproſus in turba, quæ ſequebatur Chriſtum ab illo monte ſecundo miliario à Capharnaum. Iſte igitur leproſus cæpit clamare ad Chriſtum dicens. *Domine ſi vis potes me mundare.* Et tanguntur hic plura circa iſtã mundationem. Primò, locus, quia in deſcẽſu montis. Secundò, perſonę coram quibus, quia in præſentia turbarum. Tertiò, grauitas morbi. *Ecce leproſus.* Quartò, deuotio & humilitas infirmi, *veniens adorabat.* Quintò, deuota oratio & ſupplex deprecatio. *Domine ſi vis.* Dicit ergo. *Cum* *Quid circa leproſi mundationem conſiderandum.*

deſcen-

deſcendiſſet Ieſus de monte, ſcilicet poſt completum ſermonem coram diſcipulis in mōte factum, *ſecutæ ſunt eum turbæ multæ*. Diuerſi ex cauſis diuerſis Chriſtum ſequebantur, ſecundum Origenem. Quidam ex deuotione propter ſanitatem ſuæ vitæ & doctrinæ, vt Magdalena, Iohanna, & aliæ ſanctæ mulieres. Aliqui ex curioſitate vt viderent miracula & audirent noua, vt ſimplices Judæi. Aliqui vt inſidiarentur, vt phariſæi, & aliqui vt ab eo curarentur, ſicut infirmi, de quibus erat vnus iſte de quo dicitur hic. *Ecce leproſus.* Verſus. *Morbus, ſigna, cibus, blaſphemia fuere Cauſa, cur dominum turba ſecuta fuit.* Sic multi hodie vadunt ad prædicationem, non vt ædificentur, ſed vt nouitates audiant, aut vt in ſermone ſacerdotem capiant & calumnientur, ſicut phariſæi, qui miſerunt ad Chriſtum vt caperent eum in ſermone. Sed audiuerunt eis dici. *Quid me tentatis hypocritæ?* Sequitur. *Ecce leproſus veniens adorabat eum.* In Marco habetur quod venit genu flexo. Et in Luca habetur quod procidens in faciem ſuam rogabat. In quo oſtenditur perfectio ſuæ humiliationis & deuotio orationis.

Turba cur Chriſtū ſecuta.

Quid autem dixerit aut quomodo orauerit, ſequitur dicens. *Domine*; ecce confeſſio veritatis. *ſi vis*; non petit ſimpliciter quod eum mundet, ſed hoc poſuit in eius voluntate. Ergo iſte leproſus confitetur in Chriſto poſſe, quia *Domine potes.* Deprecatur velle, *Si vis*; Supponit neceſſe, *me mundare.* Sapient. 12. Subeſt tibi poſſe cum volueris. Et ſic patet quod iſte leproſus habuit magnam fidem de Chriſto & deuotione ad Chriſtum. Vnde Origen. in homil. ex perſona iſtius leproſi dicit: Tu qui digne adoraris, qui meritò coleris, te ego vt dominum adoro, ideoque & Dominum dico. Per te enim omnia facta ſunt, ideò *ſi vis potes me mundare*. Voluiſti vt hæc immundiſſima lepra ſuper me veniret, ſiue propter mea peccata, ſiue propter tuā prudentiam, vt mirabiliter me mundans magnificeris, omnia diſpenſanter & prudenter facis, & ſalutem largiter tribuis. Siue ergo hanc lepram propter peccata mea portaui, dimittens culpas meas munda me. Siue propter tuam prudentiam, mirabiliter me munda vt ab omnibus magnificeris. *Domine, ſi vis potes me mundare.* Non dubito, non fallor, non dico ſicut ille qui filij ſui ſalutem deprecabatur dicens: Si quid potes adiuua me, ſed ſcio quia omnia potes, ideoque non potentiam peto, non fortitudinem quæro; has enim ſcio eſſe indeficientes, ſed tantum voluntatem tuam deprecor. *Si vis* ergo *potes me mundare*, mihi ad beneficium, tibi ad laudem, videntibus autem ad miraculum & ad proficiendi doctrinam. Hæc Origenes. Sequitur, *Et extendens manum Ieſus dixit: Volo, mundare.* Licet Chriſtus potuiſſet curare vnico verbo, ſicut confitetur centurio infra in euangelio, tamen apponit manum, quia humanitas Chriſti erat quaſi organum ſeu inſtrumentum ipſius diuinitatis. Et ideò ſicut artifex operatur mediante inſtrumento; ſic virtus diuina in Chriſto per applicationem humanitatis aliqua faciebat, vt eam tanquam coniunctum inſtrumentum diuinitatis declararet. Sed cōtra. Fuit in lege prohibitum tangere leproſum, ergo Chriſtus contra legem fecit, qui non venit ſoluere legem. Reſpondeo, prohibitū fuiſſe illi qui non potuit curare, non qui potuit. Vnde Helias & Heliſæus tangendo leproſos non peccauerunt; ſimiliter nec Chriſtus, cuius tactus neceſſarius fuit propter multa, ſecundum Gorran. ſuper Lucam. Primò propter exemplum humilitatis, ſcilicet vt doceret nullum propter maculam corporis eſſe ſpernendū. Et hoc cōtra illas delicatas dominas, quæ dedignantur manibus annuloſis & ornatis tangere infirmos in hoſpitali. Contra quas Auguſtin. inuehitur, confundens eas non vt Chriſtianas, ſed peiores paganis. Secundò fecit hoc Chriſtus propter deſtructionem hæreſis Manichæorum, dicentium Chriſtum habere corpus phantaſticum. Tertiò propter oſtenſionem ſuæ potentiæ per quam tulit iſtius leproſi contagium. Quartò propter manifeſtationem temporis gratiæ & ceſſationis legalium. Vnde licet Chriſtus aliter curare potuit, non tamen aliter decuit ex cauſis prædictis. Dicit ergo, *extendens manum*, quod fuit liberalitatis contra auaros, qui habent manum curtam, breuem & aridam.

Curando leproſum Chriſtus manum quare appoſuit.

Leuit. 13.

Matth. 5.

3. Reg. 17.
4. Reg. 4.

Chriſti tactus fuit neceſſarius & quare.

1.

Aug. li. de vit. Chriſti.

2.

3.

4.

Prou. vlt.

Non ſic Chriſtus, qui manum ſuam aperuit inopi. Tetigit quod fuit humilitatis contra ſuperbos, vt dictum eſt, dicens: *Volo*, contra inuidos qui nihil boni volunt; *mundare*, quod eſt poteſtatis contra incredulos. Et eſt hic imperatiuus, id eſt, munderis, vel ſis mundus, vt ſint duæ conſtructiones. Et *confeſtim mundata eſt lepra eius.* Quia ipſe dixit & facta ſunt omnia. Auguſtinus dicit hic. Nihil medium inter præceptum eius & opus. Mundata eſt lepra feſtinanter, quia confeſtim: totaliter, quia mundata: non tantum diminuta lepra eius, id eſt, tam notabilis viri qui ſic magnificè credit, plenisſimè confitetur, & fiducialiter accedit.

Sequitur nunc mandatum triplex. Primum fuit vt taceret miraculum. Secundum vt publicaret ſacerdotibus mundationem. Tertium vt offerret munus in teſtimonium. De primo dicit: *Dixit ergo ei Ieſus. Vide nemini dixeris.* ſcilicet miraculum factum, quod non fecit ſine magno myſterio. Sed diceres, tamen Thobiæ 12. dicitur: Opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt, ergo non eſt prohibendum. Ad quod reſpondetur, quod præceptum quoddam eſt obligans ad faciendum, ſicut illud, *Honora patrem*, quod eſt propriè dictum præceptum. Aliud eſt tentans ad probandum, & hoc eſt impropriè dictum; vt illud, *Tolle filium tuum Iſaac & offer mihi illum in holocauſtum.* Tertium eſt præceptum docens ad ſciendum vt hic. Vnde iſtud non obligat ad faciendum, ſed inſtruit ad aliquid cognoſcendum, & ſic fuit hic præceptum non ſimpliciter prohibens actum, ſed aliquid circa actum. Vnde per hoc Chriſtus docuit nos, vt beneficia quæ facimus non diuulgemus ſed ſubticeamus, & hoc vt abſtineamus à mercede humanæ & vanæ gloriæ. Secundò Chriſtus hoc fecit propter facti ſufficientiam, quia ita euidens erat miraculum, vt non eſſet neceſſe ſermone iactare quod opere prætendebat. Tertiò propter credentium ſpontè maiorem vtilitatem, vnde hic gloſſa dicit. Non imperatur ſilentium, ſed quia meliores reputabat qui fide ſpontanea magis quam qui ſperatis beneficijs crediſſent. Secundo præcepit illi dicens: *Vade oſtende te ſacerdoti*, idque propter plura; & primò propter legis præceptum. Nam Leuiticorum 14. dicebat, quod nullus debuit mundatus reſtitui ad communem habitationem hominum, niſi prius iudicaretur mundatus per ſacerdotis iudicium, & fieret pro eo oblatio; ideò dicit: *Vade oſtende te ſacerdoti.* Fecit ergo Chriſtus hoc propter legis approbationem quæ pro illo tempore bona erat. Secundò propter poteſtatis manifeſtationem, vt oſtenderet ſe poſſe quod lex non poſſet. Tertiò vt haberet teſtes miraculi. Quartò propter ipſorum vtilitatem, vt videntes crederent & ſaluarentur. Quintò propter honorem ſacerdotibus impendendum. Sextò propter myſticam doctrinam, vt innueret quod ad ſpiritualem mundationem neceſſarium eſt officium ſacerdotis in ſuſceptione ſacramentorum.

Præceptū triplex eſt obligans [illegible]

Sacerdotis ſe oſtendere cur iuſſus leproſus.

Et offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Iſtud habetur Leuitici 14. Et gloſſa dicit ſuper Lucam, quod offerebant tortam panis & duos turtures & ſextarium, id eſt, duas libras olei. Sed Leuitici 14. dicitur, quod erant duo agniculi immaculati & ouis annicula abſque macula, & tres decimæ ſimilæ, & olei ſextarium. Sed hæc fuit oblatio diuitum, illa autem pauperum. Sed contra: Chriſtus venit ad euacuandum legalia, ergo non debuit ea præcipere. Reſponſio. Non prius debuit auferri ſignum omninò, quam confirmatum eſſet ſignatum, id eſt, donec corpus Chriſti fuiſſet glorificatum, & ideò à reſurrectione Domini legalia quantum ad cæremonias ceſſare debuerunt, non autem antè. *In teſtimonium illis*, id eſt, vt teſtimonio ipſorum mundus habearis, vt ſi fortè velint te poſtea expellere, obijcias eis, quia à te munera iuxta legis præceptum receperunt.

Documēta tria.

Circa mundationem huius leproſi tria ſunt notanda ſpiritualiter. Primò quid ſignificet iſte leproſus. Secundò quæ ſunt neceſſaria ad mundationem lepræ ſpiritualis. Tertiò quis ſit modus mundationis eius. De primo ſciendum quod iſte leproſus ſignificat genus humanum; Leproſus ſiquidem eſt turgidus per ſuperbiam. Ierem. 13. *Putreſcere faciam ſuperbiam.* Rabidus per inuidiam. *Oculi eius contabeſcent.* Zach. 14.

Leproſus quid ſignificet.

1.

Tepi-

Apoc. 3. Eccl. 23. Mich. 2. Pſalm. Iſaia 34.

Tepidus per accidiam. *Vtinam calidus eſſes aut frigidus, ſed quia tepidus es, &c.* Calidus per auaritiam. *Anima calida quaſi ignis ardens.* Putridus per gulam. *Propter immunditiam eius corrumpetur putredine peſſima.* Turbidus per iracundiam. *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius.* Fetidus per luxuriam. *Ex cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* Et benè luxuria propter ſuum contagium ſignificatur per lepram Primò quia corpus deturpat. *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat.* Secundo quia ſitim & ardorem concupiſcentiæ generat. Eſt enim malum iſtud tale quod non poteſt illud odire ſtomachus ſaturatus, vt dicit Hierony. Tertiò quia appropinquãtes inficit. *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea*; ob id in ciuitatibus benè ordinatis leproſi de ciuitatibus propelluntur, & ad iſtum modum lupanaria deberent extra ciuitates collocari. Quartò quia membra conſumit & vaſtat, ſcilicet oculum intelligentiæ, Aures obedientiæ, Nares diſcretionis, Capillos deuotionis, Manus bonæ operationis. Barbam fortitudinis, ſupercilia ſanctæ affectionis, linguã orationis & prædicationis. Ideò dicitur: *Fugite fornicationẽ.* Et ſic patet de primo quid ſignificet iſta lepra. De ſecundo ſciendum quod tria ſunt neceſſaria ad mundationem. Primum eſt mentis humiliatio, vnde dicitur in Luca quod procidens in faciem adorabat. Et hic dicitur quod veniens adorabat, quæ omnia denotant humilitatem per quam homo meretur gratiam. *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Hoc eſt contra noſtrates qui in Eccleſia ſtant erecti vt ſtatuæ & columnæ, cum tamen in nomine Ieſu omne genu flectatur. ad Philip. 2. Iſti timent puluerem caligarum, & non timent ſordes animarum. vt dicit Auguſtinus. Secundum eſt deuota ſupplicatio; vnde in Luca habetur, *Rogabat eum. Omne debitum dimiſi tibi, quoniã rogaſti me.* Tertium eſt cõfidentia de diuino auxilio in eo quod dicit. *Domine ſi vis potes me mundare.* quaſi dicat, non dubito de poteſtate, ſed de voluntate; etſi enim tu omnipotens, ego tamen indignus. Iſtam formam conditionalis orationis deberent ſeruare orantes, maximè poſtulantes temporalia, quę non niſi ſub conditione ſunt petenda, ſcilicet in quantum deſeruiunt neceſſitati temporali & ſaluti: Iſta enim eſt ordinata oratio, quando ea quæ principaliter reſpiciunt ſalutem, ſimpliciter petimus; ea verò quæ neſcimus quomodo aut qualiter ſaluti deſeruiant, ſub conditione petamus, inquit S. Thomas 22. contra illos qui petunt temporalia, ſiue vtilia ſint ad ſalutem animæ, ſiue non, cum tamen Paulus repræhenſus eſt quod petebat amoueri à ſe ſtimulum qui ſibi fuit vtilis.

1. Cor. 6. Eccl. 13. 1. Cor. 6. Ad leproſi mũdationem tria requirũtur. Iacob. 4. Augu. lib. de ſer. do. in Mont. Matt. 18. 2. Cor. 12.

Tertiò modus mundationis ſpiritualis ex parte Chriſti, conſiſtit in quatuor. Primum eſt parata largitas miſericordiæ, *quia extendit manum ſuam.* Prouerbiorum 1. *Extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret.* Secundum eſt infuſio gratiæ, *tetigit eum. Ego ſto ad oſtium & pulſo.* Tertium eſt deſiderium ſalutis humanæ. *Vult omnes homines ſaluos fieri.* Quartum remiſſio culpæ, *mundare. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini.* Sed quia parum valeret mundatio animæ à peccato, ſi non adhiberetur cautela in futurum, ideò ponuntur hic quattuor cautelæ peccatorum. Prima eſt contritio ſeu dolor perpetuus de peccato, quotiens enim homo recordabitur peccati perpetrati & iam dimiſſi vt ſtatim doleat. Vnde dicitur, *Confeſtim diſceſſit lepra.* Secunda eſt erubeſcentia de peccato vt illud occultet, & non publicet alijs. Vnde dicitur, *Nemini dixeris*; contra illos de quibus dicitur Iſaiæ. *Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt.* Tertia eſt peccati per confeſſionem manifeſtatio. Vnde dicitur, *Vade oſtende te Sacerdoti* Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Quarta eſt ſatisfactio, de qua dicitur, *Offer munus tuum*, ſcilicet tortam panis audiendo verbum Dei, quod eſt panis animæ; duos turtures, ſcilicet perſeuerantiam duplicis caſtitatis, corporis & animæ, ſextarium olei in ſex operibus miſericordiæ & pietatis. Et ponitur hic pulcher modus confeſſionis. Debet enim confeſſio eſſe primo ſpontanea, non coacta. Vnde dicitur, *Vade*, quaſi dicat nõ expectes quod veniat ad te presbyter in agone. Eccl. 17. *Viuens & ſanus confiteberis.*

Apoc. 3. 1. Tim. 2. Ezech. 36. Peccatorum cautelæ quatuor. Confeſſionis modus. Eccl. 17.

Pſal.

Pſal. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Secundò debet eſſe nuda & aperta, non palliata ad excuſandas excuſationes in peccatis, propter quod dicitur, *Oſtende*, non inuolue. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur.* Tertiò debet eſſe propria, ideò additur, *te*, non alium Sicut fecit Adam imponendo culpam Euæ. *Non confūdaris confiteri peccata tua.* Quarto debet eſſe ſacramentalis; vnde dicit, *ſacerdoti*, nam laico facta non eſt ſacramentalis, licet habeat ſpeciem ſacramenti, cum laicus abſoluere vel ligare non poſſit. Quinto debet eſſe ſatiſfactoria, vnde dicit, *Et offer munus*, id eſt ſatiſfac pro peccato. Sextò vt ſit ordinata non confuſa, ideò dicitur, *quod præcepit Moyſes*, Debet enim pœnitēs parere arbitrio diſcreti ſacerdotis iuxta præceptum ſcripturæ, vnde pænitentia regulariter danda eſt ſecundum canones, niſi aliud ſuadeat neceſſitas, de quo de pœnitentia. Et tantum de primo principali.

Prou. 28.

Gen. 3.

Eccl. 4.

I I.

Sequitur. *Cum introiſſet Capharnaum.* Ponuntur hic tria. Primò petitio centurionis fidelis & deuota, quia *acceſſit.* Secundò promiſſio curationis à Chriſto, *ego veniam.* Tertiò effectus curationis. *Dixit Ieſus Centurioni.* Centurio iſte fuit gentilis & alienigena, & centum militum princeps, poſitus à Romanis ad cuſtodiam principalis ciuitatis Galilææ ſcilicet Capharnaum, quia tota terra illa ſubdita erat Romanis, propter quod Iudæi dixerunt Pilato. *Regem non habemus niſi Cæſarem.* Sed contra Lucæ 8. habetur, *miſit ad eum ſeniores.* Reſpondeo ſecundum Auguſtin. quod acceſſit, & ſi non perſonaliter, tamen per nuncios. Eſt autem regula: quod quis facit per alium, per ſe facere videtur, *de regul. iuris lib. 6. Quod quis.* Secundò & ſi non acceſſit corporaliter, tamen ſpiritualiter. Tertiò & ſi non acceſſit corporaliter, tamen per ſeniores & familiares Chriſto legationem ſuam miſit. Dicit autem Lyran. quod non acceſſit perſonaliter, quia gentilis erat, reputans ſe indignum ad hoc impetrandum, ſed miſit ad Chriſtum principes Judæorum, vt dicitur Lucæ 7. vt per eos curationem ſerui facilius impetraret, & dicitur *acceſſit ad eum Centurio*, ſcilicet per amicos. Centurio qui habebat cētum homines in armis ſub ſe, ad cuſtodiam terræ ipſius, ne forte velit contra Romanos rebellare. Jſte autem Centurio auditis miraculis Chriſti, firmiter credidit quod poſſit ſanare filium ſuum qui erat ei valdè carus, vt dicitur Luc. 7. ideò de eius ſanatione fuit ſolicitus. Hoc eſt contra illos Dominos, qui ſtatim vt ſeruus ægrotare cœperit, derelinquunt eum in media via, cum dicat Sapiens: *Seruus fidelis ſit tibi ſicut anima tua.* & ibidem. *Quaſi fratrem tracta illum.* Et *Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus.* Deinde ponitur eius petitio, *Domine puer meus iacet in domo paraliticus, & male torquetur.* Quatuor exprimit in iſta petitione. Chriſti potentiam, *Domine*; ſerui impotentiam, *iacet in domo*; infirmitatis magnitudinem, *paralyticus*; magnitudinis anguſtiam, *male torquetur.* Dicit ergo *Domine*, ſcilicet qui viuificas & mortificas; *Puer meus* non ab ætate ſed à familiaritate; contra ſuperbos dominos, qui ſeruos contemnunt vt obnoxios; *iacet in domo*, non expulſus de domo; contra inhumanos qui pellunt in plateas eos. *Dereliquit me Dominus meus quia ægrotare cœpi.* Et non leuiter infirmus ſed *paralyticus.* Paraliſis dicitur à para quod eſt re, & liſis ſolutio, quaſi reſolutio, *& male torquetur.* Sed quare non attulit eum ad Chriſtum ſicut illi qui ſubmiſerunt alium per tectum. Reſpondeo quia credebat in abſentia poſſe curare Chriſtum. Vnde Origen. Non eſt opus oſtendere omnia videnti. Sequitur Chriſti promiſſio cum dicitur, *Ego veniam & curabo eum.* Pulchrum verbum ad confuſionem medicorum qui ad pauperes venire dedignantur, & ſi veniunt ex tunc non niſi prætaxato precio, ad diuites autem currunt irrequiſiti. Sed quare dicit, *veniam*, cum tamen eum ſolo verbo in abſentia curauit. Reſpondeo primo, vt fidem in eo ſuſcitaret, quæ diceret, *non ſum dignus &c.* Secundò vt confunderet ſuperbiam diuitum qui ad pauperes in neceſſitate deſcendere dedignantur. Vnde Beda & gloſſa dicunt, quod Chriſtus ad filium reguli deſcendere noluit, ne diuitias honorare videretur: hic verò ſe iturum promiſit, ne ſeruilem conditionem ſpernere videretur. Cum autem Chriſtus eſſet in via miſit centurio nuncios obuiam ei, dicens: *Domine non ſum dignus vt in-*

Centurio qualis.

Eccl. 33.

Eccl. 7.

1. Reg. 1.

1. Reg. 30.

Ioan. 4.

Luc. 7.

vt intres ſub tectum meum. Non dicit palatium, aulam, curiam, vel thalamum, ſed tectum, licet eſſet princeps. Hoc autem dixit quia gentilis erat, vnde timebat conuerſari Chriſto, quia Iudæis abominabile erat comedere & bibere cum gentibus, & intrare domos eorum, vt dicitur Actu. 10. Et forte ideò ſecundum Rabanum, quia gentilis erat, & idola in domo ſua habebat. Et ideò ex humilitate Chriſtum à domo ſua repellebat, timens ne aliquid in domo ſua eſſet, quod oculos eius offenderet, & in hoc Chriſtum credebat eſſe Deum, & omnia ſcire. Vnde Auguſtinus. Dicendo ſe indignum, præſtitit ſe dignum. *Sed tamen dic verbo*: firmiter credebat quod abſens ſolo verbo ſeruum ſuum curare poterat, propter hoc dicit: *dic verbo tantum & ſanabitur puer meus*. Credidit enim quod Dei dicere eſſet facere, iuxta illud. *Ipſe dixit & facta ſunt*. Et hoc probat per ſimile per ſe dicens: *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus*, ſcilicet præſidis vel imperatoris, quaſi dicat: Si ego qui purus homo ſum ſub alio poſitus, & habeo poteſtatem in ſeruos, quod mihi obediunt ad voluntatem, multo magis tu qui nulli es ſubditus, & omnes tibi ſubditi ſunt. Vnde ex hoc arguit, quod poſſit angelis imperare vt ſanarent filium eius.

Sed contra, cum Chriſtus ſufficeret ſine verbo curare, non debuit dicere, *dic verbo*. Reſpondeo, quod non dixit ex infidelitate ſed ex diſcretione, ſcilicet quod alij ſcirent quod à Chriſto curatus eſſet, & ſic ad fidem eius prouocaret. Vnde dicit. *Nam & ego homo ſum*, ſcilicet fragilis; *ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade & vadit*, quantum ad negotium implendum in abſentia: *& alij veni & venit*, quantum ad officium implendum in præſentia: *& ſeruo meo fac hoc & facit*: multo ergo magis tu hoc potes facere. *Audiens autem Ieſus miratus eſt*, audiens ſcilicet verba centurionis expreſſiua tantæ fidei, vt dicit Lyran. quod ſub velamento carnis agnouiſſet excellentiam diuinitatis miratus eſt. *Et ſequentibus ſe dixit*. ſcilicet diſcipulis: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael*, id eſt, in populo Iudaico, quia licet aliqui de Iudæis firmiter crederent, vt diſcipuli eius, tamē principales eius non crediderunt, vt multitudinem ab eius fide auerterent, & ideo concludit Saluator: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem*, id eſt, fidelitatem, id eſt, tantum ſignum fidei vel tantam fidei facilitatem, ſcilicet in credendo ſecundum Gorran. Sed contra: Maior fuit fides in Dauid & alijs de tribu Iſrael, quia cum hoc habuerunt cum fide prophetiam. Reſpondeo quod non loquitur de omnibus deſcendentibus de Iſrael, ſed tantum tunc præſentibus, ſecundum Magiſtrum in ſcholaſti. hiſtor. Sed Gorran. dicit quod notanter dicitur, *non inueni*, ſcilicet antea, & per hoc excluditur beata virgo, quæ fuit de Iſrael pro tunc; & ideò non dixit non inuenio modo, ſed non inueni prius tantam fidem in Judæis, quantam in gentilibus, licèt in paucis inuenerim. ſicut dicimus. Nemo eſt in hoc domo, cum tamen ſint aliqui ad quos loquimur; ita in Apoſtolis licet fuit fides perfectior, non tamen ita facilis ſicut in iſtis, & ſic quantum ad facilitatem præfertur etiam Apoſtolis. Et patet hoc ex eo, quia Jairus archiſynagogus Judæorum petens pro filia dixit: *veni antequam moriatur filia mea*. Et Martha licèt dilexerit Chriſtum, tamen dixit: *Domine ſi fuiſſes hic*, & ita præſentiam ſolum optabat. Sed dices, quare non ita laudauit fidem leproſi, de quo habetur Matth. 8. ſicut iſtius. Reſpondeo ideò, quia ille Judæus erat & ex prophetis inſtructus, & ideò merito credere debuit, iſte verò tanquam gentilis non. Vnde Chryſoſto. ponit quod ſicut in modico ſermone ſapientię plus laudatur ruſticus quā philoſophus, ita factum eſt hic.

III.

Dico autem vobis. Accepta occaſione ex fide huius gentilis prædicit hic Chriſtus cōuerſionem gentilium & reprobationem Judæorum. Tangit autem hic quatuor. Primò conuerſorum numeroſitatē, quia *multi*. Diuerſitatem ab oriente & occidente, viam qua veniant ad gloriam, *quia recumbent*, dicit ergo: *Dico autem vobis*, quia *multi ab oriente & occidente*. Gloſſa id eſt ab omni parte venient ad fidem. *Filij tui de longè venient*. Et hoc eſt quod Chriſtus ait: *Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili &c.*

Gentilium ad fidem conuerſio, & Iudæorũ reprobatio.

Iſaia 60.

Ioan. 10.

Haymo. Ab oriente venient, qui ſtatim illuminati tranſeunt: ab occidente, qui perſecutiones vſque ad mortem toleiauerunt pro fide. Vel, ab oriente venit qui ab infantia Deo ſeruit; ab occidente qui in decrepita ætate ad Deum conuertitur. *Et recumbet*, non carnaliter iacentes, ſed ſpiritualiter requieſcentes: non temporaliter potantes, ſed æternaliter epulantes cum Abraham, qui fuit pater gentium per fidem credendarum; Iſaac & Iacob ab eo deſcenderunt. Iſtis autem tribus facta eſt promiſſio terræ ſanctæ, per quam terra cœleſtis intelligitur. *Filij autem regni*, id eſt, Iudæorum, vel filij regni vocatione vel electione, promiſſione non conſecutione, nomine non re, qui pro regno conſequendo facti fuerunt, ſed ſe indignos reddiderunt, ideò eijcientur à facie & viſione Dei in tenebras exteriores, ſcilicet gehennæ, quia in ſe habent interiores. Interiores tenebræ dicuntur cæcitas mẽtis, exteriores verò nox damnationis ſecũdum Gregorium. Et Hieronymus dicit. Ideò dicuntur exteriores, quoniam qui à Deo expellitur foris, amittit lumen. Quid ibi paſſuri ſint oſtendit. ibi erit fletus & ſtridor. Per metaphoram loquitur ſecundum Haymonem, ſolent enim oculi ex fumo coacti lachrymas educere, dentes verò ex nimio frigore ſolent ſtridere. Oſtenditur ergò quod reprobi in inferno calorem intolerabilem & frigus ſuſtinebunt, ſecundum illud Iob 24. *Ibunt ab aquis niuium, &c.* & per hoc Hieronym. arguit, quod erit vera reſurrectio corporum propter paſſionem membrorum & oſſium. Rabanus autẽ dicit quod etiã hîc ſignificatur indignatio affectus quẽ mali habebunt ſeu impœnitentes, vt dicitur Sapient. 5. *Et ſic flebunt ſuper ſe.* Vtrum autem ille fletus ſit corporalis, dicendum eſt ſecundum Gorram quod non, quia cum pœna illa ſit ęterna, per conſequens lachrymæ illæ in infinitum reſoluerentur, & excederent quantitatem maris. Item ex quo tunc non erit motus cœli, per conſequens non erit alteratio in corporibus. Et Lyran. dicit. In fletu duo conſideranda ſunt, ſcilicet triſtitia animi, ex qua procedit fletus. & hic fletus eſt tam damnatorum hominum quam dæmonum. Aliud eſt ex parte corporis, lachrymarum reſolutio & turbatio cerebri & oculorum, & iſta non poſſunt eſſe in ſpiritibus ſeparatis; ſed poſt reſurrectionem quantum ad aliquid, erit in hominibus damnatis, quia ibi erit prædicta cerebri & oculorum perturbatio. Sed non erit ibi lachrymarum fluxus à capite, vel reſolutio propter ceſſationem motus cœli. Ex quo patet vlterius quod ibi erit ſtridor dentium, qui non importat aliquam corruptionem, ſed tantum doloris oſtenſionem.

Circa fletum quæ cõſideranda.

Et dixit Ieſus Centurioni. *Vade & ſicut credidiſti*, ſcilicet perfectè *fiat tibi*, in ſanatione ſerui. *Et ſanatus eſt puer in illa hora.* dicit Rabanus. Fidei merito oſtendit impetraſſe ſalutem ſeruo, vt fidei robur magis in eo creſceret quo perſpiceret quæcunque vellet per illam impetrare ſe poſſe, & ſic vere fiet omni homini, quia ſecũdum menſuram remetietur ei. Spiritualiter per iſtum paralyticum ſignificatur peccator acedioſus, primo propter ſubiectionem voluntatis in malo: vnde dicitur quod fuit ſeruus, & qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. *A quo quis ſuperatus eſt eius ſeruus eſt.* Secundò propter fatuitatem intellectus; vnde dicitur quod fuit puer, qui enim ſectatur ocium ſtultiſſimus eſt. Tertiò propter peruerſitatem affectus. Prouerbior. 13. *Vult enim & non vult piger.* Trenor. 2. *Iacuerunt ſenex & puer in terra.* Quartò propter imbecillitatẽm benè operandi, vnde dicitur paraliticus. *Fiant immobiles quaſi lapis.* Quintò propter corruptionem proximorum, quia in domo, id eſt, in ſocietate aliorum. Sextò propter anxietatem doloris, quia malè torquetur, propter vermem conſcientiæ, qui eum ſemper pungit & rodit. vnde Auguſt. Iuſſiſti Domine & ſic eſt, vt ſit ſibi pœna inordinatus animus. Vt ergo curetur iſte peccator debet ratio hominis, quę per centurionem ſignificatur, accedere ad Deum & ſanctorum ſuffragijs impetrare humiliter ſalutem homini peccatori, & hoc per fidem veram & perfectam ſecundũ quam vnicuiq; fiet prout credit.

Peccator paralytico comparatur. *Ioan. 8.* *1. Pet. 2.* *Exod. 15.*

Dubia.

Hic occurrunt tria dubia. Primum eſt, vtrum Deus poſſit ea quæ ſunt naturæ impoſſibilia. Secundum, vtrum ad Deum pertineat aliquem reprobare. Tertium, vtrum ignis

1. ignis ſit corporeus. Primum mouetur ex eo, quia lepra eſt morbus per naturam incurabilis maximè inueterata. Et ideò quæritur vtrum Deus poſſit ea quæ ſunt naturæ impoſſibilia. Ad quod breuiter dicendum ſecundum Thom. quod Deus poteſt omnia facere quæ ſunt impoſſibilia naturæ, ſaltē quæ non implicant contradictionem. Et ratio quia virtus eius eſt infinita propter quod poteſt operari in inſtanti, quod naturæ non competit. Item quia poteſt agere immediatè ſine cauſis ſecundis, quod natura non poteſt. Item quia poteſt agere nullo præſuppoſito, ſicut etiam habet eſſe non receptum ab alio quod naturæ non competit. Ex quibus patet quod Chriſto qui fuit verus Deus competebat ſanare in inſtanti quamcunque infirmitatem, ſicut iſtius leproſi qui per naturam fuit incurabilis; & iſtius paralytici, quia in proximo erat moriturus.

Tho. ſup. 1 ſent. diſt. 42.

Luca 7.

2. Ad ſecundum dubium quod mouetur de Iudæorum reprobatione. An ad Deum pertineat aliquem reprobare. Reſpõdeo ſecundum Thomam quod non, quia nullum reprobat quem diligit. *Sed Deus omnia diligit.* Sapient. 11. Sed contra: *Iacob dilexi. Eſau autem odio habui.* Reſpondeo & dico quod ſic. Vnde ſciendum, quod ſicut prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ & gloriæ, ſic reprobatio poteſt dici ſubtractio gratiæ & præparatio pœnæ æternæ. Patet ergo quod ad Deum pertinet aliquos reprobare. Primò ex ordine iuſtitiæ; ſicut enim iuſtum eſt bonos præmiari propter meritum, ita iuſtum eſt malos puniri propter demeritum; ergo proportionabiliter, ſicut Dei eſt illis præparare gloriam quos ſcit futuros bonos prædeſtinando eos ad beatitudinem, ſic eius eſt illis præparare pœnam, quos ſcit futuros malos, ordinando eos ad æternam mortem, & hoc eſt reprobare. Item ſicut figulus ex eadem maſſa facit vas ad gloriam & aliud ad contumeliam, & vtrumque ad perfectionem domus; ſic Deus quoſdam reprobat vt in eis reluceat iuſtitia, quoſdam ſaluat vt in eis reluceat miſericordia. Et ſciendum eſt quod in reprobatione tria conſiderantur, caſus in culpã, amiſſio gratiæ & ordinatio culpæ per pœnam. Primum non facit Deus nec vult, ſed tantum præſcit culpam. Secundum non facit ſed vult & præſcit. Vult ideò, quia vult omne bonum, ſed iſtum amittere gratiam eſt bonum quia iuſtum, ſed hæc ſubtractio gratiæ dicitur excæcatio & obduratio, eò quod gratia eſt lumen animæ, & ſic Deus eſt cauſa horum non immittendo culpam, ſed ſubtrahendo gratiam. Tertium ſcilicet ordinare culpam per pœnam, ſcit, vult & facit Deus tanquam vniuerſalis prouiſor, qui malum culpæ de ſe ordinat per pœnam, ne aliquid maneat deordinatum. Item dicitur Deus diligere omnia, quia omnibus vult bonum, non tamen quodcunque bonum, & ideò malos dicitur odire, quia eis non vult vitam æternam, qua indigni ſunt propter demerita ipſorum. Ad tertium dicendum quod cum ignis inferni ſit corporeus, notũ eſt animas igne illo torqueri, cum ibi non ſit alius ignis. Nam ſecundum Greg. in lib. dialo. Ignis infernalis eſt locus animarum damnatarum, & vt eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ vindicantis, detinet animas in ipſo locatas vt exire ab eo non poſſint nec ſuam exequi voluntatem, ſed ibi quaſi ligatæ & in carcere perpetuo tenentur, & ita ille ignis ſecundum hoc eſt animabus noxius, & ſic anima ignem ſe detinentem ſentiens, & ſibi noxium videns, ab ipſo igne per hunc modum cruciatur Et eſt rationabile, ꝙ ſicut anima peccando corporalibus rebus ſe ſubdit, ita corporali igne qui inter corpora ſumme eſt actiuus crucietur, & ſic patet ſolutio.

Tho. ſup. 1. ſent. diſt. 40. & 1. q. 23. art. 3.

Malac. 1.

Circa reprobationem tria conſideranda.

D. Thom. ſup. 4. ſẽt. diſt. 45.

DOMINICA SECVNDA POST OCTAVAS EPIPHANIAE SERMO II.

Ecce leproſus veniens adorauit eum. Matt. 8.

Aug. ſup. Ioan. & ſup. ep 1. Tim. 1.

SAnctus Auguſtinus oſtendens cauſam aduentus Chriſti de cœlo ad terram dicit: nulla alia cauſa veniendi Chriſto domino fuit, niſi peccatores ſaluos facere, tollere morbos, tollere vulnera nulla erat cauſa medicinæ. Venit ergo de cœlo magnus medicus, quia per totum mundum vbique iacebat ægrotus. Vult dicere Auguſt. quod ex quo tanta fuit infectio in mundo peccatorum, quod nullus eam curare potuit, neceſſe fuit venire illum magnum medicum Chriſtum, qui ſanat omnes infirmitates noſtras. Ad hoc igitur oſtendendum, Chriſtus multos voluit curare corporaliter, vt ſignificaret ſe eos velle & poſſe mundare & curare ſpiritualiter. De quorum numero curauit iſtum leproſum, de quo dicitur: *Ecce leproſus &c.* In quibus verbis tria dicuntur de iſto quæ ſunt neceſſaria cuilibet peccatori volenti à Chriſto curari ſpiritualiter in anima à peccato. Primo namque deſcribitur eius morbus deformis & contagioſus cum dicitur: *Ecce leproſus:* Secundò additur eius labor difficilis & virtuoſus cum dicitur, *veniens.* Tertiò notatur eius deuotionis feruor multum copioſus cum dicitur, *adorauit eum.*

Propoſit.

I.

Leproſus peccatoré denotat.

Leproſus. Iſte leproſus ſignificat hominem peccati lepra infectum, & hoc propter plures cauſas. Primò enim peccatum aufert homini manus & pedes, id eſt, bonas operationes & affectiones. Vnde legitur quod Adonibeſec amputauit 70. regibus ſũmitates pedum & manuum. Adonibeſec interpretatur fulgurans, & ſignificat diabolũ, qui tanquam fulgur cecidit de cœlo. Iſte ergo amputat manus & pedes, vt non procedant in operationes bonas nec in affectiones ſanctas; nec ſolùm pedes & manus, ſed & aures, ne legem Dei audiant & obediant, nares ne odorem Chriſti ſentiant. *Naſum & nares præcident tibi.* Et breuiter totus homo maculatur, ita vt ſit ineptus ad offerendum domino. Leuitici 22. dicitur de hoſtia: *Omnis macula non erit in ea.* Et ideò dicitur morbus generalis, quia omnia corrumpit in homine Sed tamen diuerſimodè, & ſecundum hoc varia ſunt eius ſigna prout dicitur Leuit. 13. Nam quibuſdam eſt mutatio coloris in carne vel pilis, & ſignificat accidioſos, quia mutant cor & variant, iuxta illud. *Vult & non vult piger.* Thren. 3. *Quomodò mutatus eſt color optimus.* In quibuſdam eſt inflatio cutis per ſuperbiam. *Quid te eleuat?* In quibuſdam eſt corroſio carnis ſiue depreſſio per corroſionem muſculorum, & ſignificat inuidiam quæ corrodit & conſumit. *Putredo oſſium inuidia.* Quartò in quibuſdam eſt ruptura cutis, & ſignificat iram, quæ facit furorem cordis erumpere exterius in opus vel verbum malum. *Spiritum ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere?* Quintò in quibuſdam apparet vlcus, & ſignificat luxuriam, quæ prouenit ab intrinſeco. *Vnuſquiſque tentatur concupiſcentia ſua.* Sextò in quibuſdam apparet vulnus combuſtionis, & ſignificat auaritiam. *Adhuc ignis in domo impij &c.* Septimò in quibuſdam apparet fluxus capillorum, & ſignificat gulam quæ conſumit bona temporalia, vt patet in filio prodigo. Sed iſte ſp[…]s curantur ſeptem beatitudinibus Vnde Chriſtus poſtquam prædicauit de eis in monte deſcendẽs curauit iſtum leproſum ſub monte, vt daret intelligi leprã peccati poſſe curari illis beatitudinibus Superbia, curatur. n. paupertate ſpiritus, id eſt, humilitate. Accedia, luctu deuotionis. Ira, manſuetudine. Gula, eſurie iuſtitiæ. Inuidia, miſericordia. Luxuria, mũditia cordis. Auaritia pace: quia auari nunquã ſunt in pace, vt inquit Iob: *Cum fuerit pax ipſe inſidias ſuſpicatur.*

Iudic. 1. *Luc. 10.* *Ezech. 23.* *Iob 15.* *Prouer. 14.* *Prou. 16.* *Iaco. 1.* *Mich. 6.* *Luc. 15.*

7. Peccata in leproſo, curantur ſeptẽ beatitudinib.

Et

Lepra omnium infirmitatum grauiſſima.

Et ſciendum quod anima noſtra habet infirmitates multas, quarum omnium grauior eſt lepra. Et primo habet phrænesim ſuperbiæ quæ meritò comparatur phræneſi. Sicut enim phræneticus patitur mentis alienationem, quia nec benè iudicat de ſeipſo, nec de alijs; immo ſeipſum iudicat valentiorem, quanto eſt infirmior. Eodem modo ſuperbus omnes contemnit, nec aliquem diſcernit, vel pro aliquo reputat, & ſe ſufficientem ſolum æſtimat, & ſibi pluſquam habet ſemper arrogat. Iſtam mentis alienationem pro ſua ſuperbia patiebatur Nabuchodonoſor, de quo Daniel 4. qui dixerat deambulans in aula ſua. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei?* Sed quid ei accidit? Statim enim diuina virtute eiectus eſt ab hominibus, cum feris vixit, & paſſus eſt alienationem mentis, & videbatur ſibi quod eſſet bos in anterioribus, & in poſterioribus leo. Cumque poſt ſeptem menſes reſtitutus per preces Danielis ad ſenſum, licet non ſtatim ad regnum, legitur dixiſſe. *Omnes viæ Domini iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Sicut autem dicunt medici, cura phræneſis in principio eſt euacuatio ſanguinis, & aliorum ſuperfluorum, quæ ad cerebrum aſcendentes turbant vſum rationis; ſic euacuatio omnium bonorum quæ cognoſcimus nos habere à Deo, facit in nobis humilitatem & ſanat ſuperbiam. *Sinagoga ſuperborum non erit ſanitas.* Secunda infirmitas ſpiritualis eſt ira, & hæc comparatur febri acutæ, cuius accidentia ſunt, quod homo habet continuum calorem & ſitim maximam. Sic eſt de homine iracundo, qui ad quodlibet verbum ſtatim inceditur in verbis, geſtu, vultu & ſic de alijs, habet etiam ſitim maximam, quia ſemetipſum cupit vindicare. Hanc infirmitatem patiebatur Herodes, quando vidèns quoniam illuſus eſſet a Magis, iratus eſt valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius. Ecce præceſſit calor nimius; & ſecuta eſt ſitis irrationabilis vltionis. Iſta infirmitas curatur pietate diuina, quam ſi inſpicit iracundus, certè ceſſabit & mitigabitur. Nam ſi Dominus eſt pius & miſericors parcens inuocantibus eum, pudeat ergo ſeruum eſſe ita ad vltionem pronum. Iſtud etiam eſt oleum quo Apoſtoli vngebant infirmos & ſanabantur. Tertia infirmitas eſt inuidia, quæ comparatur febri ſimplici, quæ nunc caleſcit nunc frigeſcit. Sic inuidus modo gaudet de aduerſitate bonorum, modò triſtatur de eorum proſperitate, quia inuidia eſt odium alienæ fælicitatis. Sic infirmabatur Cayn inuidēs proſperitati Abel. Rachel Lyæ fœcunditati. Saul Dauid fælicitati, diabolus homini. Sic procuratus eſt lapſus mundi & mors Chriſti. Quarta ſpiritualis infirmitas eſt accidia, & comparatur paraliſi quæ eſt membrorum diſſolutio & debilitatio, ita quod motum debitum perficere non poſſunt. Sicut ille qui iacuit 38. annis iuxta piſcinam, & nunquam potuit deſcendere in eam, & figurat inueteratos dierum malorum, qui ſunt iuxta ſacram piſcinam confeſſionis quotidie, & nunquam ingrediuntur in eam donec debeant mori. Neſcio certè quam ſpem tales habent de ſalute, cū dicat Leo Papa: Non dormientibus promittitur regnum cælorum, nec ocior deſidia torpentibus beatitudo æternitatis promittitur. Iſta infirmitas ſanatur per valdè calida; quia ſi ex vna parte conſideretur calor pœnæ gehennalis, & ex alia calor charitatis Chriſti excitantis ad opera virtutis, & deteſtantis accidiam, poterit dè facili curari. *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras.* Quinta infirmitas ſpiritualis eſt auaritia & comparatur hydropiſi ſecundum Bedam, cuius proprietas eſt, quia quanto magis bibit, tanto magis ſitit. Eodēmodo auarus, qui nūquā dicit ſufficit, & ſimilis eſt inferno, qui quantoſcunque deuorauit, nunquam dicit ſufficit: ſic nec ſi omnes theſauri confluxerint in auarum, vt dicit Auguſt. in Epiſtola ad comitem. In hoc etiam eſt inſatiabilior inſatiabilitate beſtiarum, quæ nunquam rapiunt niſi cum eſuriunt; parcunt verò prædæ cum ſenſerint ſatietatem. Sed auarus ſemper cupit, nunquam ſatiatur; nec Deum timet, nec hominem veretur; nec patri nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſeruat; viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in ſeruitium reuocat; teſtimonium falſum profert, res mortui occupat; quaſi & ipſe non moriatur. Sed quæ inſania acquirere aurum & perdere cæ-

Comparatur phræneſi ſuperbia.

Dan. 4.

Eccl. 3.

Ira febri acutæ.

Pietate curanda.

Marci. 6. 3.

Inuidia febri ſimplici.

4. Acedia paralyſi.

Ioan. 5.

Leo ſer. de operat.

Quomodo curanda.

Ierem. 3. 5.

Auaritia hydropiſi.

re cælum? inquit Auguſtin. in libr. de verbis Domini. Iſtam infirmitatem habuit diues ille qui dixit: *Deſtruam horrea mea & dilatabo ea.* Similiter Alexander qui vno mundo non erat contentus, ſed plures concupiuit. Iſta infirmitas ſanatur per eleemoſynarum largitionem. *Frange eſurienti panem tuum.* & ſequitur: *tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur.* Sexta ſpiritualis infirmitas eſt gula & ebrietas ſubuertens iudicium rationis, & comparatur epilepſiæ quæ facit hominem cadere corporaliter: ſic gula moraliter in omnia genera peccatorum, cum ſit ingreſſus & ianua ad omnia vitia. Vbi enim regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur. Iſtam infirmitatem patiebatur diues epulo: *qui epulabatur quotidie ſplendidè.* Hæc infirmitas ſanatur per abſtinentiam. Septima ſpiritualis infirmitas eſt luxuria, & comparatur lepræ quæ naſcitur ex calore corrupto & deordinato, quam patiebatur Salomon, qui habuit reginas 70. & concubinas 300. *Qui cum eſſet ſenex deprauatum eſt cor eius per mulieres.* Hæc eſt infirmitas contagioſa, & ideò dixi quod eſt periculoſior cæteris. Nam ſicut videmus quod homo conuerſans ſuperbo, ſuperbiam non de facili induit, quia quandoque etſi vellet tamen facultas deeſt. Similiter conuerſans ſic auaris aut iracundis, & ſic de alijs, ſed conuerſans luxurioſis, ſtatim & ipſe tentatur ex verbis & factis eorum. Vnde vbi ſuperbus non inficit vnum, luxurioſus inficit centū. Et quod deterius eſt, non poteſt eſſe ita homo ſapiens, ita fortis animo, ita ſanctus propoſito, quin ex ſocietate malorum & luxurioſorum tangatur, quia & ferreas mentes libido domat, inquit Hieron. ad Paulam & Euſtochium. Et ſicut lepra eſt morbus incurabilis, ita omnia ſunt incurabilia in homine durate vicio luxuriæ. Quia dicit Greg in moralibus: Ex quo ſemel luxuria mentem occupauerit, vix eam bona deſideria cogitare permittit. Sunt enim vitioſa deſideria, & ex ſuggeſtione deſiderij oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione cōſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione demum damnatio. Hæc Greg. Ecce contagioſus morbus & incurabilis: igitur merito lepræ comparandus.

Luc. 12. *Auaritia quomodo curatur.* *Iſaia 58.* 6. *Gula epilepſia.* *Luce 16.* *Abſtinentia curāda.* 7. *Luxuria lepra.* *3. Reg. 11.* *Conuerſatio cum luxurioſo periculoſa*

II.

Deſcribitur hic huius leproſi labor difficilis & laborioſus, cum dicitur: *Veniens.* Nihil enim datur ocianti, ſed tantum laboranti. Nihil ſic elonganti, ſed tantum appropinquanti. Vnde dicitur in Pſalm. *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt.* Et de appropinquantibus dicitur. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Quia igitur iſte impendit laborem veniendo, ideò conſecutus eſt ſalutem. Pro quo ſciendum quod ſi volumus ſalutem cōſequi animarum noſtrarum, debemus venire ad Ieſum, & hoc quinq; modis. Primò per fidem credendo; ſic venerūt tres Magi duce ſtella. *Vidimus ſtellam eius in oriente & venimus cum muneribus adorare eum.* Bona fides quæ venit cum muneribus, id eſt, cum bonis operibus ſine quibus mortua eſſet. Secundo debemus venire pœnitēdo. ſic venit filius prodigus conſumpta tota ſubſtātia ſua. Vnde Chriſtus vocat tales dicens. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.* Et pſalmiſta in perſona talium dicit. *Venite adoremus & procidamus ante Deū.* Tertio debemus ad eum venire amando ſeu deſiderando, iuxta illud: *Tranſeamus vſque Bethleem & videamus hoc verbum.* Sic venerunt diſcipuli Chriſti Andreas & Philippus Iohan. 1. *Venerunt* inquit *& viderunt & mānſerunt.* Notanter dicit *& manſerunt*, quia charitas quæ mouet ad Deum, non permittit diſcedere. Quartò debemus venire cōpatiendo. Sic venerunt omnes miſericordes & viſitatores pauperum, egenorum, debiliū & infirmorum. *Infirmus eram & in carcere & viſitaſtis me.* Quintò & vltimo debemus venire ad Deum in morte euolando. iuxta quod Pſalm. petit dicēs. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* O dulcis & iucundus aduentus, de quo idem ait: *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Tunc cantabunt ſancti dicentes: *Venite exultemus Domino.* Sed certè quia venire ad Chriſtum ex nobiſmetipſis non poſſumus ſine adiutorio Dei patris, iuxta illud: *Nemo*

Ad Ieſum veniendū quinque modis. 1. *Matt. 2.* *Iacob. 2.* 2. *Luc. 15.* 3. *Luc. 2.* 4. *Matt. 25.* 5.

Ioan.6. *Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit eum.* Cur aũt ex nobiſmetipſis venire non valemus? Certè in prompto eſt ratio & cauſa propter multos defectus in nobis. Impedit enim primò infidelitas. *Ego vado & quæritis me, & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Secundò voluptas carnalis. *Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire.* Tertiò fatuitas animæ. *Nouiſſimè veniunt & reliquæ virgines dicentes.* &c. O quam difficilis aduentus ad Christum! Nam nec credendo poſſumus ad Chriſtum peruenire niſi pater traxerit nos, quia ſenſus & ratio fidei repugnant & retrahunt, eo quod fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Similiter non poſſumus venire ad Chriſtum amando, quia retrahit mundus & caro; caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum. Nec permittit venire euolando, quia diabolus retrahit impediendo. Sed nos non timeamus, quia ſi pater nos trahet, mundus, caro & diabolus non proficient. *Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.*

Impedimẽta cur ex nobis venire nõ valemus. *Ioan.7.* *Luc.14.* *Matt. 25.* *Gala.5.* *Pſal.*

III.

Ex magna fide & deuotione, quam habuit ad Christum venit hic leproſus & adorauit eum. Magna fuit fides primò, quia licet lex præcepiſſet omnibus leproſis ire ad ſacerdotes pro mundatione lepræ, tamen ipſe omiſſis ſacerdotibus legalibus, quæſiuit ſolum Chriſtum credens quod poſſet eum curare præter ſacerdotiũ. Et quia nullus hoc ante ipſum fecerat, ideò dicitur quaſi nouum factum propter quod præmittitur, *Ecce.* Secundo maior fuit fides in hoc, quia licet ſciret Chriſtum ſanctiſſimum & crederet eum verum Deum & hominem, ſicut patet ex eo ꝙ eũ Dominũ appellãs ait: *Domine* inquit *ſi vis potes me mundare.* Et cũ ſciret & videret ſe abominabilem & immũdum, Chriſtum verò mundiſſimum & abſq; omni macula, non formidauit ad eum accedere; ſed fiducialiter acceſſit dicens intra ſe: *Fiducialiter agam & non timebo*; & quia iſtud fuit magis mirabile, ideò dicitur: *Ecce veniens leproſus.* Tertiò fuit in eo fides maxima. Nam cum omnes principes & pontifices, ſcribæ & legiſdoctores, phariſæi & legiſperiti habuiſſent, & tenuiſſent Chriſtum pro puro homine, nec ei honorem diuinum exhibuiſſent, ipſe ſolus ei diuinos honores exhibuit, & laudes impendit. Quoad hoc additur: *Veniens adorauit eum.* Circa quod eſt ſciendum quod triplex eſt honor, quem impendimus ſuperiori. Aut enim Deus eſt, & ſic eum adoramus & honoramus adoratione latriæ quæ ſoli Deo debetur. Vnde Deut.6. dicitur. *Audi Iſrael Dominus Deus tuus vnus eſt.* Et: *Videte quoniam ego sũ ſolus & nõ eſt alius præter me.* Aut nõ eſt Deus ſed aliquid excellenter pertinens ad Deum, & ſic adoratur adoratione hyperduliæ, vt virgo mater Chriſti. Aut eſt aliquid quod pertinet ad Deum, ſed tamen inferiori modo, & ſic adoratur adoratione duliæ, vt ſancti in cælo, & prælati ſpirituales & ſęculares in terra. Sic Abraam adorauit Angelos ad ſe venientes. Sic & Loth. Sic Iacob Eſau procidens coram eo pronus in terram. Sic filij Iacob adorauerunt Ioſeph in AEgypto. Prima adoratio eſt omnibus excellentior, quia fit ex maxima fide & perfectiſſima ſcilicet informata charitate & maxima humilitate: ad maximã n. fidẽ & perfectiſſimã hũilitatẽ pertinet ꝙ quis ſubdat ſe vt ſuo creatori & omnipotenti benefactori. Eſt igitur à nobis Deus adorandus, exemplo iſtius leproſi tripliciter. primò fide recta. Secundò ſpe firma. Tertiò charitate perfecta. Tunc aũt eſt fides recta, quando homo credit in Deum & credendo tendit in eum per amorem, & ei tanquam fini vltimo adhæret. Secundo dicitur recta, quãdo eſt bonis operibus ornata. Tertiò quãdo eſt charitate informata; Charitas. n. dicitur forma fidei, quia per eã actus fidei habet proprie informari & perfici. Vbi aũt non eſt talis fides, non eſt adoratio vera, quia & dæmones credunt & adorãt & contremiſcunt. Secundo adorandus eſt ſpe firma & ſincera, quod fit quando in eo totã ſpẽ reponimus. *Sine me nihil poteſtis facere.* Eſt autem duplex ſpes; quædam ſalutis, & iſta eſt in ſolo Deo reponenda, & ſic ſolus Deus adoratur adoratione latriæ, & corpus eius ratione hypoſtaticæ vnionis. Alia eſt ſpes ſuffragij, quæ poteſt haberi in aliqua creatura digniſſima & Deo propinqua, vt in beata virgine, quæ adoratur adoratione hyperduliæ. Tertio adorandus eſt perfecta charitate, ſcilicet ex toto corde & ex tota anima ipſum diligendo, & omne ſuæ dilectioni contrarium nõ amittendo.

Honor erga Superiores triplex. *Deut.6.* *Deut.32.* *Gen.18.* *Gen 33.* *Gen.44.* *Deus adorandus à nobis tripliciter.* *Thom. in 3. ſent. diſt.24.* *Iacob.2.* *Ioan.15.* *Spes duplex.*

tendo. Licet enim homo non poteſt diligere Deum ſemper actu, in tantum vt nullum actum extraneum aliquando admittat, quia hoc non eſt præſentis ſtatus, poteſt tamen ſic diligi, vt non admittatur actus contrarius charitati, qui eſt mortale peccatum, & tunc talis adorat Deum nihilominus perfecta charitate, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, ad quam nos perducat.

DE EADEM DOMINICA SERMO III.

Extendens manum Ieſus tetigit eum dicens: Volo, Mundare. Matt. 8.

Aug. li. de verb. Apoſt.

DIcit Aug. Si lenis eſſet morbus, contemneretur medicus. Si morbus contemneretur, medicus non quæreretur. Si medicus contemneretur, morbus non finiretur. Ideò vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Vult dicere Auguſt. quod ſecundum menſuram deuotionis ad Deum datur peccatori gratia iuſtificationis à peccatis in anima, vt quanto quis feruentius quærit, etiam ſi grauius deliquit, facilius veniam impetrat. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et meritò. Eſt enim lex Dei, vt qua menſura menſi fueritis remetietur vobis à Deo. Quia igitur leproſus iſte magnæ deuotionis & fidei fuit ad Chriſtum, ideò etſi morbum habuit humana opinione incurabilem, tamen obtinuit curationem, & ad primam eius ſupplicationis vocem, Chriſtus non tardauit eum curare, ſed extendens manum tetigit eum dicẽs: *Volo, Mundare.* In quibus verbis tria de Saluatore noſtro circa curationem huius leproſi tanguntur. Primo enim in extenſione & tactu manus ſuæ Chriſtus oſtẽdit humilitatem operis. Secundo in voluntate oſtendit benignitatem cordis, quia dicit. *Volo.* Tertiò in mundatione, poteſtatem diuinitatis; vnde addit: *mundare,* imperatiuè, id eſt, munderis ſtatim ad verbum meum.

Luc. 7. *Luc. 6.* *Propoſit.*

I.

Duo dicuntur hic de Chriſto. Primò quia extendit manum, ſecundò quia tetigit, & vtrumque ſignum humilitatis maximæ, eo quod in hoc condeſcendit compatiendo ſuæ creaturæ, propter quam & carnem aſſumpſit, & in ea humiliatus eſt, formam ſerui accipiens, habitu inuentus vt homo. Primò igitur videamus, quare Chriſtus extendit manum ad hominem, & dicendum quod propter ſeptem rationes. Primò enim extendit eam ad tentandum ſeu probandũ bonitatem hominis per damna aut temporalia mala. Vnde Iob. 2. *Extende manum tuam & tange os eius & carnem eius, & videbis quia niſi in faciem benedixerit tibi,* id eſt, maledixerit. Non autem non fecit Iob ſicut diabolus æſtimabat; ſed poſt omnia damna benedixit Deum, glorificando Deum in omnibus. Iſte tactus probat quis eſt verus filius Dei & quis non. Nam patiens iſtum tactum, eſt verus filius Dei: impatiens non, eo quod patiens dicit *Proba me Deus & tenta me;* impatiens ſtatim murmurat & ſcandalizatur; iuxta illud *Tetigit enim te plaga & conturbatus es.* Sed diceres. Tamen omnia Deus nouit, quare tangit hominem tentando. Reſpondeo ſecundum Holcóth quia tentare propriè eſt experiri aliquid de aliquo, vt habeat eius cognitionem. Sicut homo tentat vinum, & magiſter diſcipulum. Aliter dicitur tentare quis aliquem volens manifeſtare conditiones eius alijs. Primò modo Deus tentare non poteſt. Secundò modo benè poteſt. Vnde Geneſ. 22. *Tentauit Deus Abraam.* Tertiò modo dicitur tentare quis, callidè accipere experientiam alicuius hominis cum intentione fallendi, & ſic propriè conuenit diabolo, & nullo modo Deo. Vnde Iacob. 1. dicitur: *Deus neminem tentat.*

Philip. 2. *Chriſtus ob 7. rationes manum extendit.* *Iob. 4.* *Holc ſup. li. Sap c 3. Tentare quid ſit.*

tentat. Gloſſa Deus tentat erudiendo, non
ſeducendo, nec inducendo ad malum, ſed
exercendo & hortando ad meritum. Secū-
2. dò extendit manum ad erudiendum per il-
latam infirmitatem vel aliam afflictionem.
Iſaiæ 8. *In forti manu erudiuit me Dominus*; & hoc
facit ex pietate Ideò dicitur Apocal.3. *Ego
3. quos amo arguo & caſtigo*. Tertiò extendit
manum ad donandum nobile donum alicu-
ius beneficij. Sicut dicitur in Pſalm. *Aperis
tu manum tuam, & imples omne animal be-
nedictione*. Hoc modo extendit huic leproſo
manum, cui contulit animæ & corporis ſa-
nitatem. Nullum enim Chriſtus ſanauit in
corpore, quem prius non ſanauit in mente.
Cant.5. Ideò ſponſa commendans eum dicit: *Manus
4. illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*, id eſt,
donis gratiæ. Quartò extendit manum ad
dirigendum errantem, ſicut patet in cruce.
Surdis enim oſtenditur via ſigno manus. I-
Prou.1. deò conqueritur Dominus. *Extendi manum
meam & non fuit qui aſpiceret*. Sed quam vi-
am oſtendit in cruce? certè aſperitatem paſ-
1.Pet.2. ſionis. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relin-
quens exemplum vt ſequamini veſtigia eius*.
5. Quintò extendit manum ad erigendum la-
pſum de profundo viciorum per auxilium
gratiæ Pſalm. *Emitte manum tuam de alto,
6. eripe me de aquis multis*. Sextò extendit ma-
num ſuam ad flagellandum reprobos: hoc
faciet in die iudicij generalis, iuxta illud
Pſalmiſtæ: *Extendiſti manum tuam & deuo-
rauit eos terra*. Vnde dicitur Exodi *Ecce ma-
nus mea erit ſuper equos*, id eſt luxurioſos, *ſu-
per aſinos*, id eſt, *acedioſos, ſuper camelos*, id
7. eſt, auaros, *ſuper boues*, id eſt, ſuperbos, *& o-
ues*, id eſt, ignaros. Septimò extendit manū
ſuam ad amplexandum, ſcilicet animas iu-
ſtorum in exitu huius ſeculi. Vnde dicitur:
Cant.2. *Dextera illius amplexabitur me*. Sicque patet
quomodo ſeptiformiter Deus extendit ma-
num ſuam Secundo videndum eſt de tactu,
quia non ſolum extendit eam, ſed & tetigit,
quod fuit ſignum maioris pietatis. Dicitur
autem in Euangelio, quod hoc factum eſt
deſcendente Ieſu de monte, & benè quantū
ad myſterium. Antequam Dei filius de mō-
te cæleſti in mundum deſcenderet per in-
Gen.32. carnationem, grauem nimis tactum habu-
Exod.12. it & grauiter tangebat. Tetigit enim Ia-
cob & neruos eius emarcuit. Tetigit
primogenita AEgypti & occidit. Tetigit Iob.1.2.
Iob & omnia ſua conſumpſit. Nunc autem
ex quo deſcendit de iſto monte cæleſti, &
factus eſt homo, leuiter tangit, & tangendo
gratiam tribuit. Vnde dicitur: *Quod omnis* Luc.6.
*turba quærebat eum tangere, quia virtus de il-
lo exibat & ſanabat omnes*. Et: *Quotquot tan-* Marci.6.
gebant eum ſalui fiebant. Nec mirum ſi tactꝰ
Chriſti hoc faciebat, cum & lapides precio-
ſi hoc faciant.

Pro quo ſciendum quod quinque modis Chriſti
Dominus in Euangelio leuiter tetigit & tactus ſa-
ſemper gratiam contulit. Tetigit leproſum lutaris.
& mundauit, vt hic. Hanc mundationem
petit Pſalmiſta. *Miſerere mei Deus*, & ſequi-
tur: *à peccato meo munda me*. Secundo teti-
git oculos cœcorum & eorum corda ad ſui
cognitionem illuſtrauit, vt patet Matt. 9.
Nec mirum: *Ipſe enim eſt lux vera quæ illu-* Ioan.1.
*minat omnem hominem venientem in hunc
mundum*. Tertiò tetigit linguā muti, & ad
confeſſionem diuinæ laudis reſoluit. Marci.
8. *Expuens tetigit eum, & ſolutum eſt vincu-
lum linguæ eius, & loquebatur rectè*. Rectè lo-
quitur qui peccata ſua pure confitetur, & in
deuota laude Dei & gratiarum actione ex-
ercetur, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Confitebor ti-
bi Domine in toto corde meo, narrabo omnia
mirabilia tua*. Quartò tetigit ſurdum, & au-
res eius ad audiendum cæleſtia patefecit.
Luc.22: *Cum tetigiſſet auriculam eius ſanauit
eum*. Dicitur autem quod illa dextera erat
auricula; dextera eſt qua audimus cæleſtia,
ſiniſtra qua audimus terrena. Sed
proh dolor quidam habent tantum ſi-
niſtram, quibus diabolus amputauit dexte-
ram, & ſunt detractorum auditores, canti-
lenarum & verborum ocioſorum auſculta-
tores. Quidam verò habent dextram, qui
tantum audiunt cæleſtia, & non attendunt
terrena ac vana. Quidā habent ambas, qui &
cæleſtia audiunt & terrena licita attendunt
& vtilia. Quidam neutram habent qui nec
delectantur in cæleſtibus, nec terrena licita
attendunt. De quibus dicitur. *Aures habent
& non audient*. Quintò Chriſtus tetigit par-
uulos gratiam illis infundendo, Matth.19.
*Oblati ſunt Ieſu paruuli vt tangeret eos, & ait
illis: Sinite paruulos venire ad me, talium eſt
enim regnum cælorum*. Gloſſa. Tangit domi-
nus paruulos vt benedicat puſillos cum ma-

ioribus. Sic tetigit iſtum leproſum cui gratiam iuſtificationis in anima contulit.

II.

Benignitas Chriſti. *Volo.* Et quid vis Domine? Certè non aurum nec argentum, non theſauros precioſos qui omnes apud me ſunt. Sed quid volo? vtilitatem humanam & ſalutem vt omnes ſaluentur, & in cælum inducantur & reducantur vnde exierunt. Circa quod ſciẽdum quod Christus habet voluntatem ad ſeptem multum vtilia. Primò enim voluntas Dei eſt ad noſtram conuerſionem. 2.Pet.3. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſed patienter agit propter vos nolens aliquem perire, ſed omnes ad pænitentiam reuerti.* Ezech.18. Et: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, & non magis vt conuertatur & viuat!* Hæc autem conuerſio fit per contritionem, quæ conuerſio eſt quaſi balneum, in quo mali humores exeunt per ſudorem contritionis. Sicut autem ad hoc quod ſudor ſit ſignum ſanitatis, oportet vt ſit generalis: ita oportet, vt contritio ſit pro omnibus delictis. Iuxta illud pſalmiſtæ: Pſal.50. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, id eſt, conſcientiam non per omnes noctes, ſed per ſingulas, id eſt, per ſingula vicia. Matt.8. Secundò voluntas Dei eſt mũdatio noſtra. *Domine ſi vis potes me mundare. Ait ille: Volo, Mundare.* Hæc autem ſit in confeſſione, in qua omnia mundantur. Vnde Ambr. Iſa.1. *Lauamini & mũdi eſtote.* quaſi dicat lauatorium paratum eſt, tantum mundamini. Signum immundiciæ eſt magnum, quando immundus habens lauatorium paratum non vult ſe lauare. Non poteſt autem quis melius peccatum mundare, quã ſi illud poſt lotionem expandat. Expanſio iſta conſciẽtiæ eſt apertio coram ſacerdote. Luc.17. *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* Et ſequitur. *qui cum irent mundati ſunt.* Tertiò voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra. 1.Theſſ.4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis ab omni fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione*, ſcilicet quo ad ſeipſum, *& honore* quodad proximum. Vel ſanctificatio refertur ad iuſtificationem interiorem. Honor autem ad operationem exteriorem, vt ſic homo mundetur interius & exterius. Sed heu multi ſunt ſicut vaſa, mundi exterius per honeſtam conuerſationem, ſed ſunt pingues & immundi interius per malam affectionem. De quibus Dominus. Matt.23. *Væ vobis qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, intus autẽ pleni rapina.* Hi ſunt qui malunt habere pulchras caligas quam conſcientiam; qui purgant veſtem à ſordibus, ſed dimittunt mentem ſqualere ſceleribus. Contra quos Auguſt in quodam ſermone, miratur dicẽns. Quid eſt quod vis habere malum? dices vtique nihil; non vxorẽ, non filium, non ſeruum, non tunicam, non caligam, & tamen vis habere malam vitam. Rogo te præpone animam tuam caligę tuę. Quartò voluntas Dei eſt occultæ veritatis cognitio. *Vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ſui nominis venire.* 1.Tim.2. Iſta autem agnitio eſt per fidei illuminationem, per quam homo agnoſcit æterna gaudia beatorum & ſupplicia reproborum.

Sed dices, quomodo verum eſt quod Deus voluit omnes homines ſaluos fieri, cum multi damnentur? *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Matt.22. Ad quod reſpondeo ſecundum Gorran. & ſecundum Gloſſam ordinariam, quod hoc poteſt intelligi quinque modis, quorum tres primi pertinent ad voluntatem beneplaciti, duo verò vltimi ad voluntatem ſigni. Quomodo Deus oẽs velit fieri ſaluos. Tres primi diſtinguũtur ſic. Primus intelligitur cum conditione ſic: *Vult omnes homines ſaluos fieri*, ſcilicet ſi volunt, quia per ipſum Deum non ſtat vt omnes non ſaluentur. Secundus modus intelligitur cum impletione ſic: *Vult omnes homines ſaluos fieri*, id eſt, omnes qui ſaluantur vult ſaluos fieri, quia nullus niſi eo volente ſaluatur. Sic etiam intelligitur illud: *Illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum*, Ioan.1. id eſt, nullus illuminatur niſi per eum. Tertius modus intelligitur cum reſtrictione diſtributionis ſic: *vult omnes homines ſaluos fieri*, id eſt, de omni genere aliquos; colliget enim electos à quatuor ventis, vt dicitur Matth. 24. Alij duo modi diſtinguuntur, quia primus intelligitur de præſenti & quaſi effectiuè, ſic: *Vult omnes*, id eſt, facit omnes velle, quia omnes naturaliter volunt ſalui fieri, & cognitio veri & amor boni naturaliter vnicuique ſunt inſerta. Et

a;Et iſte modus intelligitur de voluntate ſigni quæ eſt impletio. Secũd⁹ modus intelligitur de futuro, ſic: *Vult omnes homines ſaluos fieri,* quia præcipit & conſulit & hortatur vt ſalui fiant, quæ omnia ſigna ſunt diuinæ voluntatis. Sic ergo vult omnes homines ſaluos fieri in futuro, & venire in præſenti ad cognitionem veritatis Chriſti, qui eſt veritas. Ioan.14. *Ego ſum via, veritas & vita.* Item quædam gloſſa dicit quod voluntas Dei neceſſitatem libero arbitrio non imponit, & ſic quamuis non omnes homines ſaluos vult fieri voluntate conſequente, niſi pæniteant, vult tamen omnes voluntate beneplaciti. Ideò quia ſecundum Ioan. Damaſce. voluntas antecedens ſeu beneplaciti reſpicit ordinem naturæ ad ſalutem, quæ nihil habet in ſe ex ſua creatione ſaluti contrarium. Conſequens autem ſeu ſigni voluntas reſpicit ordinem perſonæ ex actibus ſuis ad ſaluationem vel damnationem, eo quod perſona ex ſua operatione habet multa ſaluti contraria. Quod autem Deus vult omnes homines ſaluos fieri, illud patet ex multis. Marc.vlt. Primo, quia omnibus dat documenta communia. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit &c.* Deus autẽ nullum vult violenter ſaluare, quia iniuſtitiam faceret qui tamen eſt iuſtus & iuſtitiam facere docet. Secundo iſtud patet ex eo quia dat beneficia communia. Iacob.1. *Dat omnibus affluenter.* Et Matt.5. *Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos.* Tertiò quia dat remedia communia ſcilicet ſacramenta. Iuxta illud pſal. *Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Et: Matt.11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos.* Quartò dat precium commune. Rom.8. *Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quintò quia reſeruat præmium commune. Eccl.14. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me.* Et: 1.Cor.15. *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Dabit enim denarium diurnum vnicuique in vinea ſua laboranti, id eſt, in fide vſque in finem ſuum Quintò voluntas Dei eſt, cordis noſtri in amorem eius inflammatio. Luc.12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* ad quem ignem valet multum meditatio beneficiorum. Pſa. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Sexto voluntas eius tribulationum perpeſſio. 1.Pet.3. *Qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas ſuas* Sic caſtrum quod non poteſt defendere capitaneus, commendat Domino proprio. Hebr.10. *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromiſſionem.*

III.

Mundare. Oſtendit hic Chriſtus poteſtatem ſuæ diuinitatis, quæ certè poteſtas ſingularis poteſtas eius ſolius, poteſtas æterna. Quia imperat creaturis & obediunt ei. Baruch.4. *Stellæ vocatæ ſunt & dixerunt ad ſumus.* Sic quam cito dixit huic leproſo, ſtatim mundat⁹ eſt, per quod ſignificatur, quod ſi quæſierimus mundari à Chriſto in anima noſtra à peccatis, mundabimur cõtinuo ſi ipſe voluerit. Mundi- tia quid. Eſt autẽ munditia ſecundum Alexandr. Alenſem vtriuſq; hominis integritas amoris intuitu obſeruata, ad quã conſequendam plura requiruntur; Quomodo conſequenda. et primo valet aqua ſapientiæ ſeu verbi Dei. Ioan.14. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis;* quia verbum Dei quaſi ſpeculum oſtendit maculas cordis & dat aquã gratiæ. *Doctrina bona dabit gratiam.* Figuratur per mare æneũ, id eſt, lauatorium tẽpli, è quo Prou.13. lauabantur ſacerdotes circa quod erant appẽſa multa ſpecula ad cõſpiciendũ maculas Exod.36. abluendas. Lauatoriũ iſtud ſignificat gratiam quæ abluit culpas, ad quas abluendas debet homo ſe diſponere per diligentẽ cõſiderationẽ conſcientiæ, ne quid remaneat immundum & hoc non poteſt eſſe ſine verbo Dei, quod eſt quaſi ſpeculũ oſtendẽs vnicuiq; deformitatem ſuam. Vnde Sap.7. dicitur de ſapientia, quod eſt candor lucis æternæ, & ſpeculũ ſine macula Dei maieſtatis & imago bonitatis eius. Quia in ſcriptura ſacra, diuina maieſtas per fidem inſpicitur quaſi in quodam ſpeculo mundiſſimo, in quo nulla eſt macula falſitatis. 1.Cor.13. *Videmus nunc per ſpeculum.* Vnde tota cognitio quã de Deo habemus in præſenti eſt ſpecularis, in qua obiectũ non repreſentatur per ſe ſed per ſuã ſimilitudinẽ, & nõ per lineã re-

ctam, ſed reflexam. Videbimus autem eum in futuro ſicuti eſt, non per creaturas ſed immediatè quaſi per lineam rectam. Non ſolum autem in ſpeculo ſapientiæ quæ eſt ſacra ſcriptura videmus Deum, ſed etiam mores noſtros ſcilicet quales eſſe deberemus, ſi ſecundum legem Dei viueremus. Vnde Hier. in Epiſtola ad Demet: virg. Verte inquit lectione diuina vice ſpeculi, fœda corrigendo, pulchra conſeruando & pulchriora faciendo. Scriptura enim per verbum Dei, eſt fœda oſtendēs & corrigi docēs? eſt quaſi quoddam ſpeculum, quod oculis mentis opponitur, vt in ea noſtra facies videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcūtur, quamve longè à profectu diſtamus. Et ſicut ille qui habet in facie maculā manifeſtam abhorret ſe videre in ſpeculo: ita notabiliter vicioſi in vita abhorrent ſe præſentare, vbi ſacra ſcriptura manifeſtè prædicatur. Et tales ſunt quibus nullus bonus ſermo placet, qui cōtra quēlibet benè prædicantem offenduntur; ſemper perpendunt vitam ſuam eſſe diſtortam & turpem, nec tamen ſe corrigunt per pœnitentiam. Quātumcunque audierint ſe benè deſcriptos, ſtatim propter veterem conſuetudinem obliuiſcuntur quales deſcribuntur. De talibus dicitur. *Si quis auditor eſt verbi Dei & nō* Iacob. 1. *factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit:* & ideò premittit. *Eſtote factores verbi & non auditores tantum, fallentes vosmetipſos.* Secundò ad iſtam mundiciam faciendam valet contritio cordis, ex qua eſt aqua lachrymarum, cui admiſcendus eſt cinis, id eſt, memoria mortis vel propriæ conditionis vel Chriſti. Pſal. 50. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Tertio valet frequens confeſſio. 1. Mach. 4. *Iudas mundauit templum.* Iudas interpretatur confitens. Et in Pſal. dicitur: *Facta eſt Iudaea ſanctificatio eius*, ſcilicet Iſrael 4. Regum 5. *Lauare ſepties in Iardane*: ſepties dicit propter ſepte peccata mortalia. Quarto valet vitæ auſteritas, ſicut defricatio cū panno aſpero. Matt. 3. *Ioannes habebat veſtimentum.* Luc. 11. Item eleemoſynarum largitio: *Date eleemoſynam.* Luc. 9. Quinto valet oratio. *Factū eſt dum oraret ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus & fulgens.* Orando enim acquiritur mundicia. Sic iſte leproſus volens mundare lepram orauit deuotè dicens. 2. Mach. 14. *Domine ſi vis potes.* Et: *Sancte ſanctorum conſerua domum iſtam impollutam quæ nuper mundata eſt.* Sextò valet lima correctionis. Vnde Bern. dicit ex perſona Domini. Ille ſolus amicus eſt, qui ante aduentum diſtricti iudicis maculas mentis tergit. Sed multi ſunt qui ex lima contrahunt rubiginem, de quibus in Pſal. *Deſtruxiſti eum ab emundatione.* Septimo valet ignis tribulationis, de quo dicit Ambr. Sicut aurum bonum, ita Eccleſia cum vritur detrimentum non ſentit, ſed magis fulgor eius augetur.

Munditiæ effectus.

Sed dices, quis eſt effectus huius mundiciæ? Reſpondeo certè quod maximus. Nam talibus Deus dat abundanter dona gratiarum. Iobi 17. *Mundis manibus addet gratiam & fortitudinem.* Secundo quia in talibus habitat. Vnde Auguſtin. Munda tantum cubiculum cordis, intus eſt, qui exaudiat. 1. Paral. 29. *Non homini preparatur habitatio ſed Deo.* Item quia tales amat & gratiam labiorum tribuit. Prou. 22. *Qui diligit cordis mundiciam, habebit amicum regem.* Item quia eos in ſui ſocietatem recipit. In Pſalm. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* & ſequitur. *Innocens manibus & mundo corde.* Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* ad quam viſionem nos perducat Deus per ſęcula benedictus.

DOMINICA TERTIA POST OCTAVAS EPIPHANIAE SERMO I.

Aſcendente Ieſu in nauiculam Matt.8.

DVabus dominicis immediatè præcedentibus recitata ſunt duo magna Chriſti miracula, in quibus apparuit eius diuina potentia per mutationem aquæ in vinum & curationem leproſi & paralytici. Nunc in iſta dominica proponit ſancta mater Eccleſia aliud miraculum diuinæ ſuæ potentię, ſcilicet ſubitam mitigationem maris, in cuius figura Moyſes percuſſit aquam, & populo tranſeunti iter præbuit; ſic Chriſtus mari imperauit & quieuit. Simile etiam habetur Ioſue 3. vbi filijs Iſrael portantibus arcam Domini per Iordanem ceſſerunt aquæ: ita Chriſto qui eſt arca Deitatis exiſtẽte in mari, ceſſauerunt motus ventorum. De qua quidem mitigatione ſic loquitur præſens Euangelium, ſuper quo expediret vobis fratres cariſſimi aliquid audire ad ſalutem, ſed quia ſine gratia Chriſti nihil poſſumus facere, ipſo teſtante qui ait: Sine me nihil poteſtis facere, quod patet in Euangelio hodierno, vbi Chriſto dormiente, id eſt, ad tempus auxilium gratiæ ſubtrahente, diſcipuli peribant; Ideò recurramus ad matrem eius benedictam, clamantes ad eam vt mitiget nobis fluctus huius ſæculi, ponendo auxilia ſua in periculis noſtris, & tenendo nos in manu miſericordiæ ſuæ ne pereamus, dicentes omnes, *Aue Maria gratia. In illo tempore aſcendente Ieſu in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius &c.* In pręſenti Euangelio circa iſtam tempeſtatem tria deſcribuntur. Primò diſcipulorum cum Chriſto nauigatio, & circa hoc maris commotio. *Aſcendente Ieſu in nauiculam.* Secundò diſcipulorum Chriſti ſollicita poſtulatio, cum dicitur: *Et acceſſerunt.* Tertiò huius commotionis mitigatio, cum dicitur: *Exurgens Ieſus.*

Exod. 14.

Ioan. 15.

Propoſit.

I.

Aſcendente Ieſu in nauiculam. Sciendum eſt, quod cum Chriſtus primo anno prædicationis ſuæ quodam die turbis prædicaſſet ad mare ſedens in nauicula de ſemine verbi Dei, quomodo diuerſimode impediatur fructus eius, & de multis alijs, extunc eo die cũ ſero factum eſſet, Chriſtus iuſſit diſcipulos ſuos ad alias partes nauigare remotas ad prædicandum, & ſic nauigauerunt à Galilæa in terram Geraſenorum. Geneſar enim eſt vrbs Arabiæ trans Iordanem iuncta mõti Galaad in tribu Manaſſe, non longè à ſtagno Tyberiadis, in quo porci præcipitati ſunt, vt dicit Gloſſa. Nauigantibus igitur diſcipulis facta eſt tempeſtas maris, hoc eſt quod dicit: *Aſcendente Ieſu in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius*; quia membra debẽt ſequi caput, diſcipuli magiſtrum. Ecce fidelis amicitia, quia non ſolum ſequuntur Chriſtum in terra & in loco ſecuro, ſed etiam in mari periculoſo, & ideò dicebat eis: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Sed ſunt multi qui hominem ſequuntur in proſperis, non in aduerſis, iuxta illud, *Eſt amicus ſecundum tempus, & non permanebit in tempore tribulationis.* Sic & multi vellent ſequi Chriſtum ad terminum viæ ſcilicet ad gloriam, ſed nolunt ſequi per viam ſcilicet paupertatis & pænitentiæ, volentes habere conſequens ſine antecedente.

Marci 4.

Lucæ 22.

Eccl. 6.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari. Iſte motus non eſt ortus naturaliter, ſed ad imperium Chriſti Pſalm. *Qui conturbas profundũm maris, ſonum fluctuum eius*, ita vt nauicula operiretur fluctibus, id eſt, fere fluctus tranſibant nauem. Et attendendum

Nemo in hac vita ſecurus.

eſt, quod Chriſto præſente diſcipuli tempeſtatem paſſi ſunt, in quo condemnatur temeraria præſumptio quorundam, qui ita ſecuri ſunt in vita, ac ſi nullum eſſet periculum. Vnde dicit Auguſt. Nemo ſecurus debet eſſe in vita iſta quæ tota tentatio eſt. Vbi ergo ſecuritas, ex quo illi qui cum Chriſto ſunt tempeſtatem patiuntur? *Ipſe vero dormiebat*, & hoc propter duas cauſas. Primò, vt veritatem in ſe naturæ humanæ monſtraret. Secundò vt miraculo futuro occaſionẽ daret. Vnde Gloſſa dicit quod in hoc facto verus homo monſtratur qui dormit, & verus Deus qui tempeſtatem maris ſuo imperio tranquillat, quod nulli hominum licet facere. Marci 4. dicitur, quod erat ipſe in puppi ſcilicet vltima parte nauis ſuper ceruical dormiens. Dormiente ergo Chriſto orta eſt hæc tempeſtas, & hoc propter tres cauſas. Primò propter diſcipulorum terrorem, vt territi clamarent ad dominum; ſæpè enim tribulatio oculos & os ad Deum aperit, quos proſperitas clauſit. Secundò ad proditoris correctionem. Vnde Gloſſa dicit: Meritò turbatur nauis, in qua proditor eſt cum beatis. Et qui ſuis meritis firmi erant turbantur alienis. Frequenter enim propter malorum ſocietatem temporaliter boni affliguntur. Tertiò ad diuinæ poteſtatis oſtenſionem, quæ in ſedatione oſtenderetur, ſicut & factum eſt.

Ob duas cauſas dormiuit Chriſtus.

Tẽpeſtas cur orta.

Documẽta tria.

Myſticè tria hic ſunt conſideranda. Primò quid ſignificet nauicula in mari. Secundò quomodo Chriſtum ſecuti ſint diſcipuli. Tertiò quomodo Chriſto dormiente oriatur tempeſtas. Nauicula iſta ſignificat crucem, quam Chriſtus aſcendit in paſſione. De qua Sapient. 14. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.* Et dicitur diminutiue nauicula, quia ita ſtricta erat quod Chriſtus in ea non potuit vtrumque pedem ſeorſum ponere nec caput inclinare, vnde inclinato capite emiſit ſpiritum, & pede altero ſuper alterum crucifixus eſt. *Ioan. 19.* Iſta etiam nauicula ſignificat ſtatum pœnitentiæ, Nam ſicut dicit Hierony. pænitentia eſt ſecunda nauis poſt naufragium, ſcilicet actualium peccatorum. *Nauicula quid.* Et benè pœnitentia dicitur nauicula diminutiuè quia pœnitentes debent pati defectum & diminutionem in omnibus. Debent enim habere potum parcum & panem durum, contra noſtros pœnitentes, quibus ſi iniungitur pœnitentia in pane & aqua ieiunium, ipſi comedunt piſces aſſos & huiuſmodi. Et ſi iniungitur eis ieiunium in cibis, ipſi faciunt eis delicias tantas quod nunquam ſentiãt ſe ieiunare, cum tamen pænitentia dicta ſit quaſi punitentia, ſecundum Hugo. in lib. de myſt. eccl. Dei. Debet ergo atteri corpus per abſtinẽtiam quantũ valet nõ quantũ placet, inquit Greg. 21. lib. moralium. Jſta etiam nauicula ſignificat Eccleſiam quæ ſignificatur per arcam Noe, in qua quicunque non fuerat, perierat diluuio. Quia qui extra Eccleſiã eſt, neceſſe eſt vt pereat morte æterna, ſecundum Hieronym. & Damaſcenum papam. 24. quæſt. 1. *Gen. 8.* Quoniã vetus. Et bene cõparatur naui, habet enim gubernaculum fidem. *Nonne naues cum magnæ ſint, modico gubernaculo circumferuntur?* *Iacob 3.* Per fidem enim inter proſpera & aduerſa dirigimur, & ſancti per fidem vicerunt regna. *Hebr. 11.* Secundò in hac naui eſt anchora, id eſt, ſpes. Firmiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendum propoſitam ſpem. *Hebr. 6.* Tertiò velum eſt charitas. *Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, vt poneretur in malo*, id eſt, in Chriſto. *Ezech. 27* Qui quanto plus vento impellitur, tantò citius ad portum perducitur, quia mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Et ſicut in illa arca erant animalia munda cum immundis, ſic in Eccleſia cum reprobis electi. *Ex omni genere piſcium congreganti.* *Matth. 13* Dicitur etiam de arca quod quantò plus fluctuabat, tantò plus eleuabatur: quia Eccleſia quantò plus fluctibus tentationum fluctuatur, tanto plus apud Deum exaltatur. Vnde Hilarius. Proprium eſt Eccleſiæ vt tunc vincat cum læditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc ſecura ſit cum ſuparata videtur. Arca enim per quam Eccleſia ſignificatur, inundationibus concuſſa eleuata eſt in ſublime, Et Chryſoſt. dicit. Non ceſſat inſidias pati eccleſia, non ceſſat impugnari, ſed in nomine Chriſti ſẽper ſuperat, ſemper vincit. Et poſt multa. Qui impugnat eccleſiã, ſemetipſum diſſoluit, & fatigat, Eccleſiam autem fortiorem oſtendit. Hæc ille. Veruntamen etſi nauis

eccle-

eccleſiæ ſubmergi non poteſt, periclitari tamen poteſt propter tria: vel quia eſt infirma, vel quia tempeſtas imminet, vel quia nauta dormit. Ita etiam anima periclitatur vel propter infirmitatem fidei, vnde Petro dictum eſt: *Modica fidei quare dubitaſti?* vel quia tempeſtas iminnet, quæ dupliciter inſurgit, quãdoque per ventum, ſcilicet per ſuperbiam, vnde dicitur. *Flauerunt venti & diruerunt domum.* Matt. 7. quãdoque per fluctuum validitatem, id eſt, perſecutionem temporalium, vnde in pſal. *Eleuauerunt flumina fluctus ſuos.* Tertiò cum nauta dormit, id eſt, anima in vicijs quieſcit, vnde dicitur. *Neſcitis diem, neque horam.* Vnde ſaluator hortatur nos dicens: *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam*, hoc eſt dicere. Aſcendat nauem ſuam. In hanc nauem aſcendunt quidam per martyrij tolerantiam, per proximi compaſſionẽ & propriæ carnis mortificationem, & iſti propriè ſunt diſcipuli Chriſti. Sed notabile eſt quod Chriſto dormiente in naui non extra fit tempeſtas in diſcipulos, quia Chriſto patiente in cruce, oritur tentationis & perſecutionis procella in eos, vnde Matth. 26. dicitur: *Relicto eo omnes fugierunt,* & Joan. 20. *Quod congregati erant propter metum Iudæorum.* Et hoc dicit Gloſ. Quod nemo poteſt ſine tentatione ducere vitam iſtam; *Omnes enim qui pie volunt in Chriſto viuere perſecutionem patientur.* Dormit autem Chriſtus talibus, quia fides Chriſti in cordibus abſorpta videtur qui temporalibus affluunt; vel dormire Chriſtus dicitur, cum tardioribus ſubuenit auxilijs.

Propter tria.

Matt. 24.

2. Tim. 3.

modica fidei, quaſi diceret. Si nouiſtis poteſtatem meã in terra, cur non creditis in mari? *Modicæ fidei* eos dicit, ex eo quia ſecundũ Chryſoſt. credunt eum tantum vigilantem imperare mari, & tempeſtati, non autem dormientem. In Luca habetur, *vbi eſt fides veſtra?* quaſi diceret, ſi haberetis fidem non timeretis, ſic fieret vobis quod velletis & ventos & mare placaretis, vnde Lucæ 13. *Si habueritis fidem vt granum ſinapis dicetis huic arbori &c. Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Hic ſunt tria moralia documenta. Primum eſt quod inter alia quæ nos diſponunt ad gratiam Chriſti, vnum eſt timor, vnde diſcipuli timore percuſſi acceſſerunt ad Chriſtum. Hinc dicit Salomon: *Initium ſapiẽtiæ timor Domini.* Hinc Joſaphat rex timore perterritus, totum ſe obtulit ad rogandum Deum, & Ioan. 1. dicitur. *Timuerunt nautæ & clamauerunt ad Deum ſuum.* Secundum documentum, quod in periculis perſecutionũ neceſſarius eſt recurſus ad orationem; hoc autem maximè prælatis Eccleſiæ competit, qui tenent loca Apoſtolorum, & debent ſemper clamare vigilantes ſuper gregem ſuum, & dicentes. *Exurge quare obdormis Domine?* Et: *Vigila ſuper nos æterne ſaluator*, ſicut canimus in quadrageſima. Sed fatui gubernatores huius nauis ſcilicet Eccleſiæ, qui cum deberent Deum orationibus excitare, ipſum magis faciunt dormire confugiendo potius ad humanum auxilium, quam ad diuinum officium. Tertium documentũ eſt, vt in aduerſis fidem rectam & veram habeamus; *Hæc eſt enim victoria, quæ vincit mũdum fides noſtra.* dicit mundum, id eſt, mundi pericula.

Documenta tria.

1.

2. Par. 20.

2.

3.

1. Ion. 5.

II.

Acceſſerunt ad eum diſcipuli eius & excitauerunt eum, dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Dicit hic Origen. quod tantus terror inuaſerat eos, vt non leniter aut modeſte ſeu cum decentia ſuſcitarent Chriſtum, ſed cum impetu & clamore, dicentes: *Domine ſalua nos perimus*, quaſi dicãt. Tu potes adiuuare & nos indigemus, & in hoc allegãt poteſtatem diuinam, *Domine*: & neceſſitatẽ humanam *perimus.* Sed quid reſpondit eis Dominus? *Dicit eis Ieſus. Quid timidi eſtis*

III.

Tunc ſurgens Ieſus, de illo loco in quo erat, *imperauit* tanquam Dominus, *ventis & mari.*, & in hoc oſtendebatur Deus ſecundum Gloſſ. *In ſermone eius ventus ſiluit, & cogitatione ſua placauit abyſſũ*, id eſt profundum maris. Jn Luca dicitur: *Increpauit vẽtum*, ſcilicet tanquam cauſam tẽpeſtatis, & tempeſtatẽ tãquam effectũ. Gloſſa ibidem dicit: omnis creatura ſentit creatorem & paret, & ſentit increpationem. Hinc dixerunt quidam

Tempeſtatis mitigatio.
Eccl. 43.

quidam hæretici, quod omnia elementa eſſent animata, ex quo ſentiunt imperium Chriſti. Sed falluntur, cum iſta increpatio ſit metaphorica, non propria. Cum rei non intelligenti non ſit increpatio, eo quod peccare non poteſt. Sed ſicut quis cum increpatur ceſſat ab opere, ſic venti ceſſabant ad imperium & nutum Chriſti. Vnde etiam omnia inanimata Chriſto ſunt ſenſibilia, quæ apud nos ſunt inſenſibilia. Hinc dicit Baruch.3. *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus.*

Et facta eſt tranquillitas magna. In hoc apparuit magna poteſtas, quia magna facta eſt tranquillitas dicit Gloſſa. Vnde in Pſalm. *Tu dominaris poteſtati maris.* Et: *Poſt tempeſtatem tranquillum facis.* (Tobiæ 3.) *Porro homines mirati ſunt.* Homines vocat diſcipulos adhuc mortem corporalem, id eſt, carnalem timentes, vel homines ſecundum Gloſſam & Bedam, qui erant in naui, vel qui erant in littore, vt nautæ & alij; ſed veriſimilius eſt quod vtrique mirati ſunt, diſcipuli autem minus, eo quod magis erant aſſueti videre miracula, & magis certi de poteſtate diuina. Mirati ſunt inquam adinuicem dicentes: *Qualis eſt hic,* id eſt, quam magnus & potens, quaſi dicant. Moyſes virgam tenebat & orabat vt mare diuideretur, hic autem præcipit & obedit ei non tantum intellectuali obedientia, ſed ſicut materia obedit artifici, dum in illa voluntas ſit artificis.

Dubia tria.

Hic occurrunt tria dubia. Primum eſt de dormitione Chriſti, quæ eſt defectus humanæ naturæ, occaſione cuius quæritur
1. vtrum Chriſtus debuit aſſumere humanam naturam cũ huiuſmodi defectibus & infirmitatibus. Secundum eſt de fidei magnitudine, vtrum in vno poſſit eſſe maior fides & in alio minor ex quo hic dicitur: *Modicæ fidei quid timetis?* Tertium dubium eſt vtrum de Chriſto poſſit quæri, quis, qualis, quantus, ſicut hic homines dixerunt. Ad primum dubium dicendum eſt ſecundum Thom. quod ſic, cuius ratio eſt, quia quicquid Deus in nobis fecit aſſumere debuit, vt ſic ea, quæ Dei ſunt, transfunderet in nos. In nobis autem Deus fecit quoſdam defectus naturales, ſicut famem & ſitim; aliquos pœnales, ſicut mortem & infirmitatẽ, (D.Thom. ſup.3.ſẽt. diſt.15.) & ideò omnes tales defectus debuit aſſumere, vt ea in ſe Deo offerret & nobis Deum placaret. Non autem debuit aſſumere defectus peccabiles, quia tales nos à Deo deordinant. Nec debuit aſſumere defectus qui non ſequuntur totam naturam, ſed ex particularibus cauſis eueniunt, ſicut lepra, febris & alia. Similiter non debuit aſſumere defectus qui importãt defectum gratiæ, vt ignorantia & difficultas ad bonum. Et ſic patet ad primum quare Chriſtus dormire voluit. Ad ſecundum de fidei magni-
2. tudine vel modicitate, reſpondeo ſecundum Thomam, quod fides poteſt dici in aliquo maior. Vno modo ex parte intellectus propter maiorem certitudinem & firmitatem; (Tho.2.2. q.5.art.4.) alio modo ex parte voluntatis propter maiorem promptitudinem ſeu deuotionem vel cõfidentiam. Vnde Cananea commendatur; *O mulier magna eſt fides tua.* Et Petro dictum eſt: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* (Matt.15. Matt.14.) Modica enim fuit fides Petri, quia timuit mergi. Sic modica fuit fides iſtorum diſcipulorum, quia & ſi crediderunt Chriſtum poſſe ſedare tempeſtatem, tamen excitauerunt eum, non credentes quod dormiendo hoc poſſit facere, & propter minorem confidentiam dicitur modica fides. Ad tertium dicendum quod omnes tres quæſtiones, ſcili-
3. cet, quis, qualis, quantus veraciter poſſunt quæri de Chriſto. Ratio, quia in ſcripturis habent veras reſponſiones. Quis enim quærit de perſona. *Quis eſt hic, qui dimittit peccata?* (Luc.5.) Et poteſt ad hoc dari triplex reſponſio ad deſignationem ſuæ potentiæ. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* (Ioan.1.) Alia in deſignatione ſapientiæ. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum.* (Baruch.3.) Tertia in deſignatione ſuæ clementiæ. *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem,* (1.Ioan.5.) & ita hic eſt potens & ſapiens & clemens. Qualis quærit de conditione, vt hic, & poteſt dari iterum triplex reſponſio. Primo quod ipſe eſt ſpecioſus. *Qualis eſt dilectus meus?* (Cant.5.) & ſequitur: *Rubicundus & pulcher.* Secundò ipſe eſt glorioſus. Hebræorum 7. *Talis decebat vt nobis eſſet pontifex ſanctus.* Tertiò ipſe eſt virtuoſus. 1. Corint. 15. *Qualis eſt cæleſtis, tales ſunt cæleſtes.* Quantus quærit de magnitudine. Hebræor. 12. *Intuemini quantus ſit iſte.* Et eſt triplex reſponſio. Pri-

mò quod eſt altior omnibus ſublimitate. Pſalm. *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus.* Latior omnibus immenſitate pſal *Dominabitur à mari vſque ad mare.* Longior omnibus æternitate. Exodi 15. *Dominus regnabit in æternum & vltra:* Ad quod regnum nos perducat &c.

DE EADEM DOMINICA SERMO II.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari. Matt. 8.

SIcut ait Auguſt. 10. lib. confeſſionum. Nemo ſecurus debet eſſe in vita iſta, quæ tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriori melior, ne fiat ex meliori deterior. Vult dicere Auguſt. quod vita præſens adeò eſt inſtabilis & vaga, vt in omnibus actionibus humanis nihil reſtet niſi timor & pauor. Quod oſtendens idem Auguſtin. ſic declarat. Iam inquit quiſque noſtrum bonũ opus ſuſcipere, id eſt, agere & implere nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, nunc nouit non ſuæ eſſe facultatis ſed diuini muneris, vel quod ſcit vel quod delectatur, nunc non nouit omnia prædicta Hæc ille. Et certè ita eſt, quod non eſt ſecuritas in omnibus, ſed continua inſtabilitas; nedum in mundo, ſed etiam in cœlo & in paradiſo In cœlo enim cecidit angelus ſub præſentia diuinitatis, in paradiſo Adam de loco voluptatis, in mundo Iudas de ſchola Saluatoris. Si ergo in cœlo vel in paradiſo non fuit ſecuritas, multò minus in mundo. Ex quo infert Auguſtinus quod in mundo iſto non timere, non dolere, non laborare nõ periclitari impoſſibile eſt. Iſtud bene figuratum eſt in euangelio præſenti, vbi *Chriſto aſcendente in nauiculam cum diſcipulis ſuis factus eſt motus magnus in mari,* vt dicunt verba noſtri thematis. In quibus verbis propoſitis de tribus fit mentio notabilis. Primò de Chriſto. Secundò de diſcipulis eius. Tertiò de mari. Secundum hoc tria hic tanguntur. Primò enim deſcribitur Chriſti humilitas, in eo quod aſcendit in nauiculam. Secundò diſcipulorum pietas quam habuerunt ad Chriſtum, in eo quod ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Tertiò vitæ præſentis inſtabilitas, in eo quod motus magnus factus eſt in mari.

Aug li. de pecc. mer. & remiſſ.

Aug. in epiſt. ad Dioſc.

Propoſit.

I.

Magnæ humilitatis ſignum in Chriſto qui cum poſſet vt Deus ambulare ſemper ſicco veſtigio ſuper aquas, eo quod ipſe eſt qui ambulat ſuper pennas ventorum, tamẽ vt homo fragilis apparere volẽs aſcendit in nauiculam. Non tamen ſine occulta cauſa & myſterio noſtræ ſalutis ſpeciali. Per hoc enim ſignificare vult quantum nobis in vita præſenti pœnitentia ſit neceſſaria. Si enim ipſe Dominus omnium, qui ſine peccato venerat illud quod pro peccato inſtitutum eſt ſubire dignatus eſt; quanto magis nos peccatis obnoxij debemus libenter aſſumere ſtatum pænitẽtiæ, ſine quo ad patriam peruenire non poſſumus. Nauicula igitur iſta ſignificat crucem, quam Chriſtus in paſſione ſua aſcendit. Et certè ſi conſideremus totam vitam Chriſti, nihil aliud inueniemus eam niſi nauiculam; ſed tamen in paſſione euidentius dicitur aſcendiſſe iſtam nauiculam, quia coram toto mundo paſſus eſt. De iſta naui exponitur illud Sapient. 14. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas: tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.* Pro quo ſciendum quod crux Chriſti multa nomina habet propter multas cõmoditates nobis ex ea prouenientes. Nam primo dicitur ſcala per quã Chriſtus aſcendit. Vnde figuratur per ſcalã, quã vidit Iacob, cuius cacumen tãgebat cœlum, & angelos aſcendentes & deſcendentes & dominum innixum ſcalæ. Super hanc ergo ſcalam & nos oportet aſcendere ſi volumus ad veram gloriam peruenire, iuxta illud: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* O quam fatuus eſſet qui altitudinem turris ſine ſca-

Chriſtus in nauem cur aſcendit.

Crux Chriſti dicitur ſcala.

Gen. 28.

Galat. 6.

læ ſuffragio vellet aſcendere. Sic qui altitudinem cæleſtem ſine pœnitentiæ remedio vult adipiſci. Secundo crux Chriſti dicitur lectus, in quo ipſe obdormiuit. Quãdo dominus in meridie declinat ſe ad dormiẽdum in æſtate, ſolent feneſtræ thalami ſui claudi vt quietius dormiat. Iſto modo Chriſtus quãdo fatigatus de miſera vita iſta dormire volebat in lectulo crucis, feneſtra mũdi, ſc. ſol videbatur clauſa, quando factæ sũt tenebræ ſuper vniuerſam terram à ſexta hora vſque ad horam nonam. Vnde in figura 2. Paral. 24. dicitur de Ioab rege Hieruſalem: *Occiderunt eum ſerui ſui in lectulo ſuo & mortuus eſt.* Tunc impletum eſt dictum Chriſti, qui dudum ante prædixerat dicens. *Erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, alter relinquetur.* Duo in lecto crucis Chriſti fuerunt, diuinitas & humanitas: diuinitas relinquebatur libera, ſed humanitas fuit ad pœnam aſſumpta. Et notanter dicitur crux Chriſti lectulus & non lectus: nam ita ſtricta fuit vt non habuerit, vbi caput reclinaret, nec vbi genua collocaret. Vnde figuraliter poteſt de hoc exponi illud. Geneſ. 50 quod de Iacob legitur. *Finitis*, inquit, *mandatis quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos in lectulo, & mortuus eſt.* Sic quilibet Chriſtianus volens decedere de hac vita prouidere debet, vt non moriatur extra lectulum pœnitentiæ, in quo debet ſemper quieſcere, id eſt, quietam vitam ducere, & à tumultibus ſæculi ſequeſtratam: alias certè non benè agitur pænitentia, ſi nondum mẽs à curis ſæculi eſt ſequeſtrata. Hinc eſt quod Bernard. tractans illud ſponſæ *Lectulus noſter floridus*, dicit; in eccleſia Dei lectulum in quo quieſcitur, clauſtra exiſtimo eſſe, & monaſteria, in quibus quietè viuitur à curis ſeculi & ſollicitudinibus vitæ. Sed attende qui audis, quia cum audis pænitentiam dici lectulum, audis pariter eum & floridum nominari, ad ſignificandum, quia pænitenti non ſufficit dimittere quod malum eſt, niſi etiam bonorum operũ & virtutum floribus redoleat. Ex quo patet quod pænitentia illorum, qui ſolum mala dimiſerunt, nõ tamen in bonis operibus ſe exercẽt, eſt inutilis lectulus, non vtiq. floridus, ſed marci- [illegible]ſcendus, in quo Chriſtus ſponſus animæ dedignatur habitare, ex quo ſolum in

Bern. ſup. Cant. ſer. 47.

Pœnitẽtia cur lectulus floridus dicatur.

florido conſueuit quieſcere. Sed quid dicã? Certè ſunt alij deteriores prædictis, qui nõ ſolum habent lectulum aridum, ſed inſuper pungitiuum, ſc. vrticis, vepribus & tribulis ſtratum; quales ſunt illi qui licet peccata deſeruerunt, tamen non ad ſuperioris voluntatem, & obedientiam, ſed ad propriam viuunt, arbitrantes ſolum bonum, quod per eos fuerit excogitatum, factum, aut inuentũ. Malus lectulus inobedientiæ in quo Chriſtus dedignatur quieſcere, qui tantę obedientiæ fuit vt mori potius eligeret, quã non obediret Deo patri. Sed ſi oculum mẽtis ad alios conuertamus, certè inueniemus prę[m]iſſis deteriores, qui non ſolum lectulũ habent aridũ, & vrticis pũgitiuis conſtratũ, ſed inſuper & fœdum habent & putridum ſeu fætidum; vt ſunt illi qui poſt confeſſionem ad ſimilia vel deteriora cõuertũtur vitia, quibus non ſolum propriam conſcientiam, ſed & cæterorũ turbant ſocietatẽ & cõmunitatem. Iſtorum lectulus fœtidus eſt & abominabilis Deo, eò quod quicquid tales faciunt, odit Deus, iuxta illud. Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos & cum multiplicaueritis orationẽ, non exaudiam. O pudeat regem gloriæ ad talem lectum inuitare? Quiſquis ergò vult verè pænitere; primò neceſſe eſt, vt malis dimiſſis non ocio torpeat, ſed virtutibus inſiſtat, prouidendo inſuper, vt non in ſe ſolum, ſed etiam in alijs per exemplum bonum glorificetur Chriſtus, iuxta illud. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus.* *Matt. 5.*

Tertiò crux Chriſti dicitur nauicula, qua Chriſtus per mare huius ſæculi nauigauit, & peruenit in ciuitatem ſuam: pro quo ſciendum quod in paruis aquis operatur pons, hoc idem in magnis facit nauis, & ita homines vno vtuntur pro reliquo. Hinc eſt quod Chriſti crux & vita eius pœnalis dicitur nũc nauicula, nunc autem pons; nauicula ꝓpter ſtrictitudinem principij, & finis, & latitudinem medij ſicut enim Chriſti crux erat diſpoſita, vt in capite eſſet ſtricta & in pedibus ſed in medio ad duo brachia eſſet lata: ſic & ſtatus pænitentiæ videtur eſſe diſpoſitus: nã in principio cõuerſionis videntur pænitenti grauia præcepta, iuxta illud *Durus eſt hic ſermo*: ſimiliter in fine pænitentiæ maxima ſtrictitas propter grauem & ſtrictam de omnibus

Crux Chriſti nauicula cur dicatur.

Ioan. 6.

Pœnitẽtia ſtricta.

nibus rationem; de quibus maximè timere debet pænitens, ne pro aliquo ſatisfacere omittat. Videtur etiam pænitenti difficilis pęnitentiæ finis, quia deſperat de viribus ſuis, timens nō poſſe in pęnitentia perdurare ſeſe vſq; in finem. Sed aduertat oportet quia ſi tot annis potuit grauiſſimum iugum diaboli ſufferre, multò magis cum auxilio Dei poterit iugum eius ferre, cū dicat ſaluator. *Iugum meum ſuaue eſt & onus meum leue.* Veruntamen ſtatus pænitentiæ in medio eſt latus & diffuſus: poſtquam enim homo cæpit bonum opus, ſtatim charitas paulatim diffunditur in corde eius per Spiritum ſanctū, vt dicitur Rom. 5. quæ omnia grauia leuigat & dura alleuiat & emollit. Vnde Apoſtolus de ſe dicebat: omnia poſsū in eo, qui me cōfortat. Dicitur etiam crux Chriſti pōs propter eūdem vſum, vt dictum eſt, & ſignificat etiam ſtatum pœnitētiæ, quo peruenitur ad portum ſalutis, & quia vt dictum eſt quod operatur nauis in aquis magnis, hoc pons in paruis, ad ſignificandum quod pœnitentia eſt remedium tam contra peccata magna, & mortalia, quam etiam contra parua & venialia. Eſt tñ notabile qꝫ ſicut dicit Holc. pons pænitentiæ non eſt, ſicut cæteri pontes, fixus & immobilis, ſed eſt pons, qui leuatur de die & attrahitur de nocte; ita vt qui voluerit ſuper illum pontem tranſire, oporteat vt veniat de die. Dies eſt vita noſtra iuxta illud. *Ecce nunc dies ſalutis*: mors eſt nox in qua nihil operari poterimus, iuxta illud. *Venit nox in qua nemo operari poteſt.* Poſt mortem ergò pons iſte eleuabitur à nobis vt vltra per eum tranſire non poſſimus, quia tunc omnia ſatisfactoria ceſſabunt, & ſola iuſtitia exercebit opus ſuum. *Amen dico vobis neſcio vos.* Et præmittitur: *clauſa eſt ianua*, quod eſt dicere, eleuatus eſt pons miſericordię, & ſola iuſtitia iam quieſcit in cubili ſuo. Dum ergo tempus habemus, aſcendamus nauiculam cum Chriſto, nè ſuperueniente tempeſtate maris ſubmergamur; qui enim non fuerit in arca Noe peribit regnāte diluuio: qui non inuentus erit in ſtatu pœnitentiæ in morte ſubmergetur in pænis inferni. Tunc enim intrabunt aquæ vſque ad animam iuxta, pſal. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.*

Matt. 11. — *Crux Chriſti pons cur dicatur.* — *Holc. ſup. lib. Sap. cap. 14.* — *Matt. 25.* — *Geneſ. 8.*

II.

Secuti ſunt eum. Mira charitas Apoſtolorum, nam cum ſcirent grauia eſſe pericula maris, Chriſtum autē nondum vidiſſent imperatę mari, nihilominus præſentia eius carere non valentes etiā ſimul cum eo aſcēderunt nauiculam, committentes ſe diſcrimini maris, præ deſiderio amoris Chriſti; qꝺ eſt perfectum ſignum charitatis Chriſti in homine, quando non ſolum in proſperis, ſed etiam in aduerſis adhæret Chriſto non ſolum in amœnitate terrenorum, ſed etiam in amaritudine tribulationum. Vnde Augu. ſuper illud pſal. *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem:* dicit illos verè laudare, & diligere Deum, qui non ſolum per diem proſperitatis, ſed etiam per noctem aduerſitatis laudant Deum, exemplo enim diſcipulorum & nos ſequi debemus Chriſtum in omnibus, maximè autem in quatuor virtutibus, quæ fuerūt in diſcipulis, in quibus Chriſtum imitati ſunt: primò in manſuetudine & humilitate: ipſis enim dictum eſt: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, ſecundo in humilitate ad Deum, tertiò in contemptu terrenorum: ipſi enim ſunt qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum. Quartò in feruenti dilectione: ipſi enim tantum feruebant dilectione Chriſti, vt parati eſſent in mortē & in carcerem ire. Quiſquis ergo vult eſſe diſcipulus Chriſti, & eum vult ſequi, neceſſe eſt primo ante omnia, vt ſit manſuetus quo ad proximū, vt cū eo habeat pacem & concordiam in terra, ſi vult habere partē, & hęreditatem cum in eo cœlo. Talis fuit ille, qui dicebat. *Cum his, qui oderūt pacem, eram pacificus.* Sed prohdolor nobis non ſufficit non eſſe pacificos cum non pacificis, ſed etiam ipſos pacificos perturbamus, inuicē irridentes, inuicem prouocantes, quod ex vitio ſuperbiæ & elationis non dubitatur procedere, iuxta illud. *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.* Maximum ſignum, quod homo eſt adhuc crudus & carnalis, quando eſt iniuriarum impatiens. Vnde 1. Corint. 3. *Cum ſit inter vos zelus & contentio, nōne adhuc carnales eſtis.* Et Iac. 3. *Quod ſi zelū habetis, & contētiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari mēdaces eſſe aduerſus veritatē: nō eſt enim iſta ſapiētia deſurſū, ſed terrena, animalis & diabolica.*

Signū vera charitatis quod — *Matt. 11.* — *Matth. 4.* — *Luca 5.* — *Luc. 22.* — *Prou. 14.*

Vbi enim zelus & contentio ibi inconſtantia & omne opus prauum. Hæc ille.

Vides quanta mala operatur in patientia, quę hominem facit eſſe diſcipulum diaboli & ad omne opus malum aptum, & paratum. Eſt tamen admodum mirabile, quod homo contra proximum ſuum durè ſe habeat, cum naturaliter ſit ad māſuetudinem inclinatus ſicut oſtendit tota eius exterior diſpoſitio. Nam vt dicit Chryſ. Non eſt creatus cū cornibus, vt ceruus tigris, aut centaurus, vt cornibus ventilet alium, nec cum pede & calce dura, & acuta, vt equus vt calcitret in alium; nec cum dente feroci, vt lupus, canis & leo, vt mordeat alium. nec cum roſtro acuto, aut vngula curua & forti, vt rapiat aut comprimat alium, vt falco, herodius, accipiter aut aquila, ſed creatus eſt cum omnibus membris valde competentibus & manſuetis, vt in omnibus manſuetè ſe haberet erga proximum. Ex quo patet quod homo rixoſus eſt potius beſtia, quam homo. Vnde in pſal. *Comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Ecce turpitudo rixoſi. Nec ſolum eſt ſimilis beſtiæ ſilueſtri, ſed vt dictum eſt, ſimilis eſt diabolo, & eſt diabolus incarnatus. Iuxta illud quod de diabolo ſcriptum eſt: *Iniquus homo ſuperſeminauit zizania tritico.* Et Prouerbiorum 6. dicitur: *Homo apoſtata vir inutilis*, & ſequitur: in omni tempore iurgia ſeminat. Quod tractans Gregor. dicit, quod ſi filij Dei ſunt, qui pacem faciunt. procul dubio ſathanæ filij ſunt, qui pacem confundunt. Secundò volens ſequi Chriſtum cum diſcipulis debet habere humilitatem quoad Deum: tunc autem eſt vera humilitas: quando homo ex propria cognitione ſibi ipſi vileſcit: & omnia bona ſoli Deo attribuit, & ſibi mala Vnde dicit Bernardus quod cum homo ſine diſſimulatione & palpatione inſpicit ſemetipſum intus ad lumen veritatis. ſine dubio oportet eum humiliari & in oculis ſuis viliorem ſe reputare ex vera cognitione ſui; & hunc vocat primum gradum humilitatis. Si verò homo non ſolum apud ſe, ſed etiam in oculis aliorum quantum in ſe eſt, vult reputari vilis, habet perfectiorem gradum humilitatis. Sed dices domine eſt graue quod homo reputari velit apud homines inglorius & vilis. Nam ad hoc oportebit eum omnes proprios defectus exponere hominibus. Quod prohibet Chryſoſtom. dicens. Non dico tibi, vt te prodas in publicum. Reſpondeo quod hoc non præcipitur homini, vt vilem ſe habeat ſeu faciat apud homines, ſed dico quod hoc ſufficiat ſi ſolum quantum in ipſo eſt vilis velit reputari, & dico quantum in ipſo eſt, quia vt dicit Bernardus, plerumque non expedit innoteſcere omnibus omnia, quæ nos ſcimus de nobis, cū etiam hoc prohibeatur ne homo notificet mala ſua, quæ notificata nocere poſſent ea ſcienti vel noſcenti, & ideò dicit quantum in ipſo eſt. Tertiò volens ſequi Chriſtum cum diſcipulis, debet habere contemptum terrenorum: ſicut enim & Apoſtoli omnia pro Chriſto contempſerunt; ſic & Chriſtianus quilibet facere debet. Vnde Apoſtolus dicit de ſe. *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Sed dices hoc eſt valde graue. Reſpondeo certè quod non: non enim præcipitur relinquere omnia, ſed conſulitur; præcipitur tamen contemnere omnia ſub pœna damnationis, vnde dicitur in Pſalm. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere, non dicit: nolite poſſidere diuitias, ſed amare prohibemur: ergo affectus, non cenſus prohibetur. Vnde ſaluator cautè proponit verba ſua. *Si quis inquit venit ad me*, ſc. per fidem, *& non odit patrem ſuum & matrem & vxorem & filios, fratres & ſorores, adhuc autē & animā ſuā, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vbi dicit Lyra. quod hic odiū accipitur large in quantū perturbatio parētum vel amicorū non dimittit peruenire ad fidē, ſicut patet de S. Chryſanto, & alijs, vel de ſęculo ad religionē. *Adhuc autē & animā ſuā*, id eſt, vitā corporalē eā contēnendo ꝓpter Deum paratus vitā ſuā exponere ꝓ fide caſu neceſſitatis occurrēte. Et hic ſciendum ꝙ diſcipulatus Chriſti ſecundū Lyran. poteſt intelligi dupliciter. Vno modo generaliter ſecūdum ſtatū communē fideliū; ſed ad hoc ſufficit fides cū obſeruatione mandatorum. Alio modo cum hoc per obſeruationē cōſiliorū. Nō ergò hic Domin⁹ prohibet poſſeſſionē terrenorū, ꝗ ſecundū Ambro. ſunt adiuuamenta virtutis, ſed prohibet ſollicitudinem nimiam, & exceſſiuam circa ea. *Nolite ſolliciti eſſe dicētes quid mandūcabimus aut quid.*

Impatiētia mala.

Chry ſup. Matt. c. 8.

Homo naturaliter ad māſuetudinem inclinatus

Rixoſus diabolo ſimilis. Matt. 13.

Gregor. in paſt. part. 3.

Bern. ſup. Cant. ſer. 43.

Chriſtum ſequenti terrena cõtemnēda.

Luc. 14.

Amb. ſup. Lucam.

Matth. 6.

quid bibem⁹ &c. Sufficit enim cuilibet Chriſtiano contemptus terrenorum in affectu, vt ea non diligat, vt in eis ſpem non ponat, vt de eis eleemoſynam faciat, vt ea in honorem Dei & proximi vtilitatem, et ſuam exponat. Quartò volens ſequi Chriſtum cum diſcipulis debet habere feruentem dilectionem: ſicut enim ſuperius dictum eſt ipſi Apoſtoli Chriſtum ardentiſſimè dilexerunt, & ideò ipſi ſecundum doctores comparantur ordini ſeraphin, qui ſemper in Dei amore ardent. Ex quo etiam creditur quod ad illum ordinem ſupremæ Hierarchiæ ſupremum ſunt recepti; quod Chriſtus oſtẽdens expreſſe dixit Ioan. 13. *In hoc* inquit *cognoſcent omnes quod mei eſtis diſcipuli ſi dilectionem habueritis adinuicem.* Sed in hac dilectione ſunt gradus, iuxta illud: Ordinauit in me charitatem. Hinc dicit Auguſti. Quod primus gradus diligendi eſt diligere Deum, ſecundus animã propriam: tertius animam proximi; quart⁹ corpus proprium quint⁹ corpus proximi. Chriſtus tamen tacet de ſe hic, tantum dicit de dilectione noſtra adinuicem. Licet enim vt dicit Bern. in benè affecta mente dilectioni hominis dilectio Dei præfertur, tamen in benè ordinata actione ſæpè etiam aut ſemper ordo oppoſitus inuenitur; nam & circa proximi curam & plus vrgemur, & plùries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori ſedulitate aſſiſtimus, & paci terræ magis, quam cæli gloriæ humanitatis iure, & ipſa neceſſitudine intendimus. In his tamen omnibus homo ſemper tendit ad dilectionem Dei, & ideò benè Apoſtolus dixit. *Quia qui diligit proximum legem impleuit,* id eſt, diligendo proximum diligit & Deum, quia alterum ſine altero ſtare non poteſt.

Feruens charitas diſcipulo Chriſti neceſſaria. — *Cant. 2.* — *Aug. in li. de doctrina Chriſtiana 5. dilectionis gradus.* — *Bern. ſup. Cant. ſerm. 51.*

III.

Ecce motus magnus factus eſt in mari. Benè autem & conuenienter mundus iſte dicitur mare: ſicut enim mare raro quieſcit, ſed in cõtinuo motu eſt: ſic homines in hac vita nũc ſani, nũc infirmi; hodiè viuim⁹, cras morimur; & ſic nũquam in eodem ſtatu permanem⁹. Hinc dicit Senec. Momẽto mare euertitur, & vbi modo luſerũt nauigia, ibi ſtatim abſorbentur. Itẽ ſicut mare mortuos eijcit: ſic mundus iſtos, qui ſibi mortui ſunt, vt viri contemplatiui, de quibus Apoſtolus dicit. *Mortui eſtis mundo.* Coloſſ. Item in mari piſces magni deuorant minores: ſic in mundo potentes opprimunt minores. Pſalm. Deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis. Paſcua ſunt diuitum pauperes. Item mare habet arenam, quæ ſterilis & grauis eſt: ſic finis mundi huius eſt infructuoſitas. Stipendia peccati mors. Item ſicut in mari non eſt locus manſionis: ſic nec in mundo. *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Item ſicut in mari parua nauis non valet, ſic homo paruus in virtute reſiſtendi tentationibus non valet in mundo morari, & ideò talibus conſulitur intrare clauſtrum, & fugere mundum. Hoc mare oportet Eccleſiam tranſire, velit nolit, antequam perueniat ad portum terræ promiſſionis, ſcilicet terræ viuentium: de quo mari plura dicuntur in Pſalm. *hoc mare magnum & ſpacioſum manibus, illic reptilia quorum nõ eſt numerus.* Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Primò ergò dicit ꝙ hoc mare ſcilicet præſentis ſæculi eſt magnũ, & ſpacioſũ manibus, id eſt, operib⁹ exercendis tam bonis, quam malis. Secundò dicit quia in eo ſunt reptilia, quorum non eſt numerus, id eſt, homines mali & ſpirituales nequiciæ & tentationes diabolicæ & ipſi dæmones. *Multæ ſunt inſidiæ doloſi.* Tertiò dicit ꝙ in iſto mari ſunt animalia puſilla, id eſt, falſi fratres & hæretici, qui non apertè nocent cum magnis, id eſt cum potẽtibus, & hæreſiarchis, & tamen illic naues, id eſt, ſingulæ Eccleſiæ pertranſibunt ad gloriam & requiem per gubernatorẽ Chriſtum, qui eas gubernaculo crucis ducit: de quo dicitur: Benedictum lignum per quod fit iuſtitia. Quartò dicit quod illic eſt draco iſte facinoroſus, id eſt, lucifer, ſiue ſit hic per ſe ſiue per miniſtros: *quem formaſti* ſecundum ſubſtantiam, non ſecundum vicium ſuperbiæ *ad illudendũm ei,* ſcilicet vt ei illuderetur à bonis Angelis & à bonis hominibus, & Chriſtus præcipuè illuſit ei: *Illudet ei quaſi aui:* Sicut enim illuditur aui, quæ dum vult capere eſcam, capitur laqueo vel hamo: ſic diabolo illuſit Chriſtus; prætendit ei eſcam humanitatis, ſub qua abſcondit ferrum diuinitatis, & dum voluit

Vitæ in-bilitas. — *Eccl. 13.* — *Rom. 6.* — *Hebr. 13.* — *Pſal. 103.* — *Eccl. 11.* — *Sap. 14.* — *Iob. 40.*

deuorare humanitatem, captus eſt potentia diuinitatis. Ad litteram tamen dicit Innocen. quod draco maximum eſt animal in mari habitans, & licet ſit magnum & forte, tamen de facili ei illuditur, cum nimirũ gallinam aſſatam ponunt in pertica quam dum inſequitur, ipſi inſiliunt ſupra dorſum eius, & ſic capiunt eum. Sic factum eſt diabolo, cui oſtenſa eſt caro Chriſti, quam dum capere voluiſſet, captus eſt. *Væ qui prædaris nonne ipſe prædaberis?* Inter cætera tamen, quæ de mari feruntur eſt hic vnum in verbis thematis. *Quia motus magnus factus eſt in eo*. Et reuera in vita præſenti & in mundo iſto magnus motus eſt, quia continua inſtabilitas & mutabilitas in omnibus. Vnde poeta Ouidius. *Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat, Et manet in nullo certa tenaxque loco, Sed modo læta manet, modo vultus ſumit acerbos.* Et quis non videt ſemper eſſe mutabilitatem tam in natura, vt in creaturis, quam in fortuna, vt in bonis temporalibus; tam in culpa, vt in peccatoribus, quam in pœna, vt in miſeris & damnatis: ſemper enim creaturæ mutantur & mouentur iam de iuuentute in ſenium, iam de vita in mortem: ſic & temporalia nunc creſcunt, nunc decreſcunt; ſic & peccatores nunc deprimuntur per culpam, nunc eleuantur per gratiam; ſic miſeri & damnati nunc vadunt ad calorem nimium, nunc ad aquas niuium, & ideò benè motus magnus eſt in hoc mari. Singulariter tamen hoc poteſt dici de mundo ſecundum allegoriam, in quo magnus eſt motus tribulationis & perſecutionis tyrannorum, quem ſolus Chriſtus mitigat, qui niſi mitigaret, nullus ſuſtinere poſſet. Vnde Pſalm. dicit de Chriſto. *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas*, Non ergo deſperemus fratres quia etſi motus inſurgunt tribulationũ in hoc mundo à diabolo, & eius miniſtis, tamen *fidelis eſt Deus, qui non patietur nos tẽtari ſupra id quod poſſumus, ſed faciet cum tẽtatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere*; pro quibus tribulationibus finaliter nobis retribuet coronam ſalutis æternæ, quod nobis præſtare dignetur ipſe Dominus per ſæcula benedictus. Amen.

Draco quomodo capiatur. *Eſaia 33.* *Motus maris quid.* *Ouid. de triſt. li. 5. epiſt. 9.* *Pſal. 138.*

DE EADEM DOMINICA SERMO III.

Domine ſalua nos, perimus. Matt. 8.

Aug. in li. de definit.

QVandoquidem vt dicit S. Auguſtin. Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante, venite; nullum autem inuitatum ad ſalutem niſi Deo auxiliãte operari. Nul-inſuper niſi orantem auxilium promereri: ideo Apoſtoli in diſcrimine vitæ conſtituti ad diuinæ pietatis præſidium confugientes orãt ſupplices dicẽtes. *Domine ſalua nos perimus.* O ſi Apoſtoli à Deo vocati, electi & prædeſtinati in tribulationibus conſtituti non niſi orantes auxilium meruerunt, quãtum putamus nos miſeros & indignos tot tentationibus preſſos & circumdatos oportere clamare, & orando impetrare auxilium in tempore opportuno, nè pereamus? Ideò enim differtur bonum & crebreſcunt mala in mundo, vt oratio ferueſcat, dicit gloſſa. Hinc ſaluator ait: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* O ſi orant, qui Deum præſentẽ habent & propinquum, quantum nos à quibus longè eſt ſalus. Dicamus ergo & nos: *Domine ſalua nos perimus*. In quibus verbis tria tanguntur: Primò enim Apoſtoli confitentur diuinæ maieſtatis poteſtatem cum dicunt. *Domine:* ſecundo inuocant ſuæ bonitatis pietatẽ cũ ſubditur, *ſalua nos.* Tertio oſtendunt tribulationis ſuæ grauitatẽ, virtutis ſuæ, & reſiſtendi infirmitatem, & clamoris neceſſitatem, *quia perimus.*

Luc. 18. *Propoſit.*

I.

Domine. Certè magna poteſtas huius Domini, cui mare & venti obediunt, immò om-

elementa,& quod eſt plus, omnia creata, cæleſtia, terreſtria & infernalia. Ad Philip. 2 Omnes enim creaturæ dignè obediunt ei: omnes homines dignè ſeruiunt ei, omnes Angeli dignè iubilant ei, omnes dæmones dignè tremunt eum, ſed quoniam reprobi non attendunt Chriſti dominium ſupra ſe, ideò neceſſe eſt, vt contemplemur quale ſit iſtud Dominium. Probatur autem eius dominium à potentia ſumma, à ſapientia lucida, & iuſtitia firma. De primo quomodo dominium eius probetur à potentia ſumma, quæ attribuitur patri, patet: nam potentiam ſummam Dei probat operum diuinorum magnitudo. Nam tam magnũ, tam altum, tam immenſum eſt facere aliquid de nihilo, vt omnes philoſophi nequaquam hoc apprehendere potuerint. Vt qui nullo modo hoc concedere voluerunt. Nec mirum cum nulla potentia quantumcunq; magna hoc facere poſſit ſecundũ naturalem rationem. Vnde ſi conuenirent omnes potentiæ creaturarum, non poſſent vnam muſcam, aut vnum granum papaueris creare. Si ergò omnis mundana potentia tam ſpiritualis, quam corporalis nõ poteſt ex nihilo producere creaturam: quanta eſt illa potentia quam immenſa, quam infinita, quæ de nihilo fecit tam nobilia, tam magna elemẽta, tam ſublimia cæleſtia corpora, tam ſpiritualem creaturam. Scripſit Rabbi Moyſes ſubtilis aſtronomus & theologus maximus, ꝙ quilibet circulꝰ planetarum habeat in groſſitudine ſpacium quingentorum annorum, id eſt, quantum homo poſſet per viam planam in quingentis annis conficere ita vt quolibet die conficeret quatuor miliaria, & quodlibet miliare eſſent duorum millium paſſuum. Et addit quod inter circulum & circulum eſt ſimiliter ſpacium quingentorum annorum. At ſi tanta magnitudo in quolibet inferiori circulo, quid poſtea eſt in cælo ſtellato, quid vlterius in aqueo, quid in empyreo? Quanta ergò iſtius Domini potentia, qui tam immenſa de nihilo produxit. Vnde benè dicitur: *Domine rex omnipotẽs, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ: Tu enim feciſti cælum & terram, & omnia quæ cæli ambitu continentur.* Timéda eſt ergo iſta potentia, quæ ſicut de nihilo fecit omnia: ita omnia poteſt in nihilum redigere. Multi ſunt reges & princeps, qui ſuos aduerſarios optarent quidem in nihilum redigere, ſed certè exequi non poſſunt quod intendunt. Non ſic iſte rex, cui paret & obſequitur omnis creatura ad nutum & ad votum. Ideò timeant peccatores inimici eius, in quos cum vult, poteſt executioni ſententiam ſuam demandare, etiamſi ad nihilum velit eos conterere, iuxta illud Pſal. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus:* exponit Innocen. id eſt, diabolus. O ſi ſic potens eſt in diabolum regem omnium malorum, quantò magis contra ſubditos eius.

Potentiã Dei eius opera oſtendunt.

Eſther 13.

Pſal.

Secundò probatur dominium Chriſti à ſapientia lucida: ſicut enim potentia eius probatur à magnitudine creaturæ: ita ſapientia eius à multitudine. Quis enim ſufficiẽter exprimat diuerſitates terrarum, genera arborum, & herbarum, genera fructuum & granorum, genera colorum, genera cantilenarum, genera odorum & florum, genera carnium, piſcium & ſaporum, genera lapidum & omnium metallorum, genera animalium, ſtellarum & multitudinem Angelorum. Quis ſufficienter exprimat, quam ſit admirabilis in hominibus tanta diuerſitas facierum? Quis dignè dicere poteſt, quam ſit mirabilis iſta ſcientia, quæ ſciuit diſtinguere tam diuerſa? Vnde propheta cum dixiſſet. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat:* ſtatim adiungit *Magnus Dominus noſter & magna virtus eius, & ſapientia eius nõ eſt numerus.* Et *Deus ſcientiarum Dominus eſt.* O admirabilis Deus qui ſic omnia ſapienter diſpoſuit, ſic perſpicaciter intuetur vniuerſa, vt non ſit qui ſe abſcondat à ſcientia & notitia eius. Vnde dicitur. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* Timenda eſt hæc ſapientia illis qui abdita & occulta loca ad peccandum quærũt, qui etſi hominibus abſcunduntur, Deũ tamen latere non poſſunt: ipſe.n. eſt qui ſcrutatur corda & renes hominũ. Tertiò dominiũ Chriſti probatur à iuſtitia firma, & hoc probat operũ eius rectitudo: adeò. n. rectus eſt iſte iudex noſter, vt nullis verbis, nullis blandimẽtis, nullis donis oblatis, nullis aduenientibus aduocatis à iuſtitia flecti poſſit. Hoc patuit primò, dum Angelis melioribus,

1. Reg. 2.

Nihil latet notitiam diuinam.

Hebr. 4.

Iuſtitia Dei inflexibilis.

bus,&nobilioribus nec ad horam pepercit, ſed mox eos à ſuo conſortio reiecit, & pœnis æternis reſeruauit, hoc idem apparuit in primò homine, quem de paradiſo expulit, & poſteritatem eius miſerijs expoſuit. Nullius ergo veretur potentiam, nullius formidat iuſtitiam: ſic omnes percutit, ſicut exigit ipſorum culpa. Vnde pſalm. dicit. *Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum.* Sicque patet dominium Domini iſtius, cui meritò dicunt Apoſtoli. *Domine.*

II.

Ad ſalutẽ 4. cauſæ concurrũt 1. Efficiẽs Deus.

Salua nos. Duo dicunt, ſaluris auctoritatem dicentes: *Salua*, ſalutis congruitatem, *nos*. De primò videndum, quomodo ordinetur ſalus noſtra à Deo. Pro quo ſciendũ quod ad ſalutem noſtram ſicut & ad cuiuſlibet alterius rei naturalis compoſitionem concurrunt quatuor cauſæ, ſcilicet efficiens, formalis, materialis, & finalis. Sicut enim ad picturam concurrit pictor efficiens, forma color, materia paries, finis ſpes vel merces: ita ad ſaluationem noſtram efficiẽs eſt Deus, ipſo atteſtante apud Iſa. *Abſque me non eſt ſaluator.* Ideò petit Pſalm. ſaluum me fac Deus: Non eſt enim ſalus niſi à Deo, ſicut dicit Auguſt. Ad hanc ſalutem procurandam debent nos mouere tria ex parte Dei ſaluatoris. Primò quia hoc vult Deus, & præcipit: *Ipſe enim eſt, qui mandat ſalutes Iacob.* Subditus enim debet obedire mandatis prælati: Deus Dominus, nos ſerui. *Ipſe autem vult omnes homines ſaluos fieri.* Non eſt ergò culpa Domini, ſed noſtra. Vnde meritò ſubiungitur. *Qui reſpuit volentem ſe ſaluare, reſpuetur.* Secundò quia ad hoc venit in mundum & in mortem. *Filius hominis non venit animas perdere ſed ſaluare.* Meritò ergò contemnitur à Deo, qui tantum beneficium eius contemnit. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Hic eſt Ioſeph qui dicit. *Pro ſalute veſtra miſit me.* Tertiò quia gratis ſalutem tribuit. Fatuus eſſet valdè, qui pro nihilo poſſet habere regnum, immò omne bonũ, & ſe faceret indignum. Pſalm. *Pro nihilo ſaluos facies illos. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos:* ergò ad procurationem ſalutis noſtræ vrget nos voluntas Dei, aduentus Chriſti, facilitas dandi. Ecce cauſa efficiens ſalutis.

Iſa. 43. Aug. in li. de vera Relig. c. 20. 1. Tim. 2. Luc. 9. 1. Tim. 1. Gen. 45. Ad Tit. 3.

Materialis anima.

Secundò ad ſalutem noſtram materia eſt neceſſaria: eſt autem materia ſalutis rationalis ſpiritus: Vnde pſalm. *Animas pauperum ſaluos faciet.* Ad hanc ſalutem procurandam debent nos mouere tria ex parte animæ: Primò quia Deo charior; Deus enim amat animas. Quantò enim vinum melius & charius eſt Domino, tantò in meliori cuſtodia ponitur. Ideò dicitur. *Tradidi eum ſathanæ vt ſpiritus eius ſaluus fiat in die Domini.* Pſalm. *Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.* Secundò quia in ſe eſt precioſior: Mercator enim pannum precioſiorem intendit ſaluare magis. *Reliquerunt tentoria, fugeruntq́; tantum animas ſuas ſaluare cupientes.* Tertiò quia ſalutis capacior, quia ſine ea non eſt ſalus hominum. Puer debet diſcere officium cuius capacior eſt. *Vidi Dominum facie ad faciem:* corpus enim non ſaluatur niſi per animam: vnde anima eſt capacior ſalutis.

Sap. 11. 1. Cor. 5. 4. Reg. 7. Gen. 32.

Cauſa formalis.

Tertio ad ſalutẽ requiritur forma: Eſt autẽ forma ſalutis gratia ſiue virtus. Vnde. 1. Thimoth. 2. dicitur. *Saluabitur per filiorum generationem*, id eſt, ſecundum Gorran. honorũ operum productionem. Pro quo ſciendum quod ſaluatur homo per virtutes gratuitas; primo per fidem ſicut per lucem dirigitur homo ad portum, per recognitionem Domini & ſeruitij ſaluat ſeipſum. & negando amittit *Qui crediderit ſaluus erit, qui verò nõ crediderit, condemnabitur.* Secũdo per ſpem, ſicut laborans ſpe mercedis acquirit ſibi victum. Pſalm. *Saluos facis ſperantes in te Domine. Spe ſalui facti ſumus.* Tertio per charitatem; homo enim libenter ſaluat amicum. Vnde melius valet amicus in via, quam inimicus in corrigia: Charitatem veritatis non receperunt. Quarto per temperantiam, ſicut infirmus per dietam. Pſalm. *Saluos faciet filios pauperum;* ſicut fructus per deſiccationem ab in corruptione. *Qui applicabitur ei deſcendet ad inferos nam qui abſceſſerit ab ea ſaluabitur.* Quinto per iuſtitiam, ſicut in omni curia reus condemnatur, & iuſtus ſaluatur. *Salus animæ in ſanctitate & iuſtitia.* Pſal. *Salus iuſtorum à Domino.* Sexto per prudentiam, ſicut ſerpens obturando aures ſaluat ſe, & ludens ludo ſcaccorum dando ſcaccũ ſaluat ludum. *Dabo in ſyon ſalutem* Et: *Diui-*

Marc. vlt. Rom. 5. 2. Theſſ. 2. Prou. 9. Eccl. 30. Iſaiæ 46.

tiæ

na ſalutis ſapientia & ſcientia. Septimò per fortitudinem; ſicut miles fortiter luctando, & perſeuerando. *Tempus tribulationis Iacob, & ex ipſo ſal. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Quartò ad ſalutem requiritur cauſa finalis: finis autem ſalutis noſtræ eſt ſtatus gloriæ ad Philip. 2. *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Ad hanc ſalutem procurandam debent nos mouere tria ſimiliter ex parte finis; primo euaſio periculi culpæ: viator enim exiſtens in nemore vel in mari feſtinat ad locum ſalutis, vt euadat periculum. Pſalm. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo. Ero vobis in Deum & ſaluabo vos ab omnibus inquinamentis veſtris.* Sic dicitur hic: *ſalua nos, perimus.* Secundò amotio mali pœnæ: homicida enim vel latro feſtinat ad refugium ſalutis, vt euadat patibulum. Pſalm. *Saluaſti nos de affligentibus nos.* Idem: *Salua me de ore leonis.* Tertiò adeptio cæleſtis patriæ & lætitiæ: captiuus enim ſolutus à carcere libenter procurat locum recreationis, & lætitiæ. Pſalm. *Saluum fac populum tuum Domine.* Nos ergò dicamus iam ſaluatori noſtro cum beatis Apoſtolis: *Salua nos.* De ſecundo ſcilicet de ſalutis congruitate, quã Apoſtoli exprimunt in verbis propoſitis, cũ addunt: ſalua nos: nos inquam quos congruum eſt ſaluare tanquam magiſtro ſcholares, tanquam Domino ſeruos, tanquam dilecto amicos. Saluat autem Chriſtus quatuor genera hominum, quæ congruum eſt ei ſaluare: primo humiliter pænitentes: Matth. 1. *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Secundò ſaluat deuotè orantes. *Non ceſſes orare pro nobis ad Dominum vt ſaluet nos de manu philiſtinorum.* Tertiò ſaluat tribulationes mundi pro Chriſto patienter ſuſtinentes, vt hic in periculo conſtitutos cum Chriſto. Vnde ſequitur: *ſurgens imperauit ventis & mari:* mare autem ſignificat amaritudinem præſentis ſæculi, vt dictum eſt. Quartò ſaluat ſe longanimiter expectantes, qui ſcilicet bonum, quod cœperunt vſque in finem producunt. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Et Apoſtolus. *Qui tenet teneat, donec de medio fiat.* Et: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* In perſona talium dicit Apoſtolus. *Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

Ierem. 30. Matt. 10. Cauſa finalis. Ezech. 36. Chriſtus ſaluat 4. Genera hominũ. 1. Reg. 7. Apoc. 3. Matt. 10. Philip. 4.

III.

Domine perimus. Magna neceſſitas & tribulationis grauitas eſt perire in corpore, & ſubtrahi de hac luce, in qua eſt locus merendi; & multum & magnum conſequitur periculum, quo maius eſſe non poteſt, ſi homo intempeſtiuè ſubtrahatur per mortem caſualem de hac vita; cum frequenter ex hac morte rapiatur in peccatis incontritus ad mortem æternam. Ideò Apoſtoli meritò compulſi ſunt clamare, allegantes tribulationis grauitatem, ſcilicet periculum vitæ, dicentes *perimus.* O ſi Apoſtoli periculũ vitæ corporalis metuentes, qui tamen in conſcientijs ſecuri erant & perfecti; ſicut Apoſtolus de ſe dixit; nihil mihi conſcius ſum; compellabantur clamare pro liberatione: quantò magis nos miſeri conſcientia peccatorum grauati & de noſtra damnatione certi debemus clamare in orationibus, vt à peccatis, quibus anima & corpus noſtrum ſimul periclitantur, ſaluemur? Vbi notandum, quod licet multi ſint, qui pereunt in hoc mari mũdi huius, tamẽ ſecundũ Alexãdrum quatuor genera ſpecialiter perire leguntur: primi ſunt inſipientes in diſcernendo, qui ſcilicet nec creatorem ſuum cognoſcunt, nec res ſecum creatas æſtimare ſciunt: vnde Seneca dicit, quod tunc per rationem rectè homo viuit, ſi diuina prius æſtimet, & dignitatem rebus vt ſunt, ex earum natura conſtituat. Hi ſunt etiam qui nec præteritam vitam ſuam recogitant, nec præſentem ordinant, nec de futura prouident; cum tamen ſecundũ Senecam tota vita noſtra his tribus temporibus debeat ordinari, & ratio, quia homo alias eſt in periculo: qui enim nihil de præteritis malis cogitat, vitã perdit: qui autem nihil de futuro meditatur, in omnia mala incautus incidit: ideò dicit Aug. Nulla maior egeſtas, quam indigere ſapientia, & qui ſapientia non eget, re nulla egere omninò poteſt. *Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cum ſapientiam emere* non

Intempeſtiua mors periculi plena. Quatuor genera hominũ in mari mundi huius præcipuè pereunt. 1. Prou. 17.

non poſſit. Item hi ſunt verè inſipientes, qui
in his, quæ ignorant, nec correptionem nec
Prou. 9. correptorem curant. *Noli arguere deriſorem,*
Baru. 3. *nè oderit te.* Ideò de talibus dicitur: *quia non*
habuerunt ſapientiam, perierunt propter ſu-
2. *am inſipientiam.* Secundi ſunt pigri, & tædi-
oſi in operando; & ſunt illi qui ſolum cor-
poris ſui commodo intendunt, in nullo la-
bore vtili & virtuoſo ſe exercentes: & hos
Philip 3. vocat Apoſtolus: *inimicos crucis Chriſti, qui*
terrena ſapiunt, quorum venter Deus eſt, &
gloria eorum in confuſione ipſorum. Hi ſunt e-
tiam, qui ſemper viuere incipiunt, & nullũ
vnquam vitæ ſuæ fructum oſtendunt vnde
& eos Apoſtolus Iudas in ſua Epiſtola vocat
arbores infructuoſas, bis mortuas. Hinc di-
cit Bern. *Stultus quod viuit mortem potius*
dico, quam vitam: Quomodo enim eſt vita cum
ſterilitate: arbor arida & ſterilis, nonne mor-
tua iudicatur? Sic ſtultus eo ipſo quod inu-
tiliter viuit, mortuus iudicatur etiam vi-
uens; & tales quantò diutius viuunt, tantò
à Deo plus elongantur. Ideò de eis dicitur.
Ecce qui elongant ſe à te peribunt: perdidiſti o-
mnes, qui fornicantur abs te. O quàm multi
ſunt hoc tempore tales qui iam in conſum-
pta ætate quaſi incipiunt viuere, dum in-
tendunt negotiationibus, vſuris, lucris, &
alijs, ac ſi primo inciperent viuere! Quid
autem eſt turpius quam ſenex viuere incipi-
3. ẽs? Tertij ſunt indiſciplinati in conuerſan-
do; & hoc, cõſequitur ad duo. primo; cũ e-
nim ſit inſipiens in cognoſcendo, & piger in
operãdo, ſequitur indiſciplinata & diſſolu-
ta conuerſatio: ad virtutum enim exerci-
tium in corde interius ſequitur morum cõ-
poſitio in corpore exterius: & econuerſo:
vndè Baruch. 3. dicitur. Viam diſciplinę non Baruc. 3.
inuenerunt, propterea perierunt. Ideò pſal.
conſulit dicens: *Apprehendite diſciplinam, nè*
quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via
iuſta. Quarti ſunt inſatiabiles in peccando; 4.
& hoc ſequitur congrue ad prædicta, quia
cum ſit inſipiens & otioſus & moribus in-
diſciplinatus & curioſus, ſequitur vt ſit ad
omne pronus peccatum & inſatiabilis & fa- *Peccati delecta-*
melicus, cum peccati delectatio non ſatie- *tio famẽ creat.*
tatem, ſed famem pariat. Vnde filius prodi-
gus conſumpta tota portione cum meretri-
cibus dixit: *Ego autem hic fame pereo.* Verè
fame perit, qui in aliquo creato bono extra
Deum ſatiari quærit: quia vt dicit Auguſt. *Luc. 15.*
omnis copia, quæ Deus non eſt, inopia eſt. *Aug. in li.*
Nos igitur nè pereamus de via iuſta, ſemper *confeſſ.*
clamemus ad Dominum Ieſum Chriſtum,
vt nos liberet è periculis vitæ præſentis, &
per hoc mare ſpacioſum ad portum ſa-
lutis æternæ perducat. Quod no-
bis pręſtare digne-
tur &c.

✠.

DOMINICA QVARTA POST OCTAVAS EPIPHANIAE, SERMO I.

Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit ſemen bonum. Matth. 13.

DOminicis tribus præcedentibus oſtendit nobis mater ſancta Eccleſia potentiam mirificam noſtri ſaluatoris; & hoc in operatione miraculorum tam in terra, quam in mari: nunc hac Dominica ſequenti oſtendit ipſius ſapientiam profundiſſimam, & hoc per ſalubrem parabolam, & exemplorum ſalutarium eruditionem. Vndè in hac Dominica nos docet, quantum nobis noceat noſtra negligentia, & hoc in eo; quod nobis dormientibus & in cuſtodia noſtri corporis torpentibus, diabolus tanquam inimicus ſuperſeminat menti noſtræ vicia, & ita inficit in nobis ſemen diuinum in nobis ſeminatum. In figura huius Samſon miſſis trecentis vulpibus cum igne cõ-

Iudic.15. buſſit omnia ſata philiſtinorum. Samſon licet ſæpè ſignificet Chriſtum in ſcripturis, quantum ad quædam myſteria paſſionis & reſurrectionis eius, tamen hic ſignificat diabolum, nec abſurdè. Sæpè enim ſecūdum Gregor. per rem iuſtam ſignificatur iniuſta: interpretatur autem Samſon, quaſi ſol eorum, ſol propter illam claritatem, in qua creatus fuit: de qua dicitur: *Ezech.28* *Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei, in paradiſo deliciarum fuiſti.* Sol ergo dicitur eorum, qui imitantur eum in claritate ſuperbiæ, quia ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, vt dicitur Iob. 41. Hic ergo mittit trecentas vulpes, id eſt, multas aſtutias, dolos & fallacias, quibus comburere nititur omne ſemen diuinæ gratiæ & veritatis, & hoc eſt quod dicitur de eo quod dormientibus hominibus ſuperſeminauit zizania. Simile dicitur de ſyrenibus monſtris marinis, quæ cantu ſuo ſopiunt nautas; & poſtea in ſomno cum naui ſubuertunt. Sic intendit diabolus: proponit vera & intendit falſa; oſtendens dulcia & exhibens amara. Hinc dicit Euangelium præſens. *Simile eſt regnum cælorum &c.* Sicut autem habetur ex eodem capitulo, diſcipuli exquiſierunt expoſitionem huius parabolæ à Chriſtò; quo ſignificatur iſtam parabolam magni fore myſterij & intellectus ſpiritualis; Si ergò Apoſtoli quæſierunt intellectum myſticum, multo magis nos quærere debemus gratiam Spiritus ſancti à Chriſto. Vt igitur ipſe in nobis bonum ſemen gratiæ ſuæ ſeminare dignetur ad matrem eius pijſſimam, quæ ſine virili ſemine ex ſola Spiritus ſancti ſuperuentione ſemen vitæ æternæ Chriſtum filium Dei concepit & peperit, recurramus, ſalutantes eam voce amœna, dicentes. *Propoſit.* Aue Maria gratia plena. *Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit ſemen bonum in agro ſuo &c.* In Euangelio præſenti tria deſcribuntur: primo diuina bonitas, in eo, quod ſeminauit ſemen bonum: ſecundo diabolica iniquitas, in eo, quod ſuperſeminauit zizania: Tertiò diuinæ iuſtitiæ æquitas, in eo quod ordinatè iuſſit ſegregari zizania à tritico.

I.

Dixit Ieſus parabolam hanc. Iſtud factum eſt anno prædicationis primo: poſtquam enim Chriſtus in domo quadam Iudæorum prædicaſſet; ex tunc ibidem ſcribis, Iudæis & Phariſæis confutatis de ipſorum blaſphemia, per quam opera eius diuina aſcribebāt Beelzebub principi dæmoniorum, exiens inde venit ad mare gentilium, ibique ſedens in nauicula plures parabolas dixit: inter quas iſta fuit vna præcipua. Dicit autem *Parabola quid.* Hieron. quod parabola eſt rerum diſcrepātium ſub aliqua ſimilitudine facta collatio. *Simile eſt regnum cælorum,* id eſt, militans Eccleſia, quę dicitur cęlum, ſcilicet propter vitæ ſublimitatem, qua debet viuere, iuxta *Philip. 3.* illud: *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt:* propter claritatem doctrinæ, qua debet fulgere. *Matt.5.* *Sic luceat lux veſtra.* Tertiò propter ſtellarum, id eſt, perſonarum diuerſarum multiplicitatem: de quo Gregor. tractans *Greg.l.27 Mor.c.4.* illud Iob. *Qui aufert ſtellas pluuiæ:* duo inquit in hac vita ſunt genera hominum: vnum benè viuentium, ſed nulla docentium: aliud non rectè viuentium, ſed tamen recta docentium; ſicut in cœli facie aliæ ſtellæ prodeunt, quas nullæ pluuiæ ſequuntur: aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt. Simile eſt ergò regnum cœlorum, id eſt, negotium militantis Eccleſiæ, homini, id eſt, Chriſto, qui ſeminauit ſemen bonum, id eſt, fidem ſuam plātauit in cordibus fidelium per prædicationem; *Semen bonum Fides, & voluntas bona.* vel bonum ſemen eſt voluntas bona, ſecundum Gorran. in agro ſuo, id eſt in Eccleſia, vel mundo: ſuo dicit propter hæreticos, qui dicebant mundum viſibilem à malo Deo creatum, quod falſum eſt: vnde in ſymbolo, creatorem cæli & terræ credimus vnum Deum. Sed dices, quomodo eſt ſemen bonæ voluntatis in nobis, cum tamen non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis. *2.Cor.3.* Reſpondeo in nobis eſt, & ex nobis, quantum ad cooperationem, non quantum ad infuſionem.

II.

Simile eſt regnum cœlorum. Sciendum quod hic tanguntur conditiones requiſitæ, vnicuique Chriſtiano ad ſalutem conſe-

quendam meritoriæ, & ſunt ſex. Prima vt ſit homo, per vitam rationalem, non beſtia per ſenſualitatem: vnde dicitur. Simile eſt regnum cælorum homini, non beſtiæ: nam reuera nullus meretur admitti ad regnum cœlorum niſi rationabiliter viuens. Quod patet ex eo quod Adam factus fuit homo in animam viuentem in ſtatu innocentiæ, qui ſi tenuiſſet imaginem Dei, quæ eſt in parte rationali, perueniſſet ad regnum cœlorum etiam ſine morte media. Sed quod ſcriptum eſt de eo in Pſal. *Homo inquit cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus.* Hinc Bern. *Ecce qualem ſe homo inuenit de ſimilitudine Dei in ſimilitudine iumenti.* Vnde cui prius ex perſona ſanctæ Trinitatis dictum fuit: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt:* illi poſtea beſtiæ poterant dicere Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis. Sed dices, quæ eſt vita rationalis & humana, & quæ beſtialis & pecorina? Reſpondeo breuiter ſecundum Bern. quod tria faciunt hominem rationalem & ſanctum in vita, ſcilicet victus ſobrius, actus iuſtus, & ſenſus pius. Victus ſobrius, ſi continenter, ſi ſocialiter, ſi obedienter, ſi caſtè, ſi charitatiuè & humiliter vixerimus; ſed per continentiam caſtitas, per ſocialitatem charitas fouetur. Actus iuſtus erit, ſi fuerit rectus, diſcretus & fructuoſus; rectus per bonam intentionem, diſcretus per menſuram poſſibilitatis, fructuoſus per vtilitatem proximorum. Senſus pius erit, ſi fides noſtra Deum ſentit ſummè potentem, ſummè ſapientem, ſummè bonum; vt per eius potentiam credamus adiuuari infirmitatem noſtram; per eius ſapientiam noſtram credamus corrigi ignorantiam; per eius bonitatem noſtram credamus ablui iniquitatem: Hæc ille. Ecce deſcripſi tibi hominem rationalem non vtique philoſophicum, & naturalem, ſed vt Catholicum & fidelem. Si autē quæris, quis ſit homo beſtialis. Reſpondeo ſecundum Auguſt. Beſtialis homo eſt, qui facit, quod vult, quando vult, quantum vult ſine tempore, ſine menſura, ſine modo, comedit, bibit, dormit, ludit, quando vult, quantum vult, nullam habens mentem ad cœleſtia, implicatus terrenis, neglectis æternis. Vnde Apoſtolus. *Animalis* inquit *homo non percipit, quæ Dei ſunt: ſtultitia enim eſt illi.* Et vere talis ſtultus eſt, qui ſecundū carnem viuit; de quo Apoſtolus alibi: *ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Et iterum ad Philip. 3. *qui terrena ſapiunt, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorū:* immò non homo, ſed diabolus incarnatus eſt.

Bern. ſup. Cant. ſer. 36.

Tria hominem faciunt rationalē.

Aug. l. de ſalut. docum.

Homo beſtialis quis dicatur.

1. Cor. 2.

Carnaliter viuēs ſtultus.

Secunda conditio vitæ rationalis & humanæ eſt, vt homo ſit actiu⁹, nō ocioſus! Vnde dicitur: *qui ſeminauit.* Vita quidē præſens data eſt homini ad ſeminandum bona opera: Vnde Iob. 5. dicitur quod homo ad laborem naſcitur. Quæcumque ſeminauerit hic homo, eadem & metet. Et notanter dicit, qui ſeminauit, non qui metit: ad ſeminandum enim hic poſiti ſumus, aliud autem tempus futurum ad metendum expectamus. Vnde Eccl. 11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua.* Ecce tota die vitæ præſentis præcipit ſeminare, certè non agros terrenos tantum, qui corpus nutriunt, ſed actus iuſtos, qui mentem reficiunt. Prouerb. 11. *Seminanti iuſtitiam merces fidelis.* Eſt autem iuſtitia rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata ſecundum Anſel. Tertia conditio vitæ rationalis eſt, vt ſit homo circumſpectus: vnde dicitur, *ſeminauit ſemen*, non paleam. Vnde de multis dicitur illud Oſeæ 8. *Ventum ſeminabunt & turbinem metent.* Hoc faciunt vanè glorioſi, ſuperbi & ambitioſi, quia *omnia faciunt, vt videantur ab hominibus.* Hi non ſeminant ſemen, ſed paleam vacuam & vento plenam. Quarta conditio, vt ſit homo in electione voluntatis rectus: vnde dicit *ſemen bonum.* non malum, vt ſcilicet ſciat reprobare malum & eligere bonum. Quinta conditio, vt ſit de gratia diuina ſolicitus, ſine qua nihil omnia valent: vnde dicitur *in agro*, non inter ſpinas diuitiarum, non in via luxuriæ, non in petra obſtinationis, ſed in agro benè per gratiam Dei diſpoſito Canticor. 7. *Egrediamur in agrum.* Sexta cōditio, vt homo ſit magis propriæ ſaluti, quam aliorum intentus. Vnde dicitur. *Multi neglectis proprijs ſeminant in agris alienis*, contra illud: A-

2.

Eccl. 11.

Anſ. l. de l. arb. c. 3.

3.

Matt. 5.

4.

5.

6.

grís.

gris tuis ſitientibus alieni irrigandi non ſunt; Hinc conqueritur ſapiens. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis* ſcilicet alienis: *vineam meam non cuſtodiui*. Multi enim in prælaturis officijs, dignitatibus, aliorum vtilitati intenti: propriā negligūt ſalutē, de quib. dicit Bern. *Miror inquit audaciam plurimorum quos videmus de ſuis vineis non colligere niſi ſpinas & tribulos, vineis tamen dominicis ſe ingerere; & non niſi fures veri ſunt & latrones, non cuſtodes nec cultores.* Hæc Bernardus: Et tantum de prima parte euangelij.

III.

Cum autem dormirent homines. Hic tangit tria. negligentiam cuſtodiæ in hoc quod dicit: *cum dormirent*, ſeminationem falſitatis: *venit inimicus*, manifeſtionem ſeminis: *cum autem creuiſſet.* Dicit ergò: *cum autem dormirent homines*: id eſt praui prælati ad cuſtodiam & cautelam gregis dominici pigritando agerent, quorum ſomno id eſt negligentia ſuperueniēs diabolus ſuperſeminauit zizania. Vnde dicitur. *Vigiliate, quia aduerſarius veſter diabolus circuit quærens, quem deuoret*; qui ſuperſeminauit zizania, id eſt errores. Zizania ad litteram nomen cuiuſdam herbæ nociuæ ſegeti, quæ alio nomine dicitur lolium. Ponitur hic pro errore falſitatis, quem diabolus per ſuggeſtiones ſuas ſeminat, vt homines peccatis mortalibus inuoluat; & hoc facit in medio tritici, id eſt, in medio bonorum, & electorum in eccleſia Dei. Gloſſa. permiſcendo hæreticos electis; vel in medio tritici, in corde hominis, in quo erat bona voluntas; *& abijt* ſcilicet aduentum ſuum occultando: *quia transfigurat ſe in angelum lucis.* Notandum quod ſicut prælati tripliciter negligunt: ita diabolus tripliciter operatur: dormiunt enim prælati vel torpore inertiæ. Prouer. 6. *Feſtina, diſcurre: ſuſcita amicum tuum; ne dederis ſomnum oculis tuis*: vel cum reſoluuntur laſciuia, *Dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris*: vel tertio, cum premuntur ignorantia, ſiue culpa. *Non dormiamus ſicut cæteri, ſed ſobrij ſimus, & vigilemus.* Vidēs hæc diabolus opponit eis triplex ſtudium: primum venit, ſuperſeminat, & abit; venit per ſuggeſtionem erroris; ſuperſeminat per conſenſum hominis; & abit in occultatione erroris ſub ſpecie veritatis.

1. Pet. 5. *Zizania quid.* *Diabolus tripliciter operatur.* *Amos 6.* *1. Theſſ. 5.*

Cum autem creuiſſet herba. Hic ſubditur erroris manifeſtatio. Vnde *cum creuiſſet herba*, id eſt, cum fideles profeciſſent in fide & moribus; & fructum feciſſet, id eſt bonæ ſpei opera monſtraſſet: vel creuiſſet, per profectum fidei, & feciſſet fructum per effectū operis boni, quia *fides ſine operibus mortua eſt.* Tunc apparuit zizania, id eſt, manifeſtauerunt ſe hæreticorum dogmata. Error enim manifeſtatur poſt exitum veritatis, non enim habet principium, niſi in vero, quod verum euentus oſtendit. Vnde poſt prophetas pſeudoprophetæ, poſt Chriſtum Antichriſtus. Hic eſt argumentum, quod cum homo ſpiritualis eſſe cœperit, tunc iudicat omnia. Sunt hic tria moralia documenta. Primum eſt, quod negligentia prælatorum magis eſt periculoſa, quam ſimplicium. Patet quia eorum occaſione diabolus multa mala facit in ſubditis: illa autem negligentia conſiſtit in tribus, ſcilicet non reparando, quæ ſunt reparanda in plebe 2. Paral. 24. Leuitæ negligentius egerunt; & loquitur de ſartatectis reparandis: ſecundò recuſando diſciplinam Dei: *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Tertiò, quod iuſtum eſt, non exequendo, *impij autem ſecundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, qui neglexerunt iuſtum; & à Domino receſſerunt.* Quando ergò defectus non emendatur, quando ad propriam vtilitatem viuitur; quando iuſtitia non adminiſtratur per prælatos, dicuntur ſpiritualiter dormire, & dare occaſionem diabolo ſeminandi mala ſemina vitiorum & errorum. Secundum documentum eſt quod diabolus ex deprauatione voluntatis ſuæ iam quaſi naturaliter cuilibet homini eſt infeſtus; vnde ritè dicitur *inimicus* eius. Facit autem hoc in ipſo inuidia: de qua dicitur: *inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum*: dolet enim illas ſedes cœleſtes, quas aut noluit aut neglexit, homines ex lutea materia conſtantes adipiſci. E contrario quaſi naturaliter homo odit diabolum non in quantum creaturam Dei ſed in quantum ſibi aduerſum. Vnde Matth. 6. *Aut vnum odio habebit, & alium diliget; aut*

Iacob. 2. *Homo ſpiritualis omnia iudicat.* *Documēta tria.* 1. *Prou. 1.* *Sap. 3.* 2. *Matth. 6.*

alium ſuſtinebit & alterum contemnet. Tertium documentum eſt quod multa vicia & ferè omnia ſub ſpecie virtutum ſæpius introducuntur in medium populi; & ideò opus eſt magna cautela; de hoc Jſidorus, ponens differentiam inter peccata ſpiritualia, & carnalia, dicit: *Quædam vitia ſpecies virtutum præferunt, ideoq; perniciosius ſuos ſectatores decipiunt, quia ſe ſub velamine virtutum tegunt.* Nam vitia, quæ ſtatim virtuti contraria apparent, citò, dum palam veniunt, emendantur, propter quod ſequaces eorum de talibus erubeſcunt, carnales plerumque per inſenſibilitatem mentis non agnoſcunt vicium eſſe culpabile, quod dignum videtur damnatione. Et docet exemplo quomodo ſub prætextu iuſtitiæ crudelitas pagatur. Sic remiſſa ſegnities dicitur manſuetudo, & indulgentia pietas, prodigalitas dicitur liberalitas, tenacitas, temperantia, pertinacia putatur conſtantia, timor dicitur obedientia & humilitas, procacitas vocis pro lubricitate caſtitas iudicatur, pigritia pro quiete reputatur, inquietudo dicitur ſollicitudo, præcipitatio feruor boni ſtudij nominatur, tarditas benè agendi dicitur conſilij mora; ex quibus ipſe concludit, quod multi ſe iuſtos credunt, cum tamen ſint reprobi, vnde ſecundum ipſum cautè eſt homini ambulandum. Vitia enim ſunt quaſi latrones, qui quaſi quieti per viam nobiſcum incedunt, ſed habita oportunitate nos occidunt; de quo Auguſtinus in libro de conflictu virtutum & vitiorum.

Iſid. lib. 3. de ſum. bono, cap. 35.

Quomodo vitia ſpecie virtutum tegantur.

Vitia latrones.

III.

Apparet hic iuſtitiæ diuinæ æquitas, in eo, quod iuſſit vtrumque ab altero ſegregari, &, vt dignum fuit, ſuo loco reponi; vnde ſequitur. *Accedentes autem ſerui patrisfamilias,* id eſt, angeli, vel ſecundum Lyram prædicatores & prælati per deuotam orationem tanquam ſoliciti, fideles, & deuoti circa res omnes, *dixerunt patrifamilias,* id eſt, Deo conſulentes eum in corde ſuo. Dicit hic Chryſo. Volentes diſcere oportet interrogare, *Domine ſcilicet qui omnia potes, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo,* ſcilicet per Apoſtolos & prædicatores in mũdo. Ecce tangitur ſeminator, quia Deus, Quis autem contra illum auſus eſt ſeminare ſemen malum? quis auſus eſt corrumpere in agro tuo? quis auſus eſt intrare? vnde ergò zizania habet? quaſi admiratiuè loquuntur. Et ait illis. *Inimicus homo hoc fecit,* id eſt diabolus, qui dicitur homo ab homine deuicto, ſicut Scipio Africanus ab Africa deuicta. Dicitur ergo homo, quia ſub ſpecie humanæ rationis hominem decipit, vel quia ab initio homini inimicabatur. *Inimicitias ponam inter te,* vel quia hominem voce humana decepit. *Serui autem dixerunt. Vis ibimus & colligemus ea?* id eſt placeat tibi quod eamus, & de medio euellamus, vel excommunicando eos vel ſeparando brachio ſæculari inuocato, ſicut Petrus furore ſuccenſus ſtatim amputauit auriculam dextram ſimiliter diſcipuli. *Vis dicamus vt ignis deſcendat? Et ait illis, non.* Et rationem ſubdit patientiæ ſuæ & expectationis. *Ne fortè colligentes zizania* de medio eccleſiæ occidendo omnes peccatores, *eradicetis ſimul & triticum.* Vnde ſecundum Hugonem prohibetur eradicatio feſtinata. Et gloſſa dicit, quod hic datur locus pœnitentiæ, & monemur non citò amputare, quia qui hodie errat, forſitan cras defendet veritatem. Et ſecundum Gorran. prohibetur eradicatio feſtinata, quam non præcedit admonitio comminata; de qua ad Titum 3. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita.* Secundò damnoſa quando multitudo eſt in cauſa, vel princeps vel quando non fuit cauſa manifeſta & redundans in iniuriam eccleſiæ: tunc enim tolerandi ſunt mali pro pace Eccleſiæ. Tertiò ſuſpicioſa, quando non habetur certitudo de hæreſi vel vitio alicuius. His tribus modis prohibetur eradicatio, nè ſimul eradicetur & triticum, quod fit quando aliquis ex leui ſuſpitione excommunicatur, qui putatur zizania, cum ſit triticum, vel quando ſine monitione; ex quo alij ſcandalizantur, quia non ſeruatur iuris ordo. Vel quando multitudo, quia qui nunc eſt zizania, cras erit triticum. O vtinã aduerterent iſta noſtri pontifices fulminantes ex qualibuslibet cauſis etiam ſine monitione præcedẽti interdicti ſententiam pro duobus groſſis, quibus dicitur illud quod ſequitur. *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem,* id eſt, iuſtus

Diabolus cur homo dicatur.

Gen. 3.

Matt. 26.

Luc. 9.

Eradicatio feſtina prohibetur, & quare?

ſtos & peccatores multiplicari ad tempus iudicij, *& in tempore meſſis*, id eſt, in die iudicij, & hoc erit propè punctum iudicij, & hoc intelligendum eſt de illis, qui non ſunt notorij neque pertinaces neque conuicti de pertinacia, neque imminet vniuerſale damnum Eccleſiæ, *dicam meſſoribus*, id eſt, angelis *colligite primum zizania.* id eſt. peccatores. excludendo eos primum à conſortio beatorum, & hoc quoad pœnam damni, *& alligate ea*, quo ad pænam ſenſus, *in faſciculos*, id eſt diuerſis pænis plectite. *Alligate*, quo ad perpetuitatem vt non poſſint euadere. Vnde in Pſalmis. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in mani &c.* Et quoad pænarum varietatem, *in faſciculos*, non in vno faſce, quia pro modo peruerſitatis ſuæ vnuſquiſque punietur, & quoad pænarum acerbitatem, quia ad comburendum ſcilicet igne inextinguibili. *Triticum autem meum congregate in horreum meum.* Notatur hic fælicitas ſanctorum, primò ex eo, quia ad eorum conſolationem mali mittentur prius ad gehennam. Vnde in pſalm. *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Secundò quia habebunt, fælicitatem propriam, quia triticum meum. Tertiò ſocietatem beatam, quia cõgregate. Quarto ex loci iucunditate, quia *in horreum meum* ſcilicet meæ cæleſtis habitationis, vbi ego primus ſum tanquam granum frumenti.

Pſalm.

Ioan. 12.

Moralia tria.

Hic occurrunt tres moralitates ſecundum tres ſtatus perſonarum, quæ ſunt paterfamilias, inimicus eius, & ſerui eius. In patrefamilias habemus, quid amemus & quid imitemur, & ſunt quatuor, à quibus per ordinem commendatur bonitas eius. Quod patet in ſeminando bona in cœlo, vt angelos bonos, licet aliqui ſua voluntate facti ſunt mali: Secundum eſt eius patientia in tolerando mala: Vnde ait reſpondendo quærentibus vltionem. *Inimicus homo hoc fecit.* Tertium eſt ſapientia vt patet in præcauendo pericula. vnde ait, *nè fortè colligentes.* Quartum eſt iuſtitia in reddendo vnicuique iuxta merita: vnde dicit in tempore meſſis. Secundò in inimico habemus quid vitemus & deteſtemur, videlicet quadruplicem eius malitiam: prima eſt, quia venit, vt inimicus: ſecunda eius actus periculoſus, quia ſuperſeminauit: tertia quia locus ſoli Deo aptus, quia in medio tritici: medium autem eſt locus virtutis; quarta quia tempus improuiſum, quia dormientibus hominibus. Tertiò in ſeruis habemus quid laudemus & imitemur, & ſunt quatuor. Fidelitas in hoc quod acceſſerunt ad patrem nè proditores viderentur; ſollicitudo quia quæſierunt, Domine nolentes cælare damnum; obedientia, *vis ibimus*; non enim abſque nutu eius audebant facere; zelus, in hoc, quod dicunt. *Et colligemus ea*, In pſalmis. *Zelus domus tuæ comedit me.*

1.

Iſid. lib 1. de ſum. bo ne cap. 10.

2.

Diaboli malitia quadruplex.

3.

Hic occurrunt tria dubia; primum vnde ſit malum? ſecundum vtrum mala fieri ſit bonum? tertium vtrum malum corrumpat totum bonum? Ad primum reſpondeo quod malum, licet non habeat cauſſam efficientem ex parte actionis, quia Deus non eſt cauſa mali, nec cauſſam efficientem ex parte ſui, quia nihil eſt; nec inclinationem naturalem ex parte loci, quia ager bonus eſt & ad bonum ordinatus; tamen cauſam habet deficientem ſcilicet liberum arbitrium. vnde Auguſtin. dicit quod malum eſt actus incidens ex defectu boni. Item ſubſtantialiter eſt in bono, & per ipſum agit & corrumpit. Item licet natura non ex eius inſtitutione, tamen ex eius operatione & corruptione prona eſt in malum; & iſta omnia ſunt cauſſa intrinſeca mali, cauſa autem extrinſeca eſt ſuggeſtio diaboli, vt hic dicit dominus, *inimicus homo hoc fecit.* Ex his infero ſecundum Thomam quod malum non eſt natura quædam, ſed eſt abſentia boni. Vndè Diony. ait quod malum non eſt exiſtens neque bonum, & per hoc dicit, quod malum non agit neque deſideratur, niſi in virtute boni adiũcti; per ſe autẽ eſt infirmum & præter voluntatem, & intentionem. Secundò infero quod malum eſt in bono vt dicit Auguſtin. & ita malum eſt in libero arbitrio, & voluntate, à qua procedit tanquam ab origine; & ſic voluntas eſt cauſa peccati non efficiens, ſed deficiens. Nam vt dicit Thom. Voluntas ſecundũ quod habet reſpectũ ad ſuũ principium, à quo eſt, ſcilicet ad Deum, non eſt nata elicere aliquid ex ſe, niſi bonum, ſed ſecun-

Dubia tria.

Gorra ſuper Matt.

Auguſt.

D. Tho. 1. 2. quæ. 48. art. 1.

Diony. ca. 4. de diu. nomin.

Aug. in Enchirid.

D Thom. ſup. 2. ſet. diſt. 34.

ſecundum quod habet reſpectum ad principium, ex quo eſt nihil. cum ipſa voluntas ſit ex nihilo, tendit ad effectum. Si ergò ſcire volumus vnde ſit malum culpæ materialiter, dicimus quod ex nihilo: ſi verò formaliter. dicimus quod ab abſentia boni debiti. ſcilicet ſpeciei, modi, & ordinis. Originaliter autem à libero arbitrio & volun-
2. tate; & tantum ad primum dubium. Ad ſecundum dubium quo quæritur vtrum mala fieri ſit bonum? Reſpondeo ſecundum Thomam, quod mala fieri per ſe non eſt bonum, quia vt dictum eſt nec à bono cauſantur, cum non habeant cauſam efficientem; ſed deficientem, nec mala fieri eſt fieri, ſed ab ordine deuiare, & ſic non eſt per ſe bonum, ſed per accidens, primo ratione boni, quod inde elicitur; vt perſecutio tyrannorum non eſt per ſe bona, ſed per accidens ratione patientiæ martyrum, quæ ex ea elicitur; & per hoc etiam ſoluitur dubitatio, an Deus velit fieri mala? dicẽdum quod nõ ſecundum cauſalitatem, quia non cauſat ea; ſed benè vult ſecundum non prohibitionem, in quantum ea non prohibet, voluntate conſequente, cum poſſit ea prohibere, & etiam in quantum ex eis elicitur bonum; quod fit tripliciter; primo propter ſpecialẽ vtilitatem, vt firmiores & habiliores reſurgant. Secundò quantum ad vtilitatem communem, vt quando ex peccato ſuo aliquis punitur, ex quo procreatur pax & bonus ſtatus totius communitatis, vel quando aliquis ex peccato alterius deteſtando ipſum, feruentius in amorem Dei rapitur. Ad tertium dubium vtrum malum poſſit corrumpere totum bonum? Reſpondeo ſecundum 3.
Thom quod non quia vt dicit Auguſtinus in enchiridio malum non poteſt conſumere bonum. Vnde patet quod malum culpæ compatitur ſecum bonum naturæ, & veritas ſcripturæ zizania erróris. In diuerſis autem perſonis hoc apparet melius, vbi ſemen veritatis ſtat cum zizanijs corruptionis. Nam fides formata ſtat cum venialibus malis, & informis cum mortalibus, & ſic patet ſolutio huiús dubij.

D.Thom. ſup.1.ſent. diſt.46.

Tripliciter è malis elicitur bonum.

D.Thom. 1.2.q.48, cap.4.

DE EADEM DOMINICA SERMO II.

Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo: cum autem dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania. Matth. 13.

DIcit Auguſt. Mox vt Deus omnipotẽs locutus eſt in huius mũdi exordio, cuncta creata ſunt, illico pependit cœlum, ſtatim ſtetit terra, mare defluxit; deinde factus eſt homo ſimilis Deo, qui roboratur corpore, pingitur ſpecie, ſpiritu adimpletur veſtitur aſpectu, conſtituitur dominus, & mundi poſſeſſor; collocatus in paradiſo voluptatis, nihil moleſtiæ, nihil indigentiæ ſenſit, odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus, decoratus gloria, & honore coronatus, & conſtitutus ſuper opera manuum plaſmatoris: cui ſors erat & ſocietas cum principibus angelorum & cum omni militia cœleſtis exercitus. Erat itaque vt dicit Ambroſ. primus homo recens Dei opus, confabulator aſſiduus, contemplatione dignificus, innocentia ſtipatus, charitate afflatus ſapientia dotatus, prudentia fulcitus, iuſtitia veſtitus, fortitudine vallatus, temperantia compoſitus, ſtabilitate firmatus. Hæc ille. Ecce quantæ dignitatis fuit homo in ſui prima creatione, qui verè fuit vt bonum & optimum ſemen in agro paradiſi creatus & ſeminatus. Verum quia vt ait Auguſtin. vbi ſupra, nulla eſt fælicitas quæ

Aug. ſer. 2. de ann.

Ambr. ad Sabinum.

non

Saluſt. lib. 1. non habeat inimicum, eo quod inuidia ex opulentia orta eſt, vt dicit Saluſtius. Princeps omnium malorũ, quem ſcriptura inimicum hominis appellat, dum vidit hominem de limo terræ ad imaginem Dei factum, & tãtis donis ornatum, mox illis ſpoliauit eundem, & peremit: ſicque primus homo amiſſa temperantia intemperans factus eſt, perdita charitate malus inuentus eſt. Et breuiter omnibus virtutibus a Deo homini infuſis, diabolus contraria vitia velut zizania tritico inſeruit, vt dicunt verba noſtri thematis: in quibus verbis tria tanguntur. *Propoſit.* Primò diuinæ bonitatis clementia in eo, *quod ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo*: ſecundo humanæ tepiditatis negligentia. *Cum dormirent homines.* Tertiò diabolicę iniquitatis & peruerſitatis malitia, quia *inimicus venit & ſuperſeminauit zizania tritico, & abijt.*

I

Seminauit bonum ſemen in agro ſuo. Certè magna bonitatis diuinæ clementiæ apparuit in hoc, quod nullis meritis exigentibus humanam condidit naturam, ita bonam vt eſſet capax ſummæ beatitudinis & diuinæ fruitionis, vt dicit Damaſcenus lib. 2. cap. 2. Et Auguſt. *Aug. l. 1. de ciu. Dei c. 21. & lib. 12. cap. 9.* Circa quod ſciendum quod Deus in agro mundi huius ſeminauit triplex ſemen bonum, ſcilicet naturæ, fortunæ & gratiæ. *Bona naturæ ſemẽ bonum.* De primo quomodo ſeminauit ſemen bonum naturæ; dicit Hierem. 2. cap. ex perſona Domini. *Ego plantaui te vinea mea electa, omne ſemen verum*; notanter dicit *electa*; non eſt enim communis vinea ſed *electa*, quia non ad communem vſum, ſed ad electum opus eſt creata humana natura. Vnde per excellentiam dicitur *vinea electa*; in cuius comparatione omnes alię creaturæ ſunt vt horturi parui vel vineę paruulæ, eò quod humana natura immediatè ordinetur ad Deum, cum omnia propter ipſam ſint creata; ipſa autem propter ſolum Deum, vt dicit Hugo. *Hugo de Arca Noe.* Quæ etiam dicitur omne ſemen verum propter naturalem incorruptionem, in qua condita eſt. Iſtud ſemen eſt quaſi fundamentum omnium aliorum ſeminum: nam tolle bonum naturæ, non eſt bonum fortunæ nec gratiæ. Magnæ ergo æſtimationis & ponderis deberent eſſe apud nos bona naturalia, ſine quibus omnia alia bona non ſubſiſtunt. *Bona naturalia quæ.* Sed dices quæ ſunt iſta naturalia bona aut cuius vtilitatis? Reſpondeo certè iſta ſunt viuere, moueri, ſentire & intelligere, per quæ conuenimus cum omnibus creaturis; nam viuendo conuenimus cum arboribus & plantis; mouendo cum cœleſtibus ſphæris & elementis; ſentiendo cum animalibus, volucribus & piſcibus; intelligẽdo cum Deo & angelis. Prętereà ſi recurramus ad iſtarum potentiarũ officia, & inſtrumenta, non parua ea bona eſſe inueniemus. Nam ſenſus exteriores ad multa nobis deſeruiũt: quorum quemlibet cum amittimus, irremediabili dolore percutimur, eum omni precio quo poſſumus redimimus, & ablatum incomparabili theſauro reparamus. Attendamus igitur pro quanto vellemus perdere auditum vel viſum vel tactum & ſic de alijs; aut quanti æſtimemus beneficium, ſi per aliquem medicum infectum ſenſum, aut debilitatum, non dico ablatum, recuperemus: *Quanti eadem æſtimenda.* multò igitur magis debemus põderare Dei beneficium ex cuius dono prędictos omnes ſenſus immeriti & gratis recipimus. Vnde ſi pro toto mundo nollet homo iſta naturalia perdere, certè multum tenetur Deum diligere, qui tanta dignatus eſt illi exhibere. Licet autem homo gratis iſta à Deo receperit, tamen non gratis ea expendere debet, ſed omnia ad laudem & honorem Dei exponere, & ex ijs fructum bonorum operum fructificare. ſicut dicitur. *Ambulate dignè Deo fructificantes in omni opere bono*: ad hoc enim *Coloſſ. 1.* data ſunt nobis naturalia iſta, vt in bonis operibus exerceantur. Vnde dominus comparat ea quinque talentis, quæ dedit ſeruo ad negociandum fideliter & fructum afferendum, & lucrũ reportandũ in tempore oportuno; *Matt. 24.* promittens ſe remuneraturum maioribus bonis ſeruum fidelẽ, qui prædicta talẽta benè diſpenſaret, vt dicitur ibidẽ Matt. 25. Sed heu quã multi ſunt, qui naturalibus bonis abutũtur? nam quidam ea abſcõdũt, nec ea ad vtilitatem proximorũ aut propriã exercere volunt, vt deſides & pigri; & iſti sũt ſimiles illi nequam ſeruo, qui talentum ſibi *Talentũ abſcondere quidſ.* commiſſum abſcondit: quod fit cum homo bonis naturalibus, ſicut eſt cognitio naturalis, intellectus, &c. nõ vtitur propter æterna ſed

na, ſed terrena, vt exponit Gorran. Sunt alij qui expendunt, ſed inutiliter, vt mundani, curioſi & vani. O quam multi ſunt tales mali ſerui, prudentes in ſæcularibus, in tẽporalibus, in vanis & caducis., in excogitandis negotiationibus, artificijs & lucris alijs; in ædificandis domibus, caſtris, munitionibus, piſcinis, prędijs, & quęſtibus alijs; in inueniendis nouis coloribus, ſarturis, inciſuris, fodinis; in componendis veſtibus, crinibus, cincturis & picturis diuerſis: in his verò, quæ ſpectant ad animam, nullam diligentiam facientes nec prudentiam ſcientes; de quibus dicũtur per prophetam. *Sapientes ſunt vt faciant mala, bona autem facere neſciunt*. Hi ergò dicũtur abſcõdere bona naturalia aut ſaltem inutiliter expendere. Sed dices, quomodo abſcondunt, aut inutiliter expendunt, cum ea ita exerceant in diuerſis actionibus ſatis vtilibus vſui humano; vtpote ſine quibus vita præſens nõ ducitur? Reſpondeo, quod omnia prædicta, licet ſint licita, tamen ſi non ordinantur ad æterna, omninò ſint inutilia, & quaſi abſcondita; cum non proueniat indè aliquis fructus animæ? Quis autem non videat qualiter multa acquirant diuites ex prædictis; ſimiliter ſuperbi & vanè glorioſi, ambitioſi & alij, qui tamen ex his omnibus modicam vel nullam faciunt animæ vtilitatem, in eleemoſynis, pijs operibus, pauperum ſuſtẽtationibus eccleſiæ ornatu alijsq́; honorem Dei concernentibus. Hinc dicit Chryſoſt. ꝙ ſicut ille, qui ſemen accepit cauſa ſeminandi, & accipiens tempore ſeminationis non ſeminauit, domino ſuo damnum facit, etſi ſemẽ non perdidit: quia poterat lucrum facere, ſi oportuno tempore ſeminaſſet: ita iſte qui bona temporalia accepit à Deo, & ea non expendit ad honorem Dei, ſed ad vanitatem ſæculi quoniam lucrum non fecit, damnatur & inutilis ſeruus iudicatur, quem Dominus iubet mitti *in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium*. De ſecundò patet, quomodo ſcilicet Deus ex bonitate ſua gratuita ſeminauerit in agro huius mũdi bona fortunæ, quaſi aliud ſemen bonum quo ſuſtẽtari poſſimus; de quo ſemine dicitur Gen. 47. vbi populus Aegypti dixit ad Ioſeph. *Eme nos in ſeruitutem regiam & præbe nobis ſemen, nè deficiente cultore terra redigatur in ſolitudinem*: & ait Ioſeph: Accipite ſemina, & ſerite agros, vt fruges habere poſſitis. Hoc ipſum ſeruauit expreſsè Deus, cum primo homini dixit. *Producat terra herbam virentem & facientem fructum, vt ſit vobis & cunctis animantibus in eſcam*; quibus verbis ſignificatur omnia fortunæ bona, quæ homines per induſtriam acquirunt, ordinãtes ea ad ſuſtentationem corporis ſui; nam ſine ipſis ſubſiſtere non poſſet homo, cum calor naturalis agat in corpus: vndè ſi non haberet cibum, conſumeret corpus hominis. Etſi enim per cibum homo non poſſit reparari in humido radicali, poteſt tamen retardari, nè ita citò conſumatur, ſicut & ellychnium in lampade non poteſt ſe defendere, quin conſumatur, ſed retardatur ab oleo, nè tam citò conſumatur. Omnes ergò diuitiæ humanæ ad hoc datæ ſunt homini, vt eas ad ſuſtentationem corporis ſui & vtilitatem proximi conuertat; nam ſicut ſunt diuitiæ adiumenta bonis: ſic & reprobis ſunt nocumenta, ſi eis abutantur, vt dicit Ambroſ. Vnde Hieronym. diuiti non obſunt opes, ſi bene vtatur eis: bonus vſus diuitiarum eſt, ſi in eis fiduciam nõ poſuerit, ſi eas pauperibus erogauerit; nam ſicut dicit Beda ſuper Lucam 12. non reprehenditur diues, quod terram coluerit, vel fructus in horrea cõgregauerit, ſed quod fiduciã vitæ in his poſuerit; vel pauperibus non erogauerit. Nec ideò diues non exauditur in inferno poſitus, quia diues fuit in mundo, ſed quia in diuitijs poſitus pauperẽ exaudire noluit. Hinc eſt, quod diuitiæ benè dicuntur ſemen, quia ſeminari debent per diuites, vt creſcant & multiplicentur, fructumq́ue afferant in cœlo, iuxta illud. *Multiplicabit ſemen veſtrũ & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*: ſicut enim videmus, ſi ſemen non ſeminatur minuitur: ſi ſeminatur multiplicatur & augetur. Vnde Apoſtolus dicit: *qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam*. Ecce bonus fructus huius ſeminis. De tertio, quomodo Deus ex bonitate ſua gratuita ſeminauit bonum ſemen gratiæ in agro huius mundi. Iſaiæ 1. dicitur, *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen ſicut Sodoma fuiſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles eſſemus*.

Verè

Mũdanorum prudentia in quibus.
Dubium.
Chryſoſt.
Matt. 25.
Bonũ ſemen bona fortunæ. Gen. 47.
Diuitiæ homini cur datæ.
Amb. l. 8. ſup. Lucã.
Hier. in ep. ad Sabinam.
2. Cor. 9.
Semen bonum gratia Dei.

Verè ſic eſt: nam ſine gratia nihil valent bona naturalia vel fortuita; nam quid prodeſſet homini, ſi haberet vitam naturæ & vitam opulentam fortunæ, ſi non haberet vitam gratiæ, per quam ſolam habet verum & bonum eſſe. Nam ex ſola gratia habetur humana ſufficientia, quantum ad eſſe bonum; cum homo ex ſuis naturalibus non poſſit aliquid cogitare meritoriè à ſe, quaſi ex ſe, ſed ſufficientia eius ex Deo ſit. *2.Cor.3.* Ideò Iſaias benè dixit, quod ſine tali ſemine fuiſſemus ſicut Sodoma & Gomorra; quarum populus viuens vita naturæ & fortunæ propter defectum gratiæ abuſus eſt vtraque illa vita, & abſorptus eſt viuus in inferno. Hinc pſal. ait. *Niſi quia Dominus adiuuiſſet me*, ſcilicet per vitam gratiæ, *paulo minus habitaſſet in inferno anima mea:* Et iterum in alio loco dicit idem. *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas*: vbi dicit Innocent. 4. quod hoc ideò dicit, quia nullius vita, quantumcunque ſancta, ſufficit homini, niſi adſit miſericordia vel gratia Dei, *Gregor.* ſecundum quod dicit Gregor. Vita ſanctorum ſuccumbit, ſi pietas Dei deſit. Tanguntur hic tres ſtatus hominum, qui habent ſingulos reſpectus ad ſingula prædicta ſemina: nam circa ſemen naturæ debent omnes puſilli & magni, ſenes & iuuenes, diuites & pauperes, ſpirituales & ſæculares, exerceri, vt de ſemine naturalium bonorum producant *Eccl.24.* fructum honoris & honeſtatis? Circa ſecundum ſemen ſcilicet bonorum fortunę debẽt occupari maximè diuites, principes, & abũdantes in ſæculo, vt producant fructum eleemoſynæ & largitatis, vt ita ſibi faciãt amicos de mãmona iniquitatis. *Luc.16.* Circa tertium debent exerceri prælati & ſpirituales, qui ſunt diſpenſatores, & adminiſtratores multiformis gratiæ Chriſti, vt ait Apoſtolus, vt ex ea producant fructum ſalutis ſubditorum: *Luc.10.* ipſis enim dictum eſt: *Curam illius habe.*

II.

Dormire quid. *Cum autem dormirent homines*. Hoc exponit Gloſſa, id eſt, negligenter agerent per torporem & ocium: vnde & ei cuius agrum ſpinæ & vrticæ repleuerunt; Prouerb. 24. dicitur: *Vſquequo piger dormis.* Malus ſomnus, ex quo proueniunt tot pericula, vt homo amittat fructum naturalium, fortuitorum & gratuitorum bonorum. Certè ſic eſt; *Negligentia mala.* negligentia inducit multa mala, & ex paruis deuenit ad maxima; quia ſicut dicit philoſophus primo cœli: *paruus error in principio, maximus fit in fine.* Nam ſecundum Holkoth primordialis cauſa omnis pœnæ tam in homine, quam in angelo fuit negligentia: *Holc. ſup. li. Sap. c. 3.* ſi enim homo vel angelus à Deo creatus in gratia, benè fuiſſet vſus naturalibus & gratuitis ſibi datis, nunquam apparuiſſet angelo conueniens aliquod deordinatum. Non enim Dei excellentiam appetiuiſſet, *Primos parentes negligentia perdidit.* nec vnquam homo iudicaſſet dictis & perſuaſionibus ſerpentis acquieſcere, ſed quia neglexerunt vti gratijs ſibi datis, permiſſi ſunt cadere in errorem propter peccatum negligentiæ, & de errore negligentiæ in peccata ſuperbiæ & inobedientiæ: & ideò ipſe Holcoth radicem omnium culparũ dicit eſſe negligentiam, quæ finaliter parit contemptum. Vbi nota quod hic ſit ordo cadendi in homine, quantumcunque fuerit in ſtatu perfecto; videlicet primò negligere modica, loqui ocioſa, & rarò confiteri, aridè dicere diuinum officium, quæ liceat videantur modica eſſe, tamen ex his diabolus inducet in grauiſſima peccata: *Simile.* ſicut circa dolium ſunt magni circuli, qui ligantur paruis funiculis, ſed his ſolutis ſoluuntur & magni circuli, & ſic totum dolium. Hinc dicit Sapiens. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet ad maiora.* *Eccl 19.* Hic eſt ergò malus ſomnus, qui ſic omnia bona deſtruit, anihilat & confundit.

Rectè autem negligentia comparatur ſomno: ſicut enim in ſomno quieſcit homo, & priuatur omnibus, quæ habet: ſic in ſomno negligentiæ & culpæ omnibus virtutibus ſpoliatur: quodipſum figuratur in ſomno Ionę, de quo dicitur, quod fugit à facie Domini in Tharſis, & intrãs nauem obdormiuit ſopore graui, *Somnus Ionæ Prophetæ.* & venit magnus ventus, & facta eſt tempeſtas & nauis periclitabatur: finaliter autem Ionas fuit proiectus in mare, & cadens in ventrem ceti, amiſit crines capitis, & factus eſt caluus. Hic dicit Gloſſa: Grauis ſopor prophetæ ſignificat hominem torpẽtem ſopore erroris, cui vtique nõ ſufficit fugere dominũ, ſed inſup q̃dam

dam verecordia obrutus ignorat Dei iram & ſecurus dormit; qui tandem proijcitur in cetum, id eſt, in infernum: ſicut enim cetus habitat in obſcuro & in fluctibus magnis & in profundo maris: ſic infernus dicitur eſſe in obſcuritate maxima & in profundo terrę: vnde in euangelio dicitur eſſe in corde terræ, ſicut enim cor eſt in medio animalis: ſic infernus in medio terrę: tandem capillis decaluatur id eſt virtutibus & gratijs ſpoliatur. Quod verò Iona dormiente ſurgunt venti, ſignificat, quia torpente ocio & deſidia homine quolibet, ſurgunt tentationes à diabolo: vnde Chriſto dor-
Matth. 8. miente orta eſt tempeſtas. Quis autem ſit modus ſpoliandi hominem virtutibus & gratijs in ſomno culpæ, pulchrè figuratur in ſomno Samſonis, de quo iudicū. 16. dicitur, ꝙ fecit eum Dalila reclinare in ſinu ſuo & dormire ſuper genua ſua; & ex hoc tria ipſi euenerunt: primo enim oculi ei eruuntur, ſecundo capilli abſcinduntur, tertio incarceratur, & laborare compellitur. Spiritualiter autem per Dalilam, quæ interpretatur paupercula, ſignificatur caro, ſuper cuius genua dormit Samſon, qui interpretatur ſol fortis, & ſignificat animam, quæ pulchra eſt inſtar ſolis & fortis per virtutem, quæ dormit, cum carni conſentit. Ex hoc tria eueniunt ei: primo enim oculi eruuntur, id eſt, cognitio vitæ præſentis, nè cōſideret quomodò mūdum ingrediatur progrediatur & egrediatur, & iſte eſt oculus ſiniſter; dexter oculus eſt vitæ futuræ quo cōſiderat mortem corporalem pœnam gehēnalem, & gloriam æternalem. Secundò ei crines præciduntur, ſeptem numero, & ſignificant ſeptem virtutes; tres theologicæ ſc. fides, ſpes & charitas; & quatuor cardinales, ſc. iuſtitia, temperantia, prudentia & fortitudo. ſed iuſtitia, temperantia, prudentia & fortitudo. Primò fides in ſtatu culpæ anihilatur, quia ex quo fidei deſunt opera bona,
Iaco 2. mortua eſt, & ideò Deo diſplicet. *Sine fide*
Hebr. 11. *impoſſibile eſt placere Deo.* Secundò ſpes fruſtratur; ſperauerat enim ſaluari, ſed ecce cōfūditur in ſpe. Vnde Aug. ſuper illud Rom. 5, *Spes non confundit*, dicit; confunditur qui
Matt. 24. quod ſperauerat, non inuenit. Tertiò charitas infrigidatur, quia tunc charitas multorum refrigeſcit. Quartò talis nō habebit prudentiam diſcernendi; prudentia enim eſt cognitio rerum ſcilicet appetendarum vel fugiendarum. *Vir prudens diriget greſſos ſuos.* Prou. 15.
Quintò non habebit fortitudinem ſufferēdi aliquid pro Deo: fortitudo enim eſt in ſufferendis moleſtijs pro Deo, vt dicit Auguſt. Sextò non habebit iuſtitiam ſubueniendi, quia iuſtitia eſt in ſubueniendo miſeris: iuſtitia enim proprias vtilitates negligit, & proximorum neceſſitatibus magis, quā ſuis ſubuenit. Septimò non habebit temperātiam, quæ conſiſtit in coercendis delectationibus prauis. Tertiò & vltimo Samſon incarceratur, id eſt, ex tunc anima captiua erit diaboli: vnde ſequitur. *Duxerunt eum Gazam, & poſuerunt in carcerem.* Vnde tunc *Tria peccato in*
dicere poteſt illud. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me* Mal' carcer, vbi eſt obſcuritas *ſunt ignorantia,*
fœtor & fames; ſicut eſt in peccato primò obſcuritas agendorū, quia peccator non nouit ſtatum ſuum, neque Deum neq; proximum, nec cognoſcit futura mala ſibi imminentia. *Si cognouiſſes et tu.* Secundò fœtor: *fœtor, fames.* Luca 19. Ioel 1.
computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, Pſalm. Eccl. 1.
Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ. Tertiò fames, *quia non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu.*

III.

Deſcribitur diabolicæ iniquitatis & peruerſitatis malitia, cum dicitur: *Venit inimicus & ſuperſeminauit zizania in medio tritici & abijt?* inimicus iſte diabolus eſt, de quo dicitur Geneſ. 3 *Inimicitias ponam inter te, & ipſum & inter ſemen tuum, & ſemen eius,* Gene. 3.
dictum eſt primis parentibus. Iſte ergo *venit* per dolum & fraudem circumueniendo aſtutia ſua primos parentes, & aggrediendo eos fallacibus promiſſis, *ſuperſeminauit zizania* malitiæ ſuæ *in medio tritici*, id eſt, in medio bonorum naturalium, fortuitorum & gratuitorum; Primò in bonis naturæ ſe- 1.
minauit zizania concupiſcentiæ, vt deſtruat fructum honoris & honeſtatis, innocentiæ & naturalis iuſtitiæ, ꝙ ſemen maledicit & increpat Daniel. 13. c. dicens. *Semen chanaan & non Iuda, ſpecies mulieris decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Secundò in bonis fortunæ ſuperſeminauit ſe- 2.
men auaritiæ, nè fructificet fructum liberalitatis & eleemoſynæ; quę zizania increpat

Salo-

Eccl. 7. Salomon. *Ne ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum*. Iniuſtitia eſt, cum quis abundat, & non largitur indigenti. Prou. 22. 3. *Qui ſeminat iniuſtitiam, metet mala, & virga iræ ſuæ conſummabitur.* Tertiò in bonis gratiæ ſuperſeminauit zizania, & hoc multipliciter ſecundum multiplices gratias & dona Dei gratuita: nam diuiſiones gratiarum ſunt multiplices, vt dicitur. 1. Cor. 12. Diabolus ergo cuilibet virtuti nititur ſuperſeminare vicium contrarium: nam ſi quis eſt charitatiuus, nititur ei ſuperſeminare diſcordiam contra proximum, ſimiliter odium, iram & inuidiam: ſi quis habet ſcientiam Dei & ſapientiam; nititur ei ſuperſeminare zizania hæreſis & erroris, quod eſt maledictum ſemen ab initio vt Sap. 12. dicitur apud Sap. Sic ſi quis habeat abſtinẽtiã, ieiunium, temperantiã, nititur inducere & ſuperſeminare diſſolutionem, crapulam & laſciuiam, ſicut Chriſto ieiunanti: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Breuiter in omnibus gratuitis bonis nititur ſuperſeminare zizania vanæ gloriæ cũ nõ ſit aliquod bonũ minimum, cui diabolus nõ immiſcere cupiat ſuperbiæ vanæ gloriæ viciũ. *Vana gloria vitiũ.* Hoc ſuperſeminauerat in phariſæis, de quib. ſaluator ait: *Omnia opera eorum faciunt vt videantur ab hominibus.* *Matt. 5. & 23.* Hoc enim modo diabolus intendit vt quæ recta facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur: vnde benè dicit Auguſt. cætera vicia in peccatis, ſuperbiam verò in rectè factis timendam. Nos igitur fratres chariſſimi ſtudeamus eſſe vigiles, vt aſtutias iſtius inimici præcauentes, ſemen bonum in nobis à Deo ſeminatum ad fructum perducamus æternorum præmiorum; quod nobis præſtare dignetur ipſe Dominus &c.

DE EADEM DOMINICA SERMO III.

Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Matt. 13.

Pſal. 119. SANCTVS Auguſtin. tractans illud Pſalm. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus* ſic ait. Nunc mali à bonis ſeparari non poſſunt; ferẽdi ſunt ad tempus mali, in arca nobiſcum eſſe poſſunt, in horreo eſſe non poſſunt. Et ſequitur: & forte qui hodiè mali apparent, cras boni erunt; & qui hodiè de bonitate ſuperbiunt, cras mali inueniuntur. Quiſquis ergo malos humiliter ad tempus fert, ipſe peruenit ad requiem ſempiternam. Hæc Auguſt. Ex quibus verbis patet, qua ratione mali à bonis ſint tolerandi, vt ſcilicet de malo in bonum conuertantur, & ita lucrifiant nobis, quatenus ad idem regnum cælorum nobiſcum perueniant. Ne igitur tales à bonis ante temp' extremi iudicij deleantur, ſed potius tolerentur, & expectentur, Propoſit. prouidens ſaluator admonet dicens. *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*; in quibus verbis tria ſunt cõſideranda: primo namque conſiderandum eſt de permixtione bonorum cum malis, quam vtilis ſit communio & participatio bonorum malis, vt ſic vera ſit Chriſti admonitio, qua hortatur nos dicens: *Sinite vtraque creſcere.* Secundò conſiderandum eſt de permixtione malorum cum bonis quam ſit expediens conuerſatio malorum ipſis bonis, vt ſic verum ſit ex altera parte verbum Chriſti dicentis: *Sinite vtraque creſcere*; nam vtriſque dicitur: *ſinite vtraque*; & bonis præcipitur vt ſinant ſecum malos creſcere & habitare, ſi volunt per eos proficere, & malis conſulitur vt bonis adhæreant, ſi volunt malum euadere & ad bonum tendere & proficere per bonos. Tertiò conſiderandum eſt de vtriuſque partis perſeueranti lõganimitate quouſque iubeantur ſe inuicem tolerare, cum dicitur, *vſque ad meſſem*, id eſt ad ſęculi conſummationem.

I.

Sinite vtraque creſcere, id eſt, bonos malis permiſceri. Sciendum quod licet quãdoq; boni conuerſantes malis ſint in periculo, quia

quia ea rerum natura eſt, vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono mal⁹ melioretur, ſed ex malo bonus contaminetur, vt dicit Chryſ. ſuper Matt. nuſquã tamẽ poteſt eſſe periculum ſi mali bonis conuerſẽtur, quia ex huiuſmodi cõuerſatione ſucceſſiuè animus malorũ poteſt induci ad bonum, iuxta illud *Gutta cauat lapidẽ non vi, ſed ſæpè cadendo.* Licet ergo ſocietas malorũ ſæpius bonis multa generet mala: ſemper tamen èconuerſo ſocietas bonorum multa generat bona, nec vnquam poteſt eſſe inutilis ſocietas bonorum malis, eo quod bonum eſt fortius in agendo, quam malum in reſiſtendo: Eſt enim bonum ens in natura, malum autem nihil vel ſaltem priuatio boni: facilior eſt autẽ actio habitus in priuationem, quam priuationis in habitum: vndè & ſemper boni vtiles ſunt malis; primò ad ſalutem, quod patet ex eo; quod ſi inuenti fuiſſent .10. viri iuſti, in 5. ciuitatibus per Angelos propter nefandiſſimam & deteſtãdã luxuriam ſubuerſis, propter illos peperciſſet Dominus vniuerſis. Secundò ſocietas bonorum eſt vtilis malis ad bonorum exte-

Bonorum ſocietas ad plurima vtilis.

2 riorum vbertatem vt patet ex illo Gen. 30.

Geneſ. 30.

vbi dixit Iacob ad Laban. *Modicum habuiſti antequam venirem ad te: nunc autem ditatus es benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Sed quidam iſtud non attendunt: ſi nãque Deus propter ſanctos homines regna benedicit, credant illud, cum ſint mali, ac iræ & vindictæ Dei obnoxij, ſe meruiſſe: ſi verò Deus benedictionẽ elonget, & quaſi maledicendo terram ſterilitate, aut alio quouis impulſu tundi ſinat, illud non in ſe, ſed in

3. iuſtos & ſanctos retorquent; & vbi de iuſtorum ſocietate & cohabitatione in gratiarũ actiones Deo referendas cõſurgere debebãt, ibi remordere eos & quãdoq; de finibus ſuis propellere ne de malitijs ſuis redarguantur, feſtinãt, vt patet ex illo Gene. 39. vbi benedixit Dominus domui Aegypti propter Ioſeph & diuitias multiplicauit. Ecce ſanctorum ſocietas etiam in temporalibus nędum fidelibus, ſed etiam infidelibus confert opem. Tertiò ſocietas bonorum eſt vtilis malis ad belli militiam & eius exercitationem & continuationem, vt patet Ioſue 24. vbi legitur, quod ſeruiuit Domino Iſraël cũ ctis diebus Ioſue, & ſeniorum, qui nouerãt opera Domini, quæ fecerat Dominus in Iſraël. Vbi argumentum a ſenſu contrario: quoniam poſt mortem Ioſue & ſeniorũ, quibus de mirabilibus Dei, quæ fecit Iſraël, cõſtabat, nouis inſcijs de eiſdem exortis, receſſerunt a Domino & multipliciter claudicauerunt, vt per totũ librum Iudicũ patet. Si ergo ſaluari cupiunt reges, & principes ac maiores natu orbis terræ, intendant, vt de rectoribus prouideant iuſtis & ſanctis qui legem Dei nouerunt: multitudini enim parcit Deus propter paucos bonos. O quantũ debent orare ſubditi, vt det eis Deus rectores ſecudũ cor ſuũ, & nõ ſecũdũ duriciã cordis eorũ, quẽadmodũ in Iob ſcribitur, quod propter peccatam populi facit Deus regnare hypocritam. Nuſquam autem plus timẽdum eſt populo ſubdito, quam ſub præſide iniquo & legis diuinæ ignaro: nam quid reſtat niſi totalis confuſio & inordinatio in terra, quãdo princeps tranſgreditur diuina præcepta. Neceſſe eſt .n. vt alij ſimiliter faciant, poeta dicẽte, *Regis ad exẽplũ totus cõponitur orbis:* Hinc eſt ꝙ ex precepto Domini iubetur rex recipere legem & Deuteronomiũ à ſacerdotibus vt in ea cõtinuè legat, & ſecundũ legẽ Dei iudicet. Si dicas durum eſt hoc. cũ rarò reges & principes litterati occurrãt, ſed ferè litterarũ & totius ſcripturæ ignari. Reſpondeo, quod in eo caſu ſufficit vt aliquos eruditos & peritos in ſacris ſcripturis ſecum habeant, qui eos de talibus informent, vt dicit Policratus quemadmodũ feciſſe leguntur antiqui reges ſcilicet Carolus Traianus, & alij multi, Catholici & gẽtiles, & de Pharaone peſſimo in pſal. dicitur: *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Et ſequitur. *Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret:* ſc. de his, quæ Dei erant vt ait Innoc. Nõ eſt .n. credendũ vt dicit Aug. tantum prophetam intendiſſe operi temporalium, vt non ſimul intenderet operi ſpiritualium: Sed proh dolor hodiè cõtrariũ ferè videmus venire viri .n. prudentiſſimi & exercitatiſſimi in omnibus ſcientijs pro nihilo reputantur, nec vocantur ad principũ conſilia, & ſi vocãtur, nõ ſtatur tamen dictis eorũ, ſaltem in his, quæ vulnerant conſcientiã. Sed certè timeant principes, quia niſi eos habeant ſecum, neceſſe eſt

Orandum ſubditis pro rectoribus ſuis, & quare.

Deut. 17.

Pſalm.

eos deuiare ad ſiniſtram: quia cæci ſunt ſine illis, cęcũque omne conſiliũ eorum: Cæcus ſit, ſi cæco ducatũ prębeat, nonne ambo in foueam cadent præcipitationis? Sic contingit talibus, quia vicini ſunt periculo, qui nolunt habere conſortium bonorum virorum ſecum, nec eos diligunt.

4. Quartò vtilis eſt ſocietas bonorum malis, non tantum bonis, ad aliqualẽ mentis illuſtrationẽ & ad Dei laudis inductionẽ; vt
1. Reg. 19. patet. 1. Reg. 19. vbi ſerui Saul miſſi ad capiẽdum Dauid morantem cũ Samuele & alijs prophetis quamprimũ ad eos deuenerunt, ſtatim prophetare cæperunt: venit tandem & Saul vt caperet Dauid; ſed & ipſe prophetare cæpit. Si ergo mali iuncti bonis præſertim hac intentione, vt bonos perturbent, prophetant; detur intelligi quod mali ad ſãctos currant, vt ipſis coniuncti à Deo illuminationem intellectus conſequantur, & in laudem Dei accendantur. Quintò vtilis eſt
5. ſocietas bonorum malis ad impetrandũ neceſſaria, non ſolum hominibus, ſed etiã eorũ animalibus; ꝙ patet de Helia qui prop-
4. Reg. 3. ter honorem regis Ioſaphat Deum verũ colentis impetrauit aquas exercitui dari, qui iam tã in ſe, quam in animalibus defecerat, in quo tamen erant alij duo peſſimi reges. Videant hoc reges & principes, per quos eis temporalia ſepius prouideantur, quia non per alios, quam per bonos & ſanctos, quos ipſi non aduertunt. Sextò vtilis eſt ſocietas
6. bonorum malis ad vitæ corporalis conſeruationem, vt patet Daniel. 2. vbi audito cru-
Dan. 2. deli regis mandato, ꝙ deberẽt interfici cuncti ſapientes Babylonis, Daniel iuit ad ſocios ſuos vt quæreret ſimul miſericordiam à Domino, & reuelata eſt Danieli nocte viſio regis, quam nullus magorum cognoſcere potuit: vnde propter Danielem pepercit rex vniuerſis ſapientibus Babylonis. Sic certè & hodiè per vnius boni viri conſilium multi innocentes ſaluantur in vita ipſorum: imò ſoluantur in vita omnes homines, interdum tota communitas aut regnum; ſicut patet de Ioſeph, qui videns quod totum regnum Aegypti fame deberet perire, prudenti vſus cõſilio, multa horrea, quę 7. annis ſufficere potuiſſent, prouidit & toti regno miniſtrauit: certè hic magis profuit Ioſeph ſapientia, quam totius Aegypti pecunia: id quod patet ſimiliter de Iuda Machabeo, poſt cuius mortem, ſtatim vt Bachides conſtituit iniquos dominos regionis orta eſt fames valida qua re dat̃ intelligi ꝙ viuente Iuda id minimè eueniſſet. Septimò 7.
eſt vtilis ad omnia mala facilius, leuius, libentius & perſeuerantius perferenda & ſu- 2. Mac. 7.
ſtinenda vt patet de 7. fratribus Macbabęis, qui paſſi ſunt ſub Anthiocho quorum cum primus poſitus eſſet in ſartagine ardenti, reliqui ipſum cum matre eorum ad conſtãtiam martyrij hortabantur, ſicque vſque ad vltimum. Sic certè viri ſancti & hodiè plurimum prodeſſent nobis, ſi eos tempore tribulationis accederemus: ipſi. n. ſunt, qui vices Dei agentes in tribulatione ſciunt dilatare corda humana per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt eis; per quos Deus conſolatur ſuos in omni tribulatione ipſorũ; ſic conſolatus 8.
eſt Petrũ in carcere per Angelũ. Octauò vtilis eſt ſocietas bonorũ malis ad aliquẽdũ Spiritus S. illuſtrationem & redundantiã: Act. 2.
patet de Petro & alijs diſcipulis Chriſti qui Spiritum ſanctũ recipientes ſtatim prędicare cæperunt gentibus & Iudæis infidelibus, qui ſtatim etiam Spiritũ S. receperũt, & idẽ expreſsè habetur Actu. 8. c. vbi ad impoſitionẽ manus Petri & Ioãnis Samaritani gentiles receperũt. Spirit: S. Nono vtilis eſt ſoci- 9.
etas bonorũ malis ad mitigandum aëris vel maris pericula: vt patet: vbi legitur quod Actor. 27.
homines, qui erãt cum Paulo in naui tẽpore grauiſſimæ tẽpeſtatis propter ſocietatẽ Pauli ſalui facti ſunt. Legitur n quod Angelus ei dixit: *Ecce donauit tibi Deus oẽs qui nauigant tecũ.* Ecce quomodo ſocietas bonorũ prodeſt malis, quia non ſolum à morte æterna; ſed etiam à temporali & ſubitanea liberat & præſeruat. Ob huiuſmodi igitur multiplicia beneficia & vtilitates ex ſocietate bonorum malis prouenientes, omnibus & ſingulis peccatoribus præcipitur; vt ſe eorũ conſortio iungant: vnde dicitur: *Sinite vtraque creſcere,* hoc eſt, ſinite ſanctos vobiſcum viuere, & nolite eos repellere.

II.

Sinite vtraque creſcere. Attendant hoc loco boni diligenter, quid eis præcipiatur, vt ſcilicet Dei mandato ſinant malos ſecum viuere, dũ dicitur. *Sinite vtraq; creſcere.* Et certe expedit bonis habere in cõſortio malos

Malorũ ſocietas bonis vtilis.

malos propter plures vtilitates, licet has ipſi mali ignorent;& primo mali ſunt permittendi creſcere cum bonis, vt boni exercitentur per malorum conſortium iuxta il-
1. lud: *Hæ ſunt gentes, quas dereliquit Dominus,*
Iud. 3. *vt erudiret in eis Iſraëlem.* Et ap: Hiere. per omne flagellum erudieris Hieruſalem: flagellum vocat malos: filios vero vocat iuſtos. Quod ergo flagellũ præſtat filio apud patrem, hoc malus iuſto apud Deum & eius maieſtatem. Ecce vtilitas. Hinc Iſidor.
Iſid.l.3.de ſumbono. dicit; idcirco ſunt neceſſarij mali bonis, vt quoties Deum offendunt, flagellentur ab ipſis. vnde & Aſſur virga furoris Domini vo-
Iſa.10. catur. Hinc dicit Iſid. quod habeat aliquem vſum in hoc mundo malorum iniquitas, quia boni per eos ad præſentem vitam odiendam & futuram deſiderandam erudiuntur, vt proficiant, ſicut dum filij Iſrael ad terram promiſſionis per Moyſen de AEgypto educi debuerunt, acrius ab AEgyptijs vrgebantur, vt ſecundum Iſido. ex malis, quæ patiebantur in AEgypto, diſcerent ad promiſſam patriam anhelare. Eandem ſen-
Auguſt. tentiam proſequitur Auguſt. libr. de fide ad
2. Petrum. c.42. Secundo vtiles ſunt mali bonis, vt boni ex eorum tribulationibus hu-
Pſal. 105. milientur: vnde Pſalm. *Tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus*
Iud.6. *eorum.* Et: *Humiliatus eſt Iſraël in conſpectu Madian.* Et certè contra ſuperbos & pompoſos homines neceſſarij ſunt mali, vt quia ſoli nolunt propria ſponte humiliari Deo, humilientur ſaltem inuiti; ſic factum fuit filijs Iſrael, de quibus dicitur. *Humiliati ſunt ſub manibus inimicorum,* id eſt vt Innoc. exponit, humiliati ſunt humilitate ſubiectionis, non virtutis. Mala humiliatio, vbi de diuite fit pauper, de rege ribaldus, de libero ſeruus, de hærede exul, de milite ruſticus, de ſacerdote agricola, de templo ſtabulum; quæ omnia contingunt propter ſuperbiam, ad quam humiliandam permittun-
3. tur mali homines. Tertiò vtiles ſunt mali
Malach.3 bonis, vt boni per eos purgentur. *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit*
4. *filios Leui.* Quartò ad hoc tolerandi ſunt
Iſa.30. mali, vt, ſi velint, conuertantur exemplo bonorum *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* In pſalm: cum ſancto ſan-
2.Petri.3. ctus eris. *Nolens aliquos perire expectat.* Quin-
tò ad hoc tolerandi ſunt mali, vt grauius 5.
puniantur, ſi conuerti noluerint. *Si nolueri-* *Leu. 26.*
tis recipere diſciplinam, percutiam vos ſeptè;
interlinearis: vt ſicut creſcit iniquitas, ſic creſcat & pœna. Vnde Greg. Quos enim diutius, vt conuertantur, expectat, non conuerſos durius damnat. Ioſue.11 Domini
ſententia fuit, vt indurarentur corda. Sexto 6.
ad hoc tolerandi ſunt mali cum bonis, nè forte ſimul cum eis boni eradicentur, ſicut hic dicitur. *Sinite* inquit *vtraque creſcere,* malos in malitia, vt qui ſordet, ſordeſcat ad-
huc. Malum incremẽtum quod proficit in *Apoc.vlt.*
peius. Sic econtra boni proficiunt in boni- *2.Tim.2.*
tate & iuſtitia. Ionathas cæpit creſcere in *1.Mach.4*
virtutibus. *Sinite* ergò *vtraque creſcere ad meſſem, nè forte eradicantes zizania eradicetis & triticum:* hoc eſt, i. è volentes delere malum, deleatis & bonum. Sicut enim dicit
Auguſt. plerumque cum tibi videris odiſ- *Aug. ſup.*
ſe inimicum, fratrem odiſti Septimò vt vir- *Pſal.51. &*
tutes bonorum melius clareſcant: nam ſi nõ *53.*
eſſent inimici, non eſſent prælia; ſi non eſ- 7.
ſent prælia, non eſſent triumphi, ſi non eſſent triumphi, non eſſent milites; itaque inimici faciunt claros milites. Sic non eſſet virtus quæcunque, ſi non haberet aliquod contrarium, nec ſplendidior & examina-
tior fieret: non probata verò nec examina- *Orig. ho.*
ta non eſt virtus; vt dicit Orig. & inducit ibi *14. in Nũ.*
multa exempla ſanctorum: nam ſi non eſſet malitia fratrum Ioſeph, ipſe non creuiſſet in principem in AEgypto: breuiter ſi non eſſet traditio Iudæ, non eſſet paſſio Chriſti, & per conſequens nec redemptio noſtra. Ex his infert Origen. quod Deus nihil ocioſum permittat in hoc mundo, quia non ſolum vtitur bonis ad bonum opus, ſed & ma-
lis. Octauò vt diuina iuſtitia reluceat eò e- 8.
uidentius: ſicut enim Deus ex miſericordia ſaluat iuſtos: ita ex iuſtitia damnat malos; ideoque vt iuſtitia Dei appareat in eis,
cum damnabuntur, non ſunt ante tempus 9.
delendi. Nonò vt ſapientia Dei reluceat in hoc mundo: ſicut enim dicit Apoſtolus, mundus eſt ſicut domus magna, in qua ſunt vaſa quædam in honorem, quædam in contumeliam facta; & in hoc apparet ſapientia Dei, quæ in nullo deficit, ſed in omnibus prouidit; ſi enim eſſent omnia vaſa munda. non ita refulgeret eorum decor, ſicut compara-

parata immundis. Ob has igitur vtilitates ferendi ſunt mali promiſcui bonis & boni malis, vt vtrobique illi ex iſtis & iſti ex illis proficiant, & de malo mali in bonum quandoque ſucceſſiuè conſurgant, & boni de bono in melius ſemper procedant, proficientes de virtute in virtutem.

III.

Conſideranda hic eſt perſeuerans longanimitas bonorum ſcilicet & malorũ, quo-
Mali tolerandi. uſque tolerandi ſunt mali a bonis & cõuerſentur malis, vſque ad meſſem. Meſſis iſta eſt dies iudicij extremi, & conſummatio ſæ-
1. culi propter quatuor cauſas: primo propter fructuum collectionem. Pſal. *Venientes*
2. *aũt venient cum exultatione portantes manipulos ſuos:* ſecundò propter ampliorem receptionem: homo.n. parum ſeminis proijcit &
Rom. 8. multum recipit, ſimiliter & iuſtus. *Non ſunt condignæ paſſiones*, vnde Matt 19. *Centuplum*
3. *accipietis.* Tertio propter refectionẽ. Prou. vlt. dicetur vnicuique tunc: *date ei de fructu manuum ſuarum.* Pſal. *Labores manuũ tuarũ*
4. *&c.* Quartò propter repoſitionem in hor-
Matt. 2. reum *Paleas comburet igni: triticum autem congregabit in horreum ſuum.* Vnde & hic dicitur. *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos; triticum autem meum congregate in horreum.* Vſque ergo ad hanc meſſem neceſſe eſt iuſtos conuerſari malis.

Dubium. Sed dices, hoc eſt durũ, & eſt contra ſcripturam, quæ prohibet conuerſari bonos malis: nam dicit Sapiens: *Qui tetigerit picẽ,*
Iſa. 52. *coinquinabitur ab ea.* Item: *Recedite, recedite, abite, pollutum nolite tangere.* Item in pſalm.
1. Cor. 5. dicitur: *Superbo oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam.* Et Apoſtolus: *Si quis frater nominatur fornicator inter vos, cũ huiuſmodi nec cibum ſumere debetis.* Ad iſta breuiter reſpondeo, quod duplex eſt cohabitatio bonorum cum malis: quidam corpore tantũ in humanis actibus licitis, vt in contractibus & alijs honeſtis: quidam corpore & mẽte, vt in actibus eorum peruerſis, & conſuetudinibus aut moribus deteſtandis. Quod verò Dominus per omnes ſcripturas prohibet cohabitationem bonorum cum malis intelligendum de cohabitatione corporis ſimul & mentis nè eis conſentiant in prauis moribus. Et ſic dicunt ſcripturæ, recedite ſcilicet mente: ſicut Dauid noluit cõmunicare mente ſuperbis & auaris. Quod dicitur de pice, verum eſt, quod difficile eſt euadere contagium tangenti picem, non tamen eſt impoſſibile: vnde perfectis & firmis in ſanctitate, facile eſt communicare peruerſis, licet imperfectis videatur difficile, non tamen impoſſibile. Paulus autem perhibet ſumere cibum cum fornicarijs manifeſtis, per ſententiam Eccleſiæ præciſis, non autem occultis: vnde in ſignum huius Dominus cum Iuda occulto ſuo traditore manducauit, iuxta illud. *Qui intingit mecum*
manum in parobſidem Hinc ait Innoc. expo- *Innoc. in*
nens illud de Chriſto pſal. 100. non adhæſit *pſal. 100.*
mihi cor prauum dicit Dominus cor prauũ ſcilicet Iudæ non adhæſit mihi in amore, quia ipſum non dilexi, *declinantem à me malignum non cognoſcebam*, id eſt, non approbabam. Et ſequitur. *ſuperbo oculo & inſatiabili corde*, id eſt, cum Iuda qui habebat oculum ſuperbum, eo quod noluit regulæ & legi ſubijci ſaluatoris, & cor inſatiabile per cupiditatem, quæ fecit eum vendere ſaluatorem mundi, *cum hoc non edebam*: nõ dicit non edebat mecum quia edebat corporaliter, ſed dicit *cum hoc edebam*, quia nõ me ei ſocialem & conſentaneum exhibebã, licet patienter ſuſtinerem quod ederet panes meos mecum: ſed alijs diſcipulis me ſocialem exhibebam, quia placebat mihi eorum ſocietas. Hæc Inno. Ex his liquet quod licet infirmis difficile eſt conuerſari malis, propter timorem ruinæ & contaminationis, tamen perfectis & firmis in fide, vtile eſt ad lucrandum eos aut arguendum eorum
mala. Sic fecit Dominus Iudæ, quem vt a- *Dominus*
uerteret à parua intentione, voluit cõuerſa- *cur Iuda*
ri ſecum: ſic multi ſancti leguntur inter ma- *conuerſa-*
los conuerſati. Nam Loth caſtus fuit in So- *tus.*
do. & Noe in generatione ſua, quæ mala e- *Gen. 12.*
rat, iuſtꝰ vixit; Ioſeph quoq; in Aegypto ca- *Gen. 7.*
ſtus permanſit. Sic Samuel inter filios Hely *Gen. 39.*
peſſimos sãctus extitit: ſic inter idololatras *1. Reg. 2.*
peſſimos 7. milia virorum remanſerũt inta- *3. Reg. 19.*
cta: ſic Tobias inter alios idololatras mãſit *Tobiæ 1.*
deicola; ſic Hier. inter peſſimos detractores *Ierem. 44*
veritatem non tacuit, & Ezech. inter incre- *Ezech. 2.*
dulos & ſubuerſores habitaſſe memoratur. Ex quibus videtur bonis & perfectis mali-

tia

tia ipſorum non obeſſe, dummodo recedāt ab eis mentaliter, etſi habitent corporaliter. Vnde duobus modis non te maculat malum; ſi aut non conſentis aut redarguis. Sed hic pulſat quæſtio animum: vtrum in aliquo caſu mali poſſint deleri de hac vita. Ad quod reſpondeo, quod mali sūt duplices, aut.n. ſunt publici & per Eccleſiā
Exod. 22. præciſi, aut occulti; Et ab Eccleſia tolerati in primo caſu dicitur. *Maleficos non patiaris viuere ſuper terram*: in ſecundo caſu dicitur. *Tu bonus tolera malū*:
Greg. ſup. Ezech. ho. 60. 23. q 4 quia Abel eſſe renuit, quem Cayn malitia non exercet. in quit Greg. ſic & Iudā Dominus tolerauit. In pluribus ergo caſibus mali tolerantur: primo ſi eſt difficilè ſegregare malos à bonis, & tunc tolerandi ſunt, nè boni & innocentes ſimul pereant. Vnde Theodoſius imperator grauiter fuit repręhenſus per beatū Ambr. quod innocentes cum iniquis & ſceleratis ſimul occidiſſet. Secundò quamdiu mali per iudicium Eccleſiæ non publicantur. Tertiò tolerandi ſunt vbi eorum correctio non deſperatur. Quartò ſi eorū peccata non ſunt manifeſta. Quintò ſi ex eorū perturbatione pax Eccleſiæ vniuerſalis nō turbatur quia propter piſces malos retia non ſunt rumpenda, neq; propter hædos grex deſerendus, neque propter paleam area relinquenda. Non ſunt ergo indifferēter deſerendi mali, ſed patienter tolerandi, quatenus de malo ad bonum quandoq; cōuerſi poſſint nobiſcum peruenire ad patriam claritatis æternæ, ad quam nos &c.

DOMINICA QVINTA POST OCTAVAM EPIPHANIAE, SERMO I.

Conſitebor tibi Pater, Domine cœli & terræ. Matth. *11.*

DOminica proxima præcedenti ſancta mater Eccleſia propoſuit nobis ſaluti feram doctrinam noſtri ſaluatoris in parabola ſeminis: nunc hac Dominica præſenti proponit nobis, quibus à Chriſto iſta doctrina reueletur, & qui ſint digni reuelatione doctrinæ cæleſtis, quia tantum humiles. Hi.n. ſunt ſpeciales diſcipuli Chriſti illi æternaliter à Deo dati. Vnde Gloſſa ſuper illud Ioannis. 6. *Hæc eſt voluntas patris mei, qui miſit me, vt omne quod dedit mihi, nō perdam ex eo.* Dicit interlinearis. Chriſto datus eſt tantum humiles & ſequitur ibidem, de tumentibus perit, de humilibus nihil. Vnde ſaluator dicit.
Matt. 28. *non eſt voluntas Dei vt per datur vnus de puſillis iſtis*, vbi Gloſſa Hieron. dicit. *Sola humilitas eſt ſignum imitationis Dei*; & ſecundum Gregorium, ſicut euidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia, ita electorum humilitas. Vnde apud Iaco-
Iacob. 4. 1. Pet. 5. Iſa. 66. bum & Pet. dicitur. *Humilibus autem dat gratiam ſuam.* Et: *Ad quem reſpiciam niſi ad humilem.* In ſignum autem huius Dei filius allectus humilitate virginis glorioſè deſcēdere dignatus eſt ad homines Iuxta illud Lucæ. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Hu- Luc. 1.
milibus etiam Dominus ſpecialiter reuelare dignatus eſt ſuorum ſecretorum myſteria à ſæculis abſcondita: vnde in Pſalmo: *Intellectum dat paruulis.* Gloſſa, id eſt, humilibus; ideo Dei filius agens gratias Deo patri pro talibus, dicit in euangelio præſenti: *In illo tempore, reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ.* Hic eſt textus iſtius Euangelij, in quo ſignanter audiuimus, quod veritas ſacræ doctrinæ reueletur, à Deo humilibus. Vt igitur nobis à Deo patre reueletur, per eius vnigenitum filiū, ante omnia gratiā eius poſtulemus, ſine qua indigni ad talia omnia ſumus. Quod vt faciliꝰ impetremus, ad matrem gratiæ virginem glorioſam, cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia, recurramus omnes, dicentes voce amęna. *Aue Maria.*

In Euangelio præſenti tria deſcribuntur: Propoſit.
primo diuina ſapientia à ſapientibus abſconſa.

ſconſa humilibus manifeſtata oſtenditur, cum dicitur. *Confiteor tibi pater Domine &c.* ſecundo æterna refectio laborantibus in pœnitentia promittitur, cum dicitur: *venite ad me*: tertiò iugum legis diuinæ ſuaue eſſe perhibetur, cum concluditur: *Iugum enim meum ſuaue &c.*

I.

Cæleſtia ſecreta humilibus manifeſtantur.

In prima hac parte Euangelij ſapientia diuina ſapientibus abſconſa humilibus manifeſtata oſtenditur, cum dicitur. *Confiteor tibi pater*, id eſt gloriam tuam declaro, ſecũdum Lyran. gratias tibi ago & in te exulto ſecundum Gorran. Et Luc.10 dicitur, quod in illa hora Ieſus exultauit in Spiritu ſancto & dixit *Confiteor tibi*, per deuotam laudem. *pater*, per æternam generationem. *Domine cæli & terræ*, per temporalem creationem. Primum eſt contra Sabellium confundentem perſonas: cum hic diſtinguatur vna ab alia, quia vna confitetur alteri; in quo patet pluralitas ipſarum. Secundum eſt contra Arrium, qui negauit Chriſtum Dei filium per naturam, quia vocat eum patrẽ, qui propriè ſic dicitur per generationem. Tertium eſt contra Manichęum, qui ponebat duo principia, illa ſenſibilia dicẽs à malo. Deo & cœleſtia a bono, contra ꝙ dicitur hic Deꝰ idẽ cęli & terræ, id eſt, creaturæ ſuperioris & inferioris. *Quia abſcondiſti.* Ecce ratio confeſſionis ſiue gratiarum actionis, ſcilicet reuelatio veritatis ipſis paruulis facta; & facta eſt per miſericordiam, & per oppoſitum abſconſio veritatis facta eſt ſuperbis, & hoc propter iuſtitiam, præponitur autem abſconſio veritatis, quia ſuperbi Iudæi verbum veritatis repulerunt, quod poſtmodũ gentiles humiles receperunt, vt habetur Actuum.13. Dicit ergo: *abſcondiſti hæc* arcana fidei & ſapientiæ tuæ, quæ in aduentu filij tui ſunt impleta, *à ſapientibus & prudẽtibus*, ſcilicet ſcribis & phariſæis ſecundum ſuam reputationem, ſcilicet ſapientibus in credendis, & prudentibus in agendis; vel ſapientibus in lege vel prophetis, & prudẽtibus in mundanis, vel ſapientibus & prudẽtibus ſecundum ſuperficiem exteriorem, vel ſecundum humanam philoſophiam; de qua dicitur. *Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi*: Hæc autem eſt triplex, ſcilicet animalis, terrena & diabolica; animalis in voluptuoſis & luxurioſis, terrena in cupidis & auaris; diabolica in ſuperbis & ambitioſis: & ab his omnibus, abſconſa eſt diuina ſapientia, quia iſti ſunt ſapientes in oculis ſuis tantum, non ſimpliciter: *& reuelaſti ea paruulis*, id eſt, humilibus, & intellectum ſuum in obſequium fidei captiuantibus. Ecce depreſſio ſuperborum & exaltatio humilium. Patet hic ſecundum Lyran. quod cauſa ex parte credentium fuerit humilitas eorum, quæ vtique ad ſapientiam diſponit, iuxta illud: *Vbi humilitas, ibi ſapientia*: ex parte autem non credentium, eſt eorum ſuperbia, quæ eſt intellectus excæcatiua: ſed ex parte Dei cauſa fuit ſimplex voluntas diuina; & hoc eſt quod ſubdit. *Ita pater, quoniã ſic placitum fuit ante te*; ante quem nihil iniuſtum placere poteſt. Nullam verò aliam rationem reddere voluit filius Dei, quare illos reprobauerit, & hos elegerit, niſi ſolũ beneplacitum patris, in exemplum, vt ſecreta Dei diſcutere non præſumamus, in cõfuſionem illorum, qui de ſecretis Dei volunt quærere rationem, cum dicit Auguſt. Nimirũ in his quæ fiũt, ſola volũtas eſt ratio facientis: verumtamen etſi cauſa huius reprobationis vel electionis aſſignari non poſſit in ſpeciali, poteſt tamen in generali ſecundum Lyran. vt ſcilicet in electis Dei, appareat Dei miſericordia, in malis autẽ iuſtitia; quia ſicut ad gloriam regis terreni non ſolum pertinet aula in qua ſtrenui milites honorantur, ſed etiam patibulum, in quo malefactores puniuntur: ſic ad gloriam regis cœleſtis non ſolum pertinent præmia bonorum, ſed etiam pænæ reproborum. In ſpeciali tamen non poteſt ratio aſſignari ex parte Dei, quare iſtum eligat & iſtum dimittat, niſi ſimplex eius voluntas, vt dicit Auguſt. *Quare iſtum trahat, illum verò dimittat, noli velle diiudicare, ſi non vis errare.*

Tres hæreſes conſutantur. 1. Sabellij. 2. Arrij. 3. Manichæi.

1. Cor. 1. *Sapientia mundi triplex.* *Iacob. 3.* *Cauſa reprobationis.* *Prou. 11.* *Aug de ciu. Dei.* *Simile.* *Aug. ſup. Ioan.*

Sed dices, gaudere de excæcatione hominum infidelium malum eſt. Reſpon-

ſpondeo ſecundum Chryſoſt. Christus non agit gratias de abſconſione, ſed de reuelatione tantum. *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo,* Hæc continuantur ſic ad præcedentem clauſulam: dixit enim primò, quod cauſa illius reuelationis propria & immediata fuerit voluntas patris; nè ergò putetur quod filius nihil ad hoc operetur, ideò ponit ſe vt cauſam mediam. Christus enim eſt per quem omnis proceſſus gratiæ deriuatur ad nos; & hoc eſt, quod dicit. *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo:* quod verum eſt tam ſecundum naturam diuinam, ſecūdum quam habet eſſe à patre, & per conſequens & poſſe; licet habeat idem eſſe & poſſe cum ipſo; & ſic omnia tradita ſunt ipſi ab æterno: quam ſecundum naturam humanā, ſecundū quam: *omnia tradita ſunt in poteſtate Chriſti.* à patre, & hoc dupliciter: vno modo quo ad auctoritatem, & ſic omnia ſubdita ſunt ei ab inſtāti conceptionis, quia eo ipſo quo natura humana verbo eſt vnita, omnia creata sūt ſubdita Christo & pedibus eius: alio modo quantum ad effectum, & ſic in iudicio omnia erunt ſubdita Chriſto, & pedibus eius, quando perfectè implebitur voluntas eius in omnibus. Sed quæ omnia, dicit Gerrar. omnia ſcilicet [illegible], ſuperiora, inferiora & media, cæleſtia, terreſtria & infernalia, corporalia, ſpiritualia, & vtriſque coniuncta: quæ omnia tradita ſunt Chriſto, ad creandum & recreandū & ad glorificandum; vel omnia etiam increata, eſſentialia, æternalia & ſpiritualia, vt potentia, ſapientia & bonitas & æternitas, quæ dicit plura propter diuerſos modos ſignificandi: quæ omnia tradita ſunt filio à patre per generationem, cū ſibi cōſubſtantialem genuit omnia poſſidentem ſecundū Rabanum. [illegible] per omnia vel notitiam omnium. habuit enim Chriſtus omnium ſcientiam, etſi non omnium potentiam, quæ creaturæ dari nō poterat. Sequitur: *& nemo nouit filium, niſi pater.* Hic Chriſtus oſtendit ſore cauſam huius reuelationis; quia notitiam habet huius & maiorum & hoc à patre; quia nullus eſt in Trinitate gradus; nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus; & ideò oſtēdit ſcientiam æqualem eſſe patris & filiji dicens, *Nemo nouit filium, niſi pater.* Ne[illegible] hic non accipitur propriè, id eſt, nullus homo, ſed large, id eſt, nullum ſuppoſitum intellectualis naturæ, *nouit filium* ſcilicet eſſentialiter, plenè & perfectè Hoc dico propter homines, qui cognoſcunt per fidem, & beatos, qui per manifeſtam viſionē; qui licet clarè videant diuinam eſſentiam, tamen eā non comprehendunt. *Niſi pater,* non excluditur Spiritus ſanctus, vt ſit exceptio eſſentialis aut perſonalis; *neque nouit patrem quis niſi filius, & cui voluerit filius reuelare,* & ita filius eſt cauſa reuelationis, quaſi diceret; nè miremini, ſi omnia mihi tradita ſunt à patre, quia aliquid maius habeo, ſcilicet noſſe patrem, & eſſe eiuſdem voluntatis & eſſentiæ cum ipſo: & hoc dicit ſecūdum Hilarium, nè ſic quid minus in ipſo, quam in Deo eſſe putetur. Per hoc autem, quod dicit, ſe poteſtatem habere reuelare patrē, non negat etiā, quin habeat poteſtatē reuelādi ſe: nam ſecundum Aug. reuelatur pater per verbum ſuum, ſicut verbum noſtrum temporale & tranſitorium, & illud, de quo loquimur & ſeipſum oſtendit; ſic filius Dei & ſe & patrem, quia idem eſt cum Patre.

Hinc ſumuntur tria documenta moralia Primum quod volentes habere claram cognitionem diuinæ voluntatis, quanta ſit ad agenda & ad credenda in ſalutaribus, maximè debent ſtudere humilitati quæ inter alias virtutes diſponit hominem ad cognitionem diuinæ ſapientiæ; ſunt porro ſeptem virtutes, quæ diſponunt ad hoc: prima eſt caſtitas, vt in Ioſeph, cui propter caſtitatem datum fuit donum interpretationis ſomniorum; ſecunda eſt abſtinentia, vt in Daniele; tertia eſt oratio, vt in Dauid; quarta contemplatio, vt in Salomone; quinta ſolicitudo; vt in Mardocheo; ſexta patientia, vt in Ioanne Euangeliſta; Apocal. 1. ſeptima humilitas, vt in diſcipulis, vt hic. Secundum vt ea, quæ nobis ſunt occulta fidei non diſcutiamus temere. Vnde Abroſ. libro primo de Trinitate: *aufer argumentum, vbi fides quæritur? piſcatoribus creditur, non Dialecticis:* & Auguſtin.

Quomodo omnia Chriſto ſubdita.

Hebr. 2.

Quænam illa omnia?

In Trinitate nihil prius aut poſterius.

Quomodo mortales Deum cognoſcāt, & quomodo beati?

Hilarius.

Aug. li. 7. de ciuit. Dei.

Documēta tria. 1.

Gen 40.

Dan. 1.

2. Reg. 15.

3. Reg. 3.

Eſther 1.

Apoc. 1.

2.

Ambr. li. 1. de Trin.

Augu. in Ioannem — guſtinus. *Noli intelligere, vt credas, ſed crede* [illegible] *intelligas; intellectus merces fidei eſt.* Hinc dicit Gregor. 25. moralium: docemur, nè temerè diffuſa conſilia de aliorum vocatione & aliorum repulſione præſumamus; & facit hoc contra illos, qui etiam de temporali electione aliquorum diſputant. dicentes: vt quid iſtum Deus elegit in talem prælatum, qui non eſt alicuius vtilitatis? nō

Iob 34. attendentes illud, quod Deus facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi. Tertium documentum eſt, vt ſortilegia, incantationes & alia figmenta diaboli

3. fugiamus; ex quo audiuimus, quod omnia pater dedit filio in poteſtatem: ab illo ergò

Matth. 8. potius quæramus noſtræ neceſſitatis ſuffragia, qui omnia poteſt; non à diabolo, qui non poteſt amplius, quam permittitur.

II.

Venite ad me omnes. Tria hic dicit, *venite*

Tria accedenti ad Deum neceſſaria. — *tollite & diſcite*, ad innuendum, quod iſta tria ſint nobis neceſſaria, ſcilicet fides, per quam accedamus ad Deum; amor per quem volūtariè ſeruiamus Deo; & opus, per quod efficaciter impleamus diuinum mandatum. Dicit ergò *venite*, quaſi diceret, per me filium habetis facilem acceſſum ad Deum patrem. *Per me ſiquis intrauerit &c.* & *venite*

Ioan. 10. *ad me*, ſcilicet prius credentes in me per fidem. *Nemo venit ad patrem niſi per me.* vbi

Ioan. 14. dicit D. Thomas, quod nullus poteſt venire ad notitiam patris, niſi per verbum illius quod eſt filius, ſicut enim volens ſe reuelare verbo cordis, quod profert ore, induit quodammodo ipſum verbum litteris vel voce: ita Deus volens ſe manifeſtare hominibus verbum ſuum ab æterno carne conceptum, carne induit in tempore; & ſic nullus poteſt peruenire ad notitiam patris, niſi per filium. Hinc eſt quod Philippus reprehenditur, petens ſibi patrem oſtendi, cui dictum eſt. *Qui videt me, videt & patrem meum.* Benè ergo dicit. *Venite ad me* cre-

Iſaiæ 60. dendo per fidem. *Venient ad te curui filij eorum.* *Ad me* inquit comitandum per imi-

Ioan. 1. tationem. *Magiſter vbi habitas, venite & videte*; *venite ad me* fruendum per glorifi-

Matt. 25. cationem. *Ve*[illegible] *Venite ad me*, vos clauſi, ad me oſtium veritatis.

Ego ſum oſtium: vos ægri ad me medicum — Ioan. 10.

ſalutis. Lucæ 10. Samaritanus infudit vinum & oleum ſauciato: vos naufragi ad me portum quietis. *In mundo preſſuram habe-* — Ioan. 16.

bitis, in me autem pacem. Omnes indifferenter, *qui laboratis & onerati eſtis.* Laboratis, inquam ſiue ſecundum naturam, in qua naſcimur, quia homo ad laborem naſcitur; ſiue ſecundum culpam, in qua tranſgredi- — Iob 5.

mur. *Vt iniquè agerent laborauerunt.* ſiue ſecundum pœnam, in qua morimur. *Maledi-* — Iere. 9.

cta terra in opere tuo. Specialiter tamen hic — Gene. 3.

Chriſtus loquebatur ad Iudæos, qui laborabant ſub onere legis, quod nec ipſi nec patres eorum portare potuerunt. Actor. 15. Similiter loquebatur ad gentiles laborantes in cultura idolorum, de quo Iſa 45. *Labor Aegypti.* Nobis autem, qui laboramus in voluptatibus, vt luxurioſi, auari in cupiditatibus, ambitioſi in dignitatibus, dicitur etiam *venite qui laboratis*, ſcilicet labore ſtultiſſimo. *Labor ſtultorum affliget eos.* Et verè

ſtultus, quia *ſtipendia peccati mors.* Ecce mer — Eccl. 10.

ces laboris, ſed nunquid vocat ad alium la- — Rom. 6.

borem? certe non. Dicit enim: *& ego reficiam vos*, triplici ſcilicet cibo, doctrinæ; Eucharistiæ, & gloriæ. Bona refectio, quæ famem neſcit perpetuò. Pſalmiſta. *In loco paſcuæ ibi me collocauit*: deinde ſubdit aliud inuitatorium ad tollendum iugum ſuum — Deus ad ſe venientes triplici cibo reficit.

dicens. *Tollite iugum meum ſuper vos*, id eſt, legem meam euangelicam, quæ dicitur iugum, quia eſt lex amoris, & per conſequens iungit fideles ad veritatem, Iudæos & gentiles; amor enim eſt vis vnitiua ſecundum Dionyſium. Attende benignitatem ſaluatoris, quia non imponit inuitis, iugum ſuū, ſed ſponte hortatur: vnde ait. *Si vis ad vitam* — Matt. 19.

ingredi, ſerua mandata. Et: *Deus ab initio cō-* — Eccl. 15.

ſtituit hominem in manu conſilij ſui. Ioſue vltimo. *Si malum vobis videtur timere Dominum, optio vobis datur.* Hinc dicitur in canone, Quod voluntarium militem eligit Chriſtus. 15. quæſt. 1. Non eſt, & 33. q. 5. Tūc ſaluabitur.

Notanter dicit *iugum meum*, & eſt triplex, ſcilicet euangelicæ prædicationis. Eccle. vltimo. *Collum veſtrum ſubijcite iugo illius*: ſecundò diuinæ dilectionis. *Reuerſi* — Iugum Chriſti triplex.

ſunt, vt eſſent abſque iugo. tertiò iugum cru- — Oſea 7.

cis,

cis, ſiue mortificationis, quod carnem ſpiritui ſubijcit. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum.* Et dicit *meum,* propter exemplum quia ipſe tulit illud pro nobis, docendo, diligendo, ſuſtinendo. *ſuper vos*, id eſt, vt vobis præſideat in omnibus doctrina mea, & præcipiat. *ſuper vos*, id eſt, in ratione veſtra, & voluntate, quæ eſt ſuperior pars animæ veſtræ, in qua debet eſſe dilectio. *ſuper vos*, id eſt, in corpore veſtro *Stigmata Domini in corpore meo porto.* Rabanus dicit hoc ideò dici vt in reuerentia habeamus iugum diuinæ legis, non conculcantes, ſed venerantes. Et *diſcite à me*, ſcilicet ſine fallacia, ſimpliciter intelligendo; ſine poſtilla memoriter retinendo, ſine pigritia efficaciter complendo; *à me*, docente verbo & exemplo; *quia mitis ſum*; in moribus exterius; ſcilicet nullum lędendo, *& humilis* interius in affectibus neminem contemnendo. His enim duobus modis maximè nutritur dilectio, corde, non ſolum exteriori apparentia, vt hypocrita, qui humiliatur pro humanis laudibus. Receperunt mercedem ſuam. Sequitur præmium, *& inuenietis requiem animabus veſtris*, ſcilicet in præſenti & futuro; de præſenti dicitur. *Modicum laboraui & inueni mihi multam requiem*: de ſecundo. *Sedebit populus meus in multitudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

Galat. 6.
Matth. 5.
Eccle. vlt.
Iſaiæ 32.

Documēt. tria moralia.

Hic eliciuntur tria documenta moralia; Primum eſt, quod non ſic excuſatio homini cuicunque de ſalute ſua; quin ad
1. Deum venire teneatur; quod patet, quia ad hoc filius Dei deſcendit, vt verbo & facto vocaret homines ad ſalutem. Vnde dicitur Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat.* Joan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant.* Et Matth. 18. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.* Jtem Lucæ 19. & Ioan. 15. dicitur: *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*; ad quod ſignificãdum, Chriſtus voluit tam crebris vicibus dicere ad homines iſtud verbum, quod hic ponitur *venite.* quãdoq; poſt me, vt Matth. 4. & Luc. 5. quãdoq; ad me, vt hic, & Ioa. 5. *Omnis qui venit ad me*: cũ ergo apertè vocet, null⁹ excuſari poteſt; ad Roman. 2. Quapropter inexcuſabilis es ô homo. Ioan 15. Nunc ergò non habent excuſationem de peccato ſuo. Hinc pro regula Apoſtolus ponit, quod in ſtatu legis Euangelicæ regula ſit *ignorans ignorabitur.* 1. Cor. 14. Secundum documentum eſt, quod licet Chriſtianis 2.
neceſſariæ ſint omnes virtutes; maximè tamen humilitas, à qua ſe Chriſtus denominare voluit, vt rex humilitatis, & Dominus mitiſſimæ manſuetudinis; & ideò Chriſtus ſæpius nos ad humilitatem magis, quam ad alias virtutes inuitat. *Niſi efficiamini, ſicut paruulus iſte.* Et: *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur.* Et: *Qui voluerit eſſe maior, ſit ſicut miniſtrator.* Et eſt ratio, quia humilitas eſt radix omnium virtutum, vt dicit Ambroſ. & ideò Saluator non ait: Diſcite à me mundũ fabricare, & omnia in eo creare, miracula facere, mortuos ſuſcitare, ſed *diſcite*; *quia humilis ſum*; vnde & Auguſtin. vocat humilitatem fundamentum totius fabricæ ſpiritualis. Tertium documentum eſt, quod vita Chriſtiana debet eſſe quieta mente, ſed laborioſa corpore, ad ſignificãdum hoc, quod dicit hic Chriſtus; *Inuenietis requiem animabus veſtris.* Eſt contra otioſas virgines, viduas, & vetulas, quæ in hoc ſe dicunt maximè eſſe Chriſtianas & contemplatiuas, ſi otientur nihil laborantes, cum tamen vita euangelica ſit requies animarum non corporum. Vnde dicitur in pſal. *Labores manuũ tuarum quia manducabis*, ſequitur. *Beatus es*, ſcilicet in præſenti, *& benè tibi erit* in futuro, ſi hæc facies. 3.

Humilitas Chriſtianis maximè neceſſaria.
Matt. 18. Luca 18. & 22.
Humilitas gratiã miraculorum præcellit.
Aug. in li. de ver. dom.

III.

Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue, quaſi dicat Chriſtus; ideò iugum meum potius quam iugũ veteris legis portare debetis, quia iugum veteris legis erat graue propter multiplicitatem moralium, propter auſteritatem iudicialium, propter defectum ſacramentorum iuſtificantium: Sed ſic non eſt euãgelium meum, quod eſt iugum ſuaue & onus leue, quia ad ipſum portandum ſufficit ſola charitas. Vnde Rabanus dicit. Quid ſuauius iugo Chriſti? quid onere leui⁹ abſtinere à malo, bonũ velle, amare oẽs, odiſſe nullum, æterna ſequi, præſenti-

Iugũ Chriſti ſuaue. 1

ſentibus non capi, nulli inferre aliquid,
Dubia tria. quod tibi fieri non velis. Hic occurrunt
tria dubia. Primum eſt, quare Chriſtus vo-
1. luerit apparere mundo, & non potius nobi-
libus, & famoſis ſecundum ſeculum in fa-
milia, vectura, equitatu, veſtibus, cibis,
theſauris, & alijs? Reſpondeo ſecundum
Gregorium & Chryſo. hic, ideò quod humilem
ſe exhibuit, ideò ludibria contumeliarum,
ad hoc probra & paſſionum tormenta to-
lerauit, vt ſuperbum hominem non eſſe do-
ceret Deus. Ecce prima cauſa ſcilicet ra-
tione noſtræ exemplaritatis. Secundò id-
cò, quia ſecundum Gregor. ex quo noſtræ
perditionis cauſa fuit ſuperbia, in ſaluatore
noſtro debuit eſſe humilitas, vt contraria
contrarijs curarentur: ex quibus patet,
quare ita diues noluerit eſſe potens. Ratio,
quia illa ſunt, vt communiter, ſigna ſuper-
biæ: Chriſtus autem venit facere & docere
in ſe; ideò debuit habere ſigna humilitatis
in veſtitu, in familia & in omni vita ſua. vn-
de liquet, quod ſicut euidentiſſimum ſi-
gnum perditionis eſt ſuperbia; ita ſalutis
humilitas: patet, quia ſicut illi ſequuntur
diabolum qui eſt rex ſuper omnes filios ſu-
perbiæ; ita iſti Chriſtum, qui dicit, *Diſcite
à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, & ſic
2. Dubiũ. vtrobique verum ſignum. Secundum du-
Præcepta bium, vnde fiat quod multis videntur eſſe
legis gra- grauia præcepta legis euangelicæ, cum ta-
uia cur di- men dicantur leuia? Reſpondeo, ſecundum
cãtur? Auguſt. in lib. de verbis Domini quod omne
hoc ſit ex abſentia gratiæ Spiritus ſancti, qui
vt primum adeſt, omnia apparebant faci-
lia, quia ſpes futuræ beatitudinis omnia al-
leuiat: & hoc eſt, quod dicit Rabanus ſuper
illud Matth 7. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vi-
tam.* Arcta eſt, inquit, in principio, ſed pro-
ceſſu temporis ineffabili dulcedine dile-
ctionis dilatatur, ſicut dentibus obſtupen-
tibus in homine in principio grauatur ince-
dere, quod poſtea delectat. Ergo, quod ſcriptum eſt
1. Ioan. 5. illud, *Mandata eius grauia non ſunt*, dicit:
quæ in natura ſui duræ ſunt, & aſperæ, amor
Dei & ſpes præmij facit eſſe leui. Ob id qui
dicit ſibi grauem legem euangelicam, ſuam
infirmitatem, non illius grauitatem ac-
cuſat.

3. Dubiũ. Tertium dubium. Vtrum iugum legis
nouæ ſit leuius iugo veteris legis? videtur *Iugum no-*
enim quod non, cum ibi prohibeatur ſo- *uæ legis le-*
lum manus, vt non occidas; hic autem a- *uius ve-*
nimus, vt non iraſcaris. Ibi actus; hic con- *teri.*
cupiſcentia; *Qui viderit mulierem ad con-* *Matth. 5.*
cupiſcendum, mœchatus eſt eam. Reſpondeo,
ſecundum Thomam quod lex vetus ſit gra- *Tho. in 3.*
uior multiplici de cauſa: primò, quia lex *ſent. diſt.*
vetus nullo modo iuſtificabat cauſando *40. & 1. 2.*
iuſtitiam infuſam, quæ eſt à ſolo Deo per *q. 7. art. 4*
gratiam, ſed ſolum docebat, quia in obſer- *Legis vete-*
uatione mandatorum eius forma iuſtitiæ *ris graui-*
conſiſtit, quæ grauiſſima eſt. Secundò gra- *tas.*
uius erat, quia prohibens peccatum, ſpe- 1
cialem reatum addebat, in quantum non ſo- 2
lem naturalem legem tranſgrediebatur, ſed
etiam in quantum legis ſcriptæ tranſgreſ-
ſor erat. Tertiò quia ſolum temporalia 3
promittebat, etſi promittebat æterna, hoc
ſatis obſcurè, & in figuris occultis. Vnde
Hebræor. 10. dicitur: *vmbram habens lex
futurorum bonorum.* Certum eſt autẽ quod *Hebr. 10.*
facilius quilibet ſeruiat pro æternis, quam
pro caducis. Quartò quia illa lex erat ti- 4
moris, noua autem amoris; quia data eſt ex
maxima charitate effuſionis ſanguinis Chri-
ſti, at facilius quis implet ex amore, quam
ex timore præceptum. Quintò lex vetus 5.
arctabat ad multa cæremonialia, etiam in-
uitos, vnde etſi non fuit peccatum tangere
mortuum, tamen ſi non faciebant ea,
quæ in lege propter hoc mandabantur,
peccabant mortaliter, ad quæ noua lex non
arctabat, etſi ad aliqua, tamen ad pauca.
Nam ſicut refert Auguſtinus ad inquiſitio-
nes Ianuarij, Rabbi Moyſes enumerat præ-
cepta legalia plusquam mille ſexaginta, ad
quæ omnia tenebantur; noua autem non
habet niſi ſeptem ſacramenta, ad quorum
quædam non omnes tenentur, vt ad ordi-
nem, & matrimonium. Si autem dicitur
quod in moralib. plura prohibet noua quã
vetus: dicendũ eſt, quod hoc verũ, ſed ſimul
auxilium gratiæ cõfert ad omnia implenda,
quæ gratia omnia leuiat ſecundum Auguſt.
ſimulq; habemus adiutoria multa ſacramẽ-
torũ. Vnde ſecundũ Scotũ etſi potuerũt me-
reri gratiã primo modo, benè quidẽ, ſed ad
gratiã percipiẽdã nõ habuerunt aliquod ſa-
cramentũ præter circunciſionẽ, quæ fuit cõ-

tra

tra originale. Similiter dicendum eſt de iudicialibus, quod valde pauca ſint à Chriſto tradita, licet per eos, qui habent declarare legem Chriſti, & ſtatuere leges in eccleſia, vt principes, plura ſint ſuperaddita, ad quæ etiam tenentur fideles obſeruanda, vt in canone, diſtinc.19.cap.1.

Vtriuſque legis difficultas.

Hinc de difficultate vtriuſque legis apparet quod quãtum ad actus exteriores, lex vetus eſt grauior, quia plura in ea cæremonialia & iudicialia: quantum autem ad interiores actus, qui ſunt implere delectabiliter opus virtuoſum, grauior eſt noua, quia prohibet animum, & motum interiorem; & quod ex amore impleantur præcepta, ſic enim lex noua non amanti eſt difficilior, ſed facillima amanti, quia virtus delectationem habet annexam, per quam homo faciliter implet opus virtuoſum.

Lex noua perfectior veteri.

Ex his infero quod lex noua ſit perfectior lege veteri, propter plura. Primò quia fini propinquior, eò quod immediatè aperit ianuam cœli; vetus autem deſtinabat ad limbum. Secundò quia verſatur circa bona gratiæ & gloriæ; illa circa bona naturæ & fortunæ.

Iſaia 1.

Si audieritis me, bona terra comedetis. Tertiò quia completior, non indigens ſupplemento; compendioſior, quia vno verbo impletur.

Rom.13.

Qui diligit proximum, legem impleuit: vtilior, quia vtrumque, ſcilicet corpus, & animam beatificat. Ideò dicitur ſemita ſalutis noſtræ, quia paucioribus inſtrumentis indiget; & quia remouet cæremonialia & immolationes, & offert Deo ſpiritum contribulatum contriti cordis. Item eſt perfectior in hoc, quia prohibet non ſolum manum ſed etiam animum. Si dicas, tamen & vetus hoc prohibet dicens. *non concupiſces?* Reſpondeo, quod hoc ſit in paucioribus, & ſolum in duobus præceptis, ſcilicet mœchiæ & auaritiæ: & licet prohibeat mœchiã interiorem, tamen transgreſſoribus non infligebat pœnam, ſecundum Liran. in prologo ſuper Mattheum. Item patet, quia capto conſilio difficillimo nouę legis. quod eſt diligere inimicos, hoc eſt facilius quam immolare agnum paſchalem, ratio, quia ad diligendum quemlibet hominem natura inclinat;

Dilectionis commoda.

ſecundò quia talis dilectio nullum damnum infert, ſed vtique commodum, tertiò quia dilectio magis cõfortat tam corpus, quam animam, quam odium.

Prou.17.

Animus gaudens ætatem floridam facit.

DOMINICA QVINTA. SERMO II.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Matth.11.

Aug. ſup. pſal.70.

DIcit S. Auguſtin. Inter omnia quæ hominẽ ſcire oportet, eſt tota ſcientia hominis, ſcire, quia ipſe nihil eſt per ſe, & quoniã quicquid eſt, ex Deo eſt, & propter Deum eſt, quaſi dicat. Homo conſiderata ſua fragilitate omnia ſua debet referre in Deum & de omnibus eidem gratias agere, & omnia attribuere.

Greg. lib. 24.mor.

Vnde Gregorius oſtendens quæ ſit vera ſapientia hominis, dicit quod vera ſapientia afficit, id eſt, humiliat, non extollit, nec ſuperbientes, quos impleuerit, ſed lamentantes facit. Ex quibus patet quia non prodeſt ſapientia, imò plus obeſt, ſi non adfuerit humilitas: nam ſicut dicit Apoſtolus: *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Quia igitur Phariſæi nec ſe, nec ſua in Deum referebant, ſed potius ſuperbia inflati, de ſe, & ſuis meritis præſumebant, hinc eſt, quod ſaluator veniens in hunc mundum dimiſſis illis humiles dignatus eſt eligere diſcipulos, quibus ſuæ diuinitatis arcana manifeſtaret; quos approbãs,

& illos

& illos reprobans, gratias Deo patri agit dicens: *Confiteor tibi pater, Domine cæli, & terræ, quia &c.* In quibus verbis ad tria admonemur; primò ad dignè agendum gratias Deo exemplo Christi, qui ait. *Confiteor tibi &c.* Secundò, inducimur ad deponendum alas ſuperbiæ & fugiendum vanam gloriam, quæ in Phariſæis in tantum repræhenditur, vt merito ab eis ſecreta cœli abſcondantur, cum dicitur, *quia abſcondiſti.* Tertiò hortamur ad amplectendum humilitatem, quæ in tantum commendatur, vt merito propter eam Apoſtolis abſcõdita cæleſtia reuelentur; cum dicitur, *reuelaſti ea paruulis.*

Propoſit.

I

Deo gratiæ ſunt agendæ.

Confiteor tibi Domine pater, &c. Dignum eſt agere hominẽ gratias Deo, ex quo filius Dei cõſubſtãtialis patri laudat eũ, & gratias agit ei. Eccl. 23. *Magna gloria eſt ſequi dominum;* & ex quo omnis creatura confitetur & laudat nomen eius. Vnde pſalmiſta de Deo dicit: *Confeſſionem & decorem induiſti.* vbi ait Innocent. quia Deum laudant & magnificãt omnes creaturæ, quarũ laudibus quaſi quibuſdam veſtibus vndiq; circundatus eſt; benè dicit: *confeſſionem induiſti.* Confeſſionem appellat laudes creaturarũ, quæ illius magnitudinem confitentur; quod addit, & decorem, ideò dicit, quia in decore creaturarum, decor illius agnoſcitur, qui creaturas fecit iuxta illud: *quantò magis ſpecioſior eſt dominator eorum, qui eas fecit?* Cum ergo omnis creatura confiteatur Dei bonitatem, Dei potentiam, & ſapiẽtiam quantò magis homo debet aſſurgere ad huiuſmodi confeſſionem laudis per deuotam gratiarum actionem. Sũt autem tria in verbis thematis inducentia & mouentia hominem ad gratiarum actionem Deo faciendam, ſc. collatio bonorum gratuitorum in eo, quia ipſe fecit ſe nobis patrem; vnde dicitur: *Confiteor tibi pater, Domine;* ſecundò bonorum gloriæ & cœleſtium, in eo, quia ipſe eſt Dominus cæli, qui nobis cælum reſeruat in præmium; tertiò bonorum naturæ & fortunæ, in eo, quia ipſe eſt Dominus terrę, qui nobis omnia terræ naſcẽtia dedit ad vſum. Merito igitur laudãdus eſt à nobis, cũ ab eo omnia habeamus. Et primò ab ipſo habemus bona gratiæ, quia ipſe eſt origo omniũ bonorum gratuitorũ: ſicut .n. mare eſt origo omniũ fõtium & fluminũ: ita Deus eſt origo virtutũ & ſciẽtiarum. Ipſe .n. eſt *Dominus virtutum* vt dicitur in pſal. & *ipſe Deus ſcientiarũ Dominus eſt*, ab ipſo eſt continẽtia carnis, cordis induſtria, rectitudo voluntatis. Si quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis morib. placet, inde ſcientiæ, indè ſapientiæ ſermo: *theſauri ſiquidẽ ſcientiæ & ſapiẽtiæ oẽs abſcõditi ſunt in illo.* Quin caſta cõſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria, miſericordiæ fõtis illius ſunt; quæ omnia cum à Deo effluũt, vt quædã flumina, nè citò exſiccentur & fluere ceſſent, ad Deũ cõtinuò debẽt refluere, vt iterum fluant; quia vt dicit Sapiens, *ad locum vnde exeũt, flumina reuertũtur, vt iterũ fluãt;* quod fit per cõfeſſionem laudis & gratiarũ actionis. Vnde Apoſt. dicit: *In omnib. gratias agentes Deo.* Hinc ait Bern. quicquid ſapientiæ, quicquid virtutis te habere cõfidis, virtuti Dei & ſapientiæ aſcribe & deputa. Et licet infinita ſint dona gratuita, ꝓ quibus ei debemus gratias agere, tñ iſtud quaſi præcipuum occurrit, quia dignatus eſt fieri pater noſter. *Nũquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te?* Et: *Patrẽ nolite vobis vocare ſuper terram; vnus eſt .n. pater veſter in cælo.* Hic pater adeò eſt benignus vt omninò nihil habeat ſeueritatis, eò *quod ei propriũ ſit ſemper miſereri & parcere,* ꝓpter ꝙ dicit Apoſtolus eũ patrem miſericordiarũ, & Deũ totius conſolationis. Oſtendit autem homini cuilibet triplicem gratiam & miſericordiam, pro qua à quolibet eſt glorificandus, & laudandus id nam eſt clemẽs in ſuſcipiendo, in pænitentem, & errantem; diligens in ꝓuidendo, erga deficientem; largꝰ & magnificus, erga petentem. De primo, quomodo ſit clemens in ſuſcipiendo, erga pænitentẽ, habetur apud Lucã de filio ꝓdigo, quẽ reuertentẽ, cũ longe adhuc abeſſet, *vidit pater* per appropinquationem, *& miſericordia motus* per cõpaſſionem, *accurrẽs* per pietatis accelerationẽ, *cecidit ſuper collũ*, per gratiæ reconciliationem, *& oſculatus eſt* per dilectionem, & ait: *Citò proferte ſtolã primam* innocẽtiæ, *& induite illũ, & date annulum in manũ eius* fidei formatæ, *& calciamenta in pedes eius* bonorum operum. Ecce miſericordia iſtius patris, qui à reo reuertente non exigit, ſed tribuit, quiq; adeò benignus eſt,

Sap. 13.

Tria mouent ad gratias.

1. Reg. 2.

Bern. ſup. Cant. ſer. 13.

Deut. 32.

Matt. 24.

2. Cor. 1.

Triplicem homini gratiam oſtendit Deus.

Luca 15.

vt quantumcunque offendatur, non poſſit obliuiſci miſerationum ſuarum, iuxta illud: *Nūquid mater poteſt obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Veruntamen & ſi illa oblita fuerit, ego non obliuiſcar tui.*

Secundò apparet miſericordia & gratia iſtius benigni patris, quia eſt diligens in prouidendo. nam ipſe eſt ſollicitus de noſtra ſalute pluſquam nos; & apparet iſta ſollicitudo in eo, quia filium ſuum miſit in mundū, qui veniens more ſapientis mulieris, dragmam perditam & ouem amiſſam, animam dico humanam, ita ſollicitè quæſiuit vt etiā propter eam & ad crucem aſcenderit, & ad inferna, vt eam eriperet & reduceret, deſcenderit. Hinc pſalm. ait: *Dominus ſollicitus eſt mei*: & verè ſollicitus eſt plus de vna anima humana, quam de toto mundo, iuxta illud. *Nunquid cura eſt Deo de bobus?* Hinc dicit Bern. quod licet Deo incumbat gubernatio & adminiſtratio totius creaturæ, tñ omnia iſta Deus facit propter hominem, de quo ſolo cura eſt Deo, ſicut dicit Apoſtol. *Omnia* inquit *propter electos.* Et: Petrus Apoſt. *Omnem ſollicitudinem proijcientes in eum, quoniā ipſi eſt cura de vobis.* Verè magna cura Deo de anima, quam ita dilexit, vt ſe daret pro ea hæc eſt enim ouis errans, cuius curam etiā ſupernorum curæ gregum, id eſt, angelorū, eſt prælata; illis enim expoſitis paſtor deſcēdit ad iſtam, & quæſiuit diligenter, inuētam non reduxit, ſed reportauit, noua faciens angelis feſta gaudiorum. Qui ergò proprijs humeris dignatus eſt imponere, certè curā eius habebit. Pro tanto itaque beneficio animæ impenſo quis dubitat dignas eſſe gratiarum actiones Deo refundendas? vt ſicut ille animæ liberationi fuit intentus: ita anima illius honori intendat. Vnde dicit Bern. in perſona animæ, *ille mihi & ego illi*; ille mihi, quia benignus & miſericors: ego illi, quia non ſum ingrata; ille mihi per gratiam ex gratia; ego illi gratiam pro gratia. ille ſaluti meæ, ego ipſius volūtati: ille mihi & nō alteri, quoniam vna ſum columba eius: ego illi, & non alteri, quia non audio voces alienorum. Hæc Bern.

Ioan. 3.

Bern. ſer. 68. ſup. Cant.

Bern ſup. Cant. ſer. 68.

Tertiò benignitas iſtius patris apparet, quia eſt largus, & magnificus erga petentem. Ioan. 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et quid dabit? pſalmiſta reſpondet, *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et: *Si vos cum ſitis mali, noſtis dare bona data filiis veſtris, quantò magis pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Maxima largitas dare ſeipſum: ſpiritus autem ſanctus eſt idem cum patre & filio; dando ergo ſpiritum ſanctum dat ſe tota Trinitas. Vnde pro tanta gratia & benignitate meritò eſt laudanda clementia tanti patris, dicendo, *Confiteor tibi pater.*

Matth. 7. Luca 11.

Secūdum, quod debet mouere hominem ad gratiarum actionem Deo faciendam, eſt collatio bonorum cœleſtium, ſcilicet bonorum gloriæ; & hoc tāgitur in eo, quod Chriſtus confitetur patri, tanquam Domino cæli. Vnde dicit *Domine cæli.* Sic laudauit eum Dauid, qui dicebat; *Confitebor Domino ſecūdum iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi,* id eſt, ad honorem nominis Domini; Et: *Gloria in altiſſimis Deo.* Et meritò laudandus eſt, tanquam dominus cęli; ipſe enim cęlum creauit, non propter ſe, ſed propter homines: non enim indiguit cælo, tanq̃ loco continente, quia ipſe manet extra omnia, & intra omnia, & ſuper omnia, & infra omnia, vt inquit Greg. Vnde & ipſe per prophetam dicit: *Cælū & terrā ego impleo*: Creauit ergo cęlum propter angelos, & angelos propter homines, vt dicitur in pſal. *Angelis ſuis mādauit de te.* Et: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus,* ad hoc ſcil. vt homines ſimul cum angelis in cęleſti gloria exultent. pſal. *Exultabunt ſancti in gloria.* Meritò igitur eſt glorificandus ab homine, qui tātam gloriā fecit propter hominem, vt eum illius ſecum faceret participem. *Cum apparuerit princeps paſtorum, tunc & vos apparebitis ſecum in gloria.* Gloria autem illa conſiſtit in clara notitia viſionis Dei cum perfecta laude; *Tunc. n. videbimus eum, ſicut eſt, & facie ad faciem,* vt dicit Apoſtol. tunc laudabimus creatorem omnium & largitorem bonorum cæleſtiū, iuxta illud: *in Deo laudabimur tota die: tunc confitebimur ei in ſæculum ſuper omnibus, quæ fecit nobis* Tertium quod debet mouere hominem ad gratiarum actionem Deo faciendam, eſt collatio bonorum naturaliū & fortuitorum; hoc tangitur in eo, quod Chriſtus dicit patrem ſuum dominum terræ: ſic enim eſt glorioſus in ſanctis ſuis cęleſtibus, vt tamen non obliuiſcatur pauperum ſuorum in terris;

Ob bona cœleſtia Deo gratia agēda.

Greg. ſup. Ezech. hom. 8.

Heb. 2.

1. Pet. 5.

1. Ioan. 3.

Similiter ob bona naturalia

terris; vnde ipſe dat eſcam omni carni, & in *ipſum oculi omnium ſperant, vt det illis eſcam in tempore:* aperiente enim eo manum ſuam omnia implentur bonitate. Ipſe multiplicat frumentũ, & fructum vini & olei: ipſe dat rorem cœli, & pinguedinem terræ: ipſe dat panem noſtrum quotidianum; ipſe denique diſſuadet ſolicitudinem temporalium, ſe ſufficientem ponens prouiſorem.

Matth. 6.

Nolite ſolliciti eſſe dicentes quid mãducabimus aut quid bibemus aut quo operiemur: ſcit .n. pater veſter quia his omnibus indigetis. Pro his ergo & tãtis neceſſario laudandus & glorificandus eſt Deus, quatenus per hæc temporalia, quæ largitur, ſic incedamus, vt non amittamus æterna. Sed reuera à multis hodie poſſet

Malac. 3.

Deus quærere; *ſi ego ſum pater veſter, vbi eſt honor meus, & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* ſiquidem honorem pro honore & timorẽ pro omnipotentia requirit ab homine. Honorauit hominem in creatione tripliciter:

Homo in creatione tripliciter honoratus.

primò quia fecit eum cum deliberatione; *Faciamus hominem*; ſecũdò, quia fecit eum ad imaginem ſuã; tertiò quia prępoſuit eum omnibus creaturis; debemus ergo meritò honorem; timorem aũt debemus ei, qa eſt Dominus cęli & terræ, & ſic omnipotẽs.

Gen. 1.

Matt, 10.

Timete eum, qui poteſt animam & corpus mittere in gehennã. Nõ ergo fratres pigritemur aſſurgere ad gratiam reddendam ei qui nobiſcum fecit tãtam miſericordiam & gratiã in omnibus præmiſſis.

II.

Abſcondiſti hæc à ſapiẽtibus & prudẽtibus. Hoc loco non reprehenditur ſapiẽtia, vt eſt donum Spiritus S. nec prudentia, vt eſt vna quatuor virtutum cardinalis, ſed abuſio vtriuſq;.

Qualis ſapietia hic reprehendatur.

Vnde licet ſapientia ſit donum Spiritus S. quando eam homo à Deo ſe habere credit & optat, vt dicitur Iacob. 1. *Si quis indiget ſapientia, poſtulet eam à Deo.* Et: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt*;

Eccl. 1.

tamen ſi homo credit habere eam, cum non habeat, non eſt donum Dei, ſed vicium ſpiritus maligni. Eiuſmodi enim homines arguit propheta. *Væ qui ſapiẽtes eſtis in oculis veſtris.* Et Apoſt. *Putantes ſe ſapientes ſtulti facti ſunt.*

Rom. 12.

Eodem modo ſe habet prudẽtia, de qua Apoſtolus nos admonet dicens: *nolite prudentes eſſe apud vosmetipſos.* Falſa ergo eſt ſapientia & prudentia philoſophorum, *qui cum dominum* ſapientiæ & prudentiæ *cognouiſſent*, non *ſicut* Dominum ſapientiæ & prudentiæ *glorificauerunt*, ſed *euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; nam putantes ſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* Nõ ergo reprehenditur hic ſapientia, vt eſt virtus aut donum, ſed vt elatio mentis & tumor animi, qui veritatem impedit, & veræ ſapientiæ aditum claudit. Sciendum, quod ſapientia & prudentia, quæ hic reprehenditur, eſt triplex;

Triplex illa & qua

1.

prima eſt in acquirendis diuitijs: ſecunda in guſtãdis delitijs: tertia in inferendis malitijs; de prima dicitur. *Filij Agar exquiſierunt prudentiã, quæ de terra eſt: qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum, nec inuentio operum illorum*;

Baruc. 3.

Et ſequitur. *Quid profuit illis illa prudentia? exterminati ſunt*, inquit, *& ad inferos deſcenderunt & alij in locum ipſorum ſurrexerunt.* De his etiam prudentibus dicitur apud Lucam. *Filij*, inquit, *huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua:*

Luc. 16.

ſuffeciſſet, ſi dixiſſet, ita prudentes ſunt, ſicut filij lucis, nunc autem dicit prudentiores, ad confuſionem vtique noſtram, quia illi ardentius quærunt temporalia, quam nos æterna. Vnde legitur in vitis patrum, quod quidam Epiſcopus videns quandam mulierem ad ſeculum ſe ornantem, dixit ingemiſcendo. O Deus omnipotens, quid facio, ex quo vnius diei ornatus iſtius mulieris, totius vitæ meæ ornatum ſuperauit? quantã enim diligentiam, quanta pigmenta, quanta ornamenta iſta adhibuit vna die, vt placeret ſæculo ad vnam horam, & ego nihil horum apud me feci, vt placerem Deo in mente in perpetuum; timeo nè hanc mihi Deus in iudicium producturus ſit in teſtimonium. Secunda prudentia & ſapientia conſiſtit in delitijs & voluptatibus, & eſt illorum, qui ſunt ſimiles brutis, quorum ſenſus eſt in bonis paſcuis eligendis; de qua Salomon inquit. *Non eſt cogitatus bonus, prudentia peccatorum, ſed cogitatus impij eſt execratio*, quaſi dicat execrabilis eſt, & maledicta hæc prudentia carnis, quia eſt mortis inductiua.

Eccl. 19.

Vnde ad Rom. 8. dicitur. *Prudentia carnis mors eſt.*

Rom. 8. 3. Tertia prudentia conſiſtit in malitijs, dolis, & iniurijs inferendis, quæ eſt filiorum diaboli: de qua dicitur. *Serpens erat callidior,* alia littera habet; *prudentior cunctis animantibus terræ.* quod exponens Apoſtolus dicit. *Timeo, nè ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* O peſſima prudentia ſerpentis, de quo dicit Auguſt. quod habeat totum venenum in gutture, vt in promptu euomere, eoq; infectum poſſit hominem occidere. Hanc prudentiã coluerunt Phariſæi, quibus veritas Chriſti meritò fuit abſconſa, eo quod fuerunt multum aſtuti in acquirendis & cõgregandis temporalibus, in delitijs & voluptatibus, in inferendis proximis moleſtijs, & malitijs inexcogitabilibus. Jdeò quia hæc ſapientia non fuit deſurſum, ſed fuit *terrena,* quãtum ad eorum gulã & laſciuiã, *animalis,* quantum ad eorum auaritiam, *& diabolica,* quantum ad odium fraternum & excogitatam malitiam; ideò merito dicitur de eis. *Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus &c.*

Geneſ. 3. 2. Cor. 11. Aug. ſer. 4 ad Eremitas. Phariſæorum prudentia qualis?

Non nos ſic, fratres, debemus eſſe ſapiẽtes & prudentes, quin potius triplicem aliã ſapientiam & prudentiam acquirere debemus; prima eſt in expugnanda inimicitia diaboli, de qua dicitur. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut colũbæ.* Prudentia ſerpentis in hoc maximè cõſiſtit, quia dum lædi ſe ſuſpicatur, totũ corpus ꝓ capite exponit; ſic nos oportet libentius exponere corpus noſtrum omnibus pænalitatibus, q̃ vt Chriſtũ, qui eſt caput noſtrorũ, in honore ſuo aut in præceptis ſuis offendi permittamus; iuxta illud, quod dixit Suſanna. *Melius eſt mihi incidere in manus hominũ quam derelinquere legẽ Dei mei.* Hoc eſt dicere, melius eſt vt percutiar in corpore, quam in capite. Hoc modo fecit, Andreas, Petrus, Bartholomę⁹; ſic S. Agnes, Dorothea Catharina, Margaretha, & alij Sancti qui, vt glorificarentur, ibant ad tormenta, nè fidem perderent Chriſti.

Triplex ſapientia nobis acquirenda. 1 Matt. 10. Prudẽtia ſerpentis. Dan. 13.

2. Secunda prudentia Chriſtianorum eſt in diſpenſanda temporali ſubſtãtia; de qua dicitur. *Quis putas eſt ſeruus prudens & fidelis, quẽ conſtituit dominus ſuper familiã ſuam, vt det illis cibũ in tempore?* Hęc verba Chryſ. exponit de quolibet Chriſtiano, qui ideo accepit à Deo terrenã ſubſtantiam, vt de ea faciat opera pietatis. Hæc eſt prudentia formicæ, quæ colligit in æſtate, vt habeat, vnde viuat hyeme, ad quam Salomon remittens auarum quemlibet ait: *Vade inquit piger ad formicam, & diſce laborem.* Sed certe multi dedignantur prudẽtiam formicæ, quia paruum animal, exile, & immundum; his offerimus camelum, qui adeo prudens eſt; vt cũ ſentiat ſe habere magnam gibboſitatẽ quæ prohibet eum intrare oſtiũ domus, curuet genua, & ſic humiliatus & incuruatus intret domum. Hunc raro prô dolor diues imitatur, qui ſciens quod domum cęleſtem intrare propter diuitias non poſſit, non deponit eas per diſtributionem eleemoſynarum, ſed ꝙ deterius eſt mala malis cumulans, more herinacij diuitijs velut pomis ſe inuoluit, quibus grauatus tãdem domum redire non poteſt, & ſic occiditur à venatoribus. De eiuſmodi illud verum eſt, *Facilius eſt camelũ per foramen acus tranſire, quam diuitem in regnum cælorum.* Ponitur autem hic *facilius* non propriè, nec comparatiuè, ſed abuſiuè; quia & camelum tranſire per foramen acus & diuitem intrare in regnum cœlorum vtrumque eſt quaſi impoſſibile: tamen poſſibilius eſt camelum tranſire per foramen acus, id eſt, minus difficile & minus impoſſibile; quia hoc poteſt facere Deus ſine læſione iuſtitiæ ſuæ; quod non poteſt facere ſaluando diuitem impium, & immiſericordẽ. Jdeò dicit Berna. *facilius eſt camelum trãſire per foramen acus,* quia camelus habet vnum pondus, diues duo: vnum propriarum poſſeſſionum & terrenarum diuitiarum, aliud propriorum peccatorum. Sic ergo exponitur, *facilius,* id eſt, minus impoſſibile *eſt camelum tranſire per foramen acus.*

Luca 12. Formica prudẽtia. Luca 18.

3. Tertia prudentia bona Chriſtianorum eſt in præcauenda fallacia, de qua dicit Apoſtolus, *Eſtote prudentes & vigilate.* Iſta prudentia pertinet ad prælatos, qui debent vigilare, & cuſtire vigilias noctis ſuper gregem ſuum; quã prudentiam Chriſtus docẽs, Apoſtolis ait: *Eſtote prudẽntes ſicut ſerpẽtes, & ſimplices, ſicut columb.* Duo hic præcipiuntur, quorum vnum ſine alio non valet: ſimplicitas enim ſine aſtutia ſtultitia reputatur; & aſtutia ſine ſimplicitate, ſuperbia comprobatur, q. d. *volo vos eſſe ſapientes in bono ſimplices autem in malo,* vt dicit Apoſtolus.

1. Pet. 4. Prudẽtia Prælatorum.

III.

Reuelaſti ea paruulis. Quid mirum, ſi non magnis, nec ambulantibus in mirabilibus ſuper ſe, ſed paruulis ſecreta cæleſtia reuelantur, cum ipſe Dominus omnium non in forma magni, ſed paruuli huic mundo apparere dignatus ſit? iuxta illud: *Paruulus natus eſt nobis.* Iſaia 9. Rectus igitur ordo, imo vera & ſumma æquitas, & iuſtitia, vt paruulus Dominus paruulos habeat diſcipulos, quibus ſecreta ſuorum myſteriorum reuelet. Vbi ſciendum, quod veri diſcipuli Chriſti, qui volunt percipe dona & ſecreta cæleſtia, & quæcumque gratiarum dona, debent eſſe inſtar paruulorum humiles, maximè in quatuor virtutibus: primò enim paruulus eſt purus ab omni immunditia, quia de talibus ſcribitur. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*: ſic quilibet homo & maximè pænitens debet eſſe purus. *Lauamini & mundi eſtote.* Debet autem eſſe purus & mundus. primo in cogitatione. *Emundate manus veſtras peccatores, purificate corda veſtra duplices animo.* Secundo in locutione. *Sententiam puram labia mea loquentur.* Et: *Sermo purus pulcherrimus firmabitur ab illo.* Tertiò in operatione: *Viros volo in omni loco orare, leuantes puras manus*, id eſt, operationes mundas habentes. Secundo ſubiectus eſt paruulus parentibus per debitam obedientiam; ita vt nihil differret à ſeruo, vt dicitur Gal. 4: ſic quilibet ſeruus Chriſti debet eſſe ſubiectus ſuo ſuperiori, vel prælato, vel parentibus carnalibus, ſi eos habet, vel ſpiritualibus, ſi illos non habet: iuxta illud, *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.* Tertiò paruulus eſt humilis, & ſuperbire neſcit; ſic quilibet ſeruus Chriſti humilis ſit oportet illius exemplo. *Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorū.* Hinc cuilibet pænitenti cōſulit Iacob. dicēs. *Humiliamini in conſpectu Dei, & exaltabit vos.* Et: *Quantò maior es humilia te in omnibus.* Benè dicit Iacobus. *in conſpectu Dei*, vt ſit humilitas vera, non ficta, vt ex corde procedat, vbi Deus intuetur, non vt hypocritæ humiliantur coram hominibus tantum. Vnde & Salomon ait *in omnibus*, non in vna operatione, ſed in omnibus; multi enim ſunt, qui etſi volunt videri humiles in vna operatione, non tamen in alia, ideò dicit: *humilia te in omnibus*, ſcilicet in potentijs, ſcientijs, diuitijs, & ſic de alijs. Quartò eſt paruulus modicæ reputationis: ſic quilibet Chriſtianus non debet ſe magni æſtimare, nec bona ſua licet ea alij maximi æſtiment. Vnde licet ipſe ab alijs exaltetur & laudetur, tamen nō debet ſe exaltare. Hinc non eſt eſt dictum, *qui exaltatur, humiliabitur*, ſed *qui ſe exaltat*; Væ nunc ſunt illi qui de nobilitate ſe iactant, de diuitijs, eleemoſynis, ieiunijs, de longis orationibus; & omnia ſua reputant pro maximo, quicquid fecerint, dixerint, cogitauerint; cum tamen Chriſtus in tota vita ſua noluerit reputari pro aliquo: vnde de eo dicitur. *Nec reputauimus eum.* Et; *Ecce paruulum dedi te in gentibus; contemptibilis tu es valdè.* Quia ergò erant Phariſæi apud ſe magnæ reputationis, ſuperbi, elati, ſicut patet apud Lucam de eo qui iactabat ſe de ieiunijs, de decimis & alijs; ideò propter eorum peruerſam præſumptionem & temeritatem abſconſa ſunt eis diuina myſteria, iuſto Dei iudicio, & reuelata ſunt diſcipulis Chriſti tanquam paruulis, id eſt, humilibus & contemptibilibus, nullius apud ſe æſtimationis. Nos ergò fratres dilecti, ſi volumus, vt nobis Dominus voluntatem beneplacitorum ſuorum aperiat, & manifeſtet, ſtudeamus eſſe paruuli & humiles, vt ſic ad cæleſtem celſitudinem vna cum Chriſto peruenire mereamur, quod nobis &c.

[Margin: Iſaia 9. — *Diſcipulos Chriſti humiles eſſe oportet.* — Apocal. — Iſaia 1. — Mūdities triplex. — Iacob. 4. — Iob. 33. — Prou. 15. — 1. Corin. 2. — 1. Pet. 2. — Matt. 18. — Iacob. 4. — Eccl. 3. — Iſaia 53. — Luca 18.]

DE EADEM DOMINICA SERMO III.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth. 11.

Peccati origo.

QVoniam vt ait S. Aug. in lib. de li. arb. oſtendens, vnde proueniat homini peccatum, voluntas auerſa ab incõmutabili bono & conuerſa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. ad proprium autem conuertit, cum ſuæ voluntatis vult eſſe; ad exterius cum aliorum opera, vel quæcunque ad ſe non pertinent, cognoſcere ſtudet; ad inferius, cum voluptatem carnis diligit; facilè colligitur nõ eſſe peccatũ in homine, niſi cum auertitur à Deo ad creaturam. Tunc enim efficitur mala voluntas, nõ quia malum eſt, quo ſe vertit puta illa creatura, ſed quia peruerſa eſt ipſa cõuerſio. Inquit idem Auguſt. Quia igitur ferè omnes homines in mundo auerſi ſunt à Deo ſalutari ſuo, & vniuerſi poſt concupiſcentias ſuas currunt ad malum abſque vllo pauore, vbi grauiter laborantes onerantur & multipliciter laſſantur, vt dicitur Sap. 5. *Laſſati* inquiunt, *damnati ſumus in via perditionis*; ideò filius Dei vnigenitus deſcendens de ſinu patris ad terras, compatiendo labori & oneri peccatorum, eos reuocare ad ſe à tam miſerabili ſeruitute & oppreſſione dignatus eſt, quod factum eſt, cum is prædicans verbo ſuo dulciſſimo, vocando ad ſe pariter & inuitando cunctos oppreſſos à diabolo, dicebat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis &c.* In verbis his tria deſcribuntur: primo dulcis admonitio Chriſti, qua omnes ad ſe properare iubet, cum dicitur. *Venite ad me omnes*: ſecundo deſcribitur tædioſa & miſerabilis afflictio hominum, qua diabolus per peccatum eos fatigat, cum dicitur: *qui laborati & onerati eſtis*: tertiò promittitur deſiderabilis & ſolatioſa conſolatio, quia ſaluator ad ſe venientes, tanquam ſuos fideles ſeruos, conſolari ſe obligat, cum dicitur: *& ego reficiam vos*, ſcilicet cibo æternæ fælicitatis.

Aug. l. 12. de ciuit. Dei.

Propoſit.

I.

Venite ad me omnes. Pulchrum inuitatorium ſaluatoris noſtri, quo nos ad ſe venire admonet. Dicit autem Robertus Holcoth quod in omnibus actibus ſiue belli, ſiue pacis, dulcis eſt admonitio, quæ multum iuuat, quia ſecundum verba eius totus exercitus regulatur. Hinc eſt, quod Valerius refert de quodam rege, qui ſemper dixit ſuis militibus *Venite*, nunquam autem *Ite*. Eodem modo rex noſter Chriſtus volens nos animare & admonere vtitur inuitatorio dulciſſimo dicens. *Venite ad me omnes.* Tria dicit: primo ad vitã hortatur dicens *venite*: ſecundo terminum viæ oſtendit ſubdens, *ad me*: tertio generali ſententia nullum excipit addens, *omnes*. Primò ergo ad viam capeſcendam hortatur dicens. *Venite*, ſcilicet à ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ, & à ſtatu gratiæ ad ſtatum gloriæ. *Venite* inquit primò per viam mandatorum: *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Et: *Omnia parata ſunt, venite ad nuptias.* Et: *Miſit ſeruum ſuum dicere inuitatis, vt venirent*, ſcilicet per viam mandatorum, quę eſt via lata, & patens. Secundo *venite* per viam conſiliorum, quæ eſt via ſecurior & quaſi ſemita à latronibus tuta: iuxta illud: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia*, hoc eſt dicere. Si non vis ſpoliari à diabolo, nihil habeas: diuitię ſiquidẽ ſunt laqueus omnibus incedentibus ad Deum, eo quod dicit Apoſtolus. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes & laqueum diaboli.* Hinc pſalmiſta ait conquerendo: *In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.* Et ſequitur: *& funes exten-*

Holcoth ſup. lib. Sap. c. 2.

Tria motus proponit Chriſtus.

Via veniendi ad Chriſtum triplex.

1. *Matt 19. & 22. Luc. 14.*

2. *Matt. 19.*

extenderunt in laqueum;iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi; ſcandalum dicit diuitias, quia multi per eas offenduntur. Hinc dicit Salomon: *Beatus diues,qui inuentus eſt ſine macula,& qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia theſauris,* hoc eſt, beatus qui non fuerit ſcandalizatus in eis; multi enim propter diuitias perierunt, ſicut patet de diuite Lucæ 16.& 12. Qui ergo omnibus renunciat propter Chriſtum,non habet, quo ſcandalizetur,aut capiatur à diabolo,iuxta illud Poëtæ:*Cantabit vacuus coram latrone viator;*Et illud:Gregorij. Deprędari deſiderat, qui theſaurũ in via publicè portat. Verè ſic eſt,quia pauperes ſemper ſecuri ſunt, diuites autem nunquam, iuxta illud Leuitici.*Terrebit eos ſonitus folij volantis.* Et Iob. 15. *Cum fuerit pax,inimicitias ſuſpicantur.*

3. Tertiò *venite* per viam ſupererogationum, quæ eſt via ſplendidior. *Domine ſi tu es,iube me venire ad te ſuper aquas*. Et Hebræorum 12. *Curramus ad propoſitum nobis certamen*. Per viam mandatorum vadit ad Chriſtum, qui dat eleemoſynam de ſuperfluo. Lucæ 11. *Date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis.* ſed per viam conſiliorum vadit ad Chriſtum,qui non ſolum de ſuperfluo,ſed etiam de neceſſario eam dat: ſicut illa vidua,de qua ſaluator ait:*Omnes* inquit *diuites,illud quod ſuperfluum eis erat, miſerũt in gazophilazium,hæc autem vidua miſit totum victum ſuum*. Per viam ſupererogationis vadit ad Chriſtum,qui non ſolum amico proximo indigenti in caſu neceſſitatis dat,ſed etiam inimico perſonæ ſuæ, etiam extra caſum neceſſitatis beneficia ſpiritualia,vel corporalia largitur,iuxta illud. *Si eſurierit inimicus tuus,ciba illum.* Et: *Orate pro perſequentibus vos,vt ſitis perfecti,ſicut pater veſter cæleſtis.* Sed quia parum eſſet viam ſcire, ſi neſciretur modus incedendi per eam, ideò neceſſarius eſt modus veniendi; qui eſt & triplex. Primus per fidem veritatis iuxta illud:*Nemo poteſt venire poſt me, niſi pater meus traxerit eum*, ſcilicet per fidem:ſecundus per amorem bonitatis, iuxta illud: Canticorum 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ & cauernis maceriæ.* Tertius per operationem virtutis, iuxta illud

Triplex ad Chriſtum veniendi modus.

Ioan.3 *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* Et Lucæ 9. *Si quis venerit poſt me,abneget ſemetipſum,& ſequatur me.*

Sed quia parum eſſet ſcire viam & modum incedendi per eam,niſi ſciretur & terminus viæ,ideò ſequitur,*ad me.* Vbi notandum quod quidam veniunt ad Chriſtum, quidam poſt Chriſtum, quidam per Chriſtum. Ad Chriſtum veniunt,vt hic;*Venite ad me*,tanquam ad magiſtrum docentem diſcipuli,audiendo fideliter. Et quid doces Domine Ieſu? obſecro dic nobis: reſpondet ipſe Iſaiæ 48. *Ego Dominus Deus tuus docẽs te vtilia*;non dicit ſubtilia, vel curioſa, vt philoſophi & alij vani,ſed vtilia. Quæ? Certè illa,quæ de ſcribuntur apud Matthęum, vbi quærenti,quod ſit mandatum magnum in lege,reſpondens dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut teipſum.* Ecce doctor vtilis. Docet & alia vtilia,*vt timere Deum.* iuxta illud *Venite filij audite me,timorem Domini docebo vos.* Ecce vtilior doctor;quia docet audire,& cum hoc timere. Docet inſuper omnẽ modum ſeruiendi Deo. Prouerbiorum. 4. *Audite filij diſciplinam patris veſtri*. Ecce doctor vtiliſſimus. Quam ergò adhuc ſcholam meliorem expectamus, aut cur in vanum aurum & argentum in ſtudijs expendimus, cum habeamus tam ſufficientem & breuem doctrinam ad ſalutem, & magiſtrum liberalem, & pium, ſine precio docentem? Hinc Iſaias arguens nos dicit: *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* Secundi ſunt,qui veniunt *poſt Chriſtum* conuerſantem tanquam diſcipuli poſt pædagogum ipſum imitando. *Venite poſt me; faciam vos fieri piſcatores hominum.* Tertij ſunt qui veniunt *per Chriſtum* patientem tanquam per oſtium in ipſum credendo.Ioan.14. *Nemo poteſt venire poſt me ad patrem,niſi per me* Et Ioã.10. *Ego ſum oſtium.* His omnibus poteſt dicere Chriſtus. *Ego ſum via* dirigens in conuerſatione, *veritas* inſtruens in prædicatione, *vita* ad vitam æternam inducens in paſſione. Sed quia

Chriſtus quæ nos doceat.

Matt. 22.

Lex amoris.

Iſai.55.

Matth.4.

quia adhuc parum eſſet viam ſcire & modũ inueniendi, & terminum, ſi non eſſet generalis admiſſio omnium indifferenter ad
Deus non eſt acceptor perſonarum. Chriſtum, ideo additur *omnes. Venite* inquit *ad me omnes. Non eſt enim acceptio perſonarũ apud Deum, ſed in omni gente, qui bona agunt, placitum eſt Deo.* Vnde & Apoſtolus dicit
Act. 10. quod non eſt Iudæus, neque Græcus, nõ eſt diſtinctio aliqua in Eccleſia, ſed omnes ſũt æquales per charitatem Chriſti, quæ facit diuerſorum cor vnum, & animam vnam. Vnde nulla eſt acceptio, nec quantum ad ętatem, quia ita iuuenis, ſicut & ſenex placet Deo; nec eſt diſtinctio, quantum ad conditionem ſapientiæ, quia ita ſapiens, ſicut inſipiens, ſeu ſimplex; nec quantum ad conditionem diuitiarum, quia ita diues, ſicut pauper: nec quantum ad generis nobilitatem, quia ita ſeruus, ſicut & Dominus: nec quantum ad conditionem ſexus, quia ita mulier, ſicut vir: nec quantum ad conditionem quorumcunque donorum naturaliũ, fortuitorum, vel gratuitorum, quia in fide Chriſti ſimul in vnum diues, & pauper, *Omnes ergo venite ad aquas, omnes venite*, nullus remaneat in domo mundi huius, ſed omnes exite de domo patris veſtri, ſcilicet mundi; & de cognatione corporalis voluptatis, & venite ad me: Tantum de primo.

II.

Qui laboratis, & onerati eſtis. Certè verum
Prou. 14. dicit Salomon, quia miſeros facit populos peccatũ. Quæ maior miſeria quam eſſe in labore, & cũ hoc ſubonere? Duo hic dic de peccatore: primo quia laborat: ſecundo quia oneratur: de labore dicitur per prophe
Ierem. 19. tam. *Vt iniquè agerent, laborauerunt*, Reuera ſic eſt, non eſt aliquod opus ſæculi, in quo non oporteat grauiter laborare hominem; nam in congregatione, conſeruatione & perditione diuitiarum, non eſt niſi labor &
Eccl. 1. afflictio ſpiritus iuxta illud: *Vidi omnia, quæ ſub ſole erant, & ecce omnia labor, & afflictio ſpiritus.* Similiter in amore deliciarum, & ambitione honoris vere magnus eſt labor,
Sap. 5. ita, vt dicant reprobi; *Laſſati ſumus in via iniquitatis.* Attende plura circa hunc maledictum laborem, qui eſt cum omnibus peſſimis conditionibus: nam labor iſte eſt durus, vilis, inutilis, interminabilis; durus eſt, *Maledicti laboris conditiones.*
quia hominem cum omnibus viribus fatigat, eò quod omnes potétię tã exteriores quàm interiores in eo ſuccubant & deijciãtur ab ope- 1.
rationibus ſuis, & ita fatigentur vt ad nullũ bonum opus valeant procedere. Vnde dæmones ſignificantur per Aegyptios, qui duris laboribus affligebant filios Iſrael illudentes eis: illudunt autem dæmones peccatori promittentes delectationem momentaneam, & ſoluentes cruciatum æternum, vnde Greg. *Momentaneum eſt, quod delectat, æternum quod cruciat.* Sufficeret ſanè ſi labor eſſet durus, ſed tamen cum hoc pulcher & decorus aut honeſtus; ſed ecce labor peccati & eiꝰ opus eſt & vile. Vnde de pecca-
tore dicitur *Luto vilior eſt vita eius.* Et verè *Sap. 15.*
valde eſt vile, quia in die nouiſſimo quilibet 2.
ſecurè nominabit opus ſuum, vt faber, ſutor, imò & tortor; peccator autem non audebit dicere opus ſuum Si enim Apoſtolus prohibet, nè malum opus nominetur inter
nos, multo magis coram Deo. Tertio iſtud 3.
eſt opus non ſolum durum, & vile, ſed etiã vanum & inutile: ſi enim eſſet vile, & inhoneſtum, ſed tamen vtile, aliquid eſſet, ſed
ecce omnino inutile eſt iuxta illud. *Quem* *Rom. 6.*
fructum habuiſtis tunc, in quibus nunc erubeſcitis. Et: *Per totam noctem laborantes nihil ce-* *Luc. 5.*
pimus. Et: *Vana eſt ſpes eorũ, & labores eorum* *Sap. 3.*
inutiles, & acerbi. Quartò ille mor- 4.
bus quam intollerabiles dolores, quaſi quendam fructum nequiſſimè fruentium ſolet afferre comedentibus. Vnde Iſaias cõparat peccatum telis araneæ, quæ ſunt inutiles dic. *Telas araneæ texuerunt.* Et: *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui operatur illud, ibit cum illo*, ſicut Samſon moriendo, & euertendo domum cum inimicis ſuis, *Iſaiæ 59.* *Eccl. 14.*
perijt cum illis. Nec ſolum eſt infructuoſũ, & damnoſum, ſed etiam inquietum idque æternaliter: ſi enim eſſet poſt opus peccati quies aliquando, ecquid eſſet? ſed ecce labor peccatorum interminabilis erit, iuxta illud: *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte*; die ſcilicet præſentis *Ierem. 16.*
vitæ; & nocte, ſcilicet mortis. Vnde pſalm. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Ideo dicitur. *Cum conſummauerit homo, tunc incipiet, & cum quieuerit*, id eſt, *Eccl. 18.*
quieſcere ſe putauerit, *operabitur.* Sic accidit

illi

Luc. 12. illi diuiti apud Luc. qui poſtquam laborauit in congregaudis diuitijs, & credidit ſe q̃eſcere dictum eſt ei. *Stulte hac nocte demones repetent animam tuam à te.* quaſi dicat de labore iſto, quo laboraſti congregãdo diuitias, venies ad laborem ſupplicio- *Fugienda onera peccati.* rum æternorum Cum ergo eiuſmodi ſit opus peccati, ita laborioſum, ita durum ita vile, ita inutile, ita damnoſum, ita interminabile; meritò eſt fugiendum ab eo ad Chriſtum; ſicut agricola vel colonus à tyranno fugit ad manſuetum Dominum.

Et onerati eſtis. ſciendum, quod peccatum eſt nimis graue, & quidem adeò, vt nec cælum, nec terra ipſum portare potuerit, quin ſubito, vt Angelus peccauit, penetrando cęlum, & terram cecidit in infernum. *Peccati onus graue.* Ideò de ipſo ſcribitur in pſal. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* *Pondus & grauitas peccati.* Exponit Innoc. ſicut onus graue grauatæ ſunt quia iugum diaboli nec leue nec ſuaue eſt, ſed grauat; & dicit *grauatæ ſunt ſuper me*, id eſt, grauiter impreſſæ & grauãtes; grauiter deprimentes & manentes ſunt ſuper me; vnde apud Iob. *Iob. 7. Iſa. 58.* dicitur: *Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis.* Et: *Solue faſciculos deprimentes.* Sed quærit Innoc. vnde ſit, *Peccator ſimilis ſimia.* quod homo portet tantum onus, & tamen non ſentiat, & reſpondet ideò, quia aut eſt mortuus, aut ebrius, vel furioſus. vnde peccator eſt, ſicut ſimia, quæ non ſentit plotã ſibi alligatam, quamdiu ſedet, vel iacet, ſed cum vult ſurſum aſcendere, tum plota trahit eam, ita vt interdum cogatur cadere: ſic peccator hodie non ſentit onus peccati, ſed cum voluerit aſcendere in cælum, peccatũ *Iob. 21.* trahet eum in infernum? iuxta illud: *In puncto ad infernum deſcendũt.* Ideò propheta admonet dic. *Diſrumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugũ ipſorum,* ſcilicet dæmonum; duo dic. vinculum, & iugum, quia ſecundum Innoc. iſta duo ſunt in quolibet peccato, aut vinculum, id eſt, amor cupiditatis, aut iugũ timoris; vinculum eſt amor malè accendens, quo trahimur ad peccatũ & ad illicita; timor eſt iugũ malè humiliãs, quo premimur & retrahimur, nè faciamus vtilia. Vtrunque ergo abijciendum nobis, *Hebr. 12.* iuxta illud Apoſtoli. *Deponentes omne põdus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum Chriſtum.* Duo præcipit, fugam mali, & propoſitum boni, hoc eſt dicere, declinatè a malo, & facite bonum, quaſi dicat. Reiecto opere diaboli, quod eſt opus graue, & laborioſum, aſſumite opus Dei, quod eſt ſuaue, & leue, quia *mandata Chriſti grauia nõ ſunt.* *1. Ioan. 5.* Verè non ſunt grauia, quia ſurſum homine te[illegible] deprimunt; vnde ſunt ſicut alæ auium, quæ licet graues ſint in ſe, tamen aues non ſentiunt eas ſibi graues, ſed leues; & ſicut baculus, qui iuuat hominem ad eundum, qui licet videatur in ſe ponderoſus, eſt tamen leuis: ſimiliter ſe habent præcepta Dei; ideò curramus ad Chriſtum omni excuſatione ſemota; cum non habeamus aliquam occaſionem nos excuſandi, vt dictum.

III.

Et ego reficiam vos. Dicit hic Gorran. *Chriſti cibus triplex.* quod Chriſtus promittat conſolari ſuos triplici cibo ſcilicet doctrinæ, Euchariſtiæ, & gloriæ. Et verè maxima conſolatio, qua maior nequit intelligi, cum includat oẽs alias, ſiue ſint ſecundum naturam, ſiue ſecũdum fortunam, ſiue ſecundum gratiam. Si tamen volumus loqui proprie ad litteram, ſecũdum illud tempus, quo Chriſtus loquebatur verba iſta ad diſcipulos, & alios peccatores, tunc refectio iſta accipienda eſt ſecundum ſignificationem proximam, & immediatam intentionis Chriſti. Intendebat n. Chriſtus tunc ad ſe conuerſos recipere per Baptiſmi ſacramentum, & miſſionem Spiritus S. de qua refectione conuenienter prędixit propheta. *Super aquam refectionis educauit me animam meam conuertit;* *Pſal. 22.* dicit Innoc. quartus, quod aqua refectionis hic ſignificet baptiſmum ad litteram, quia in aqua fit. *Chriſtus ad ſe venientes quomodo reficiat.* Sed aqua refectionis dicitur duobus modis, quia reficere & reformare, & ſatiare eſt Baptiſmus ergo reficit, id eſt reformat ſimilitudinem Dei, quam diabolus deformauerat per peccatum. *Lauamini & mundi eſtote.* *Iſa. 1.* Gloſſ. lauamini aqua baptiſmi. Et Zach. 13. *Zach. 13.* dicitur. *Erit fons patens domui Dauid in abſolutionem peccatoris & menſtruatæ.* Itẽ baptiſmus reficit, id eſt, ſatiat quia in baptiſmo datur Spiritus S. qui replet, & ſatiat. Quod aũt datur Spiritus S. in baptiſmo habetur a-

 pud

pud Matth. *Ipſe vos baptiſabit ſpiritu ſancto & igni.* Quod Spiritus ſanctus repleat, habetur Actu. 2, *Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto.* De hac duplici refectione habetur Actu. 2. vbi Petrus dixit: *Pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. In remiſſionem peccatorum.* ecce primum. *accipietis.* ecce ſecundum. Super hanc ergo *aquam refectionis.* dicit iuſtus, *educauit me,* ſicut puerũ, ſidei nutrimento, quaſi dicat, recepto ſacramẽto baptiſmi quaſi fundamẽto, paulatim alia ſacramẽta recepiã, quæ nutriũt animã. *Qui incredulus eſt, non erit anima eius recta in ſemetipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet.* Et: *Aquæ deſcendebant ad latus templi dextrum.* & poſt ſubiungit. *omnis anima viuens, ad quam peruenerit torrens iſte, viuet.* Ideò benè dicit. ſuper hanc aquam educàuit me Dominus. Ad quid autem valeat iſta refectio, ſtatim ſubditur. *animam meam ad ſe conuertit.* vt ſcilicet mundanis operibus non inſudet, vel non intendat, quo minus ad eum libere poſſit currere. Sic conuerterat Apoſtolum, qui de ſe dicebat. *Non habemus hic manentẽ ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Hæc ergo bona eſt refectio, quæ ita mentem ſatiat dulcedine Dei in præſenti, vt obliuiſcatur delectationem ſæculi. *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora vt Chriſtum lucrifaciam.* Si verò volumus loqui de refectione futuræ gloriæ, non minus eſt verum, quod Chriſtus promittens dicit. *& ego reficiam vos.* Nam eodẽ modo refecturum ſe promittit vt dictum eſt primo, quia reficiet electos in æterna gloria, id eſt, reformabit de miſeria in gloriam, de corruptione in incorruptionem, de imperfectione ad perfectionem, de ſpeculo & ænigmate ad claram viſionem, iuxta illud: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Hoc autem fiet, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatẽ.* Et iterum. *Cum venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.* Et: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem.* Ecce refectio, id eſt, reformatio perfecta. Secũdò in futuro reficiet, id eſt, ſatiabit totũ hominẽ iuxta illud pſal. *Satiabor, cũ apparuerit gloria tua.* Vbi dicit Innoc. q; hæc ſatietas erit in impletione deſideriorum perfecta. Pſalm. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Quando autem erit ſatietas hæc aut vbi, ſtatim dicit. *Cum apparuerit gloria tua.* ſcilicet cuilibet iuſto in ſe, & in alijs. *Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit, quod erimus: cum autem apparuerit ſimiles ei erimus;* ad quam gloriam nos perducat Ieſus Chriſtus. Amen.

[Margin: *Abac. 2.* — *Ezech. 47* — *Heb. 13.* — *Phil. 3.* — *Phil 3.* — *1. Ioan. 3.*]

DOMINICA SEPTVAGESIMAE SERMO I.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias.
Matth. *22.*

[Margin: *Hæc Dominica variè à varijs appellata.*]

Dominica hodierna diuerſimodè à diuerſis appellatur. Nam vulgares noſtri vocãt eam antiquum carniſpriuium, eò quod ab hac dominica antiqui patres ſe ad ieiunium quadrageſimæ diſponere ſint conſueti. Vnde & nuptiarum ſolemnitates, & cantica lætitiæ omittebant, vt animum ſuũ ad dignos pœnitentiæ fructus, peragendos in quadrageſima, aſſueſacerent. A multis etiam iamtum cibis ſeſe continebant, quia carnes de cætero non comedebant, ſed tãtũ oua & lacticinia, quibus vtebantur ad octo dies: poſt hoc autẽ à dominica. *Exurge,* immediatè ſequenti omiſſo eſu ouorum ſolũ lacte vtebantur vſque ad dominicam *Eſto mihi,* à qua dominica deinceps omnia omiſerunt. Quia ergo in hac dominica carnibus priuabantur, ideò carniſpriuium antiquorum patrum appellatur; quem modũ adhuc Græcorum Eccleſia obſeruat. Alij autẽ appellant

Septuageſima cur dicatur. *4.Reg.vlt.* *2.Eſdra 5.*

pellant hanc dominicam ſeptuageſimam, vt litterati & ſpirituales, eo quod in ea recolatur captiuitas 70.annorum quibus Iudæi capti,ducti ſunt in Babylonem per Nabuchodonoſor regem Aſſyriorum, ſub Ioachim rege Iuda,& poſtea ſub Sedechia eius ſucceſſore.Vbi filij Iſraël in maxima triſtitia exiſtentes,habitabant ſuper flumina Babylonis,facientes tuguria, & ſuſpendentes cytharas,& lyras ſuas,quibus laudare Deum in terra ſua conſueuerant in ſalicibus, & alijs arboribus,iuxta illud pſalmiſtæ. *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* id eſt Ieruſalem. *In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogauerunt nos,qui captiuos duxerunt nos verba cantionum. hymnū cantate nobis de canticis Sion,* id eſt ſicut cōſueuiſtis in ciuitate Sion. Quibus illi reſponderunt. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Spiritualiter autem ſancta mater Eccleſia ſub iſta hiſtoria recolit myſticè ſtatum deuiationis ſuæ quo deuiauit per culpam à gratia.

Hieruſalē pacis viſio *Durand. in ratio. parte 6.*

Hieruſalem enim interpretatur viſio pacis, & ſignificat paradiſum,in quo homo debuit videre Deū in pace perpetua. Nabuchodonoſor ſignificat diabolum,qui eſt rex confuſionis æternæ.Qui propter peccata noſtra captiuauit nos in vita præſenti,in qua *circumdederunt nos gemitus mortis & quaſi dolores inferni,* ſcilicet frigus,æſtus,ſitis,fames, laſſitudo, ægritudo,& mors ipſa;conſcientiæ amaritudo,fœtor,& tenebræ interiores. Comparatur autem vita iſta tota.70.quia ſeptem ætatibus voluitur. Octaua enim ætas eſt reſurgentium.

Cantica lætitiæ cur omittantur.

Vnde ſicut ante finem. 70. annorum omnes Iudæi in terram ſuam redierunt:ſic omnes electi ante finē ſeptimæ ætati ſredibunt ad patriam cæleſtem.Omittimus ergo cantica lætitiæ ad ſignificandū, quia non ſumus in patria,ſed in terra aliena;iuxta illud.

Hebr.13.

Non habemus hic manentem ciuitatem,ſed futuram inquirimus. imò ſumus in hoc mundo tanquam in graui captiuitate,vt non, quæ volumus,bona,ſed quæ odimus,mala,faciamus iuxta illud Apoſtoli.*Non quod volo bonum ago,ſed quod odi malum.* Sumus enim in terra inimicorum,qui ſpoliauerunt nos gratuitis, vulnerauerunt in naturalibus bonis, & abierunt ſemiuiuo homine relicto, plagis impoſitis multis ideò poſſumus hodiè dicere illud Ioan. *Verſa eſt in luctum cythara noſtra, & organum noſtrum in vocem flentium*, Non ergo rident hodiè,niſi ſtulti,ad inſtar illorum, qui flentibus alijs ſapientibus ipſi gaudent in lu[illegible] contra illud Sapientis. *Muſica in luctu importuna narratio.* Hinc eſt quod Eccleſia omittit hodiè cantica omnia angelica, vt alleluia,& interna,& aſſumit humana ſcilicet laus tibi Chriſte, non quod æquipolleant inter ſe,ſed quia iſta vox eſt humilitatis & mæroris.Verum quia triſtitia ſeculi mortem operatur,ideo Eccleſia temperando iſtum gemitum electorum adducit tam in epiſtola,quam in Euangelio, triplex remedium & præmium. Eſt namque remedium præſentiſſimum vt ſi deſiderat plenè liberari ab his miſerijs,laboret in vinea Domini præſentis Eccleſiæ excolendo diligenter hortulum conſcientiæ extirpando ex ea vicia:poſtea in ſtadio vitæ præſentis currat p pænitentiæ opera,deinde viriliter in agone pugnet contra diaboli tentamenta.Quod ſi fecerit triplex prę mium habebit;quia laboranti dabitur denarius,currenti brauium,& pugnanti corona beatitudinis æternæ, quæ etiam hic denarius nuncupatur. De quo quidem denario ſic loquitur Euangelium. *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam &c.* Super quo Euangelio expediret aliqua dicere, ſed quia nihil ſine gratia Chriſti facere poſſumus, merito recurramus ad eum.Ipſe.n.eſt procurator vineæ militantis Eccleſiæ, vt dicitur in Euāgelio præſenti qui habet conducere operarios,id eſt prædicatores in opus ſalutare animarū fidelium ſuorum.Vt igitur per ipſū conducamur in vineam ſacræ ſcripturę,floreſque doctrinæ decerpamus, & fructū ſalutis deguſtemus, recurramus ad virginem glorioſam ſalutantes eam voce amæna dicētes.*Aue maria gratia plena.*

Luc. 10. *Ioan. 3.* *Eccl. 22.* *Propoſit.*

In præſenti Euangelio deſcribuntur tria. Primo diuinæ bonitatis magnitudo,cum dicitur.*Simile eſt regnum calorū,* ſecundo oſtenditur eiuſdē liberalis remunerationis rectitudo, cū dicitur,*Cum ſero factum eſſet.* Tertio arguitur humanæ inuidentiæ ingratitudo,cum concluditur.*Et reſpondens vni illorum dixit.*

I.

Deſcriptio magnitudinis diuinæ bonitatis. Luc. 16.

Simile eſt regnum cælorum. Sciendum quod Chriſtus in fine ſecundi anni ſuæ prædicationis prædicaſſet contemptum diuitiarum, auari hoc audientes deridebant eũ quorũ errori vt mederetur, propoſuit tres parabolas. Vnam de diuite epulone, aliam de villico iniquitatis. Tertiam vero iſtam ad diſcipulos ſuos, docens in hac vita vel per opera miſericordię vel per opera iuſtitiæ eſſe viuẽdum. Poſtquam ergo docuit opera miſericordiæ egenis exhibere in diuite & villico, hic iam docet opera iuſtitiæ facere, & operari in hoc mundo in quo ſumus quaſi in quadam vinea, in qua bonorum operum fructum faciliter cumulare poſſumus. Vnde dic. littera. *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias*, id eſt, præſens Eccleſia vel vita iuſtorum in hoc mũdo ſimilis eſt negotio cuiuſdam hominis patrisfamilias, quod fit, vel fieri potuit, à quodam homine paterfamilias. Et hoc in iſto, quia ſicut ille patrefamilias remunerat primò nouiſſimè venientes: ita Dominus gentiles, qui in fine ſęculorum crediderũt, prius remunerat, quam Iudæos, eo quod plenitudo gentium prius debet intrare in regnum cælorum, & poſtremò omnis Iſrael ſaluus fiet; cum tamen Iudæi prius tempore præceſſerint gẽtiles in ſeruitio Dei. Similiter quandoque Deus prius remunerat eos, qui poſterius ad pænitentiã conuertuntur, quam eos, qui diutius in ea ſteterunt, quamuis. n. primogeniti ius primogenituræ poſſideant, tamẽ ſępius per ſtultitiam perdũt. Sicut patet de Eſau, Iacob & de Ruben. Eſt ergo hic Deus paterfamilias, Chriſtus vero eius procurator, operarij prædicatores, denarius vita æterna, vinea Eccleſia, vel anima iuſti ſecũdũ Greg. Baſil. & Chryſ. Horæ ſunt ætates mũdi, vel hominis; & ſecundum hoc plana eſt littera ſine magna intricatione quam ſub hoc ſenſu Chriſto duce proſequamur. Dicit ergo quod iſte paterfamilias, *exiuerit primo mane* paterfamilias eſt Deus, & Dominus vniuerſæ creaturæ, *cuius eſt terra, & plenitudo eius*. Dicit aut Chryſ. hic, ꝙ Deus habeat domum magnam, quaſi triſtega quædam, ſeu ędificium tricameratum in cuius ſupremo ſint victores, vt in cælo, in infimo victi,

Ius primo genituræ. Gen. 27. & 49.

vt in inferno, in medio certantes vt in Eccl. militante. *Exijt primo mane*, id eſt, in prima mundi ætate, quæ hora fuit ab Adã vſq; ad Noe. Vnde ſecundũ Hug. totũ tẽpus huius mundi eſt quaſi vnus dies, cuius mane fuit initium creationis Adæ, finis verò ſeu ſero erit conſummatio ſęculi in iudicio finali, & ita ætates ſęculorũ mediæ in hac die ſunt quaſi horæ. Prima ergo hora fuit ab Adã ad Noe, quia illa fuit prima ætas, quæ ætas cõtinebat 10 generationes, quarum vna ſucceſſit alteri, continẽs in ſe 606. annos; quæ tota perijt diluuio, excepto ipſo Noe octauo. Dicitur aũt Deus extunc exiſſe quaſi prima hora, non, quod tunc eſſet incarnatus, vel de cælo deſcendens viſibilis factus, ſed quia iã tũ fuit aliquibus hominibus iuſtis manifeſtatus, qui eum eſſe creatorem ſuum cognouerunt; & hinc dicit Greg. Quando Deus non cognoſcitur, in ſecreto eſt, quando vero cognoſcitur, de occulto procedit: ad notitiam ergo tanto frequentius exiuit, quãto amplius ſui notitiã dedit. Exiuit aũt Deus *conducere operarios ſuos*, id eſt, iuſtos, & ſeruientes ſibi & nomẽ ſuũ alijs manifeſtãtes. Et notãter dicit operarios, non verbarios, non locutores, ſed verbi factores. *Eſtote factores verbi*. Operarios etiam dicit nõ deſtructores vt ſunt hæretici. *in vineam ſuam*. id eſt. Eccleſiã militãtẽ, cuius palmites fuerũt primi iuſti, ſc Abel &c. vſq; ad vltimũ electũ. Operarij ergo in vinea Dñi ſunt prędicatores & iuſti rectè viuentes, qui alios verbo vel exẽplo ad benè viuendum inducũt. Et ſic ſecundum Chryſ. rectè viuentes ſunt operarij, & ita vinea eſt iuſtitia, palmites virtutes, vt manſuetudo, benignitas. Opera ergo noſtra ſunt opera iuſtitię; ſecũdũ Chryſ. nõ vt agros colamus, non vt diuitias acquiramus; quamuis & hoc ſine peccato facere poſſimus; non tamen ſunt hęc opera noſtra. Attendant hoc ſæculares opera iuſtitiæ negligentes, & ſolis operibus corporalibus inſudantes, attendant quia Adam eò quod iuſtitiam originalem neglexerit, eiectus ſit de paradiſo; Iudæi, quia ſolis corporalibus laboribus inſiſtebãt, eiecti ſint de terra ꝓmiſſionis, imò de terra ęternæ habitationis. Attendãt hic ſibinè idẽ eueniat, hi, qui colunt terras & negligũt animas, cõgregant

Prima hora 1. mũdi ætas.

Gregor.

Iacob. 1.

Operarij ſunt concionatores & iuſti.

Documentũ pro ſæcularibus.

gant diuitias, & perdunt virtutes, mali operarij iniquitatis, quibus dicetur. *Diſcedite à* *Matt. 25.* *me operarij iniquitatis, quia nunquã vos noui.*

Conuentione autem facta cum illis ex denario diurno. Sciendum quod licet Deo merito debeat ſeruire omnis creatura etiã abſque vlla ſpe promiſſionis, eo ſolo quod in *Actor 17.* ipſo viuimus, mouemur, & ſumus, tamen humana creatura ſpecialiter ei ſeruire debeat, eò quod huic præparauerit ab æterno non qualecunque eſſe & viuere, ſed ſummum eſſe, & viuere, & beatum eſſe, & beatũ *Denarius diurnus quid.* viuere; quod & hic dicitur denarius diurnus. Vita etenim beata conſiſtit in viſione clara deitatis, quæ in hoc aſſimilatur denario, quia datur pro impletione decem præceptorum Dei, & quia habet imaginem in ſe ſupremi regis, in cuius viſione tota beatitudo conſiſtit. Eſt ergo hæc conuentio *Vita æterna promiſſio.* ſecundum Chryſoſtomum vitæ æternę promiſſio pro labore, *ex diurno denario,* id eſt, ex æternitate vitæ. Sicut enim in denario non eſt finis neque principium: ſic neque in gloria cœleſti; & appoſitè dicitur diurnus, quia datur laborantibus in die gratiæ, non in morte peccati. Tota enim vita præſens eſt dies, in qua lucet ſol iuſtitiæ Chri- *Ioan. 12.* ſtus dominus vnde dic. *Ambulate, dũ lucem habetis.* Dicitur ſecundò diurnus, quia dabi- *Gloria cæleſtis diurnus denarius.* tur in die gloriæ. *Melior eſt dies vna in atriis tuis.* Notãter denarius diurnus dicitur, non nocturnus. Primò quia non datur laborantibus in nocte culpæ: ſecundò quia ad conſequendam vitam æternam, ſufficit etiam vel vna dies laboris meritorij cum gratia diuina, ideoque non dicitur menſurnus à menſe, vel annalis ab anno vel hebdomadalis ab hebdomada, imò poſſet dici horinus ab vnica hora, quia ad ipſum promerendum ſufficit vel vna hora. *Ezec. 18.* *Quacunq; hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ſuarum non recordabor.* Patet de latrone. Sequitur: *miſit eos in vineam ſuam vt colerent & cuſtodirent eam.* Geneſ. 2. *Tulit Dominus hominem & poſuit in paradiſum vt operaretur & cuſtodiret illum,* non vtique, vt ibi operaretur agriculturam. Sed vt ſeruaret originalem iuſtitiam ſecundum Auguſtinum ſuper Geneſ. ad litteram, quod eſt benè notandum. *Et egreſſus circa horam tertiam.* Hic ponitur ſecunda miſſio diuina. Hæc hora tertia fuit à Noe vſque ad Abraam continens generationes, patrum decem, annos *Hora tertia* autem ducentos 13. In hac ergo ætate iterum Deus exiuit non per loci mutationem, *2. Mundi ætas.* ſed per ſuæ bonitatis diffuſionem in creatura ſubiecta; in quo tempore aliqui ſancti ad eruditionem aliorum miſſi ſunt, vt Noe Sem & Thare & Abraham. Tunc autem dicitur magis exiſſe, quia illo tempore magis ſe manifeſtauit. Noe .n. facta eſt expreſſa promiſſio; ſub Noe etiã factũ eſt diluuium, per quod figurabatur generatio baptiſmalis ſecundum Gorran. Vidit ergo tunc alios per miſerationem, miſertus eis propter tria; Primò quia ſtantes erant in quantum tecti per naturam; ſecundò in foro, in quantum detenti per mundi concupiſcentiam; tertiò, quia otioſos inuenit, in quantum fugientes bonam operationem. Forum ergo mundus eſt in quo ſecundum Chryſoſtomum calumniæ inuidiæ, contentiones, negotiorum diuerſorum tumultus & omnia ſunt venalia. Ocioſi ergo ſunt omnes in mũdo qui à bono & debito opere deficiunt. *In foro huius mundi quatuor continentur.* Quatuor autem ſunt præcipua in foro mũdi. Primò deceptio auaritiæ. *Vnuſquiſque à proximo ſuo ſe cuſtodiat, &c.* Et: *Tradet autem frater fratrem in mortem.* Et verè ſic eſt, quia pro diuitijs peſſimis mutuo ſe fratres occidunt. Secundò in mundo eſt lutoſitas luxu- *Ierem. 9.* riæ. *Vſquequo aggrauas contra te denſum lu-* *Matt. 24.* *tum.* Pſalm. *Eripe me de luto vt non infigar.* *Abac. 2.* Tertiò in mundo eſt volubilitas inconſtan- *Thren. 1.* tiæ. *Peccatum peccauit Ieruſalem propterea* *Thren. 2.* *inſtabilis facta eſt.* Quartò in mundo eſt o- *Ocioſus quis.* cioſitas accidie, quia fere omnes iacuerunt in terra ſenex & puer. Chryſoſt. ponit differentiam inter mortuũ & ocioſum. Nam qui diabolo ſeruit mortuus eſt, qui autem opus Dei non operatur, otioſus eſt; qui aliena tollit mortuus eſt, quia ſua non dat, otioſus eſt. Quintò in mundo hoc ſicut in foro omnia ſunt venalia. Iuxta illud: Pecu- *Eccl. 10.* niæ obediunt omnia. Videre hoc ipſum eſt in iudicijs ſæcularibus, ſpiritualibus; in miniſtris eccleſiarum, dominorum, in artificibus, in amicis, in ſubditis, quia nullus mouet pedem ſine pecunia, cum multa poſſent homines mutuò præſtare ſibi gratis pre- *Luc. 6.* ſertim quæ gratijs acceperunt. *Gratis accepiſtis, gratis date.*

Invitatio operariorum.

Sequitur. *Et ait illis. Ite & vos in vineam meam*, ſcilicet vt colatis & dilatetis & cuſtodiatis, *& quod iuſtum fuerit dabo vobis* ſupple, iuxta meritum & ſuper condignum

Rom. 8.

Non ſunt condigna &c. Sequitur: *Illi autem abierunt*, ſcilicet obediendo & voluntatem Dei faciendo, & intelligendum eſt *illi*, id eſt, aliqui ex illis, quia multi remanſerunt extra hanc vineam in gentilitate, ſicut omnes deſcendentes de Cain, & poſtea de Cham, ſicut patet in Geneſi. *Iterum autem exijt circa horam ſextam & nonam, & fecit ſimiliter*. Hic ponitur tertia & quarta vocatio & miſſio, in qua iterum exijt Deus per maiorem manifeſtationem, ſcilicet circa horam ſextam, quæ fuit ab Abraham vſque ad Moyſem. Et nonam quæ eſt à Moyſe vſque ad aduentum Chriſti. Hilarius tamen dicit quod ſexta ætas fuerit à Moyſe vſque ad Dauid. Et nona à Dauid vſque ad Chriſtum. Quæ ætas ab Abraham vſque ad Dauid cōtinet generationes 14. annos verò nongentos 42. & iterum à Dauid continet generationes. 14. annos autem. 472. & hæc fuit ſatis prolixa hora. Si autem dicimus nonam à Moyſe vſque ad aduentum Chriſti, ex tunc illa continet generationes 14. annos verò 588. Circa illam igitur horam exijt pater familias, per maiorem manifeſtationem, & fecit ſimiliter ſcilicet vocando, & mittendo in vineam, & poteſt dici, quod etiam tunc fecit ſimiliter, inueniendo quoſdam ſtantes ocioſos, eò quod multi tunc ſub onere legis ſtantes à prҿmio regni cæleſtis torpebant, iuxta illud. *Neminem ad perfectum perduxit lex.* Jn iſta ætate miſſi fuerunt operarij ad eruditionem aliorum, vt Moyſes &c.

Obediēdi promptitudo.

Hora ſexta quæ?

Diuerſa mundi ætates.

Hebr. 7.

Circa 11. verò horam exijt. Hic ponitur vltima vocatio, quam fecit Dei filius per ſe, qui in vltimis temporibus per ſe apparens exijt, id eſt, per ſcipſum apparuit. *Nouiſſima hora eſt*; & inuenit alios ſtātes. Gloſſa gentilem, & Iudaicum populum à bono opere torpentem: ſtabat enim Iudaicus populus, ſtabat & gentilis, vterque tamen otioſus & per ſuperbiam ceruicoſus iuxta illud: *Cucurrit aduerſus Deum extento collo. Et dixit illis*: ſcilicet Iudæis per ſeipſum, gentibus autem per Apoſtolos, per quos in omnem terrā exiuit ſonus prædicationis; *Quid hic ſtatis otioſi tota die?* quaſi dicat de operādo non poteſtis rationabiliter excuſari, cum & locus cōgruat; quia hic facultas ſuppetit; quia adhuc ſtatis, ſecus eſſet, ſi iaceretis, & laborare non poſſetis, tempus iuuat, quia tota die ocium damnificat. Ideo dicit *tota die otioſi*. *Quid* ergo *ſtatis*, id eſt, qua ratione cum habeatis conductores, collaboratores, laboris ſuauitatem, mercedis propinquitatem, *hic* in loco laborioſo, periculoſo, ſuſpitioſo, & lutoſo, ad opus dato. *Statis* autem mandatorum meorum obliti, ad rugitum leonis ſtupefacti, carnis illecebris confirmati, mundi vinculis detenti, *tota die* id eſt, tota vita, *otioſi*, vobis nihil proficientes, proximis non ſubuenientes, Deo non ſeruientes, hoſtibus non reſiſtentes, in futurum non prouidentes. His quid vlterius dicatur audiamus, ſequitur enim: *Ite & vos in vineam meam.* Audiamus quomodo ipſi ſe excuſant; dicut enim, *quia nemo nos conduxit.* Quadrat reſponſio hæc primò in gentiles, qui quoniam nec Prophetas, nec Doctores habebant, ſicut Iudæi, dicere poterant; *Quia nemo nos conduxit*; non attendentes, quod & lege naturali, & lege ſcripta conducti erant. Sed quid mirum, cum & nos etiānum ſtemus otioſi, ſcilicet à lege diuina, non tamen à lege diaboli. *Quibus ille ait; ite & vos in vineam meam.* Interponit hic cōiunctionem copulatiuam ad ſignificandum vacui, quia gentiles adiuncti ſint Iudæis. Quibus dicitur *Ite & vos* gētiles *in vineam meam* cōpatiendo & credendo, confitendo & opere laborādo. Occurrit hic dubitatio, vtrū aliquæ gentes excuſari poſſint de non credendo in Chriſtum? Reſpondeo, quod ſi eſſent aliquæ gentes, ad quas non perueniret vnquam prædicatio Chriſtianæ fidei, poſſent excuſari iuxta illud Iohan. 15. *Si non veniſſem*, ſcilicet per me, & per meos, *& locutus eis fuiſſem*, *peccatum non haberent*, ſcilicet infidelitatis, pro quo nec damnarentur teſte Diu. Thoma: licet actualia peccata ſufficerent eis ad damnandum. Sed difficile eſt dicere ad aliquos non perueniſſe prædicationem Chriſti, cum dicatur in Pſalmo de Apoſtolis.

Hora vndecima quæ.

Ioan. 2.

Iob. 15.

Chriſti increpatio

In omnem terram exiuit ſonus eorum. Vnde Apoſtolus Romanorum 1. & 10. probat homines eſſe inexcuſabiles. Ex quo enim fides eſt ex auditu, quomodo poſſunt excuſari, cum in omnem terram exiuerit ſonus eorum, ſc. Apoſtolorum.

Documēta moralia tria.

Ex præmiſſis verbis deducuntur tria documenta moralia, primum eſt, vt attendamus diuinam ergo nos benignitatem, quæ oſtenditur in pluribus, primò quod Deus fecit ſe nobis pium, & miſericordem, vnde hic dicitur paterfamilias, ex quo patet, quod ipſe ſit creator noſter. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui fecit te?*

Deut. 32.

Secundò quod ipſe prouiſor noſter. *Dat enim eſcam omni carni, etiam pullis coruorum inuocantibus eum.* Coruus diabolus eſt propter nigredinem vitiorum, pulli eius peccatores, quos etiam paſcit Dominus, quia ſuper eos facit ſolem ſuum oriri. Matt.5. 1.Pet.5. *Ipſi cura eſt de vobis.*

Paterfamilias Chriſtus dicitur & quare.

Tertiò quod ipſe ſit generalis omnium diſpenſator; ideò enim dicitur paterfamilias, quod habeat multam familiam Reges apud eum ſunt prælati, quorum vnuſquiſque dicit de ſe illud in pſalm. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Syon*, id eſt, ſuper fideles; principes ſunt inferiores prælati, *miſſi* à ſuperioribus, in vtroque ſtatu, ſpirituali & ſæculari, *ad vindictam malefactorum; laudem vero bonorum*, 1. Petri 5. Serui ſunt miniſtri, & prædicatores, quos miſit Dominus hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent. Luc.14. Ecce benignitas Dei erga genus humanum, ex qua proceſſit ordo

Ordo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ vnde?

Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ita vt nihil deſit Eccleſiæ in vlla gratia. 1.Cor.1. Ideo dicit Apoſtolus quod quæ à Deo ſunt ordinata ſunt. Ex quo infert quod qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.

2. Documentum.

Secundum documentum eſt quod omnes teneantur Deo ſeruire, quia omnes hic vocantur de quacunque ætate. Vnde in prima ætate vocantur pueri in ſtatu innocentiæ. Et bene pueritia comparantur primæ ætati mundi: ſicut enim in illa fuit diluuium:

Geneſ. 8.

ita in pueritia fit ſubmerſio per obliuionem, eò quod illa ætas valde prona ſit ad malum.

Adoleſcētia 3. hora

Tertia hora eſt adoleſcentia; ſicut enim in illa tertia ætate fuit inuenta lingua Hebraica: ſic in adoleſcentia homo incipit perfectè loqui.

Virilis ætas 6. hora.

Sexta eſt iuuentus, & iſta includit virilem ætatem; & ſicut in illa fuit prima regum electio: ſic in iſta apti ſunt homines ad regendum ſe, & alios. Vnde & benè ſtatutum eſt, vt nullus promoueatur in ſacerdotium, niſi viceſimo quinto anno: in epiſcopum non niſi triceſimo, quæ eſt ætas iuuenilis, & virilis.

Senectus 9. hora.

Cic. in lib. de ſenect.

Nona eſt ſenectus: ſicut enim in illa ætate plebs Hebræorum fuit crebris malis quaſſata ſub Moyſe, ita ſenes multis afficiuntur incommodis, vt dicit Tullius in libro de ſenectute.

Ætas decrepita hora vndecima.

Vndecima autem hora eſt ętas decrepita, in qua nō eſt niſi labor & dolor. Qualibet autem iſtarum horarum patet homini gratia Chriſti. Sed attende, quia cum omnibus promiſerit præmium, his nihil promiſſum eſt, ſed tantum dictum. *Ite & vos in vineam meam*, ad ſignificandum quia decrepiti non ex iuſtitia, ſed ex gratia ſaluātur, & meritò, quia eiuſmodi offerunt Deo fæces ſuæ ætatis, pro quibus vtique non merentur ex iuſtitia recipere præmium, ſed ſupplicium, iuxta illud Malach. *Si obtuleris cæcum aut claudum, quis accipiet hoc de manibus veſtris?*

Senes fæces Deo offerunt.

quod vtique ſenes faciunt qui cæcitatem, curuitatem, claudiratem, & omnes defectus Deo offerunt: cæcitatem in intellectu, & peccatis: quoniam lux veritatis ſero nimis orta eſt eis, & tenebræ peccatorum diuturno ſitu obduxerunt corda eorum; curuitatem in intentione, claudiratem in operatione: tardi enim & claudi ſunt pedes eorum ad currendam viam mandatorum diuinorū: claudi in adeundis templis, & concionibus, vtinam etiam ſint claudi in currenda ſemita diaboli. Licet autem prædicta Deo ſero offerant; non tamen penitus reijciuntur, ſed & iſta Deus acceptat, etſi non ex iuſtitia, tamen ex miſericordia.

Amb. l. 6. Hexam. cap. 11.

Aug. in li. de Parad. cap. 6.

Ex his arguit Ambroſ. ꝙ magna cæcitas ſit hominū præſentis ſæculi, qui non cognoſcunt Creatorem ſuum, cum omnis ætas mundi cognouerit eum. Idem dicit comparando ætates hominis ad ætates mundi ſatis pulchrè.

3. Morale.

Tertium documentum eſt quod in Eccleſia militante ſpecialiter tres ſtatus argui.

argui merentur præ cæteris, ſcilicet generaliter peccantes, ſingulariter præſidentes, & viriliter peregrinãtes. Omnibus enim his dicitur. *Quid ſtatis hic tota die ocioſi.* Siquidẽ peccantibus peccati locus, eſt locus contagij; præſidentibus gradus officij, eſt locus periculi; peregrinantibus laqueus mundi eſt locus exilij. Ergò benè omnibus dicitur. *Quid hic ſtatis*, quaſi dicat. Surgite, abite, quia non habetis hic requiem. Peccantibus dicitur. *Surgite* ad remedium quærendum; Præſidentibus, Ite ad exercitium curæ faciendum. Peregrinantibus dicitur. Non habetis requiem patriæ ad manendum. Tantum de primo.

II.

Liberalis rectitudo diuinæ remunerationis. *Cum ſero autem factum eſſet.* Iſtud ſerò eſt conſummatio ſęculi, quia tunc finietur dies ſalutis, & nox perpetua peccatoribus, ſubſequetur. Tunc enim requieſcent poſt laborem animæ ſanctorum. *Ammodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.* (*Apoc. 14.*) Contra hoc fecit Lucifer, qui mane voluit habere mercedem, & quieſcere in ſede Aquilonari. cum tamen nihil adhuc laboraſſet. *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris.* (*Iſaiæ 14.*) Similiter Adam mane voluit eſſe, ſicut dij, ſciens bonum & malum. Vtinam expectaſſet in ſero ætatis prouectioris. Lucifer enim vix vnam horam in cœlo ſtetit. Adam verò vix 7. & Eua vix duas. Ecce mali operarij. Et benè mors hominis dicitur ſero propter obſcuritatem, frigiditatem, obliuionẽ, retributionem & completorium. Item ſero poteſt intelligi dies iudicij. Primo quia tũc vnuſquiſque ad domum ſuam reuertetur de agro huius mundi, vt recipiat, prout geſſit; Secundo quia tunc accendentur lucernæ, quando fulgebunt iuſti, ſicut ſol in regno patris eorum. Tertiò, quia tunc vnuſquiſq; apparebit talis, qualis fuit hic, poſtquam ſtabit ad dexteram vel ſiniſtram. In hoc ergò ſero dicet dominus vineæ, id eſt, Deus pater filio ſuo, tanquam procurati ſuo, cui omnia dedit in manus. (*Ioan. 13.*) *Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam.* ſcilicet ſine diminutione. (*1. Cor. 3.*) *Siquidem vnuſquiſq; mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum.* Hæc merces benè dicitur gratia, quia eſt quædam inchoatio gloriæ cum gloria non ſit aliud, quam gratia conſummata. *Incipiens à nouiſſimis vſq; ad primos.* Gregor. dicit. Quod hoc impletum ſit, quando latronem prius, quam Petrum Deus ſaluauit: & ita nouiſſimus in labore, ſc. fit primus in præmio. Hoc oſtenſum eſt etiam in gentibus & iudæis. Quia gentibus conuerſis ad fidem data eſt prius gratia Chriſti; Iudeis pro maiori parte in infidelitate remanentibus. Et eſt ordo diuerſus inter iuſtitiam & miſericordiam; Quia iuſtitia incipit à maximis. *A ſanctuario meo incipite*: (*Ezech. 9.*) Sed miſericordia à minimis. Et ideò hic ſecundum Chryſoſt. non fit iuſtitiæ contrarium, ſed miſericordiæ oſtenſiuum.

Iuſtitia & miſericordia ordo.

Sero dicitur hominis conſummatio.

Sero dies iudicij.

Cum autem veniſſent, qui circa horam vndecimam venerant. Gloſſa, id eſt, gentiles, qui quaſi decrepiti ſunt vocati, *acceperunt ſingulos denarios*, id eſt, ſingula merita, in vita æterna, vel eandem æternitatem cum his, qui ab initio mundi ſunt vocati. Et dicitur denarius vita æterna, quæ erit ſingulis æqualis, quantum ad durationem, nulli longior, nulli breuior, licet meritorum diuerſitate alij alijs clarius fulgebunt. *Stella differt à ſtella in claritate.* (*1. Cor. 15.*) Et licet ſit in ſe vnus denarius iſte, tamen eſt multiplex propter accipientium differantiam. *Venientes autem & primi*, id eſt, Iudæi, *arbitrati ſunt*, id eſt, apud ſe æſtimauerunt, *quod plus eſſent accepturi*, ſcilicet digniorem locũ in regno cœlorum. *Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios*, id eſt, ſingula merita in vita æterna. *Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias dicentes. Hi nouiſſimi vna hora fecerunt*, id eſt, non diu expectauerunt, nec ſub legis onere laborauerunt, *& pares nobis illos feciſti qui portauimus pondus diei & æſtus.* id eſt, diu ſub onere legis ſudauimus, & longiora carnis tentamenta ſuſtinuimus iuxta illud: *Hoc eſt onus, quod nec nos nec patres noſtri potuerunt portare.* (*Act. 15.*) Et ſic onus dicuntur oneroſa opera legis: Aeſtus verò vrentes tentationes, quas imflammabant maligni ſpiritus ad æmulationem & odium gentium Iudæos irritantes: Verum hæc expoſitio non videtur procedere ſecundum literam, quæ dicit, quod nullus in fine mũdi murmurabit de præmio ſuo, ſed quiſque erit contentus. Ideò Gregorius dicit, quod intelligatur hoc de ſanctis in limbo tunc exiſtentibus, qui longo tempore ibi fuerunt: videntes autem gentiles nouiter conuerſos

Vita æterna denarius.

ſimul

ſimul ſecum perduci ad regnum, quaſi murmurabant, hos eis ſimiles fieri videntes. Sed nec hoc ſtare poteſt, cum murmuratori hic dicatur. *An oculus tuus nequam eſt,* quod vtique non poteſt dici de ſanctis patribus. Hinc Lyran. concludit quod iſta parabola non ſe extendat ad electos in fine mundi, ſed ad eos, qui fuerunt ſub ſtatu gratiæ tempore Christi, & ita tempus gratiæ intelligit hic *ſerò.* Sed nec malè poteſt intelligi de vtroque tempore; primò de tempore gratiæ non eſt dubium, quando Iudæi murmurabant aduerſus gentiles, eò quod gentiles recepti erant in communionem & conſortium fidelium, vt & patet Actuū 11. vbi diſceptabant Iudæi contra Petrum, eò quod communicaſſet & manducaſſet cum gentibus. Similiter Actuum 6. dicitur, quod factum murmur ſit Græcorum aduerſus Hebræos eò quod deſpicerentur in miniſterio viduæ eorum. De tempore autē conſummatiōis ſæculi poteſt ſic intelligi; primo per regulam Ciconij, ſecūdum quam fit ſermo ad alios & alios de eadem multitudine nō mutata voce iuxta illud. *Cum occideret eos, quærebant eum,* non occiſi, ſed alij remanentes; & ſic eſt ſenſus quod accipientes vocatione, non adeptione, quia etſi laborauerunt, non tamen finaliter in gratia perſtiterunt; & ſic murmurabant, ſcilicet mali viſa gloria beatorum in iudicio. Secundò exponitur idem de præſenti murmuratione, vt ſcilicet in præſenti murmurent, qui in futuro ſunt tale præmium accepturi, ſicut dictum eſt de Iudæis & gentibus. Iudæi enim mouentur contra gentiles, videntes eoſdem æqualia dona cum eis recepiſſe & gratiam Spiritus ſancti cum eis ſimul adeptos. Tertiò idem intelligitur per Syntheſin figuram id eſt, per ſpontaneam conceſſionem, id eſt, ponamus quod ſic dixerint, ſic ita eis poterit reſponderi. Quartò poteſt dici de murmuratione admirationis: in iudicio enim erit magna admiratio Iudæorum de tanta gloria gentium & de tanta remuneratione ſanctorum noui teſtamenti; quorum multi præferentur antiquis patribus.

Actor. 11. *Acto. 6.* *Pſalm.* *Actor. 6.* *Ib. 10.*

III.

Arguit Chriſtus

At ille reſpondens vni eorum dixit. Confutat hic murmurationem per ſuam æquitatem dupliciter: primò non inferendo iniuriam: ſecundo faciendo iuſtitiam. *Vni ergò dixit,* quia vna & æqualis erat omnibus murmurandi occaſio iuxta illud: *Quod vni dico, omnibus dico. Amice* per fidei ſuſceptionem, etſi non per operationem *non facio tibi iniuriam.* Iob 34. *Abſit à Deo impietas, & ab omnipotenti iniquitas. Nonne ex denario diurno conueniſti mecum?* id eſt, ex conformitate imaginis & reformationis ſecūdum Hieronymum. Hoc poſſet dici multis inuidis, qui ſibi reputant iniuriam fieri, & ſibi ſubtrahi, quod alijs datur. Similiter & ſuperbi cum eis aliquis æquiparatur. Tanta eſt peruerſitas inuidi, vt gratiam fratri impenſam æſtimet ſuam iniuriā, & quod illi fuerit collatum, inuidia reputet ſibi ablatum. Eſt enim inuidia dolor alienæ fœlicitatis ſecundum philoſophum. Dicit ergò. *Nonne ex denario diurno,* id eſt, nonnè pro obſeruatione decalogi parum tibi videtur vita æterna, ex qua mecum conueniſti. *Vade ergò.* de malis exponitur, in ignem æternum, ſecundum interlinearem gloſſam: Reddo tibi ſecundum opus tuum in te; itaque iuſtus ſum. De bono vero ſic intelligitur. *Tolle quod tuum eſt,* quaſi dicat. Paratus ſum tibi reddere mercedem tuam, *vade, intra in gaudium Domini tui.* vel deſine admirari, vel perſeuera in incœpta iuſtitia, vel habe patientiam quouſque tollas mercedem tuam. *Volo autem huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.* Gloſſa. Gratia & miſericordia eſt, vt æqualis tibi fiat populus gentilis. *huic nouiſſimo* in pænitentia feruenti. *ſicut & tibi.* primo in innocentia. *An non licet mihi,* tanquam iudici, *quod volo facere,* ſcilicet miſericordiam & iuſtitiam. *An oculus tuus nequam eſt.* Gloſſa vocat intentionem oculum inuidia plenum, & exponitur hoc ſimpliciter de Judæis qui, ex humana infirmitate murmurabant contra gentiles. Sic ſecundum Hieronymum exponitur. Nunquid benignitas mea eſt tibi cauſa inuidiæ.

inuidia humana ingratitudinem. Marci 15.

Inuidia quid.

Si autem exponamus de electis in futuro iudicio, dicendum eſt, quod ibi oculus eorum non dicetur nequam propter culpam, ſed propter admirationem inæqualitatis, quia ipſa admiratio procedit ex conſideratione diuinæ iuſtitiæ magis, quam

eius miſericordiæ infinitæ. *quoniam ego bonus ſum.* ſcilicet per eſſentiam, & ideò non poſſum malum agere ſed ex natura bonitatis meæ abundanter communico omnibus ſecundum quod mihi placet. Deinde concludit ſenſum myſticum, quem hic intendit principaliter inferre dicens. *Sic erũt nouiſſimi primi*, id eſt in hoc negocio, *primi*, ſecundum tempus, *erunt nouiſſimi*, ſecundum ſtatum. *& nouiſſimi primi Aduena, qui tecum moratur in terra, aſcendet ſuper te, & erit in caput, & tu eris in caudam.* Aduena eſt gentilis populus, qui Iudaico populo eſt æquatus. Vnde ad Eph. *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ. Et ſic erant nouiſſimi primi.* id eſt, gentiles qui videntur minoris meriti erant maioris primi. Chriſo. Non omnes primi nec omnes nouiſſimi ad numerum electorum pertinent. *Multi enim ſunt vocati*; ſcilicet ad fidem & meritum ſecundum præſentem iuſticiam, *pauci verò electi*, ad præmium beatitudinis æternæ, ſicut & omnes canonici vocantur ad electionem, vnus tamen efficitur epiſcopus. Sic Gedeon. multos vocauit ad bellum, ſed paucos elegit. *Sicut omnes currunt in ſtadio, ſed vnus accipit brauium.* Sic in horreo multum eſt palearũ, parum granorum. Sic multi filiorum Iſrael exiuerunt de Aegypto; pauci verò intrauerunt terram promiſſionis. Vnde Matt. 7. *Anguſta eſt porta, & pauci intrant per eam.* Quare autem ſint pauciores boni, quã mali, triplex poſſet aſſignari ratio. Prima eſt vt Eccleſiæ defenſio attribuatur Deo, ſecunda, vt mo confidat de viribus ſuis. *Maledictus homo qui confidit in homine*; tertia vt detur intelligi, bonos non ſubſiſtere ex natura, ſed ex gratia. Vnde in pſalm. *Cum eſſent numero breui, pauciſſimi & incolæ eius.* Et ſequitur? *non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.* Vnde ſi boni plures eſſent, quam mali in prompto eleuarentur ad ſuperbiã, cum ſemper viderent ſe præeſſe malis, & eis eſſe potentiores, quæres occaſio eſſet eis eleuandi ſeſe in ſuperbiam & mentis iactantiam.

Deut. 27. Ephe. 2. Multi vocati. Iudic. 7. 1. Cor 9. Pauciores boni, quã mali & quare. Ierem. 17. Deus bonis eſt auxilio.

Dubia tria.

Hic occurrunt tria dubia. Primum eſt de labore vineæ; vtrum etiam labor corporalis ſit homini meritorius? ſecundum de denario diurno: vtrum beatitudo omnium electorum ſit æqualis? tertium de multitudine vocatorum, & paucitate electorum; vtrum plures damnabuntur, quam ſaluabũtur? Ad primum dubium, vtrum labor corporalis ſit homini meritorius; videtur enim quod non; dicitur enim. *Quid habet homo amplius de labore ſuo, quo laborat ſub ſole, niſi vanitatem.* ergò labor ille eſt vanus. Item Eccl. 4 dicitur ad hominem ſub reprehenſione. *Vnus eſt.* ſcilicet ſingulariter, *& ſecundum non habet, non filium, non fratrem & tamen laborare non ceſſat.* Et ſequitur. *Vt quid fraudo animam meam bonis.* Præterea vita laborioſa corporalis inquietat hominem: ſed hoc malum *Melior eſt bucella panis ſicca cũ gaudio, quã plena domus diuitijs cũ iurgio.* Vbi Hieronimus dicit. Iuſtitia requièm habet, iniquitas laborem: ergo laborare eſt opus iniquum. Sed contra eſt, quod ocioſus arguitur *Vſquequo piger dormis? vade ad formicam & diſce ab ea.* Et ſaluator hic reprehendit ocioſos dicens. *Quid hic ſtatis tota die otioſi*: ſed hoc non poteſt intelligi ſolum de labore ſpirituali, eo quod dicitur. *Homo ad laborem naſcitur*: igitur etiam de labore corporali, qui homini eſt connaturalis, de quo etiam primo homini dictum eſt. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Ad iſtud breuiter dicẽdum, quod ſicut dicimus de vita contemplatiua, & actiua, ita de iſto labore corporali, & ſpirituali: ſecũdum autem omnes doctores, vita contemplatiua eſt melior, quam actiua ſimpliciter, licet quoad aliqua actiua poſſit eſſe vtilior, vt dicitur *de renunciatione. Niſi cum pridem.* Dico ergò, quod labor corporalis ſecundum ſe non eſt malus, licet ſpiritualis longè eo ſit melior. Vnde in labore corporali attenduntur duo, ſcilicet cupiditas, & neceſſitas: quo ad primum finem, labor ille eſt peſſimus, & diſſuadetur à Chriſto dic. *Quid ſolliciti eſtis, &c.* Quoad ſecundum finem eſt bonus, & ſuadetur à prophetis & ſanctis. Vnde in pſalmo: *Labores manuum tuarum quia mãducabis, beatus es.* Et: *Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus.* Eſt autem vtilis iſte labor imprimis ad tria; primò ad vitandum otium, ex quo multa mala proueniunt, quoniam multa mala docuit otioſitas: ſecundò ad repræſentandum ſtatum huius incolatus, qui eſt ſtatus meritorius: tertiò ad exercitium pietatis. Vnde apoſtolus. *Qui furabatur,*

Eccl. 1. & 4. Prou. 17. Prou. 6. Iob 5. Geneſ. 3. Vita contemplatiua melior actiua. Matth. 6. Prou. 12. Labor ad tria vtilis.

batur, iam non furetur, magis autem laboret manibus, vt habeat, vnde tribuat neceſſitatē patienti. Ad illa, quæ ante oppoſitum inducuntur, dicēdum, quod in illis arguatur ſolicitudo exceſſiua, quæ eſt cauſa cupiditatis, non autem, ea quæ eſt cauſa pietatis. Vnde ſuper illud 1. Thim. 4. *Exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt*; dicit Auguſtinus, quod labor corporalis ſolum ſit vtilis ad opera pietatis in præſenti vita: & ita non omninò reprehenditur: ſed ſolum incomparatione vitæ contemplatiuę inferior eſſe demonſtratur, quia vita contemplatiua, quam ibi vocat pietatem, & hic, & in futuro permanet; & ideo ſubdit Apoſtolus, *pietas ad omnia valet.*

Vita contemplatiua praeminentia.

2. Dubiū. Ad ſecundum dubium. Vtrum beatitudo omnium electorum ſit æqualis? videtur enim quod ſic; cum Deus qui eſt ſummum bonum, ab omnibus in gloria cognoſcatur, & videatur, & omnes eò ſufficienter fruantur; ſic enim non videtur vnus alio beatior: & hic dicitur, quod omnes receperint ſingulos denarios; & ſic vnus nil maius alio. Sed in contrarium eſt Apoſtolus, dicens, *Vnuſquiſque recipiet propriam mercedem ſecundum ſuum laborem.* Reſponſio ſecundum Thomam, quod loquendo de beatitudine, quantum ad obiectum, quod Deus eſt, erit in omnibus æqualis, quia Deus omnibus, vt beatificans ſe oſtendet. Sed quantum ad diſpoſitionem beatorum, erit inæqualis, quia vnus alio clarius videbit. Ad idem Thomas in prima, quæſt. 42. articulo 9. inquit, quod ſumma veritas ab omnibus beatis ſecundum diuerſos gradus conſpiciatur; ſed quãtum ad modum viſionis, præfigatur diuerſimodè terminus ex intentione dirigentis in finem. Hæc ille. Sic & omnia leuia ſurſum tendunt; ſed ſecundum magis & minus, ſecundum quod participãt de leuitate. Hinc Lira. ſup. Ioan. tractans illud. *In domo patris mei manſiones multæ sūt*; dicit, quod licet beatitudo nullam diuerſitatem habeat ex parte ſui, tamen ex parte beatorum eſt diuerſitas in participãdo eius obiectum ſecundum varietatem meritorū: quia aliqui vident clarius alijs, & fruuntur perfectius ſecundum maioritatem habitus charitatis, quæ facit animam capacem obiecti. Idem tractans illud Pſalm. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*; inquit notanter dicit, *in cubilibus ſuis*. pro diuerſis gradibus, ſeu manſionibus, vbi vnus alio clarius videt, & dulcius fruitur. Hinc infero duo ſecundum D. Thomam ſuper Ioan. Primum, quod cum beatitudo conſiſtat in Dei cognitione, ad quam homo diſponitur per puritatem intellectus, hinc quò quis habet intellectum magis mundum, & eleuatum à terrenis; tanto magis & perfectius Deum ſit viſurus. Secundum eſt, quod ex quo beatitudo conſiſtit in Dei fruitione, & delectatione, ad quam homo diſponitur per amorem, ideo qui habet cor magis feruens in amore Dei, magis delectabitur in diuina fruitione.

D. Tho. ſup. Ioan. 14. & ſup. 4. Sent. diſt. 49.

Beatitudinis inæqualitas in quo?

Simile.

Ioan. 14.

3. Dubiū. Ad tertium dubium. Vtrum plures damnabuntur q̃ ſaluabūtur? quoniã hic dicitur. *multi vocati & pauci electi.* Reſp. id non poſſe definiri certitudinaliter. Iſidorus dicit; quod tot ſaluabuntur, quot Angeli ceciderunt. Gregorius autem dicit, quod tot, quot boni permanſerunt. Similiter Anſelmus in libr. 1. Cur Deus homo. 18. & Auguſt. ſuper pſalm. 47. Sed nullum iſtorum imponit neceſſitatem quod hic plures & illic pauciores ſaluentur vel damnentur. Ideò D. Thom. dicit, quod iſte numerus ſoli Deo cognitus ſit. Dicit tamen ipſe ibidem in ſolutione argumenti tertij quod pauciores ſint, qui ſaluãtur, & in hoc miſericordia Dei apparet, quod aliquos ad illam ſalutem dirigat, à qua plurimi deficiunt ſecundum omnem curſum & inclinationem naturæ. Sed quia iſta ſunt ſupra nos ideò dicamus ſicut in alijs abſconditis diuinorum ſecretorum, clamantes cum Apoſtolo. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei &c.*

Iſidor. l. 1. de ſum. bono c. 10.

D. Tho. p. 1. qu. 23. art. 7.

DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

SERMO II.

Quid ſtatis hic tota die otioſi. Matth. 20.

Aug. li. de oper. Monach.

INquit ſanctus Auguſtinus. Nullo modo decet, vt in ea vita, vbi ſenatores fuerunt laborioſi, fiant opifices otioſi, quaſi dicat, indignum eſſe vt in præſenti vita nos peccatores, & peccatis pleni, qui pro remiſſione peccatorum meritò laborare debemus, otio & deſidia torpeamus, cum ſancti, qui fuerunt quaſi ſenatores & principes, iuſti, & ſancti, & innocentes, tanta paſſi ſint, vt nullus eorum ſine graui labore peruenerit ad regnum cœlorum. Similiter D. Chryſoſtomus ſuper Mattheum, ait, quod qui habent ſpiritum Dei, non ſint contenti ſedere otioſi; ſed ipſe Spiritus, qui eſt in eis, vrgeat eos aliquid bonum apprehendere. Quia igitur homines in hac vita in bonis ſe exercitare negligunt, & ſalutem laboribus iuſtis bonorum operum acquirere tepeſcunt, ideò ſaluator arguens eorũ acediam, increpando dicit. *Quid hic ſtatis tota die otioſi.* Ex quibus verbis arguitur humana negligentia ab inutili otio ex tribus: & primo quidem iuſtè arguitur, & reprehenditur ex parte loci conuenientis, cum dicitur. *Quid hic.* in iſta vita præſenti. Secundò arguitur ex parte temporis congruentis, cum dicitur, *tota die.* Tertiò ex parte damni ſubſequentis, cum additur, *ſtatis otioſi.*

Propoſit.

I.

Otioſitas prohibetur.

Arguitur humana negligentia ab inutili otioſitate, primo ex parte loci conuenientis, dum dicitur. *hic.* in hoc mundo, in præſenti vita, vbi eſt locus conueniens ad laborandum omnibus, vbi eſt vinea fertilis omnibus, laborare volentibus. Vnde & hoc oſtendit ipſa natura loci, quia mundus eſt quaſi quidam ager, in quo homo primus, cum ſua poſteritate poſitus eſt, vt operaretur terram, iuxta illud: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Non ergo in ocio, ſed in ſudore vultus comedendus eſt panis noſter. Sed verè multi comedunt eum in ocio, vt vſurarij, fœneratores, mercatores, & alij, qui de ſuis lucris illicitis viuentes, aliorum ſudores bibunt & comedunt, cum tamen manibus proprijs eſſet vnicuique noſtrum laborandũ iuxta illud. 1. Theſ. 4. *Operemini manibus veſtris.* Et 2. Theſſ. vlt. *Si quis non vult operari, non manducet.* Sunt autem plura, quæ mouent hominem ad laborem ſalutarem, præcipuè in hoc mũdo, quæ ſumuntur ex parte commoditatis loci huius mundi. Primum eſt, quia in hoc mundo tantũ eſt locus laboris inſtitutus à natura. *Homo ad laborem naſcitur, vt auis ad volandum.* Et quià vt dicit Holcoth. Locus præſentis vitæ eſt medius inter cœlum & infernum, in cœlo vero eſt ſummâ quies & nullus labor, in inferno ſũmus labor, & nulla quies; vtique conueniens eſt, vt in hoc mundo ſit quædam commixtio laboris & quietis, quæ tamẽ plus debet participare de labore, quia vicinior eſt inferno, quam cœlo. Laborem autem huius mundi facilitant nobis, & alleuiant plura. Primò, quia habemus ſupra ſolicitos conductores, paratos adiutores, & veraces promiſſores, quoad primum Chriſtũ, quoad ſecundum ſanctos patres, in quorum perſona Apoſtolus dicit. *Obſecramus vos in Domino, vt operantes panem ſuum manducent in ſilentio, qui eiuſmodi ſunt*, ſcilicet curioſi aut otioſi. Ecce quomodò ſolicitat Apoſtolus ad laborem. Item alius ſcilicet Dauid ſolicitat. *Labores manuum tuarum quia manducabis*, ſcilicet in præſẽti vita.

Geneſ. 3.

Iob 5.

Holc. ſup. lib. Sap. cap. 15.

2. Theſſ. 3.

Propheta.

vita. *beatus es.* ſcilicet in futura vita. *quia
quæcunque ſeminauerit homo* in mundo, *ea-*
2. *dem & metet* in cœlo. Secundò, quia in mū-
do habemus coadiutores coadiuuantes, ad
onus ferendum: ſiquidem tot ſunt adiuto-
res, quot iuſti in hoc ſęculo, quorum quiſq;
alterum iuuat, iuxta illud. *Alter alterius one-
ra portate.* Tertiò inuitat nos ad laborem,
3. quia in mundo habemus mercedis promiſ-
Sap. 3. ſæ ſecuritatem, iuxta illud Sapientis: *Bono-
rum operum glorioſus eſt fructus.* Promittitur
autem iſta merces per Chriſtum hic, qui
promittit denarium diurnum: promittitur
Laboris eadem per Ioannem Baptiſtam amicum
merces. Chriſti dicentem. *Pœnitentiā agite; appropin-*
Matth. 3. *quabit vobis regnum cælorum.* Similiter & per
Iacob. 1. Petrum Actuum. 2. & per Iacobum. *Beatus
vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum pro-
batus fuerit, accipiet coronam vitæ.* ſcilicet æ-
ternæ. *quam repromiſit Deus his qui diligunt
eum* Hæc tria ſunt quæ mouent hominem
ad laborem ſalutarem in vita præſenti ex
parte commoditatis loci.

Sunt autem alia, quæ mouent ex parte a-
lia, ſcilicet maximæ incommoditates, ad
quas vitandas laborandum eſt continuo.
Primo ſiquidem hic mundus eſt periculo-
ſus, quia quaſi plenus periculis, quæ enu-
2. Cor. 11. merat Apoſtolus dicens. *Periculis fluminum,*
Pericula *periculis latronum, periculis ex genere periculis*
varia. *in ciuitate, periculis in mari, periculis in falſis
fratribus* Hinc eſt quod homo ſemper ha-
bet materiam laboris meritorij præ mani-
bus, caute ſe habendo ab iſtis & cum iſtis,
Iob. 7. memor illius: *Militia eſt vita hominis ſuper*
1. *terram.* Periculum fluminum eſt periculum
diuitiarū in quib⁹ perit humilitas, quia ver-
mis diuitum ſuperbia. Ideò admonet pro-
pheta, vt cauti ſimus in diuitijs dicens. *Di-
uitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* ſcilicet
nè per ſuperbiam perdatis humilitatem.
2. Sed periculum latronum eſt periculum de-
liciarum, quæ deſtruunt cordis quietem.
Oſee 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt*
3. *cor.* Tertium periculum eſt ex genere, ſcili-
cet ex generis nobilitate, vbi eſt zelus & in-
uidia adinuicem; quia vnus eleuatur contra
Malac. 2. alium; contra quos dicitur *Nunquid non eſt
pater vnus omnium noſtrum?* Quartum peri-
4. culum eſt ex gentibus, id eſt, ex ſuperiori-
bus, fratribus, parentibus, qui ſæpius impe-
diunt profectum ſalutis. Vnde ſaluator. *Qui*
non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, non Abac. 2.
eſt me dignus. Et: *Væ qui ædificant Sion in ſan-
guinibus.* Quod faciunt illi, qui omnia vo-
lunt facere propinquis & amicis. Quintum 5.
periculum eſt in ciuitate, vbi ſunt diſſenſio-
nes, conſpirationes, vbi perit pax & tran-
quillitas. Pſalm. *Vidi iniquitatem, & contra-*
dictionem in ciuitate. Sextum periculum 6.
eſt ſolitudinis, & ſunt ſingularitates, vbi
perit auxilium & ſolatium. *Væ homini ſoli,* Eccleſ. 4.
quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. 7.
Septimum periculum eſt maris huius ſæcu- Rom. 12.
li, vbi perit charitas. *Nolite conformari huic
ſæculo.* In hoc mari magno & ſpacioſo, imò
& periculoſo eſt ille magnus cetus diabo-
lus, de quo dicitur in Pſalmo. *Draco iſte,* Diabolus
quem tu formaſti ad illudendum ei. ad quem magnus
præcauendum, vigilandum eſt ſemper, nè cetus.
mergat nauem animæ in profundum in-
ferni. Et eſt mirabile, quod quocunque ſe Homini i-
vertat homo, ſemper habeat diabolum ſibi dem vbi-
aduerſum: nam ſi velit incedere per terram que con-
in vita actiua, ſtatim diabolus occurrit, ſi- trarius.
cut leo, circumiens & quærens, quem deuo- 1. Pet. 5.
ret; ſi homo autem velit eleuari in cælum
in vita contemplatiua, ſtatim diabolus oc-
currit, vt princeps tenebrarum harum, mi-
litans in aëre, & volitans inter cælum & ter-
ram: ſi verò homo ſtudeat deſcendere infra Epheſ. 6.
ſe per conſiderationem, & meditationem
pœnarum infernalium, occurrit & ibi dia-
bolus, quia ibi eſt proprius locus eius; atq;
ita ſemper homo habet materiam exerci- Cauſa la-
tij cum eo. Secundo, quia mundus eſt ſuſ- boris ſecū-
picioſus, ideò meritò in eo laborandum eſt, da.
& ambulandum cautè cum neſciamus quis
ſit amicus, quis inimicus. Hinc Ezechiel in- Ezech. 2.
quit. *Cū ſcorpionibus habitas.* Quin & Apo-
ſtolus Paulus dicit, quod ſimus in medio
nationis prauæ. Semper ergo homo debet
eſſe in labore prouidendo de ſe, quia ſem-
per eſt in ſuſpicione. Tertiò, quia mundus Tertium
eſt non tantum ſuſpicioſus, ſed etiam om- motiuum
ninò doloſus iuxta illud Ierem. *Habitatio* ad laborē.
tua in medio doli: in dolo renuerunt me ſcire. Ierem. 9.
Et: *Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, &
in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia
omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & om-
nis amicus fraudulenter incedet.* Et: *Qui come-
dunt tecum, ponent inſidias ſubter te: non eſt*

 pruden-

prudentia in eo. Adhuc enim moratur Iudas cum Chriſto in menſa; adhuc manus tradentis nobiſcum eſt, ſicut prædixit Saluator: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Sic ſanè, ſi volumus aduertere, certum eſt, quod qui vult hodie veritatem Chriſti verbo, & facto dicere, aut annunciare, & docere, odio habeatur à principibus, & ſæculi hominibus, imò & à proprijs parentibus. iuxta illud Apoſtoli: *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Hinc homo ex præmiſſis omnibus habet materiam laboris ſi voluerit ſe exercitare in ea. Vnde meritò hominibus dicitur. *quid hic ſtatis. hic* ſcilicet in hoc mundo tam periculoſo, tam ſuſpicioſo, tam doloſo. Tantum de primo.

II.

Tota die: De hac die dicitur: *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabūtur.* Et ſequit. *Exibit homo ad opus ſuū, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Exponit Innocentius. *Ortus eſt ſol.* ſcilicet iuſtitiæ Chriſtus; quod factum eſt reſurgendo, quando clarificatus eſt toto orbe. Et ſequitur: *Exibit homo ad opus ſuum*, id eſt, quilibet iuſtus & fidelis ad opus bonum, vt incipiat benè operari, dum licet, nec tantum ad vnum opus incipiendum, ſed etiam ad multa perficienda; vnde addit pſalm. *& ad operationem ſuam multiplicem*, quia dedit eis poteſtatem cuiuslibet operis, ſicut dicitur Lucæ.19. & hoc *vſque ad veſperam*, id eſt, vſque ad mortem; de qua Ioann. 9. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* vel: *vſque ad veſperam.* id eſt, vſque in finem mundi, in quo grauis impetus inferetur ab Antichriſto, in tantum, vt vix liceat tunc benè operari. Tāta enim erit perſecutio in illis diebus, vt ſi fieri poſſet etiam electi mouerentur. Quādiu igitur hæc dies lucet nobis, operemur bonum; nè tenebræ mortis nos comprehēdant. Notanter autem dicit propheta. *Exibit homo ad opus ſuum.* id eſt, ad bonum, quod propriè eſt illius quia naturaliter homini ineſt appetitus boni, vt dicitur. 1. Ethicorum, quod ratio ſemper inclinet ad optima. Hinc eſt quod omne opus bonum tantum eſt propriè opus hominis; peccatum autem eſt opus diaboli, quia per ipſum primo commiſſum eſt, & per ipſum in mundo adinuentum, iuxta illud: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Sed reuera pauci ſunt hodiè, qui proprium opus laborant; omnes enim fere per totum hunc diem vitæ præſentis intendunt operi alieno, ſcilicet diaboli, carnis vel mūdi. Nam quidam laborant circa honores, quidam circa voluptates, quidam circa diuitias. pauci autem ſunt, qui circa virtutes, & opera ſalutis. Sed certè veniet veſpera, veniet ſero mortis noſtræ, quando vnuſquiſque videbit fructum laboris ſui. Vnde Anſelmus in libr. de ſimil. ponit in hac vita tria genera laborantium à mane vſque ad veſperam, in modum molentium. Horum namque primus, quicquid molit, ponit in ſaccum, & abſcondit, alter partem in flumen negligentiæ cadere ſinit, partem verò vento rapi & diſpergi permittit; tertius autem quicquid molit, impetus fluminis ſecum tollit, vel ventus diſſoluit, veniente autem quicquid molit, impetus fluminis ſecum tollit, vel ventus diſſoluit: veniente autem veſpere, quando à labore ceſſatur, & fructus laboris inquiritur, quid putas ſingulos habituros? Qui farinam totam ſeruauit, totum laborem ſuum benè recognouit: qui partem recollegit, indè lætatus eſt, quod habuit; indè mœſtus eſt, quod flumen amiſit: qui vero totum amiſit, omnibus triſtior extitit.

Moraliter p flumē curſus ſæculi deſignatur: per ventum vana gloria; p molendinum, quod tota die molit, præſens labor huius ſæculi, qui à mane vſque ad veſperam nunquam finitur. Mane nobis erat, quando nati ſumus: veſpera vero erit, quando per mortis debitum hinc tranſibimus. Tempus igitur præſens dies eſt, in qua laborare debemus, vt in veſpera viuamus. Sicut autem mola circumducta ad eundem ſemper locum reuertitur: ſic labor iſte ſingulis annis more ſolito reiteratur. Modo namque aratur, metitur, ſeminatur, panificatur, comeditur, Et iterum ad idem reuertitur. In veſpera autem, quando dicetur. *Voca operarios.* lætabun-

Pſa.103.

Perſecutio Antichriſti quāta ſit futura.

Matt.24.

Rari virtuti ſtudent, mūdanis vanitatibus multi.

Tria genera laborantiū.

Manè & veſpera quid?

lætabuntur iuſti, puta ſeruata farina tota ſua: alij verò, qui non totam eam ſeruauerũt, in hoc mœſti erunt: læti tamen, quia ex alia parte fructificauerunt. Qui verò laudẽ vanitatis quæſierunt in actionib. ſuis isti farinã totaliter perdiderunt & mœſti erunt, quia nullum fructum attulerunt. Hi ſunt, qui dicent: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* *Luc. 5.*

In præſenti vita propter tria laborãdũ. Si igitur quis quærat, propter quid in præſenti vita laborare debeat? Reſpondeo, quod propter tria, ſcilicet propter conuenientiam temporis, pænitentiam commiſſi ſceleris, & propter vehementiam promiſſi muneris. De primo patet: nam vita præſens habet ſe per modum vigiliæ præcedentis ad feſta ſequẽtia, ſicut ait Holcoth. At in vigilijs ſolent homines laborare feruenter, & diu, vnde & proxiliorem horam comedendi differunt quandoque vſque in ſero; in feſto verò ſolent quieſcere, & ſolatiari. Eodem modo in præſenti vita, tanquam in vigilia debemus abſtinentiam longam tenere, iuxta illud: *Sobrij eſtote, & vigilate.* Et: *In omnibus exhibeamus nos, ſicut Dei miniſtros, in ieiunijs, in vigilijs, in laboribus multis.* Cur ſic? vt in feſto beatitudinis æternæ quieſcamus, iuxta illud: *Amodo dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Sicut autem cenſeretur fatuus qui in vigilijs vacaret a labore, & in feſto laboraret: ſic qui in præſenti vita ociatur, vt in æternum laboret alijs feſtiuantibus. Secundo tenemur laborare propter pænitentiam commiſſi ſceleris? Sicut enim magna gratia eſſet ruſtico, ſi Dominus eum a ſeruitute perpetua abſolueret pro labore vnius diei: ſic homini magnã ſit gratia a Deo, quod pro labore virtuoſo ſuæ pænitentiæ dimittatur ei ſeruitus perpetua culpæ; propter quam alioqui debuiſſet in inferno perpetuò laborare: *qui enim ſeruit peccato, ſeruus eſt peccati.* Iuſtum eſt ergò, vt nos peccatores diem iſtum ſemel in ſeptimana, id eſt, tota vita noſtra laboremus, vt a ſeruitute perpetua, die octaua reſurrectionis noſtræ, liberemur. Tertio laborare tenemur in virtuoſis actibus propter vehementiam promiſſi muneris: nam ſecundum Holcoth vbi ſupra; conſideratio mercedis accendit amorem laboris, maximè ſi attendat homo, quia non niſi per laborem venitur ad mercedem. Narrat ſextus Iulius, quod Cyrus rex Perſarum volens animos popularium concitare ad bellũ contra Medos, tali vſus ſit cautela. Duxit exercitum ad quandam ſyluam, vbi populum tota die in maximis laboribus occupauit in ſylua illa ſuccidenda: in diem verò ſequẽtem iuſſit epulas lautiſſimas præparari, & exercitum cum gaudio & tripudio conuiuari; & circũiens per turmas interrogauit, quis illorum dierum eis maximè placeret? Reſponderunt vero quod dies ſecundus placuerit eis plusquam primus. Quibus ille ſubiunxit. Sicut ergo per laborem heſternum ad hodiernum perueniſtis conuiuium: ſic fælices beatique eſſe non poteſtis, niſi prius Medos viceritis. Eodem planè modo & nos moraliter non poſſumus peruenire ad beatitudinem, niſi prius hic deuincamus Medos, id eſt, dæmones actibus virtuoſis; nec ad conuiuium peruenire poſſumus, niſi per laborem præſentem.

Marginal notes (left column): 1. — *Holcoth ſup. lib. Sap. c. 9.* — *1. Pet. 5.* — *2. Cor. 6.* — *Apoc. 14.* — 2. — *Ioan. 8.* — 3.

Marginal note (right): *Sex. Iul. Stratag. l. 1. cap. 41.*

III.

Otioſi. Graue damnũm prouenit ex ocio, ſicut dicit Hier. in epiſt. ad Demet. nihil. n. in ſancto propoſito deterius eſt ocio, quia non ſolum non acquirit noua, ſed etiã parta conſumit. Ecce damnum grauiſſimum. Sunt autem tria, quæ diſſuadent nobis ocium, ſcilicet natura, ſcriptura & ſãctorũ exemplo. Primo natura diſſuadet ocium, quia omnes creaturæ tam corporales, quã ſpirituales, tã viſibiles, quã inuiſibiles, tam cæleſtes, quã terreſtres, tã ſuper cæleſtes, quã infernales vſque ad diem nouiſſimum ſunt in quodã exercitio, & quaſi quodam miniſterio diũinæ ſeruitutis quæq; iuxta conditionẽ ſuam officium ſuum implendo. Nam imprimis ſupercæleſtes Angeli, non ſunt ocioſi ſed ſemper laudãt Deũ dicentes. *Sãctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth. &c.* quidam etiã eorum mouent orbes cæleſtes, vt dicit Holcoth Sap. 16: Intellige delectabiliter ſine pæna & fatigatione, vt dicit Philoſophus. 1 Methaph. Quidam verò ſecreta diuina inferioribus annunciant & alios illuminant, purgant & perficiunt. Alij verò, vt inferiores ad nos in cuſtodiam & prote-

Marginal notes: *Otioſitas vitanda ob damnum ſequens.* — *Hier. in ep. ad Demet.* — *Ociũ tria diſſuadẽt.* 1. — *Angelorũ labores.*

protectione contra dæmones in mundum diriguntur, vt inquit Apoſtolus. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Secundo creaturæ cæleſtes, vt ſtellæ, ſol, luna, & alia corpora cæleſtia ſunt in continuo motu, & nunquam quieſcunt, iuxta illud. *Oritur ſol, & occidit, & in circulos ſuos reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem.* Quod ſi cui dubium eſt, ſaltem per hanc rationem de motu ſolis continuo certificetur; quia eo moto omnia creſcunt & decreſcunt adeò vt eo ceſſante ceſſarent viuere, vt dicit Holcoth & alij. Quin & luna moueri ex eo arguitur, quia iſta inferiora motu eius nunc humectantur, nunc deſiccantur, ſicut dicit Macrob in Satur. prope finem; & ita de cæteris ſtellis verum eſt, quod ſint in continuo motu, & curſus ſuos peragant ſecundum determinata tempora. Tertiò creaturæ mediæ ſcilicet aereæ, terreſtres, & aquaticæ, ſunt in continuo exercitio. Nam primo aër eſt in continuo flatu & nunc inſpiratur, nunc reſpiratur, nunc ad orientem, nunc ad occidentem ventilatur; de quo in Pſalmo. *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Aues in aëre ſemper volitant, & circumeunt mare & aridam. Aqua ſemper fluit & refluit, omniaque flumina intrant mare, & iterum fluunt de mari. Piſces maris, qui perambulant ſemites maris, quidam vadunt ad retia in vſum hominum, quidam ludunt homini in admirationem, & quidam in exercitationem, & quidam in pœnam. Similiter animalia puſilla cum magnis omnia ſuo modo laborant in officijs ſibi iniūctis, quāquā non laborant pro neceſſitate corporis, neq; nent. Sic ergo omnes creaturæ deteſtantur ocium, & amplectuntur laborem, ad exemplar homini oſtendendum. Inſuper *omnis ſpiritus laudat Dominum, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum eius.* hoc eſt, officia iniuncta ſibi peragunt.

Hebr. 1. *Corporū cæleſtium motus cōtinuus.* *Holc. ſup. l. Sap. c. 7.* *Aeris, & venti operationes.* *Aquæ fluxus continuus.* *Piſcium labor.* *Matt. 6.* *Omnes creaturæ ocium deteſtantur.* *Pſal. 100.*

Secundo ſcriptura diſſuadet ocium, tam veteris, quam noui teſtamenti, quia dictum eſt homini. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Secundo Dauid dicit. *In labore hominum non ſunt.* Et ſequitur. *Ideò tenuit eos ſuperbia; operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.* Tertio Salomon dicit. *Anima diſſoluta eſuriet.* Exponit Gregorius in paſt. parte 3. *Eſuriet*, ſcilicet ſemper ſpargendo deſideria per voluptates. Et iterum Sapiēs dicit, quod in deſiderio ſit omnis ocioſus; dicit enim. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari.* Et: *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergò æſtate, & non dabitur illi.* In nouo etiam teſtamento ſaluator de ocioſo dicit, q diabolus inueniens eum vacantem dicat. *Reuertar in domum meam, vnde exiui & ſic aſſumptis ſeptem nequioribus ſe ingreſſi habitant ibi.* Ecce graue damnum ex ocio, ſcilicet ſuperbia, iniquitas, & impietas fames & mendicitas, & ſuper omnia dæmonum ſocietas.

Scriptura ocium diſſuadet. *Geneſ. 3.* *Prou. 19.* *Prou. 21.* *Prou. 20.* *Matt. 12.*

Tertiò ſanctorum exempla diſſuadent nobis ocium tam veteris quam noui teſtamenti; & primo quidem exemplum primi noſtri parētis, qui expulſus de paradiſo habitauit contra Eden, ad ſignificandū, quod, vt dicit Auguſt. in laboribus, qui ſunt delicijs contrarij, erudienda ſit caro peccati; Eden enim interpretatur ſedes delitiarum. Item Noe vir iuſtus in generatione ſua centum annis arcam fabricauit, vineam plantauit, & labores manuum ſuarum manducauit. Item Abraham fuit tantæ prouidentiæ, vt haberet boues, aſinos & ſeruos plurimos; & quod plus eſt in tantum diues erat, vt ſcriptura de eo non taceret ſed diceret, quod erat diues valdè in poſſeſſione auri & argenti. Iſaac quoque filius eius non ocioſus, ſed ſtudioſus & operoſus circa agrū ſeminauit in terra ſua, & inuenit illo anno centuplum. *Benedixitque ei Dominus, & locupletatus eſt homo; & ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt. habuitque poſſeſſionem ouium & armentorum, & familiæ plurimum.* Sed & Iacob in ſeruitijs duris ſeruiuit apud Laban auunculum ſuum pro duabus vxoribus paſcendo greges & fodiendo puteos annis quatuordecim. Longum eſt pertranſire omnes Patriarchas, qui paſtores ouium ſe appellare non ſunt dedignati, vt patet in Exodo. Veniamus ad Chriſtum caput noſtrum, de quo ipſo quoque ſcribitur per Pſalmiſtam. *Egenus & pauper ego ſum.* Et: *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Quod ſi non credis, audi quid Ioannis 4. dicatur. *Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontē.*

Sanctorū exempla ocium diſſuadent. *Aug. li. de Lap. par.* *Gen. 7. 8. & 9.* *Gen. 12. & 13.* *Gen. 26.* *Gen. 29.*

Fatiga-

Fatigatio illa erat ex diſcurſu prædicatio-
Marc.6. ris, quo *circuibat ciuitates & caſtella docens & ſanans omnes.* Sed nec minus Apoſtoli hoc ipſum feciſſe leguntur. Petrus ſiquidem
Luc.5. primò poſt vocationem etiam rediit ſæpius
Ioan.21. ad piſcationem cum Ioanne & Iacobo & filiis Zebedæi. Paulus de ſe dicit, *quod operatus eſt manibus, nè quenquam de fidelibus grauaret.* Infiniti ſancti laboribus victum quæſiuerunt. Sed quid recenſeo hiſtorias? breuiter concludo, quod non niſi poſt laborem quiſquam ſanctorum quieuit in cęlo, ſiue ſit labor corporis, qui valet ad ope-
1.Tim. 4. ra pietatis, iuxta illud Apoſtoli. *Laboret autem magis manibus ſuis, vt habeat, vnde neceſſitatem patienti tribuat*; ſiue ſpiritualis qui dicitur ipſa *pietas, quæ ad omnia valet.* Sicut ergo maxima eſt vtilitas ex labore ſiue corporali, ſiue ſpirituali iuſtis proueniens, ſic maximũ dãnũ reprobis ex ocio ſubſequens.

Nam vt dicit Bern. *Ocioſitas eſt mater nugarum, nouerca virtutum*; facit enim virum fortem præcipitari in reatum, & ſuffocata virtute nutrit ſuperbiam & viam conſtruit ad gehennam. Ideò Hieronymus dicit. *ſemper operis aliquid facito, vt te diabolus inueniat occupatum.* Diabolus eſt ſicut fur, qui videns equum ocioſum in campo, aſcendit ipſum; non ſic autem occupatum labore. Vnde ocioſus eſt, ſicut caſtrum ſine muro, quod ab hoſte capitur facilè; & ſicut terra ſine cultura, quæ ſpinas viciorum profert; & ſicut arbor autumnalis infructuoſa & mortua; & ſicut vinea neglecta. Ideo fratres chariſſimi excuſſa negligentia labori ſalutifero inſiſtamus, vt per virtutum exercitia poſſimus peruenire ad æterna præmia; ad quæ nos perducat pater, & filius & Spiritus ſanctus. Amen.

Bern. l. 2. de cõſiderat.

Ocium nuuerca virtutũ.

Otioſus quibus ſimilis ſit.

DE EADEM DOMINICA SERMO III.

Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Matt.20.

SAnctus Aug. in libr. de nouo Cant. Tria dicit ſunt genera hominũ, quæ odit Deus, ſcilicet remanentes, retrocedentes, & oberrantes. Excitandi ſunt remanentes, retrocedẽtes reuocandi, errantes in viam reducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi: qui non proficit remanſit in via; qui fortè ampliori propoſito declinat ad illud, quod deterius reliquerat, reuerſus eſt retro; qui fidem deſerit, à via errauit. Hæc Auguſtinus. Cum igitur in vita præſenti multi remanentes, retrocedentes, & oberrantes ſint, volens Dei filius omnes ad profectum ſalutis ſuæ dirigere, hortatur remanentes, vt ad bonum aſſurgant; reuocat retrocedentes, vt in incępto proficiant, & bonũ nõ deſerant; & errantes ad viam reducit, vt rectis greſſibus in via ſalutis incedant; ac per hoc omnes & ſingulos ad ſalutarem laborem animans ſpe mercedis & congruentiæ futuræ hortatur dicens. *Ite et vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo &c.* In quibus verbis tria deſcribuntur: primo Dei admonentis benignitas, cum dicitur; *Ite & vos* ſecundo merẽdi oportunitas, cum dicitur. *in vineam meã.* tertio promittitur præmiorum æternorum prompta liberalitas, cum dicitur; *quod iuſtum fuerit, dabo vobis.* *Propoſi.*

I.

Ite & vos. Reuera magna benignitas hortari, incitare, admonere ad ſalutẽ, quos iuſtitia exigẽte poſſet in momẽto etiã deprimere in gehennã. Dicit ergo. *Ite & vos.* Parẽdũ eſt *Dei admonentis benignitas.*

Parendū præceptioni diuinæ ob tria. huic admonitioni, imo præceptioni ex duabus principalibus cauſis: primo ex parte præcipientis propter tria: ſecundo ex parte noſtra propter alia tria. Ex parte præcipientis Chriſti, primò ideo, quia eſt potentiſſimus; vnde poteſt etiam inuitos cogere ad eundum, iuxta illud: *In ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ: Dominus enim omnium tu es.* Secundo, quia eſt ſapientiſſimus: vnde nihil poteſt præcipere erroneum, cum *ſit ſapientia Dei patris, per quem fecit & ſæcula*; & per quem *attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* vt dicitur apud Sapientem. Tertio quia ipſe eſt optimus, vnde nihil in maleuolum. *Nemo* enim *bonus niſi ſolus Deus.* Quid ergo reſtat ex prædictis, niſi parere iuſſioni, obtemperare præceptioni, & obſequi diuinæ admonitioni?

[margin: 1. Eſther.13. 2. Hebr 1. Sap.8. Luc.18. 3.]

Parendū Deo præcipienti ex parte noſtra ob tria. Secundo parendum eſt huic præceptioni ex parte noſtra, quia non eſt aliqualis excuſatio aut excuſationis occaſio in nobis non parendi, per quā iuſtè & legitimè poſſimus ab executione huius mandati excuſari; primo ratione cōmoditatis omniū circūſtantiarum, ſcilicet tēporis, habitationis, & ſocietatis. Tempus ſiquidem, in quo nobis præcipitur, eſt admodum accommodum, congruum, & per omnia arridens, ſicut & canit Eccleſia hodiè: *Dies abſoluti prætereūt, dies obſeruabiles redeunt, tempus adeſt &c* De quo quidem tempore dicitur. *Ecce nunc tēpus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Ad quid autem acceptabile, oſtendit Salomon dicens: *Tempus naſcendi*, ſcilicet virtutibus. *& tempus moriendi.* ſcilicet vicijs *tempus plantandi.* ſcilicet bonas cogitationes. *& tempus euellendi*, ſcilicet ſuggeſtiones diaboli: *tempus occidendi*, malam voluntatem. *& tempus ſanandi*, id eſt, ſatisfaciendi: ſcilicet pro cōmiſſis delictis: *tempus deſtruendi, & tempus ædificandi*, deſtruendi mala, ædificandi bona. Vnde idem Salomon hortatur nos dicens. *Fili obſerua tempus, & declina à malo.* Idem oſtendens quoſdam tempore abuti dicit, *Laſciuus & imprudens non obſeruabit tempus.* Sunt autem quatuor, quare tempus vitæ præſentis ſtudioſè ſit obſeruandum, quia breue, inſtabile, irreuocabile, & quia oportet de eo rationem reddere. Primo ergo quia eſt breue, non eſt inutiliter expendendum, iuxta illud: *Breues dies hominis sūt.* 1.Corinthiorum 7. *Tempus breue eſt.* Et. *Homo infirmus, & exigui temporis.* Vetulæ peregrinantes non ſolent in via diu ſedere, ſicut viri, quia tardè ambulant, & quia tota dies, quantumcunque longa, vix eis ſufficit ad attingendum terminum eis propoſitum; ideo ſcientes ſuam tarditatem & temporis breuitatem, feſtinant. Sic & nos facere debemus, qui ſumus modo debiles, ſicut vetulæ: patres noſtri erant gigantes velociter currentes. Pſalmiſt. *Exultauit vt gigas ad currendum viam.* Quod poteſt dici de quolibet ſancto, quia ſancti omnes erant admodum fortes in diuino ſeruitio, propter abundantiam charitatis, quia feruebant in Deum. Nos verò in quibus refriguit charitas, in comparatione ipſorum ſumus, vt locuſtæ fragiles & debiles, & ideò tempus nobis commiſſum ſtudioſiſſimè debemus ponderare vt vtiliter expendamus. Secundo obſeruandum eſt nobis tempus, quia inſtabile, nec poteſt diu ſeruari; & ideo ſtatim eſt vendendum, vel commutandum iuxta illud. *Tempus velut vmbra præterit.* Et: *Vmbra ſimilis eſt tranſitus noſter.* Quis vero ignorat, vmbrā expeditiſſimè currere, inſtar lucis, quæ vtique velociſſima eſt. Cum igitur ſic prætereat & tempus, breue ſanè ſit oportet. vt optimè dicit Ariſtoteles, quod de tempore nihil habeamus niſi nunc, vel inſtans quaſi non ſtans, quia nunquam in eodem ſtatu permanet. Vnde neſcio qua ratione verum dicat homo de ſe in ætate prouecta, habeo quinquaginta vel ſexaginta annos, cum non habeat vnam diem neque vnam horam propter tranſitum præcedentem & propter fluxum præteritum, qui nihil eſt in ſe. Vnde Ouidius. *Labitur occultè fallaxque volubilis ætas. Et nihil eſt annis velocius.* Attamen quia labitur occultè, multi non aduertunt, quod prætereat tempus. *Eſt qui locupletatur parcè agendo, & neſcit, quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia alijs.* Tertiò obſeruandum eſt tempus, quia irreuocabile. Nam ſi quis perdiderit diuitias, poteſt recuperare eas, ſi ſanitatem, poteſt recuperare, omnia præter tēpus.

[margin: 2.Cor. 6. Eccl. 3. Eccl. 4. Eccl 2?. *Tempus præſens ob quatuor* | *à nobis obſeruandum.* 1. Ioan. 14. Sap.9. Matt.24. 2. Eccl.8. Sap.2. Ariſt.6. Phyſ. Eccl. 11. 3.]

Sap. 2. *Iob. 16.*

pus. *Reuerſio enim finis noſtri conſignata eſt, & nemo reuertitur*. Et: *Ecce enim breues anni tranſeunt, & ſemitam, per quam non reuertar, ambulo.* Vnde Ouidius. *Nec quæ præterijt rurſum reuocabitur vnda. Nec quæ præterijt hora redire poteſt*;

4. *Reddenda tẽporis ratio.*

Quarto eſt obſeruandum, quia de ipſo rationem debemus reddere. Si enim tuum eſſet, poſſes damnum tuum tolerare: nunc autem, quia mutuo accepiſti, oportet te de ipſo rationem ponere, ideo illud amittere non eſt damnum leue. Vnde Threnorũ primo dicitur. *Vocauit aduerſum me tempus.* Et Bernardus dicit. Omne tempus tibi impenſum requiretur à te, qualiter ſit expenſum. Similiter Anſelmus dicit. *O anima mea quid dictura es. Si enim ſeruus dãnatur, quia reddit pecuniam non multiplicatam quid facturus eſt, qui nec habet quam referat; imo illam amiſit?* Quid dicturus eſt, qui ita negligenter cuſtodit; qui nec iam ſcit vbi vel qualiter amiſit? O quid dicturi ſunt illi, qui dicunt hodie, *deducamus tempus in ſolatijs* O miſerabile ſolacium, quod ſequitur æternum ſupplicium.

Iob. 24.

De talibus conquæritur Iob *Dedit ei Deus tempus pænitentiæ & ipſe abutitur eo.*

Aulici perſtringũr.

Hoc eſt quod meritò deberent ponderare aulici, conſumentes tempus in iocis, vanitatibus, & ludis; in voracitate, ebrietate, & luxuria, quibus omnibus villani ſunt meliores, qui nunquam prætereunt tempus, imo cauſantur, quod eis non ſuppetat ad labores neceſſarios; qui raro inueniuntur vacare illicitis.

Locus cõgruus inuitat ad laborem.

Secundo parendum eſt huic præceptori propter commoditatem habitationis loci. Habitatio noſtra in loco congruo ad laborem, & apto ad operationem, quoniam ſumus in loco omnibus neceſſarijs ſufficienti, ita vt nullus poſſit dicere, non ſufficiunt mihi pro labore alimenta, non veſtimenta; de his Dominus ſollicitus eſt pro nobis.

Matt. 6.

Hinc propheta ait. *In loco paſcuæ ibi mẽ collocauit.* Optima paſcua naturæ, doctrinæ & gratiæ. Quid ergo reſtat niſi operandum. Verum etſi locus eſt aptus ad tempus; tamen multum timendum eſt, nè nimis eſt ruinoſus. Vnde Auguſtinus in quodam ſermone. *Ecce ruinoſus eſt mundus.* Et ſuper epiſtolam Ioãnis dicit idem, quod mundus tranſeat & concupiſcentia eius.

Tertiò ad parendum huic iuſſioni facit commoditas ſocietatis. Multi enim ſancti ſunt, fuerunt, & erunt in Eccleſia Dei, qui nobiſcum collaborant. Vnde circa primã, tertiam, ſextam, nonam, & vndecimam horas exiuit Dominus, & conduxit vniuerſos in vineam. *Conſideremus inuicem in prouocatione charitatis & bonorum operum.* Et ſequitur: *conſolantes tanto magis, quanto videritis diem appropinquantem retributionis.* Vbi gloſſa dicit: Subleuatio laboris eſt viſio collaborantis. Caſſiodorus ſuper Pſalm. 80. Perfecti viri communibus ſe hortantur exemplis, & alter alterius virtutes imitantes mutuæ dilectionis ſe incendio comprehendunt. Vt econtra mala ſocietas multum eſt periculoſa, ideoque fugienda, ne mala, quæ aſpicis & corrigere non vales, imitari incipias. Ex conuictu enim mores formantur. *quia qui tangit picem, coinquinabitur ab ea.*

Hebr. 10. *Prou. 2.*

II.

Vtilitas meritorũ humanorum.

In vineam meam. Ioan. 15. Chriſtus appellat ſe vitem, diſcipulos autem ſuos palmites: Ideo neceſſe eſt, vt ſit locus vitis & palmitis, qui meritò dicatur vinea. Hæc autem eſt Eccleſia Catholica, in qua Chriſtus vitis eſt, & fideles ſunt palmites. Quiſquis ergò verè vult fidelis appellari, neceſſe eſt, vt ſit palmes verus, & in vite manens, vt dicitur ibidem, & ideò dixi, quod hic deſcribatur opportunitas meritorum noſtrorum, merita enim noſtra nullibi poſſunt eſſe fructuoſa, niſi in vinea Domini, id eſt, in Eccleſia, eo quod extra Eccleſiam non ſit merendi locus, quia ibi non habetur gratia, nec ſpiritus ſanctus, nec remiſſio peccatorum. 1. q. 1. *remiſſionem & c. multi. 24. q. 1 Alienus*. Si ergo quiſquam deſiderat mereri vitam æternam, oportet vt ſit in vinea ſimulque vt coniungatur & adhæreat viti Chriſto, ſcilicet, per charitatem 24. q. 3. *Cum quis. & 93. diſt. legimus*. Licet autem vti exiſtimo conueniẽter in ſermone præcedenti aſſignauimus conuenientiam & ſimilitudinem Eccleſiæ ad vineam, & poſuimus multiplicem

Opera bona infructuoſa extra Eccleſiam.

diſtinctionem vineæ: tamen pro aliquali ædificatione & diffuſione iſtius materiæ hic ſolam nonnulla de duplici vinea ſubiungemus. Eſt autem prima vinea generalis omnium ſancta & vniuerſalis Eccleſia. Eſt & alia ſingularis, & ſpecialis cuiuslibet Chriſtiani conſcientia propria. Vnde optimè Bern. dicit. *Vinea Eccleſia ſancta eſt in qua Apoſtoli palmites, Dominus vitis, & pater agricola eſt, in fide plantata, in charitate radicata, nutrita & defoſſa ſarculis diſciplinæ, pœnitentium lachrymis rigata, ſtercorata prædicatium verbis & ſic ſano exuberans vino in quo eſt lætitia, ſed non luxuria vino totius ſanitatis, nullius libidinis. Hoc certe vinum lætificat cor hominis. Quod conſtat & Angelos bibere cum lætitia. Denique gaudent & ipſi in pœnitentia & conuerſione peccatorum, ſalutem hominis ſitientes: lachrymæ pœnitentium vinum eorum.* Hæc ille.

Eccleſia vinea prima generalis.

Bern. ſup Cãt. ſer. 31

Pſal. 79.

De prima vinea dicitur. *Vineam de AEgypto tranſtuliſti.* Innoc. dicit. Vinea Domini eſt Eccleſia propter ſex cauſas: primo propter inutilitatem ligni abſciſſi: vt enim nõ eſt vtile lignum vitis abſciſſum, niſi ad combuſtionem, ſic nec homo abſciſſus ab Eccleſia, iuxta illud. *Fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quæ ſunt inter ligna ſyluarum: Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas: Ecce igni datum eſt in eſcam.* Hac eadem ratione Eccleſia dicitur fons, à quo ſi quis præciſus eſt, areſcit. 24. q. 1. *Omnibus*. Secunda ratio quia vt vinea tormento fructificat, ſcilicet in foſſione terræ & abſciſſione ramuſculorum: ſi autem quieta & inculta relinquatur, degenerat & non facit fructum: ſic & Eccleſia tribulationibus & oppreſſionibus magis, magiſque fructificat. Vnde Dominus conquerens de vinea iſta dicit. *In prælio gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter*, quaſi dicat Parum fructificat in proſperitate, ſed ego faciam fructificare in aduerſitate. Et tangit conſuetudinem quarundam regionum, in quibus multiplicantur vineæ adeò vt quaſi in ſyluas degenerent, quæ ab hominibus combuſtæ, poſtea optimè fructificant. Tertia ratio quia vt ſola vinea vinum habet: ſic & ſola Eccleſia vinum doctrinæ ſalutaris habet. Vnde dicit Eccleſia. *Dabo*

Ezech. 15.

Nota cõparationẽ vineæ & Eccleſiæ.

Iſaia 27.

Cant. 8.

tibi poculum ex vino condito. Vinum conditum dulce eſt, & medicinale. *Nunquid colligunt de ſpinis vuas?* quaſi diceret. Non habetur ſalutaris doctrina à Iudæis, aut gentibus, aut hæreticis, ſed tantum ab Eccleſia; qua de illis dicitur. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum.* Quarta ratio, quia vt ex pinguedine debilitatur vinea, & luxuriat: ſic & in vinea Eccleſiæ ex abũdãtia temporalium naſcitur luxuria in palmitibus, ſcilicet in clericis; & ex hoc debilitatur, & inſipidum fit vinum, id eſt, doctrina Eccleſiæ, quia multis poteſt dici: *Qui prædicas non furandum furaris, qui dicis non mæchandum, mœcharis.* Et: *Vinum tuum mixtũ eſt aqua*, id eſt carnali voluptate inſipidum factum. Quinta ratio, quia, vt vinea radicata inter petras in eminenti loco radijs ſolis expoſita melius vinum facit: ſic illi in Eccleſia, qui fundati ſunt, & firmati in duritia pœnitentiæ, in eminenti vitæ, in feruore charitatis, melius docent & operatur. Hinc dicitur apud Ierem. *Adhuc plantabis vineam in montibus Samariæ.* Samaria interpretatur cuſtos Domini, vel con iuncta Domino: pœnitentia vero & charitas coniungunt hominem Deo, & Deum hominem cuſtodiunt. *Pœnitentiam agite & appropinquabit vobis regnum cælorum. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ecce cuſtodia Domini. Sexta ratio eſt, quia ſicut vinea paxillis & baculis ita Eccleſia Dei, & ſanctorum, adiutorio cœleſtium ciuium alligata, & erecta tenetur & ſeruatur. Vnde ſponſa loquens ſanctis, id eſt, amicis ſponſi dicit. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Deſideria æternorum ſunt flores, ex quibus fructus bonorum operum ſequuntur Eccl. 6. *Vincula illius ſunt alligatura ſalutaris.* Rectè ergo Eccleſia cõparatur vineæ, de qua vlterius dicitur. *tranſtuliſti* ſcilicet de infidelitate ad ſidem, de errore in veritatem, de prauis moribus in ſanctã conuerſationẽ; *eieciſti gentes*, id eſt, ſuperbos & voluptuoſos, & idololatras auaritiæ reprobaſti. *& plãtaſti eã.* ex humilibus & abiectis. *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi nobiles, non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes: ſed quæ ſtulta*

Matt. 6.

Deut. 32.

Rom. 2.

Iſaia 1.

Ierem. 31.

Matt. 4.

Ioan. 14.

Cant. 2.

1. Cor. 1.

ſtulta ſunt mundi, elegit Deus. In hac ergò vinea cuilibet eſt operandum iuxta mandatũ Apoſtol. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Opus autem vineæ eſt, vt plãtetur per prælatos & prædicatores. *Ego plãtaui Apollo rigauit.* Et: *Conſtitui te vt euellas* nociua & errores. *deſtruas & diſperdas.* ſcilicet prauos mores. *& diſſipes.* occaſiones. *ædifices* fidem. *& plantes* virtutes. Hæc vinea, id eſt, Eccleſia habet vulpes ipſam deſtruentes, de quibus dicitur. *Capite nobis vulpeculas paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Vulpeculæ ſunt hæretici, quia callidi, fœdi & indomiti ſecundum D. Thom. Paruulæ ſunt hæ vulpeculæ falſæ humilitatis fictione, creſcentis doli ſuſpitione, velata veritate: vel paruæ capiendæ ſecũdum Gorran. id eſt, in ipſo initio fraudis, ne maiores effectæ amplius noceant, cum ſcilicet creuerint in dolo. Vel paruulæ, ſunt quia viles ſunt, qui demoliuntur vineas, id eſt, præcipitia faciunt, id eſt ſuffoſſiones. Vel demoliuntur vineas falſa ſcripturarum expoſitione, peſtifera conuerſatione, erratica prædicatione. Sunt autem hæ vulpeculæ capiendæ tripliciter. retibus. ſagittis. & canibus. Retibus, id eſt, ſententijs ſcripturarum: ſagitis, id eſt, perfectione exemplorum bonorum: canibus, id eſt, ſagacitate ſubtilium diſputationum.

Gala. 6. / 1. Cor. 3. / Ierem. 1. / Cant. 2. / *Hæretici ſunt vulpeculæ.* / *Capiendi tripliciter.*

Secundò foditur vinea per confeſſores. Vndè Ezech. 8. dicitur Confeſſori. *Fode parietem. Et cum fodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum, &c.* & eccè omnis *ſimilitudo reptilium.* quia poſt diligentem inquiſitionem in confeſſione apparent reptilia vitiorum. Tertiò purgatur per prælatos. Ioan. 15. *Omnem palmitem non ferentem fructum abſcindet, eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum vt fructum plus afferat.* Purgatio iſta fit per iuſtitiæ falce Vndè Cant. 2. dicitur. *Tempus putationis aduenit.* Sed dices, quare purgat palmitem ferentem fructum? Reſpondeo propter duo, vt plùs ferat fructum. prȩterea quia ab omni vitioſa ſpecie, non ſolum ab ipſo vitio cauendum eſt. Vnde etſi non eſt malitia in palmite, tamen fortè eſt ſpecies, vel occaſio, niſi purgetur. Hinc Apoſtolus dicit. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Quartò ædificatur vinea per viros iuſtos. *Sepiuit eam & ædificauit turrim, & torcular extruxit in ea.* Sepes eſt munimentum benè operantium, quo ſepiuntur, nè exterminentur; torcular patientia; turris contemplatio: vindemiatores eius ſunt angeli, iuxta illud. *Miſit angelus falcem in terram.* Et: *Meſſores angeli ſunt;* qui colligent zizania à tritico & ſeparabunt abinuicem in fine mundi.

Eccleſia vinea quomodo per cõfeſſores fodiatur. / *Quomodo putetur Eccleſiæ vinea.* / 1. Theſ. vl. / Iſaie 5. / *Quomodo eadem ædificetur, & à quibus?* / Apoc. 14. / Matth. 13

Secunda vinea eſt ſingularis, id eſt, conſcientia cuiuslibet iuſti, neglector huius vineæ increpatur per Salomonem dicens: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleuerant vrticæ & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Sed quid de malitia vineæ dicimus, nondum bonitatem eius audientes? Itaque ſciendum quod ſecundum Bern. ſuper Cant. ſerm. 58. & 64. Vinea cuiuſlibet hominis ſit propria illius conſcientia, in qua fides eſt vitis, virtutes palmites, botrus opus, deuotio vinũ. Quȩ ſanè ſimilitudo appoſitiſſima: nã nec abſq; vite palmes, nec virtus ſine fide aliquando. *Sine fide* enim *impoſſibile eſt placere Deo.* In hac ergò vinea vt dicit ſer. 63. Bern. *nihil incultum, nihil deſertum, debet ſapiens derelinquere;* quæ omnia cum ſtultus negligat cuncta iacentia, inculta & ſordida relinquens eius conſcientia non eſt vinea. Vndè e dẽ dici poteſt quomodo vinea eſt, vbi nil plantatum, nil elaboratum nuſquam paret; tota ſpinis ſylueſcit & tribulis. Stulti vita vinea ſi fuerit. iam eſt redacta in ſolitudinem, vbi enim vitis virtutis, vbi botrus boni operis, vbi vinum lætitiæ ſpiritualis? Quod ergò irridet ſapiens vt dictum eſt ſupra. vineam ſtulti ſignificat ſecundum Bernar. quod bona naturæ & gratiæ, quæ per lauacrum regenerationis acceperat, tanquam quæ plantauit Deus, & non homo, primam ſuam vineam. in non vineã iſte negligendo redegit. Denique non poteſt vinea eſſe; nam ſtultus qui viuit, mortẽ potius amat, vt dicit Bern. quam vitam. *Quomodo vita cum ſterilitate, arbor arida & in ſterilitatẽ verſa. nonne mortua indicatur ſic ſtultus eo ipſo, quod inutiliter viuit, mortuus eſt: Soli ergo ſapienti conuenit habere vineam, vel eſſe vineam, qui vi[...]n habet & lignum fructiferum in domo Dei.* Et ſequitur poſt pauca *Bona vinea iuſti bona vita, imò bona vinea iuſtus, cui virtus vitis, cui palmes actio, cui vinum teſtimonium conſcientiæ, cui lingua torcu-*

Conſcientia vinea ſecunda cuiuslibet iuſti. / Prou. 24. / *Vinea bona vita.*

torcular expreſſionis. Huius vineæ vinitor neceſſe eſt c ram vt gerat de duobus, ſcilicet de frequenti putatione, & de cuſtodia forti. Nam primò putatio conſcientiæ adeò eſt neceſſaria, & ſemper, vt non modicum periculum faciat modica negligentia: & in hoc reprehenditur quorundam falſa ſecuritas, qui ſe putant pauca vel nulla emendatione digna habere; cum tamen dicat Bernard. ſuper Cant. ſermon. 58. *Quis ita ad vnguem omnia à ſe ſuperflua reſecauit, vt nil ſe habere putet dignum putatione?* Et ſequitur: *Credite mihi, & putata repullulant & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, quod ſæpè putandum eſt, imo ſi fieri poſſet, ſemper qua ſemper, quod putari oporteat, ſi non diſſimiles inuenis*. Et ſequitur. *Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, non magis compreſſa* Hæc ille.

Vinea cõſcientia putanda.

Bernard.

De ſecundo, quomodo neceſſaria ſit fortitudo cuſtodiæ dicitur. *Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.* Ecce bonus murus, labor continuus & afflictio carnis: hæc enim cuſtodiunt conſcientiam, iuxta illud: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* O bona vinea, ſic plantata, ſic putata, ſic fortificata. Quiſquis ita viuit, vt bona plantet, & etiam diligentius conſideret, cuſtodiatque, bonus eſt vindemiator.

Fortiter cuſtodiẽda.

Thren.3.

III.

Quod iuſtum fuerit dabo vobis. Præmium hoc eſt denarius diurnus, id eſt, æterna beatitudo, quæ finem non habet, & dat omnibus in hac vita benè laborantibus. Licet autem ſit iuſta, & æqua merces hæc ſanctorum, & præmium beatorum, quoad congruentia, eò quod congruum ſit vt illis detur quies in futuro, qui laborauerunt in præſenti, iuxta illud. *Amodo dicit, ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.* Et ſequitur: *opera enim illorum ſequuntur illos.* Hoc etiam addit Eccleſia ſecundum quoſdam, & iuſtum eſt, *vt qua menſura menſi fuerint*, hic Deo ſeruiendo, *vt eadem remetiatur eis* in futuro, cum Deo conregnando. Attamen non eſt æqualitas præmij ad meritum, quantum ad condignum. Ex condigno enim importat æqualitatem premij ad meritum ſecundum rectam æſtimationem; ſed congruum ſolum ſecundum liberalitatem donantis, ſecundum quod decet eum dare ex cõgruo, quia decet liberalitatem Dei, vt omni, qui ſe non poſuit obicem, vitam æternam tribuat. De hac mercede, & præmio dicitur: *Ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis.* benè dicit magna nimis Erit enim magna ſupra meritum, ſicut Dominus promittit dicẽs *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* Et Iacob 1. *Dat omnibus affluenter*; plus enim dat, quam aliquis mereatur. Sap.3. *In paucis vexati, in multis benè diſponentur.* Romanor. 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Benè dicit, *non ſunt condigna* quia ſunt ſuper ſperatum. Philip. 4. *Pax Domini exuperat omnem ſenſum* Ideò dicitur Iſaiæ 60. *Tũc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Mirabitur autem homo, quia ſuper quam ſperauit, accipiet à Domino. 3. Regum 10. *Non credebam narrantibus, donec ipſa venirem, & viderem.* Item ſupra deſideratum, vnde Salomoni dictum eſt. 3. Reg. 3. *Hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi*, ſcilicet diuitias & gloriam. Item ſupra cogitatum. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt quæ Deus præparauit diligentibus ſe.* De his quattuor dicitur Luc. 6. *Menſuram bonam.* ecce primum. *& confertam.* ecce ſecundum. *& coagitatam.* ecce tertium. *& ſupereffluentem.* ecce quartum. *dabunt in ſinum veſtrum.* Cogita quidvis, exopta, deſidera; ſuperat & excedit omnia illa fœlicitas, illa æternitas, illa beatitudo, ad quã nos perducat Deus Pater &c.

Denarius diurnus vita æterna.

Apoc.14.

Luca 6.

D.Thom. in 7. ſent. d.18.q.3.

Geneſ. 15.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

SERMO II.

Cum turba multa eſſet cum Ieſu, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem. Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Lucæ 8.

INquit ſanctus Auguſtinus, ſuper Joan. in quadam homil. *Attulit Chriſtus veritatem, vt doctor; manſuetudinem, vt liberator, iuſtitiam vt cognitor.* Meritò Chriſtus iſta afferre debuit mundo, quæ nemo alius afferre potuit, præſertim cum totus mundus in maligno poſitus & errore pollutus, & à diabolo oppreſſus, & peccatis eſſet obnoxius. Quid ergo mirũ ſi homines ad ſe venientes attrahebat, qui veritatem omnes docebat, in veritate & caritate non ficta; qui manſuetus, & mitis, ſicut ouis ad occiſionem ductus, omnibus ſe humiliabat; qui iuſtitiam regni cęleſtis omnibus prędicabat. Sic ergò turbæ prędicante Chriſto velut odoriferis floribus oblectatæ currebant ad eum dicentes. *Trahe me poſt te, curremus in odore vnguentorum tuorum.* Quod tractans beatus Ber. dicit, quod cum Chriſtus factus ſit nobis ſapientia à Deo, iuſtitia, iuſtificatio, & redemptio. Ex his tanquam vnguentis precioſiſſimis ſuper montes aromatum de cæleſtibus ſpeciebus confectis tanta eccleſiæ nares odoris ſuauitas repleuit, vt mox à quatuor partibus mundi, excitata illa dulcedine, ſuperuum properaret ad ſponſum tanquam vera illa regina Auſtri feſtinans à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Opiniónis ſiquidem odore, id eſt famæ bonæ notitia prouocata, quoniam is qui ab æterno ex patre ſapientia erat, factus eſſet in tempore iuſtitia, iuſtificatio, & redemptio, deſiderauit vt horum quoque in odorem currere poſſet. Hæc Bernard. Meritò ergo ad Chriſtum currebãt turbæ, ſicut noſtrum thema dicit. *Cum multa turba eſſet cum Ieſu.* Jn quibus verbis tria deſcribuntur: primò hominum erga Chriſtum affectio, & deuotio feruentiſſima, cum dicitur; *Cum turba multa eſſet cum Ieſu, & de ciuitatibus properarent:* ſecũdò diuinæ manifeſtationis dignatio gratioſiſſima, quia *exijt qui ſeminat.* Tertiò eiuſdem verbi Dei commendatio excellentiſſima, cum dicitur *ſeminare ſemen ſuum.*

Cant. 1.

Bern ſup Cant. ſer. 22.

Suauitas doctrinæ Chriſti.

Propoſitio

I.

Cum turba multa eſſet cum Ieſu & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem &c. Affectio & deuotio iſtius turbæ ad Chriſtum ex qua properabant ad eum, nihil aliud in nobis, niſi celerem & feſtinam conuerſionem ad Chriſtum ſignificat. Cũ enim neſciamus diẽ, neq; horã mortis noſtrę. *neſcit enim homo finem ſuũ:* certè debem⁹ ſine dilatione ꝓperare ad Chriſtũ: iuxta illud. *Nè tardes cõuerti ad Deũ, & nè differas de die in diem.* Mirũ ſanè, cum adeò multa ſint hominem agitantia, ſtimulantia, & attrahentia ad Deum: quod non properat ad eum. Primum ergo agitans ſeu compellens ad Deum eſt timor; de quo dicit poeta. *Pedibus timor addidit alas.* & reuera, ſi nolumus decipi, multas cauſas ruinæ homo inuenit in ſe & ex ſe, propter quas neceſſe eſt eum properare ad Chriſtum, vt euadat ruinam ſibi imminentem. Nam ſi conuerterit ſe ad ſanitatem propriam, inuenit quia illa eſt, ſicut laſciuus equus; de quo timendum, nè propter ſui vehementiam pręcipitetur vbique in foueam iuxta illud: *Proni ſunt*

Timor ſtimulus cõpellens ad Deum.

ſunt ſenſus hominis in malum ab adoleſcentia ſua. Si verò conuerterit ſe ad fragilitatem ſuam, inueniet ſe omninò infirmum, *quia* Matt.26. *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Et ob hoc facile eſt ſeducibilis & difficile erigibilis, quia vt inquit Iſidor. *per ſe cadit & ex ſe, per ſe autem non ex ſe non reſurgit,* Hinc dicitur in pſalmo quod homo ſit *ſpiritus vadens & non rediens.* Si etiam ſe conuerterit ad hoſtem, eſt & hinc timor maximus. Nam ſi cõſideret hoſtem carnem, hoſtem domeſticum, magnus timor, quia iuxta Boëtium. *Nulla peſtis efficacior ad nocendum quam familiaris, ſeu domeſticus inimicus.* Vndè & ait ſaluator. *Inimici hominis domeſtici eius.* Hic enim hoſtis noſtris armis contra nos dimicat. & noſtris ſagittis & lanceis contra nos pugnat, quia eo ipſo, quo carni ſubuenimus, hoſtem nutrimus, dicit Gregor. Gregor. in moralibus Si autem homo conuerterit ſe ad alium hoſtem. ſcilicet mundum. hinc grauior eſt metus & periculum quia vt dicit Bernard. *Sæuit mundus ſicut lupus.* Vnde ſaluator mittens Apoſtolos ait. Matt. 10. Matth.10. *Mitto vos ſicut oues in medio luporum* Lupus autem non aliud facit, nihil aliud meditatur, nihil aliud molitur quam vt rapiat & diſſipet oues vt dicitur apud Ioan. 10. Ioannem. Ecce ſæuitia. Si verò cõuerterit ſe homo ad hoſtem tertium ſcilicet diabolum, qui & aſtutia prudentior, quia *ſerpens erat* Geneſ.2. *prudentior cunctis animantibus ſuper terram:* & diuturnitate temporis experientior, & malitia nocendi nequior & ideò deterior, quia vt dicitur 1.Pet. 5. *Sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret*; maximis ſanè ſe periculis expoſitũ videbit. Vnde caro eſt ſicut catulus domeſticus, quia quamdiu macer eſt, obediens eſt, & blanditur. ſed quam primum incraſſatur, vertitur in rabiem & mordet Dominum. Mundus eſt vt lupus, qui ſimulat ſe ſub pelle ouina, ſed intrinſecus eſt plenus rapacitate. Mat.6. Diabolus ſimulat ſe agnum, vt dicit Auguſtin. Aug. in medit. ſed deuorat, vt leo. Quis ergo ſibi non metuat ab his hoſtibus? Certè ſufficiens imò maxima & iuſtiſſima eſt cauſſa timoris, & per conſequens accelerationis ad Chriſtum, qui eſt protector, refugium & firmamentum ab omnibus iſtis. Vnde in pſal. *Dominus firmamentũ meum, & refugium meum: in hoc ego ſperabo.* O quantum properaret, qui prędones equum vel res alias ablaturos ſibi timeret: vel qui inimicum poſt tergum ſequentem cerneret quam velociter curreret. Certum hoc eſt de omnibus prædictis. hoſtibus quia velociſſimè perſequuntur hominem. Thren.4. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli.* Sufficiẽs cauſa fugę, velocitas perſecutoris.

Secunda cauſa faciens properare ad Deũ eſt pudor ſtimulans. Multis currentibus ſpectatores dicunt: intendite nouiſſimum; multi ſanctorum ante nos currerunt velociter poſt Chriſtum, ſicut Dauid, qui dixit. *Cucurri in ſiti*; & in quanta ſiti aperit dicens: *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarũ: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Similiter alij viri & fæminæ, ſenes & iuuenes, vt dicitur in præſenti Euangelio, de ciuitatibus properarunt ad eum: pudeat nos eſſe nouiſſimos, & ſuſtinere inſultum ſanctorum in nouiſſimo die. Grues enim nouiſſimam perſequuntur, & mordent: idem ſanè nobis timendum eſt, ſi fuerimus vltimi. *Pudor fecũdus ſtimulus ad Deum cõpellens.*

Tertia cauſa eſt tempus vrgens. Non mirum ſi patriarchæ olim non properaſſent in ſeruitio Dei, qui diu vixerunt, & multum temporis habuerunt; ſed ſanè nos properare oportet, quia tempus breue vitæ noſtræ. *Nouiſſima hora eſt,* & ideò conuenit inſtare. Eccleſ.36. *Feſtina tempus, & memento finis.* Credunt multi ſe habere multum temporis, & ecce mors in ianuis eſt: *cum enim dixerint pax, & ſecuritas tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Iob 21. *In puncto ad inferna deſcendũt.* *Tertius ſtimulus tempus vrgens.* 1.Ioan. 2.

Quarta cauſa eſt locus recipiens. Curſores ituri ad villas non multum properant, quia omni hora intrare poſſunt: ſed ituri ad ciuitates, quæ claudi poſſunt, properant, nè foris maneant. Munitus eſt locus ad quem tendimus, & modò patet & cito dicetur. *clauſa eſt ianua.* Matth.25. Vnde Hebræ. 4. dicitur. *Feſtinemus ingredi in illam ciuitatem.* Sed nec prætereundum eſt, quod dicitur. *properabant de ciuitatibus ad Ieſum.* Si ciuitatenſes properabant ad Ieſum relictis ciuitatibus, quid dicturi ſunt villani, ſi illi de ciuitatibus properabant? Quid dicturi ſunt ciuitatenſes, qui necdum in ciuitate volunt ſtatu- *Quartus locus recipiens.*

ſtatutis diebus venire ſaltem ſemel in ſeptimana ad Eccleſiam, vbi eſt Ieſus per ſpecialem cultum & deuotionem. Ciuitas tñ hic ſignificat non incongruè mundũ, in quo eſt munitio ſecurans, negociatio ditans, & deductio conſolans. Hæc licet olim fuerint in mundo; tamen iam mundus ſenuit, & omnia iſta amiſit, vt dicit Gregorius. Iam enim mundus tot amaritudinibus plenus eſt, vt ipſe mundus iam nos à ſe repellat, & ad Chriſtum inuitet. Veruntamen ſi adhuc prædicta eſſent in mundo, nihilominus properandum eſſet è mundo ad Chriſtum quia in ipſo habetur ſecuritas plenior. *In mundo preſſuram habebitis, In me autem pacem.* In ipſo negociatio vtilior, quia carè emit noſtra & exiguo precio dat nobis ſua; quia vt ait Auguſtinus. *Regnum cœlorum tãtum valet, quantum habes.* In ipſo eſt deductio ſuauior. *Non habet tadiũ conuictus illius.* Properemus ergò ad Ieſum dimiſſis ciuitatibus, id eſt, mundi huius delectationibus: oportet exire & operibus ſeculi, vt quis veniat in conſortium Chriſti.

Gregor. *Mundus amaritudine plenus.* *Ioan.16.* *Sap.8.*

II.

Exijt Ecquis ſufficiat ſufficienter cogitare hanc gratiam, aut compẽſare dignè qua filius Dei exiens de ſinu patris dignatus eſt huic mundo apparere? certè nullus. Vnde Apoſtolus dicit, quod *ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*, ad Titum 3. Legitur autem quintuplex exitus noſtri Saluatoris, quo dignatus eſt gratioſè exire ad plura. Primò enim exijt à patre per æternam generationem. *Ego ex Deo proceſſi & veni.* Et: *Exiui à Patre. Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis eius.* Secundò venit de cœlo per incarnationem. *A ſummo cœlo egreſſio eius.* Et: *Miſit Deus filium ſuum in mundum.* Miſſio hæc ſeu egreſſio incarnatio eſt. Tertio exiuit ab vtero virginis per temporalem generationem. Ipſa eſt enim porta clauſa, quam Dominus Deus Iſrael egreſſus eſt. Vnde cantat Eccleſia. *Et exiuit per auream portam.* Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe*, id eſt, Chriſtus de virgine: vnde & cantat Eccleſia. Virgo Dei genitrix virga eſt, flos filius eius. Quartò exiuit è mundo per mortem Pſalm. *Domini Domini exitus mortis.* Dicit gloſſa. *Domini Domini mortis*, id eſt, Chriſti, qui eſt dominus mortis, non fuit alter exitus ex hoc mũdo, quam per mortem. Ioan.13. *Sciẽs Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat de hoc mundo ad patrem.* Quintò exijt de occulto ſuæ conuerſationis, ad manifeſtationem ſuæ prædicationis, de quo exitu dicitur hic. *Exijt ſeminare.* Exijt autem ad quatuor: primò ad operandum iuxta illud pſalm. *Exibit homo ad opus ſuum.* Et: *Cœpit Ieſus facere & docere.* Secundò exijt ad pugnandum contra diabolum. Iſa.42. *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator.* Mich.1. *Egredietur Dominus de loco ſancto ſuo, veniet vt ſaluet populum ſuum.* Matthæ.12. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet: ſi autem fortior illo ſuperuenerit &c.* Tertiò exiit ad conducẽdum operarios, ſicut patuit dominica præcedenti, quomodo exierit circa horam primam, tertiam, ſextam, nonam & vndecimam. Quartò exijt ad ſeminandum, ſicut dicitur Cant.7. *Egrediamur in agrum.* Quamuis autem diuerſimodè ſeminat, vt patebit in ſequentibus, tamen præcipuum ſemen, ad quod exijt in incarnatione in hũc mundum, fuerunt ſemina donorum gratuitorum. Ante incarnationem Chriſti totus mundus fuit ſterilis, ſed per ipſum fœcundatus eſt ſemine gratiæ. Ideò dixi quod iſte exitus ſit gratioſiſſimus, quo exijt in mũdum ſeminare ſemen gratuitum. Sicut autem dicit Alexander Halenſ. quod primo bonus agricola terram excolat; excultam ſeminet; ſeminatam irriget; & ſi neceſſe ſit extirpatores malarum herbarum conducat, & tandem metat. & meſſum in horreum congreget: ita Dominus, qui factus eſt colonus propter nos, exiuit in terram primò vt iſtã terram, ſcilicet cor noſtrum excoleret; quia homo indigebat bono cultore, & terra propter peccatum primorum parentũ erat plena ſpinis & tribulis iuxta illud: *Spinas, & tribulos germinabit tibi*; Et ita erat ſylueſtris terra: Propterea Chriſtus exiuit portãs proprijs humeris aratrum crucis: Vndè Ioan.19. dicitur. *Exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus, vbi crucifixerunt eum*; vbi euulſæ ſunt ſpinæ parentum noſtrorum. 2.Reg.23. *Præ-*

Saluatoris exitus quintuplex. *Ioan.8. & 16.* *Miche.5.* *Galat.4.* *Ezec.44.*

Chriſtus ad quatuor exijt. *Acto.1.* *Dona gratuita ſemen præcipuum.* *Quomodo ager colẽdus.* *Ierem.14.* *Geneſ.3.*

uaricatores autem ſicut ſpina euellentur vniuerſi, quæ non tolluntur manibus. Poſtquam autem Chriſtus aptauerat agrum mũdi huius, & cordis noſtri, poſtmodum exiuit ſeminare, ſicut promiſerat apud Oſeam: *Seminabo eam mihi in terram, & miſerebor eius, quæ fuit ſine miſericordia.* Hoc ſemen petebant antiqui Patres Geneſ. 47. *Da nobis ſemina nè pereunte cultore terra redigatur in ſolitudinem.* Poſtquam verò ſeminauerat in terram cordis noſtri diuerſa dona gratiarum ſecundum diuerſas diuiſiones, exiuit & ad irrigandum; quod factum eſt, quando poſt aſcenſionem ſuam miſit Spiritumſanctum in corda fidelium, iuxta illud: *Cœli ac nubes diſtillauerunt aquas*, ſcilicet gratiarum Spiritusſancti. Hic eſt ros, de quo Iſaiæ 26. *Ros tuus ros lucis.* Sicut enim ros eſt refrigerium contra æſtum in æſtate, ſic Spiritus ſanctus contra æſtum concupiſcentiarum in corde. *Nonne ardorem refrigerabit ros?* Et ſicut ros eſt incremẽtum omnium frugum, quia eo deficiente deficiunt fructus; ſic gratia Spiritusſancti deficiente in mundo nullius opus eſt meritorium. Vnde dicitur Eccleſiæ Chriſti per prophetam. *Dabitur pluuia ſemini tuo, vbicunque ſeminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus & pinguis.* hoc eſt, omne opus, quodcunque feceris, erit acceptabile & meritorium ad ſalutem.

Oſee 2. *Iudi. 5.* *Iſai. 26.* *Eccl. 18.* *Iſaia 30.*

Verum quia interdum opus eſt extirpatione ad agrum purgandum à malis herbis, ideò Chriſtus idipſum non negligens prouidit de Sanctis Apoſtolis & prædicatoribus, qui ad hoc miſſi ſunt, vt deſtruant vitia, & euellant errores, ædificent virtutes & plantent vtilia. Ecce quanta diligentia Chriſti circa culturam cordis noſtri. Sed quia omnia prædicta nihil valerent, ſi cuſtodia ſeminis deeſſet; ideò & de hac Chriſtus non minus eſt ſolicitus quam de prædictis. Cuſtodit ergò ſemen gratiæ in corde noſtro diuerſimodè: nã primò adhibet cuſtodiam ſenſuũ, nè diabolus ſicut fur intret per feneſtras in cor hominis. *Per feneſtras apertas introibit, ſicut fur.* Apponit & ſepem timoris ſui, quem videns diabolus in homine non audet accedere, maximè cum videt hominem ex timore, ad charitatem procedere; alias nihil timet. Sicut enim aues primò timent formidinem, ſed poſtea videntes, quia non mouetur vt homo, ſtercoriſant ſuper eam, eodem modo diabolus hominem timoroſum primo non audet tentare, ſed ſi videat, quod non proficiat de bono in melius, poſt audacter eum aggreditur. Tantum de ſecundo.

Ierem. 1. *Ioel 2.*

III.

Seminare ſemen ſuum. Multi multa ſeminauerunt ante Chriſtum; ſed nullum ſemen ita fuit vtile, ita fructuoſum, ita efficax hominibus, ſicut ſemen filij Dei; quod eſt donum gratuitum, vt dictum eſt, & ideo dicitur ſemen *ſuum* per excellẽtiam, non extraneum, non alienum. ſcilicet diaboli, vel hæretici. quia diabolus ſeminat zizania; hæreticus errores. *Qui ſeminat dolores.* Plures etiam alij diuerſa ſeminabant, ſed mala, de quibus in pſal. dicitur. *Semen impiorum peribit.* Ideò Chriſtus venit cum optimo ſemine, quod fructificat in centuplum. Quomodo autem ſeminet vtiliter, & efficaciter & excellenter in ſuis fidelibus opera bona, & meritoria breuiter videamus. Cum omne opus bonum hominis non ſit aliud, niſi ſemen Dei, ex quo debet ſperare fructum in vita æterna, iuxta illud; *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*; certè impoſſibile eſt vt non ſit magna vtilitas, aut non ſequatur maximus fructus, vbi Deus ſeminat aliquid in homine, aut per hominẽ; & quia homo tripliciter meretur, ſcilicet corde, ore & opere, ideò triplicem fructum ex triplici ſemine conſequitur. De corde ſiquidem per oculos ſemina emittit lachrymarum, quoties pro peccatis plorat: ex quibus lachrymis accipit fructum exultationis, & lætitiæ iuxta illud. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Et: *Beati, qui lugent.* Ecce ſemen lachrymoſum. *quoniam ipſi conſolabuntur.* Ecce fructus gaudioſus. Secundò Deus ſeminat ſemen ſuum per os hominis, ſemen dico ſanæ doctrinæ, quo reconciliantur diſcordes, quo erudiuntur ignari, quo excitantur pigri. Zachar. 8. *Semen pacis erit.* Sed quid operatur illud ſemen? certè multum. *Beati pacifici*, id eſt, pacem procurantes,

Matt. 13. *Iob 4.* *Vtiliter quomodo ſeminandum.* *Iſaia 26.* *Pſal. 125.* *Matth. 5.* *Zacha. 8.* *Matth. 5.*

1. Cor. 9. tes, vt exponit Gotra. *quoniam filij Dei vocabuntur.* ecce fructus. Tertiò Deus ſeminat ſemen ſuum per manus, id eſt, opera hominis, vt per opera miſericordiæ & pietatis. *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* vitam æternam. Ecce fructus & vtilitas iſtius ſeminis. De his omnibus dicit Bernard. (Bern. ſup Cant. ſer. 58.) *Seminaſti tibi ad iuſtitiam, ſi ex vera cordis tui notitia timuiſti Deum, teipſum humiliaſti, fudiſti lachrymas cordis, eleemoſynas profudiſti, cæteriſq; pietatis actionibus te mancipaſti: ſi ieiuniis & vigiliis afflixiſti corpus: ſi pectus tunſionibus, cœlos fatigaſti clamoribus; hoc ſiquidem ſeminare ad iuſtitiam eſt. Semina ergò, ſunt bona opera, bona ſtudia, ſemina lachrymæ ſunt. Ibat, inquit, & flebant* (Pſal. 125.) *mittentes ſemina ſua. Sed nunquid ſemper flebunt? Abſit: ſed venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Meritò ſane cum exultatione, quia reportant manipulos gloriæ.* Hæc ille.

Vnde licet in quolibet homine principalis ſeminator ad omnia opera bona ſit Chriſtus; (Iſaia 26.) tamen cum ſit homo liberi arbitrij, ſæpius vitiat modum ſeminandi, & hoc tripliciter. Primò ſi non ſeminat ſemen benè depuratum, & electum: tunc autem non erit depuratum, quando homo mala intentione puta vanæ gloriæ ſeminat bonum opus, vel quando in mortali peccato bona (Num. 18.) facit; ideo dicitur. *Omnia, quæ offertis Domino, electa erunt.* Ratio ſecundum Apoſto- (Galat. 6.) lum eſt. *quia quæcunque ſeminat homo, ea-* (Eccl. 7.) *dem & metet.* Hinc dicitur: *Fili nè ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.* Gloſſa in gehenna. vbi ſunt ſeptem pœnæ, ignis, vermis, fœtor, fumus, tenebræ, vincula, frigus. Secundò vitiat modum (2. Cor. 9.) ſeminandi, ſi parcè ſeminet; debet enim liberaliter ſeminare: alioquin qui parcè ſeminat, parcè & metet. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Tertiò vitiat homo modum ſeminandi, ſi non ſpargat ſemen in terram bonam, aptam, & congruam, ſed periculo expoſitam; vel in ſe periculoſam, aut periculo proximam. Terra hæc eſt bona voluntas, ſicut hic dicitur, in qua quicquid ſeminatur, centuplum metetur, vt hic dicitur. Sed accidit ſæpius in terram malam proijci ſemen bonorum operum & ſemina virtutum: & primò ſecus via, quod fit cum opus propter apparentiam hominum fit vti de Phariſæis legimus. *Omnia faciunt, vt videantur ab hominibus.* ecce ſeminatio. (Matth. 5.) Et ſequitur: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* ecce fructus inutilis. ſic ſeminant hypocritæ. Secundò ſemen proijcitur ſupra petram, id eſt, cor durum: eſt autem cor durum, quod non dimittit offenſam fratri petenti. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo,* (Matth. 5.) quaſi dicat, mollias prius & conteras petræ duritiam, & ſic ſeminabis. Tertiò proijcitur ſemen inutiliter inter ſpinas: ſpinæ ſunt diuitiæ malè congregatæ, (Diuitiæ ſpinæ.) præſertim vbi homo tenetur ad reſtitutionem multorum, quæ illicitè acquiſiuit, vel rapuit: & talis quamdiu non reſtituit aliena, fruſtrà largitur eleemoſynas *quia non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum.* vt dicitur *de regulis iuris libro 6. Peccatum.* Nos ergò fratres dilecti diſponamus terram cordis noſtri, & purgemus eam per confeſſionem; ſcindamus per contritionem; & ſeminabimus per ſatisfactionem opera bona, pro quibus recipiemus mercedem æternam: quàm nobis concedere dignetur Pater & Filius, & Spiritus ſanctus.

DE EADEM DOMINICA.
SERMO II.

Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Lucæ.8.

DOMINICA hodierna vocatur ſexageſima, & terminatur feria quarta poſt paſcha, ſicut ſeptuageſima terminatur ſabbato poſt paſcha. Quæ quidem dominica à ſanctis patribus addita eſt quadrageſimæ; primò ideo, quia vt dicit Durand. in rationali, olim fuit inſtitutum, vt ſabbatum ieiunaretur: ſed quia populus ex ieiunio feriæ ſextæ præcedentis debilitabatur, ideò Melchiades Papa, & Syluester relaxarunt, & iſtam Dominicam loco illius ieiunij ſuppleuerunt, vocatur autem ſexageſima, quia ab ipſa vſque ad quartam feriam in albis ſunt ſexaginta dies. Secundò iſta dominica additur à ſanctis patribus ad repræſentandum ſtatum viduitatis ſanctæ Eccleſiæ, quæ hoc tempore quaſi deſolata, ſponſo ſuo Chriſto in cœlum rapto, gemit, & mœret; & quia præmium viduitatis eſt fructus ſexageſimus, ideò iſta Dominica dicitur ſexageſima, ad ſignificandum, quod omnes gementes in hac valle miſeriæ fructu ſexageſimo conſolabuntur. Verum quia ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, ideò Spiritus ſanctus conſolatur hodiè eccleſiam in epiſtola verbis Pauli hortando, vt tribulationes libenter ſuſtineat, & in eis glorietur, vt in ea habitet virtus Chriſti; in euangelio autem proponit ſeminationem bonorum operum, vt eis inſiſtat, maximè cum Chriſtus, ſit velut ſeminator optimus, qui paratus eſt ſeminare bonum ſemen, dummodo ager cordis noſtri ad hoc præparetur. Sed quia proh dolor hoc tempore, quo quaſi omnes vertuntur in furiam mentis, & alienationem cordis, ſemen diuinum in paucis fructificat, imò potius conculcatur, deſtruitur, ſuffocatur, & corrumpitur diuerſis modis, & diuerſis peccatis; ideò eccleſia clamat ad Chriſtum pro ſuis filijs dicens in introitu miſſæ: *Exurge, quare obdormis Domine, &c.* Et ponit triplex exurge. Quidam enim ſunt in Eccleſia qui à diuerſis premuntur, ſed non deijciuntur; quidam qui premuntur, & deijciuntur; quidam verò qui nec premuntur, nec deijciuntur: tamen quia aduerſa nō tollerāt, periculum eſt, ne aduerſa ipſos frangat. Clamat ergo eccleſia ad Chriſtum vt exurgat, quaſi obdormiens, ad confortandum primos, quos quaſi ad tempus non curaſſe videtur; clamat vt exurgat ad conuertendum ſecundos, quos quodammodo quaſi repuliſſe videbatur, & faciem ab eis auertiſſe; clamat ad tertios vt exurgat ad ad iuuandum eos in proſperis, & liberando eos ab aduerſis. Sic ergo eccleſia quæ in præcedenti Dominica quaſi deſperans clamauerat dicens. *Circundederunt me;* nunc ſe quaſi eripi poſtulās, ait per introitum. *Exurge &c.* Priuſquā verò de prædicto Euangelio verba facturus coram veſtra charitate exordiar, ad matrem gratiæ recurramus, ſalutantes eam more ſolito per *Aue Maria &c.* In euangelio præſenti tria deſcribuntur. Primò quædam parabola per Chriſtum turbis proponitur, cum dicitur. *Cum turba &c.* ſecundo eiuſdem parabolæ ab Apoſtolis Chriſti ſenſus inquiritur, cum dicitur; *Introgabant autem eum.* tertiò dictæ parabolę per Chriſtum intelligentia aperitur, cum ſubiungitur; *Quibus ille ait.*

Sexageſima cur hac dominica vocetur.

Exurge triplex.

I.

Cum turba plurima. Sciendum hoc factū eſſe circa finē anni primi prędicationis Chriſti. Vnde cum Chriſtus eſſet in domo quadā turbis ad eum irruentibus exiuit indè & venit ad mare, ibiq; aſcēdens nauiculā loquebatur in parabolis ad turbas; Inter quas parabolas primò propoſuit hanc præſentem parabolam dicens; *Exijt qui ſeminat.* Dicit ergò. *Cum turba plurima conueniret.* Beda dicit, quod ſicut in turba fuit diuerſitas perſonarum, ita diuerſitas voluntatum, quia diuerſis de cauſis ſequebantur Chriſtum. Cum ergò conuenirent, *& properarent de ciui-*

Magna deuotio ſequentium Chriſtū.

ciuitatibus affectuosè & deſideranter. *dixit p ſimilitudinē*. Verè magna deuotio turbæ fuit, quæ relictis nō tugurijs villarū, nō laboribus agrorum, ſed palatijs & delitijs ciuitatū amœniſſimarū currebat ad Chriſtum, cuius ſermo videbatur ei ſuper mel dulcior, iuxta illud: *Spiritus meus ſuper mel dulcis*. Sed neſcio quomodo nunc ita viluerit, vt multis vertatur verbum Dei in nauſeam, dicentibus multis vanis, & ſæcularibus. *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, id eſt, lubrico & abominabili. Sed quid mirum quod palato non ſano pœna ſit panis, qui ſano eſt ſuauis, ſecundum Auguſtinum in li. confeſſ. De eiuſmodi hominibus dicitur in pſalm. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.* Audeo dicere, quod modernis temporibus multi vadant ad infernum, ex hoc ſigno præcipuè, quia abominantur verbum Dei.

Eccl. 24.

Auguſt.

Chriſtus parabolicè cur locutus.

Dixit per ſimilitudinem. Quare Chriſtus voluit loqui parabolicè & non apertè? Reſpondeo propter plura. Primo ſecundum Gorran. propter indignos, quibus clauſus debuit eſſe ſenſus verbi Dei, *vt videntes non videant &c.* iuxta illud: *Nolite ſanctum dare canibus.* Vnde Dionyſius ad Timotheum in Epiſtola dicit. *Tu vero ab immunda multitudine vniformi te cuſtodi.* Secundo vt veſtigium diuinæ ſapientiæ in creaturis ſumeretur, ſicut in hic ſemine per comparationem ad verbum Dei. *Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciūtur.* Tertio vt ex vno verbo plures intellectus caperentur ad exercendum humanum ingenium. Vnde apud Matth. Regnum cælorum comparatur theſauro abſcondito, qui poteſt diuerſimodè intelligi. Quartò vt prædicatio à ſimplicibus facilius retineretur, & paulatim ad incognita duceretur animus eorum. Quintò vt in maiori reuerentia haberetur, & ſtudioſius inquireretur. Vnde in pſal. *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius.* addit Chryſ. ſuper Matth. Sexto vt ſit ordo inter Doctores & ſimplices: ſi enim omnia nuda eſſent, quid opus eſſet Doctoribus? & ſi omnes omnia ſcirent, ordo mundi eſſet confuſus. Nam doctoribus loquitur Deus per Iſa. *Loquimini ſacerdotes in cordibus populi huius*; ſimplicibus autem loquitur illud. *Interroga patrem tuum & annunciabit tibi.* Septimò vt homines in ſcripturis laborantes mereantur hoc, quod ocioſi non poſſunt, & per orationem impetrent ſcientiam cum charitate. Vnde dicit Chryſ. Non eſt abſcōdita in ſcripturis veritas, ſed obſcurata, non vt non inueniant, qui quærunt eam, ſed vt non videant eam, qui eā quærere nolunt. Octauò vt qui volunt quærere eā, humilientur iuxta illud: *Reuelaſti eam paruulis.* Nonam cauſam dat Iſid. dic. Ideò quædam obſcura, quædam aperta ſunt, nè ſi cuncta paterent, ſtatim intellecta vileſcerent, & ſi cuncta clauſa exiſterent, confeſtim diffidentiam gignerent. Decimam cauſam dat Greg. ſuper Ezech. parte prima, homil. 1. inquens: Plerumque in ſacro eloquio ideò aliquid obſcure dicitur, vt diſpenſante miſericordia Dei multipliciter exponatur.

Matt. 7. Matt. 13. Deut. 32. Matt. 11. Iſid. l. 1. de ſummo bono. c. 19.

Seminator Chriſtus quomodo & vndè exierit ſeminatum.

Sequitur. *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Seminator hic Chriſtus eſt, qui exijt primo de ſinu patris in vterum matris; de vtero matris in mundum; de mundo ad crucem. Sed quomodo exijt, qui vbique fuit & eſt? Reſpondeo ſecundum Chryſoſt. non loco, ſed habitudine, id eſt, nouo modo, & ſæculis incognito, quia per incarnationem. *Exiui à patre, & veni in mundum.* ſcilicet ad declarandum patris mei voluntatem. vnde dicit *Qui ſeminat.* ſcilicet verbum veritatis, quod apud patrem vidit, hoc ſeminat, id eſt, hominibus indicat per ſe, & per ſuos Apoſtolos. *ſemen ſuum.* non alienum. Ex quo patet, quod ſemen verbi Dei maximæ debeat eſſe reuerentiæ, quia non eſt verbum hominis, ſed Dei. Vnde dicit Auguſtinus quod Chriſtus ſit ſeminator, ſed prædicator ſit cophinus ſeminantis. Nolite igitur attendere ad vilitatem cophini, ſed ad vtilitatem & dignitatem ſeminis & ſeminantis. Sed multi attendunt ad eloquentiam prædicatoris & pulchritudinem potius, quam ad vtilitatem verbi delectantis dulcedine amœna verborum, cum tamen agricola non aduertat, de quo cophino ſeminet, ligneo, nè an luteo ſiue etiam lineo vel canapeo. Sic igitur nec nos ad eloquentiam prædicatoris ſimus attendentes, quia non poſſunt eſſe omnia vaſa aurea aut argentea, ſed etiam ſunt fictilia in domo Dei, ſcilicet Eccleſia. Quid ergo de eloquentia, cum verbum

Ioan. 16. Aug. l. de doct. Chriſt. 2. Tim. 2.

bum Euangelij & exemplum vitæ vtrobiq; proponatur æqualiter.

Et dum ſeminat, id eſt, docet vel prædicat. *aliud cecidit ſecus viam*. Hic ponuntur quadruplices differentię hominum audiẽtium verbum Dei; quorum primi ſunt qui habent cor vagum per laſciuiam; hic via mundus eſt, cuius viatores ſunt homines; in quorum perſona dicit pſal. *Aducna ego ſum apud te*. Sed tamen ſpirituales viatores mũdi ſunt eius dilectores. Vnde ſecundum Hugon. terra ſecus viam ſũt corda peccatorum mundo coniuncta per amorem, varijs cogitationibus & dæmonum ſuggeſtionibus peruia & aperta, & per conſequens conculcata & contrita ab eis per malum conſenſum & factum ſecundum Lyran. Vnde & Iob conqueritur in perſona talium dicens; *Venerunt latrones, & fecerunt ſibi viam per me. Et conculcatum eſt*, ſcilicet malis cogitationibus & prauis affectionibus. *Et volucres cæli*, id eſt, dæmones, qui dicuntur volucres cœli, quia ſunt ſpiritualis & cęleſtis naturæ, vel quia in aëre habitant. Nam licet multi ſint in inferno, multi tamen habitant in aëre ad tentandum nos vſque ad diem iudicij: poſt diẽ autem illum omnes detrudentur in infernũ, ſicut dicit Aug. l. 4. ſuper Gen. ad litteram, & D. Thom. in prima parte. q. 65. arti. 4. Et iſti volucres *comederunt illud*, id eſt, rapuerunt de corde verbum, quia dæmonum ſuggeſtione verbum amittitur: vnde dicitur; *Deuorabunt eos aues morſu amariſſimo*. Notandũ hic quod in hominibus luxurioſis ſit duplex motiuum, ſcilicet extrinſecum, ipſe diabol⁹ ſuggerens, & intrinſecum, ſcilicet concupiſcentia; ex quibus duobus fit generatio carnalium peccatorum. *Concupiſcentia cum cõceperit*, tanquam ex patre diabolo, *parit peccatum*. Secundò notandum quod in luxurioſis hominibus verbum Dei duplex damno patiatur; vnum eſt, quia conculcatur à tranſeuntibus; conculcatio eſt frequentia malarum cogitationum, quibus opprimitur verbum Dei: ſecundum eſt quia deuoratur ab auibus, comeſtio eſt ſuggeſtio dæmonũ. Tertio notandum quod contra iſta debeāt eſſe duo remedia. Primum eſt vt terrā cordis noſtri ſpinis memoriæ paſſionis Chriſti ſępiamus iuxta illud. *Populeſepi aures tuas ſpinis*. Nam ſecundum Origenẽ, non eſt remedium melius contra malas cogitationes, quam memoria crucis Chriſti. Secundum remedium, vt terram clauſam cordis noſtri cooperiamus deſuper virtute charitatis; de qua dicitur. *Charitas operit multitudinem peccatorum*.

Iob. 19.

Volucres cæli dæmones.

Auguſt. D. Thom.

Deut. 32.

Duplex motiuum in luxurioſis.

Iacob. 1.

Eccl. 28.

Et aliud cecidit ſupra petrã. Hic ponitur ſecunda differentia auditorum, quos comparat hic petræ; & ſignificat homines duri cordis per ſuperbiam & proteruiam mẽtis. Petra. n. eſt frigida, infructuoſa, dura & ponderoſa, quæ omnia ſunt in ſuperbo & duro corde, & rebelli, quod primo eſt frigidũ ad omne bonum per ignauiam mentis & acediam. Secundo infructuoſum in verbis, infructuoſum in operibus, quia fructus taliũ eſt *ſicut lanugo quæ à vento tollitur* Et *Labores eorum ſine fructu* Tertiò eſt durum, ita vt non monitis, non blanditijs, non promiſſis, non minis, non terroribus conteratur, vt dicit Bern. ad Eug. Quarto eſt ponderoſum, quia pondere ſuo deprimit animam ad infernum, iuxta illud *Terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. Sed audiat eiuſmodi cor quid ei dicatur Eccl. 3. *Cor durum male habebit in nouiſſimo*. Dicit ergò. *Aliud*. ſcilicet ſemen *cecidit ſupra petram*, id eſt ſupra cor durum, quod eſt cor diaboli, de quo dicitur; *Cor eius indurabitur tanquam lapis*. Dicitur autem illud cor durum quod non eſt vomere fidei penetratum, in quo non eſt verus amor, nec perſeuerantiæ virtus. *Et natum*. ad horam: cito enim ſemen ſupra petram naſcitur, & quia non habet terræ profunditatem, Ideò ſtatim ad ſuperficiem erumpit; ſed citò perditur, quia non habet humorem, ſcilicet deuotionis aut gratiæ, iuxta illud: *Culmus ſtans non eſt in eo*. nõ ſpica neque granum Attendant hoc ſuperbi, qui ſine gratia volunt aliquid boni facere, cum dicatur; *Nunquid poterit virere ſcirpus abſque humore*? quaſi dicat non, *quia ſine gratia nihil poſſumus facere*. Sed contra Videtur quod ſemẽ iſtud debuerit deſtruere petram & mollificare eam: nam dicitur. *Nunquid non verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram*? Reſpondeo quod petra fuerit obſtinata in tantum vt non potuerit conteri. Vnde etiam argumentum eſt, quod ſuperbi non obſtinati conterantur, obſtinati autem nequaquam; &

Petra cordis duritia.

Sap. 5. & 6

Sap. 9.

Iob. 41.

Cor durũ quid.

Oſee. 8.

Iob. 8.

Io. 10. 15.

Ierem. 23.

ita eſt defectus ex parte rebellis animi, & hoc eſt valde notabile, cum Deus non faciat alicui violentiam propter voluntatem liberi arbitrij.

Et aliud cecidit inter ſpinas. Hic ponit tertiam differentiam auditorum, per quos ſignificantur auari. Dicuntur autem ſpinę diuitiæ primo, quia in ortu molles ſunt. *Sub ſentibus delicias reputabant.* Ita enim oriuntur diuitiæ, vt primo homo habeat bonum propoſitum congregandi eas, vt habeat vnde faciat eleemoſynas, & ſtatum ſuum honeſtè deducat; & ſic homo palliat initium ſuæ cupiditatis. Secundo in proceſſu pungunt, quia ſecundum Gregorium cum labore acquiruntur diuitiæ, & cum timore poſſidentur. Tertiò quia currentes impediunt: vnde qui ſpinam habet in pede, currere non poteſt: ſic *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes & in laqueum diaboli.* Quartò quia amplectantes ſe cruentāt: ſic & diuitiæ poſſeſſores. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Hinc inquit Gregorius in homil. *Diuitiæ ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & dū vſque ad peccatum trahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.* Non ergo mirum quod ſequitur. *& ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud,* id eſt, ſollicitudines & inordinatæ affectiones ita occupauerunt mentem, vt verbum fructum ſpiritualem in eo facere non potuerit.

Diuitiæ ſpinæ, & quare.
Iob.30.
1.Tim. 6.
Eccl.11.

Et aliud cecidit. Hic ponit quartam differentiam auditorum dicens *Aliud* ſcilicet ſemen *cecidit ſupra terram bonam,* id eſt, de alto venit iuxta illud: *Quomodò deſcendit imber & nix de cœlo, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo.* Terra bona eſt cor docile, & mite. *In manſuetudine ſuſcipite inſitū verbum. Et ortum fecit fructum centuplum:* in Matth habetur. *& fecit fructum, aliud triceſimum.* ſcilicet in coniugatis *aliud ſexageſimum.* ſcilicet in viduis *aliud centeſimum.* in virginibus. Ad coniugatos pertinet fides Trinitatis & impletio decalogi; ad viduas decalogi impletio & ſex opera miſericordiæ; ad virgines impletio mandatorum veteris legis, & conſiliorum nouæ legis. Attendant noſtri prædicatores, qui cum ſe vident ſtatim non proficere in auditoribus, tepeſcunt dicentes ſe fruſtra laborare, cum tamen hic iſte ſeminator ſeminarit primò, ſecundò, & tertiò fruſtra, & quartò fructū reportarit. Sic Dauid non niſi in quinto lapide Goliath. ſuperauit: ſic diſcipuli tota nocte laborantes nihil ceperunt, & tamen in vno verbo Chriſti multos piſces compręhēderunt; & ideò debent perſeueranter laborare.

Terra bona cor docile, & mite.
Iacob.1.
Notent hic Prædicatores.

Hæc dicens clamabat. Hic excitat auditorum attentionem. Vnde *hæc dicens.* ſcilicet præmiſſa *clamabat.* nec mirum, quia ſurdis loquebatur iuxta illud. *Surdi audite.* In hoc quod clamabat; ſignificat ſe alta dixiſſe. *Qui habet aures,* ſcilicet corporis, *audiendi,* id eſt ad audiendū. *audiat* auribus mētis, id eſt, ſpiritualiter, id eſt, hæc verba præmiſſa intelligat. Sed Greg. ſup. Ezech. parte. 2. hō. 2. dicit, quod hoc intelligatur de auditu ſpirituali, quo laudes Dei ſine ſono audiuntur; quas aures nō habent oēs: & ideò electis Dei dicitur. *qui habet aures* tales. *audiat.* q. d. vos qui ſpirituales eſtis, attendite, licet alij ſæculares iſta negligāt. Vnde Apoſtolus dicit: *Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt. ſtultitia enim in eſt illi: ſpiritualis aūt omnia diiudicat,* Sed contra de Chriſto dicitur. *Nō clamabit, nec audietur vox eius in plateis.* Reſpōdeo. Id verum eſt de clamore impatientiæ, non de clamore veritatis & doctrinæ.

Iſa. 42.
Gregor.
Iſaiæ 42.

II.

Parabolæ ab Apoſtolis Chriſti ſenſus inquiritur; vnde ſequitur: *Interrogabāt ergo eū diſcipuli eius.* ſc. vt magiſtrū, ſerui Dominū, contra inflatos & ſuperbos, qui cum audiūt aliqua obſcura vel minus ſibi placentia in ſermone, ſtatim detrahunt & confundunt, non quærentes ad quem ſenſum prædicator locutus fuerit. Dicit hic Lyra, & idem habetur in gloſſa quod diſcipuli non ſtatim, nec ſubitò interrupto ſermone coram turbis interrogauerint Chriſtum, ſed cum eſſet iam in domo & ſeorſum à turba, vt dicitur Marc. 4. In quo docemur de duobus: primo vt de ſecretis conſcientiæ & ſacræ ſcripturæ non ſtatim in publico prædicatores, quos audimus, repræhendamus, ſed in ſecreto quæramus: ſecundo vt ſi intelligentiam diuinorum aſſequi volumus, poſtpoſitis curis mundi, de dono ſacræ ſcripturæ ſoli cum ſolo Domino medi-

Documēta duo.

meditando & orando inſiſtamus. Eſt etiam notandum quod Chriſtus ſæpius ita obſcurè prædicauerit maximè coram turbis vt neceſſe haberent diſcipuli ex eo quærere de ſpirituali intelligentia; ad ſignificandum, quod prædicator non ſemper debet ita planè effundere verba prædicationis, vt etiam à quibuslibet capiatur fatuis. vnde Henricus de Vrimaria dicit. Caue nè hæc, quæ lectione & experientia, ſudoreque didiceris, vanæ gloriæ ſeductus amore immundis hominibus paſſim ingeras, nè illud incurras quod Sapiens ait. *Noli inquit applicare impium ad paſcua iuſti: non enim expediunt ſtulto deliciæ; nec opus eſt ſapientia, vbi non eſt ſenſus*. Et alibi. *Nolite ſanctum dare canibus*.

Lib.14.de perf. inte. hom.c.19.

Notabile pro concionatorib.

Matt.7.

III.

Parabolæ ſenſus myſticus nunc per Chriſtum aperitur, cum dicitur. *Quibus ille ait; vobis datum eſt noſſe*. ſcilicet tamquam à me illuminatis & ſpecialibus & familiaribus amicis, & fidelibus credentibus, qui habetis oculum purgatum ad intelligendum, iuxta illud: Actu.15. *Fide purificans corda eorum*. *Vobis* igitur, *datum eſt*, non venditum, ſed donatum; ideoque & es, *quod gratis accepiſtis, gratis date*. *Myſterium regni Dei*, id eſt, occulta ſacræ ſcripturæ, quæ eſt introductoria in regnum Dei. vnde. Matth. 21. dictum eſt Iudæis: *Auferetur à vobis regnum Dei*, id eſt, ſacra ſcriptura. *Cæteris autem in parabolis*, id eſt, incredulis datum eſt ſolum in parabolis & ſimilitudinibus congruis. *Vt videntes*, id eſt, ſapientes & fideles ſe reputantes ingenio ſuo. *non videant*, id eſt, priuentur ſpirituali intellectu; vel videntes foris humanitatem, non videant intus virtutem operantem. *& audientes*. foris verbum, non intelligant, intus ſpiritualem ſenſum: vnde Iſaiæ 6. dicitur. *Audite audientes, & nolite intelligere*.

Sequitur. *Eſt autem hæc parabola*. *Semen eſt verbum Dei*. Hic ſciendum, quod in ſacris ſcripturis ſemen quandoque dicatur homo, vt Matth.13. *Bonum ſemen filij regni*. Aliud ſemen eſt Chriſtus, qui etiam dicitur granum frumenti. Ioannis.12. & Geneſ. 22. *In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ*. Tertium ſeminatum à nobis ſcilicet bona opera. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua*. Quartum eſt verbum Dei. *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen verbi, ſicut Sodoma fuiſſemus*. De iſto hic dicitur. *Semen eſt verbum Dei*; idque propter plura. Primo quia ſicut ſemen eſt neceſſarium ad vitam corporalem, ſic verbum Dei ad ſuſtentationem animæ. Vnde de officio ordinarij, inter cætera dicit Innoc. Tertius, quod inter cætera, quæ ad ſalutem ſpectant populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei ei permaximè noſcatur neceſſarium: quia ſicut corpus naturali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur iuxtà illud. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Secundo quia ſicut ſemen debet eſſe purum ad ſeminandum, ita verbum Dei debet eſſe purum à palea vanæ gloriæ, & à luto & puluere intentionis terrenæ & erroris cuiuslibet. Vndè dicitur. *Qui ſeminat in carne*, id eſt, ratione carnalis tantum commodi; *de carne & metet corruptionem*. Tertiò quia ſicut ſemē tempore famis abſconditum inducit magnum periculum hominibus, ſic prædicatio tempore & loco opportunis populo ſubtracta multa affert incommoda. *Qui abſcondit frumenta in tempore famis, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium*. Et per hoc corrigendi ſunt, qui poſſunt, & nolunt prædicare habentes copiam librorum & victualium: vt ſunt multi Prælati occupati temporalibus voluptatibus aut etiam laboribus. Sed certè *hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Attendant hi quid proſit prouidere familiæ de cibo corporis & negligere cibū mentis; nutrire corpora cito moritura, & mortificare animas in æternum victuras. In ſignum huius Chriſtus non legitur niſi bis feciſſe conuiuium corporale turbis, ſed tamen ſæpius feciſſe prædicationem, quæ eſt cibus animarum. Cōſequenter audiamus diuerſitatem fructificationis verbi Dei. Vnde ſequitur. *Qui autem ſecus viam*, id eſt, illi qui audiunt & non faciunt, vt dicitur Iacob 1. Hi tantæ ſunt inaduertentiæ vt nec in prædicatione compungantur, vt benè facere incipiant; quod vtique benè conuenit luxuriæ; Primo quia eſt via publica. *Poſuiſti vt terram corpus tuū, & quaſi viam tranſeuntibus*. Et: *Expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti*. Secundo

Quadruplex ſemē.

Ioan.12.

Gen.22.

Pſal. 125.

Iſaie 1.

Semen eſt verbum Dei & quare

Gal.vlt.

Prou.11.

Perſtringuntur Prælati.

Marc 8.

Ioan.6.

Iacob. 1.

Iſa. 51.

Ezech.16.

Diabolus verbi diuini fructum impedit. quia via eſt lutoſa, & immũda. Tertiò quia nulli cogitationi clauſa. *Deinde venit diabolus*, per ſuggeſtionem & tentationem. *& tollit verbum de cordibus eorum*, id eſt, impedit, nè verbum Dei in ipſis remaneat; ſed vt illud dimittant, & potius labantur per cõſenſum. *Nè credentes ſalui fiant*, ſcilicet per fidem formatam. Hoc facit ex inuidia, nè ſubſtituantur homines in locum, de quo ipſe cecidit. *Sap. 2.* *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum*. Sed contra: Diabolus eſt ita debilis vt nequeat aliquem cogere ad malum, vt dicit Aug. Item non poteſt illabi animæ, quia hoc eſt ſolius Dei, vt dicit. Magiſter ſentent. libr. 2. ſent. d. 8. Reſpõdeo quod non tollatur per violentiam, ſed procurando ſuggeſtiones & impedimenta. Vnde in Pſal. *Laqueum parauerunt pedibus meis*, ſcilicet dæmones. Et ſequitur. *Et incuruauerunt animam meam*; Sed occaſionaliter dicitur diabolus tollere verbũ Dei de corde hominis.

In ſuperbis verbi Dei fructũ quid impediãt Quantum ad ſecundam differentiam exponit Dominus parabolam dicens. *Nã qui ſupra petram, hi ſunt, qui cũ audierint, in gaudio ſuſcipiunt verbum* Dei; vt ſunt ſuperbi, qui audito verbo prædicationis contra faſtum pompæ ipſorum humiliantur in ſermone & ſuſpirant; *ſed hi radices non habent*, ſcilicet profundæ firmitatis ſecundũ *Sap. 4.* Sap. *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas: quia ad tempus credunt, & in tẽpore tẽtationis recedũt*; ſicut Saul, qui fuit cũ ꝓphetis propheta, & cũ malis ſortilegis ſor- *1. Reg. 19. & 28.* tilegus, vt eſt videre in lib. 1 Regum. Talis fuit & Balaã Propheta, qui cum populo Iſraëlitico voluit bona morte mori; ſed cito *Num. 25.* poſt in eis perniciem, & deſtructionem ſcãdalum mulierum Madianitarum procurauit, ad luxuriam, & idololatriam eos inducendo. Vnde Greg in hom *Petroſa terra humorem nõ habuit. quia hoc quod germinauerat, ad fructum perſeuerantiæ non produxit.* Sic Pharao ſæpius proponebat dimittere *Exod. 2. 3. & 4.* populum Domini: ſed ceſſante plaga mutabat voluntatem; & ideo dicitur de ipſo. *Exod. 8.* *Induratum eſt cor Pharaonis*. Similes ſunt multi, qui in Eccleſia ſuſpirant, cum contra vanitatem ſæculi prædicari audiunt: ſed mox, vt eorum conſpectui ſpecies delectabilis occurrerit, obliuiſcũtur eorũ, quæ audierunt. Sed aduertendum quod tria re- *Tria molliunt cor lapideũ.* ſoluunt cor lapideum, ſcilicet malleus mortis. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Secundo humor ſangui- *2.* nis caprini, qui etiam adamantem reſoluit: quem nec ignis nec ferrum reſoluere poteſt, vt dicit Aug. lib. de ciuit. Dei, Et ſig- *Auguſt.* nificat memoriam paſſionis Chriſti, qua effuſus eſt ſanguis eius præcioſus. Tertium eſt ignis internus. *3. Iob. 28.* *Lapis ſolutus igne, in æs conuertitur.*

Sequitur tertia differentia. *Quod autem in ſpinas cecidit; hi ſunt*, ſcilicet ſignificati *Quomodo ſuffocetur verbũ Dei.* per ſpinas, *qui cum audierint verbum, à ſolicitudinibus & voluptatibus*, id eſt, deſiderijs carnalibus *vitæ* huius *ſuffocantur. Euntes*, ſcilicet de loco prædicationis ad ſua negotia, implicantur curis ſæcularibus. *Et non referunt fructum*, id eſt, bona opera. Et notanter dicit *ſuffocantur*, quod propriè pertinet ad ſtrangulationem gutturis; vt ſit ſenſus *ſuffocantur*, id eſt, bonum deſideriũ non permittunt deſcendere ad cor. Deinde concludit Dominus quartam differentiam. *Quod autem cecidit in terram bonam.* id eſt, in bonos auditores, qui verbum *Terra bona boni auditores.* Dei ſatagunt in ventre memoriæ retinere; *hi ſunt qui in corde bono* per induſtriam naturalẽ; *& optimo*; per gratiam. *retinent* in memoria, *& fructum* bonæ operationis *afferunt in patientia*, ſcilicet expectationis præmiorum: ſicut Agricola expectat *Iacob. 5.* fructum meſſis patienter. Aduertendum, quod bona terra cordis debeat eſſe primò purgata per contritionem & humilem cõfeſſionem, & ſtudioſè clauſa. Hoc contra *Conditiones terræ bonæ tres.* primos, qui ſunt via. Secundò debet eſſe irrigua, non ſicca, nec arida contra duritiã petræ; & hoc per humorem deuotionis. Tertiò extirpata à vepribus, & curis ſæcularibus, cõtra ſpinas. Talis terra dabit fructum ſuum in tempore opportuno.

Hic occurrunt tria dubia: Primum, vtrũ *Dubia tria.* Deus velit immutabiliter eſſe ſeminatores prædicatores verbi ſui; Secundum: vtrum ad ſeminandum & prædicandum verbum Dei quilibet ſacerdos debeat animum intendere. Tertium vtrum negligentia auditus verbi Dei ſit peccatum mortale? Ad primum reſpondeo ſecundum ſanctum Thom. ſuper illud Cant. 5. *Dilectus meus*

 miſit

miſit manum ſuam per foramen; quod Deus velit immutabiliter eſſe prædicatores verbi ſui. Quod apparet ex quinque ſignis: Primum eſt, quia ipſe ad hunc mūdum venit nullius egens, & de ſinu patris egrediēs, in terra pro nobis conuerſari voluit, & docere. Secundum eſt, quia ipſe prædicatores Euangelij elegit. *Ego vos elegi, & poſui vos, vt eatis & fructum afferatis.* Tertium eſt, quia ſic electos docuit Euangelium. Matt. 5. *Quibus poſtea dixit; quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Quartum eſt, quia doctos miſit ad prædicandum. *Miſit illos binos, & binos.* Quintū eſt, quia miſſis etiā temporale ſubſidium ordinauit. *Edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.* Sic patet ſolutio ad primum.

Ioan. 15. — Luc. 9. & 10. — Ibid.

2. Dubiū. Ad ſecundum; an quilibet huic officio debeat intendere: breuiter reſpondeo, quod non: niſi ad hoc teneatur ex officio ſuæ prælationis, vel ex obedientia ſuperioris. Vnde cuicunque iſtud officium non eſt iniunctum, vel ex prælatione curæ animarum, vel ex mandato ſuperioris, non tenetur illi intendere. Hoc innuit illud notabile dictum Aug. 19. l. de ciui. Dei. cap. 19. *Otium ſanctum, ſcilicet contemplationis quærit charitas, veritatis negotium iuſtū accipit neceſſitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponat, percipiendæ ac intuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatē.* Ecce manifeſtè dicit Auguſt. quod ſi non imponatur iſtud officium, non eſſe ei intēdendum, ſed potius vacandum contemplationi. Et certè ſi aduerterent multi grauitatem huius officij, potius ab eo abſtinerent, quā ei intenderent.

Septem in prædicatoribus requiruntur.

Dicit enim Tho. vbi ſupra ſuper cantica, quod timendum ſit officium prędicationis, quia rarò adſūt prædicatori, quæ adeſſe debēnt: quæ ſunt ſeptem, ſcilicet perfectio vitæ. Matth. 12. *Quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali.* Et Pſal. dicit; *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras?* Et: *Eijce primum trabem.* Et: *Qui alium doces, teipſum non doces.* Secūdum eſt veritas doctrinæ. *Prophetæ tui viderunt tibi ſtulta & falſa; nec aperiebant tibi ignominiam tuam, vt te ad pœnitentiā prouocarent.* Tertium eſt obſeruatio congrui tēporis. *Nè reuerearis proximum, nec retineas verbum in tempore ſalutis.* Quartum eſt cōſtantia in aduerſis. *Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec poſuiſtis vos murum fortem pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Quintum eſt terrenorum contemptus. *Violabant me ad populum propter pugillum hordei.* Et: *Hæc dicit Dominus ſuper Prophetas, qui ſeducunt populum meum; qui mordēt dentibus & prædicant pacem; & ſi quis nō dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium.* Sextum eſt excuſſio corporis. *Circuibat Ieſus totam Galilæam, docēs in Synagogis eorum.* Septimum eſt pietas miſerationis. *Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione auaritiæ; Deus teſtis eſt.* Hæ ſunt ſeptem lucernæ ſuper candelabrum, & ſeptem ſpicæ in culmo vno. Vnde Orig. ſuper Cantica dic. *Time igitur, nè vita maculoſa; nè veritas anguloſa; nè tempus incompetens; nè mens vacillans, nè auaritia abducens; nè torpor deprimens, nè ſeueritas obdurans in te permaneat.*

Luc. 6. — Rom. 2. — Thren. 2. — Eccl 4. — Ezech. 13 — Ibid. — Mich. 3. — Marci. 3. — 1. Theſ. 2. — Orig.

3. Dubiū. Ad tertium dubium; an ſubditi negligentes audire verbum Dei peccent mortaliter? Reſpondeo quod ſic, patet per Aug. & ponitur in decreto. 1. q. 1. *Interrogo.* vbi ipſe expreſsè dicit, quod negligens auditor verbi Dei pariformiter peccet, ſicut negligens ſuſceptor corporis Chriſti: ſed iſte peccat mortaliter propter irreuerentiam tanti ſacrāmenti ergo & ille. Hinc ſtatuit Eccleſia, vt nullus infra ſermonem prædicationis audeat ſine magna neceſſitate exire: alioquin exiens ex contemptu excommunicandus eſt: ſed nullus excommunicatur, niſi pro mortali peccato, vt patet. 11. q. 3 *per totum:* ergo iſte peccauit mortaliter. De hoc in canone de conſecratione diſtinc. 2. Sacerdote.

Negligentia circa verbum Dei peccatum mortale.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

SERMO III.

Semen eſt verbum Dei. **Luc.8.**

Aug.l. de lib. arbit.

SAnctus Auguſt. oſtēdēs quæ ſit vera Chriſtianorum ſapientia, ſic ait. Non aliam putamus eſſe ſapientiā veram, niſi veritatē, in qua cernitur & tenetur ſummū bonū.

Vera Chriſtianorum ſapientia quæ?

Vult dicere Aug. quod vera ſapientia conſiſtat in verbo Dei: vbi recondita eſt veritas eius; in quo quidē verbo Dei cernitur De⁹ per fidem, & tenetur per ſpem, iuxta illud Apoſtoli. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate.* Verbum igitur doctrinæ ſalutaris Chriſti eſt tota noſtra ſapientia, qua alitur, paſcitur & gubernatur anima noſtra. Vnde ſicut nihil poteſt viuere ſine cibo ſibi conuenienti: ſic nec anima rationalis poteſt ſubſiſtere ſine verbo Dei; & propter hoc dicit Ambr. tractans illud. *Eloquium tuum viuificauit me*, quod non ſit quicquā aliud, quod viuere faciat animam rationalem, quam eloquium Dei.

Vita animæ verbū Dei.

Quomodo aūt paſcat omnes, oſtēdit Aug. ſuper Geneſ. l.5. c.3. dic. Quod altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos recreat, virtute magnos paſcat, affabilitate paruulos nutriat. Rectè ergo ſaluator ait. *Semen eſt verbū Dei.* Sicut enim ſemen eſt refectio omnium viuentium: ita verbum Dei omnium credentium; quod ſaginat animam, quod impinguat viſcera, iuxta noſtrū thema, quod innuit *ſemen eſſe verbum Dei*

Propoſit.

In quibus verbis circa iſtud venerabile ſemen tria conſideranda occurrunt. Primo eſt conſideranda verbi Dei ad ſemen materiale proprietatis ſimilitudo, vt ſic dicatur *ſemen.* Secūdo verbi Dei vtilitatis magnitudo, vt ſit *verbum Dei* non vacuum nec inane nec apparenter, ſed veraciter & vtiliter in nobis operetur, quod deſignat, verbum ſubſtantiale *eſt.* Tertio conſideranda eſt verbi Dei impedimentorum multitudo, eo quod ad ſimilitudinem ſeminis in multis non fructificat, quod deſignat vltimum, ſcilicet *verbum Dei.*

I.

Verbum Dei tribus comparatur.

Verbū Dei cōparatur tribus aquę, pani, & ſemini, quæ tria ſūt valde vtilia humano generi, in tantū vt ſine eis vita iſta duci nō poſſit. Et primo verbum Dei habet ſimilitudinem & proprietatem ad aquā propter tria. Primò propter eius curſus facilitatē ſecundo propter eius humectationem; tertio propter eius claritatem & perſpicacitatem.

1. Aqua ob tria.

Primo verbum Dei comparatur aquæ propter eius curſus facilitatem. Aqua enim moroſè & facilè currit, & omnibus ſe conformat: Sic & verbum Dei docet omnes moroſè & manſuete viuere. nullum lędere. Vnde ipſa eſt aqua, Siloe, quæ currit cum ſilentio, vt dicitur Iſa. 8. Hoc etiam oſtendit eius ſuperficialis continuatio, quæ plana videtur, quia verbum Dei omnia dura, aſpera, & rixoſa complanat, & omnes docet conuerſari honeſtè & planè ſine omni aſperitate. Vnde Apoſtolus, qui hanc aquam bene biberat, inſtruit nos dicens: *Omnia in vobis fiant honeſtè & ſecundum ordinem.* (*1. Cor. 14.*) Et certè videmus quod verbi Dei auditores diligentes ſciant ſe conformare moribus omnium ſine offenſa, pro loco, pro perſona, & negotio. Sciunt enim gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Vnde Apoſtolus dicit. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non vror?* quaſi dicat vtique; & propter hoc dicit, *quod omnibus omnia factus ſit.* (*1. Cor. 9.*) Vnde Cato. *Conſtans atque leuis, vt res expoſtulat eſto. Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat.* Item Saluſtius ſuper Albertum. *Conſule quiſquis eris qui pacis fœdera quæris, Conſonus eſto*

lupis cum quibus eſſe cupis. Sed hodie ita peruerſi ſunt homines, vt cum viderint virum vel fœminam moribus illorum, quibus conuerſatur, ſe honeſtè coaptare, inconſtantiæ aſcribant, cum tamen hoc non ſit inconſtantiæ, ſed prudentiæ. Vnde Ambr. dicit. Quod aqua eadem ſit in omnibus locis coaptata ſecundum diuerſitatem locorum, quia inter vaporoſa feruet, inter vmbroſa frigeſcit, ſole repercuſſa exæſtuat, niuibus irrigata in glaciem indureſcit.

Ambr. li. 3. Hexam.

Secundò verbum Dei comparatur aquæ propter humectationem naturalem: Dicit Ambr. in Hexam. de operibus tertiæ diei, quod aqua ſit altrix omnium virgultorum, diuerſos ſingulis vſus miniſtrans. Sic verbum Dei dat ſingulis alimentum, vt faciant fructum iuxta neceſſitatem ſuę cōditionis tempore opportuno iuxta illud pſ. *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus &c.* O quā fœlices ſunt, qui iuxta iſtam aquam reſidēt, & quam infœlices qui lōgè ab ea ſedent! Verum licet omnis aqua humectatione ſua eſt vtilis: tamen aqua pluuialis incomparabiliter eſt vtilior. Vnde videmus, quod plus proſit parua pluuia hortulo, quam magna quantitas aquæ fluuialis. Sic vtilior eſt aqua modica verbi Chriſti & doctrinæ eius ad ſalutem, quam multa volumina doctrinæ Philoſophorū, aut quorumcunque aliorum: *Concreſcet, vt pluuia, doctrina mea fluat vt ros eloquiū meum.* Ideò vocatur iſta aqua, aqua ſapientiæ ſalutaris. Et in pſalm. *Super aquam refectionis educauit &c.* De hac aqua dicit Pſalm *Pluuiā voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ.* Innoc. id eſt, doctrinam & gratiam voluntariam, id eſt, gratis à te datam, ſecundum quod gloſſa adducit illud Iacob. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis ſuæ.* Sed quod dicit *ſegregabis*, ſcilicet à Iudæis ad gentes ſeparatam dabis. *Auferetur à vobis regnum.* Sed certè miratur Aug. in tract. de bened. Eſau & Iacob; quare, cū Dominus æqualiter pluat ſuper ſegetes & ſpinas, non æqualiter iſta proficiant in bonitate fructus: ſed fructus ſegetis ad horreum, ſpinarum verò ad ignem: aitq; quod hoc non fiat ex parte pluuiæ, ſed ex parte radicis. Videat ergo vnuſquiſque qualem radicem habeat, quæ trahat pluuiam bonam. Dulcis enim eſt pluuia, ſed radix amara cor malum. Hæc ille.

Deut. 32.
Eccl. 15.
Pſal. 67.
Matt. 21.
Auguſt.

Tertio verbum Dei comparatur aquę propter eius figuralem repræſentationem, quæ eſt perſpicax & lucida. In aqua enim apparent facies humanæ, & tenet vicē ſpeculi ad vſum pauperum. *In aquis reſplendēt vultus proſpicientium.* Sic & nos in verbo Dei, & doctrina ſacra faciem animæ noſtræ, id eſt, mores noſtros conſpicimus. Vnde dic. Greg. quod ſacra ſcriptura ſit ſicut ſpeculum, in quo facies noſtra videtur. Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus; vel quam longè à profectu diſtamus, vel quantū proficimus. Pręterea dicit. Ber. *Sermo diuinus eſt aqua non modo potans, ſed & lauans. dicente Domino. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Sed prohdolor multi ſpernentes hanc aquam clariſſimam, bibunt de aqua fœtida, & turbulenta, ſcilicet aſtutia huius mūdi: vt illi, qui libentius audiunt conſilia de temporalibus, quam ſalutaribus: ſi quis eis de lucris, de vanitatibus ſęculi, de delect. bibbes mundi conſiliū det libenter bibunt aquam iſtam. Contra quos dicitur: *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* quaſi dicat. Quare non bibis potius aquam de cœlo deſcendentem, cuius fons eſt verbum Dei in excelſis: quam aquā de luto ſæculi & via fœtentem & ſtantem? Non eſt turbulentior aqua quam in via; ita vt eam & pecora munda dedignentur bibere; veruntamen porci eam libenter bibunt. Sic & homines immundæ conſciētiæ immunda libenter audiunt. Refert Seneca, quod ea, quæ per medium aquę apparent, groſſiora videantur, & idem probatur in perſpectiua. Eodem modo homines mūdani, quia ſemper in aqua aſtutiæ ſæcularis verſantur, apparent ſibi maiores, quam in rei veritate ſint. Putant enim ſe nobiliores, ditiores & ſapientiores; cum tamen ſæpius ſint viliores apud homines & Deum.

Prou. 27.
Greg. l. 4. Moral.
Bern. ſup. Cant. ſer. 22.
Ierem. 2.
Eccl. 1.
Sen l. 1. de nat. quæ.

2. Secundo verbum Dei comparatur pani propter tria. Primò, ꝓpter ſimilitudinē ꝑparationis: ſicut enim panis fit de excuſſis granis à paleis, & contritis in mola, & igne coctis: ſic verbū Dei debet eſſe purū à paleis adu-

Pani ob tria.

adulationis; vt verbi Dei prædicator nulli blandiatur; alias enim eſt adulter, non prædicator. Vnde Apoſtolus. *Neque adulterantes verbum Dei.* Secundò debet conteri meditatione, & cogitatione deuota, iuxta illud pſalm. *Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.* Eſt cõtra illos, qui nihil aliud quam ſonat littera in ſcripturis inquirunt; cum tamen dicatur. Littera occidit, ſpiritus autem viuificat. Et Saluator: *Verba quæ locu-*
Ioan. 6. *tus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Tertiò debet igne aſſari. Nam cruda paſta non valet ad comedendum. Ignis hic eſt Spiritus ſanctus, qui in mente noſtra accendit cor
Ezec. 24. & omnem humorem carnalitatis exſiccat. Vnde Ezech. 24. dicitur de Spirituſancto. *Conſumentur carnes*, id eſt, carnales affectiones, *& coquetur vniuerſa compoſitio*, id eſt ornatus ſuperfluus *& oſſa tabeſcent*, id eſt, rigidæ & rebelles voluntates reducentur ad modeſtiam. Ecce vtilitas Spiritus ſancti. Secundò dicitur verbum Dei panis propter ſimilitudinem conditionis. Conditio panis eſt, quod communiter in parua quantitate apponitur ſeruo, & in groſſiori: Domino verò vel prælato in magna & ſubtiliori. Appoſitus non integer glutitur, ſed frangitur. Sic verbum Dei ſimplicibus eſt proponendum ſimpliciter, cũ groſſa id eſt, expoſitione; Prælatis verò vel ſapientibus ſubtiliter, & acutè vnde Apoſt. dicit de ſe.
Verbũ Dei ſimplicib. ſimpliciter exponendum. *Ego non potui vobis loqui, tanquam ſpiritualibus ſed tanquam carnalibus.* Et iterum: *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Et: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* In ſignum huius Chriſtus turbam panibus hordeaceis refecit.
Ioan. 6. Frangitur verè iſte panis cum expoſitionibus & gloſſis, id eſt, Sanctorum Patrum interpretationibus declaratur. Sed fortè in multis locis conqueritur hodiè Eccleſia
Thren. 4. illud Thren. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Notanter dicit *frangeret*, quia licet multi prædicantes, pauci tamẽ vtiliter declarant myſteria ſcripturarum. Tertiò verbum Dei dicitur panis propter ſimilitudinẽ operationis: quia panis operatur ſanitatem, vires & robur fortitudinis auget, & nè homo deficiat, ſuſtentat. Sic panis verbi Dei operatur ſanitatem mentis. Pſalm *Panis cor hominis confirmet* Dat fortitudinem in via, & in labore ſuſtentat, quia verbum Dei contra tentationes animat, & ſuſtentat. vnde *Si dimiſero eos ieiunos, deficient in via.* Tertiò verbum 3. Semini
Dei comparatur ſemini, vt hic. Et quia ſu- comparatur
pra oſtenſum eſt in ſermone præcedenti tur ver-
Deum eſſe ſeminatorem & auctoritati- bũ Dei ob
uum & principalem: nunc videndum eſt, plura.
quomodo prædicator ſit ſeminator inſtrumentalis & miniſterialis. Dicitur autem prædicator ſeminator, & prædicatio ſeminatio, propter plura, quæ fiunt de ſemine. Semen enim in manu tenetur, in terram proijcitur, & oportuno tempore ſeminatur, & magnus inde fructus expectatur.
Primò ergo verbum Dei comparatur ſemi- 1.
ni, quia vt ſemen accipitur in manu. *Acci-* Geneſ 47.
pite ſemina & ſeminate agros. Benè dicit *accipite*, id eſt, operibus implete: manus enim noſtræ opera noſtra ſunt. Secundò
ſpargitur ſemen vbique prædicando, non 2.
tantum in vno loco. *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas*, hoc eſt dicere. Beati qui Iſaiæ 32.
prædicatis euangelium omni creaturæ, Marci vlt.
quia aquæ multæ populi multi. Sic fecit Chri Apoca 17.
ſtus, qui ſeminauit *per ciuitates & caſtella* Marci 6.
circuiens. Tertiò prædicator dicitur ſemi- Matth. 9.
nator, & ſemen verbum Dei propter tem- 3.
poris oportunitatem *Tempus enim tacendi,* Eccl. ſ. 3.
& tempus loquendi. Nunc enim oportunè, 1. Timo. 4.
nunc importunè ſeminandum eſt: dicit ta- Prou. 15.
men Salomon quod ſermo oportunus optimus. Vnde Gregor. in paſtorali dicit, quod prædicator debet eſſe diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, [illegible] proferat, [illegible]. Quartò
prædicator dicitur ſeminator, & [illegible] ver- 4.
bum Dei: quia ſicut in ſemine expecta- Iaco. 5.
tur fructus, hoc eſt merces æterna. Agricola expectat precioſum fructum: ſic prædicator non debet deſperare; ſi non ſtatim videt fructum [illegible]; ſed expectet, donec afferat temporaneum & ſerotinum: quia certè impoſſibile eſt vt verbum Dei ſit vacuum, quocunque ceciderit. *Quomodo deſcendit imber, & nix de cæ-*
lo, & illuc vltra non reuertitur? [illegible] Iſaiæ 55.
terram & infundit eam, & germinare [illegible] e-
am. & dat ſemen ſerenti [illegible] [illegible]
ti. Sic erit verbum quod egredietur de ore meo: [illegible]
non reuertetur ad me vacuum, [illegible] [illegible]
cunque volui, & proſperabitur [illegible]

quæ miſi illud. Tria hic dicit de verbo ſuo Dominus. Eſſe imbrem, hoc eſt, ꝙ illud ſupra cõparauimus aquę. quæ de imbre procedit: Eſſe panem, hoc eſt quod ſupra comparatum cibo & pani; Eſſe ſemen, hoc eſt, quod Dominus illud comparat ſemini; ſic patet quod verum dicat noſtrum thema. *ſemen eſſe verbum Dei.*

I I.

Conſideranda hic eſt verbi Dei vtilitatis magnitudo, vt ſit verbum Dei nõ vacuum, nec inane, nec apparenter, ſed veraciter, & vtiliter in nobis operetur; quod deſignat verbum ſubſtantiale *eſt*. Eſt enim verbum Dei animæ ſanatiuum, illuminatiuum, & inflammatiuum, & gloriæ æternæ præparatiuum, & donatiuũ. De primo patet. Verbum enim Dei ſanat morbum animæ, expellendo, & curando peccatum. Dum enim verbum Dei deuotè auditur, homo de peccato compungitur, & ſic ſanatâ anima gratia aduocatur. Vnde dicitur in pſal. *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos.* Et licet hoc poſſit exponi de verbo incarnato, quod eſt Chriſtus. *Verbum caro factum eſt*, aut de verbo inſpirato, quod eſt gratia: tamen nõ minus eſt verum de verbo prædicato, quod eſt verbum doctrinæ Chriſti, exterius audito. Vnde Sap. 16. dicitur. *Filios autem tuos neq; draconũ neq; venenatorum vicerunt dẽtes. Miſericordia enim tua aduenienſ ſanabat eos. In memoria enim ſermonum tuorum exterminabantur, & velociter ſaluabantur, nè in altam incidentes obliuionem, nõ poſſent tuo vti adiutorio.* Et ſequitur: *Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* Vbi dicit Holcoth, quod ſermo Dei deuotè conceptus ſanet omnes infirmitates pluſquã malagma, quod idem eſt, quod emplaſtrum ex herbis coctis cum oleo & butyro, vel aliquo alio liquore. Quod autem verbũ Dei non videatur ſanare ſtatim, non mirum: Ex quo enim eſt medicina, non ſtatim, nec ſubitò effectum inducit; ſed per proceſſum temporis & cum mora auditorum corda conuertit. Cum. n. vt dicit Holcoth, per viginti annos quieuerit in anima, tunc primò incipit operari. ꝙ aũt hic dicit de dracone, ſignificat diabolũ. cõtra quẽ, ſi quãdoq; hominẽ ſuã caudã illigauerit, & cũ à ꝓpoſito bono deiecerit, eſt medicina verbi Dei; quia nõ eſt infirmitas, q̃ non ſanetur verbo Dei. Vnde de verbo Dei poteſt dici. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Secundò diuinum verbum eſt animæ illuminantium, & inflamantiuum. Nam & intellectum dat paruulis, illuminando rationem, & affectum inflammat. Vnde dicitur apud Pſalm. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*, id eſt, illuminat ad præcepta, & inflammat ad conſilia, quæ ſunt quaſi ſemitæ. Et: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Dicit Innocentius. Oculos cognitionis contra ignorantiam, & oculos amoris contra concupiſcentiam. Hos illuminat ſacra Scriptura per verbum Dei, & virtutem eius. Hæc Innocent. Tertiò verbum diuinum eſt vitæ & gloriæ donatiuum. Nam poſtquam anima eſt ab omni peccato ſanata, & ab omni ignorantia illuminata, & inſuper igne diuino inflãmata, non reſtat, niſi vt deducatur ad gloriam. vt dicit Dominus: *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam.* Et: *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Ecce verbi Dei vtilitatis magnitudo.

Verbũ Dei ſanat animam. — *Ioan. 1.* — *Luc. 6.* — *Verbũ Dei vita & gloria donatiuum. Ioan. 4.* — *Luca. 11.*

III.

Verbum Dei. Mirabile eſt, quod cum verbum Dei ſit maximę virtutis, non ſemper etiam faciat fructum, ſed multipliciter impediatur: quod tamen non eſt ex parte ipſius verbi, ſed ex parte cordis humani. Vnde licet aqua de ſe dulcis ſit, tamẽ ſi per terrã ſulphureã excurrat amara efficitur, ſicut patet de aquis Marath. Et panis licet ſit dulcis palato ſano, tamẽ infirmo eſt pœnalis, & amarus, vt dicit Aug. Vnde Ambr. ſuper illud: *Beati immaculati.* dicit. Quomodo poſſent verba Dei dulceſcere faucibus tuis, in quibus eſt amaritudo nequitiæ? Et licet ſemen purum ſit, dum eſt extra terram, tamen ſeminatũ in terra & paleis ſordidatur, & luto vilificatur, & gelu mortificatur, & ſpinis ſuffocatur, & petra aridatur: quæ omnia ſunt ex parte terræ ſuſcipientis & non ex parte Dei ſeminantis. Sunt igitur ſeptem impedimenta, quæ impediũt nè ſemen verbi Dei fructificet in mẽte hominis. quorum quatuor ponuntur in Euãgelio

Auguſt in Conf. — *7. Fructũ ſeminis verbi Dei impediũt.*

[1. Conculcatio tranſeuntium.] gelio præſenti. Primum eſt conculcatio tranſeuntium, & pertinet ad peccatum luxuriæ. [Iſaia 51.] *Poſuiſti vt terram corpus tuũ, & quaſi viam tranſeuntibus.* [Luxurioſi perſtringuntur.] Luxurioſi enim aperiunt cor, & apertum dimittunt, omnibus cogitationibus immundis exponendo. De his dicitur. [Ierem. 2.] *Sub omni ligno frondoſo tu proſternebaris,* id eſt ad omne delectabile, quod [Ezech. 16.] erat aſpectu delectabile, dediſti cor tuum. *vt delectatione mala fruaris.* Et: *Diuiſiſti pedes tuos,* id eſt, affectiones cordis tui. *omni tranſeunti,* id eſt cuilibet turpi cogitationi. Talis fuit ille, qui de ſe dicit. [Eccleſ. 2.] *Non prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* In his ergo non fructificat verbum Dei, ſed [Eccl. 21.] quicquid audiunt, conculcant. *Audiet luxurioſus, & diſplicebit ei, & proijciet illud poſt tergum ſuum.* [Tria à ſecularibus conculcãtur.] Sunt autem tria, quæ hodiè ab hominibus ſæcularibus conculcantur, quæ tamen maximo precio eſſent comparanda, & omni ſtudio veneranda. [1. Sponſa Chriſti.] Primò ſponſa Chriſti; ſecundo perſona Chriſti; tertiò verba Chriſti. Sponſa Chriſti conculcatur, cum anima hominis vilipenditur. De [Sap. 7.] hac ſponſa dicit Chriſtus. *Hanc amaui, & quæſiui mihi aſſumere ſponſam, & amator factus ſum formæ illius.* [Oſeæ 2.] Hanc deſponſat ſibi Chriſtus in fide, & dilectione. *Sponſabo te mihi in fide.* Quantum autem amet hanc ſponſam, patet primò, quia propter eã deſcendit à ſupremo cœlo in virginis vterum. Secundò multos labores triginta tres annos ſuſtinuit. Tertiò mortem duram ſubijt. [Quomodo] Quis igitur auderet ſpõſam regis conculcare? [Ezech. 16.] Et tamẽ ſponsã Chriſti nullus veretur cõculcare. Conculcatur aũt, cũ per [2. Perſona Chriſti.] peccatũ vilificatur. *Cõculcata es in ſanguine tuo.* Secũdò cõculcatur perſona Chriſti: nõ ergo mirũ ſi ſponſa, ex quo & ſponſus. Hoc dictũ & auditu terribile eſt, & tñ verum eſt. [Quomodo] Conculcatur aũt Chriſtus primò, quando in peccato mortali ſumitur, & in fœtidum cor mittitur. Vnde conqueritur. *Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplãtationem.* Sed ô miſer, quomodo audes illũ indignè ſumere, quẽ Ioannes Bapt. nõ audebat tangere, aut Petrus timuit ſecũ cohabitare? *Exi* inquit *à me Domine, quia homo peccator ſum.* Et Centurio nõ audebat eum in domum ſuam ſuſcipere. *Non ſum* inquit, *dignus.* Ideò Dominus prohibet dic. *Nolite ſanctũ dare canibus, & margaritas nolite proijcere ante porcos, nè forte conculcent eas pedib. ſuis.* [Matth. 7.] Secundò cõculcatur Chriſtus à periurantibus; de quibus dicitur in pſal. *Inimici mei ſubſannauerunt me.* Et: *Conculcauerunt me inimici mei tota die* Tertiò conculcatur Chriſtus per incantationes. *Taces conculcãte impio iuſtiorem ſe.* [Haba. 1.] Tertiò conculcantur verba Chriſti, quæ licet ſint medicina vulnerum noſtrorũ, tñ pro nihilo reputantur, [3. Verba Chriſti.] ita vt ad nihilũ iã valeãt, ſed cõculcẽtur ab hominib. ſicut ſal abiectum. Vnde aũt hoc ꝓuenit? [Matth. 5.] certè ex tribus, ſc. propter durã reprehenſionem culparũ, quã reprehendunt prædicatores ipſos peccatores. Sed certè felix reprehenſio, q̃ ſequitur ſalutaris cõuerſio. Non ergo ſunt conculcandi, ſed amãdi prędicatores, quia meliora ſunt vulnera diligẽtis, q̃ fraudulenta oſcula odiẽtis. Secũdo ꝓpter aſperã cõminationẽ. Poſtq̃ enim prędicatores cõminãtur peccatorib. multa tormẽta, ſtatim incurrũt odiũ, ſicut patet de Michea ꝓpheta, cui dixit Rex. *Ego odi eũ, quia non prophetat mihi, niſi malũ.* Tertiò propter aſſertionẽ veritatis. [Prædicator in veritate dicẽda ſit impauidus.] *Veritas .n. odiũ parit.* Dicit Chryſ. & Ambr. ſuper illud. *Vos nobiles, nos autẽ ignobiles.* Liberè & ſine adulatione veritatẽ prædicãtes, & geſta prauæ vitæ arguentes gratiã nõ habent apud homines. Hieron. quoq; ſuper illud. [1. Cor. 4.] *Ergo inimicus vobis factus ſum verum dicens?* [Galat. 4.] ſic ait. *Hæc eſt conditio veritatis, vt eã ſemper inimicitiæ conſequantur, ſicut per adulationẽ pernitioſæ amicitiæ conquiruntur.* Non ergo debet prędicator timerè conculcationem taliũ, ſed audacter prædicare veritatẽ, quia melius eſt pro veritate pati ſuppliciũ, quã ꝓ falſitate & adulatiõe recipere beneficiũ.

[2. Terræ ſiccitas.] 2. Impedimentum ſeminis eſt pluuiæ carentia & terræ ſiccitas; per quã ſignificatur indeuotio, & negligẽtia, quoad acediam. q̃ caret humore deuotionis. Et dicitur cor durũ cor acedioſi, quia nec timore concutitur, nec amore flectitur; & iſtud eſt propriè cor diaboli, de quo Iob 41 dicitur. [Iob 41.] *Cor eius indurabitur quaſi lapis, & cõteretur quaſi malleus incudis.* Sed de tali dicit. [Eccl. 3.] *Cor durũ malè habebit in nouiſſimo.* Et qũ ò malè? certè malè, quia ꝓ duritia cordis habebũt impij duritiam tormentorũ. [Prou. 19.] *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.*

poribus. Econtra de bono corde dicitur in
Matth. 5. Pſalm. *Quam bonus Iſrael Deus his, qui re-*
Pſalm. 5. *cto ſunt corde.* Et: *Beati mundo corde.* Et: *Cor*
mundum crea in me Deus. Sed de multis
hodiè proteruis, & rebellibus poſſet dici.
Ierem. 5. *Indurauerunt facies ſuas ſupra petram.* Et:
Zach. 7. *Cor ſuum poſuerunt, vt adamantem.* Ter-
3. *Spinarũ* tium impedimentum ſeminis diuini eſt ſpi-
ſuffocatio. narum ſuffocatio. Spinæ ſunt diuitiæ, &
meritò quia pungunt & lacerant, retrahũt
& retardant. Pungunt in acquirendo cum
labore. *Vidi vanitatem ſub ſole: vnus eſt &*
Eccl. 4. *ſecundum non habet, & tamen laborare non*
ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs. Secun-
do quia cum timore poſſidentur. *Sonitus*
Iob 15. *terroris ſemper in auribus illius.* Tertiò quia
cum dolore perduntur. *Diuitiæ enim con-*
gregatæ in malum Domini ſui pereunt in affli
ctione peſſima. Has punctiones hodie non
ſentiunt, ſed ſentient poſtea infernales.
Quartum impedimentum eſt clauſuræ de-
4. *Clauſu-* fectus. Hoc ſignificatur per viam publicam
ræ defe- quæ nunquam eſt clauſa. Vnde ſicut ver-
ctus. bum Dei conculcatur per lutum luxuriæ
Verbũ Dei in via cordis ita & volucres cœli, id eſt dæ-
per luxu- mones, comedunt illud in via cordis, pro-
riam con- pter defectum clauſuræ, & hoc per ſuper-
culcatur. biam, quod eſt propriè peccatum diaboli.
vt dicit Beatus Thomas in prima primæ.
Vbi enim eſt clauſura humilitatis, imò ven
tus vanitatis & ſuperbiæ, omnia bona diſ-
ſipantur. Vnde ſaluator Matth. 6. *Attendite*
ne iuſtitiam veſtram faciatis coram homini-
bus. quaſi dicat. prouidete nè iuxta viam
ſeminetis, quia diaboli quaſi latrunculi i-
ter noſtrum obſident quærentes nos virtu-
tibus ſpoliare; & hoc maximè per ſuper-
biam. Quintum impedimentum extra 5. *Nimia*
Euangelium eſt nimis profunda plantatio *grani pro-*
grani in terra, ita vt granum propter mul- *fuſio.*
titudinem terræ non poſſit liberè exire; &
ſignificat auaritiam, per quam homo ter-
rena diligens cumulat in tantum, vt cor nõ
poſſit in Deum eleuari. Sextum impedi-
mentum eſt nimia inundatio pluuiæ, & ſi- 6. *Nimia*
gnificat gulam; quæ ſemen verbi Dei in *inundatio*
corde ſubmergit. Vnde Lucæ 21. dicitur. *pluuia.*
Attendite nè grauentur corda veſtra crapula
& ebrietate Iſta igitur pluuia debet eſſe mo
derata. Septimum impedimentum eſt la- 7. *Lapidũ*
pidum cumulatio nimia; & ſignificat iram, *cumula-*
odium & inuidiam. Iratus enim & inuidus *tio.*
omnia lapidibus vult vlciſci, & vindicare
ſe de omnibus durè & aſperè: contra quos
de mitibus dicitur Iacob 1. *In manſuetudi-*
ne ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt
ſaluare animas veſtras? quam ſalu-
tem nobis concedat ſemi-
nator verus, Christus
Dominus. A-
men.

DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

SERMO I.

Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & con-ſpuetur Lucæ 18.

DIcit Sanctus Auguſtinus, in quodam ſermone. *Multos filios Dei fecit vnicus filius Dei,* emit ſibi fratres ſãguine ſuo, approbauit reprobatus, redemit venditus, honorauit inhonoratus, viuificauit occiſus. Vult dicere hominem diligenter debere expendere & ponderare paſſionem Chriſti, & non ita de facili ruere in peccata, maximè hoc tempore, quo etiam homines ex ſola mala conſuetudine peccant: præſertim ſcientes, quia filius Dei propter ipſos tanta ſuſtinuit, & eos paſſione ſua filios Dei adoptiuos fecit. Vnde dicit idem
Auguſtinus in lib. de virginitate. *Totus nobis* Auguſt.
debet

debet infigi in corde, qui totus pro nobis fuit crucifixus in cruce. Vt igitur homines caueant a peccatis, & retrahantur à vanis, & noxijs, ſancta mater Eccleſia recolit hodiè in Euangelio Chriſti paſſionem: vt conſiderantes eum talia pro ſe paſſum, & ipſi ei cōpatiendo non delitijs reſoluantur, ſed compunctione compatiantur; quaſi diceret Eccleſia filijs ſuis, & vnicuiq; ipſorum. O homo noli tātum amittere beneficium? proptereà Chriſtus damnationi mortis ſe ſubdidit, vt te de iugo dominationis diaboli erueret. Ille ſuſcepit mortis ſeruitutē, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatem, inquit Ambroſ. ſuper Pſal. *Beati immaculati.* Ac ſi diceret Chriſtus O homo vide, quæ pro te patior, non eſt dolor, ſicut quo crucior: Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus affligor: vide clauos, quibus confodior, & licet ſit tantus dolor exterior, intus tamen eſt planctus grauior, cum te tam ingratum paſſionis meæ experior, & intueor. Ita Bern. ſup. cantica in perſona Domini in quodam ſerm. Cum igitur paſſio Chriſti noſtrum amorem maximè ad Chriſtum afficiat & noſtram deuotionem blandius alliciat, iuſtius exigat & arctius ſtringat; vt dicit idem Bern. ſup. cantica ſerm. 20. meritò Eccleſia recolens noſtram redemptionem tam caro precio emptam proponit nobis Chriſti tormenta, ſicut ipſe prædixerat in verbis propoſitis. *Tradetur* inquit *gentibus, & illudetur.* In quibus verbis deſcribitur modus noſtræ redemptionis, qui non fuit cōuenientior, quā per paſſionem Chriſti: q̄ quidem paſſio fuit triplici priuilegio ornata. Primò gratioſa, ſecūdò doloroſa, & tertiò copioſa: quæ tria breuiter per ordinem tranſcurramus.

Ambroſ.

Bernard.

Propoſitio

I.

Dixi q; deſcribatur paſſio Chriſti vt gratioſa, quę gratia apparet ex pluribus. Si .n. aduertamus quis, quantū, & propter quos paſſus ſit, certè inueniem⁹, quia omnia fuerunt de gratia. Et primò ſi attēdamus, quis paſſus ſit, quia vnigenitus filius Dei, *in quē angeli deſiderāt proſpicere, & qui eſt ſplendor & figura Dei Patris.* Iſte inquam, *qui cū Deo Patre ſedens ſuper Cherubin intuetur abyſſos & qui omnia quacunq; voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis;* non eſt dedignatus pati pro nobis. *Dedit ſemetipsū pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Iſtā gratiam erga genus humanum admirās ipſe filius Dei dicit. *Sic Deus dilexit mūdum, vt filium ſuum vnigenitum daret pro eo.* Quod tractans Rupert. Lincon. ſermo. 25. dicit, quod optimo modo dandi & pleniſſimo datus ſit pro nobis creator, cum factus eſt talis, quo perpetuò, & perfectè frui poſſemus; quod vtrūq; factum eſt per eius natiuitatem & paſſionem. *Certè maxima dilectio apparuit in eo erga hominē, quod Deus factus eſt filius hominis, vt ſugeret vbera regens ſidera, & eſuriret panis, ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falſis teſtibus veritas occultaretur, iudex viuorum ac mortuorum à iudice mortali iudicaretur, ab iniuſtis iuſtitia damnaretur, flagellis diſciplina caderetur, ſpinis botrus coronaretur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, vita moreretur.* Hæc Aug. Secundò ſi attendamus, quātum paſſus ſit, & certè multum, quia *à planta pedis non eſt inuenta in eo ſanitas.* Non enim in vno membro, ſed in omnibus paſſus eſt. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Nec in membris exterioribus tantum, ſed etiam interioribus, quia in corde, iuxta illud. *Et cor meum dereliquit me.* Tertiò ſi conſideremus propter quos paſſus. Dicit autem Petrus Apoſtol. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis.* Et Paulus dicit. *Cum adhuc infirmi eſſemus, Chriſtus ſecundum tempus mortuus eſt pro impiis. Vix enim quis pro iuſto moritur: nā pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Non ſolum autem tunc pro iniuſtis, impijs, & peccatoribus dignatus eſt mori, ſed & nunc quotidiè in iuſtis & peccatoribus permittit ſe dari in Sacramento altaris: quia iniuſti ſunt eo ipſo quo peccādo fiunt ingrati. Quod quāti faciat Chriſtus, & ponderet, oſtendit Aug. in ſer. de die iudicij dicens ex perſona Chriſti ad peccatorem & ingratum. *Cur me grauiori criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, affixiſti? Grauior mihi eſt crux criminum tuorum, in qua mortuus pendeo, quam illa, in quā quondam mortem occiſurus, tui miſertus volens aſcendi.*

Paſſio Chriſti gratioſa ob perſonā patientis.

I. Pet. I.

Hebr. I.

Tit. 2.

Ioan. 3.

Ob tormētorum grauitatem.

Ob quos paſſus.

I. Pet. 3.

Rom. 5.

S. Auguſt.

Iſtam ergò pietatem, amorem, & gratiam, qua nos ita gratioſè redemit, & omni tempore, & maximè hodiè, quando maximè tentamur à mundo, carne & diabolo, debemus meditari & recordari dulciter. Hodiè enim tentat mundus vanitatibus, quia vnus vanus homo alium ad vanitatem protrahit; Caro noſtra currit ad delitioſa & ſuauia; & diabolus ſuggerit noxia & ſuperba. Contra quæ omnia paſſio Domini eſt meditanda, præſertim recolendo, ex quāta pietate & gratia fuerit pro nobis peccatoribus & indignis ſuſcepta & tolerata. Nihil enim ita hominem excitat ad deuotionem, ſicut memoria paſſionis Chriſti. Sanguis autem Chriſti eſt ſummum medicamentum ariditatis cordis noſtri.

Paſſio Chriſti excitat deuotionē.

Dicit Robertus Holcoth ſuper librum Sapientiæ cap. 11. quod ſanguis humanus habeat tria naturaliter. Primò quia fœcūdat lignum aridum; ſecundò quia ſanat corpus languidum; tertio quia cauſat cęmentum ſolidum. Primò fœcūdat lignum aridum. Dicunt naturales Hiſtorici quod ſi lignum fuerit arefactum, optimum eſſe remedium ſtatim in principio arefactionis apponere ſanguinem humanum. Narrat enim Hermes Ægyptius, quod roſarium plantatum in terra commixta ſanguine, ad calorem modicum ignis omni tempore anni producat roſas. Moraliter homo eſt quaſi arbor, vt dicitur Marci 8 *Video homines quaſi arbores.* Hęc arbor areſcit per peccatum, quando de Deo non cogitat, vt deberet; quia tunc non habet deuotionē, nec facit delectabiliter, quæ Dei ſunt. *Ligna agri aruerunt, quoniam confuſum eſt gaudium à filiis hominum.* In iſto ergo caſu nō eſt melius, quam ad radicem cordis talis perſonæ apponere ſanguinem Chriſti calidum per meditationem deuotam. Hæc enim meditatio accendit ſtatim amorem in homine, qui eſt calor naturalis hominis. Tali amore accenſus erat Bernardus qui loquens ad Chriſtum ait. *Super omnia reddit te mihi amabilem bone Ieſu calix paſſionis tuæ, quem pro me bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hic enim ſuper omnia amorem noſtrum ſibi vendicat; hic noſtram deuotionem blandius allicit.* Ideo dicit Apoſtolus; *Omnia penè ſecundum legem in ſanguine mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit peccatorum remiſſio.* Sic ergò ſanguis fœcundat lignum aridum.

Effectus tres humani ſanguinis. 1. *Marc. 8.* *Ioel 1.* *Ber. ſer. 20 ſup. Cant.* *Hebr. 9.*

2. Secundò ſanguis ſanat corpus languidum. Sic enim legimus conſultum Conſtantino Imperatori leproſo, vt balnearetur in ſanguine calido puerorum, & curaretur. Refert etiam Holcoth, vbi ſupra, quod ſit quædam infirmitas puerorum, quæ vocetur crugles, periculoſa valdè, niſi per aliquod remedium curetur. Eſt autem remedium contra eam, vt puer vngatur ſanguine hominis illius, qui prius iſtum morbum paſſus fuerit. Hoc modo & corporis noſtri mortalitas eſt mirabilis infirmitas, quia continuè morimur ſecundum Senecam. Vt ergò iſta infirmitas curaretur in nobis, id eſt, vt de mortalibus fieremus immortales, paſſus eſt Chriſtus, vt per eius ſanguinem & mortem nos ad immortalitatem perueniremus. Vnde Bernardus in quodam ſermone. O bone Ieſu, quid tibi & morti? Nos deliquimus, & tu ſoluis? Nos peccauimus & tu luis? Paſſio ergò tua eſt opus ſine exemplo; gratia ſine merito; charitas ſine modo. Benè ergò dictum eſt, quod paſſio eius fuerit gratioſa.

3. Tertiò ſanguis cauſat cęmentum ſolidum. Refert Holcolth vbi ſupra, quod antiqui volentes facere ædificia perpetua, cæmentum humano ſanguine miſcuerint. Vnde etiam de Vertigrino Rege Britanniæ in hiſtoria Britonum dicitur, quod cum ædificaret turrim in monte Eury in vallia, et quod cæmentarij vno die operabantur tellus alio die abſorberet, conſuluerint magi dicto Regi vt iuuenem quendam inquiri faceret, qui patrem terrenum non haberet; cuius ſanguine cæmentum & lapides aſperſi pręſtarent ſolidum fundamentum. Moraliter antè Chriſti paſſionem ſic erat in mundo comparatum, vt quicquid homines ædificarent, quātumcunq; etiam benè ædificarent, moraliter benè viuēdo, totum immediatè abſorberetur à terra: quia omnes in puteum inferni deſcenderunt: nec ſtare potuit ædificium meritorum, donec aſperſi eſſent ſanguine iuuenis, qui patrem non haberet in terra; & hic fuit Chriſtus,

qui

qui fuit in cælis ſine matre, & in terris ſine patre. *Acceſſiſtis ad mediatorem noui teſtamenti Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quam Abel.* Iſto ergo ſanguine cæmentum Eccleſiæ melius conglutinatur, & ſolidatur, vt Deo amore indiſſolubili inhæreamus, qui prius procul ab eo diſtabamus. *Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando fuiſtis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.* Vnde ſtatim poſt paſſionem Chriſti omnium credentium factum eſt cor vnum & anima vna in Chriſto; & hoc vtique non niſi per paſſionem Chriſti, & ſanguinem, per quem charitas Chriſti diffuſa eſt in cordibus fidelium. Sic patet prima noſtri thematis particula, quæ vt deductum eſt ſufficienter, oſtendit, quod paſſio Chriſti, quam modo recolit eccleſia, fuerit gratioſa.

Ephe. 2.

Rom. 5.

I I.

Paſſio Chriſti fuit doloroſa ex tribus.

Illudetur, flagellabitur, & conſpuetur. Hic dolor cauſatus eſt Chriſto ex tribus. Primò ex parte tradentis Iudæ; ſecundo ex parte crucifigentis Synagogæ; tertiò ex parte crudelitatis pœnæ. De primo patet in pſalmo 54. vbi Chriſtus conquerendo de malitia, dolo, & fraude Iudæ ſic ait. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Et ſi is, qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.* Ponuntur hic plura dolore plena, & intollerabilia ſecundum Innocentium. Primò enim intolerabilis eſt perſecutio, quæ fit ab amico; ſecundò quãdo eſt improuiſa; tertiò ſi eſt illata à ſocio ſecretorum; quartò, quando fit ab illo, qui deberet eum docere; quintò, ſi infertur a familiari; ſextò ſi à commenſali; ſeptimò ſi à contubernali. Hæc omnia fuerunt in Iuda; propter quod eius traditio fuit Chriſto nimis doloroſa. Hinc patet quod quanto plura dona quis receperit à Chriſto, tantò grauius peccet contra Chriſtum. Vnde grauius peccat ſenex, quam iuuenis: quia plura habet, ſcilicet ætatem & ſapientiam maturam: & grauius Rex vel Princeps, quam miles, vel ciuis, vel colonus: & grauius diues, quam pauper; & grauius ſpiritualis, quam ſecularis: & grauius regularis, quam ſpiritualis. Vnde dicit Innocentius quod per malitiam Iudæ hic ſignificentur octo partes ingratitudinis religioſorum, ſcilicet inhumanitatis, inimicitia, ſcandalum, proditio, conſiliorum reuelatio, inhoſpitalitas, deuiatio, & contradictio; quæ Deus grauius tolerat à religioſis, quam aliis quibuſcunque. Secundo iſta paſſio fuit doloroſa Chriſto ex parte crucifigentis Synagogæ. Chriſtus enim in tota vita ſua multa bona fecit Iudæis pluſquam alijs gentibus, iuxta illud. *Non fecit taliter omni nationi; & iudicia ſua non manifeſtauit eis;* ſicut Iudæis: maximè cum tantum eſſet notus in Iudæa Deus; & cum vt ipſe ſaluator dixit, *ſalus tantum eſſet ex Iudæis.* Johannis 4. Vnde ipſe dicebat eis quaſi admirãdo eorum malitiam per eos contra eum conceptam. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre: propter quod horum opus vultis me lapidare?* Ioan. 10. Iſta beneficia enumerans Pſalmiſta dicit in perſona Chriſti. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent.* ſcilicet Iudæi, *induebar cilicio*, id eſt, ſub carne mortali latebam, nec oſtendebam potentiam ſumendo vindictam. Ecce primum beneficium, ſcilicet manſuetudo conuerſationis. Secundum fuit humilitas: tertium fuit ieiunium. Vnde ſubdit. *Humiliabã in ieiunio animam meam.* Nec dubium quin pro hominibus, non pro ſe, ieiunarit. Quartum fuit deſiderium, quo ſalutem eorum deſiderabat, ſicut patet Ioan. 6. *Hæc eſt voluntas patris mei, qui miſit me, vt omne quod dedit mihi pater, non perdam ex eo.* Quintum eſt, quia pro eis orauit. Ideo ſubditur: *Et oratio mea in ſinu meo conuertetur.* Sextum eſt, quia eos diligebat. Vnde addit. *quaſi proximum & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam*, id eſt, habui eos ſicut fratres & proximos.

1. Ob Iudæ malitiã.

Pſal. 54.

Dolorem intollerabilem quæ reddant.

Iudæ malitia deſignat 8. religioſorũ ingratitudines.

2. Ob Synagogæ crucifixionem.

Pſal. 34.

Beneficia Chriſti Iudæis præſtita.

Septimum eſt, quia de peccatis eorum dolebat: vnde addit. *Quaſi lugens & contriſtatus.* Innocentius de peccatis eorum, ſic humiliabar compatiendo eis.

Luc. 19. *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam.* Quãtam autem malitiam retribuerint Chriſto Iudæi pro prædictis beneficijs, oſtendit idem Pſalmiſta ibidem paulò ante dicens in perſona Chriſti. *Quoniã gratis abſconderunt mihi interitũ laquei ſui: ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam.* Notanter dicit *gratis*, id eſt, ſine cauſa, ſicut Pilatus confeſſus eſt

Matt. 28. palam. *Ego non inuenio in iſto cauſam vllam.* Vel dicit *gratis* ſecundum Innocent. id eſt, non conducti vt milites. Gratis ergo abſconderunt laqueum fraudulentiæ, vt me interimerent: quando ſcilicet concilia faciebant, & inſidias mittebant, vt me ad mortem traherent.

Ioan. 11. *Colligerunt pontifices & Phariſæi conſilium. Superuacuè exprobrauerunt animam,* id eſt, opprobrijs accuſauerunt animam meam, quærentes eam perdere ſuperuacuè, id eſt, ſine cauſa. In iſto verſu ſecundum Innocent. multiplex malitia ipſorum deſignatur. Innuitur enim primò eorum malitia, quia *gratis*; ſecundò fraudulentia, quia abſconderunt; tertiò crudelitas; quia necem ſtruxerunt, quartò ſtulticia, *quia ſuperuacuè*; quintò contumelia, *quia exprobrauerunt*; ſextò præſumptio, *quia animam meam.* Alias etiam ipſorum malitias Pſalmiſta enumerans dicit. Pri-

Pſal. 38. mò, quia aduerſus Chriſtum lætabantur, & ei inſultabant. Vnde dicit. *Aduerſum me lætati ſunt.* Secundò, quia contra eum conſpirabant, vt patet Matth. 26. vbi congregati fuerunt, *vt Ieſum dolo tenerent & occiderent.* Tertium eſt, quia eum flagellabant: ideo addit. *Congregati ſunt ſuper me flagella.* Quartum eſt, quia eum ignorantem reputabant: vnde addit: *Et ignoraui,* id eſt, ad modum ignorantis me habui, & etiã ignarus reputatus fui. Quintum fuit ſchiſma. Vnde ſequitur. *Diſſipati ſunt,* id eſt, per ſchiſma diuiſi: quia quidam dicebant: *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit:* alij dicebant: *quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? & ſchiſma erat inter illos.* Sextum fuit eorum obſtinatio. Vnde additur. *nec compun-*

Matt. 22. & 27. *cti.* Septimum fuit eorum dolus: vnde dicit. *Tentauerunt me.* Et: *Quid me tentatis hypocritæ. Si filius Dei es, deſcende de cruce.* Octauum fuit deriſio eorum, vnde ait. *Subſannauerunt me ſubſannatione,* ſcilicet frequenti. Nonum fuit crudelitas eorum, vnde dicit *frenduerunt ſuper me more ferarum dentibus ſuis,* id eſt, dentium colliſione ſæuitiam cordis ſui exprimebant. Ecce quã doloroſa paſſio pro tantis beneficijs reddere Chriſto tanta maleficia. Hinc Chriſtus aggrauando peccatum Iudæorum dicit Canticorum 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Quod exponit Bernard. ſuper cantica ſermon. 30. *Filij matris meæ,* id eſt. Annas, Cayphas, & Iudas qui filij Synagogæ fuerunt: qui pugnauerunt contra Chriſtum ſuſpendentes eum in ligno. Quantus autem dolor impugnari à fratre matris eiuſdem? Sed notanter dicit *matris meæ,* id eſt Synagogæ, non patris, quia non habebant Deum patrem, ſed ex patre diabolo erant; homicidæ vtique, ſicut & ille homicida erat ab initio. Ioan. 8.

Tertiò paſſio Chriſti fuit doloroſa ex parte crudelitatis pœnæ. Tanta fuit crudelitas, & acerbitas doloris, vt omnia, quæ potuerunt excogitari ignominioſiora, in omnibus membris fuerint irrogata Chriſto. iuxta illud, quod ipſe de ſe dicit ad patrem. *3 Ob pœnæ crudelitatem.*

Pſal. 87. *Super me confirmatus eſt furor tuus*, id eſt, verſus; es vehementer, & perfectè iratus mihi. Et quare? *quia omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me* Innocentius exponit, id eſt, omnia genera tormentorum. *Omnes gurgites tui & omnes fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Iona 2. Certè magna crudelitas Chriſtum inter latrones ſuſpendere. *Cum iniquis deputatus eſt* Iſaie 53. Maxima iniquitas iam mortuum vulnerare, Ioann. 19. Hinc canitur in hymno. *Quo vulneratus inſuper mucrone diro lanceæ.* Sed quomodo dira lancea, cum canat Eccleſ. Dulce lignum, dulces clauos? Ideò ſanè dura & duriſſima, quia mortuum vulnerare crudeliſſimum. Hoc eſt quod Salomon in perſona crucifigentium dixit. Sapientiæ 2. *Morte turpiſsima condemnemus eum, contumelis & tormentis interrogemus eum.* Turpiſſima non ſolum, ſed etiam crudeliſſima: quia per totum corpus, ita vt etiam ex dolore illo anima Chriſti maximè doleret iuxta illud quod ipſe conqueritur in pſalmo 87.

Repleta

Repleta eſt malis anima mea. malis dicit Innoc.pœnæ, non culpæ. Anima enim Chriſti compatiens corpori repleta fuit pœna & dolore. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Oſtendunt iſtam doloroſam paſſionem verba thematis, cum dicunt. *Illudetur flagellabitur, conſpuetur, crucifigetur, & occidetur.* Ad quid autem iſta omnia ſuſtinere voluit? certè non ad aliud, niſi ad ſalutem noſtram. Nam vt ait Hieronymus ſuper Matth. conſpicui voluit, vt nos lauaret; velari voluit, vt nobis velamen culpæ & ignorantiæ cordis noſtri auferret; in caput percuti, vt caput noſtrum Adam ſanitati reſtitueret; colaphis cædi, & verbis derideri, vt nos ei labijs & manibus & verbis & operibus applaudamus. Tanto ergo Deus ab hominibus magis eſt honorandus, quãto magis pro hominibus indigna ſuſcepit.

Matt. 26.

III.

Paſſio Chriſti copioſa.

Tradetur illudetur, conſpuetur, flagellabitur &c. Dicit S. Bernard. quod Chriſtus in omnibus membris voluit pati, vt omnibus membris ſui myſtici corporis, hoc eſt, omnibus fidelibus ſuis copioſam & ſufficientem oſtenderet redemptionem. Vnde dicit Leo papa. *Effuſio ſanguinis Chriſti pro iniuſtis tam potẽs fuit ad præmium, tam diues ad precium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Et Aug. de verbis Domini dicit. Quod ſi totus mundus cum morte Chriſti appendatur; minus videtur habere. Hinc & in pſa. dic. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Sed dices, quomodo copioſa redemptio ex quo tam multi pereunt quotidie, & multi vocati pauci electi? Reſpondeo quod copioſa ſit redemptio, quantum ad ſufficientiam: quia omnes ſufficit ſaluare, qui ſaluari volunt: licet non ſit copioſa ad efficaciã: quia non omnes efficit ſaluos, illos prę ſertim, qui ſaluari nolunt. Vnde ipſe Chriſtus vult omnes ſaluos fieri: non tamen omnes ſalui fiunt, quia non omnes volunt. Quis ergo locus erit deſperationi; ex quo tam copioſa eſt redemptio per paſſionem Chriſti? Quis deſperabit de Chriſto, quod dabit veniam & gloriam, ex quo dedit ſanguinem ſuum & animam pro peccatoribus? Cum enim deſperatio ſurgat ex triplici conſideratione, vel culpæ ſicut in Iuda; vel offenſæ ſicut in Cain; vel pœnæ, vt in Saul. Ecce ſanguis Chriſti mundat culpam quia confidendum eſt, quod Deus non voluit delectationem culpæ, propter cuius odium effudit ſanguinem. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis.* Mater lauat puerum in aqua: ſed Chriſtus nos in ſanguine. Secundo conciliat offenſam: confidendũ eſt quod pater condonabit pœnitenti filio, ex quo dedit ſanguinem peccatori. *Placuit per ipſum reconciliari* Tertiò exſoluit pœnã, quia aufert æternitatem, & mitigat acerbitatem. Vnde iam non oportet de pœna cõputare cum aliquo, quam cum eius vicario qui tam care emit nos vt poſtea non fuerit nec futurus ſit, qui precio maiori redimat. *Non corruptibilis auro aut argento empti eſtis.* Hæc tria figurata ſunt in paſſione, quia inclinauit caput in ſignum remiſſionis offenſæ: Exiuit aqua de latere in ſignũ abluitionis culpæ: & ſanguis in ſignum redemptionis pœnæ. *Hic eſt ſanguis, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionẽ peccatorum.* Ideo Bern. dicit. *Paſſio tua Domine Ieſu Chriſte vltimum refugium, ſingulare remedium, deficiente ſapientia iuſtitia nõ ſufficiente ſuccumbentibus meritis, illa ſuccurrit, cum defecerit virtus mea: non conturbor, non diffido. Scio quid faciam. Calicem paſſionis Chriſti accipiam & nomen Domini inuocabo.* Et ſermone. 61. dicit. Quid tam ad mortem quod non Chriſti morte ſaluetur. Si ergo venerit in mentem tam potens, tam efficax remedium, nulla poſſum morbi malignitate terreri. Ideo liquet erraſſe illum qui ait. *Maior eſt iniquitas mea; quam vt veniam merear.* Confidenter igitur ſperemus in paſſione Chriſti, & tuti erimus ab omnibus inſidijs mundi carnis, & diaboli, per quam euademus culpam cõſequemur veniam gratiam & tandem gloriam: ad quam nos perducat pater. &c.

Leo ſer. de ieiun. 7. menſis.

Pſal. 119.

1. Tim. 2.

Deſperatio prouenit ex triplici conſideratione.

2. Reg. vlt.

Apoc. 1.

Coloſſ. 1.

1. Pet. 1.

Matt. 26.

Bern. ſup. Cant. ſerm. 22.

Paſſio Chriſti vltimum refugiũ.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.
SERMO II.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Luc.18.

SIcut dicit beatus Auguſt. in li. de charitate. *Deus medicamentũ eſt non ſano, regula eſt prauo, habitatio deſerto, lux tenebroſa.* Hæc ille. Et exprimit hic Auguſt. quatuor defectus humanæ conditionis, ſcilicet languorem in potentia agibili, quantum ad operationem boni deprauationem in concupiscibili quantum ad electionem boni; deſertionem in malo quantum ad defectum in iraſcibili; & cæcitatem in electione quantum ad cognitionem in rationali. Voluit ergo dicere Aug. quod genus humanum ex præuaricatione primorum parentum præmiſſa mala incurrerit, tũ quia languidum erat operari bonum ex ſe, iuxta
2. Cor. 3. illud. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis:* tum quia erat deprauatum, vt potius concupiſceret malum pro
Iſaiæ 5. bono. *Væ qui dicitis bono malum, & malo bonum:* tum tertio, quia erat deſertum in malo, à quo per ſe reſurgere non poterat, iuxta illud Pſalm. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtãtia,* id eſt auxilium: tũ quarto quia erat obſcurum & tenebroſum, vt non haberet debitam & veram cognitionem veri & falſi. Vnde propheta conquerebatur. *Corruit in plateis eius veritas.* Quia ergo non fuit, qui genus humanũ à præmiſſis defectibus liberaret, venit Dei filius & factus eſt medicina ſalutaris nõ ſano, habitatio deſerto, lux tenebroſo. Ideò cæcus ſentiens Chriſtum prætereuntem cum turba, petijt à tenebris cæcitatis illuminari. Quæ quidem cæcitas deſcribitur
Propoſit. in verbis præmiſſis, cũ dicitur. *Cæcus quidã ſedebat.* In verbis præmiſſis tria ſunt conſiderãda. Primo circa huius cęci curationẽ humanæ cõditionis infælicitas, in eo quod dicitur *Cæcus quidam;* ſecundo eius prudẽs ſagacitas in eo quod clamat ad Deum; tertio ſaluatoris pietas, in eo quod curauit eum.

I.

Cæcus quidam. Inter multas miſerias, & incommoda humanæ naturæ ex culpa primorum parentum inflicta eſt cæcitas, quæ ideo dicitur infælicitas, quia eſt pæna proueniens ex illa infælici culpa primorũ parentum, per quam fælicitatem cæleſtem amiſerunt. Et quia iſta infælicitas non venit ſola, ſed multis alijs comitibus, & miſeriæ ſuæ ſocijs concomitata, ideo hic eius deſcribuntur conditiones, ſcilicet quia *erat quidam,* ſecundo *quia ſedebat;* tertio quia *ſecus viam;* quia mendicabat. Primo ergo videamus qualiter cæcitas iſta, quę eſt peccatum, excæcat mentem hominis: ſecundo quomodo ex ea multa mala proueniunt & committuntur. De primo, quomodo congrue per cæcitatem ſignificetur peccatum, dic. Sophoniæ. 1. *Ambulabunt vt cæci; quia Domino peccauerũt.* Vnde vt dicit Holcoth. Omne peccatum natum eſt ſuper naturaliter excæcare, & ob hoc ſeptem vitia capitalia ſeptem inferunt cæcitates mentales: quibus correſpondent ſeptẽ cæcitates corporales, quæ in ſacra ſcriptura nominantur. Primo. n. mentẽ excæcat ſuperbia præ ſua nimia claritate. *Sol ſuis radijs effulgens excæcat oculos.* Sol eſt gloria pompæ mundialis, & figuratur per Pauli cæcitatem, de qua Actu. 9. *Circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram nihil videbat.* De hac cæcitate poteſt exponi illud Rom. 11. *Cæcitas ex parte contigit in Iſraël* Iſrael. n. interpretatur vir videns Deum, & ſignificat hominẽ donis naturæ & fortunæ præuentum: cuiuſmodi ſunt homines ingenioſi, ſpecioſi, fortes

Cæcitas peccatum ſignificat. Holc. ſup. l. Sap. c 2.

Peccata mortalia ſeptem inferunt cæcitates. Eccl. 43. Act. 9.

fortes & diuites: hæc enim omnia ſunt materia ſuperbiæ. Vnde Aug. in quadam epiſt. *Vicia cætera in peccatis, ſuperbia verò in rectè factis cauenda eſt, nè illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur.* Scribit Seneca quod vxor ſua famulã quãdam habuerit, quæ ſubito facta cæca videre deſijt: incredibilem rem tibi narro, ſed tamen veram; neſcit ſe eſſe cæcam, ſed ſemper pædagogum ſuum rogat, vt recedat de domo in qua eſt; dicit. n. domum tenebroſam eſſe: & ſubdit Senec. Hoc, inquit, quod in illa videmus, nobis accidit. Nemo ſe auarum intelligit: nemo ſe cupidum. Cæci ducem quærunt; nos ſine duce erramus, & dicimus, non ego ambitioſus ſum, ſed vrbs ipſa magnas exigit impenſas: non eſt meũ vicium, quod iracundus ſim, quia nondum conſtitui certum genus vitæ: adoleſcentia facit, quod nos decipimus: non eſt extrinſecus, malum noſtrum, intra nos eſt, in viſceribus ſedet. Sed ideo ad ſanitatem difficulter peruenimus, quia nos ægrotare neſcimus. Hæc Seneca. Hæc fuit cæcitas epiſtoli Laodiceæ, cui dicitur. *Dicis quia diues ſum, & locuples, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ecce mala cæcitas ſuperbia. Secũda cęcitas eſt inuidia: & hæc figuratur per cæcitatem Heli ſacerdotis, de quo dicitur. *Caligauerunt oculi eius, & non poterat videre lucernam ardentẽ, donec extingueretur.* Hoc modo ſe habet inuidus; qui *lucernam ardẽtem*, id eſt, perſonam gratioſè viuentem, & proſperè, coram Deo, & bonis viris meritò approbandam, videre non poteſt, quin lædatur in corde per inuidiam. Auianus narrat de cupido & inuido ſimul iter agentibus. Vox de cœlo venit ad eos dic. Petat vnus veſtrum, quicquid voluerit, & habebit; ſic tamen vt ſocius ſit habiturus duplum. Fuit ergo magna controuerſia inter eos, quis eorum peteret: tandem inuidus, peto inquit, vt eruatur mihi oculus; hoc ideo dixit, vt ſocio ſcilicet cupido erueretur vterq;. In figura huius dic. de Saul, quod nõ recto oculo inſpiciebat Dauid, poſtquam Dauid triumphauit de Philiſtæo. Vnde dicitur inuidus quaſi non videns aliorum proſperitatem vel fælicitatem. Tertia cæcitas eſt iracundia; de qua Pſal. *Turbatus eſt à furore oculus meus,* hoc eſt dicere, iuxta Catonem; Impedit ira animum, nè poſſit cernere verum. Hæc ſignificatur per cęcitatem Lamech, qui habens arcum voluit ſagittare, & putans ſe occidere feram occidit hominem Cain; ſicut narrat Magiſter in hiſtoria ſuper Geneſ. c. 4. Eodem modo res ſe habet cum hominibus iracundis, & pręſertim iudicibus excęcatis per iram, qui putantes ſe occidere vitium in homine occidunt ipſum hominem. De talibus dicitur. *Ignorantia eſt in illis propter cæcitatem cordis eorum.* Dicit autem Petrus de Lapiaria in tractatu de oculo morali, quod oculi iracundorum naturaliter ſint infectiui, ſi quem inſpiciant, cum contigerit eos vehementer iraſci. Vnde refert Solinus in lib. de mirabilibus mũdi, quod in Sicilia ſint quędam mulieres, quæ Luciæ nuncupantur, habentes duplices pupillas in oculis; quæ ſolo viſu dicuntur perimere, ſi forte quem reſpexerint, cum fuerint iratæ. Sic ſeſe res habet moraliter cum iracundis vt omnia corrumpant & deſtruant, cum fuerint irati: nec aliquam veritatem admittant aut cognoſcant; quod diabolus in eis procurat: ſicut piſcator turbans aquam, nè piſces rete videant. Similiter Dæmon turbat iracundis oculum rationis, vt cadant in laqueum diaboli. Ideo expedit talibus, vt cũ ſe ſentiunt iratos, ſuſpendant ſententiam de omnibus, quæ tunc agunt, ſiue vlciſcendo ſiue declarando, ſicut fecit Archita Tarentinus, qui volens villicum ſuum punire, quod ſibi agros deſtruxiſſet; ſentiens ſe iratum punitionem ſuſpendit, dicens. Sumerem de te vltionem, ſi iratus non eſſẽ. Quarta cæcitas eſt acedia, & figuratur per cæcitatem Tobiæ qui dormiendo cęcitatẽ incurrit. In accedioſis. n. oculi mentis sũt ſẽper grauati torpore. *Erant. n oculi eorũ grauati.* ideo inuenit eos dormiẽtes. Hic ſomnus, & cęcitas accidit homini ex obliuione & neglectu pęnę futurę, ad quã obligatus eſt: quã ſi cõſideraret, nõ dormiret vtiq; nec in bono tepeſceret. Refert Macrob. in Sat. q Aug. Imperat. audito q quidã mercator multis debitis obligatus obijſſet: qui tamẽ in vita, illa debita penitus nihil curãs fortiter dormiſſet, iuſſerit ſibi eius culcitrã cõparari: q cũ eius familiares mirarẽt, reſpõ. In pcio habeam

Sen. ad Lucil. ep. 86.
Apoc. 3.
2. Cæcitas inuidia.
1. Reg. 2.
1. Reg. 18.
3. Cæcitas iracundia
Ephes. 4.
Val. Max. lib. 4.
4. Cæcitas Acedia.
Tob. 2.
Matt. 26.
Macrob. in Saturn.

habenda & diligenda eſt hæc culcitra ad ſomnum, in qua dormire potuit, qui tantum debitis obligatus fuit. O quot ſunt hodie tales mercatores, qui ſentientes ſe obligatos ad æternas pœnas dormiunt, nec ad Eccleſias debito tempore ſurgunt. maledicta talium culcitra. Refert de ſe Helinandus Monachus, quod cum quadam vice quidam Epiſcopus nomine Philippus Baluacenſis in monaſterio eius pernoctaſſet, ipſeq; prima diei inſequẽtis hora eũ in ſtrato ſtertẽtẽ reperiſſet, cæperit eũ arguere dic. Aues cæli & porci terræ iam ſurrexerũt, & Epiſcopi adhuc dormiunt. Cui ipſe. Vade miſer, & occide vermes tuos. At ille. Ego quia pauper ſum, occido vermes meos corporales: te autem, quia diues es, occident vermes tui in inferno; ſicut ſcriptum eſt. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorũ non extinguetur.* Quinta cæcitas eſt cupiditas, quæ homines facit ſimiles talpis, ſemper fodientes in terrenis: & hæc cęcitas facit hominem pauperem, & mendicum. Vnde figuratur per cæcitatem iſtius mendici, qui ſedebat ſecus viam. Sed dices: quomodo dicis auarum & diuitem pauperem? Reſpondeo certè quod ſic: nam vt dicit Seneca Epiſtola: 38. Non qui parum habet, pauper eſt, ſed qui plus cupit. Vnde ille diues verè eſt, qui modum tenet in diuitijs, qui eſt duplex Primus habere, quod neceſſe eſt; proximus quod ſatis eſt. Hæc Seneca. Sexta cæcitas eſt gula, quæ frequenter excæcat hominem ſpiritualiter, & corporaliter. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui morantur in vino & ſtudent calicibus epotandis?* Septima cæcitas eſt luxuria, quæ aufert oculum mentis. Vnde Poëta. *Omnis amor cæcus, quia non eſt arbiter æquus: nam deforme pecus iudicat eſſe decus.* Vnde ſecundum Greg. 21. lib. moral. Cęcitas mentis eſt prima filia luxuriæ. Iſta cæcitas eſt Samſonis qui in ſinu Dalile perdidit oculos. Cuſtodiendus eſt igitur oculus mentis ne excęcetur: & eſt mirabile quod oculus corporalis in luxurioſo ita vehemens eſt vt excæcet oculum mentis. Nam ſecundum Quintilianum in lib. cauſarum. Viciis noſtris in animum per oculos via eſt. Et: *Aſcendit mors per feneſtras noſtras.* Hoc autem in luxurioſis maximè cõtingit vbi ex viſu & riſu homo prouocatur ad illicita. Vnde dicit Helinãdus. Stulta eſt caſtitas quæ inordinate ridet vel aſpicit indecenter. Ideò dixit Iob. *Pepigi fœdus cum oculis meis vt non cogitarem quidem de virgine.*

5. Cæcitas cupiditas. *6. Cæcitas gulæ.* *Prou. 23.* *7. Cæcitas luxuria.* *Iudic. 16.* *Ierem. 9.*

Ex prædictis patet, quomodo peccata mortalia figurantur conuenienter per cæcitatem, videamus nunc quomodo hæc cęcitas mentis aduenerit homini cũ peſſimis accidentijs & conditionibus. Sunt autem plures conditiones eius hic in themate poſitę. Prima cõditio cecitatis peccati eſt ignorantia reſpectu rerum cognoſcendarũ, quia non videt: ſecunda pigritia reſpectu rerum agendarum, quia ſedet: tertia penuria & defectus reſpectu rerum habendarũ in hoc quia mendicat. De primo patet: nã peccator caret cognitione rerum cognoſcendarum ita omnino vt nullam rem bene dijudicet, ſicut dicimus de cęco quod nec album nec nigrum diſcernat. Vnde nõ eſt lippus aut luſcus aut monoculus ſed perfecte cæcus. *Quaſi abſque oculis attrectauimus.* Duo oculi animæ ſcilicet conſideratio gloriæ vt prouocemur ad bonum, & conſideratio gehennæ, vt reuocemur à malo. Ille dexter, iſte ſiniſter: quia ergo peccator nec habet amorem boni nec timorem mali, ideo vtroque caret. Qui autem habet vnum illorum dicitur monoculus. Certè ſi conſideraret peccator gloriam beatorum in cælo, quanta ſit, plurima bona pro ea impenderet. Et ſi conſideraret pęnas diuitis epulonis à multis malis pedem retraheret. quia ergo factus eſt omnino cæcus, ideo decipitur, quia cæcitas cognitionis inducit ignorantiam. Ex hoc autẽ ꝙ peccator eſt cæcus in cognitione incurrit multiplicem ignorantiam, & quidẽ ignorantiã ſciendorum, quia neſcit quæ tenetur ſcire. Hæc autem ignorantia quãdoque eſt graue peccatum, quandoque leue: vnde quandoque excuſat peccatum, quandoque incuſat. Eſt enim quædam ignorantia ſimplicitatis, qua aliquis omittit ſcire ea quæ pertinent ad ſalutem, cum tamen ſciat ſe obligari ad ſciendum illa: de hac dicitur. *Ignorans ignorabitur.* Ignorantia alia eſt craſſa, qua aliquis negligit

Cæcitatis cõditiones *Iſaia 59.* *Ignorantia multiplex.*

ſcire

ſcire ea quæ tenetur ſcire: de qua dicitur. *Sophon.1.* *Tribulabo homines, & ambulabunt, vt cæci.* Iſa.42. *Quis cæcus niſi ſeruus meus;* *Affectata ignorãtia.* Alia eſt ignorantia affectata, qua quis affectat neſcire ea, quæ tenetur ſcire. Vnde Pſal. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Alia eſt ignorantia maligna, qua quis eſt pertinax in errore, ſecundum quem modum dicitur. *Iſaiæ 6.* *Excæca cor populi huius* Hæ quatuor ignorantiæ ſignificantur per quatuor cæcitates. Nam ignorantia ſimplicium & idiotarum ſignificatur per cęcum mutum, quia omittit interrogare ea, quæ tenetur ſcire; Ignorantia craſſa ſignificatur per cęcum ſurdum propter negligentiam audiendi ea, quæ tenetur ſcire; ignorantia affectata ſignificatur per cęcum claudum; propter voluntatem ignorandi; Ignorantia obſtinata ſignificatur per cęcum dæmoniacum. Matt. 12. *Oblatus eſt ei quidam dæmonium habens, cæcus, & mutus.* Licet ergo ignorantia ſimplicitatis ſint venialis in ſimplicibus, tamen eſt in Prælatis damnabilis: quia iſti tenentur alios docere & illuminare, iuxta illud *Iſaia 42.* *Dedi te in fœdus populi, vt aperires oculos cæcorum.* *Rom.2.* Et. *Confidis te ducem cæcorum.* Hæc ignorãtia in ſacerdotibus damnabilis duplex eſt ſcilicet ſciendorum, quoad conſilium animarum: quod tenentur dare peccatoribus, diſcernendo inter lepram & lepram. *Leuit.* 13. Alia eſt ignorantia docendorum, quoad prædicationem fidei & mandatorum. Alia autem damnabilis ignorantia eſt iudicandorum, & hæc tam in ſęcularibus quam in ſpiritualibus pernicioſa eſt, quia ſubuertit *Eccl. 20.* iudicia. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum.* Matt. 15. *Sinite illos: cæci ſunt & duces cæcorum:* hoc vtiq; rectoribus omnibus cõmuniter dicitur. Alia eſt ignorãtia credẽdorum & faciendorum, quæ etiam eſt dãnabilis in omnibus communiter. Nam qui ignorat credenda, ignorat à quo eſt; qui ignorat facienda, ignorat ad quid factus eſt, & vtrumque peſſimum.

Secunda cognitio cęcitatis in peccatore eſt pigritia reſpectu agendorum; quo ad hoc dicitur. *ſedebat.* Sedent qui pigritant, *Cant.2.* Hos admonens Pſal. ait. *Surgite, poſtquã ſederitis, qui manducatis panem doloris.* *Mich.2.* quaſi dic. Satis diu ſediſtis, qui pigritaſtis. *Surge, propera amica mea.* Et: *Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem.* Non eſt ergo ſedẽdum, ſed currendum in via Domini. Pſalm. *Viã mandatorum tuorum cucurri.* Inconueniens autem eſt iſta ſeſſio peccatoris propter tria: primo quia via præſens, iuxta illud Greg. Quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus. Non eſt ergo ſedendum ſecus viam, ſed in termino viæ, iuxta illud. *Hebr.4.* *Feſtinemus ingredi in illam requiem.* Tunc enim ſedebimus quietè & optimè. *Iſaia 32.* *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Heu quã multi hodie ſedent manducare & bibere & *1. Cor. 10.* ſurgunt ludere. Sed quid accidit? Certè perierunt illa die 23. millia. *Progrediẽdum in via Dei.* Item inconueniens eſt ſedere, quia turba præteriens ſanctorum ſolicitat nos ad tranſeundum. Iucundius eſt enim cum turba ire, vt dic. Gregor. quia labor alleuiatur. Item inconueniens eſt ſedere, quia Ieſus tranſit, quãdiu eſt vita præſens: poſtea quieſcet, & dicet pigris. *Matt. 25.* *Neſcio vos.*

Sciendum hic quod in hoc valdè perſpicuè exprimatur peccatorum conditio in hac vita, & ſtatu miſeriæ: quia ſedet. In ſtatu enim naturæ ſtabat homo per integritatem naturæ & rectitudinem: q̃ deplorabat Iob in carnis putredine ſedẽs in ſterquilinio. Stabat etiã q̃a omnib⁹ creaturis præerat: q̃ deplorabat Iere. *Thren.3.* *Sederut in terra ſenes.* Stabat in copia omnis boni; ſed abiect⁹ eſt in ſtatum paupertatis & ſterilitatis: quã deplorauit Helias, ſedens ſub iunipero. *3. Reg. 19.* Ecce mala conditio cæcitatis, ſcilicet reſpectu agendorum. Tertia conditio cæcitatis huius peſſima, eſt reſpectu rerum, habendarum, quia dicitur quod fuerit mẽdicans: de qua Eccl. 13. *Nequiſſima paupertas in ore impij.* Pſal. *Diuites eguerunt, & eſurierunt.* Sic filius prodigus compulſus eſt mendicare. *Luc. 15.* Tollerabilis eſt mendicitas in præſenti, ſed in futuro non æquè. *Prou. 20.* *Mendicabit æſtate,* id eſt, in futuro quando omnis meſſis eſt congregata *& non dabitur ei.* Sic mendicauit diues epulo guttam aquę, quę *Luc. 16.* denegata eſt ei. Nunc ergo eſt mendicandum *Luc 11.* *Petite & accipietis: pulſate & aperietur vobis.* *Peccati incõmoda quatuor.* Ex præmiſſis omnibus colliguntur quatuor incommoda peccati, ſcilicet errare, palpare, ceſpitare, & cadere. Errat peccator in electione, ſiue in diſcretione boni

 & mali

Threu. 4. & mali. *Errauerunt cæci in plateis: polluti sũt ſanguine.* Secundo palpat peccator quaſi manibus in operatione, non videns quomodo, quo tempore, quoue ordine procedendum ſit in actione. *Eſa. 59.* *Palpauimus ſicut cæci.* Tertiò ceſpitat quaſi pedibus, & hoc in conuerſatione: quod ſignificatur Tob. 9 *Pater cæcus cæpit pedibus offendendo currere.* Leuit. 19. *Non pones coram cæco ſcandalum.* Quarto cadit ad deſperationem, iuxta illud. *Matt. 25.* *Si cæcus cæco ducatum præbeat, nonne ambo in foueam cadunt?* Iſta ergo hic notantur per ordinem: Primo cæcitas erroris, cũ dicitur: *Cæcus quidam*; ſecundo ceſpitatio, cum dicitur: *ſedebat*; ideo enim ſedebat, quia ambulando ceſpitare timebat; tertio palpatio, quia *mendicans*, quia non certò extẽdit manũ, & palpat, cũ aliquis ei quid porrigit; quarto caſus, cum dicitur. *ſecus viam*: non enim à via longè recedere audebat, quia ruinam timebat. Sic ergo deſcribitur ſtatus peccatoris conuenienter per infælicitatem cæcitatis huius pauperis.

I I.

Cæci Sagacitas prudens circa tria. Attendẽda, eſt in cæco iſto prudẽs ſagacitas, in eo, quod diligenter & ſagaciter properauit ad illuminationem. Tria autem oſtendit valdè notabilia prudentiæ opera: 1. primo, quia quæſiuit. Prima conditio prudentis quærere bonum; ſecundo quia clamauit ſeu petiuit: tertio, quia reſpondit. Quæſiuit primo, quid hoc eſſet, quod Ieſus tranſiret cum turba: ſic & tu peccator quęre: *Eccl. 11.* Ecce turba præterit; quia generatio præterit & generatio aduenit. *2. Reg. 14.* *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terrã.* *Deut. 32.* Quære ergo quid eſt hoc? *Interroga patrem tuũ & dicet tibi.* Certè ſi quis hoc quæreret ſæpius, & recogitaret, in ęternum non peccaret; quia, ſcilicet ſe cogitaret moriturum. *Eccl. 7.* *Recordare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis* Hæc eſt ergo prima conditio prudentis. 2. Secunda conditio iſtius cæci fuit, quia clamauit, ſeu petiuit dic. *Ieſu fili Dauid miſerere mei.* Increpatur, vt taceat, & tamen clamat. Turbæ increpantes ſecundum Greg. in hom. ſunt cogitationes vitiorum præteritorum, quæ fecimus quæ hominis mentem impediunt, nè Chriſtum audiat. Sed quid faciendum eſt? certè multo magis clamandum; quia ſecũdum Greg quanto grauiori tumultu vitiorum premimurt, tanto magis orationi inſtare debemus. Sunt autem quatuor quæ impediunt clamorem in peccatore, oris obſtructio, quod fit per murmurationem contra Deum, qua dicunt peccatores percuſſi. *Quatuor in peccatore clamorem impediunt.* *Exod. 5.* *En ſerui tui flagellis cædimur, & iniquè agitur contra nos.* Hi ſunt qui habent os obſtructum ad bonum, & apertum ad malum Pſalm. *Obſtructum eſt os loquentium iniqua.* Secundum eſt obtenebratio, quod fit per mortis occupationem: mors enim eſt ſicut nox, in qua quicunque pulſauerit ad oſtiũ ciuitatis ſuſpectus habetur. *Neſcio vos.* Et *Matt. 25.* præmittitur: *Media nocte clamor factus eſt.* Tertium eſt elongatio, quod fit per proſperitati, difficultate: vnde filius prodigus receſſit in regionem longinquam cum *Luca 15.* ſubſtantia ſua. Quartum eſt tumultuatio, quod ſit per terrenorum occupationem. *Luc. 19.* vnde Zacchæus non poterat videre Ieſum præ turba Hæc omnia pauper iſte cæcus ſuperauit, & ideo exaudiri meruit. Non. n. murmurabat contra defectum cæcitatis, ſed eam humiliter eſt confeſſus. Interrogatus enim quid peteret reſpondit. *Domine vt videam lumen.* Nec in tenebrrs noctis, ſed de die Chriſtum quæſiuit, cum tranſiret per viam; quod vtique fuit per viam de die: nec ſe à Chriſto elongauit, ſed ſecus viam ſedit, nec tumultum turbæ aduertit; ſed turba increpante magis clamauit; Ideo & meritò Chriſtus eũ exaudiuit. Sic & peccator quilibet debet primo omnia patienter à Deo inflicta ſibi ferre, dicens illud. Merito hęc patior, quia peccaui; ſecũdo debet opportunè pænitere & confiteri, antequam ponatur in lecto ægritudinis: hoc ſignat dies. *Rom. 6.* *Ecce nunc dies ſalutis.* Tertio debet approximare Deo bonis operibus. *Iac. 4.* *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Quartò non debet attendere impedimenta huius ſæculi. Pſalm *Pſal 37.* *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.* Tertia conditio prudentis ſagacitatis in hoc eluxit quia prudenter reſpondit *Domine vt videam*, non aurum, ſed ſolem. Auarus enim gratius intuetur aurum, quam ſolem. Sic & fidelis nihil potius debet petere, quam vt videat voluntatem Domini, vt eam ſciat facere.

III.

III.

Chriſti benignitas cæco exhibita.

Plura Chriſtus circa curationem huius cæci fecit oſtendens non tantum longanimitatem ſed etiam pietatem, charitatem, & poteſtatem. Primo longanimitatem, quia *ſtans Ieſus.* In quo notatur expectatio longanimis: non enim ſedet vel iacet, ſed ſtat, nè dicas illud vulgare. Expecta patiēter, tamen ſedes in ſicco: ſed ſtat quaſi expectans cum labore. *Laboraui ſuſtinens.* Itē. *Expectat nos Deus, vt miſereatur noſtri.* Noli ergo tardare. *Ne tardes conuerti ad Dominum.* Vnde Auguſt. in li. de bono conſcientiæ. c. 22. *Tardius videtur Deo, peccatori veniam dare, quam ipſi peccatori, veniam accipere. Sic enim feſtinat eum abſoluere à tormento conſcientiæ quaſi plus eum cruciet compaſſio miſeri, quam ipſum miſerum paſſio ſui.* Secundo oſtendit ei pietatem, in eo, quia ei ducatum præſtat. Vnde iubet illum adduci ad ſe: Peccator enim cæcus in cognitione, infectus in affectione, depreſſus in voluntate, aduerſarius & hoſtis in ſua operatione, nec ſciret, nec vellet, nec per ſe auderet accedere ad aſpectum diuinæ maieſtatis, niſi ducatum haberet. Prouidit ergò nobis diuina bonitas ſufficientem ducatū in ſuis Angelis, quibus mandauit de homine, vt cuſtodiant eum in omnibus vijs ſuis; in Apoſtolis, in prædicatoribus, quibus dicit. *Ite & adducite mihi.* Tertiò oſtendit ei charitatem, quia interrogat: interrogando excitat nè ſit negligens in orando. Vnde dicit. *Quid vis vt faciam tibi?* Peccator deberet potius interrogare cum Paulo. *Domine quid me vis facere?* & tamen Dominus potius interrogat dic. *Quid vis vt faciam tibi?* q. d. Quicquid petieris ex corde, habebis. Pſalm. *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei* Et. *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Sed quid reſpondit cæcus? *Do- vt videam,* & quid? vt videam & placeam coram Deo in lumine viuentium. Quarto oſtendit Chriſtus poteſtatem, qua potenter ſanauit eum. Vnde ait. *Reſpice.* Et ſequitur: *Et confeſtim vidit & ſequebatur eum magnificans Deum.* Hæc quatuor Dominus hodie communiter in conuerſione peccatoris exercet. Nam primo longanimiter expectat; ſecundo ex pietate ducatum præſtat; tertiò ex charitate ad orandum excitat; quartò orantem potenter ſanat in viſu animæ à cæcitate culpæ dicens. *Reſpice,* & quid? certe peccata, vt ea caueas, & doleas; cognoſcas quæ feciſti; caueas quæ non feciſti. *Leua oculos tuos in directum, & vide, vbi modò proſtrata ſis.* Proſternitur anima in cogitationibus, in verbis, in operibus. Reſpice ſecundò vilitatem peccati & damnū tuum. *Scito & vide, quia malum & amarum eſt te reliquiſſe Dominum Deum tuum.* Reſpice tertio bona, vt facias. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Reſpice inquam, vt voluntatem Dei cognoſcas, & cognitam facias. Quæ autem ſit voluntas Chriſti dicitur. Prou. 11. *Pondus æquum,* id eſt, opus rectum & iuſtum, *eſt voluntas eius. Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Ecce pondus æquum. *Qua menſura menſi fueritis &c.* Malè menſurat, qui recepta bona à Deo expendit, non in ſeruitio Dei, ſed mundi vel diaboli. Reſpice quarto inimicum, vt caueas. Pſalm. *Illumina oculos meos, nè vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, praualui aduerſus eum.* Reſpice quinto iudicij & iudicis ſeueritatē, vt timeas. *Vidi thronum magnū, candidū, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit cælum & terra, & vidi mortuos puſillos, & magnos ſtantes ante thronum, & aperti ſunt libri.* id eſt. conſcientiæ *& iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libro.* Reſpice vltimo claritatem cœli vt deſideres. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem.* Et ſequitur: *Ciuitas illa non eget ſole:* ad quam nos perducat. &c.

Iſa. 51. & 30. — *Eccl. 5.* — *Peccator ſine auxilio Dei nō reſipiſcit.* — *Matt. 21.* — *Act. 9.* — *Ioan. 16.*

Quatuor Deus in conuerſione peccatoris exercet. — *Ierem. 3.* — *Ierem. 2.* — *Rom. 12.* — *Luc. 6.* — *Apoc. 20.* — *Apoc. 21.*

FERIA QVARTA CINERVM.
SERMO I.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Geneſ.3.

Quadrageſima cur inſtituta. HOdie fratres chariſſimi incipit tempus quadrageſimale, quod quidem tempus ad hoc potiſſimè inſtitutum eſt à ſanctis Patrib⁹, vt in eo peccata, quæ per ſuperbiam contra præcepta Dei commiſimus toto anno, per humilitatem cordis contriti expiemus. Sicut enim ſuperbia eſt radix omnium malorum mortiſque fomentum: ita humilitas eſt fundamentum omnium virtutum. Eapropter qui vult verè conuerti ad Dominum, neceſſe habet ab humilitate inchoare: quia humilitas ſola eſt via, qua redeamus ad patriam. Vnde Augeſt. ſuper illud. *Emundabor à delicto maximo*; concludit quod ſicut initium humanæ apoſtaſiæ ſeu receſſus à Deo eſt ſuperbia: qua durante nullatenus poteſt homo redire ad innocentiam, nec habere vitam immaculatam: ita initium acceſſus ad Deum ſit humilitas: qua habita habetur, & reſtituitur innocentia Ex quo patet ſecundum ipſum, quod ſicut recedentibus à Deo primum vitium ſuperbia; ita redeuntibus ad Deum vltimum vitium ſuperbia & prima virtus ſit humilitas Sed quia nihil ita hominem inducit ad humilitatem, ſicut cognitio ſuiipſius, qualis ſit ad præſens, & qua
Luc.19. lis futurus in futuro, iuxta illud. *Si cognouiſſes & tu* ſc. fleres. Quia inquam ſecundum Greg 11.l. moral, nihil mentem hominis ab amore carnalium voluptatũ ſic abſtrahit, quam ſi, quale corpus ſuum mortuum futurum ſit, penſet: ideo Eccleſia volens hominem inducere ad contritionem, & veram conuerſionem reducit in memoriam ipſius ſtatus ſui conditionem præſentem & futuram, dicens. *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* In quibus verbis admonetur homo ad duplicem cõſideſ- *Propoſit.*
rationem. Primo admonetur ad conſiderationem fragilitatis ſuæ, ſtatum vilem & miſerabilem, vt eum iugiter in memoria teneat, cum dicitur. *Memento homo quia cinis es.* Secundo admonetur ad conſiderationem futuræ calamitatis, ſtatum deformẽ & horribilem, cum ſubditur: *Et in cinerem reuerteris.*

I.

Memento homo quia cinis es, & in cinerem *Fragilitas humana vita conſideranda.*
reuerteris. Sciendum quod inter cætera, quę coram Deo humiliant nos, vnum præcipuũ eſt pudor ex conſideratione propriæ miſeritatis ſeu fragilitatis. Si enim attendam⁹ materiam, ex qua ſumus, certe videbimus eam planè vilem & miſerabilem, cum ea non ſit aliud, quam cinis & puluis. *Omnis* *Eccl.17.*
homo terra, & cinis. Quid autem vilius aut fragilius cinere? Vilis eſt cinis propter cõculcationem: fragilis propter facilem diſperſionem. Similiter omnino certè ſe habet vita noſtra, quę quantũcũque ſe eleuauerit, nihilominus vltimo conculcabitur, non ſolum ab hominibus, ſed etiam à canibus. Pſalm. *Eleuans alliſiſti me*. Similiter quantumcunque vita noſtra videatur fortis & ſolida, nihilominus quaſi vapor fumi diſſoluetur iuxta illud: *Quæ eſt vita no-* *Iacob.4.*
ſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Hinc Iſa 40. dicitur. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni* Et ſequitur. *Verè fœnum eſt populus: Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Vnde reprobi dicunt Sapient.2. *Tranſibit vita noſtra,* *Sap.2.*
tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs ſolis & calore illius aggrauata. Hic dicit Holcoth. quod vita humana comparetur multis rebus: ſed nunquam comparetur alicui

alicui rei ſtabili aut permanenti, ſed rebus tranſitorijs vel caducis. Comparatur autem vita humana aliquando herbæ vel flori, quãdoq; nubis, quãdoque rori, quãdoq; hoſpiti, quãdoque curſori, quãdoq; cineri: quæ omnia ſunt tranſitoria & caduca. De primò dicit Pſalm. *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat & areſcat.* Vbi ſecundum Pſalmiſtam diuiditur humana vita in tria tempora, in pueritiam, adoleſcentiam & ſenectutem. Mane eſt pueritia; floridum eſt adoleſcentia; veſpere eſt ſenectus, in qua decidit homo per infirmitatem; induratur per mortem; & areſcit per reſolutionem in puluerem: & ſic homo comparatur herbę.

Vita humana cõparatur flori.

2. Nubi. *Iob 7.*

Secundo vita noſtra cõparatur nubi. *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit: ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet.* Sicut enim nubes ab his inferioribus eleuatur calore cœleſti, & aſcendit, volatque in altum ad tempus: & quando eſt in ſua altitudine, circumfertur, & agitatur continuè, & ſine quiete, & tandem iterum in terram reſoluta deſcẽdit: Ita & homines in vita præſenti oriũtur de terra; eleuantur ad dignitates & honores, vbi circumagitantur, fatigantur, inquietantur, & tandem de dignitatibus decidunt, & conuertuntur in terram iuxta illud: *Abſtulit quaſi ventus deſiderium meum, & velut nubes pertranſijt ſalus mea.* Qualiter autem in nullo gradu, in nulla dignitate ſit quies perfecta, pulchre declarat Boëtius. Quis eſt inquit tam copioſæ fœlicitatis, vt non ex aliqua parte ſtatus ſui qualitate turbetur? Et ibi oſtendit, quomodò multi licet ſint nobiles, optarent propter nimiam curam & ſolicitudinem familiæ eſſe ignobiles, alij orbati filijs, licet eorũ hęreditas ad extraneum deuolui deberet.

Iob 30.

Boet. li 2. de conſol. Philoſop. proſ. 4.

3. Rori. *Oſee 6.*

Tertiò comparatur vita humana rori *Vita veſtra quaſi nubes matutina, & ſicut ros mane pertranſiens.* Ariſtot. Metapho. dicit, quod permanentia roris non ſit niſi vnius diei.

4. Hoſpiti. *Eccl. 29.*

Quartò comparatur vita noſtra hoſpiti. *Tranſi hoſpes & orna menſam, & quæ in manu tua habes, ciba cæteros.* Quilibet enim noſtrum ſtat in vita, iſta ſicut in hoſpitio, non ſicut in domo. Vnde Tullius in lib. de ſeneꝰt. Sapiens, inquit, ex hac vita diſcedit, tanquam ex hoſpitio, non ex domo: commorandi enim diuerſorium natura dedit nobis, non habitandi locum. Receptus in hoſpitio, vſum habet domus vaſorum, lecti, & reliquorum huiuſmodi, ſed non dominium, quia nihil ſecum aufert, ſed emit liberè, & expendit, & ſic in fine pro omnibus computare & rationem inire tenetur. Sic & de nobis ſe res habet in vita iſta. Sumus in hoſpitio huius mundi, vſum mundanorum poſſumus habere, ſed nihil nobiſcum aſportare in morte. *Diues, cum dormierit, nihil ſecum auferet.* Vnde mundus eſt ſicut Rex Buſiris, de quo Poetæ tradunt, quod homines hoſpitio excipere ſit ſolitus ſub ſpecie pietatis, ſed habita opportunitate eos occiderit. Sic & mundus vocat ad dignitates, ad honores, delitias, ſed improuiſe occidit. *Stulte, hac nocte dæmones repetēt animam tuam à te.* Et: *In puncto ad inferna deſcendunt.*

Iob 27.

Lucæ 12. *Iob 21.*

5 Curſori. *Iob 9.* *1. Ioa. 2.*

Quintò vita humana comparatur curſori. *Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt, & non viderunt bonum.* Et: *Mundus tranſit, & concupiſcentia eius.* Ecce curſus vitæ noſtræ dicitur curſor.

6. Cineri.

Sextò vita humana comparatur cineri, propter eius vilitatem. Quid enim eſt vilius illa materia, ex qua compoſitus eſt homo? Hinc Innoc. 4. dicit. *Formauit Deus hominem de limo terræ, quæ cæteris eſt indignior elementis: planetas fecit ex igne, & ſtellas flatus & ventos ex aere, piſces & volucres ex aqua, homines & iumenta fecit de terra. Conſiderans ergo aquatica ſe vilem inueniet, conſiderans aerea ſe viliorem agnoſcet, conſiderans ignea ſe viliſſimum reputabit: nec valebit ſe parem facere cœleſtibus, nec audebit ſe præferre terrenis, qui parem ſe & ſimilem recognoſcet iumentis.* Vnde dicitur. *Vnus eſt hominum & iumentorum interitus, & æqua vtriuſq; conditio, & nihil habet homo iumento amplius: de terra orta ſunt, & in terram pariter reuertuntur.* Et ſequitur: Quid enim homo niſi lutum & cinis? hoc enim & ipſe homo dicit ad Deum. *Memento quod ſicut lutum feceris me: & in puluerem reduces me.* Et Deus ad hominem econtra dicit. *Cinis es, & in cinerem reuerteris.* Hactenus Innoc.

Innoc. l. de vil. hum. con. cap. 3.

Eccl. 3.

Hanc vilitatem propriæ conditionis benè aduertebat rex Anathoclea, qui cum eſſet rex Siciliæ propter triumphos ſuos laudabiles factus, nunquam tamen voluit vti in

mēſa ſua aureis vaſis, & argēteis, ſed luteis: interrogatus autē cur hoc faceret, reſpondit quod licet eſſet rex Siciliæ factus, tamē eſſet origine figuli filius. Voluit ergò recordari ſtatum ſuæ originis per illa vaſa, quæ pater faciebat ex artificio ſuo. Ita refert Policratus lib. 5. & Holcoth ſuper lib. Sapient. c. 7.

II.

Deformitas ſtatus futuri hominum. *In cinerem reuerteris.* Per hæc verba admonetur quilibet homo ad memoriā mortis ſuæ per quam redigetur in cineres: *Tunc enim reuertetur puluis in terram ſuam.* Ad cuius memoriam hortatur nos Salomon dicens. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Nouiſſima autem iſta sūt quatuor. Mors, iudicium, gehenna, & gloria, vt exponit Bernard. in quodam ſermone; inter quæ mors eſt principaliſſimum, & quaſi horribiliſſimum, iuxta illud Alani. *Eſto memor puluis quod ſis, & vermibus eſca, In gelida putris quando iacebis humo. Non erit in mundo, qui te velit vltra videre, Cum tua rancidior ſit caro rupta cane.* Huic Coſonans, Bernard. dicit. Quid fœtidius humano cadauere? quid horribilius mortuo homine? Cuius ſicut erat in vita gratiſſimus amplexus, ſit in morte horribilis aſpectus. Quandocūque ergo recogitat homo quid ſit multum humiliabitur: ſi quando verò recogitabit quid futurus ſit verè omninò contremiſcet, & ſeipſum coram deo proſternet, & deijciet, vt patet de rege Achab. qui audita comminatione mortis ſibi facta ab Helia ſtatim humiliatus eſt. Idem patet de Niniuitis qui audita comminatione ſubuerſionis ſuæ humiliati ſunt. Hæc ergò debet eſſe Chriſtiani iugis memoria vt quocunque vadat, ſemper cogitet illud poeticum. *Forma genus, mores, ſapientia, res, & honores. Non retinent hominem, quin redit in cinerem,* Et verè quoties homo tentatur ſuperbia, non eſt melius remedium, niſi dicere intra ſe. *Quid ſuperbis terra & cinis?* Hoc attendentes reprobi dicebant, prout dicitur Sap. 2. *Extinctus cinis erit corpus noſtrum.* Hoc verbum deberent ſemper habere in memoria homines delicati, ſuperbi, elati, ocioſi, pigri, de pulchritudine, fortitudine, vel quacunq; ſpecie corporis gloriātes; recogitantes corpora ſua poſt mortem non niſi cinerem extinctum futura, iuxta illud: *Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.* Et: *Erunt populi quaſi de incendio cinis.* Sit ergo noſtra meditatio, & frequens recordatio, quia extinctus cinis erit corpus noſtrum. In ſignum huius cinere frons inſignitur per modum crucis, his verbis. *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.*

Eccl. 2. *Eccl. 7.* *Nouiſſima hominis.* *3. Reg. 21.* *Ionæ 3.* *Eccl. 11.* *Iob 34.* *Iſaia 33.*

Memoria incinerationis ad tria vtilis. Valet recordatio huius incinerationis ad tria, ſcilicet ad fugiendum tentationem; ad conſeruandum deuotionem; ad ornadum orationem; quæ tria maximè ſunt neceſſaria hoc tēpore quadrageſimali. Primò valet ad fugiendum tentationem. *1. Ad tentationem fugiendā.* Experimētū eſſe dicitur, & ponitur in Alberto libro de vegetabilibus, quod ſi coruus nidificauerit in arbore, & oua poſuerit; per cautelā poſſe faciliter impediri, nè de ouis pullos valeat procreare, ſi accipiatur cinis vitri, & ſubtiliter ponatur inter lignum, & corticem arboris portantis nidum, qui quādiu ibi durabit pulli minimè excludentur. Coruus eſt diabolus iuxta illud Theodoli. *Corruum perfidiæ damnant animalia quæq;.* Homo moraliter eſt arbor. *Arbor bona bonos fructus facit* In hac arbore diabolus nōne per tentationem nititur nidificare, oua ponere, & tandem pullos producere? Nidū facit de ramuſculis cogitationum diuerſarum; oua ponit de ramuſculis peruerſarum delectationum; pullos producit per conſenſum malarum operationū. Si ergo hunc coruum impedire volumus, etſi nidum fecerit per aduentitias cogitationes, etſi oua poſuerit per ſurreptitias delectationes, nè producat pullos per operationes, accipiamus cinerem vitri. Vitrum eſt caro noſtra, quæ frangitur cum ictu: cinis vitri huius eſt memoria ſtatus, quem ſtatū habebit caro poſt mortem, qui erit ſtatus cineris. *Memoria noſtra comparabitur cineri.* Ponamus ergò iſtum cinerem ſub cortice, id eſt, ſub noſtra exteriori conuerſatione per priuatas & occultas meditationes mortis, & infallibiliter nunquam conſentiemus ſuggeſtionibus diaboli per cogitationes conceptas; & hoc eſt quod dicit Apoſtolus. *Quod ſi cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emūdationem*

Matth. 7. *Iob 13.* *Hebr. 9.*

dationem carnis &c. Huius cineris memoriã etiam pagani olim multũ habebant prę oculis: nam ſicut refert Ioannes Galienſis communiloquij parte, 7. & Holcoth. ſup. 2.c.li.Sap. & autor lib. cordialis, & habetur in vita S. Ioannis Eleemoſynarij moris fuit antiquitus, vt poſtquam aliquis Imperator electus, eſſet adſtantibus exercitibus venirent monumentorum ſtructores, adferentes marmor diuerſi coloris, interrogantes recens creatum Imperatorem, de quonam marmore iuberet ſibi fieri monumentum: inſinuantes per hoc ei futurũ ſtatum ſuæ incinerationis. Poſteà verò hoc idem circa electionem Papę fieri conſuetũ eſt: nam accenſa ſtupa vnus corã Papa nouiter electo proclamabat dicens: Pater ſancte ſic vadit gloria mũdi. Hoc idem legitur de Ioanne Eleemoſynario Patriarcha Cõſtantinopolitano quod dum ſepulchrũ ſibi fieri præcepiſſet, nunq̃ voluerit illud perfici: ſed ordinauerit, vt in magnis ſolennitatibus, cum eſſet in honore ſuo, veniens aliquis ad eum diceret: *Domine ſepulchrũ imperfectum eſt iube illud perfici, quia neſcis, qua hora fur venturus eſt.* Quicquid igitur homo facit, ſemper debet habere memoriam

Iob 32. mortis ſuæ, dicens illud Iob. *Neſcio quãdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tempus tollat me*

S. Aug. in li. de verb. Domini ſerm. 60. *factor meus.* Nã homo eſt in cõtinuo curſu ad mortem, ſicut dicit Aug. & ideò ſemper debet mortem habere præ oculis. Refert Ioann Galienſ. parte 2. ſui cõmuniloquij, & idem habetur in vita S. Barlaam ꝙ quidã fugiens monocerotẽ ceciderit in quandam foueã, in qua viderit arborem, q̃ duo mures, vnus alb. alter niger, ad radicẽ effodebãt: in fundo etiã viderit draconẽ terribilẽ eũ deuorare volentẽ: è laterib. verò foueæ viderit vtrinq; è latibulis ſuis ꝓdire quatuor capita aſpidũ quaſi eũ inuadẽtiũ: eleuãs aũt oculos viderit exiguũ mellis de ramis illius arboris deſcẽdere, & oblitus omniũ tradiderit ſe ad quærendũ dulcedinẽ illius mellis. Sic eſt de peccatoribus, quos ſeqtur vnicornis ſc. mors: fouea eſt hic mundus: arbor eſt mẽſura huius vitæ, q̃ conſumitur ab albo & nigro mure, .i. die & nocte: quatuor capita aſpidũ ſunt quatuor elementa: draco expectãs eſt diabol⁹. ſtilla mellis eſt delectatio mũdialis, ſiue peccatũ, q̃ in quirũt toto affectu peccatores, obliti mortis ſuæ; quos increpat pſal. dicens: *Vt quid diligitis vanitatẽ?* Quia ergò multi noſtrũ, fratres, hoc anno dulcedine delectationis mũdialis illecti, obliti fuerunt mortis ſuæ, ideò hæc eis reducitur hodie ad memoriam. *Quis eſt homo, qui viuet & non videbit mortẽ.* Et: *Omnes morimur & quaſi aqua dilabimur in terram.* 2.Reg. 14. Et: *In Adã oẽs moriũtur.* 1.Cor. 15.

¶ Secundo hic cinis conſeruat deuotionẽ: ignis enim cineribus coopertus optimè cõſeruatur, maximè in cineribus iuniperi. *2. Ad deuotionem conſeruandam.* Vnde Iſidor. dicit ꝙ iuniper⁹ arbor ſic vocetur quaſi gignens pijr, id eſt, ignẽ generans, eò quod prunæ, ſi eius cineribus cooperiantur, per annũ durent. *Iſod. l. 7. Ethy. c. 2.* Spiritualiter ignis deuotionis, & dilectionis diuinæ, vt poſſit à nobis benè, & diu conſeruari, neceſſaria eſt mortis noſtrę memoria continua. Vnde Leuit. 6. dicitur. *Ignis in altari meo ſemper ardebit,* id eſt, dilectio Dei in corde ſemper viuet, & durabit. Tertiò cinis iſte ornat orationẽ: *3. Ad orationem ornandam.* quantò verò magis paup ſe humiliat, & neceſſitates ſuas declarat, tãtò facilius, quod petit, impetrat: Sic & nos quantò magis fragilitatẽ noſtrã corã Deo exponimus, tantò citiùs ab eò exaudimur. Sic Abraham fecit, cum volens orare, ad Deum dixit. *Loquar ad Dominum, cum ſim cinis & puluis?* *Gen. 18.* In huius figuram Iudæi orare volentes capita cineribus aſperſerunt. *Iſaia 61.* Vnde taliter orantibus dabitur corona pro cinere: contra vero non curantes habere memoriam huius cineris dicitur metricè per quendam. *Dic homo vas cinerum, hic, quid confert flos ſpecierum: copia quid rerum? mors vltima meta dierum. Florens, marceſcẽs poſt fata ſuprema nigreſcens.* Et alius: *Forma, genus, mores, ſapientia, res, & honores. Non retinent hominem, quin redit in cinerem Ortus cuncta ſuos repetunt, matrem ... quirunt. Et redit in nihilum, ꝙ fuit ante nihil.* Nos igitur pmiſſa attendentes humiliem⁹ animas noſtras corã Deo, & puluerẽ nos reputantes, veniam deuotè peccatorũ poſtulemus: quatenus obtenta venia peccatorũ, gratiam conſequamur, per quam ad gloriã perueniamus ſempiternam: ad quam nos pariter perducat Ieſus Chriſtus dñs noſter.

QVAR-

QVARTA FERIA CINERVM.

SERMO II.

Cum ieiunatis, nolite fieri, ſicut hypocritæ, triſtes. Matth. 6.

DIcit Aug. in ſerm. de quadrageſima. *Congruit noſtræ deuotioni, vt qui Domini crucifixi paſſionē celebraturi ſumus, reprimendarum carnaliū voluptatum crucem nobis ipſis faciamus.* Tangit nimirū his cauſam præcipuam inſtitutionis ieiunij quadrageſimalis: ex eo enim, quod in proximo celebraturi ſumus paſſionem Chriſti & redemptionem generis humani, dignum eſt, vt Chriſto patienti pro nobis etiam hoc tēpore compatiamur: dicit enim Apoſtolus. *Si compatimur, & conregnabimus.* Et: *Sicut* inquit, *ſocij paſſionum eius ſic eritis & conſolationis.* Vnde ſicut Chriſtus per paſſionem crucis, venit ad reſurrectionem immortalitatis: ita & nos debem⁹ venire per mortificationem carnis ad reſurrectionem gratiæ ſpiritualis, & tandem gloriæ cœleſtis. Verùm quia nihil ita diſponit hominem ad paſſionem & mortificationem carnis, nec non ad omnium vitiorum expulſionem, virtutumque acquiſitionem, ſicut abſtinētia, & ieiunium: idcirco ſancta mater Eccleſia ante feſtum paſchæ præmittit ieiunium quadrageſimę; quod quidem ieiunium vt dicit Auguſt. in ſerm. de ieiunio, purgat mentem, ſubleuat ſurſum cor contritū & humiliatum, conſcientię nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis lumen accendit. Ex quo patet vt dicit Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem, quod ſolum ieiunium non ſit perfecta virtus, ſed cęterarum virtutum fundamentū, & ſanctificatio, & pudicitia, ſine qua nemo videbit Deum. Sed quia multi indiſcretè ieiunantes fructum ſui ieiunij non conſequuntur, quia ad vanam gloriam ieiunant: ideò Saluator ponens fundamentum hodiè omnibus ieiunare vtiliter volentibus dicit *Cum ieiunatis*, &c. In hoc Euangelio Dominus & Saluator noſter primo intendit nos retrahere ab indebito modo ieiunandi, cum dicit: *Cum ieiunatis &c.* Secundò tradit debitum modum ieiunandi, cum ſubdit, *Tu autem.* Tertio intendit debitum modum docere theſaurizandi his verbis: *Attendite nè &c.*

Ieiunij præſtātia. | *Propoſit.*

I.

Cum ieiunatis, nolite fieri &c. Exterminant enim facies ſuas, vt videantur ab hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Saluator hic tria tangit: Primò prohibet falſam ſimulationem: vnde dicitur: *Nolite fieri ſicut hypocritæ*: quod ideò dicit, quia, vt dicit Chryſoſtomus, ſciebat Dominus vanam gloriam ex omni opere bono procedere. Ideò ſpinam vanæ gloriæ, quæ naſcitur in terra bona, iubet præcidere, nè ſuffocet ieiunij fructum. Nō autem poteſt fieri, vt non ſentiatur, qui ieiunat; ſed melius eſt, vt ieiunium te oſtendat, quam tu ieiunium. Vndè non dicit: Non ſitis; ſed nolite fieri: prohibet enim voluntatem, quæ eſt radix merendi, vel demerendi: nec dicit, nolite eſſe, ſed fieri. Nam vt dicit Chryſoſtomus, non poteſt fieri vt ſit hilaris, qui ieiunat. Ideò dixit. *Nolite fieri.* Qui autem per hypocriſim pallentes apparent, illi non ſunt triſtes, ſed fiunt: qui autem naturaliter propter aſſiduum ieiunium triſtis eſt, non fit triſtis, ſed verè eſt.

Chryſoſt.

Quæres vtrum appetitus vanæ gloriæ ſit peccatum: videtur enim quod non; quia nullus peccat in hoc, quod Deo aſſimila-

Dubium.

Epheſ.5. tur dicente Apoſtolo: *Eſtote imitatores Dei:* ſed qui quærit gloriam, Deum imitatur Yſaia 43. iuxta illud: *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum.* Item Tullius in lib. Tuſcul. quæſtion. dicit, quod omnes prouocentur ad bonum gratia glo- Rom. 12. riæ. Et Paulus inquit. *Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Item, ſecundum Thomam, D.Tho.2. 2 qu. 32. art.10. Licet appetitus gloriæ de ſe non ſit vitioſus, tamen appetitus vanę gloriæ eſt vitioſus: quod poteſt fieri tripliciter: vno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit: puta quia res non eſt gloria digna, quia fragilis vel caduca: alio modo ex parte eius, a quo gloriam quærit: puta hominis, cuius iudicium non eſt certum: tertiò ex parte ipſius qui gloriam appetit: puta quia appetitũ huiuſmodi non refert ad vltimũ finem, puta ad honorem Dei & proximi ſalutem. Ad primum dicendũ, quod homo poſſit licitè appetere gloriam ad vtilitatem aliorum. *Sic luceat lux veſtra*, &c. Et in hoc Deum imitatur, qui non propter ſe, ſed propter nos gloriam ſuam quærit. Ad ſecundum dicendum, quod quiſpiam propter appetitum gloriæ cœleſtis benè operans non ob appetitum vanæ gloriæ, laudetur. Ad tertium dicendum, quod homo poſſit manifeſtare ſua facta alijs, vt in bono proficiant. Dicit autem D. Tho. vbi ſup. articul. 2. & 3. quod Chriſtianis gloria quandoq; ſit peccatum capitale, quandoque etiam mortale, prout videlicet propter eam quis amittit mercedem æternam quandoque etiam ſit veniale, vt quando non repugnat charitati. Dicit ergò, quod virtuoſum opus amittat mercedem vitæ æternæ ſi propter inanem gloriam fiat, ſi illa etiam ſit peccatum veniale. Vnde ſubdit Saluator. *Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* vbi adiungit prauam intentionem dicens. *Exterminant enim facies ſuas*, id eſt, demoliuntur, vel decolorant, vel deformant, *faciem ſuam*, id eſt, venuſtatem, pulchritudinem, & ſpeciem faciei ſuæ, vt triſtitiam ſimulẽt: & ita animo forſitan lætantur, & vultu luctum ſimulant. Sicut enim dicit Gregorius apud tales ora palleſcunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus ſuſpirijs vrgetur; Quid tanto labore aliud niſi æſtimatio humana cogitatur? Tale ieiunium non eſt purum coram Deo, quia non venit de ratione continentię ſed de arte fallaciæ, vt dicit Leo Papa. O ſi ille qui ieiunat, triſtis eſt, & triſtem ſe facit hypocrita eſt quomodo conſiſtet, hoc etiam lõgè iniquior qui non ieiunat & nihilominus figmentis quibuſdam in facie ſua pingit vel fingit venalem pallorem, quaſi ieiunij ſignum? Sed quæret aliquis. Quare Dominus dicit illos hypocritas, qui deformant vultum ſuum ieiunando, cum deformitas non ſit ſignum vanæ gloriæ, vt quæ ſemper pulchra & formoſa requirit? Reſpondeo, quod vt dicit hic Auguſt. iactãtia non ſolum ſit in ſolo corporearum rerũ nitore, & pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis: & eò perículoſior eſt, quo occultus ſub nomine ſanctitatis decipit. Deindè ieiunij hypocritarum manifeſtat fructum dicens. *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Gorran. pluſquam alij dicens: Sic fecit, ille Phariſæus Luc. 18. *Non ſum ſicut cæteri hominum: ieiuno bis in ſabbatho.* Sed quid talibus Dominus comminetur audiamus. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*, ſcilicet quantum deſiderauerunt: vbi comminatur eis futuram damnationem. Non dicit recipiunt de præſenti; ſed receperũt, quia talis adeò breuis eſt, vt habeat nihil vt de præſenti. Hinc dicit Hieronym. quod non ſit tutum labijs hominum committere gloriam ſuam, arcæ vtique ſine ſera & ſine claue: nam laus tua congeſta in os meum, in poteſtate mea eſt, non in tua; cum pro meo libitu poſſim laudare te vel derogare tibi.

I I.

Tu autem cum ieiunas. Tradit hic Saluator debitum modum ieiunandi, dicens. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum oleo, & faciem tuam laua.* Si hoc ad litteram eſſet faciendum, certè ridiculum eſſet vt dicit Beda, & Origenes ſuper Leuit. homel. 10. Ideò ſecundum Rabanum eſt intelligendũ metaphoricè. Accipitur hoc à Palæſtinis,

quibus mos eſt in feſtis caput vngere oleo. *Vnde ergò caput tuum oleo*, id eſt, feſtiuum ſtatum in te exhibe, *& faciem tuã laua*, ad literam ſc. ne ſordidus appareas. Duo dicit contra duo: vnge oleo lætitiæ contra triſtitiam hypocritarum, laua faciem aqua munditiæ contra exterminationem: vel laua faciem, id eſt conſcientiam a malo tergendo; vel vnge caput, id eſt, mentem in bono congaudendo. Hæ ſunt duæ partes iuſtitiæ, ſcilic. declinare a malo, & facere bonum: & per has ſanctificatur ieiunium. Sciendum quod ieiunium noſtrum duo debeat habere. Primò vt ſit mixtum cum eleemoſyna, & ideò dicit. *Vnge caput tuum oleo*, id eſt, Chriſtum, qui eſt caput noſtru, oleo miſericordiæ in ſuis pauperibus. *Frange eſurienti panem.* Hoc autẽ reputat Chriſtus ſibi factum, quod fuit pauperibus impenſum. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Secundo ieiunium noſtrum debet habere rectam intentionem: & ideò dicit, *laua faciem*, id eſt, intentionem, propter Deum hoc faciendo. Vnde ſequitur: *Ne videaris hominibus ieiunans.* In hoc remouet intentionem prauam, ſc. appetitum fauoris, & laudis humanæ quærere: ſuadet enim rectam intentionem, cum ſubdit. *ſed patri tuo*, id eſt, Deo, qui eſt pater tuus per creationem, per adoptionem, per glorificationem, *qui eſt in abſcondito.* Gloſſa, *patri tuo* cæleſti, qui eſt inuiſibilis, vel qui habitat in corde per fidem. Pſal. *Ipſe enim nouit abſcondita cordis.* Et: *Verè tu es Deus abſconditus.* Vnde Deo ieiunat, qui ꝓ amore eius ſe macerat, & quod ſibi ſubtrahit, alteri dat. Sequitur: *Et pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Quaſi dicat ſecundum Remigium. Sufficit tibi, vt Deus, qui eſt inſpector conſcientiæ, idem ſit & remunerator. *Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum.* Sciendum, quod ſecundum Chryſ ſpiritualiter facies animæ conſcientia intelligitur: primò, ſicut .n. in cõſpectu hominum gratioſa eſt facies pulchra, ſic in conſpectu Dei ſpecioſa eſt conſcientia mũda: Secundò, quia ſicut per faciem cognoſcitur homo ab homine: ſic per conſcientiam dignoſcitur ſeruus Dei à ſeruis diaboli: Vnde Thim. dicitur. *Nouit Deus, qui ſunt eius*; qui angelis dixit. *Nolite nocere terræ & mari, donec ſignemus ſeruos Dei in frontibus eorum.* Frons eſt ſuperior pars rationis, ſecundum quam conſcientia, ſi bona eſt, ſignatur ſigno Dei: ſi mala, ſigno diaboli, iuxta illud: *Cauteriatam habentes conſcientiam.* Tertiò, quia ſicut in facie modica macula magnam deformitatem pulchritudinis inducit: non autem æquè in alijs membris: ſic peccatum quantumcunque modicum, etiam minimum veniale, máximæ reputationis eſt in conſcientia humana: nam omne, quod fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam.

Ieiunium duo requirit.

Iſaia 58.

Matt. 25.

Iſaia 45.

Sap. 10.

Apoc. 7.

Secundò ſciendum eſt, quod hic per caput intelligitur Chriſtus Primò. ſicut enim a capite depẽdent omnes ſenſus: ſic omnis ſapientia, intellectus, ſcientia, & prudentia à Chriſto. Vnde Apoſtolus dicit, quod in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. Secundò, quia ſicut capite dolente omnia membra dolent: ita Chriſto pro nobis paſſo meritò nobis eſt condolendum, iuxta illud. *Si erimus ſocij paſſionum, erimus & conſolationum.* Sic fecit D Paulus, qui dixit. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Tertio, quia ſicut pro capite omnia membra ſe exponunt, & opponunt, & ipſum à læſione protegunt, vt patet de ſerpente, qui caudam exponit pro capite: ſic quilibet fidelis pro honore Dei ſui, corpus ſuũ, & ſubſtantiã temporalem exponere debet imò vitam ſuam corporalem, vt ſaluet hominem, & fidem Chriſti integram. Vnde dicit Saluator. *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Auguſtinus exponit. Noli amare vitam tuam præ Chriſto, ſi vis habere vitam in Chriſto.

Chriſtus caput cur dicatur.

Coloſ. 2.

III.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Superius docuit ſimplicitatem in operibus meritorijs: nũc docet ſimplicitatem in operibus ſupererogationis, docẽs perfectum contemptum terrenorum propter Deum. Et primò prohibitionem ponit de non collocandis theſauris in vero periculo: ſecundo ponit admonitionem de reponendo in tuto. *Theſaurizate vobis*, &c. Dicit ergò. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*, id eſt, facietis opera bona non propter

Eleemoſyna vtilitas, & quomodo eroganda.

pter fauorem humanum, non propter amorem temporalium, quæ magis ſunt contemnenda propter Deum, quam congreganda propter ſuum periculum. *Nolite* ergò *theſaurizare in terra*, id eſt, in tranſitorijs terræ congregando, terrenum emolumentum quærendo de ſpirituali opere; *vbi ærugo*, id eſt, rubigo, *aut tinea*, id eſt, vermis demolitur, *aut fures furantur*, Raban⁹. Mala depoſitoria terra, in qua depoſitum patitur ab omni genere corporalium detrimentum à ſenſibili, vt eſt tinea; ab inſenſibili, vt eſt ærugo; à rationali, vt fures. Per æruginem, quæ ineſt metallis, intelligitur auaritia: per tineam quæ è veſte naſcitur, & veſtem conſumit, luxuria; per fures ſuperbia. Hæc tria peccata omnia bona furantur & effodiunt, in delectatione, in conſenſu, & operatione. Notandum q̀ in tribus reponatur theſaurus, in auro, in argento, & in veſtibus precioſis. Metalla timent æruginem, veſtes tineam, lapides nihil horum, ſed tantum fures ſecundum Rabanum; & ſecundum Chryſoſt. ſignificatur per hæc triplex interitus omnium bonorum terrenorum: aut enim à ſemetipſis veteraſcunt, vel per tineam, ſicut veſtimenta, aut ab ipſis Dominis luxurioſè viuentibus comeduntur a; aut ab extraneis dolo vel vi, calumnijs, vel aliquo iniquo modo diripiuntur. Allegoricè ſecundum Rabanum. *Ærugo* ſignificat ſuperbiam, quæ decorem virturum obfuſcat; *tinea*, quæ veſtes latenter rodit; inuidiam, quæ omne bonum ſtudium lacerat, & compoſitionem vnitatis diſſipat. Fures ſunt hæretici & dæmones, q ſemper ad hoc ſunt intenti, vt hominem bonis ſpiritualibus ſpolient. Laus ergo cæleſtis cum ſit æterna, furto ſurripi non poteſt, nec tinea demolienda inuidiæ, nec ærugine ſuperbiæ excæcanda ſecundum Hilarium. Ideo ſequitur. *Theſaurizate ergò vobis theſauros in cælis, vbi nec ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, neque furantur.* Cœlum hic intelligit Auguſtinus non iſtud corporeum, ſed ſpirituale firmamentum, quod eſt locus gloriæ ſanctorum. Dicit Chryſoſtomus. Subſtantiam tuam ergò illuc colloca, vbi patriam tuam habes. Ecce tutus locus, ſcilicet cœlum. *Vbi nec ærugo*, quia ibi nulla vetuſtas; *nec tinea*, quia ibi nulla paſſibilitas, *neque fures*, quia ibi nulla violentia vel fraus. Et ſequitur. *Vbi eſt enim theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Quaſi dicat. Benè dico caue, quia *vbi eſt theſaurus tuus*, id eſt, ſi in cœlo eſt, in cælo *eſt & cor tuum*: ſi in terra eſt *erit & cor tuum* in terra. Quaſi dicat ſecundum Chryſoſtomum, etſi nihil horum, quæ dicta ſunt, eueniat, non paruum tamen damnum ſuſtinebis inferioribus affixus, & eorum ſeruus factus, & à cœleſtibus cadès, nihil cœleſtium cogitare poteris. Hieronymus hoc intelligit non ſolùm de pecunia, ſed etiam cunctis poſſeſſionibus: nam guloſi Deus venter eſt: laſciui theſauri ſunt, lubrica amatorum libido: huic ſeruit vnuſquiſque, à quo vincitur: ibi ergò habet cor, vbi theſaurum. Ex his patet, quæ ſit vtilitas Eleemoſynæ: qui enim collocat theſaurum ſuum in terra, non habet quid ſperet in cœlo: vt quid ergò aſpicit in cælum, vbi nihil repoſitum habet? Vnde dupliciter peccat: primò, quia malè congregat: ſecundò quia cor habet in terra.

Triplex bonorum temporalium interitus.

Circa præmiſſa notandum, quod Dominus in hoc Euangelio intendat tradere debitum modum ieiunandi, ad quod quatuor requiruntur: debet enim ieiunium noſtrum eſſe intentione rectum; ſanctitate purum; moderatione diſcretum; & humilitate manſuetum.

Ad debitum ieiunium quatuor requiruntur.

De primo, quod debeat eſſe rectum; non diſtortum per appetitum vanæ laudis; vt faciunt hypocritæ, qui plus quærunt apparere, quam eſſe triſtes. Sunt autem plura ſigna hypocritarum. Primum eſt, quia peccata grauia alleuiant, & leuia aggrauant: ſicut fecerunt Phariſæi, qui traditiones ſuas magni æſtimabant ſed mandata Dei pro nihilo reputabant, Secundum, quia ſe laudant hypocritæ, & alios vituperant, ſicut Phariſæus Lucæ decimooctauo. Tertium quia quicquid peccant, in alios retorquent, & ſua mala occultant, nec abſque circumlocutione confitentur. 1.

Hypocritarũ ſigna.

Quartum, quia ſi offendantur, non dimittunt, niſi vlciſcantur: ſoli autem offendentes alios non curant. Quintum, quia ſi cui benè fecerint, valdè ponderant; ſed aliorum beneficia flocci pêdunt. Sextum quia cum corriguntur ægrè ferunt, & murmurant; ſicut Phariſæi, dicentes, *Magiſter hæc dicens contumeliam nobis facis*. Septimum quia libenter ociantur, cum tamen amor Dei ſeruos eius non patiatur ociari, ſed operetur magna. Octauum quia omnia opera ſua ad oſtentationem faciunt, vt hic *triſtes*. Secundò ieiunium noſtrum
2. debet eſſe ſanctitate purum; de quo Ioel 2.
Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium.
Ioel 2. In quo autem hæc puritas ſanctitatis conſiſtat, ſubdit idem, dicens. *Congregate populum*. Ecce vnitas charitatis, quæ maximè hodiè requiritur. Malè ergò ieiunat, qui rancorem in corde contra proximum ſeruat. Et ſequitur. *Egredietur ſponſus de thalamo ſuo; & ſponſa de cubili ſuo:* quoniam in hoc ſacro ieiunio etiã ab illicitis amplexibus eſt abſtinendum. Tertiò ieiunium
3. noſtrum debet eſſe moderatione diſcretum: vndè dicit Apoſtolus. *Rationabile ſit*
Rom. 12. *obſequium veſtrum*; Omnia enim debent fieri ſecundum diſcretionem rationis, contra noſtros ieiunantes, qui in nullo ſeruãt modum circa ieiunium. Nam quæ eſt diſcretio rationis comedere ſemel, & infinities bibere? abſtinere à cibis & ingurgitari poculis? Aut quæ diſcretio abſtinere à carnibus, & carnalia opera facere? Vnde dicit Fulgentius. Ieiunijs noſtris adhibenda eſt temperies, vt corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Ecce diſcretio rationis. Nos ergo fratres ſtudeamus in omnibus diſcretionis modum ſeruare, quatenus ieiunium noſtrum ſit vitiorum noſtrorum ablutio, & acquiſitio virtutum: vt non ſolum deleat præterita, quæ commiſimus, ſed etiam repellat futura, quæ committere poſſemus, vt dicit Bernard. ſuper Cantic. ſerm. 38. Quartò ieiunium noſtrum debet eſſe 4.
humilitate manſuetum: ſicut enim dicit Hieronymus in quadam epiſtola, ieiunia non ſolum debent eſſe moderata, ſed etiam facta in omni mentis humilitate, vt quæ ita attenuent corpus, vt mentem non eleuent: nè res humilitatis gignet ſuperbiam & vitia de virtute naſcantur. In ſignum huius imponitur hodiè cinis frontibus noſtris ad oſtendendum, nos meritò debere humiliari ex pluribus cauſis: primò in ſignum recogitandæ noſtræ creationis, cuius primordialis materia fuit quaſi cinis; *Comparatus ſum luto*. Secundò in ſignum recogitandæ reſolutionis: quia in cinerem reſoluemur, ſecundum hoc dicit Iob. *Omnis caro deficiet*. Propter hoc dicit ſacerdos. *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris*. Vnde Eccl. 17. *Omnis homines terra & cinis*. Cum igitur homo tam creatione, quam reſolutione ſit cinis, quomodo audet ſuperbire? *Quid ſuperbis terra & cinis?* Tertiò imponitur cinis in ſignum humilitatis. *Occupatio magna creata eſt filijs Adam*. Et poſt ſequitur: *A præſidente vſque ad humiliatum*. Ionæ 3. *Peruenit verbum iſtud ad regem & ſedit in cinere*. Quartò in ſignum contritionis *Conſpergere cinere; luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum*. Quiſquis ergo hodie cineres capit, hoc cogitet: quia ſicut puluis & cinis eſt ex creatione, ſic erit & in reſolutione: quæ cogitans conteratur de peccatis, quærendo gratiam, per quam poſſit conſequi veniam peccatorum, & tandem gloriam ſupernorum: ad quam nos, &c.

Diſcretio vbiq; neceſſaria.

Cinis capiti hodie cur imponatur.

Iob 30. Iob 34. Eccl. 17. Eccl. 10. Eccl. 40. Iere. 6.

DOMI-

DOMINICA INVOCAVIT.
SERMO I.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Matth.4.

LIcet tota vita humana non ſit niſi tentatio, vt dicitur Iob. 7. *Militia eſt vita hominis:* attamē diabolus non æqualiter omni tempore tentatos exercet. Nam vt dicit Iſid. libr. 3. de ſum. bo. c. 5. diabolus ſuis fautoribus blanditur; Dei verò ſeruis molitur tentamenta contraria, exemplo Domini, qui ſe poſt baptiſmum à diabolo paſſus eſt tentari; quo innuitur ſecundum ipſum, quia tunc contra eum, quem poſſidet diabolus, ſæuit acrius, quando ſe virtute diuina ab eo expellendum cognoſcit. Vnde immundus ſpiritus diſcerpſit puerũ grauius, in quo habitabat, quãdo ad Chriſti imperium exire ab eo coactus eſt. Hæc Iſidorus. Et Greg. lib. 27. moral. dic. *Hoſtis noſter, quanto magis nos ſibi rebellare conſpicit, tanto amplius expugnare contendit: eos enim pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſe ſentit.* Quia igitur tẽpore hoc quadrageſimæ verè pœnitentes, diaboli operibus renunciantes, ad Chriſtum conuerti nituntur, Chriſtoque adhærendo ſeruire proponunt, & abiecta ſeruitute diaboli dura, in qua toto anno præterlapſo detenti fuerũt, ad iugum Domini leue & ſuaue feſtinare cõtẽdunt: ideo diabolus contra eos fortius armatur diuerſis tẽtationibus. Sicut. n. rex nõ cõtra ſubditos, ſed cõtra rebelles nationes bellũ mouet: Ita diabolus validius eos, quos à ſua ſeruitute recedere, & ad leue iugum Chriſti feſtinare viderit, impugnat: plerumque enim grauiores tentationes dæmonum ſentiunt, quando aliquod bonum inchoare volunt propoſitum. Patet exemplo Iſraelitarum, qui tunc à Pharaone duriter afflicti [illegible] ndo per Moyſen, & Aaron ad terram promiſſionis ſunt vocati. Volens igitur Eccleſia filios ſuos præmunire, propoſuit hodiè Euangelium, in quo legitur de tẽtationibus Chriſti, inſtruens omnes verè pœnitentes, vt ſe cautè habeant circa aſſumptionem pœnitentiæ: & ſi fortè diabolus eos aliquibus tentationibus vexauerit, legitent de modo vincendi eum, illo videlicet, quo vicit eum Chriſtus, quando ductus eſt in deſertum, vt tentaretur à diabolo, ſicut dicit Euangelium; *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo;* In quibus verbis tria proponuntur; primo namque proponitur Chriſti tentationis præparatio, quæ fuit per Spiritum ſanctum, cùm dicitur; *Ductus eſt Ieſus à ſpiritu.* ſc. ſancto; ſecundo proponitur loci, in quo tentatus eſt, deſcriptio, qui fuit deſertum, cum dicitur; *In deſertum;* tertio ſubiungitur intentio finalis diaboli, quæ fuit per ſpiritum malum, cum additur; *Vt tentaretur à diabolo.*

Iſidorus.

Propoſit.

I.

Ductus eſt Ieſus à ſpiritu: Abſque vlla ambiguitate credendum eſt Chriſtum fuiſſe ductum à Spiritu ſancto in deſertum: nec miretur quis, cum audit Chriſtum à Spiritu ſancto ductum ad locum tentationis: nam niſi Chriſtus Spiritu ſancto fuiſſet ductus in deſertum, nequaquam ſpiritus malignus talem oportunitatem & occaſionem tentandi eum habuiſſet. Vnde dicit Remigius, quod eum eò Spiritus ſanctus duxerit, vbi occaſionem tentandi malignus ſpiritus inueniret: dandus enim erat diabolo locus tentandi, vt fieret Chriſto occaſio ſuperandi. Hæc ille. Bonus ductor, qui Chriſtum proſperè duxit & reduxit, ſicut & Raphaël Angelus Tobiæ ductor,

Remig. in hom.

 qui

qui ait. *Ego ſanum ducam eum, & reducam.* Tali ductore maximè nobis opus eſt hoc ſacratiſſimo tempore, ſine quo non poſſumus cum diabolo debellare, nec in terram promiſſionis cæleſtis peruenire. Figura huius habetur in Exodo, vbi ſine Moyſe duce filij Iſraël non potuerunt terram promiſſionis intrare. Sed certè multi iſto anno ducebantur malis ductoribus: quidam enim, vt dicit Holcoth, ducebantur illecebroſa ſenſualitate; ſicut illi, qui non ſecundum veritatem rationis, ſed ſecundũ paſſionem vixerunt; qui non quod honeſtum, ſed quod delectabile eſt in omnibus ſequebantur. Sic ductus eſt ille iuuenis vecors, qui ſequebatur mulierem ornatam, & blandientem ſibi; de quo dicitur in Prouerb. *Secutus eſt eam quaſi bos ad victimam.* Mulier hæc ſignificat ſenſualitatem carnis noſtræ, quæ ſæpius ſeducit iuuenes: quamdiu autem [illegible] ſequitur ſenſualitatem, & ſenſualitas ducit rationem, tamdiu eſt neceſſe hominem errare & poſtea periclitari, ideoque neceſſe eſt ſenſualitatem huiuſmodi hodie mortificando ſubijcere rationi, ſicut ancillam Dominæ, nè ei dominetur, ſed ſeruiat. Narrat Fulgentius primo mycologiarum, quod Admetus Rex Alteſtam duxerit in vxorem: contigit autem Admetum infirmari: conſuluit is Apollinem Deum, quomodo poſſet ab infirmitate liberari. Reſpondit Appollo curari poſſe, niſi alia perſona de ſuis propinquis pro eo voluntariè moretur; quo intellecto Alteſta mortem ſponte ſubijt, & Admetus fuit curatus. Moraliter ſpiritus & caro in homine ſunt, ſicut vir & vxor: ſed cum vir, id eſt, ſpiritus noſter infirmatur per peccatum, non poteſt aliter curari, niſi vxor eius, id eſt, caro moriatur, id eſt, mortificetur per pœnitentiam: quod fit per ieiuniũ & macerationes alias corporales: quod cũ factum fuerit, reuiuiſcet ſpiritus noſter, iuxta illud. *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et Apoſtolus admonẽs dicit. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis nõ perficietis.* Et infra. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Quod ſi ergò aliqui ducti ſunt ſpiritu carnis anno euoluto, iam ducantur ſpiritu rationis hac quadrageſima: vt tentationes valeant ſuperare.

Exod.15. *Holc. ſup. 19.c 51. Sap.* *Diabolus quibus dux ſit.* *Prou. 7.* *Rom. 8.* *Galat. 5.*

Secundo quidam ducebantur anno præterlapſo peruerſa familiaritate malorum, ſeu ſocietate; quæ quidem ſocietas eſt multum periculoſa, eo quod hominem bonum trãſmutet ſucceſſiuè in malum: cuius ratio eſt, quia ea eſt vis amoris, vt talem te neceſſe ſit eſſe, quale eſt illud, quod amas, & cui dilectionis ſocietate iungeris. Hinc Dionyſ.4.c.de diu. nom. inquit, quod amor habeat quãdã vim vnitiuã, & trãsformatiuã q̃ non dimittat amatores ſuos eſſe, ſed amatoris. Ideò rectè Valerius ad Rufinianum dicit. *Ethicum eſt videre, cui des,* id eſt, magna virtus moralis eſt videre, cui ſe homo det, & coniungat in ſocietatem. Hoc verbum ſummè eſt notandum iuuenibus, qui facilè ducuntur peruerſa ſocietate illorum, qui eos ad vicia inuitant; ſicut dicunt reprobi in Prou. *Veni nobiſcum; inſidiemur ſanguini &c.* Et paulo poſt: *Sortem mitte nobiſcum: marſupium ſit vnum omnium noſtrum* Et: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter vino precioſo, & vngento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: vbiq; relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ: quoniã hæc eſt pars noſtra, & hic eſt ſors noſtra. opprimamus pauperem iuſtum, & percamus viduæ, nec reuereamur canos multi temporis.* Ecce quomodo mala ſocietas inuitat ſe mutuo ad peccata diuerſa. Ideò præclarè quidam ſenex informans filium ſuum dixit. *Talem quemq; fore, qualem ſibi nectit amore. Sermo veridicus dicit ſit alter amicus.* concordat. Huic Ariſt.9. Ethicorum dic. quod amicus ſit alter ipſe: hui[9] enim mores imitatur, cuius habet amores. Recordentur igitur omnes eiuſmodi illius Prou. *Vir iniquus ducit amicum ſuum per viam non bonam* Nec mirum: ex quo enim talis ſocietas peruerſorũ non habet ducem, niſi ſpiritum malignũ, meritò non poteſt duci niſi ad præcipitiũ, eo quod cæcus cæcum non ducat niſi in foueam. Lucæ 6. Ipſi enim dæmones duces ſunt cæcorum. Nec ducunt niſi *ad tenebras exte-*

Prou.1. *Sap.2.* *Societas mala fugienda.* *Luc.6.* *Matth.15. & 22.*

exteriores, vbi erit fletus &c.

Quibus SpiritusS. dux ſit.

Tertio ducebatur quidam euoluto anno, & ducuntur hodie à Spiritu ſancto vt ſunt omnes innocentes, & verè pœnitentes, qui ducuntur per viam iuſtitiæ mandatorum legis diuinæ, iuxta illud, quod Spiritus ſanctus dic. ad animam talis hominis. *Ducam te per ſemitas æquitatis, & viam ſapientiæ monſtrabo tibi.* Hic eſt bonus ductor, quem petebat pſalmiſta dicens. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Iſto ſpiritu, qui ducũtur, filij Dei ſunt. *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt.*

Rom. 8.

Dubium.

Sed dic. quomodo iſte eſt bonus Spiritus, qui ducit in tentationem, ſicut hic duxit Chriſtum? cum tamen nos oremus, vt non inducamur in tentationem. Reſpondeo ſecundum Henricum de Vrim. libr. 9. c. 9. quod licet Spiritus ſanctus permittat nos tentari; non tamen permittit in tentatione ſuperari. Vnde non petimus, vt non tentemur, ſed vt in tentatione non ſuperemur: hoc enim eſt ſecundum Henricum in tentationem induci, id eſt, conſenſum præbere tentatori: At hoc non facit Spiritus ſanctus, quia potius nos liberat à malo tẽtationis *non permittens nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciens cum tentatione prouentũ, vt poſſimus ſuſtinere.* Sic & Gorrã. ſuper Matt 6. exponit. *Ne nos inducas in tẽtationem*, id eſt, non permittas nos induci tentationem per conſenſum, vt ſuccumbamus: tunc enim inducimur, id eſt, intus ducimur, quando tentatio habet in nobis efficaciam, & vincimur: hoc autem à ſpiritu ſancto non eſt, ſed à maligno: & ideò licet Spiritus ſanctus duxit Chriſtum ad locum tentationis, non tamen permiſit eum ſuccumbere in tentatione.

Matt. 6.

II.

Deſertum quid.

In deſertum. Per iſtud deſertum ſignificatur præſens vita: ſicut enim filij Iſrael nõ potuerunt intrare terram promiſſionis, niſi manſiſſent in deſerto, ſuſtinentes multa mala: Sic nec nos poſſumus ingredi in cælum, niſi patiamur hic aliqua dura & aſpera per pœnitentiam. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam.* Item ſicut filij Iſrael in illo deſerto ſuſtinuerunt tria, ſcilicet longam, & periculoſam peregrinationem; magnam & victorioſam hoſtium expugnationem; grauem & intollerabilem ſitus arefactionem: ſic nos oportet hic agere vitam vt peregrinos. *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Filij enim Iſrael in deſerto fecerunt ſibi tuguria, non caſtra, non pallatia, ſed de fragili materia tabernacula: ſic & nos facere debemus. Eſt cõtra multos curioſos, ædificãtes ędificia delitioſa, qui nimis ſolicitãt circa lapides mortuos, & negligũt viuos; ac ſi in æternũ hic eſſent manſuri: communiter tamen videmus quod talia ædificia fabricantes breui ea inhabitant, non cogitantes de verbo Saluatoris. Marci. 13. Vbi cum quidam diſcipulus dixiſſet. *Magiſter aſpice quales lapides & quales ſtructuræ!* Chriſtus dixit. *Amen dico vobis, non relinquetur lapis ſuper lapidem.* Eiuſmodi ſimiles ſunt ædificantibus turrim Babyloniæ, qui cum ex hoc vellent magnificare nomen ſuum, turpiter fuerunt à Deo confuſi. Hinc præclarè Bernardus in libro de cura rei familiaris ait. *Ad ædificandum cogat te neceſſitas, non voluntas.*

Luc. vlt.

Quæ filij Iſrael euenerint in deſerto.

1.

Hebr. 13.

Gen. 11.

2.

Secundo filij Iſrael in deſerto habuerunt magnam & victorioſam hoſtium expugnationem: Sic & nos in hoc mundo debemus viriliter pugnare contra carnem, mundum & diabolum. Dæmon pugnat contra nos duplici manu ſcilicet occulta ſuggeſtione, & aperta impugnatione. Suggeſtionem vincamus per prudentiam: quia rerum exitus prudentia metitur. Sic fecit Chriſtus hic vincendo eum, non potentia, ſed ſapientia ſcripturarum. Impugnationem vincamus per patientiam; qua æquanimiter tribulatio tolleratur. Mundus pugnat duplici manu, ſcilicet ambitione honorum, & amore diuitiarum: ambitionem vincimus timore iudicij; quia diſtrictiſſimè iudicabuntur, qui præſunt in honoribus. Sapient. 6. *Iudicium duriſſimum his qui præſunt, fiet.* Secundam ſcilicet amorem diuitiarũ, vincimus amore Chriſti pauperis naſcendo, viuendo, moriendo. Igitur

Dæmon à nobis quomodo vincẽdus.

Mundus item.

Caro.

Igitur ſecundum cõſilium Apoſtoli. *habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimus*. Caro pugnat duplici manu, ſcilicet gula, & luxuria: primam manum amputare debemus per abſtinentiam, moderatè bibendo & comedendo; ſecundam per continentiam.

Tertium incommodum Iſraëlitarum.

Tertio filij Iſrael habuerunt in deſerto grauem & intolerabilem ſitis arefactionem: nam ſicut dicitur de eis. *Multitudo eorum ſiti aruit*. Et Sap. 11. dicitur. *Sitierunt, & inuocauerunt Deum*. Sed diuina prouidẽtia factum eſt, quod, cum non potuiſſent

Exod. 15.

bibere aquam præ amaritudine, immiſſo ligno aquę verſę ſint in dulcedinem: ad hęc de petra produxit eis aquas largiſſimas. Sic & nos debemus eſſe in continua ſiti diuinæ dulcedinis, vt nobis omnes delectationes mundi videantur amaræ, iuxta illud.

Philip. 3. Gal. 6.

Omnia arbitratus ſum vt ſtercora. Et: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce*. Vnde dicit Auguſtin. Omnis copia, quæ non eſt Deus meus, inopia eſt. Dicat ergo quilibet noſtrum: *Sitiuit in te anima mea*. Ad ſedandam ſitim huiuſmodi eſt inuocandus fons aquæ viuæ Dominus Chriſtus, qui de ſe dicit

Ioan. 4.

Si quis ſitit, veniat, & bibat. Et: *Si quis biberit ex hac aqua, quam ego dabo, non ſitiet in æternum*. Sicut autem Deus in deſerto filios Iſrael rexit, nè victualibus deficerent; protexit, nè coram hoſtibus ſuccumberent; & direxit, nè in ſolitudinibus à via aberrarẽt; ſic & Dominus faciet nobis, ſi in eo ſperabimus, iuxta illud.

Iſa. 51.

Ponam deſertum eius quaſi delitias. Ecce primum. *Et ſolitudinem eius quaſi ortum Domini*. Ecce ſecundum. *Gaudiũ & lætitia inuenietur in ea*. Ecce tertium.

III.

Cur ductus in deſertum Chriſtus.

Vt tentaretur à diabolo. Sciendum hic, quod licet Chriſtus tentatus eſt à diabolo finaliter ad hoc, vt experiretur in eo, ſi eſſet filius Dei; tamen Spiritus ſanctus duxit Chriſtum in deſertum, vt tentaretur à diabolo, ad dandum nobis exemplum reſiſtendi.

D. Aug. Lib. de vera rel. ad Rom. c. 19.

Nam vt dicit Auguſt. hæc triplex tentatio in Chriſto homine, quem aſſumpſit, ad cauendum monſtrata eſt. Vbi tria occurrunt conſideranda: primo qualiter, & vnde procedat tentatio? ſecundo quare Deus permittat tentari homines? tertio quomodo reſiſtendum ſit tentationi?

Tentatio quid. Eccl. 27.

De primo ſciendum quod tentatio non eſt aliud, niſi probatio mentis humanæ, qualis ſit in ſeipſa. *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis*.

Sextuplex

Tentatur autem homo ſex modis, ſcilicet à parte inferiori, ſuperiori, anteriori, poſteriori, a dextris & a ſiniſtris. 1. Prima tentatio ab inferiori eſt contemptibilis, & eſt illa, quæ fit à carne & conſiſtit in exceſſu cibi, potus, & in alijs actibus carnalibus, ad quos caro eſt prona, & eſt duplex: quædam ab exteriori, vt in cibo & potu, & alijs vanitatibus, & voluptatibus: quædam ab interiori, vt in concupiſcentia deſideriorum carnalium. 2. Secunda eſt à ſuperiori, id eſt, à ratione, quæ animæ pars eſt ſuperior, cum ſcilicet ipſa ratio conſentit, & delectatur, & quaſi captiua trahitur ad obſequẽdum carni; & hæc fit tribus modis, ſcilicet ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu: ſuggeſtio eſt ex parte diaboli; delectatio ex parte carnis; conſenſus ex parte rationis, vt dicit Aug. in lib. de ſerm. Domini in monte. *de pœnitent. di. 2. Sicut tribus gradibus*. Hic modus fuit in tentatione primi hominis, vbi primo ſerpens ſuggeſſit, poſtea Eua delectata eſt, vltimo Adam conſenſit. In ſuggeſtione eſt ſemen peccati; in delectatione nutrimentum; in conſenſu verò perfectio. Ex his elicitur, quod non omnis tentatio ſit peccatum, ſicut tentatio, quæ eſt in ſola ſuggeſtione, per quam homini peccata aut quæuis illicita contra eius voluntatem in cogitatione occurrunt; & iſta vocatur tentatio humana.

1. Cor. 10.

Tentatio vos non apprehendat, niſi humana; & hæc eſt veniale peccatũ. *de pœnit. diſt. 2. Inter hæc*. Tentatio q̃ fit per ſuggeſtionem malarũ cogitationũ cum conſenſu eſt peccatum vt dicit Greg. ibidem. 3. Tertia eſt tentatio ab interiori: hęc eſt dæmonum; & hæc eſt valdè periculoſa, quia in via, qua ambulamus nobis laqueos parant.

Pſalm.

Laqueum parauerunt pedibus meis.

Dubium.

Sed dic. cum diabolus non poſſit ab intra tentare, quomodo ergo poteſt animę humanæ ante faciem eius laqueos tentationum ponere? & cum non poſſit animam noſtram intrare cum ſolus Deus hoc poſſit,

vt illa-

vt illabatur animæ, vt dic. Magiſter in 2. ſententiarum diſt. 8. & Aug. lib. de ſpiritu & anima. ca. 15. quomodo dicitur tentare ab

Iſid. l. 2. ca. 5. de ſum. bono.

interiori? Reſp. breuiter ſecundum Iſidor. diabolus non eſt immiſſor cogitationum, ſic vt intrans in cor hominis eas immittat & ſuggerat; ſed eſt incentor vitiorum: quia nullibi concupiſcentiæ fomenta ſuccēdit, niſi vbi prius prauæ cogitationis delectationes aſpexerit, quas ſi a nobis ſperni aſpexerit, ſine dubio confuſus abſcedit. Ex

Diabolus quomodo cogitationes hominū noſcat.

his infero duo: primo quod diabolus noſcat cogitationes illas hominum, quę ſibi aliquo modo per ſenſus, aut alias paſſiones, affectiones, qualitates, aut alias diſpoſitiones exteriores apparent: & ſecundum hoc prout viderit hominem ad talia affectum ſuggerit ei talium rerum tentationes. Secundo infero, quod illas cogitationes quæ nondū ſunt de interioribus animę noſtræ per aliqua ſigna ꝓpalatæ, omnino adire non poſſit. Hæc de re ita loquitur Aug. l. 2. Retract. & habentur verba. 22 q 5. vbi dicit. Quodam loco dixi ſcilicet in lib. de ſpiritu & anima c. 16 dæmones aliquando hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas; cum ſigna quędam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere: nam peruenire iſta ad notitiam dæmonum etiam per nonnulla experimenta cōpertum eſt. Et Caſſian. Nulli dubium eſt, ꝙ

Caſſian. l. Coll. coll. 7. c. 16.

poſſint ſpiritus immundi cogitationū noſtrarum attingere qualitates; ſed indicijs ſenſibilibus forinſecus eas colligentes, id eſt, aut ex noſtris diſpoſitionibus, aut ex verbis & ſtudijs, in qua propenſius nos proſpexerint inclinari: Cæterum illas quæ nōdum de interioribus animæ prodierunt, adire omnino non poſſunt: ipſas quoque cogitationes quas ingerunt, vtrum ſuſceptæ, vel quemadmodum ſuſceptę ſint, non per ipſius animæ naturam, id eſt per illum interiorem motum in medullis, vt ita dixerim, ipſius latitantem, ſed ex motibus atq; indicijs exterioris hominis depręhenduntur. Hæc Caſſia. Ex his conſequens patet illud,

Iſid. l. 2. de ſum. bono cap. 5.

quod dicit Iſid. diabolus, quando decipere quemquam quærit, prius naturam vniuſcuiuſque attendat, & indè ſe applicet, vnde aptum hominem ad peccatum inſpexerit. Ex ea enim parte diabolus homines tētat, qua eos per excreſcentem humorem facilè inclinari ad vitia conſpicit; vt ſecundū humoris conſperſionem adhibeat & tentationem Figura huius habetur in Balaam, qui in figura diaboli contra populum Dei, ex ea parte præcepit pernicioſos prætendere laqueos, ex qua ſenſit eos facilius eſſe lapſuros. Nam & qui aquam ducit alicubi, nō eam per aliam partem mittit, niſi vbi eius impetum attendit Hæc ille. Quarta tenta- 4.
tio eſt à poſteriori: & hæc eſt memoria peccatorum præteritorum ad delectandum, cum videlicet quis exultat in rebus peſſimis, quas geſſit; & ſæpè ex recordatione reaccenditur, vt redeat quis inidipſum, tanquam canis ad vomitum: vt faciunt homines ſtatim poſt paſcha redeuntes ad mores peccatorum priſtinos Hos vocat Ambroſius irriſores, & non pœnitentes: quia irriſor eſt, & non pœnitens, qui committit iterum ea, quæ nouiter plangebat. Tales fuerunt Iudæi, qui recordati ſunt carnium, cæparum, & porrorum in AEgypto cōmeſtorum: vnde ob murmur hinc natum grauiter fuerunt puniti. Quinta tentatio eſt à 5.
dextris, id eſt, à proſperitate, cum ſcilicet arridet homini fortuna, & proſperitas eius non miſcetur aliquali miſeria. Sed quid dicatur Prou. 1. de talibus audiamus. *Proſperitas ſtultorum perdet eos.* Sexta tentatio eſt à 6.
ſiniſtris. Hæc eſt aduerſitas præmens, per quam interdum homo cogitur aut murmurare, aut blaſphemare contra Deum.

Num. 11. & 16.

De ſecundo quare ſcilicet Deus permittat hominem tentari, cum tamen melius homini ſi fuiſſet intentabilis, & ſicut quidam dicunt, glorioſior fuiſſet homo, ſi non potuiſſet tentari; breuiter dicendum quòd, ſicut dicit Magiſter ſententiarum diſt. 33. cap. 1. homo multo glorioſior eſt in hoc, quod poteſt non cōſentire tentationi, quā ſi tentari non poſſet: & ideo Deus hominē tentari permiſit, vt inde glorioſiorem reportaret victoriam. Hinc concludit Holcoth, 10. cap. l. Sap. quod homo ſic ſit ordinatus ad beatitudinem vt eam mereatur declinando à malo, & faciendo bonū. Vnde conſequenter ſequitur, quod communis via conceſſa ad beatitudinem non eſt, niſi per tentationē: Vnde nec æquè conue-

Cur Deus permittat homines tentari.

Holcoth.

nienter poſſet homo pertingere ad beatitudinem ſine tentatione. In ſignum huius dicit Holcoth Chriſtum ſuſtinuiſſe tentationes ab extrinſeco, tam à dæmonibus, quam à malis hominibus. Ex quibus patet

Vrim. l. 18 de per. int. hom. c. 11.

ſecundum Henricum de Vrimaria quod ſi vir fortis viueret non tentatus, eius fortitudo non eſſet laudabilis; cuius ratio eſt ſecundum ipſum, quia ſic locum victoriæ habere non poſſet; & eodem modo dicendum de alijs virtutibus. Vnde Apoſtolus

Propter tria.

dicit. *Virtus in infirmitate perficitur.* Permittit autem Deus electos tentari ſpecialiter propter tria, videlicet ad exercendum noſtræ naturæ probitatem; ad retundendum nuſtræ cenſuræ vanitatem; ad promerendũ
1. vitæ æternæ fœlicitatem. Primo permittit nos tentari ad exercendum noſtræ naturæ probitatem: habemus enim vſum liberi arbitrij per gratiam informatum: vnde voluit Deus vt oſtendamus in nobis, quomodo ſimus viriles in reſiſtendo diabolo & mandatis diuinis obtemperando. Ponit huius exemplum Holcoth ſup 3.c.l. Sapient. dicens. Vt miles, qui haberet arma alicuius regis cum equo, & eis vti negligeret pro honore regis ab omnibus contemneretur: ſic homo habens imaginem Dei, & arma eius, ſi negligat contra diabolum pugnare, multum vilis reputatur. Legitur de Conſtantino quod volens probare qui eſſent veri Chriſtiani, præceperit vt omnes qui vellent ſecum adorare idolum, remanerent in palatio, qui verò nollent, exirent. Itaque veri Chriſtiani exiuerunt; at ficti, & hypocritæ, adulatores regis remanſerunt. Imperator autem viſa hypocriſi eorum eos ſtatim à ſe reiecit tanquam Deo ſuſpectos, & veros Chriſtianos ad ſe recepit. Eodem modo facit Deus, probans homines per tribulationes, & tententationes, vt appareat, quis ſit verus Chriſtianus, aut quis fictus. Vnde Eccl. 2 dicitur. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei præpara animam tuam ad*
2. *tentationem*. Secundo permittit nos Deus tentari ad retundendum noſtræ cenſuræ vanitatem: niſi enim tentaremur, nimis citò propter defectum noſtræ cognitionis, de acceptis donis Dei ſuperbiremus; ſicut dicit de ſe Paulus. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis mea, angelus ſathanæ, qui me colaphizet.* *Greg. li. 10 moral. ca. 36.*

Vnde Greg. dic. Superna diſpenſatio idcirco nos, tota ſibi intentione ſeruientes, carnis noſtræ permittit tentationibus concuti; nè mẽs noſtra in ſuperbiam audeat præſumptione ſecuritatis eleuari: vt dum pulſata trepidat, in ſolo auctoris adiutorio fidem robuſtius ſpei figat. Et exponens illud

Idem Lib 19. moral. c. 3.

Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ;* dic. Ad ima caro trahit, nè extollat ſpiritus: & ad ſumma trahit ſpiritus, nè proſternat caro. Spiritus leuat, nè iaceamus in infimis: Caro aggrauat, nè extollamur ex ſummis. Et ideo Pſalmiſta tali modo optans tentationem dixit: *Proba me Deus, & tenta me* Gloſſa id eſt indica me eſſe probatum, non tibi, qui omnia noſti, ſed mihi, & hominibus: niſi enim tentaret, negligentes eſſemus. Dicitur ergo Deus tentare iſto modo, vt erudiat; homo, vt ſciat; diabolus vt 3.
ſeducat. Tertio permittit nos Deus tentari ad promerendum vitæ futuræ fælicitatem. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.*

Tentationibus reſiſtendum quinque modis.

De tertio, ſcilicet quomodo ſit reſiſtendum tentationibus; dic. Hugo in lib. de perfectibus, quod omnibus quinque modis reſiſtatur. Primus eſt tentationes malas à mente auertere per aliquas occupatio-
nes, quibus obliuiſcatur homo impugna- 1.
tionis. Vnde Hieron. *Semper aliquid facito, vt te diabolus inueniat occupatum.* Secundus 2.
modus, materias & occaſiones tentationis fugere, & declinare, maximè carnales, quæ appropinquantes ſibi incendunt, vt ignis: Vnde licet in cæteris vitijs poſſet expectari congreſſus, in vitio tamen carnali non niſi fuga reſtat. Vnde Apoſtolus nòn dicit, pugnate contra fornicationem: ſed dixit. *Fugite fornicationem.* Hinc concludit Hugo vbi ſupra, quod licet exercitare ſe ad pugnam ſpontaneam contra vitia ſpiritualia, ſcilicet iram, inuidiam, vanam gloriam, aliquando vtile eſt, vt homo per patientiam inſtruatur: tamen in carnalibus vitijs hoc facere periculoſum eſt, & ſtultum; ſed fugiendæ ſunt eorum pugnæ, & à memoria excludendæ, & occaſiones eorũ tollendæ. Vnde propter hoc ſecundũ ipſũ Dominus noluit ſe luxuria tentari permittere,

vt de-

vt doceret nos nō debere nos ingerere huic tentationi, etiam in ſpe triumphi & præmij: cum enim hæc tentatio habeat delectationem admixtam, & in hoc vicio concepti ſimus; ita vt non ſolum mens, ſed etiam corpus in eo delectetur, periculoſus eſt eius aditus, ſicut hoſtis, qui intra vrbis muros aliquos fauentes habet, ſi intra portas irrumpat vrbem potentius capit. Vnde Apoſtolus. *Omne peccatum, quod homo facit, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Terti⁹ eſt patiēter & humiliter virgam Dei ſuſtinere, vt ſe dignum iudicet afflictione, & labore pugnæ, & patienter toleret, confidens quod ei proueniat in bonum: quia ſic placabilis erit citius Dominus, ipſe purgabitur à peccatis, nudabitur à vitijs, & ditabitur virtutibus & meritis, vt dicit Greg. Quart⁹ orationi incumbere, & auxilium ſupernæ virtutis per ſe, & per aliorum ſuffragia implorare: quia nec noſtris viribus, nec meritis, nec prudentia poſſumus de tot hoſtibus triumphare, vel ſine lethali vulnere tranſire, niſi protecti manu Dei & eius adiutorio confortati. *Inuoca me in die tribulationis.* Ad hoc enim Deus permittit quandoque hominem tentari, vt excitetur ad orationis ſtudium confugiat ad Deum, & experiatur eius auxilium. Quintus vt homo ſtudeat ſingulis vitijs ſingula remedia addibere: quia non omnia vitia eodem remedio curantur; ſed ſicut diuerſis morbis diuerſa remedia apponuntur; ita & vitijs, vt lubricis continentia, ſuperbis humilitas, auaris largitas, & ſic de alijs; poſt quarum ſuperationē tentationum nos perducere dignetur Ieſus Chriſtus victorioſiſſimus triumphator ſathanæ ad gloriam ſempiternam. Amen *Pſal.*

DOMINICA INVOCAVIT.

SERMO II.

Cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Matth. 4.

Dicit Gregor. in homil. hodierna. Qui à paradiſi gaudijs per cibum cecidimus, laborare debemus, in quantū poſſumus, vt per abſtinentiam reſurgam⁹. Hinc patet, quod ieiunium humanæ reparationi fuerit neceſſarium: & propter hoc Dei filius videns humanum genus per peccatum gulæ cecidiſſe, in aſſumpta forma humana ieiunare voluit, vt ſic ieiunandi formam doceret, ſicut dicitur in verbis præmiſſis; *Cum ieiunaſſet.* Circa materiam iſtius ſacratiſſimi ieiunij tria ſunt conſideranda: primo quidē de ieiunij inſtitutione; ſecundo de ieiunij obſeruatione; tertio de ieiunij efficaci & vtili remuneratione. Inſtitutio ieiunij tangitur, cum dicitur; *Cum ieiunaſſet.* Obſeruationis modus, cum dicitur, *Quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Vtilis remuneratio, cum dicitur; *Poſtea eſurijt.* *Propoſit.*

I.

Circa ieiunij inſtitutionem, quæ conſideranda, tria notatu digniſſima occurrūt. Primo quomodo ieiunium ſit à natura dictatum; ſecundo quomodo à paganis & gētilibus perſuaſum: tertio quomodo à ſanctis patribus inſtitutum & confirmatum. *Ieiunij inſtitutio.* De primo, quomodo ieiunium ſit à natura dictatum, patet: natura enim dictabat ab exordio creationis carnes non eſſe comedendas, ſed tantum viuendum eſſe fructibus oleribus & radicibus. Vnde dicit Boëtius ſecundo de conſolatione, quod fœlix nimium prior ætas contenta fidelibus aruis, ieiu- *A natura dictatum.*

is,,ieiunia conſueuerit ſoluere glande. Refert Magiſter in hiſtorijs ſuper Gen. quod filij Adæ vſque ad diluuium, vixerunt ſolum herbis,& radicibus & pomis,& ſecundum Aug.ab Adam vſquè ad diluuium cõputabuntur anni ſecundum codices noſtros 2262.ſecundum autem Hebræos 16ꝫ1. at his annis non comedebant carnes, ſed herbas tantum. Quod autem feras occidebant,faciebant ſolum propter pelles, ex quibus veſtimenta præparabant: carnes vero canibus proijciebant vſque ad diluuiũ; & poſt pauca vinum cum carnibus manducauerunt. Vnde Hieronimus & habetur in decreto diſt.35.Ab exordio,inquit, conditionis humanæ nec carnibus veſcebamur,nec dabamus libellum repudij, nec præputia nobis eripiebantur: hoc curſu ad diluuium vſq; peruenimus: poſt diluuium autem cum damnatione legis, quam nullus implere potuit,carnes ingeſtæ ſunt ad veſcendum: & poſt pauca vinum cum carnibus poſt diluuium dedicatum eſt. Gloſſa, id eſt,in vſum humanum licitè aſſumptũ. Conſtat autem, quod lex naturæ durauerit ab Adam vſque ad Noe ſecundum omnes: imo vſque ad Moyſen. In illa ergo ætate naturali inſtinctu dictante, homines non vtebantur carnibus,non ſanè ſine miſterio & occulta Dei diſpenſatione. Nam ſicut dicit Ambr.35 *diſt. Sexto die.* Ideò ſexto die creatæ beſtiæ,vt ſciret homo,quia cum beſtijs creatis orta eſt ſimul edendi poteſtas, & vſus eſcarum: ibi cibus cœpit, vbi finis factus eſt mundi: ibi cœpit ſua incrementa neſcire,vbi cæperunt circa eum opera feriari. Ex his concludit Ambr. in ſermone de ieiunio,quod ieiunium non ſit nouellum, cum in paradiſo ab initio fuerit inſtitutum. Sed hic occurrit dubium: ex quo ſecundum legem naturæ eſus carnium illicitus fuit;quare Deus voluerit tot diuerſa animalia creare. An non,vt omnia cum gratiarum actione ſumerentur, & nihil eſſet reijciendum,vt dicit Apoſtolus: Reſpondeo ſecundum Hieronymum, quod licet omnia in vſus hominum creata ſint, non tamẽ omnia in vſum ciborum: nam ideo dicuntur iumenta quaſi adiumenta,eo quod adiuuent hominem in aliquo. Sic bos creatus eſt ad arandum; equus ad inſidendum; canis ad ſeruandum & cuſtodiendum; capra verò ad lac;ouis ad lanificium: & ſic diuerſitas animalium,lapidum,& herbarum non ſunt fruſtra creata.

Aug. l. de ciu. Dei 15. cap. 9.

Hieron. li. 1. contra Iouinian.

Dubium.

Hier. l. 2. contra Iouinian.

Sed dices. Quid fiet de porcis, capreis, ceruis,damulis,leporibus,apris, anſerib⁹, anatibus? ſi.n. iſta ad vſum comedendi creata non ſũt,fruſtra ſũt. Reſp. tibi quiſquis es. Dic mihi cur elephantes, leones, lupi, vulpes,viperæ,ſcorpij, creati ſint, vt qui nunquam ad vſum hominum conueniunt? vnde & Hieronym.inquit,quod multa ſint animalium genera,non ad eſum, ſed ad medicinam creata? Legat, qui voluerit, libros medicorum,qui nullam herbam,nullũ lapidem,nullum animal prętermittunt, quod ſuæ artis vtilitatem non referat: breuiter quiſquis de hoc dubitat, quod carnes animalium principaliter non ſint datæ ad eſum,audiat, videat, vel legat in Geneſi à principio primi capituli,quomodo Deus prius creauerit herbam, & olera virentia,quam animalia bruta,& corpulẽta: ad ſignificandum vtique ſecundum Ambroſ. quia ſimplicem & naturalem cibum voluit Deus reliquis cibis anteferri: quoniam iſte ſobrietatis,reliqui voluptatis,atque luxuriæ ſunt. In hoc enim nobis oſtendit temperantiæ documentum, vt victu herbarum atque olerum, pomorumque contenti ſimus; quem obtulit natura & donauit liberalitas Dei: qui tam dulcis & gratus eſt, vt etiam repletis eſui ſit,& voluptati: vnde ad ſecundas menſas ſolet dari. Hæc Ambroſius. Ideo & Diathearchus Philoſophus dixit aureum ſæculum, in quo homines tantum oleribus veſcebantur.

Gen. 1.

Ambr. l. 2. Hexam.

De ſecundo, quomodo ieiunium à paganis,& gentilibu ſit perſuaſum, patet tripliciter;& primo quidẽ à philoſophis purè naturalibus: ſecundo à philoſophis medicis; tertio à patribus Catholicis. Primum quomodo ieiunium ſuadeatur à philoſophis purè naturalibus,& gentilibus liquet: quia vt recitat Hieronym. Licet Epicurus quidam philoſophus fuiſſet inuentor deliciarum, ob hoc,quia in eis ſummam beatitudinem conſtituebat: tamen ad hoc poſtea peruenit,vt in omnibus libris ſuis nihil de carnibus & epulis ſumẽdũ eſſe cõſuluerit

Ieiunium à Gentilibus perſuaſum.

Hier. li. 2. contra Iouiniam

luerit

fuerit; ſed tantum pomis & oleribus ſuaſerit eſſe vtēdum, rationē dicēs, quia carnes & epulæ exquiſitæ, ingenti cura & ſolicitudine præparantur, maioremque pœnam habent in præparando, quam voluptatem in vtendo. Diogenes quoque deteſtatur epulas carnium, vt refert Hieronymus aſſerens tyrannos, & ſubuerſores vrbium, bella vel hoſtilia vel ciuilia mouere, nō ꝓ olerū ac pomorum victu ſimplici, ſed pro carnibus & delitijs epularum. Præterea Hermon philoſophus narrat, quomodo Ægypti ſacerdotes, omnibus mundi negotijs poſtpoſitis, ſemper in templo à vino, & carnibus fuerint abſtinentes, ouaque, & lac & carnes vitarint; quorum vnum carnes liquidas; alterum colore mutato ſanguinē eſſe dicebant. Ioſephus etiam dicit fuiſſe tres ſectas Iudæorum, Phariſæos Saducæos, & Eſſæos, è quibus Eſſæos dicit fuiſſe à carnibus abſtinentes; ita vt quotidianum ieiunium in naturam conuerterent. Eubolus philoſophus, narrat Perſarum magos & Doctores ſapientiſſimos excepta farina & olere nihil aliud in cibo ſumere ſolitos. Fertur etiam, quomodo in Euleſina prouincia non ſolum à piſcibus & volucribus abſtinet populus, ſed etiam à quibuſdam pomis. Xenophon philoſophus aſſerit polenta & cardamomo, & ſale & pane Perſas viuere. Cardeſanes Babylonius, apud Indos Gymnoſophiſtas tantæ continentiæ deſcribit, vt ſolum pomis, & farinæ cibo viuant: & cum rex ad eos venerit, illos adorare ſolitus ſit, ſuæque prouinciæ pacem in eorum precibus ſitam arbitretur. Euripedes phyloſophus in Creta inſula refert prophetas & ſacerdotes Iouis non ſolum à carnibus abſtinuiſſe, ſed etiā à coctis cibis. Xenocrates philoſophus refert tres leges in templo Melaſinæ deæ Athenis eſſe poſitas; ſcilicet Deum venerandum, parentes honorandos, & à carnibus abſtinendum. Refert quoque Hieronymus. Arabes & Saracenos lacte camelorum veſci; porcorum verò carnibus nunquam vti. Phryges & Pontici vermibus albis pro delitijs vtuntur, qui in cauernis lignorum naſcuntur. Orientales & Libij ſolum locuſtis veſcuntur: Syrij verò cocodrillis terrenis; Aphri verò nitidis lacertis ſolent veſci. Ixiphagi quoque, gens errans in littore maris rubri, piſces ſuper petras aſſant calore ſolis, & hoc ſolo alimento viuunt. Quod ſi omnes iſtos quis ſtultè facere dicat, & abſque ratione; audiat Comicum Poetam de ipſorum numero, cur hæc faciant, dicentem. *Sine cerere* inquit *& Baccho friget Venus.* Ecce intentio talium, cur hæc faciant, videlicet vt caſtitatem ſeruent. O ſi gentiles tantæ caſtitatis fuerunt, qui idola adorabant! quātò magis ſtudendum eſt Chriſtianis caſtitati, & temperantiæ, qui Deum cœli in ſe recipere intendunt. Nam quæ comparatio Chriſti ad Belial?

Secundò ieiunium ſuadetur à medicis, & philoſophis etiam propter ſanitatem: dicit Hippocr. in Aphoriſmis, ꝙ craſſa & pinguia corpora, quæ creſcendi menſuram excreſcunt, niſi cito ablatione ſanguinis minuantur, in paralyſin, & peſſima morborum genera erumpere neceſſe eſt. Galenus commentator Hippocratis vir doctiſſimus dicit, quod homines voluptuoſi & impinguati nequeant diu viuere, nec diu eſſe ſani: animaſque eorum dicit eſſe quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleſte cogitare. Seneca quoque dicit, quod multos morbos multa fercula fecerunt. Hinc & Horatius irridens bonorum ciborum appetentiam, qui conſumpti relinquunt pœnitentiam, inquit: *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Et Iuuenalis. *O prodiga rerum luxuries nunquam paruo contenta paratu?* Et poſt multa. *Diſcite quam paruo liceat producere vitam*, Et quantum natura petat ſatis eſt. Boetius quoque dicit, quod appetitus ciborum tam plenus eſt anxietate, quam etiam ſatietas plena pœnitentia, dicens eum infinitos morbos & dolores quaſi quoſdam nequitię fructus humanis referre corporibus. Refert Policratus lib. 8. cap. 6. quod Galenus cuilibet ſemper indixerit ieiunium decimo die, aſſerens non de facili aliquem ſic ieiunantem in morborum infirmitates incidere: & ex hoc Policratus valdè commendat illas prouincias, in quibus feria ſexta ieiunatur, aſſerens hoc non ſolum conuenire religioni, & deuotioni Chriſtianæ, ſed etiam incolumitati & ſanitati. Refert Pompeius Tro-

A medicis item ob ſanitatē.

Galenus.

Seneca epiſt. 8.

Boet. li. 2. de conſol. Philoſophiæ.

Trogus, quod deterrimus Siliciæ tyrannus Dionyſius, dum gulæ & edacitati deditus erat, oculorum lumen amiſerit. Nihil enim eſt quod citiorem inducat caliginem oculorum, quam ingluuies: quia ait Rortunianus. *Edacitas cibos terit, ſed oculos vorat.*

Ieiuniũ à S. Patrib. commendatum. Hier. li. 2. cõt. Iouin.

Tertiò ieiunium ſanctorum patrum exempla commendant: & primo quidem ieiunium commendatur ex eo: quia beatitudo paradiſi ſine eo non potuit dedicari: nam ait Hieronymus. Adam primus homo præceptum in paradiſo receperat nè de vna arbore comederet: quod quidem præceptum, quamdiu ſeruauit in paradiſo ſtetit: at vbi comedit indè eiectus eſt, & vxorem accepit, quique ieiunans in paradiſo virgo fuerat, in terra copulatur matrimonio. Hæc Hieronym Præterea tempore diluuij, Dominus quædam animalia conceſſit ad eſum: quædam verò immunda dixit, & prohibuit; vt per hoc in aliquo abſtinentiam commendaret: Moyſes quadraginta diebus & noctibus in monte Sinai accepturus legem ieiunauit; ieiunus loquebatur cum Domino: populus verò ſaturatus idola fabricauit. In Exod. legitur, quod Moyſe orante & populo ieiunante, tota die dimicauerunt filij Iſrael contra Amalech, & vicerunt. Ioſue per ieiunium ſolis & lunæ ſtationem impetrauit. Anna vxor Elcanę per ieiunium impetrauit Samuelem filium de ſe naſciturum. Samſon, & Samuel vinum & ſiceram non bibebant, quia filij repromiſſionis erant; & per abſtinentiam ieiuniumque concepti ſunt. Samuel congregatum populum in Maſphat indicto ieiunio roborauit, & hoſtibus fortiorem fecit. Saul, cum maledictionis ſententiam, contra Philiſtæos pugnans, protuliſſet in eum, qui panẽ ante veſperam comederet, Ionathę filio qui cauſa victoriæ fuerat, ſorte deprehenſo ægrè pepercit, ita vt vix populi precib⁹ liberatus ſit à morte. Dauid, licet ſibi peccatum iam dimiſſũ à Nathan propheta audiſſet, tamen in cilicio & ieiunio pœnitentiam egit dicens. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Helias quadraginta dierum ieiunio præparat⁹ in monte Dominum vidit; quin & hac de cauſa ſaluator Moyſen & Heliam ob ieiuniorum conſortia, in monte transfiguratus, ſecum oſtẽdit in gloria. Achab impijſſimus rex ieiunio impetrauit, vt ſententiam Domini euaderet, & in poſteros eius vltio dilata ſit. Ezechias rex ieiunio & cilicio victoriam contra Aſſirios, & regem Sennacherib impetrauit. Niniuitæ ieiunio iram Dei mitigauerunt, quam vtique Gomorra & Sodoma mitigaſſent, ſi ieiunaſſent. In Babylonę magi & arioli periclitãtur, quia ſomnium regi declarare neſcierunt: Daniel verò, & tres pueri ieiunio reuelationẽ eius merentur, paſtique leguminibus pulchriores & prudentiores inueniuntur, quin & Daniel in lacum leonum miſſus ieiunio liberatur, & ad conſolandum ei angelus mittitur, & ad eum Abacuc cum cibo deſtinatur. In Leuitico præcepit Dominus, vt omnis anima decimo die ſeptimi menſis vſque ad veſperam ſub pœna mortis ieiunaret. Abraham vitulum immolauit: ſed butyrum & lac etiam angelis hoſpitibus exhibebat. Ita dicit Ambroſ. in ſerm. de ieiunio 35. diſt. ſexto die ad finem.

Ieiunij in veteri teſtamento fructus.

Ieiunij merita in nouo teſtamento.

In Euangelio propter ieiunium & abſtinentiam Ioannes Baptiſta commendatur à Chriſto, quod eo maior inter natos mulierum non ſurrexerit. Anna propheti ſſa poſt longa ieiunia Chriſtum ſuſcipere meruit. Cornelius Centurio vt Spiritum ſanctum mereretur accipere, antequam baptizatus ſit ieiunauit. Paulus Apoſtolus poſt famem, & ſitim & labores cæteros atque pericula, enumerat etiam crebra ieiunia. Denique quid recenſeam plures, cum ſolius Domini noſtri Ieſu Chriſti exemplum abſtinentiæ ſufficere poſſit, qui baptiſmum ſuum ieiunio dedicauit? Si ergò ieiunauit, qui ſine culpa fuit, nec in malum flecti potuit: quãtò magis nos ieiunare oportet, qui & vitijs pleni ſumus, & ad committendum mala proni; eo quod omnis ætas ab adoleſcentia prona ſit in malum. *Geneſ. 8* Ex his patet inſtitutio ieiunij ſatis auctoritatiua, vt quæ à Deo præcepta in paradiſo, ante legem per filios Noë, & Moyſen ſeruata; ſub lege per prophetas & ſanctos; ſub gratia à Chriſto & diſcipulis eius fuit obſeruata.

I I.

Ieiunium quomodo obſeruãdum.

Quadraginta diebus. Videndum hic primo, quanto tempore ieiunium ſit continuandum, quia *quadraginta diebus,* ſecundò à quibus iſto tempore ſit abſtinendum: tertiò an omnes ad hoc ieiunium obligentur. De primò quanto tempore hoc ieiunium ſit continuandum, reſpondeo quod exemplo Chriſti quadraginta diebus, & noctibus: hic enim numerus videtur eſſe conſecratus & priuilegiatus multis gratijs. Vnde ſicut filij Iſrael non potuerant ingredi in terram promiſſionis, niſi quadraginta annis manſiſſent in deſerto: ita & nos non poſſumus ingredi in cœleſtem Ieruſalem, niſi per tantum tempus deuotè ieiunemus. In ſignum huius Moyſes & Helias quadraginta diebus ieiunauerunt. Nec vacat myſterio, quod tanto tempore & non pluri, nec pauciori inſtitutum eſt ieiunium ab Eccleſia: nam ſecundum Gregorium in homelia præſentis Dominicæ, ſicut omnium bonorum noſtrorum, ita & temporis iubemur decimas dare: vnde quia per totum annum à Deo multa bona recepimus, ideò de hoc hodiè decimantes quadraginta dies ieiunamus: à prima enim Dominica quadrageſimæ vſque ad paſcha ſex hebdomadæ ſunt, quarum dies ſunt quadraginta: ex quibus dum ſex dies Dominici ſubtrahuntur à ieiunio, remanent tantum triginta ſex dies abſtinentiæ, qui ſunt quaſi decimę anni. Vt ergo numerus quadraginta dierum, quibus Chriſtus ieiunauit, impleatur, recipiuntur quatuor dies præcedentis hebdomadæ, videlicet feria quarta, quinta, ſexta, & ſabbathum, & ſecundum hoc dicitur quadrageſima. Sed cum triginta ſex dies prædicti ſint decima 360, dierum tantum, & annus conſtat ex 365. diebus, & ſex horis; patet quod cum ieiunemus 36. diebus ratione decimæ temporis, remaneãt quinque dies indecimati, & ſex horę, ratione quorum ieiunamus quatuor dies precedentis hebdomadæ, vt ſacer numerus impleatur, & ita adhuc remanẽt triginta horæ indecimatæ, videlicet vnus dies, qui continet 24. horas, & ſex horæ. Sed poteſt dici, quod pro decima illius temporis in ſabbato ſancto tardius cœnemus: alicubi .n. tardius de nocte propter hoc miſſa celebratur 75. *diſt. Quod à patrib. de conſ. diſt.*

Exod. 16.

Cur quadraginta diebus.

1. *Ieiunijs.* Ponuntur hæc *de conſ. diſt. 5. quadrageſima.* Eſt aũt tanta diſtrictio huius ieiunij, vt ſoluens vnam diem ipſius, totam quadrageſimã ſoluere videatur, vt dicitur *de con. diſt. 3. Non licet. & non oportet;* vbi dicitur, ꝙ illi qui in cœna Domini cœnãt, totam quadrageſimam inhonorent. Hinc Gloſſa infert, quod nihil reputetur ieiunaſſe, qui vnum diem non ieiunauit.

Ieiunium quadrageſimale quam ſtrictè ſit ſeruandum.

Sed dices: Cũ in quadrageſima imitemur ieiunium Chriſti, vt præmiſſum eſt, & ipſe ſtatim poſt baptiſmum, ſc. poſt Epiphaniã, ſuum ieiunium inchoarit, cur nos hoc tempore ieiuniũ inchoamus, & illud ad paſcha continuamus, non eo modo, quo ipſe ieiunauit, cum tñ ipſius actio noſtra debeat eſſe inſtructio? Reſp. quadruplicem huius rei eſſe rationem: prima eſt, quod in quadrageſima repræſentemus populum Iſrael, qui fuit 40. annis in deſerto, & ſtatim poſt hoc celebrauit paſcha. Secunda cauſa eſt, quia homines tẽpore verno ad libidinẽ naturaliter cõmouentur; ad quam reſtringendam inſtitutũ eſt hoc tempus ieiunij. Tertia ratio quia Chriſti paſſioni reſurrectio continuatur; igitur rationabile fuit, vt afflictio noſtra cõtinua eſſet paſſioni ſaluatoris: vt ei cõpatientes tandẽ conregnemus vt dicit Apoſtol. Quarta ratio quia vt filij Iſrael, priuſquam agnum comederent, ſe affligebant & lactucas agreſtes, id eſt, amaras comedebant: ita & nos per pœnitentiæ amaritudinem oportet prius affligi, vt ſtatim poſt dignè poſſimus comedere agnum vitæ, id eſt, corpus Chriſti.

Dubium.

Hæc habet Durand. in rat. ſub. Tit. de quadrageſ.

Circa præmiſſa quæritur, quare potius feria quarta, q̃ alio die ieiuniũ inchoemus? Reſp ſecundũ Durandũ in rationali, vbi ſupra id fieri quadruplici ratiõe: Primò quia Chriſtus legitur feria quarta ſuũ ieiuniũ inchoaſſe: ꝙ inde colligitur, q̃a natus eſt die Dominica: à quo tẽpore ſi quis diligenter cõputet vſq; ad 30. annũ, ſecundũ rationes cõputi inueniet eũ in tertia feria fuiſſe baptiſatũ, & imediatè ſequenti die ductum à ſpiritu in deſertũ ieiuniũ inchoaſſe. Secũdò ideò feria quarta: quia Salomon in quarta ætate templũ ædificauit: nam & nos quaſi fundamentũ illius tẽpli, ꝙ ex nobis cõſtruit iacimus ieiunando, vt in paſcha tẽplũ dñi eſſe poſſimus, iuxta Apoſtolũ. *Tẽplum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.*

Ieiunium quare feria quarta inchoetur.

Ter-

Tertiò ideò, quia Eccleſia, cum in diebus Dominicis quadrageſimę non ieiunet propter gaudium reſurrectionis Dominicæ, quæ illo die facta eſt in diſcipulis; dominus autem legitur bis comediſſe, ſemel cum diſcipulis euntibus in Emaus, & iterum cum diſcipulis, quando intrauit ianuis clauſis; ideò incipit ieiunare ab hac feria quarta antecedente Dominicā illam, quæ propter hoc vocatur caput ieiunij. Ex his patet, quod die dominico non ſit ieiunandum, cum etiam Sancti patres, vt Anthon. & Paulus, & Eremitæ cæteri die Dominico non ieiunarint. Idē docet D. Hieronymus ad Lucinium dicēs. Vtinam omni tempore ieiunare poſſemus, non tamen hoc dico, quod diebus Dominicis ieiunandum putem. Hinc ſtatutum eſt, vt ſi quis, tanquam hoc continentiæ conuenire iudicans, die Dominico ieiunauerit, in eiuſdem diei contemptum, anathema ſit. 30. *diſt. Si quis.* Quartò quia hoc tempore ad bellum procedimus, ideoque quatuor virtutibus, quæ per quattuor dies iſtos ſignificantur, armati eſſe debemus, ſcilicet iuſtitia, fortitudine, prudentia, & temperantia.

In ieiunio à quibus ſit abſtinē dum. De ſecundo à quibus ſcilicet, & quomodo ſit iſto tempore abſtinendum, hoc eſt, quibus cibis vtendum ſit, & quibus non, & quis modus in horū vſu ſeruandus: dicendum quod ad primum, cibos ſcilicet ipſos, attinet; abſtinendum eſſe à carnibus, ouis, lacte, & caſeo, & ab omnibus, quæ ſementinam trahunt originem carnis, vt dicit Durandus in rationali ſub titulo de ieiunijs quatuor temporum. Hinc Diuus Gregorius, ſcribens Auguſtino Anglorum Epiſcopo, dicit, & habetur in decretis. 4. *diſtin. Denique*, quod ęquum ſit, vt qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam trahūt originem carnis, ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo & ouis.

Dubia 7. Sed hic occurrunt dubia plura: Primum quare eſus carnium generaliter in omni ieiunio ſit interdictus. Secundum quare oua, & lac & caſeus ſpecialiter iſto ieiunio ſint interdicta? Tertium quare permittatur vſus vini, & non carnium, cum vtrumque ad luxuriam diſponat? Quartum quare ſæpius permittimur bibere, & ſemel tantum comedere? Quintum an liceat tempore ieiunij indifferenter omnibus piſcibus vti? Sextum an liceat electuarijs pro conſeruatione ſanitatis vti? Septimum, quæ hora diei ſit conueniens ad comedendum iſto tempore? Et per hoc determinabitur de modo abſtinendi. De primo, quare eſus carnium generaliter in omni ieiunio ſit interdictus? Reſpondeo ſecundum Diuum Thomam quod cum ieiunium ſit indictum & inſtitutum ad reprimendas concupiſcentias carnis: delectatio autem carnis præcipuè conſiſtit in cibis carnium, vt quæ in comedendo maximam habent delectationem, & etiam ad venerea prouocant; ideò ab his cibis, qui multiplicant materiam incitamenti carnalis ad concupiſcentiam, vt eſt cibus carnium, Eccleſia iſto tempore indixerit abſtinendum. Aliam rationem ponit Durandus in rationali ſub titulo de ieiunijs quatuor temporum, ſcilicet, quod cum Deus maledixit terræ, per conſequens maledixerit omnibus procreatis ex terra, vt ſunt animalia. Atque hinc idem euenire dicit, quod omne genus carnis, quod in terrà verſatur, tam quadrupedia, quam aues, in ieiunijs non liceat comedere. Aquæ autem Deus non maledixit: quoniam per aquam baptiſmi futura erat remiſſio peccatorum: hinc enim hoc elementum eſt digniſſimum, quod ſordes abluit, & ſuper quod ſpiritus Domini ante mundi conſtitutionem ferebatur. Sed quæres: Multæ ſunt aues, quæ circa aquas verſantur, & quæ ex eis vel in eiſdem naſcuntur: cur ergo & hæ non comeduntur iſto tempore? Reſpondetur ſecundum Durandum, vbi ſupra quod id eo, quia licet in aquis generentur, tamen in terra percipiunt nutrimenta, & ſic ad terram pertinere dicuntur. Sed quid dicemus de caſtore, cuius caudam in ieiunio comedimus? Reſpondeo ſecundum Durandum ibidem, quod omnia animalia habentia formam quadrupedis ex vna, & piſcis ex alia parte poſſint comedi ex ea parte, qua apparent piſces: ex alia verò minimè: vt eſt biuerus, ſiue caſtor. Ad ſecun-

1. Cur eſus carniū interdict? D. Tho. 2. 2. q. 147. art. 8.

2. Dubit. Cur lacticinia prohibita. ſecundum, quo quæritur: quare oua, lac, & caſeus in quadrageſima ſpecialiter ſint interdicta; reſpondeo ſecundum Thomam vbi ſupra, quod ideò, quia licet in alijs ieiunijs ſeruanda eſt conſuetudo patriæ, eo quod circa talia vnaquæque prouincia in ſuo ſenſu abundet. 76. *diſt. Vtinam*: attamen tum quia ieiunium quadrageſimale ſolemnius eſt; tum quia ad imitationem Chriſti obſeruatur, tum quia etiam per ipſum diſponimur ad redemptionis noſtræ myſteria deuotius celebranda; a prædictis ſit abſtinendum. Atque hinc eſt, quod in quolibet ieiunio interdicitur eſus carnium vniuerſaliter: in ieiunio autem quadrageſimali ſpecialiter lac & oua. Ad tertium, quo quæritur quare potius permittatur vſus vini, quàm eſus carnium; cum vtrumque ad luxuriam diſponat, dicente Apoſtolo. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et: *Luxurioſa res vinum,*

3. Vini vſus cur permiſſus, Ephes. 5. Pro. 20.

Reſpondeo ſecundum D. Thom. vbi ſupra, quod licet vinum ſuperfluè ſumptum diſponat ad luxuriam calefaciendo corpus; tamen illud citò tranſit: non ſic autem multitudo humoris, quæ ex carnibus procedit, & diu durat. Hinc notanter dicit Apoſtolus: *Nolite inebriari vino,* non autem dicit: nolite bibere vinum. Nam vinum in iucunditate creatum eſt, & modicè ſumptum acuit ingenium. Vnde Durandus in rationali in tit. de ieiu. quatuor temporũ, inquit, quod in ieiunijs vinum ita bibere permittamur, vt ebrietatem omninò fugiamus: alioquin ſi hoc concederetur, reſtaret, vt omnia, quæ corpori libent, ſimiliter faceremus 4 *diſt. Denique,*

4. Semel edere & pluries bibere quare licitum Ad quartum, quare permittamur pluries bibere, & ſemel comedere; Reſpondeo, quod cum multi cibi tempore ieiunij ſint de natura frigidi, vt legumina, & per cõſequẽs indigeſtibiles: neceſſe fuit propter digeſtionẽ ciborum moderatã potus ſumptionem permittere. Vnde in pœnitentiali Romanorũ ſcribitur, quod pœnitens debeat vti modica ceruiſia, ſcil. quantum ad neceſſitatem digeſtionis, & ſuſtẽtationem naturæ opus: ſine cibo enim diutius durare poſſumus, cum ſit naturæ groſſioris, & per cõſequens non citò alterabilis in ſubſtantiam: potus autem, cum ſit ſubtilis, cito eſt alterabilis, & per conſequẽs indiget continuò ſupplemento Hinc D. Tho. vbi ſup. art. 6. inquit, quod ſi quis immoderatè vtatur potu, poſſit peccare, & meritum perdere ieiunij: ſicut etiam, ſi immoderatè cibum in vna comeſtione ſumat. Ad quintum: an tempore ieiunij liceat indiſtinctè omnibus piſcibus vti; maximè cum quidam piſces ſint delectabiliores, quam carnes, vt ſturiones, ſalmones, & alij: reſpondeo, quod licet hoc verum ſit, tamen Eccleſia reſpiciat ad illud quod communius eſt, vt dicit D. Tho. vbi ſup. communius autẽ eſt, quod carnes delectabiliores ſint piſcibus, & ideo piſces non prohibentur, ſed carnes: ex quo patet, quod etiam piſces, quantumcunq; delectabiles, in ieiunio licitè comedantur. Vnde dicit Greg. 4. *diſt. Deniq;*, quod piſcium eſus ita Chriſtiano conceditur, vt ſit ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium. Et ſequitur: Deniq; qui à lacte abſtinet, nequaquam ſumptuoſiora marinarum belluarum conuiuia præparet. Vnde Eccleſia iniungit pœnitentibus pro cibo paruos piſciculos, vt 82. *diſt. Presbyter*: Sed multis videtur, quod etiam piſces quantumcunque magni non noceant, ſi ad neceſſitatem, non ad ſuperfluitatem ſumantur. Ad ſextum, quo quæritur; an liceat pro conſeruatione ſanitatis electuarijs vti? Reſpondeo ſecundum D. Thomam, vbi ſupra artic. 6. quod electuaria licet aliquo modo nutriant, non tamen principaliter aſſumantur ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum: vnde non ſoluunt ieiunium; ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio, niſi fortè quis in fraudem electuaria in quantitate magna ſumat per modum cibi. Durandus in rationali de ieiunijs quatuor temporum dicit, quod electuarijs non aliter vti liceat, niſi ſicut alio delicato cibo: ſecus eſt in medicina curatiua; præſeruatiua tamen, vbi nullum eſt ſignum infirmitatis inſtantis, recipere non licet. Hinc *de conſecratione. diſt. 5. Contraria,* dicit B. Ambroſius ſuper Pſalm. 130. Quod contraria diuinæ religioni præcepta ſint medicinæ, quæ à ieiunio reuocant; quod gloſſa intelligit in homine ſano. Quidam autem dicunt, quod nec vlla medicina, nec

5. An liceat omnib. piſcibus vti hoc tempore.

Quomodo

6. Dubit. Liceat nè electuarijs vti.

te moriãtur cænantur.

ac; nec electuarijs ieiunium ſoluatur, neq; potu ſiue ante, ſiue poſt cibum ſumpto: ſic enim videtur inductum ex conſuetudine Eccleſiæ ieiunantis, & hoc tolerantis: & per hoc ſoluitur dubium de ſenaſcalcis, pincernis, & inciſoribus regum & ducum, qui prægustantes cibos non ſoluunt ieiunium. Ad ſeptimum quo quæritur quæ hora ſit debita ad comedendum iſto tempore? Reſpondeo ſecundum D. Thom. vbi ſupra art. 6. quod ieiunia ab eſca, ſunt inſtituta ad concupiſcentiam refrenandum; ita tamen vt natura ſaluetur: ad hoc autem videtur ſufficere vnica comeſtio, per quam homo poteſt & naturæ ſatisfacere; & tamen concupiſcentiæ aliquid detrahit, dimittendo comeſtionum vices: & ideo ab Eccleſia ſtatutum eſt, vt ſemel tantum à ieiunantibus in die comedatur: huic autem vnicæ comeſtioni deputatur conueniens hora nona; idque ideò, ſecundum Thom. vbi ſupra artic. 7. vt cum hora ſexta ſit communis hora alijs diebus ad comedendum; ieiunãs aliquã afflictionẽ ſentiat pro culpę ſatisfactione. Conuenit etiã hæc hora ſecundum eum, myſterio paſſionis Chriſti, quæ fuit completa hora nona, qua *inclinato capite tradidit ſpiritum*: ieiunantes autem, dum carnem ſuam affligunt, paſſioni Chriſti conformantur, ſecundum illud: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Præterea hæc hora eſt conueniens propter differentiam ieiunij noſtri, & Iudæorum qui à veſpera in veſperam ieiunabant. *A veſpera in veſperã celebrabitis ſabbatha veſtra, affligetiſq; animas veſtras.* Vt ergò ſtatus gratiæ perfectior ſtatu veteris teſtamenti appareat, nós comedimus diei hora nona, quod ipſi fecerunt nocte iuxta illud. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Iſta rationem etiam tangit Dur. in rationali, ſub titulo de quadrageſima, dicens, quod cum tempus quadrageſimæ ſit tempus pœnitentiæ; pænitẽtes autem cõuertantur à tenebris ad lucẽ; ideò hora veſpertina præueniat; vnde & canuntur veſperę hora nona, quæ conſueuerunt cãtari circa tenebras noctis alijs diebus. Hinc in concilio Babilonenſi ſtatutũ eſt, *de conſe diſt. 1. Solet*, vt nullus ante horã nonam in quadrageſima comedat; quia nullatenus tales credendi ſunt ieiunare, q ante manducauerint, quã veſpertinum celebretur officium. Eſt & alia huiuſce rei ratio ſecundum Durand. in rationali, vbi ſupra, quia quadrageſimali tẽpore propter diſpoſitionem ad paſchalem ſolemnitatẽ, & correctionem delictorum prę teritorum ſanctioribus operibus inſiſtendum eſt: & ideo prouiſum eſt, vt eo tempore, quo ſeruamus illa ieiunia, plures orationes ſuppletiones ieiunij agamus; & ꝓpter hoc nõ ſolum horas alias, verũ etiam veſperas ante cibũ dicimus, præmiſſis tamen quatuor diebus ante Inuocauit hoc non ſeruatur, ad ſignificandum primariã diſpoſitionem pœnitentium, qui in ſuis primordijs non poſſunt tot ſanctitatis obſeruãtijs inſudare. Archidiaconus autem in dicto canone. *Solet*, dicit, quod cum Chriſtus ieiunarit quadraginta diebus nihil comedendo, nos, qui fragiliores ſumus, non valentes eum in toto imitari, ſaltem tardius etiam poſt veſperas comedamus: vt ſic in afflictione minori illi conformemur. Sed dices: Quid erit de ſimplicibus qui horam nonam punctualiter nõ cognoſcunt, vt villani & alij? Reſp. ſecũdum Tho. vbi ſupra art. 7. quod licet ieiunium requirat horam determinatam; non tamen ſecũdum ſubtilem determinationẽ, ſed ſecundum groſſam æſtimationem. Sufficit. n. quod ſit circa horã 9. & hoc quilibet cognoſcere poteſt. Vnde ſecundum ipſum modicum augmentum, vel modicus defectus non multum nocere poteſt. Dicit etiã D. Tho. quod ſi cui ꝓpter infirmitatem vel ętatem, vel aliquid huiuſmodi hoc cederet in magnum grauamen, eſſet cum eo in ieiunio diſpenſandum, vel vt aliquantulũ præueniret horam indulgẽdum. Vnde in dicto concilio dicitur. Si verò aliquis neceſſitate conſtrictus fuerit, vt ad miſſam venire non valeat, æſtimata veſpertina hora completa oratione ſua ieiunium ſoluat. Hæc ibi. Ex his dicit Dura. in rationali ſub tit. de quatuor temporib. ꝙ comedere ante horam & ante miſſam in ieiunijs ſtatutis & neceſſarijs ſit mortale peccatum; in voluntarijs verò veniale.

7. Qua hora tepore ieiunij comedendũ.

Galath. 6.

Leuit. 23.

Rom 13.

Veſperæ in quadrageſima cur an...

Occurrũt hic plura dubia. Primũ quare non ſit taxatus numerus, & quantitas ciborum, ſicut taxatus eſt numerus comeſtionum

Dubia 3.

num

num & horarum? Secundũ an diuites peccẽt vtendo iſto tẽpore cibis delicatis. Tertium quibus modis frãgatur ieiunium per gulam. De primò dicendum, ꝙ non potuerit taxari numerus ciborum, nec quantitas eadẽ omnib. propter diuerſas corporũ cõplexiones, ex quibus contingit, ꝙ vnus maiori, alter minori cibo indigeat; ſed vt plurimum oẽs poſſunt ꝑ vnam comeſtionem naturæ ſatisfacere, & ideo taxatur numerus comeſtionum & non numerus ciborũ. Vnde 4. Ethic. refert Cõmentator de quodam quod comederit vnica vice vnum bouem integrũ & tñ nõ fuerit guloſus: quia naturę ſatisfaciebat, & tamẽ ſi alter comederet, in quo natura non indigeret, is diceretur guloſus. Hinc dicit Aug. in l. quęſt. Euangelij quod iuſtitia Chriſtianorum non conſiſtat in nimia abſtinentia à cibis, nec etiã in mãducatione quorumcunq; ciborum, ſed in æquitate tollerãdi inopiã, & temperantiã, per abundantiam non ſe corrumpendi atq; oportunè ſumendi, vel non ſumendi ea, quorũ non vſus, ſed concupiſcentia reprehendenda eſt. Et ſequitur. Non .n. intereſt omnino, quid alimentorum ſumas, vt ſuccurras neceſſitati corporis, dummodo cõgruas in generib. alimentorũ his, cũ quib. tibi viuendũ: neq; quantũ ſumas intereſt, cũ videamus aliorũ ſtomachũ citius ſaturari cibis, & eos tamen illi ipſi cibo, id eſt, huic cibo, quem concupiſcunt, quo paruo ſaturantur, ardenter & intolerabiliter, & omninò turpiter inhiare: alios autem paulo plus, poculo ſcilicet, ſumpto ſatiari; ſed inopiam tolerabiliter perpeti vel ante horam poſitas epulas, ſi id in tempore aut opus, aut neceſſe ſit, cum tranquillitate aſpicere, neq tangere. Habentur hæc 41. *diſt quod dicit*. Ex quibus concludit Aug ꝙ. quantitas ciborum pro congruentia perſonæ vel neceſſitate ſanitatis ſumpta non noceat, ſi non fuerit ex gula, ſed cum tranquillitate animi, non cum nimio appetitu. Vnde idem Augu. dicit, quod in talibus attendatur cauſa vtendi, & modus appetẽdi non ipſum factum. Ad ſecundum; An diuites peccent vtendo iſto tempore cibis delicatis; Reſp. diſtinguendo: aut enim diuites hoc faciunt ideò vt non ſentiant afflictionem ieiunij in aliquo, vt facilius id pertrãſeat; & ſic dico, quod peccent: quia ſic ſemper volunt eſſe in eiſdem delitijs, & nunquã vel ſaltem iſto tempore affligi pro peccatis: aut hoc faciunt ex conſuetudine ſuæ infirmitatis, ita vt non aliter viuant quam conſueuerunt, vel quia locus perſona, & tẽpus circa eos conſiderata, talia requirunt, & ſic dico quod non peccẽt, niſi fortè venialiter. Hinc dicit Aug. lib. 3. de doct. chriſtiana, c.15. In omnibus talibus non vſus ciborum ſed libido cõſiderãda eſt. Et ſequ. Quæ igitur locis, & perſonis, & temporibus cõueniat, diligẽter attendendum, nè temerè flagitia reprehendamus. Fieri .n. poteſt, vt ſine aliquo cupidinis vitio vel voracitatis ꝓcioſiſſimo cibo ſapiẽs vtatur: inſipiens aũt fœdiſſima gulæ flãma in viliſſimũ cibũ exardeſcat; & ſanius quiſq; maluerit more dñi piſce veſci, q̃ lenticula more Eſau, aut hordeo more iumentorũ. Nõ eſt ergo natura ciborũ in cauſa, ſed modus appetendi inordinatus eſt reprobandus, 41. *diſ Quiſquis*. Ex quo patet ſecundum Aug. ſuper epiſt. Ioan. quod delitiæ quælibet, ſi abſq; deſiderio percipiantur, non officiant, & è contrario viles cibi appetenter accepti impediant profectum abſtinentiæ: Dauid enim aquã concupitam effudit, & Helias carnem comedit. Ex his infero ſalubre conſilium pro diuitibus, in pœnitentijs iniungendis à cõfeſſoribus obſeruandum; vt eis iniungant potius eleemoſynarum largitionem, quam ciborum pretioſorum abſtinentiam. Patet per Aug. dicentem. Non cogantur diuites pauperum cibis veſci, ſc. in pœnitentia, ſecundum Hugonem; vtantur conſuetudine infirmitatis ſuæ, id eſt, fragilitatis & delicationis ſuæ: ſed doleant ſe aliter ſe non poſſe ſuſtentare: ſi conſuetudinem mutãt, ægrotant; vtantur ſuperfluis, id eſt, præcioſis; dent inopibus neceſſaria ſc. ad eorum ſuſtentationem; vtantur pretioſis, dent pauperibus vilia. 41. *diſt. Non cogantur*.

Simile dicitur de ratio Milõ dicto.

Chriſtianorũ iuſtitia in quo conſiſtat.

Aug. li. de doct. Chriſtiana c. 5

Appetitus inordinatus impedit abſtinentiæ profectum.

Aug. in li. verb. Do.

3. Dubiũ. Ex his reſpondetur ad tertium dubium, quot nempè modis ieiunium ſoluatur, ſcilicèt quinq; ſecundum Greg. in moralibus *de con. di 5. Quinque modis*. Primò ſi tempus ſtatutũ pręueniatur, vt Ionathas. 2. Etſi nõ pręueniat, ſi cibi lautiores q̃ratur, vt Iſraelitæ in deſerto. 3. Quando ea, q̃ ſumẽda sũt, expetũtur ꝓcurari accuratius, & hoc intelli-

ge ſine cauſa, vt filij Heli in Silo, vt dictum eſt ſupra. Quartò, quando, etſi qualitas, & tempus ciborum congruit, tamen in ipſa quantitate ſumēdi, mēſura refectionis exceditur, vt Sodomitæ. Quintò quando etſi abiectius eſt, quod deſiderat, tamen ipſo æſtu immenſi deſiderij deterius peccat, vt Eſau: atque hinc dicit Auguſt. ſuper epiſtolam Roman. 14. Non propter porcum, ſed propter pomum primus homo interijt. & Eſau primatum ſuum non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit: nec Chriſtus carne, ſed pane tentatus fuit.

D. Tho. 2. 2. qu. 147. art. 1. *Ad ieiuniū qui ſint obligati.* De tertiò principali, quo quæritur, an omnes fideles ad ieiunium quadrageſimæ teneantur; reſpondeo breuiter ſecundum Thom. quod ieiunium in communi cadat ſub præceptum legis naturæ; ſed determinatio temporis & modi ieiunandi ſecundū conuenientiam & vtilitatem populi Chriſtiani cadit ſub præceptum iuris poſitiui, quod eſt à prælatis Eccl. inſtitutū: & qa, vt dicit idē art. 4. præcepta Dei ſunt præcepta iuris naturalis, quæ ſecūdum ſe ſunt de neceſſitate ſalutis at ſtatuta Eccl. ſunt de his, quæ non per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed ſolum ex inſtitutione Eccleſiæ: ideò poſſunt eſſe aliqua impedimenta, propter quæ ad obſeruanda ieiunia huiuſmodi quidam non tenēātur. Ex hoc patet, quod vbi eſt euidens cauſa non ieiunandi, licitè ſoluatur ieiunium Eccleſię: ſicut patet in pueris, qui propter debilitatem naturæ non poſſunt ieiunare, cum natura ipſorum indigeat frequenti cibo, & non multo aſſumpto ſimul: tum etiā, quia indigent multo nutrimento propter neceſſitatem augmēti quod fit de reſiduo alimenti. Hinc quā diu ſunt in ſtatu augmenti, quod eſt, vt in pluribus, vſq; ad finem tertij ſeptennij, non tenentur ad Eccleſiaſtica ieiunia: eſt tū ſecūdum D. Thom. ibid. conueniens, vt etiā in hoc tēpore ſe ad ieiunandū exerceāt, plus, vel minus ſecundum modum ſuæ ætatis; quādoq; tamen ſecundū ipſum magna tribulatione imminente in ſignum pœnitentiæ arctioris etiā pueris ieiunia indicuntur, ſicut etiā iumētis vt. Ionæ 2. *Homines & iumenta non guſtent quicquam, nec aquam bibant.* Sic & apud Ioelem dicitur. *Sanctificate ieiunium: vocate cœtū; congregate paruulos, & ſugentes vbera.* Concordat Durand. in rationali ſub titulo quatuor temporum dicens, quod ieiunia Eccleſiæ ſolui non debeat: quia ad ea tenētur doli capaces: cum & ipſi delinquere poſſint: diſpenſari tamē poteſt circa hoc cum impuberibus, & etiā cum conſtitutis in maiori ætate, & cum ſenibus, & infirmis ac debilibus. Sed quid de mulieribus quæ ſine ſcādalo virorum non poſſunt ieiunare? Reſpondeo, quod voluntaria ieiunia debeāt in hoc caſu dimittere; ſed indicta per Eccleſiā non itidē: licet fortè ſecundum ipſum & in illis ſacerdos propter ſcandalum cum eis valeat diſpenſare. Sed quęro, an ieiunia per eccleſiam indicta poſſint redimi? Reſpondeo ſecundum Durand. quod non niſi ſubſit neceſſitas caſualis: voluntaria tamen ieiunia, vel in pænitentia iniuncta poſſunt redimi, etiamſi nulla cauſa ſubſit, dūmodo vtilior ſit compenſatio. At quid peregrinātibus vel laboratoribus hic facto opus? Reſpond. ſecundum Tho. vbi ſup. c. 4. quod ſi peregrinatio vel labor poteſt cōmodè differri vel diminui abſq; detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus; quæ requiruntur ad conſeruationē corporalis vel ſpiritualis vitæ, propter hæc ieiunia non ſint prætermittēda: ſi autem immineat neceſſitas ſtatim peregrinandi; & magnas dietas faciendi, vel etiam multum laborandi, ideoque ieiunia non poſſint obſeruari, non obligatur homo ad ieiunandum; quia non videtur fuiſſe Eccleſię intentio ſtatuentis ieiunia; vt per ieiunium impediret alias vias, & magis neceſſarias cauſas. Dicit tamē D. Thomas, quod in his recurrendum ſit ad ſuperioris diſpenſationem; niſi fortè, vbi ita eſt conſuetum: quia ex hoc ipſo, quod prælati diſſimulāt, videntur annuere. Quid de pauperibus mendicantibus? Reſpondeo, quod ſi poſſunt ſufficienter habere quod eis ſufficiat ad vnam comeſtionem, non excuſantur; alias ſi non ſufficiat, excuſantur; vt illi qui fruſtratim Eleemoſynas mendicāt. *Pauperes ad ieiunium an obligentur.* Sic patet de ieiunij obſeruatione, qualiter ſit debitè ſeruandum, quātum ad tempus, horam, & modum, &c.

Vtpo-

III.

Expeditis duobus principalibus circa ſacrum ieiunium occurrentibus, ſcilicet de ieiunij inſtitutione auctoritatiua, & de eius obſeruatione debita; reſtat dicere de tertio, ſcilicet de ieiunij remuneratione ſaluifica. Verum quia remuneratio in ſpiritualibus non datur, niſi pro actu virtuoſo, & meritorio: meritum autem ex circumſtātijs debitis ponderatur; ideo hic videamus de pluribus: & primo, quomodo ieiunium noſtrum debeat eſſe meritorium: ſecundo quale recipiat præmium. Ad primum quod

Ad ieiunium meritorium tria requirūtur.

artinet, vt ieiunium noſtrum ſit meritoriū, debet eſſe primo afflictiuum ad diuinam miſericordiam inclinandam; ſecundo mūdum, ad interiorem conſcientiam purificandam, tertio pium ſiue paſſiuum, ad fra-

1. ternam miſeriam ſubleuandam. De primo dicitur, in libr. Machabæorum.

1. Mach. 3. *Ieiunauerunt in die illa, & induerunt ſe cilicijs.* Ecce, qui vult benè ieiunare, debet adiungere aſperitatem veſtium interiorum, vt non vtatur delicatis camiſijs, ſed aſperioribus: vt ſic non ſolum habeat aſperitatem ciborum, ſed etiam veſtimentorum: ſic enim & Rex Niniuæ,

Iona 3. indutus ſacco, ieiunauit. Ionæ 3. Vnde canimus. *Immutemur habitu.* Hinc patet, quod male ieiunet, qui in aliquo, iſto tempore, habitum, ſi poteſt, non immutat: patet quia habitus non immu-

2. tatus indicat in eo vanitatem. Secundo ieiunium debet eſſe mundūm ad interiorem conſcientiam purificandam; quæ quidem puritas conſiſtit in tribus, ſcilicet vt homo abſtineat ab omnibus iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſæculi: in quo conſiſtit perfectum ieiunium. *De conſecratione diſtinctione quinta. Ieiunium*; ſecundo requiritur vt homo abſtineat ab indiſcreta, & immoderata ciborum refectione. *de conſecratione diſtinctione quinta. Sint tibi & ca. Non dico*: & hæc duo ieiunia, licet ſemper ſint ſeruanda, maximè tamen hoc tempore, quo intendimus ani-

3. mas deformatas purificare. Tertio, vt homo certos cibos ſibi ſubtrabat oportet, eos maxime qui ad voluptatem, & ad libidinem inducunt, vt dictum eſt. *de conſecratione diſtinctione quinta. Denique.* Ex his infero, quod ad munditiam ieiunij neceſſaria ſit abſtinētia, non ſolum à cibis, ſed etiam ab omnibus diſſolutionibus, delectationibus & voluptatibus: nam quid prodeſt ieiunare viſceribus, & luxuriari vanitatibus? Quid abſtinere à cibis, & errare peccatis? 86. *diſtinct. Quid prodeſt.* Similiter nihil prodeſt ieiunare, & orare, niſi & mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. *de conſecratione diſtinctione quinta. Nihil prodeſt.* Hinc dicit Gre- *Greg. ho. 11 ſup. Leuit.*

gor. ſuper Leuiticum hom. 11. *Vis oſtendam tibi, quale te oporteat ieiunare ieiunium: ieiuna ab omni peccato, nullum cibum ſumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ cōcaleſcas: ieiuna à malis operibus, abſtine à malis ſermonibus, contine te à peſſimis cogitationibus.* Et ſequitur. *Tale ieiunium Deo placet.* *Ieiunium optimum.*

Hoc eſt quod Eccl. clamat in principio quadrag. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, id eſt, tam in exteriori quā interiori operatione cordis: per tale ieiunium anima purificatur. Patet ex his, quāta diligentia ſit hoc tempore à venatione abſtinendum, cum ieiunium ipſum nihil valere dicatur, ſi in eo venatio exerceatur: *Venatio prohibita.*

Vnde dicit Canon. 86. diſtinct. & eſt dictum Diui Ambroſ. in ſermone de quadrageſima. An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad Eccleſiam vigilat, non beatorum martyrum loca ſancta perquirit, ſed ſurgēs conducit ſeruulos, diſponit retia, canes producit, ſaltus, ſyluaſque perluſtrat. Seruulós inquam ſecum trahit, fortaſſe ad Eccleſiam magis feſtinantes; & voluptatibus ſuis peccata accumulat aliena, neſciens ſe reum futurum tam de ſuo delicto, quam de perditione ſeruorum. Ex hoc dicto duo colliguntur: primo, quod non poteſt ieiunare efficaciter ad ſalutem arti venaticæ inſiſtens, ſicut dicit Gloſſa in dicto capitulo: ſecundo quod Dominus diſtrahens ſeruos à ſeruitio diuino, præſertim illis temporibus, quibus tenentur eſſe circa Eccleſias ipſorum, grauiter peccet & teneatur pro omnibus peccatis eorum. *de teſtibus. Sicut.* Et. 22. q. 5. *Qui compulſus.*

Venatio an ſit mortale peccatum.

Sed dices. Velim ſcire, an ſemper venatio mortale ſit peccatum. Reſpondeo breuiter, de laicis loquendo; venatio conſideratur dupliciter: aut enim fit cauſa voluptatis, aut cauſa neceſſitatis. Si cauſa voluptatis, eſt illicita ex tempore; vt diebus quadrageſimæ & ieiuniorum. 23. q. 8. *Si nulla.* Et 86. *diſtinct. Anputatu* vt dicit *Gloſſ. in cap. Qui venatoribus ibidem.* Huic concordat Antonius Butrio in capitulo de clerico venatore, dicens, quod venatio licita ſit laicis in diebus communibus; ſed in quadrageſimalibus & præcipuarum feſtiuitatum, quibus venire debent homines ad Eccleſias ordinate, etiam laicis ſit interdicta, vt dicitur Pallegato. *c. Qui venatoribus et cap. Anputatis. de conſecratione diſtinctione tertia. Irreligioſa. Et diſtinctione quinta Ieiunia.* Si autem propter neceſſitatem, ſcilicet pro pellibus vel carnibus fiat venatio, etiam eſt licita clericis: *Vt habetur 86. diſtinct. Qui venatoribus, in prima gloſſa.* Et quid mirum, ſi cauſa neceſſitatis permittatur venatio, cum & furtum cauſa neceſſitatis permittatur, vt notatur *in Gloſſa. 2. cap. Diſcipulos. de conſecratione diſtinctione quinta de furtis, ca. Si quis.* quia neceſſitas non habet legem, vt dicitur *diſt. 5. Sicut.* Vnde & propter neceſſitatem Dauid comedit panes propoſitionis. 25. *q.* 1. §. *His ita* Quin & pro neceſſitate famis poteſt pater diſtrahere filium, vt dicitur *C. de patribus, qui filios diſtrahunt. l.* 2. Et eſt ratio, quia in neceſſitate omnia debent eſſe communia. 47. *diſtinct. Sicut hi* maximè cibaria. *ff. ad le. Rodi. de iactu. l. 2. C Cum in eodem natu.*

Geneſ.

Sed dices. Nonne Eſau erat venator? Nõne Nemroth & ſanctus Euſtachius venatores erant? Reſpondeo per ſingula, quod Eſau venator fuerit & benedictionem amiſerit quia peccator erat, vt dicit Hieron. *in pſalmo 85. habetur. 86. diſtinct. Eſau.* Item Nemroth venator erat, quia hominum raptor & deprædator erat; propter quem cõfuſio linguarum circa turrim Babylonis facta erat. *Gen. 10.* Præterea Euſtachius venator erat; ſed non ideo ſanctus, quia venator. Vnde in quantũ venator, non potuit ſanctificari niſi alia bona opera adfuiſſent, & à venatione ceſſaſſet *vt dicit Gloſſ. 3. 86. diſt. Eſau. Et. 35 diſt. Quorundam.* Hinc dicit Hieronymus, quod penitus in ſcripturis ſanctis non inueniamus aliquem venatorem; piſcatores autem inuenimus ſanctos, vt dicitur in dicto *c. Eſau.* Ex his concludit Policratus libro. 1. cap. 3. quod inſpiciendo Patriarchas in lege naturę, deinde deſcendendo ad duces, iudices, reges, prophetas, ſub lege veteris teſtamenti nullus legatur fuiſſe venator, niſi tantum Iſmaelitæ & gentes, quæ Deum non nouerunt. Quod ſi forte Cæſares aliqui legantur venatores, dicit ipſe id benè potuiſſe fieri: nunquam autem leguntur venatores fuiſſe philoſophi, aut ſapientes; vt Socrates, Plato, Ariſtoteles, Seneca, Archita Tarentinus, & ſic de alijs. *Philoſophi nulli Venatores.* Multò minus in nouo teſtamento tales leguntur; ex quibus ipſe dicit, quod venatica, etſi omninò reprobari non poteſt, tamen indifferens videatur, ex eo, quia vilius animum ex immoderato voluptatis curſu concutit, & fundamentum rationis ſubuertit: non tamen ob hoc erit omninò culpabilis, cum & vinum, quod inebriat, ſubuertat rationem. Poteſt ergo venatica, vtilis eſſe & honeſta ex loco, id eſt, vt ſit in proprio vel in communi; tempore, modo, id eſt, vt non nimium; perſona, & cauſa, ſcilicet recreationis. Hæc ille.

DOMINICA REMINISCERE.

SERMO I.

Sciat vnuſquiſque vas ſuum poſsidere in ſanctificatione & honore. 1. Theſſal. 4.

QVamuis puritas mētis noſtræ in omnibus operibus meritorijs neceſſariò ſit præponenda, ideò, quia *nemo prudens mittit vinum nouum in vtres veteres*: (*Matt. 9.*) tamen circa opus ieiunij & abſtinentiæ eadē ſūmè videtur neceſſaria: alioquin nihil prodeſt homini ieiunare, & orare, & alia religionis bona agere, niſi mens ab iniquitate reuocetur. *de conſe. diſt. 5. Nihil.* Hinc dicit Auguſt. ſuper Ioan. *Ieiunium magnum & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus ſæculi: quod eſt perfectum ieiunium.* (*Abſtinēdum à vitijs ieiunantibus.*) Tunc ergo ſecundum ipſum benè ieiunamus, cum benè viuimus, cum ab iniquitatibus abſtinemus. Eapropter hoc ſacro tempore quadrageſimæ valdè neceſſe eſt, vt quilibet noſtrum abſtinendo à cibis, etiam ſtudeat abſtinere a vitijs. Ille enim benè abſtinet à cibis, qui & à malitiæ actibus, & à mundi ieiunat ambitionibus, inquit Iſid. Hinc ſecūdu ipsū quia cibis abſtinent, & praue agunt, dæmones imitantur, quibus eſca non eſt, & iniquitas ſemper adeſt. (*Iſid. l. 2. de ſūmo bono c. 44.*) Ex his patet quod homo tēpore abſtinentię quadrageſimalis maximè debeat abſtinere a vitijs & propria volūtate. Huius ratio eſt, quia hic eſt primus effectus ieiunij quadrageſimalis, vt dicit Bern. ſuper cantica ſer. 38. ſed quia nihil prodeſt abſtinere à malo, niſi etiam fiat bonum, iuxta illud. *Declino à malo, & fac bonum.* (*Iſa. 1.*) Et: *Quieſcite peruersè agere, & diſcite benè facere*; ideò ad perfectè agendum neceſſe eſt, vt homo effugiens vitijs inſtet virtutibus, quibus anima ſanctificatur, decoratur, & ornatur. Ideò Apoſtolus hortatur in verbis thematis ad huiuſmodi ſāctificationē hoc tempore acquirendam, dicens. *Sciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.* In quibus verbis admonetur quilibet ad puritatem cordis, & conſcientiæ ſuæ acquirendam. Cum enim conſcientia noſtra ſit receptaculum gratiæ diuinæ, eo quod eſt templum Spiritus ſancti; iuxta illud *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* (*1. Cor. 6.*) ideo conſcientia huiuſmodi debet hoc tēpore aptari & præparari, vt fiat dignum habitaculū Dño Deo, & receptaculū Spiritui ſācto. Pro huius latiori deductione tria sūt conſideranda. (*Propoſit.*) Primo attendendū, quomodo vas cordis noſtri, id eſt, conſcientiæ ſit vas integrum & benè fundatum. Secundo quomodo debeat eſſe ornatum, & decoratum. Tertio quomodo, & in quod officiū tale vas ſit deputatum: quæ tria cum adfuerint, quilibet homo poſſidebit vas ſuū in ſanctificatione, & honore.

I.

Vt quis poſſideat vas conſcientiæ ſuæ in ſanctificatione, attendere debet, quomodo ſit vas integrum, & bene fundatū. Eſt autē conſcientia ſecundum Damaſc. lex intellectus noſtri, vel ſecundum Magiſtrum in compendio lib. 2. c. 52. cognitio ſui ipſius, & cōſtituitur ſeu integratur ex tribus, ſcilicet ex accuſatione præteritorum peccatorum, & remurmuratione præſentium, & cautela futurorū. (*Conſcientia quid. & ex quibus conſtituatur.*) Quando ergo quis accuſat ſe de præteritis, remurmurat ſeu recordatur præſentia, & cauet futura peccata, habet integrā cōſcientiā. Fūdatur autē cōſciētia ſuper ſolidā doctrinā, ſicut dicit Saluator. *Omnis, qui audit verba mea hæc; & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domū ſua ſupra petrā: petra aūt erat Chriſtus.* (*Matth. 7.*) (*1. Cor. 10.*) Summè autē cauendū eſt, nè hoc vas ſit erroneè fabricatum, id eſt, nè ſit nimis largum, vel nimis ſtrictum; quia omne, quod eſt contra conſcientiā, ædificat ad gehennā. Vnde ſecundū Rab.

Hilc.

Holcoth ſuper lib. Sap. c. 8. dictamen conſcientiæ plus obigat, quam præceptum prælati, ſicut habetur. *de ſen. exc. Inquiſitioni.* & omnis conſcientia ſiue recta, ſiue erronea, ſiue in malis per ſe, ſiue indifferentibus, obligatoria eſt: quia in omnibus talibus viuens contra conſcientiam, facit contra illud, quod credit contra legem prohibitum. Hinc dicit *Gloſſ. 3. in dicto Can.* ſupra allegato. *Ex his;* quod omne, quod ſit contra conſcientiam præcepti vel prohibitionis, ædificet ad gehennam. Ex quo patet ſecundum Gloſſ. ibidem, quod ſi plus comedam, quam debeam, quamuis ſit cõtra conſcientiam, non tamen pecco mortaliter. 25. *diſt.* §. *Criminis.* Vbi dic. Aug. quod quoties quis accipit de cibo, aut de potu pluſquam neceſſe eſt, peccet venialiter. Quod Gloſſ. intelligit, quando non accipit ex contemptu, ſed ex caſu, & non ad ingurgitationem: aliàs eſſet peccatum mortale. *vt dicitur. 3. diſt. Denique.* Si ergo debeat rectè fundari humana conſcientia, prouidendũ eſt, nè ſit aut nimis larga; quia talis generat præſumptionem, & ſæpè dicit malum bonum, ſaluat etiam damnandum: vel nè ſit nimis ſtricta, quia talis generat deſperationem, & ſæpè dicit bonum malum, & ita damnat ſaluandum. Sit ergo conſcientia talis, vt non faciat aliquid contra præceptum diuinum, nec facere intendat, & ſit in tali propoſito, vt licet faciat aliquid, de quo dubitat, an ſit faciendum, vel non, libenter illud faceret, & non omitteret, quod ſciret eſſe beneplacitum Deo.

D. Aug. in l. de purgatorio.

I I.

Confeſſio purgatio cõſcientiæ.

Attendendum qualiter vas conſcientiæ debeat eſſe ornatum, & decoratum. Sed quia nihil poteſt ornari, niſi prius purgetur ideo primo videamus, qualiter hoc vas ſit purgandum. Purgamentum itaque huius vaſis eſt frequens cõfeſſio, quæ eſt quaſi ſcopa huius vaſis, ad quam toties eſt confugiendum, quoties nos aliqua praua cõmiſiſſe cognoſcimus. Nihil autem ſic hominem ad purgandum conſcientiam excitat frequentius, atque cognitio propriorũ defectuum: ſicut enim quo quiſpiam clarius, diligentius, & ſæpius inſpicit vaſis alicuius partes, tantò melius purgat eas: ita qui diligentius ſcrutatur defectus proprios, eos melius confitetur. Hinc patet ſecundum Greg. 35 moral. quod quantò quis minus ſe videt, tantò minus ſibi diſplicet; & quantò maioris gratiæ lumen recipit, tanmagis reprehenſibilem ſe eſſe cognoſcit. Quæ autem conſideranda ſint homini circa purgationem conſcientiæ, dicit Hugo. 3. de anima. c. 2: quod illa, vt videlicet conſideres vnde venias, quo tendas, quomodo viuas, quid agas, quid omittas, quantum quotidie proficias, vel quantum deficias, quibus affectibus frequentius tangaris vel quibus tentationibus a maligno ſpiritu acrius impugneris: nec ſolum attendas, qualis ſis, ſed etiam qualis eſſe debeas. Hęc ille. Sed quis eſt noſtrum qui talia diligenter conſideret? qui conſcientiam ſuam cũ tali conſideratione diſcutiat? qui eam diſcuſſionem cum debitis circumſtantijs faciat? In confeſſione ſiquidem peccatorum conſiderare oportet, qualitatem criminis in loco, tempore, perſeuerantia, varietate perſonæ & quali hoc fecerit intentione, & ipſius vitij multiplici executione; de quo latius habetur de pœn. diſt. 5. Conſideret. Alias autem confeſſio ficta, potius eſt ſimulatio ficta & hypocritica, quam confeſſio. Hinc Hugo lib. 2. de anima. c. 16. vocat eam vulpinam confeſſionem, quæ eſt ficta, breuis, rara & tepida. Refert Ouidius & Iſid. quod Dædalus fecerit quandam domum cum varijs vijs, ita perplexis vt nullus eam exire potuerit ſine glomere: & illa domus vocabatur labyrinthus, quia maximum laborem intus habuit; in qua incluſit Minotaurum monſtrum, quod ex vna medietate fuit homo, & ex alia bos, ea intentione, vt in perpetuum ibi paſceretur & nunquã exiret. Eodem modo facit diabolus quibuſdam conſcientiam perplexam diuerſis modis, nunc timore, nunc pudore, nunc negligentia, nunc dilatione; & ſic intus occultat monſtrum, id eſt, monſtruoſum peccatum, vt nullus confeſſor poſſit intelligere, niſi cum maximo glomere & labore. Hi ſanè ſunt fatui, qui per talem confeſſionem volunt abſcondere peccatum, quod tamen Deo eſt notum; contra quos dicit Auguſt. Quocunque fugerit, non fugit ſeipſam mala

Cognitio propria quam ſit neceſſaria.

Circũſtãtiæ in confeſſ. explicãda.

Ouid. l. 8. Metha. Iſid. l. 15. Ethym.

Aug. ho. 41 ſup. Ioan.

mala conſcientia; non eſt quo eat, ſequitur ſe, immo non recedit a ſe: peccatum enim q̀ fecit, intus eſt. Eapropter idem dat conſilium dicens ibidem. *Si vis à Deo fugere, ad ipſum fuge confitendo, non latendo: confiteri potes, latere non potes.* Et Iſidor. dicit. Homo poterit omnia fugere præter cor ſuum. Nõ enim poteſt recedere quiſquam a ſeipſo: quocunque enim abierit, reatus ſui conſcientia eum non relinquit. Quamuis enim humana iudicia ſubterfugiat omnis, qui male agit; iudicium tamen ſcientiæ ſuæ effugere non poteſt, qua plenè notat malum, quod geſſit.

Iſid. l. 2. de ſum. bon. cap. 26.

Dubium. Occurrit hic dubium, quare videlicet homines hodiè non diſcutiunt benè propriam conſcientiam, nec proprios conſiderent defectus. Reſpondeo id ideo euenire, quia plus aliena facta ponderant, quam propria, iuxta illud. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui; trabem autem in oculo tuo non conſideras?* Hinc Proſper libr. 2. de vita contemplatiua dicit. Tam diu quis peccata ſua noſſe, & flere ſeſe debere ignorat, q̃ diu cõſiderat aliena. Quod ſi mores ſuos ad ſeipſum conuerſus aſpiciat, non requiret, quod in alijs reprehendat, ſed quod in ſeipſo lugeat. Ideò Marci. 13. dic. *Videte voſmetipſos.* Vnde Baſilius dicit, quod omniũ creaturarum difficillimum ſit cognoſcere ſeipſum: & ponit exemplum de oculo corporali, qui alia conſpicit, ſe autem non videt. Sic dicit & de conſcientia, quæ vtique acute delicta aliena contemplans tardior eſt erga ſuorum cognitionem vitiorum.

Matth. 7.

Baſil. l. 3. Exam.

Aliud dubium Sed inſtabis, quærens, vndè proueniat negligentia propria diſcuſſionis, & conſideratio peccati alieni. Reſpondeo ſecundũ Gregor. prouenire ex ſuperbia & elatione, quæ cordis oculum per elationis tenebras extinguit: ex qua, vt dicit Chryſoſtom. ſuper Matth. prouenit quod alter alterius culpam cito intelligit, ſuam difficulter, & tardè: quia homo in cauſa alterius trãquillum habet animum, in ſua autem turbatũ: perturbatio autem cordis non permittit hominem conſiderare, quod bonũ eſt. vndè rectè Auguſtin. inquit, quod remotis obſtaculis in ſanæ opinionis ſcelera nuda iudicentur, nuda perpenſentur, nuda inſpiciantur; fallacia tegmina & laudes vanæ gloriæ auferantur, & apparebunt miſeriæ peccatorum.

Greg. lib. 31. moral.

Aug. l. 3. de ciu. Dei

Ex his infero, quod nihil ita faciat ad veram cognitionem ſui, atq; humiliter de ſe ſentire. Humilitas enim eſt virtus, qua veriſſima ſui cognitione homo ſibimetipſi vileſcit, vt inquit Bernard. Et, Chryſoſt. ait. Qui humilis corde eſt alijs ſe indigniorem arbitratur. Ex quo patet, quod homo per humilitatem facilè veniat ad ſui conſiderationem, & è conuerſo. Refert Macrobius li. 1. quod Appollo conſultus a quodam, quæ eſſet via certior perueniendi ad beatitudinem; reſponderit; ſi teipſum agnoueris. Vnde apud gentiles communes erat opinio; hoc dictum (γνῶθι σεαυτόν, id eſt, agnoſce teipſum) de cœlis deſcẽdiſſe, vt ait Policratus libro. 3. cap. 2. Hinc & Bernardus Hæc eſt ergo prima ſcientia hominis, ſcire teipſum, quæ ſecundum ipſum non inflat, ſed humiliat. Vnde Auguſt. l. 4. de ciuit. Dei. præfert hanc ipſam omnibus ſcientijs. Et Iſaac in lib. de deſinitionibus dicit eam eſſe ſummam philoſophiam, ſcilicet cognoſcere ſeipſum.

Quomodo homo veniat ad cognitionem ſui.

Bern. de 12. grad. humil.

Bern. ſer. 36. ſup. Cant.

Quandoquidem, poſtquam hoc modo vas conſcientiæ per ſufficientem diſcuſſionem confeſſionis fuerit mundatum & purgatum; neceſſe habet ornari & decorari: nunc dicendum, quomodo ſit ornandũ. Vbi nota ornatum hunc conſiſtere in duobus, ſicut dicit noſtrum thema, *ſc in ſanctificatione, & honore. In ſanctificatione* virtutum. Pſalm. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo; Et honore,* ſc. nè de honeretur aliqua turpitudine vitiorum: ſicut faciunt illi de quibus dicit Pſal. *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit.* Debet ergo ornari vas iſtud puritate conſcientiæ interius; exterius vero conuerſationis honeſtate. Refert D. Aug. quod rex quidam Cypri, deformis ſpecie thalamũ ſuum fecerit depingi pulchris imaginibus, vt earum aſpectu vxor eius pareret prolem pulchram. Sic & homo in memoria ſua debet collocare pulchras imagines, id eſt, honeſtatem conuerſationis, & puritatem conſcientiæ ſanctorum Patrum, vt ipſas inſpiciendo ſimiliter faciat: quod cum fecerimus, conſcientia noſtra erit vas, *& admirabile opus excelſi.* Vere admi-

Aug l. 5. con. Iuliã. & l. 2. retract. c. 62

Eccl. 43.

1.Cor.4. admirabile; quod in tam fragili corpore, tam ſpecioſa conſcientia. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.*

III.

Admonetur homo ad conſiderandū vas ſuæ conſcientiæ, quomodo & in quod officium ſit deputatum. Vbi ſciendum quod conſcientia hominis habet multiplicem actum: eſt n. accuſatrix paruæ tranſgreſſionis, & releuatrix noſtræ depreſſionis conſeruatrix bonæ poſſeſſionis, & vindicatrix ſanctæ profeſſionis ſeu promiſſionis. *Conſcientia actus multiplex*

1. Primo conſcientia eſt accuſatrix ſuæ tranſgreſſionis, iuxta illud. *Teſtimonium reddēte illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium* Hunc accuſatorem maximè debemus timere, iuxta Senecam dicentem. *Nullum conſcium peccatorū tuorum magis timueris, quam teipſum: alienum enim potes effugere te nunquam.* Sicut autem charitatiuus accuſator primo accuſat ad partem, & poſtea, ſi non emendauerit, publicè proclamat delinquentē: ſic conſcientia noſtra primo ſecretè hic in præſenti vita nos arguit, &, ſi non emendabimus vitam noſtram, in generali iudicio proclamabit. Ideo veriſſimum illud dictum Apoſtoli. *Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Secūdo conſcientia eſt releuatrix ſuæ depreſſionis: in omni enim depreſſione vel tribulatione terrena, ſingularis conſolatio eſt bona conſcientia. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ* Hinc Ambr. dicit. Benè ſibi conſcius, falſis non debet moueri conuitijs, nec æſtimare plus ponderis in alieno conuitio, quam in ſuæ conſcientiæ teſtimonio. Et Gregor. dicit: Quid prodeſt, ſi omnes te laudent, & conſcientia accuſet? aut quid obeſt, ſi omnes derogent, & ſola conſcientia defendat? Hinc & idem Auguſtin. ſcribens cuidam M ni hæo, dicit. *Sentide Auguſtino, quicquid libet, dummodo me ſola conſcientia in oculis Dei non accuſet.* Et: *Quem conſcientia defendit, liber eſt inter accuſationes: è conuerſo verò liber ſine accuſatione eſſe non poteſt quem ſola, quæ interius*, addicit, id eſt *iudicat, conſcientia accuſat.* Vnde & idem ſuper pſalm. 36. ſuadens cuſtodire conſcientiæ innocentiam dicit. Cuſtodi intus innocentiam tuam, vbi nemo opprimit cauſam tuam; præualebit in te falſum teſtimonium, ſed apud homines. Nunquid apud Deum præualebit, vbi cauſa tua dicenda eſt: quando Deus erit iudex, alius teſtis, quam conſcientia tua, non erit: inter iuſtum iudicem, & conſcientiam tuam, noli timere, niſi cauſam tuam. Tertio conſcientia eſt conſeruatrix bonæ poſſeſſionis. Hinc Bernard. *Sanum vas conſcientia, & ſeruandis ſecretis idoneum, nullis patens inſidijs, nullis violentijs cedens: vtpote nec manu, nec oculis acceſſibilis. Quicquid in eam poſuero, ſecurus ſum ſeruabit; immo & defuncto reſtituet: quocunq; vadam, ipſa erit mecum, ferens depoſitum, quod ſeruandum accepit: vbi gloria vel confuſio inevitabilis pro qualitate depoſiti.* Hæc Bern. 3.

Rom. 2. — Sen in l de moribus. — 1. Cor 11. 2. — 2. Cor. 1. — Ambr in l. de officijs. — Greg. ho. 9. ſup. Ezech.

Quarto conſcientia eſt vindicatrix ſanctæ promiſſionis, ſeu profeſſionis. Omnes ſiquidem Chriſtiani ſunt profeſſi ſeruare Deo fidem, & eius præcepta implere: ideo quoties hanc promiſſionem infringunt, conſcientia non ſolum accuſat, ſed etiam vindicat mordendo & pungendo, iuxta illud. *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientia*, id eſt, eſt qui promittit, & nō implet. Et verè magna eſt pœna remorſus conſcientiæ in peccatore, quæ ſemper timet pœnam pro peccatis ſibi debitam, nec ſolum timet debitam pœnam, ſed etiam multò maiorem, quam actualiter ei infertur, iuxta illud. *Frequenter praeoccupant peſſima redarguente conſcientia.* Vbi dicit Holcoth quod iniqui ſæpè præoccupent, id eſt, præconcipiant peſſima, id eſt, maximè pœnalia eis inferenda, redarguente eos conſcientia, quæ iudicat pœnam eis maiorem deberi, quam actualiter infertur. Hierem. 2. *Arguet te malitia tua.* Hinc D. Aug. confeſſionum. 1. *Iuſſiſti Domine, vt ſit ſibi pœna inordinatus animus.* Et iterum. Nullæ pœnæ grauiores ſunt, quam malæ conſcientiæ, in qua cum non habetur Deus, conſolatio non imponitur. Eſt autem mirabile inter cætera quod quantumcunque peccator ab alijs innocens & iuſtus iudicetur, nihilominus eum conſcientia ſua 4.

Prou. 12. — Sap. 17. — Aug. l. 9. de vera innoc. c. 19.

ſua mordeat & torqueat, & dignum ſupplicio iudicet; vt optimè dicat Iuuenalis libro.5. Simile eſſe de conſcientia, ſicut fuit antiquitus de iudice, qui cum iudicare aliquem debuit dignum morte, miſit in vrnam lapillos nigros, & eos effudit coram populo, & ſic reum oſtendit eſſe condemnandum: Quando autem debuit hominem innocentem liberare, effudit albos lapillos, in teſtimonium innocentiæ. Ex hoc infert Iuuenalis, quod quamuis aliquis ſuæ malitiæ euadat iudicium iudicis, tamen à ſeipſo condemnetur, & dignus ſupplicio iudicetur. Hinc & Seneca in li. de moribus ait; *Mala conſcientia ſæpè tuta eſt, ſecura nunquam.*

4 *Diuerſæ conſcientiæ affectiones.*

Et autem ſciendum quod quidam habeant conſcientiam ad modum vaſis diuerſimodè ſe habentis: quoddam enim eſt vas dilatatum, quoddam fragile & non firmum: quoddam perturbatum ſeu læſum, quoddam cauteriatum, id eſt, ſignatum. Eodem modo quidam habent conſcientiam dilatatam, quidam infirmatam, quidam perturbatã, quidam cauteriatam. 1. Dilatatam habent illi, qui non ponderant, niſi grauia peccata: & iſtorum conſcientia eſt ſicut rete habens lata foramina, quo nõ comprehenduntur niſi magni piſces, & parui euadunt, ſic enim & tales non ponderant ocioſa verba, vel iuramenta, vel mẽdacia, niſi fiant coram iudice, vel niſi grauiter offendant proximum, & ſic de alijs. Hoc modo hodie multi dicunt. Non eſt peccatum ſpoliare bona Eccleſiaſtica mihi in bello. Sed his reſpondendum ſecundum Policratum, quod ſicut ille, qui tenetur pupillum defendere, ſi eum ſolus inuadat, grauiter peccat: ſic & miles, qui Eccleſiam defendere debuit, ſi eam ſolus impugnet, in Deum grauiſſimè peccet, iuxta illud. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*; quia Deus honorem vel contemptum ſacerdotum, ſuum reputat. Hinc ſtatuit Conſtantinus imperator, vt quicunq; res vel perſonas Eccleſiæ inuaderent, capite punirentur. Refert Ioannes Galienſis in ſuo communiloquio, quod Iulius Cæſar prohibuerit ſpoliare tẽpla hoſtilia ſub priuatione dextræ manus. Et Policratus libr. 6. cap. 17. narrat, quod exercitus Brennij ducis manſerit inuictus, quamdiu non ſpoliauit templum Apollinis. Qui poſtquã inuaſit, ſubito cum exercitu ſuo fuit peremptus. Similiter etiam dicitur de Alexandro, quod ſacerdotibus iudaicis, contra quos pugnabat, pepercerit. Multò igitur magis deberent milites Chriſtiani ſacerdotium honorare. Alij ſunt qui habent 2. conſcientiam ſatis infirmam per oppoſitum; qui non tantum magna peccata, ſed etiam parua grauiter ponderant, non tamen ſicut debent, ſed plus iuſto quin & ſæpè, quæ non ſunt peccata, iudicat eſſe peccata. Et hæc conſcientia frequenter a tentatione diaboli prouenit, qui ſic inducit homines ad perplexitatem peccandi. Eiuſmodi tentatione ceſſante habuiſſe frequenter conſcientias largas experientia compertum eſt. Tertio ſunt alij qui ha- 3. bent conſcientiam perturbatam, vt ſunt illi, qui propter commiſſa facilè deſperãt: contra quos Bernardus dicit, quod contra talem conſcientiam nihil ſit efficacius, quam vulnerum Chriſti ſedula meditatio. Quarto ſunt alij, qui habent conſcientiam cauteriatam, vt ſunt illi, qui ponderant parua; ſed de magnis nihil curant: ſicut Phariſæi colantes culicem, camelum autem glutientes: & hi ſunt hypocritæ, vt dicit Apoſtolus. 1. Timoth. 4. *In nouiſſimis*, inquit, *diebus, venient quidam hypocritæ, cauteriatam habentes conſcientiam.* Cauteriatam, id eſt corruptam, tam errore doctrinæ, quam culpæ, quam etiam igne cõcupiſcentiæ. Iſti ſunt ſignati cauterio diaboli, vt dicitur in Apocal. Nos igitur huiuſmodi conſcientias fugientes, ſtudeamus habere conſcientiam illam, de qua Hugo dicit. *Tranquilla conſcientia eſt, quæ omnibus eſt dulcis, nulli grauis, vtens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad beneuolentiam: quibus poteſt ad beneficentiam; cui nec Deus ſua peccata imputat quia ea non facit nec aliena quia non approbauit, nec negligentiam, quia non tacuit, nec ſuperbiam quia in humilitate permanſit.* Hæc ille. In tantum autem eſt ſeruãda iſta conſcientia, vt etiãſi ſimul cũ fama

Sacrilegiũ grauiſſimum peccatum, & quare.

Bern. ſer. 63. ſup. Cant.

4.

Matt. 23.

Apoc. 13.

Hugo. l. 2. de Anima cap. 9. **Conſcientia qualis habenda.**

ma ſeruari non poſſit, potius ſit perdenda ſama, quam conſcientia, dicente Seneca epiſtola. 83. Nemo poteſt æſtimare virtutẽ, niſi qui hominum famam perdidit, nè cõſcientiam perderet. Talem ergo conſcientiam habentes tanquam vas ſanctificatum & ornatum, aptum faciemus ad recipiendam gratiam, & tandem ad conſequẽdam gloriam

Error cõſcientiæ cauſatur octo modis.

Circa prædicta ſciendum, quod ſecundum D. Thomam error conſcientiæ octo modis cauſetur. Primo ex ignorantia, quãdo ſcilicet neſcit quis, quid eligendum ſit, vel declinandũ; de quo dicitur. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Secundo ex negligentia: vt cum quis negligit conſcientiam excutere, vel ſi neſciat ſe expedire, & negligat etiam ab alijs ſeſe extricandi, & expediendi modum inquirere. Tertio ex ſuperbia: vt cum quis non humiliat intellectum ſuum, vt ſcilicet melioribus, & ſapientioribus ſe velit credere. Cõtra eiuſmodi ait Apoſtol. *Captiuátes omnem intellectum in obſequium fidei.* hoc eſt dicere, quod quilibet in credendis plus debeat conſentire fidei, quam ſibi Quarto ex ſingularitate: quia homo ſenſum ſequens proprium, non conformat ſe alijs, nec ſequitur vias communes bonorum. Vnde in Num. dicitur. *Extrema caſtrorum conſumpſit ignis.* Quinto ex affectu inordinato, qui ſæpè conſcientiam inclinat ad illud, quod homo licet malè appetit, & ſic facit eam à ſua rectitudine deuiare. Seneca. *Perit omne iudicium, cum res tranſierit in affectum.* Sexto ex puſillanimitate, qua quis timet non timenda ſecundum iudicium rationis. Iſa. *Dicite puſillanimes, confortamini, & nolite timere.* Septimo ex perplexitate, qua homo ſe credit inter duo peccata poſitum, quorum alterum impoſſibile ſit declinare. Sed ſciendum, quod perplexitas hæc nihil ſit: poteſt tamen aliquis eſſe perplexus ſecundum quid, ſcilicet ſecundum erroneam conſcientiam, quâ depoſitâ erit liberatus. Octauo ex humilitate, & cordis puritate. Vnde Gregor. *Bonarum mentium eſt ibi culpam cognoſcere, vbi minimè reperitur* Primis ſeptem modis error eſt reprehenſibilis, octauo commendabilis, nec error dici debet, ſed humilis ſuorum defectuum recognitio, dummodò non ſit nimia.

DE EADEM DOMINICA.

SERMO II.

Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea à dæmonio malè vexatur. Matth. 15.

SAnctus Auguſtin. definiens quid ſit miſeria humana in libro de definitionibus ſic ait. Miſeria eſt copia tribulationis, & inopia cõſolationis; quãdo multifariè quis patitur, & à nemine releuatur. Ex quibus verbis patet, quod miſer dicatur, qui & multa mala patitur, & à nemine conſolatur. Ta-

Miſer quis.

lis fuit hæc mulier Cananæa, quæ patiebatur dæmonem in domo ſua, immo in filia ſua: quem effugare non poterat aliquam huiuſmundi potentia, vel prudentia, eo quod non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. *Iob. 41.* Audiens ergò Dei filium huic mundo apparuiſſe, credenſque eum habere poteſtatem ſuper omnia dæmonia, immò ſuper omnem creaturam, meritò cucurrit ad eum exponenſque miſeriam ſuam coram illo,

Propoſit. illo ait. *Miſerere mei Domine, fili Dauid.* In his verbis tria deſcribuntur; Primò huius mulieris inſtans petitio cum dicitur; *Miſerere mei.* Secundò Saluatoris ad miſerendum inclinatio cum additur; *Domine fili Dauid.* Tertiò ſubditur cauſæ curationis allegatio, cum dicitur; *Filia mea malè à dæmonio vexatur.*

I.

Mulier Chananæa peccatorem quẽuis denotat.

Miſerere mei Domine. Hæc mulier ſignificat quemlibet hominem peccatorem, qui habet filiam dęmoniacam, id eſt, conſcientiam peccato occupatam & obſeſſam; quod ſi vult euadere, neceſſe eſt eum ad Deum clamare in oratione, idque maximè hoc tempore. Tempus enim quadrageſimale, eſt tempus præcipuum orationis deuotæ: vnde eo tempore quilibet peccator debet dicere ad Chriſtum pro liberatione animæ ſuæ à peccato. *Miſerere mei.* Circa hoc tria breuiter ſunt conſideranda, primò pro quo ſit orandum peccatori: ſecundò quomodo; tertiò quis ſit effectus orationis. De primo patet, quod homo debeat orare pro multis miſerijs euadendis, & multis bonis cœleſtibus conſequendis.

Miſeriæ hominis quintuplices, pro quib. auertendis orandum.

Sunt autem miſeriæ hominis in hac vita, quintuplices ſcilicet naturæ, culpæ, pœnæ ſeruitutis, & ignorantiæ. Hinc Iob 14. dicitur. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.* Quælibet autem harum miſeriarum in multis conſiſtit: & quidem prima miſeria naturæ eſt in eo 1. quod homo ſit de nihilo. *Ecce vos eſtis de nihilo:* Secũdò quia in nihilum fluit. *Alia generantur, & alia deijciuntur: ſic generatio carnis & ſanguinis.* Tertiò quia continuè alteratur iuxta illud. *Nunquam in eodem ſtatu permanet.* Quartò quia corrumpitur, Pſalm. *In miſeriis non ſubſiſtent.* Ecce miſeria naturæ, pro qua amouenda debet homo quantumcunque ſanctus Deum orare. Secunda miſeria eſt culpæ, ſeu peccati: & primo in eo, quia peccatum anihilat hominem. *Nihili factus es.* Secundo, quia eum ſpoliat. *Incidit in latrones, qui eum ſpoliauerunt.* Tertiò, quia cremat poſt mortem. *Conteretur cum delinquente delictum.*

Iſaiæ 41. *Eccl. 14.* *Iob 14.* *Ezech. 28* *Lucæ 10.* *Eccleſ. 27.*

Quartò quia corrodit conſcientiam, ſicut vermis. *Arguet te malitia tua.* Quintò quia vulnerat. *Quaſi rũphæa bis acuta omnis iniquitas: plaga illius non eſt ſanitas.* Sextò quia obſtat miſericordiæ Dei. *Peccata noſtra prohibuerunt bonum à nobis.* Ecce miſerię culpæ, pro quibus amouendis peccator ſufficientem habet cauſam Deum orandi hoc tempore. Tertia miſeria eſt pœnæ: & primò ſolicitudinis in hoc mundo. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus.* Secundò pœna laboris. *Homo ad laborem naſcitur.* Tertiò morborum. *Mors, ſanguis, contentio.* Quartò damnorum, ſcilicet rerum vel amicorum. Eccleſ. 40. *Omnia, quæ de terra ſunt, in terram conuertuntur.* Quintò mortis. 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur in terram.* Ecce miſeriæ pœnæ huius mundi, quas nullus quantumcunque ſanctus poteſt effugere. Quarta miſeria eſt ſeruitutis; quæ eſt multiplex. Prima eſt ſeruitus carnis noſtræ, cui etiam inuiti obedimus. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, contrariam legi mentis meæ.* Secunda ſeruitus mundi. 1. Cor. 7. *Quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi.* Tertia eſt peccati venialis. Rom. 7. *Non quod volo, ago bonum, ſed quod odi, malum,* ſcilicet veniale. Vltima ſeruitus erit in futuro, ſcilicet infernalis, de qua dicitur. *Ibunt hi in ſupplicium æternum.* Quinta miſeria eſt ignorantiæ, quia homo hic ignorat tam ſuum principium, quam finem, quam etiam meritum. De initio ſcribitur. *Ego ſum homo ignorans egreſſum meum & introitum meum.* De fine legimus. *Neſcit homo finem ſuum.* De merito dicitur. *Neſcit homo, vtrum amore, vel odio dignus ſit.* Ecce ſi homo vult aduertere iſtas miſerias, in quibus eſt, cuiuſcunque ſtatus, dignitatis vel conditionis fuerit, certè inuenit ſatis vrgentem cauſam orandi ad Chriſtum hoc modo. *Miſerere mei Domine,* vide humilitatem meam & laborem meum, ſupradictum.

Ierem. 2. *Eccleſ. 21.* *Ierem. 5.* *Eccleſ. 40* *Iob 5.* *Eccleſ 40* *Matth. 25* *3. Reg. 3.* *Eccl. 9.* *Ibid.*

Ad debitã orationem tria requiruntur.

De ſecundo quomodo ſit orãdum, nota tria requiri ad debitum modũ orandi, ſcilicet qualiter homo debeat ſe pręparare ad orationem; quid in ea facere quid eam ſubſequi debeat. Præcedere debet orationem ab exterioribus negotijs cordis reuocatio.

1.Reg. 7. *Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret.* Notanter dicit *Inuenit*: quaſi enim cor ſuum habet perditum homo, quamdiu eſt terrenis occupatus. *Diuiſum eſt cor eorum: nunc interibunt* (Oſee 10.) Hinc eſt quod meritò hoc ſacro tempore deberent ceſſare negotia ſæculi, vt nundinę, & alia fora, propter meliorem recollectionem cordis, iuxta Dominum dicentem. *Tu autem cum oraueris, intra cubiculum tuum,* (Matth. 6.) ſcilicet recollige mentem ab exteriori occupatione, *Et clauſo oſtio* ſenſuum, *ora patrem tuum.* Secundum eſt ſuiipſius recognitio; vt videlicet homo proprios defectus diligenter conſideret: quò enim miſerias ſuas ſupra deſcriptas diligentius conſiderauerit, hoc ad Deum deuotius orabit. Vnde pſal. *Miſerere mei Deus.* & ſequitur. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Et Bern. dicit. Debemus noſmetipſos quaſi facie ad faciē, coram Deo cōſtituere, & in lumine eius proſpicere de nobis ipſis tribulationem nobis euenire. Moris mendicantibus eſt, vt dicit Jſido. ſana mēbra abſcondere, & ægra oſtendere, vt magnitudo miſeriæ excitet homines ad miſericordiā: ſic ea nos mala, quæ fecimus, coram Deo proponere debemus; bona autem ſi qua ſunt, quaſi pro nihilo reputare. Tertiū eſt diuinæ maieſtatis conſideratio. Pſa. *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* Multum enim nos attentos debet reddere hoc, quod cū Domino loquimur. Gen. 18. dixit Abraham. *Loquar ad Dominum, cum ſim cinis & puluis?* Ecce præparatio ad orationem.

2. Deuotio in oratione neceſſaria, & tria requirit.

Secundò, quantum ad modum orandi requiritur, vt cōſideremus quid in ea ſit faciēdum; Nam certè in oratione requiritur maxima deuotio, quæ quidē deuotio tria requirit, ſc. intentionis puritatem, deſiderij magnitudinem, & fidei certitudinē. De puritate habetur. 1. Pet. vlt. *Vigilate in orationibus.* Nè animus aliud cogitet pręter id ſolum, quod precatur. Peſſima ergo eſt oratio, quæ ad Deum ore clamat, & mente turpia cogitat. De tali dicitur. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* (Matt. 15.) De ſecundò ſc. de deſiderij magnitudine dicitur. *Cum quæſieritis me in toto corde veſtro, tunc inueniar à vobis.* (Ierem. 29.) Magnitudo enim deſiderij dicitur clamor orantis. Vnde & hæc Cananęa dicitur ſignanter clamaſſe poſt Chriſtum, quia ex magnitudine deſiderij orabat, iuxta illud. *Clamaui in toto corde meo: exaudi me Domine.* De tertiò, ſcilicet de fidei ac ſpei certitudine, dicitur. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: nam qui hæſitat ſimilis eſt fluctui maris,* (Iacob. 1.) & ſequitur. *Non ergo æſtimet homo ille, quod aliquid accipiat à Domino.* Tertiò quantum ad modum orandi requiritur, vt homo ſciat, quid debeat ſequi eius orationem: debet enim ſequi orationem gratiarum actio, ſicut dicit Apoſtolus: *In omnibus gratias agentes.* Et dico ſequi, non pręcedere: ſic enim & Eccleſia facit, quæ in fine Miſſæ & cuiuslibet horæ dicit. *Benedicamus Domino,* non autem in principio. Idcò Phariſæus malè ſuā miſſam inchoauit à gratiarum actionibus dicens: *Gratias ago tibi Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum; raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* (Luca 18.) Non ſic Chriſtianus orabit, ſed vt dicitur in Prouerb. *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui,* (Prou. 18.) in fine verò gratias aget pro bonis ſibi collatis à Deo, & pro malis amouendis ab ipſo; & ſic erit debita oratio.

Gratiarū actio orationem ſequi debet.

Orationis effectus.

De tertio & vltimo, quis ſit effectus orationis, ſciendum, quod dicit Gloſſa ſuper Pſal 87. oratio ſit quaſi nuncius, qui ad Deum intrat & illic mandatum peragit, quo caro peruenire nequit. Hugo autem dicit multos effectus orationis, quibus alias bonas actiones præcellit: inter quas iſte eſt præcipuus, quod per eam facilius impetrémus, quæ petimus à Deo, quam per alia bona opera, ita vt quandoque breui oratione aliquis obtineat, quod diuturniori tempore per alios labores & pia opera vix obtineret. Vnde in omni caſu, in omni periculo, pro omni deſiderato, ſemper inuenimus ſanctos principaliter ad orationis refugiū confugiſſe; quaſi promptius ibi, quod peterent, conſequerentur, iuxta illud; *Omnia quæcunque in oratione petitis, credite quia accipietis.* (Matt. 21.) Quid enim oratio non poteſt? Iram iudicis placat, ſicut patet in Exodo 23. *Orante Moyſe placatus eſt Dominus.* (Exod. 32.) Veniam impetrat. Matth. 18. *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* (Matt. 18.) Tentationis impetum

Hugo lib. 3. de prof. Nouit ca. penult.

petum ſedat. Numer. 11. *Orante Moyſe victus eſt Amalech.* In periculo liberat. Pſalm. *Ad Dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Breuiter tam temporalia, quam ſpiritualia dona impetrat. Meritò igitur debemus cum hac muliere clamare, dicentes. *Miſerere mei, &c.*

I I.

Domine fili Dauid. Verba iſta per mulierem bonam prolata ad Chriſtum valdè inclinant eum ad miſericordiam, eò quod exprimunt Chriſti vtramque naturam, diuinam & humanam: ſecundum enim naturam diuinam confitetur eum eſſe omnipotentem: ideò dicit: *Domine.* ſecundum verò naturam humanam dicit eum filium Dauid, omnibus compatientem, eò quod Dauid in miſericordia ſua conſecutus fuerit ſedem regni, vt dicitur 1. Mach. 2. Fuit enim miſericors non ſolum in amicos, ſed etiam in inimicos; ſicut patet de Saul, de Semei & Abſolon, pro quibus ipſe orauit, & ad eos ſe manſuetiſſimè habuit, pluraque beneficia eis pro eorum malitijs rependit. Quaſi ergo dicat. *Domine,* ſcilicet qui potens es, eò quod ſubeſt tibi poſſe, cum volueris. *Dominus enim vniuerſorum tu es. Fili Dauid,* qui ita miſericors es, vt Dauid, à quo deſcendis, vt dicitur Matth. 1. Vnde quia filius Dauid es, non decet te degenerare à moribus boni patris: licet ergo indigna ſim, & gentilis, & inimica nominis tui: tamen *memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius,* & noli retribuere mihi mala pro malis, ſed potius bona.

Chriſtus cur filius Dauid dicatur.

Chriſtus fuit filius reſpectu plurium diuerſimodè. Fuit filius Abrahæ, & Dauid per repromiſſionem ad eos factam; quia ex eorum ſemine naſci debuit: fuit filius Mariæ propter naturæ ſuæ ex ea ſuſceptionem: fuit filius Ioſeph per æſtimationem: fuit filius fabri per exprobrationem: fuit filius Dei propter naturæ diuinæ in eo & in patre identitatem. In Pſalmis. *Filius meus es tu.* Iſta autem omnia mouent Chriſtum ad miſericordiam ſuper peccatore; ideò benè dicit. *Fili Dauid.*

Chriſtus diuerſimodè fuit filius.

Sciendum quod Chriſtus ſit Dominus miſericordiæ tripliciter. Primò quia Patrem habet Deum, patrem miſericordiarum. 2. Cor. 1. *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Secundò quia in redemptione ſic ſanguinem ſuum effudit, vt deinceps, ſicut pater miſericordiarum, omnibus eam dare poſſet. In pſalmo. *Qui redimit de interitu vitam tuam.* Tertiò, quia ipſe efficit miſericordiam, vbi nulla ſuppetunt merita. Vnde ſicut fabricator vel artifex eſſet Dominus rei corporaliter factæ, ſi cauſaret materiam, ſicut cauſat formam: ſic Chriſtus eſt Dominus miſericordiæ & creator miſericordiæ, qui facit miſericordiam, meritis non exigentibus; & propter iſtas tres cauſas dicitur Chriſtus, *Deus diues in miſericordia.* Epheſ 2. Surgit autem in Chriſto magnitudo miſericordiæ & promptitudo ad miſerendum ex tribus, vt dicit Holcoth ſuper librum Sapientiæ cap. 9. Primò ex naturali proprietate; ſecundo ex naturali poteſtate; tertio ex experimentali neceſſitate. De primò patet: nam ſicut proprium eſt igni calefacere, ſoli lucere vel illuminare: ita eſt proprium Chriſto miſereri. Hinc canit Eccleſia. *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere.* Et ideò dicunt ſancti, quod Deus quaſi inuitus punit; & correctè & tarde. ſicut homo tardè facit illud, quod inuitus facit, ſecundum Chryſoſtom. Eſt enim Chriſtus tardus in puniendo, & velox in miſerando; ſicut ignis tardè deſcendit, & velociter aſcendit: ita Chriſtus velociſſimè miſeretur, & tardè & cum magna expectatione punit. Vnde in Pſalmo dicitur. *Longanimus & multum miſericors.* In ſignum huius, quod cum dolore puniat peccatores, dicit per prophetam. Iſaiæ 1. *Heu, ego conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Vbi ponit interiectionem dolentis, q. d. cum dolore & diſplicentia conſolabor. Sicut ergo nulla res poteſt perdere ſuam propriam operationem totaliter, quamdiu manet; licet valeat impediri vel retardari ad tempus: ita nullo modo obliuiſcetur miſereri Deus, nec

Tripliciter miſericordiæ Dominus.

Miſericordia Chriſti è tribus exurgit.

nec continebit in ira miſericordias ſuas: *imo cum iratus fuerit, miſericordiæ recordabitur.* De hac mixtura miſericordiæ, & iræ Gregor. ſuper Ezechielē. homilia prima pulchrè declarat, quomodo Deus, quādo iraſcitur, non omninò iraſcatur, ſed ineffabili modo dū culpas proſequitur, ipſos protegat peccatores, ad quod declarādum adducit duas hiſtorias: Vnam de captiuitate decem tribuum, quam Deus licet ordinaret ad correctionem populi, ſimul tamen eis prouidit de prophetis & ſanctis, qui eos in illa captiuitate conſolarentur. Niſi, inquit, iratus fuiſſet populum in captiuitatem minimè tradidiſſet: & niſi omnino iratus fuiſſet, electos ſuos cum illo in captiuitatē non miſiſſet. Aliam hiſtoriam adducit de populo Iſrael quomodo miſſis exploratoribus decem ex eis redeuntes populum murmurare fecerint contra Deum, in tantum vt dicerent ſe ſeductos. Dominus ergo iratus dixit futurum, vt nullus eorum terram promiſſionis intraret: quo audito, ſtatim ſe lachrymis cōpunxerunt & armis ſeſe inſtruxerunt contra populum ad obtinendum terram promiſſionis, quibus Dominus per Moyſen dixit. *Nolite aſcendere, neque pugnetis: non enim ſum vobiſcum, nè cadatis coram inimicis veſtris.* Vbi dicit Gregor. Penſandum eſt, ſi cum ipſis non erat, cur eos, nè aſcenderent, prohibebat? Si cum ipſis erat, quid eſt, quod ait. *Non ſum vobiſcum?* Sed certè cum ipſis erat, nè perirent: ſed cum ipſis non erat, vt vincerent. Et in hoc, dicit Gregorius, quod Deus gerat morem patris, qui filio delinquenti iraſcitur eundem reprehendit, increpat, verberat; ſed ſi hunc in præcipitia ire conſpexerit, nè mortis periculum incurrat, manu tenet & retinet.

Sed dices & quæres, quis Deum compellit punire, & non præſtare miſericordiam liberantem totaliter à pœna cum ſit potens? Reſp. Chryſ. Tu, inquit, peccator, qui miſericordiā non deſideras: ſicut enim deſideranti miſericordiam ſi denegat, crudelis eſt: ita ſi nō deſiderāti miſericordiam præſtaret, iniuſtus eſſet. Quod ſi quæris; quis eſt iſte homo, qui non vult miſericordiam? Reſpondet. Tu, qui permanes in peccatis: deſiderare namque miſericordiam Dei eſt conuerti ad Deum. Ille ergò deſiderat miſericordiam Dei qui timet iram eius: Qui enim iram Dei non timet, non deſiderat miſericordiam eius, ſed ſpernit & contemnit.

Secundò dominus eſt miſericors ex generali poteſtate. Quantò enim homo vel beſtia in potentia eſt maior, tanto eſt ad clemētiā promptior, ſicut patet de leone, iuxta illud poetæ. *Parcere proſtratis ſcit nobilis ira leonis.* Sic catulus, ſi mordeat leonem, leo ſe non vindicat de catulo: ſed ſi catulus catulum mordeat, mutuo ſe dilacerant. Similiter mulieres, quia naturaliter fragiles, crudeliſſimè ſe vindicant, quādo poſſunt, iuxta illud. *Non eſt ira ſuper iram mulieris.* Quia ergò Deus infinitus eſt in potentia, ideo omnium miſeretur. *Miſereris enim omnium quia omnia potes.* Tertiò Chriſtus eſt miſericors propter experimentalem neceſſitatem. Medicus poteſt ſcire grauitatem alicuius morbi tripliciter, ſcilicet per ſpeculationem, vt in libro; per examinationem, vt in ſigno; per experientiam, vt in corpore ſuo. Qui ergo primo modo ſcit morbum, multum compatitur infirmo; ſed qui ſecundò modo, magis; ſed qui tertiò modo, maximè compatitur. Sic & Chriſtus licet cognouerit grauitatem infirmitatis noſtræ in libro ſapientiæ æternæ, & ex hoc fuerit miſericors, *ſicut enim miſeretur pater filiorum miſertus eſt Dominus, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum:* ſed, poſtquā incarnatus eſt & cōuerſatus cum hominibus, & curauit infirmitates eorum; habuit maiorem compaſſionem & miſericordiam; poſtquam autem ſolus tentatus eſt, eſuriuit, ſitiuit & occiſus eſt, tū tādem expertus eſt infirmitates noſtras per experientiam, & ideò ex hoc maximè miſericors factus eſt. Patet ergò maximam miſericordiam eſſe Dei erga genus humanum: quæ ita quidem extenſa eſt, vt à ſummo cœlo attingat vſque ad infernum, impleat etiam totam terram, adeò latè, vt *non ſit qui ſe abſcondat à calore eius.* Hoc autem facit omnibus diebus vitæ humanæ, iuxtam Pſalmiſtam. *Miſericordia eius ab æterno, & vſque in æternum ſuper*

2. Deus miſericors ex generali poteſtate.

Eccleſ. 25.

Sap. 12.

3. idē miſericors, ob experimētalem neceſſitatē.

Super timentes eum. Quæres: In quibus apparet iſta miſericordia Dei ſuper homines & certè in pluribus: nā vt dicit Bernardus ſerm.88. Inno ſuper Pſalm. 88,&406. ſeptem ſunt miſericordiæ Dei. Prima eſt quia hominem in ſæculo à multis peccatis cuſtodit: quia ſicut in multa mala incidit: ita in maiora potuit incidiſſe, niſi Dominus cuſtodiuiſſet. Secunda eſt diſſimulatio & retardatio vltionis. Tertia, quia cor ad pœnitentiam conuertit, vt amara fierent, quæ prius malè dulcia erant. Quarta quia pœnitentem miſericorditer ſuſcipit, vt ſit de numero illorum, de quibus dicitur, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Quinta quia eidem dat abſtinendi virtutē ne recidiuum patiatur. Sexta eſt quia dedit gratiam promerendi bona æterna. Septima eſt ſpes obtinendi. Dicamus ergo Saluatori noſtro. *Miſerere mei Domine filij Dauid*, & da nobis miſericordias prædictas, maximè hoc ſacro tempore.

Miſericordiæ Dei ſeptem.

Pſal. 31.

III.

Filia mea male à dæmonio vexatur. Sciēdum quod in hac muliere poſſit quilibet peccator ſibi ſumere exemplum conterendi de peccato ſuo: Nā ſufficiens eſt materia contritionis, ſi alia non adeſſent, ad ſurgendum de peccato, & quærendū miſericordiam Dei, ipſa miſeria peccati: quæ ita vexat hominē more dæmonis, vt eam non ſinat ad horam quieſcere, iuxta illud. *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Pro quo latius deducendo eſt aduertendum, quod quatuor ſint cauſæ, quæ ſufficienter poſſunt mouere peccatorem ad cōterendū de peccato; quarum tres ponit Robertus Epiſcopus Lincolnienſis ſerm 114. in ſuis collationibus: quarta verò ſumitur hic ex Euangelio, & verbis thematis. Prima igitur cauſa eſt timor pœnæ futuræ pro peccato; ſecunda horror fœditatis peccati; tertia rubor & verecundia pro peccato; quarta anxietas & dolor ſuccedens peccato vel proueniens ex peccato. Prima patet: mirum ſiquidem eſt, hominem non conteri de peccato timore pœnarum gehennalium ſi eas intimè meditetur, maximè ſi conſtituat ſibi ante oculos mentis ſtagnū ſulphuris ardētis, cuius ignis tenebroſiſſimus, fœtidiſſimus & vrentiſſimus, inſuper inextinguibilis: ſi recordetur etiam tranſitus illius miſerabilis: quo ſcilicet tranſibunt damnati ab aquis niuiū in calorē nimiū: vbi erit ſtridor dentium horribilis: meditetur inſuper lectū, in quo poſt illud balneū reponetur; de quo dicitur *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Nihil ſane ibi occurret aſpectui, niſi diræ facies crudelium tortorum, vt dicit Chryſoſtomus; & hæc erit pœna his qui hic hebent oculos vagos ad concupiſcendum: ibi auris audiet vlulatum horribilem, quia hic non auertebatur ab auditu iniquitatis: ibi nares pro ſuaui odore habebunt fœtorē; pro zona funiculum, pro criſpāti crine cilicium; de quibus dicitur. *Ibi os & palatum exardeſcit ſiti.* Super omnia iſta vt dicit Chryſoſtomus erit hoc duriſſimum, quia videbunt ſe pro parua delectatione tantam perpetuitatem gloriæ amiſiſſe, & ſe à conſpectu ſanctorum excluſos eſſe. Secunda cauſa contritionis, eſt horror fœditatis peccati: eſt enim peccatum diaboli progenies, mortis parens, naturæ corruptio, boni priuatio, animæ captiuatio & deformatio: peccatum namque ſupremam animę faciem, in qua debet gerere reformationem ſummæ & ineffabilis pulchritudinis, vertit in deformitatem ſummæ turpitudinis, ita vt homo qui debet gerere reformatam imaginem trinitatis, per peccatum deformetur in ſimilitudinem bruti animalis. Hinc Hieronymus ſuper illū locū Ezech. *Homo homo de domo Iſrael*; inquit quod bis dicat homo ad denotādum, quod quilibet debeat eſſe geminus homo exterior videlicet, & interior: qui vero per concupiſcentiam beſtialem deformat hominem interiorem, iam nō eſt homo, ſed beſtia. Quid autem eſt deformius hominē eſſe extra, & beſtiam intra? Hanc fœditatem peccati attendens Seneca dixit. *Si ſcirem homines ignoraturos & Deos ignoſcituros tamen peccare nolle propter peccati turpitudinem.* Si gentilis tantum horruit peccatum pudeat Chriſtianum deteriorem fieri pagano. Tertia cauſa contritionis eſt verecundia & rubor de peccato; magna ſiquidem verecundia

Quatuor cauſæ peccatorem ad contritionem mouentes.

1. Timor infernalis ignis.

Iſaiæ. 14.

Iſaiæ 3. Iob.18.

2. Horror fœditatis peccati.

Seneca.

3. Verecūdia pro peccato.

Na peccare

peccare coram decem viris prudentibus, & ſenibus: quid autem coram Deo. Longè incomparabilior verecundia; & ideo maxima verecundia ſequetur peccatores quando aperientur libri conſciētiarum & iudicabuntur vniuerſi coram toto mundo & Angelis Dei ex his quæ ſcripta fuerint in libris cōſciētiæ cuiuſq; vt dicitur Dā. 6. c. 2. & Hiere 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur.* Hæc tria ſunt hodie valde ponderanda.

4. Doloris anguſtia.

Quarta cauſa contritionis eſt doloris anguſtia, quam cauſat peccatum in conſcientia: vnde quo ad hoc mulier iſta dicit. *Filia mea à dæmonio malè vexatur.* Vexatio iſta eſt remorſus conſcientiæ, quæ eſt maior omni pœna in hac vita, eo quod cuncti dies pauperis mali.

Eccl. 30.

Sicut enim non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium, quod prouenit ex virtute,

2. Ethic.

eo quod virtus habentem ſe perficiat & opus eius laudabile reddat, & ſemper operetur delectationem in homine: ſic & peccatum quodlibet maximam triſtitiam generat in remorſu conſcientię, iuxta illud. *Dabo eos in vexationē cunctis gentibus.*

Ierem 24.

Hoc eſt ergo vexari filiam à dæmonio, quod animam remorderi ex peccato Sed certè mirum eſt, quod vſqueadeo pauci hodie iſtam vexationem attendant, qui toto ferè anno habentes dæmonium peccati in anima, vſquequaque diſtulerūt clamare ad Chriſtum pro liberatione.

Cur multi conſciētiæ remorſum non ſentiant.

Sed quid mirum? Facit enim diabolus eis delectationem quandā ad tempus peccati, quo illecti peccatores non ſētiūt anxietatem & remorſum conſcientiæ.

Simile.

Sicut enim valdè ebrius non ſentit pulices in dormiēdo, immo nec frigus graue, nec interdū ictus fortes: ita & peccatores inebriati iſtis delectationibus mundi non ſentiunt anxietatem peccati, iuxta illud: *Verberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi.*

Prou. 23.

Sed certè ſentient tales grauem vexationem, quando tradentur tortoribus: tunc enim oculos, quos culpa clauſerat, pœna aperiet, vt dicit Gregorius; à qua nos cuſtodiat pater &c.

Matth. 18.

DOMINICA REMINISCERE.

SERMO. III.

O Mulier magna eſt fides tua. Matth. 15.

SAnctus Auguſtinus in lib. de verb. Domini præſtantiam fidei Catholicæ quæ ſic omnes ſtatus fidelium [illegible] vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius, deſcripturus inquit: Nullæ maiores diuitiæ; nulli honores, nulla huius mundi eſt maior ſubſtantia, quam eſt fides Catholica: quæ peccatores homines ſaluat, cœcos illuminat, & infirmos curat, cathecumenos, id eſt, nouiter credētes baptizat, fideles iuſtificat pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martyres, coronat, virgines, viduas & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſeruat, & in æterna hæreditate cum ſanctis Angelis collocet.

Fidei Catholicæ Encomia.

Idem Auguſtinus ſuper Ioan. comparans eam radici inquit: Sicut in radice arboris, nulla prorſus apparet pulchritudinis ſpecies, & tamen quicquid eſt in arbore pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: ſic ex fidei humilitate, quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima ſuſceptura eſt, ex fidei fundamento procedit. Hæc ille.

Fides Catholicà ſimilis radici.

Quia igitur hanc fidem velut bonam radicem hæc mulier habuit, ideo à Chriſto ſanitate filię impetrata audire meruit *O mulier magna eſt fides tua.* In quibus verbis circa fidei commendationem hic per Chriſtum factā tria ſunt conſideranda: primo fidei nobilitas & excellentia; quod notatur in verbo excla-

Propoſit.

exclamatiuo & admirabili, cum dicitur; *O mulier. Secundo* conſideranda eſt fidei immenſitas & magnificētia, quæ notatur, cū dicitur. *Magna eſt Tertio* cōſideranda fidei vtilitas & efficacia: quod notatur, cum dicitur; *Fides tua.*

I.

O Mulier. Interiectio o, in hoc propoſito eſt ſignum admirationis, vel laudis, vel commendationis, vt ſit ſenſus. O mulier ſcil. fide admirabilis, in fide laudabilis, vel in fide cōmendabilis. Eſt autē fides Catholica admirabilis, laudabilis & commendabilis ex multiplici nobilitate, quia comparatur diuerſis rebus valdè nobilibus; primo arcæ teſtamenti; ſecundo ſtellæ firmamēti; tertio petræ fundamenti. Item compara ur mundo ſpeculo, dextro oculo, & precioſo annulo. Item comparatur fides ſigno vexillari, ſcuto militari, & radio ſolari. De primo quomodo fides comparatur arcæ teſtamenti, dicitur Exod. 25. Sicut enim arca Moyſi non excedebat propitiatorium, ſed arcam propitiatoriū excedebat: ſic per fidem & nunquam ſine fide habetur propitiatoriū peccatorū. Vnde dicitur *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Secundo fides cōparatur ſtellæ firmamenti, & præcipuè ſtellæ maris; quia oſtendit nauigantibus portū, ſcil. gratiæ & ſalutis. Dicitur etiā ſtella matutina; quia præuenit ſolē iuſtitiæ, ante quā veniat ad iudiciū. Dicitur etiam ſtella orientalis, quia ducit reges ſpirituales, & facit eos Chriſtum adorare. Hæc eſt ſtella triū regū qui venientes ab oriente Chriſtū adorauerunt non alio vtiq; quam fide. Tertio fides comparatur petræ fundamenti: ſicut enim ſupra petram eſt fortè ædificiū: ſic ſupra fidem omne opus bonum. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, id eſt, ſuper hanc confeſſione fidei ſecundum Gorran. Item fides alijs tribus nobilibus rebus comparatur, ſcilicet mundo ſpeculo, dextro oculo, & precioſo annulo. De primo, quomodo comparatur mundo ſpeculo, patet; quia ſicut turris magna cernitur in paruo ſpeculo: ſic maieſtas & magnitudo diuina in ſpeculo fidei repræſentatur. Ipſa enim *eſt ſpeculum ſine macula. Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate.* Et quid videmus? certè Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem. Potentia eius conſideratur in magnitudine creaturæ, de qua dicitur. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterat horum creator videri.* Sapientia eius apparet in ordine & diſpoſitione: quia *omnia in certo numero, pondere & menſura facta ſunt.* Bonitas eius oſtenditur in dulcedine & vtilitate creaturæ. *Dulcedinem tuam quam in filios habes, oſtendebas.* Licet autem iſta euidentiſſima opera Deus oſtenderit nobis per fidem; plures tamen noſtrum ea non attendunt, nec Deū per hoc cognoſcunt, iuxta illud. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit.* Secundo fides comparatur dextro oculo: In homine ſiquidem ſunt duo oculi: vnus ſiniſter, qui de naturalibus iudicat: alter dexter, ſcilicet fides quæ omnia tam naturalia, quam intellectualia in obſequium fidei Chriſti captiuat. Et ſicut qui amittit oculū dextrum, inutilis eſt ad bellum: quia ſcutum cooperit ſiniſtrum: ſic qui non habet fidem, inutilis eſt ad pugnandum contra diabolum. Vnde Naas, id eſt, diabolus dicit habitatoribus Iabes Galaad. *In hoc feriam vobiſcum pactum, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros.* Vnde diabolus eſt ſicut coruus, qui cum cadauer inuenit, primo oculū inuadit: ſic enim & diabolus primo oculum deſtruere intendit. Tertio fides comparatur precioſo annulo: ſicut enim in ornatu ſponſæ primo annullus ponitur: ſic in Chriſtiano fides ornat rationem. Vnde dicitur. *Sponſabo te mihi in fide.* Annulus autem iſte aureus, quia lucidus per veram cognitionem & ſonorus per ſynceram confeſſionem, iuxta illud: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Adhæc fides comparatur alijs tribus, ſcilicet ſigno vexillari, ſcuto militari, & radio ſolari. Fides namq; eſt vexillum regis, quia ſicut vexillum monſtrat, quod Rex ſit præſens, maximè vt terreantur hoſtes: ſic fides eſt ſignum, quod Rex regū, omnipotens

[Marginalia, left: *Fidei Catholicæ præſtantia.* — *Comparatur diuerſis rebus.* — *Arcæ.* — *Hebr. 11.* — *Stellæ.* — *Matth. 2.* — *Petræ fundamenti.* — *Matt. 16.* — *Mundo ſpeculo.*]

[Marginalia, right: *Sap. 7.* — *1. Cor. 13.* — *Sap. 13.* — *Ibidem.* — *Sap. 16.* — *Iſaiæ. 1.* — *Dextro oculo.* — *2. Cor. 10.* — *1. Reg. 11.* — *Annulo.* — *Oſee. 2.* — *Rom. 10.* — *Signo vexillari.*]

tens Deus præſens ſit in pugna vel in tentatione, vt fugiant hoſtes, id eſt, dæmones, iuxta illud. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Et ſicut vexillum ponitur in arce vrbis; ſic fides in eminentia rationis. *Poſuerunt ſigna ſua ſigna ſuper ſummum.* De hoc ſigno dicitur *Leuabit Dominus ſignum in nationibus*, id eſt, fidem ſuper credentes.

Pſal.

Iſaia. 11.

Scuto militari.

Secundo fides eſt ſicut ſcutum militare; quia ibi eſt ſcripta patris potentia, filij ſapientia & bonitas Spiritus ſancti. Tegitur hoc ſcutum corio humanitatis Chriſti, quod dealbatur interius munditia & innocentia, & gloria reſurrectionis eius, rubricatur ſanguine paſſionis, hiacynthino colore inficitur, amore cæleſtium. De hoc ſcuto dicitur *Dabis eis ſcutum cordis, laborem tuum*, quaſi diceret, ex labore paſſionis tuæ ipſi ſecurabuntur ab hoſtibus. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* vbi dicit Gorra, quod fides dicatur ſcutum; quia ſicut ſcutum cætera arma protegit, & primum occurrit: ita & fides. Ipſa enim eſt prima in conſtructione & vltima in deſtructione: Et ſic diabolus licet plus oderit charitatem, tamen prius impugnat fidem, vt ea deſtructa noſcat etiam deſtruere charitatem; & ſic fides eſt prima in impugnatione, & in deſtructione vltima, iuxta illud. *Prima petit campum dubia ſub ſorte duelli. Pugnatura fides.* Refert Papias, & habetur in expoſitione ſuper Iuuenalem ſatyra ſecunda, & idem narrat Robertus Holcoth ſuper libru Sap. c. 18. quod Numa Pompilio ſacrificante ceciderit quoddam ſcutum de cœlo, quod dictum ſit ancile, datumque ſit reſponſum quod illic foret Romanum Imperium, vbi illud ancile foret ſeruatum. Numa igitur fecit illud ſcutū benè occultari. & alia. 12. numero huic ſimilia fecit parari. Moraliter ſcutum fidei cecidit de cœlo, quia Chriſto veniente de cœlo, fides innotuit mundo. Vbicunque autem hæc fides ſeruabitur, dęmonis fraus extirpabitur, & Chriſti perſeuerabit imperium. De hoc ſcuto proceſſerunt alia. 12. quia. 12. ſunt articuli fidei Chriſtianæ. Sicut autem ſcutum defertur in ſiniſtra parte: ſic fides non eſt, niſi in vita præſenti, vt dicit Gorrā. ſuper epiſtolam ad Eph. 6. Poteſt autem ſiniſtra intelligi aduerſitas, cōtra quam armat maximè fides. Tertio fides comparatur radio ſolari: ſicut enim ſol videtur radijs ſolum proprijs, non alienis, ita Deus non cognoſcitur, niſi per fidem primæ & ſummæ veritatis non lumine naturalis rationis. Vnde Eccl. 11. *Dulce lumen & delectabile eſt oculis videre ſolem:* ſcilicet, *Chriſtum per fidem.* Sic ergo patet quomodo fides eſt admirabilis & commendabilis ex multis nobilibus rebus quibus comparatur.

Thren. 3.

Epheſ. 6.

Pruden-tius.

Radio ſolari.

Eccl. 11.

I.

Magna eſt. Sciendum, quod fides quædam eſt extorta, vt dæmonum, qui credūt inuiti, & inuoluntarij, & contremiſcunt. Alia eſt fides mortuorum, vt peccatorum; & iſti dicuntur importuni, vt mali Chriſtiani veritati reſiſtendo & perſequendo, quaſi longè diſtantes à portu ſalutis; de quorum fide dicitur; *Fides ſine operibus mortua eſt.* Et: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, quaſi dicat, ſecundum Gorran. bis em, quod plus ſit factis quam verbis negare lib. 1. Ioan. 2. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Tertia fides eſt modica, vt imperfectorum, de qua dicitur. *Domine quis credidit auditui noſtro?* Et: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Quarta fides eſt magna, vt perfectorum: de qua dicitur hic. *O mulier magna eſt fides tua.* Prima fides, ſcilicet dæmonum eſt in omnibus malis Chriſtianis, qui ideo credunt Deo, quia non valent ei reſiſtere, immo videtur in eis eſſe deterior fides quā in dæmonibus, quia dæmones credentes contremiſcunt: iſti autē ſine vllo timore diuini iudicij perpetrant mala, vt dicitur Eccl. 8. Fides mortuorū eſt in omnibus hęreticis, fidem Chriſtianā perſequentibus. Fides verò modica eſt in Chriſtianis de Dei miſericordia diffidentibus *qui ad tempus credunt & in tempore tentationis recedūt:* Contra hos dicit Apoſtolus. *Fidelis eſt Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Modica etiā fides eſt in illis, qui ſunt ſolliciti plus de tēporalib⁹, quā de æternis. *Quid ſolliciti eſtis modicæ fidei?* quaſi de Dei prouidentia dubitātes. Fides perfectorū eſt corde credere, & ore profiteri, operibus agere, & in

Fides multiplex.

Iacob 3.

Iacob. 2.

Tit. 1.

Iſaia. 53.

Matt. 14.

Luca. 8.

1 *Cor.* 10.

Matth. 6.

his omnibus conſtanter & firmiter ſtare. Talis fuit fides iſtius mulieris, quam Chriſtus appellauit magnam, tum quia pagana exiſtens Chriſtum verum Deum confeſſa eſt, tum quia magnæ deuotionis fuit, quæ ita ſæpius clamauit, tum quia à propoſito non receſſit, donec impetrauit, quod petijt. Ecce magna fides.

Magna fides in deuotione fundata. Eſt & in nobis fides magna, ſi habeat deuotionem magnificam, quæ conſiſtit in tribus; primò, vt ſcilicet in ſolo Deo confidat; ſecundò, ſi in aduerſitate non deficiat; tertiò ſi propter dilationem petitionis non deſiſtat. De primo patet, quod tunc dicatur fides magna, ſi in ſolo Deo confidat, etiamſi ratio vel natura contradicat. Talem fidem habuit Abraham, qui vetulus de vetula credidit ſibi poſſe dari à Deo filium. Vnde de eo dicitur; *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* *Geneſ. 15. Hebr. 11. Rom. 4.* Talem fidem non habuit Thomas. qui credere noluit, donec palparet: cui ſimiles ſunt noſtri Chriſtiani, qui nolunt credere prædicatoribus, donec eis ad ſenſum probetur, & ſicut cæcis palpitantibus in manum baculus detur. De his dicit Gregorius. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. De ſecundo, quomodo fides dicatur magna, ſi in aduerſitate non deficiat, ſed plus inualeſcat, patet, quia dicitur; *Si habueritis fidem, vt granum ſinapis;* *Matt. 17.* quod granum quantò plus teritur, tantò plus creſcit & fortius viget. Sic & illi qui habent conſtantiam in aduerſis, quantò plus patiuntur, tantò plus fortificantur, vt liquet in ſanctiſſimis martyribus, qui per fidem vicerunt regna. *Hebr. 11.* Hinc Ioan. 5. dicitur. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra.* *1. Ioan. 5.* Sed multi ſunt hodiè, qui videntes ventum validum ſtatim merguntur, & à tribulationibus opprimuntur, ſimiles, imò longè deteriores Petro: Petrus enim videns ventum validum timuit: *Matt. 14* iſti autem paruo vento ſpirante tentationi ſuccumbunt: & ideò Petrus audire meruit. *Modicæ fidei &c.* quod iſti non merentur audire, ſed potius eis dicendum, *Nullius fidei.* Tertiò fides eſt magna, ſi propter dilationem petitionis nō deſiſtat, quouſque obtineat. Talem fidem habuit hæc mulier, quæ in ſolo Deo confidentiam poſuerat, quia ad ipſum de finibus ſuis egreſſa cucurrit. Secundò in aduerſis conſtantiam tenuit, quia canis appellata ſuſtinuit patienter. Tertiò, quia licet ſæpius repulſa, tamen à petitione non deſtitit, ſed fortius inſtitit: Ideò dicitur. *Magna.* Talem fidem & nos debemus habere, maximè ſacro hoc tempore, confidentes de Chriſto, quia etſi non ſtatim, tamen ſuo tempore dabit nobis, quod petimus. Nam apud eum quod differtur, non aufertur, ſed miſericorditer finaliter perficitur. Sed proh dolor hodiè ſunt multi, qui ſtatim vt ſentiunt à ſe non remoueri tentationes, tribulationes, & alios defectus, aut cū nō vident eis prouenire ad nutum optata, pro quibus preces fundunt, ceſſant & deſiſtunt ab oratione. Sed tales non attendunt illud quod dicitur. *Si perſeuerauerit pulſans, dabitur ei.* *Luc. 11. 18.* Et iterum. *Oportet ſemper orare, & non deficere.*

Cur oratio non ſemper exaudiatur. Pro quo ſciendum, quod oratio nō ſemper exaudiatur, ex multis cauſis. Primò ex meritis culparum orantis *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* *Iſaia 1.* Et: *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* *Ioan. 9.* Secundò, quia non feruenter orat, ſed tepidè *Orabitis, & ego exaudiam, cum quæſieritis me in toto corde veſtro.* *Ierem. 29.* Tertiò, ſi non perſeueranter oret, de quo Luc. 11. *Si perſeuerauerit pulſans.* *Luc. 11.* Quartò, ſi diffidat orans. *Qui enim hæſitat, non æſtimet, quod aliquid accipiat.* *Iacob 1.* Quintò, quia nociuum fortè petit. *Neſcitis quid petatis.* *Matt. 20.* Sextò, vt magis ad petendum prouocetur; quia dicit Bernard. Sancta deſideria dilatione creſcunt. Septimò, vt tantò cautius cuſtodiatur, quod impetratur. ſecundum Chryſoſt. Octauò, vt humilietur orans, cum tardius exauditur. Nono, vt in aliud tempus differatur exauditio, magis congruum petenti. Decimò, vt aliorum ſuffragijs quærat iuuari, & per hoc præſumptio reprimatur, ſicut Ezechias Rex petijt ab Iſaia, vt pro ſe oraret. Sic Paulus rogauit alios, vt orarent pro ſe liberando ab infidelibus, qui erant in Iudæa. Matth. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint de omnibus &c.* *Matt. 18.* Vndecimò, vt non exaudiatur ad voluntatem, ſed ad vtilitatem: ſicut Paulus, qui petijt amoueri ſtimulum carnis, & tamē audiuit. *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmi-*

Quibus oratio circumſtantijs ornari debeat.

infirmitate perficitur. Ex his ergò per contrarium colliguntur, quæ valent ad exauditionem orationis, ſcilicet culpæ remotio, feruoris inſtantia, fidei confidentia, humilitas, aliorum ſuffragia, ſtudioſa conuerſatio, vtilium petitio, & perſeuerantia, quæ cum habuerit, impoſſibile eſt, vt petens non exaudiatur.

III.

Fidei vtilitas.

Deſcribitur fidei vtilitas, cum dicitur. *Fides tua.* Et ſtatim ſequitur. *Fiat tibi, ſicut petiſti.* Ecce magna vtilitas. Non ergo eſt vacua fides Chriſtiana, ſed vtilis & fœcunda. & hoc ad plura. Eſt enim fides animæ viuificatiua, mundi contemptiua, intellectus illuminatiua, diabolicæ tyrannidis expulſiua, & miraculorum impetratiua. De primo, quomodò fides ſit animæ viuificatiua;

Fides animæ viuificatiua.

Hebr. 10. Hebr. 2.

Iuſtus autem meus ex fide viuit. Multi fuerunt illius opinionis, nullum niſi per martyrium ſaluari; ideò contra hoc dicit. *Iuſtus autem meus*, id eſt, non ſolum martyr, ſed etiam fidelis, cui non imminet paſſio, vt exponit Gorra. Et hoc eſt, quod dicit. *Iuſtus autem ex fide*, id eſt, qui per me, & fide iuſtificatus *viuit*, id eſt, viuet vita gloriæ in futuro, qui interim viuit vita gratiæ in præſenti. Sed dicet aliquis; in vita animæ eſt eius charitas ſecundum omnes Doctores. vt 1. Ioan. 4. dicitur. *In hoc ſcimus, quod tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Reſpondeo, quod hic loquatur de fide formata, quæ non eſt ſine charitate, vt implicat charitatem, non excludit. O quantum meritò deberent ponderare Chriſtiani audientes fidem eſſe eorum vitam, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo: imò diſplicere eſt neceſſe, vt dicit

Hebr. 11.

Bernard. ſuper Cantica; ſicut homo ſine vita diſplicet etiam amicis, & ſicut arbores & plantæ non habentes vitam ſqualidæ apparent, & deformes. Eapropter maximè homines deberent allaborare pro defenſione fidei, vt hæc eis ſalua ſit, & illibata conſeruetur; ſicut animalia laborant pro conſeruanda vita temporali. Sed heu parum eſt quibuſdam fidem non defendere, niſi eam impugnent, vt ſunt hæretici & falſi Chriſtiani perſequentes Eccleſias ſpoliantes pauperes, opprimentes orphanos & viduas. Iſti non ſolum in ſe vitam fidei ſuffocant, ſed & in alijs eam ſuffocare contendunt.

Intellectus illuminatiua. Epheſ. 5.

Secundò, fides eſt intellectus illuminatiua de quo Apoſtolus. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Non eſt maior cæcitas cæcitate infidelium, qui ſine fide idola prò Deo colunt, & ita mortuos pro vita deprecantur, vt dicitur Sapient. 13. *Deteriores omnibus beſtijs.* Nam omnes creaturæ cognoſcunt Deum, & confitentur cum ſuo modo: quia *omnis ſpiritus laudat Dominum*: ſoli idololatræ non cognoſcunt Deum, *qui dat eſcam omni carni, & in quo viuimus, mouemur, & ſumus, qui non longè eſt à quolibet noſtrum. Ipſius enim & genus ſumus.* Sed quid dico de infidelibus, cum potius mirandum ſit de fidelibus, qui cognoſcentes Deum per ſcripturas, & verbum Dei, adhuc non ſicut Deum glorificant, ſed obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dum intendunt incantationibus, ſortilegijs, nigromantijs, augurijs, ſomnijs, prænoſticationibus? Quos omnes arguit Apoſtolus dicens. *Nunc cognouiſtis Deum, imò eſtis cogniti à Deo. Quomodo conuertimini iterùm ad egena & infirma elementa, quibus denuò ſeruire vultis? Dies obſeruatis, & menſes, & tempora & annos.* Et poſt pauca. *Vbi eſt ergò beatitudo veſtra?* Attendant ergò tales, quia peſſimam fidem habent, non illuminatiuam, ſed excæcatiuam. Contra hos dicitur 16. *quæſt.* 5. *Non liceat.* quod attendere inanem ſignorum fallaciam in coniugijs ſeruandis, in domibus ædificandis, & in arboribus plantandis, incantatio illicita ſit.

Act. 17.

Galat. 4.

Diabolicæ poteſtates expulſiua.

Tertiò, fides eſt diabolicæ tyrannydis expulſiua. Nec mirum, quia omnis diabolica poteſtas eſt finita: fides autem, quia innititur Dei potentiæ infinitæ, ideò omnia poteſt. Vnde dicitur. *Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Licèt ergò diabolus ſit tantæ potentiæ, vt non ſit poteſtas in terra, quæ comparetur ei: tamen Chriſtus veniens in hunc mundum, dedit ſuis fidelibus poteſtatem ſuper omnia dæmonia, iuxta illud. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijcient.* Dæmonibus ergò per fidem reſiſtimus, quando eius

Luc. 9. Marc. vlt.

do eius tentationi non obedimus, & ſic eum ſuperamus, iuxta illud: *Cui reſiſtite fortes in fide* Quartò fides eſt omnis mundanæ opulentiæ contemplatiua: quia nihil ſic contemnit omnia proſpera mundi, ſicut fides vera. Et quid mirũ, ſi contẽnit caduca, vana & tranſitoria, cum certa ſit de æternis & perpetuis, in infinitum melioribus. Hinc dicit Hieronymus. Qui veram fidem de Deo habet, non quærit in his miſerijs fieri diues. Cui concinit Apoſtolus, dicens: *Sancti per fidem vicerunt regna.* Quintò, fides eſt miraculorum impetratiua: cuius ratio eſt, quia fides credit ea, quæ ſunt ſupra naturam & ſupra rationem; & ideò ea impetrat, quæ etiam ſunt ſupra naturam. Vnde dicitur Apoſtolis. *Habete fidem Dei: quia quicunque dixerit huic monti: tollere & mittere in mare, & non hæſitauerit, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiet ei.* Et beatus Gregorius ſecundò Dialogorum dicit. Qui deuota mente Deo adhærent, cum rerum neceſſitas expoſcit, exhibere ſigna in vtroque ſolent, vt mirabilia quoque aliquando ex patre faciant, aliquando ex poteſtate illis à Deo conceſſa. Et quid mirum, ſi fideles faciant mirabilia per fidem, quod eſt minus, cum illis collatum ſit à Deo, quod eſt maius; ſcilicet filios Dei fieri, vt dicitur Ioannis primo. Rogemus igitur omnipotentem Dominum, vt in nobis fidem ſuam taliter augeat; quatenus in ea fideles & cõſtantes hic viuamus per gratiam, vt tandem ad vitam perueniamus æternam.

Amen.

1. Pet. vlt.

Mundi contemptiua.

Miraculorum impetratiua.

Ioan. 1.

DOMINICA OCVLI SERMO I.

Cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Luc. 11.

DIcit D. Auguſtinus ſuper Ioannem. Seruus peccati, quo fugit, ſe ſecum trahit; quocunque fugerit, non fugit ſe ipſam mala conſcientia: non eſt, quo eat: ſequitur ſe, immò non recedit à ſe: peccatum enim, quod facit, intus eſt. Vis audire conſilium? Si vis à Deo fugere, ad ipſum fuge confitendo, non aliquid ipſi latendo: confiteri enim potes, latere non potes. Hæc ille. Quibus vtique nihil aliud inſinuat, niſi quod homo non poſſit melius ſuos defectus euadere, quam ſi ſe Deo offerat in confeſſione, eò quod, vt idem in libr. de pœnitentia præclare ſanè ait. Confeſſio eſt ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum. Quid plura? obſtruit os inferni, portas aperit paradiſi. Luculenter hoc ſanè oſtenſum eſt in illo homine, qui & dæmonium habuit, & mutus fuit: quæ vt euaderet, ad Chriſtum confugit: quem Chriſtus ita curauit, vt & dæmonium eijceret & mutus loqueretur, & turbæ admirarentur; ſignificans hoc ipſum, quod quicunque Chriſto præſentabitur hoc ſacro tempore in confeſſione, & à culpa liberabitur, & ad laudes Dei reparabitur: & Deus per ipſum & alios glorificabitur, ſicut verba noſtri thematis. *Cum eieciſſet dæmonium, &c.* In quibus conſideranda ſunt tria, hoc ſacratiſſimo tẽpore Chriſti fidelibus ſummè neceſſaria: tempus n. quadrageſimæ eſt tempus pœnitentiæ, per quam homo à dæmonio liberatur & ab ipſo dæmonium eijcitur: & ideò hic tria tanguntur, ad pœnitentiã concurrentia, & ipſam pœnitẽtiã, ſicut eius partes integrales, componentia, ſ. contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Sicut n. tribus modis Deũ offendimus, corde, ore, & opere: ita & his trib. debemus pœnitere; corde, dolendo pro peccatis per contritionem; ore, confitendo per locutionem; opere, bona agendo per ſatisfactionem. Primò igitur in verbis præmiſſis notatur contritio cordis, dæmonis & peccati expulſiua, cum dicitur; *Cum eieciſſet dæmonium.* ſecundò, confeſſio oris, propriorum defectuum oſtenſiua, cum dicitur; *Locutus eſt mutus;* tertiò ſubiungitur ſatisfactio operis, debitorum ſolutiua, cum dicitur *Admiratæ ſunt turbæ.*

Propoſit.

I. Secun-

I.

Aug. li. de ſerm. Dom. in mont. Secundum D. Auguſtinum omne peccatum primo incipit à ſuggeſtione, deinde tendit ad delectationẽ, & peruenit ad conſenſũ; primò, quia primo cogitat peccator, quæ mala ſunt; ſecundò, cogitationi acquieſcit; tertiò, conſentit in opus; & ideò verus pœnitens pœnitentiam ſuam debet incipere à contritione cordis, quo incepit principaliter de malo cogitare. Eſt autem *Contritio quid.* contritiò gemebundi cordis commotio ſalutaris, ſeipſum lachrymarum eruptione teſtificans, quæ oritur ex recordatione peccati, & timore iudicij, ſecundum Hugonẽ. Auguſtinus verò aliter definit, quod ſcilicet ſit dolor pro peccato voluntariè aſſumptus, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. Hic autem dolor eſt adeò efficax, vt peccatum in contritione cordis ante oris confeſſionem dimittatur: debet tamen pœnitens habere voluntatem confitendi Eccleſiæ, ſi tempus adſit: alioquin non eſt verè pœnitens, & non dimittitur ei peccatum. Si verò dimiſſo peccato in contritione cordis, etiam habita voluntate confitendi, poſtea dimittat voluntatem, & nolit peccatum confiteri, iam eſt reus non peccati iam ante dimiſſi, ſed peccati quod committit nolendo, & contemnendo confiteri, quod eſt aliud à peccato iam dimiſſo. ita dicit *Guido de Bayſio in Roſario decreti de pœnit. diſt. 1. cap. Quis aliquando. in Gloſſa finali.* Sed antequam homo perueniat ad contritionem, multa ſunt neceſſaria, & quandoque decipitur credens ſe habere cõtritionem, cum tamen habeat ſolam attritionem: ideò de his hic videndum. Sciẽdum itaque, quod tres ſint actus in anima, qui requirũtur ad ablutionem peccati. Primus eſt actus odij ipſius peccati, qui prouenit ex recordatione ipſius: nullius enim verè pœnitet de peccato, niſi oderit illud: nullus autem odit, niſi recordetur de ipſo. Vnde dicitur Epiſcopo Epheſi, qui fuerat *Apoc. 2.* lapſus in peccatum. *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam.* Recordatio autem illa quatuor facit in anima: nam ex ea homo intelligit, quomodo peccatum fuerit *Peccati odium generãt quatuor.* diuinæ gratiæ peremptiuum, quia eum expoliauit donis gratuitis: ſecundò, quod fuerit lucratiuum infinitæ pœnæ: tertiò, quod fuerit amiſſiuum gloriæ: quartò, quod ſit offenſiuum maieſtatis diuinæ. Hæc ergò quatuor generant ſtatim odium peccati. Oditio autem iſta procedit ex quatuor, ſcilicet ſi conſideretur quomodo peccata ſint fœda & inhoneſta; ſecundò, quomodo anxia, ſicut beſtia habens aculeum; tertiò, quomodo onerosa, quia cœlum & terra ipſa portare non potuerunt; quartò, quia nociua, quia mergũt corpus & animam in profundum. Iſtis ergò ad memoriam reductis & diligenter inſpectis, peccatum habet odibilem cauſam. Poſtquam igitur homo habet odium peccati, ſtatim tale odium ſubſequitur triſtitia, eò quod naturaliter homo triſtetur de illo, quod non vult; ſicut naturaliter delectatur in illo quod vult. Iſta ergò triſtitia dé malo nolito dicitur attritio: quæ quidem attritio non eſt, niſi quidam aſſenſus ad contritionem perfectam. *Attritio quid.* vt dicit *Guido de Bayſio in Roſario decreti de pœnit. diſt. 3. productior.* Hinc ſicut in corporalibus illa dicuntur attrita, quæ aliquo modo ſunt trita, ſed non perfectè; ſed contrita, quando ſimul oẽs partes ſunt tritæ per diuiſiones ad minima: ſic & attritio eſt quædam diſplicentia de peccatis, ſed nõ perfecta; contritio autem eſt perfecta. Ideò ſecundum Bonauenturam in ſermone de Maria Magdalena, attritio non meretur remiſſionem peccati mortalis de condigno, quia ex puris naturalib⁹ nullus poteſt reſurgere à morte animæ, ſicut nec à morte corporis, quod eſt minus: quilibet autem ex puris naturalibus poteſt eſſe attritus. Similiter etiam attritio non meretur infuſionem gratiæ de condigno, quia eſt donũ ſupernaturale: nõ tamẽ negatur, quin poſſit quiſpiam mereri peccati remiſſionem, & infuſionem gratiæ per attritionem de congruo: ratio, quia cuilibet beneuolo Domino debet ſufficere ad capiendam eius beneuolentiam, ſi ſeruus ei offerat ſeruitium, quod poteſt, licet eius gratiæ non ſit condignum. Ideò, quia creatura ex puris naturalibus non poteſt quicquam Deo offerre citra præuium actum attritionis, Deus pro ſua beneuolentia illum acceptat, licet ſit ei non condignus, de congruo. De congruo dicitur, quando obſequium non correſpõdet merito, ſed eſt minus merito: ſed de

condig.

condigno, quando obſequium correſpondet merito. Sic patet de attritione. Poſtquam autem homo fuerit attritus, tum ſequitur contritio: quia ſicut attritio ſequitur odium peccati, ſic contritio attritionē: contritio enim eſt ſuper naturam, & id ò præſupponit attritionem, quæ eſt ſecundū naturam; quia contritio eſt ſupernaturalis quodammodo: ſed attritio eſt merè naturalis: vnde de attritione fit contritio per ſolam gratiæ coniunctionem. Sicut enim eadem eſt pulchritudo hominis in luce, & in tenebris; ſed quando eſt in tenebris, non delectat, niſi ponatur in luce: ita & idem ſunt eſſentialiter iſti duo actus; ſed differūt accidentaliter, ſicut & oculus dormientis & oculus vigilantis: attritio enim eſt ſine gratia; ſed contritio in gratia. Ex præmiſsis infero, quod contritio meretur remiſsionem peccati mortalis, culpæ, & infuſionem gratiæ, non ſolum de congruo, ſed etiam de condigno. Ratio, quia cum actus in gratia mereatur de condigno gloriam, multò magis gratiam, & culpæ carentiam, quæ ſunt ordinata ad beatitudinem, ſicut ad finem. Secundo infero, quod actus contritionis non ſit dignus tantis præmijs ex natura ſua, ſed ex ſola ordinatione diuina: ſicut enim ex inſtitutione Principis & voluntate eius denarius valet vnum panem, ex condigno inſtituentis; non autem ex natura ſua, cum vnus panis melior ſit omni auro: ita & ex inſtitutione diuina euenit, quod contritio tantum valeat apud Deum. Tertio ex his infero hoc memorabile dictum, omni veneratione digniſsimum; quod contritio inter omnia, quæ ſunt ſaluti hominis neceſſaria, ſit maximè neceſſaria, maximè oportuna, maximè vtilis. De his tribus videamus per ordinem. Primo contritio eſt maximè neceſſaria præ alijs ad ſalutem. Dicimus autem aliquid eſſe ſimpliciter de neceſsitate ſalutis, ſine quo ſalus non poteſt haberi: ſalus autem humana per peccatum amittitur, & ideò non poteſt recuperari, niſi per illud, quod peccatum deſtruit, & gratiam perditam reſtituit: hoc autem eſt contritio, & ideò hęc dicitur neceſſaria. Patet autem eius neceſſitas per comparationem ad alia; quæ ſunt ſaluti humanæ neceſſaria: primo per comparationem ad baptiſmum, qui neceſſarius eſt ad ſalutem, iuxta illud. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto &c.* Hoc ipſo tamen contritio magis eſt neceſſaria ad ſalutem; quia nullus adultus per baptiſmum ſine contritione poteſt ſaluari; quia fictè accedens ad baptiſmum ſuſcipit ſacramentum, & non rem ſacramenti, & ſic eſt in peccato mortali: poſtea conuertitur & ſaluatur. Secundo idem patet per comparationem ad confeſsionem, & pœnitentiam, quæ poſt baptiſmum ſacramenti, eſt neceſſaria ad ſalutem, iuxta illud; *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Hoc ipſo ſacramento contritio eſt magis neceſſaria ad ſalutem, cum ſine contritione nihil proficiat, & in caſu neceſsitatis ſola cōtritio ſufficiat ſine iſto ſacramento, immò cum & ante iſtud conferat gratiam, quando ipſum præuenit: in contritione enim eiicitur dæmonium culpæ, & confertur gratia ad dignè ſuſcipiendum ſacramentum pœnitentiæ. Vnde in Pſal. *Dixi, confitebor, & tu remiſiſti.* Tertio patet per cōparationem ad ſacramentum Eucharistiæ, quæ eſt de neceſsitate ſalutis in adultis, iuxta illud; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis &c.* & hoc loco & tēpore oportunis: & tñ cōtritio eſt amplius neceſſaria, quia ſine determinatione & loci, & tēporis parata eſt: in omnibus enim alijs excuſat impoſsibilitas: in contritione autem nulla cadit excuſatio; quia ſi peccator ſine ipſa moriatur, damnatur. Ratio tantæ arctitudinis præcepti eſt, quia contritio ſemper eſt in voluntatis noſtræ poteſtate, præuia attritione. Quarto patet idem per comparationem ad ſacramētum redemptionis humanæ, quod fuit ſummè neceſſarium ad ſalutem, dicente Caipha per ſpiritum. *Expetit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo.* Et tamen, vt dicit Bonauentura, in iſto ſacramento actus contritionis animæ Chriſti, quo fuit in cruce contritus de peccatis noſtris, maximè dicitur eſſe ſalubris, quia animæ paſsio eſt fortior ad merendum indulgentiam, & efficacior, quam paſsio corporis. De hac autem contritione dicitur apud Matthæum. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*

Differentia attritionis & contritionis.

Contritio ad ſalutē neceſſaria Neceſſitas contritionis patet quadruplici comparatione

1. Comparatione Baptiſmi. Ioan. 3.

2. Sacramenti pœnitentiæ. Luc. 13.

3. Euchariſtia. Ioan. 6.

4. Redemtionis humana. Ioan. 11.

mortem. Iſta triſtitia de peccatis noſtris fuit cum ſumma gratia, quę eſt contritio perfecta; & virtute huius contritionis Chriſti habent virtutem oẽs contritiones noſtræ ad delendum peccata, vt dicitur apud Iſai. *Miſit me, vt mederer contritis corde.*

Iſa.61.

Ad medicinam opportunam quatuor requiruntur.

De ſecundo ſcilicet de contritionis opportunitate aduertendum; quia medicina eſt ſummè oportuna, ſi quatuor circumſtãtijs ſit ornata. Primo, ſi ſit facillima; quia aliquæ medicinæ ſunt ita difficiles, vt homines præeligerent potius infirmari, & quandoque mori, quam ſuſcipere ipſas: quemadmodum dicitur, quod mulier illa, quam ſanauit Chriſtus, multa fuerit à medicis perpeſſa. Secundò, ſi ſit celerrima, quia diutinæ curæ non ſolum grauant infirmum, ſed & tædio afficiunt medicum. ſicut dicitur Eccl. 19. Tertiò, ſi ſit integerrima, quia quando ſanatur vnum membrũ alio in languore remanente, totum corpus infirmum remanet, & ideò non eſt medicina opportuna; & ideò Chriſtus ſanando cœcum corporaliter, ſanauit & mentaliter, nè videretur cura partialis; quia nunquam curauit aliquem in corpore, quem non curâſſet in mente. Quartò, ſi ſit ſaluberrima: ſunt enim nonnullæ medicinæ, quæ licet morbum præſcindant, tamen non ſtatim ſanitatem perfectam conferunt; & ideò medicina eſt opportuna, quando, vbi primum ſumpta mox eſt ſanitatis reſtitutiua, ſicut fuit medicina Naaman, cuius caro reſtituta eſt, ſicut caro pueri. Iam quod ad contritionem attinet, ea ſanè hæc omnia habet; vt quæ inſtituta eſt ad curãdum plagam aut morbum peccati mortalis; & primo quidem medicina eſt facillima, quia, vt dicit D. Auguſtinus in libr. de lib. arb. nihil tàm eſt in poteſtate voluntatis ſicut act⁹ contritionis; cuius ſignum eſt, quia licet aliqua creatura poſſit nos impedire ad eundum, non tamen ſimpliciter compellere ad nolendum; & quia ad actum nolendi ſequitur attritio, & ad iſtam ſubſequitur contritio; ideò nihil tam in poteſtate noſtra eſt, ſicut contritio, & ſic eſt medicina facillima, & per conſequens maximè opportuna. Secundò, eadem eſt medicina celerrima, quia non tardat per horam, vel momentũ, ſed eodem temporis momento, quo applicatur, ſanat, ſicut ſol emittit radium ſuum, & ſimul lucet. Tertiò, eadem eſt integerrima, quia impoſſibile eſt vnum vulnus peccati ſanari per contritionem, quin & omnia alia ſanentur, cum diuina indulgentia non ſit diuiſa. Quartò eſt ſaluberrima, quia non ſolum plagam curat, ſed & gratiam, quæ eſt vita perfecta, & animæ ſanitatem inducit; & demum in poſterum à peccatis præſeruabit. Ideò Pſalm. dicit. *Sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, quantum ad peccatorum præſeruationem.

Marc.5.

Ioan.9.

4.Reg.5.

Contritio medicina opportuna.

Celerrima.

Integerrima.

Saluberrima.

Contritionis vtilitas quadruplex.

Reſtat videre de tertio; ſcilicet contritionis vtilitate, quæ patet ex quatuor: primò ex eo, quia per ipſam pœna æterna totaliter dimittitur: quantò enim eſt maior pœna condemnationis, tantò maior eſt actus abſolutionis; & ideò, cum pœna peccati mortalis ſit infinita in inferno, certè infinitæ vtilitatis erit actus, quo iſta pœna dimittitur: hæc autem dimittitur per contritionem. Secundò ex eo patet, quia per ipſam pœna purgatorij diminuitur: licet enim in contritione pœna inferni totaliter dimittatur, tamen ad pœnam temporalem adhuc obligatur, ſi contritio non ſit tanta, vt ſufficiat ad totum euacuandum. Pœna autem purgatorij diminuitur per pœnam huius mundi: hoc autem fit per triſtitiam contritionis, quæ frequentata diminuit vel totaliter annihilat illam pœnam. Tertiò ex eo patet, quia per ipſam gratia diuina augetur; quia ſecundum Aug. charitas ſemper meretur augeri vt aucta mereatur & perfici. Actus autem contritionis cum ſit informatus charitate, auget gratiam, & facit Deo maximè eſſe gratum, & dilectum, id quod homines maximè debent deſiderare. Quartò ex eo liquet, quia per ipſam gloria æterna accumulatur: quia per augmentum gratiæ & meritorum augentur gradus in vita æterna, iuxta illud. *Quâ menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*

Circa prædicta mouentur tria dubia. Primum eſt, quare dolor ille pro peccatis, qui dicitur contritio, ſic dictus ſit, & non

non aliter, ſcilicet attritio, confractio, conſciſſio, conuulſio, commixto, & ſic de aliis. Secundum, quare Deus pœnam pro peccato mortali voluerit eſſe triſtitiam contritionis magis, quam aliam, ſicut dicit definitio contritionis. Tertiò, quantus debeatur eſſe ille dolor, vel triſtitia contritionis pro peccato in quolibet homine, vt ſic perfecta contritio dicatur, & ſufficiens. 1 Cur dolor de peccatis dicatur contritio. Ad primum dicendum eſt, quod valdè congruè dolor ille pro peccatis contritio ſit & non confractio, vel attritio, &c. Nam ſecundum Archidiaconum *de pœn. diſtinct. 3. productior.* ſicut in materialibus durum dicitur, quod non cedit tactui; hoc autem dicitur frangi, quod per aliquod fortius in partes magnas confringitur ſeu diuiditur; conteri verò, quando totaliter in partes minimas redigitur & annihilatur: ita cor hominis durum dicitur, quando diuinæ inſpirationi quaſi manui ſe tangenti non cedit, ſed obuiat; ſc. dum in affectu peccandi moratur: frangi verò dicitur, quādo appoſito reſipiſci incipit, quamuis nondum totaliter conuertatur; conteri, quando affectus peccati ſecundum omnem ſui partem in eo totaliter deſtruitur; & hoc fit, quando voluntas perfectè ab affectu peccati reſilit: vnde talis reſultus contritio dicitur; quia talis reſultus dolor quidam eſt: ideò per dolorem definitur. hoc conuenit contritioni, vt eſt actus virtutis, ſed vt eſt pars ſacramenti, additur cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. 2. Dubium. Ad ſecundum dubium, quo quæritur, quare Deus pœnam pro peccato mortali voluerit eſſe triſtitiam contritionis; reſpondeo ſecundum Bonauenturam, quod cum peccatum ſit maxima culpa, ideò requirit maximam pœnam. iuxta illud, *Secundum menſuram peccati erit & plagarum modus*: non eſt autem maior pœna, quam triſtitia: ideò illa à Deo eſt impoſita in contritione. Deut. 25. Triſtitia pœna maxima. Quod autem ſit maxima pœnarum, patet quadrupliciter: primò in inferno, quia dæmones, qui maximè peccauerunt, vt dicitur in Ezechiel. nullam pœnam ſenſus habent, niſi triſtitiam quam patiuntur in voluntate, qua peccauerunt, in qua non poteſt eſſe aliquod afflictiuum niſi ſola triſtitia: non enim patiuntur in natura ab igne ſenſibili, vel etiam in intellectu, cum ſint intellectus ſeparati: ideò ſolum patiuntur in voluntate triſtitiam, quæ eſt eis maxima pœna. Secundò, idem patet in purgatorio, vbi eſt pœna adeò grauis, vt non ſit ei ſimilis in hac vita, vt dicit Auguſtinus: & quia illa pœna infligetur animabus tantum ſeparatis à corpore, & non apparet in alio, quam in voluntate: hoc autem tantum eſt per triſtitiam: ideò illa pœna eſt maxima triſtitia. Pœna purgatorij Tertiò idem patet in hac vita, quia licet mors ſit hic vltimum ſupplicium; tamen aliqui eligunt mortem, vt euadant triſtitiam, ſicut patet in illis, qui interficiunt ſeipſos præ triſtitia, aut mortem ſibi procurant, ſicut fecit Saul, primo Regum trigeſimo primo; qui vt triſtitiam illuſionis effugeret, mortem ſibi procurauit. 1. Reg. 31. Quartò idem patet de gloria paradiſi, quia ſicut dicit Hugo: ſi pœna inferni poſſet ſumi cum amore & voluptate, non eſſet pœna. Ita è conuerſo, ſi fœlicitas paradiſi eſſet cum diſplicentia, non eſſet gloria: & ideò triſtitia eſt maxima pœna, quæ tantam fœlicitatem abſorbere poſſet. Ideò Deus voluit tantam pœnam infligi pro peccato, per quam poſſet maxima peccati culpa expiari, & Deus poſſet placari: vnde dicitur in Pſalm. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Pſal. 50. 3. Dubium. Ad tertium dubium, quo quæritur, quatenus debeat eſſe ille dolor contritionis; reſpondeo ſecundum Archidiaconum *in c. in accuſatione, de pœn. diſtinct.* 1. Quod tantus debeat eſſe hic dolor vt contritus debeat magis eligere, eſſe in inferno ſine culpa, quam peccare. Dicit enim Anſelmus in libro ſimilitudinū, quod aliquis magis debet eligere, in inferno eſſe ſine culpa, quam in paradiſo cum culpa: quia innocens in inferno non ſentit pœnam, peccator in paradiſo non gaudet de gloria. Hinc dicendum eſt ſecundum beatum Thomam, quod contritus debeat & teneatur in generali magis velle pati quamcunque pœnam, quam peccare, & hòc ideò, quia contritio non poteſt eſſe ſine charitate, per quam omnia dimittuntur peccata: ex charitate, autem plus homo diligit Deum, quā ſeipſum:

peccare autem eſt facere contra Deum; pœnitere autem eſt pati contra ſeipſum: vnde charitas hoc requirit, vt quamlibet pœnam homo contritus eligat potius, quam culpam: ſed in ſpeciali deſcendere in hãc pœnam, vel in illam non tenetur: imò ſtultè faceret, qui ſeipſum, vel alium ſolicitaret ſuper huiuſmodi pęnis particularibus, quia terribilia in particulari conſiderata plus terrent; & ideò deſcendere ad conſiderationem huiuſmodi particularium pœnarum, eſſet homines inducere in deſperationẽ, & per conſequens præbere occaſionẽ peccandi. Sic igitur patet prima pars noſtri ſermonis, quæ eſt de vtilitate contritionis, qua peccati dæmonium eijcitur ex corde hominis, & homo diſponitur ad ſacramentum contritionis.

II.

Locutus eſt mutus. Non eſt maior mutitas, quam ſi homo taceat damnum animæ, & illud non oſtendat aliquo nutu, ſigno, vel verbo extrinſeco ei, qui poſſet ei ſubuẽnire: hoc autẽ facit peccator, quamdiu eſt in peccato; & ideò poſtquam per gratiam Dei in contritione culpa ei fuerit dimiſſa, ſtatim loquitur & exprimit proprios defectus, petens ſibi pœnam temporalem imponi pro æterna. Hoc ergò ſignificat iſte mutus, qui eiecto dæmonio per Chriſtum, ſtatim locutus eſt; quia verè contritus non poteſt diſſimulare peccatum, ſed ſtatim loquitur contra ſe, iuxta Iob. *Loquar in amaritudine animæ meæ.* Hæc ergò locutio ſignificat ſacramentum confeſſionis, in quo peccator loqui debet coram vicario Chriſti. Circa quod videndum primo de neceſſitatibus huius ſacramenti, ſecundo de modo eiuſdem, tertio de vtilitate. De primo, ſcilicet de neceſſitate, eſt ſciendum, quod confeſſio ſecundum Auguſtinum ſit per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur. Et Raymundus addit; Coram Deo & ſacerdote peccatorum declaratio. Ex hac diffinitione habentur duo, ſcilicet quod homo debeat declarare ſua peccata vocaliter; Secundo quod debeat ea declarare coram ſacerdote. Hinc ſtatuit Eccleſia, vt quilibet, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, teneatur confiteri peccata ſua omnia, vt minimum ſemel in anno proprio ſacerdoti. Nota hic, quia dicit omnia ſua peccata: ergò & venialia; licèt non ita de neceſſitate abſoluta homo teneatur ad confeſſionem venialium, ſicut mortalium: tamen cum non poſſimus vitam æternam conſequi ſine remiſſione venialium, tenemur ad eorum confeſsionem, vt dicit D. Thomas in 4. diſt. 16. Secundo dicit, quod ſemel teneamur vt minimum ſemel in anno confiteri: hoc eſt verum de præcepto, ſed de conſilio ſæpius. Tertio dicit, quod teneamur confiteri proprio ſacerdoti; proprius hic intelligitur Plebanus, vel qui habet auctoritatem Epiſcopi, vel Papæ iuxta diſpoſitionem iuris, & ſtatutorum prouincialium. Sunt tamen quinque caſus, in quibus poteſt quis audire alienum parochianum, ſicut notat; *Archidiach. de pœ diſt.* 5. *Placuit:* primo cum ille extraneus in ſua parochia peccauit: ſecundo ſi mutauit domicilium: tertio ſi eſt vagabundus: quarto ſi petat & obtineat literas à proprio ſacerdote ſuo, quem videbat imperitum, volẽs ire ad diſcretum; vnde in eo caſu non peccat, ſi eum vitet, tanquam inſufficientem, quod facere poſſet & in baptiſmo: quinto in articulo neceſsitatis. Hæc probantur 6. *q.* 3 *Placuit.* Ex his patet, quod ad conſequendum veniam peccatorum neceſſaria ſit vocalis confeſsio. Hinc liquet, quod habens quantamcunque contritionem, ſi cõtemneret confiteri, damnaretur. Falſum eſt ergò, & hæreticum dicere: ſufficit ſoli Deo confiteri: nam dicit Canon *de pœ. d.* 1. *Taciturnitas.* Vbi eſt taciturnitas confeſsionis, non eſt ſperanda venia criminis. Iſtius exemplum præbuit Chriſtus, qui Lazarum ſuſcitatum iuſsit diſcipulis ſoluendum. *Ioan.* 11. *&* 11. *q.* 3. *Tunc vera.* Item mittendo decem lépro ſos ad ſacerdotes, qui cum irent, mundati ſunt. Dices. Quare tenetur hõ confiteri ſacerdoti, quoniã dimiſſa ſunt ei peccata in contritione? Reſpondeo ſecũdum Hoſtien. *in ſumma. de pœ. & re c. Tu dic.* quod peccator duplici vinculo ad ſatisfaciendum aſtringitur; vno quo ligatur quo ad Deum: alio quo ad Eccleſiam: primum in contritione remittitur: ſecundum in confeſsione relaxatur. Et eſt prima ratio, quare

Confeſſionis definitio,

Luc. 17.

quare tenetur homo confiteri ſacerdoti, ſcilicet propter taxationem pœnæ temporalis per ſacerdotem infligendam. Secunda ratio poteſt eſſe, quia homo non debet eſſe deterioris conditionis beſtijs, quæ confitentur ſuos defectus naturales homini, eo modo, quo poſſunt, vt dicit Gloſſa ſuper illo verſu. *Confeſſio & magnificentia opus eius*. Eodem igitur modo debet ſuos defectus confiteri verbo vocali, in quo abundat. Tertia ratio, quia cum hodie verbum caro factum ſit & humiliatum pro peccatis noſtris delendis, & vnitum vt humanitati, obligauit nos, vt humiliemus verbum noſtrum loquendo contra nos, nõ ſolum Deo, ſed & homini; quod fit in cõfeſſione vocali. Quarto quia cum hodie peccemus non ſolum contra Deum, ſed etiam contra hominem, debemus confiteri non ſolum Deo, ſicut in veteri teſtamẽto, ſed etiam homini locum Dei tenenti. Nec propter hoc, quod dimiſſa eſt culpa in contritione, ſuperflua eſt confeſſio, quia vt dicit Archidi *De pœnitent. diſt. 3. Productior*. & Hugo Cardinalis, adhuc neceſſaria eſt ad humilitatem & iuſtitiam exercẽdam, præſertim vt ſatisfaciat Eccleſiæ, quæ læſa eſt. & etiam propter fidem, quam peccator habet, credẽs auctoritatem clauium in eccleſia: tertio propter obedientiam, quam exhibet miniſtris Dei: & item quarto propter interdictorum, & amiſſorum recuperationẽ, ad quod reſtituitur per ſacerdotem. *De pœnitentia diſt 1. multiplex. & ca. Nonnulli.* Quando ergo legitur, quod ſola contritio ſufficit, intelligendum eſt in neceſſitate, & non aliter. *De pœnitentia diſt. 4 Baptiſmi vicem*. Præter autem neceſſitatem, neceſſaria eſt vocalis confeſſio alteri, tum quia dolor, quem homo concepit de peccato, non poteſt conſtare Eccleſiæ, niſi manifeſtetur verbo. *De pœnitentia diſt. 1. Porro*: Tum quia quantumcunque ſe homo diiudicet ſolus, etiamſi ſit doctiſſimus, non eſt certus de dimiſſione peccati ſibi facta, ſed ſemper pendebit pauidus in alteram viam, niſi manifeſtet hoc alteri, vt dicit Archidiaconus *in Can. Remittuntur*. Cuius ratio, quia nullus in re ſua bene iudicat. 16. *q. 6 cap. 1 & 2. & 1. q. 4. cap. vlti.* Neceſſe eſt igitur, vt peccator ponat ſe in manibus alterius, qui eum de remiſſione peccatorum certificet & iudicet, pœnamque ſatisfactoriam taxet, & auctoritate clauium Eccleſiæ abſoluat; & ad hoc requiritur confeſſio poſt contritionẽ, vtpote ſine qua contritio non habet effectum, ſi habeat oportunitas confitendi. Item ſi peccatum non ſit omnino dimiſſum in contritione, remittetur per confeſſionem, quæ eſt ſacramentalis & effectiua gratiæ, vt notatur *de purga. canonica ca. Accepimus*; Gratia enim confertur per manus impoſitionem. 24. *q. 3. notandum*.

Conſequenter nunc videndum eſt de modo confitendi, qui requirit, vt confeſſio ſit ornata debitis circumſtantijs & conditionibus, quas ponit Archidi. *De pœnitentia diſt. 5 conſideret*. Primo ergo requiritur vt ſit voluntaria: nihil enim apud Deum gratum niſi voluntarium. Pſalm. *Ex voluntate mea confitebor ei*. Idem. *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo*; Vt non ſit confeſſio Antiochi, qui percuſſus infirmitate confeſſus eſt, ſed nõ exauditus: Secundo debet eſſe ſimplex, vt nihil plus vel minus dicat, quam neceſſe ſit, non ſimplex ſimplicitate aſinina, vel rudi, nec vulpina & aſtuta, ſed columbina; de qua Matth. 10. *Eſtote ſimplices, vt columbæ* Tertio debet eſſe humilis. *Coram preſbytero humilia animam tuam* Eſt contra illos, qui vnum genu flectunt ante ſacerdotem, vel caputium non deponunt, vel quęrunt locum pulchrum ad confitẽdum. Iſtiuſmodi ſunt ſimiles Phariſæo qui ſtans egit gratias, non humiliter genua flectens. Quarto debet eſſe pura, id eſt, recta intentione facta, ſine hypocriſi, nec ob vitandã pœnam temporalem: vt faciunt ruſtici, qui ne prohibeantur comedere azimam in Paſcha te confitentur, vt non excommunicentur: quod alias non eſſent facturi. Quinto debet eſſe fidelis, vt tam confeſſor, quã confitens ſint in fide: alias enim nec rem, nec ſacramentum reciperet 1. q. 1. *Remiſſio*, Hinc patet, quod confeſſio hæreticorũ & ſchiſmaticorum nulla ſit; quia extra Eccleſiam non eſt remiſſionis locus. Sexto, fiat ſpe veniæ, alias non valet, ſicut fecit Cain, qui dixit. *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*, id eſt, magnitudo

Confeſſionis cõditiones. 1. — *Mac. 9.* — 2. — 3. *Eccl. 4.* — *Luca 18.* 4. — 5. — 6. *Geneſ 4.*

peccati mei excedit bonitatem Dei, quaſi
dicat, ſecundum Archidi. Non poteſt De[9]
tantum mihi dimittere peccatum; quod di-
7. cere eſt maxima blaſphemia. Septimo de-
bet eſſe nuda, non palliata, non verbis ob-
ſcuris, vel dubijs inuoluta, ſed apertis &
Prou. 28. honeſtis, iuxta illud. *Qui abſcondit ſcelera*
8. *ſua, non dirigetur: qui autem reuelat ea, miſe-*
ricordiam conſequetur. Octauo debet eſſe
verecunda; quia verecundia magna eſt
pars pęnitentiæ. *De pœnitentia diſt.* 1. *Quem*
9. *pœnitet*. Nono debet eſſe amara. *Loquar in*
Iob. 10. *amaritudine animæ meæ*. Sic confitebatur
10. Petrus cum lachrymis. Decimo debet eſſe
integra, vt omnia peccata, maiora & mi-
nora dicat cum circumſtantijs: peccator
enim eſt ſicut infirmus, qui omnia vulne-
ra, ſi curari deſideret medico oſtendat o-
portet. Circūſtātię vero explicādę notātur
in his verſibus. *Quis, quid, vbi, per quos, quo-*
ties, cur quomodo, quando. Et alij. *Aggrauat*
ordo, locus, perſona, ſcientia, tēpus, Ætas, con-
ditio numerus, mora, copia, cauſa, Et modus
in culpa ſtatus altus, lucta puſilla. Aperien-
dę autem circūſtantiæ, vbi ex eis nō ſequi-
tur reuelatio vel detectio peccati alterius,
quia tunc non eſt opus. Caueat autem pec-
cator, ne dimidiet confeſſionem, confiten-
do vni de hoc, alteri de alio propter rubo-
rē, vel ne de eo ſit ſuſpicio: tenetur .n. hoc
caſu confeſſionē redintegrare. Vbi nota ꝙ
quatuor caſus ſint, in quib[9] quis tenetur i-
Confeſſio ex cauſis quatuor iteranda. terare confeſſionem. Primus ſi eſt confeſ-
ſus illi qui caret vſu clauium, vt ſacerdoti
ſimplici, vel monacho non electo per or-
dinem, neq; commiſſo per plebanum: vel
ſi habet vſum clauium, non tamen eſt ca-
ſus illius: vnde ipſum remittit ad ſuperio-
rem, corā quo iterū confiteatur. Secundus,
ſi habenti vſum clauium confiteatur: ſed
ille neſciat abſoluere. Tertius eſt ſi confi
tens oblitus ſit pœnitentiam ſibi iniunctā.
Quartus ſi dimidiet confeſſionem; tacen-
do aliquod mortale, vbi ſupra. Addit Ioā-
nes de Lignano quintum caſum, ſi ſcilicet
confiteatur cum propoſito non deſerendi
11. peccatum. Vndecimo debet eſſe diſcreta,
(exponit Archidi. *de pœnitentia diſt. 5. conſi-*
deret.) id eſt ſeparata & diſtincta, nō in ge-
nere, vel vt dicat mortale & veniale: vel
diſcreta, id eſt, ordinata, vt ſcilicet peccatū
cū circumſtantijs ordinatè pronūciet. Alij
autē dicunt *Diſcreta*, id eſt, prudenter & ſa-
pienter facta, vt ſcilicet & cōfitens diſcretè
ſe habeat, & ſacerdos diſcretè abſoluat: &
non eſt malus ſenſus propter illos, qui di-
cunt: Quoniā eſt meus plebanus; qualis ſit,
talis ſit: ego teneor ei obedire & confiteri;
ipſe videat, qualiter me abſoluat. Sed certè
tales decipiūtur, quia dicit. *Si cæcus cæco du-*
catum præbeat, nonne ambo in foueam cadūt?
Hinc dicit Ioannes de Ligna *in ca. Omnis*
vtriuſque de pœ. & re. quod quilibet tenea-
tur confiteri ſuo proprio ſacerdoti, niſi il-
le ſit imperitus, & indiſcretus: tunc enim
debet quærere Parochianus diſcretū; quia
non prodeſt abſolutio quoad Deū ei, qui
ſtudio quærit indiſcretū, vt per imperitiā
eū abſoluat. vt notatur. 11. q. 3. *Quomodo*,
quod in tantū verum eſt, vt etiā ſine licētia
proprij ſacerdotis imperiti & indiſcreti,
poſſit parochianus alteri diſcretiori confi-
teri, maximè ſi immineat periculū in mo-
ra, vel ipſe proprius non velidare licentiā
alteri confitendi: *De pœ. diſt. 6. Placuit*.
Eſt contra illos qui quærunt cōfeſſores al-
leuiantes ſibi peccata. Contra hos inquit
S. Auguſt. Qui confiteri vult, omninò cō-
fiteatur ſacerdoti, quē meliorē poteſt ha-
bere, & cōfiteatur illi, qui ſcit ſoluere & li-
gare. Meliorem hic intellige non in vita,
ſed in ſcientia: quia hic non abſoluit meri-
to vitæ, ſed clauium auctoritate. In iudicio
igitur cōfeſſionis maximè requiritur diſ-
cretio cō[f]eſſoris, *vt ſciat diſcernere inter le-*
pram & lepram; & vt ſciat appendere pec- *Leuit. 13.*
catum, ſicut eſt appendendū, non ſecundū
caput propriū, ſed ſecundū ſtatuta ſancto-
rū Patrū. Non afferamus ſtateras doloſas,
dicentes hoc graue, illud leue: ſed afferam[9]
diuinā ſtateram de ſcripturis ſanctis, & in
ea, quid ſit graue, quid leue appendamus.
Huic concinit Bonau. in quodam ſermone
dicens, ꝙ ſacramentū confeſſionis maxi-
mè inſtitutum ſit ad peccatorū patrociniū
acquirendū: quia ſicut fieri videm[9] in cau-
ſis ciuilibus, vt cōmuniter homines indi-
geāt patronis, qui ſint periti in iure, vt pœ-
nas iuris poſſint vitare: ita & multo magis
idē neceſſarium eſt in ſpiritualibus: & ideò
expediens eſt ſacerdoti peccata ſua reuela-
re, qui de vitandis eis ſanū conſiliū poſſit
dare:

dare:propter ꝙ eligendus eſt ſacerdos doctus, qui tale conſiliū dare poſſit. Ex his infero ꝙ nō excuſetur quiſpiā, ſi habens plebanū vel confeſſorē minus peritū, nō quærat magis peritū, credēs ſe per obedientiā excuſari. Ratio, quia quilibet debet eſſe ſolicitus de ſalute animę ſuę, & quærere medicinā meliorē, cū eā poteſt habere. Duo-

12. decima conditio confeſſionis eſt, ꝙ debeat eſſe frequens; vnde licet ſtatutū Eccleſię ſit vt quilibet minimum confiteatur in anno ſemel in Paſchate, tamen per hoc non datur licentia remanendi in peccato vſque ad horā illā, ſicut dicit Archidi. *De pœ. diſt. 5. in pœnitentia*: ſed in hoc benè Eccleſia ꝓuidit, ne alicui claudatur ingreſſus Eccleſię vel ſepultura ante annū vnū euolutū, ſicut facit poſt annū. Tenetur ergo peccator cōfiteri frequenter, quando habet opportunitatē & poſſibilitatē: nā ſecundū Archi. *De pœ. diſt 3. Ille Rex*: quilibet tenetur eſſe in tali ſtatu, in quo & pœnitentiā agat, & peccatū ei remittatur. Peccator enim eſt ſicut fur, qui ſemper eſt in mora: & ideò cū detinet alienū, ſemper auget peccatum. Tenetur autem quis confiteri citius, quā in quadrageſima in quatuor caſibus: primo ratione ſacramenti, cum vult communicare; ſecundo ratione periculi mortis; tertio ratione conſcientiæ; quoniam hæc dictat ſibi eſſe confitendum; quarto ratione dubij, vt ſi non ſperet ſe poſtea habiturum confeſſorem, quem nunc habet: tunc .n. oportet confiteri: ſicut è conuerſo poteſt quiſpiam differre confeſſionem, ſi ſperet tempus deuotius, vel confeſſorem ſeperat habiturū diſcretiorem quem expectat. Decimoter-

Eccl. 5.

Caſus 4. confeſſionem extra tēpus Paſchatis requirentes.

13. tio confeſſio debet eſſe ſecreta; ſiue enim ſint occulta peccata, ſiue manifeſta, ſemper debet eſſe in ſecreto, vt dicit Chryſoſtomus, & hoc tam quoad confitentem, quam quoad cōfeſſorem. Decimo quarto

14. confeſſio debet eſſe accuſans, vt homo nō excuſet ſe, nec peccatum ſuum. *De pœ. diſt. 4. Illud vero.* Decimo quinto debet eſſe fe-
15. ſtina. Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Domi-*
16. *num.* Decimo ſexto debet eſſe parata ad obediendum, ſcilicet ſacerdoti. *De pœ diſt. 5. conſideret.* & dicit Bonauentura, quod peccet mortaliter, qui non acquieſcit rationabili confeſſori. Hæc ſunt ergo bonæ conditiones confeſſionis, quas quilibet debet ſeruare: dicendum nunc eſſet de effectu confeſſionis, quam vtilis ſit; ſed de hoc in præcedenti ſermone ſufficienter eſt dictum.

III.

Et admiratæ ſunt turbæ. Inter alia mirabilia Dei ſatis mirabile eſt, videre hominē conuerſum à peccato ad Deum; cum, vt ſic, de filio diaboli fiat filius Dei: ſed mirabilius eſt talem videre ſatisfacientem pro peccato, contemnentem delectabilia, appetentem triſtia, & grauia. Magna ergo admiratio contemptus, gloriæ deſpectu, ſęculariū occupationū ſegregatio, & terribiliū perpeſſio, vt dicit Chryſ. & ideo merito ipſa ſatisfactio operis pro peccatis voluntariè aſſumpta inducit ſtuporem & admirationem: de qua dicitur in themate, ꝙ admiratæ ſunt turbæ ſcil. ſuper eo, quod peccator doleat in contritione, loquatur contra ſe in confeſſione, & bonis operibus inſudet in ſatisfactione. Hic notandū breuiter, ꝙ qlibet accedēs ad ſacramentū pœnitentię debet habere quatuor. Primo propoſitum obediendi confeſſori ſuo in omnibus; ſecundo propoſitum non peccandi deinceps; tertio nō ſolum propoſitum dimittendi mala, ſed etiam operandi bona; quarto propoſitum ſatiſfaciendi, quia ſatiſfactio eſt pars pœnitentiæ, iuxta illud. *Quoniam ego in flagella paratus ſum.* Hæc autem ſatiſfactio conſiſtit in tribus ieiunio, oratione & eleemoſyna; vt verè Hieron. dicat. *Ieiunio curantur peccata carnis, oratione peccata mentis, eleemoſyna peccata cupiditatis. Quicquid enim eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut vita ſuperbia.* Ideo & tria debent eſſe remedia ſatiſfactoria, quibus placatur diuina offenſa. Primo requiritur ieiunium, ſicut enim videmus, quod infirmis non detur caro groſſa, aut vinum inebrians; ſed datur eis ſimplex dieta, ſcilicet panis & aqua: ita infirmis ſpiritualiter, & maximè infirmantibus peccato luxuriæ, iniungēdum eſt ieiunium & parcitas cibi: vt in quo peccauerunt, puniantur. Hinc Apoſtolus talibus dicit. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Saluator: *Attendite,*

Conuerſio peccatoris admiratione digna.

Quatuor requiruntur ad Sacram. Pœnitentiæ.

Pſal.

Satiſfactio conſiſtit in tribus.

1 *Ioan.* 2.

Sap 11.

Epheſ. 5.

Lucæ.21. *dite*, inquit, *ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate.* Sicut autem videmus, quod infirmis, de quibus deſperatur, omnia concedantur delicata; illis verò, de quibus ſpes reſtat, ſubtrahantur: Eodē modo Deus cum peccatoribus agit: Nā cum eis in confeſſione per ſacerdotes imponit abſtinentiam ciborum delectabilium, ſignum dat, quod ipſe velit eos ſaluare. Et Ioel. 2. dicitur. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro,* *Ioel.2.* *in ieiunio, & fletu & planctu. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus?* Sed certe multi *Diuerſi diuerſimodè abſtinent.* in hac abſtinentia decipiuntur: nam quidam abſtinent à carnibus, & præparant ſibi loco carnium ita delicata, vt ſint & difficilioris præparationis, & pretij maioris: & hi vehementer errant. Nam ſecundū Auguſtinum in ſerm. de adu. non eſt hoc ſuſcipere abſtinentiam, ſed nutrire luxuriam. Alij ſunt qui etſi abſtinent à carnibus & delicatis piſcibus, tamen ſtomachum onerant vilibus leguminibus, ita vt ad illicita pertrahantur. vt dicit Hiero. in epiſtola ad Furiam. Alij ſunt, qui per abſtinētiam carnis ita corpus debilitant, vt poſtea reddantur inhabiles ad bona opera exercenda: & hæc eſt fatuitas, cum non caro extinguēda ſit, ſed vitia reprimenda. vt dicit Grego- *Dubium.* rius lib. 30. moral. Sed hic quæro, vtrum illi, qui ex abſtinentia infirmitates incurrunt, peccant mortaliter? Reſpondeo ſecūdum Auguſtinum in Gloſſa ſuper epiſtolā 1. Thimo. 4. cap. quod Deus velit ſibi ſeruiri à ſuis prudenter, vt non nimietate debiles fiant, & poſtea medicorum ſuffragia requirant: Attamen non obſtat, quod aliqui ſe ieiunando debilitant & in infirmitates incurrunt: nec contra Dei voluntatē faciunt, quia non naturam carnis intendunt debilitare, ſed laſciuiam. Hinc & ſecundum Gorran. ſuper epiſtolam prædictā non peccant, dum tamen debitum modū non excedunt. Quod ergo Gregorius re- *Rom. 12.* probat talem abſtinentiam, verum eſt, ſi ſit *Ieiunium infructuoſum ſi careat abſtinentia vitiorum.* inconſiderate facta, & ſi ſit nimia. Hinc & Apoſtolus, *Rationabile ſit*, inquit, *obſequiū veſtrum.* Sunt & alij peiores, qui licet a cibis abſtineant; non tamen à vitijs; ſed mēs eorum eſt inflata ſuperbia, ira, odio, & ſic de alijs. Cōtra hos dicit Hiero. ad Celantiam. Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira & odio inebriari? Tales ſimiles ſunt dæmonibus, quibus cibus abeſt, & culpa adeſt, vt dicit Hiero. ſuper Amos. Secundo requiritur ad ſatisfactionem pœnitentis eleemoſyna, quæ debeat ab omnibus, qui auaritia peccauerunt erogari, vt ſic illicitè congregata, licitè expendant, & de mam- *Lucæ 16.* mona iniquitatis faciant ſibi amicos. Vn- *Thob.4.* de dicitur. *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire ad tenebras.* Sed aduerte, quod non de omnibus illicitè acquiſitis facienda ſit eleemoſyna, ſed ſolū de his ad quorū reſtitutionē quiſpiam non tenetur: ſicut ſunt illa, quæ quis lucratus eſt diebus feſtiuis, vel ludis prohibitis, vel alijs fraudibus, vel nimia cupiditate, & auaritia habendi ductus: vbi autem quis tenetur ad reſtitutionem, non faciat eleemoſynam, ſed ante omnia reſtituat male ablata, vt in furto, rapina, vſura, & ſic de alijs: Sicut fecit Zachæus; *Si quem,* *Lucæ. 19.* inquit *defraudaui, reddo quadruplum, & dimidium bonorum meorum do pauperibus:* Ecce malè acquiſita reſtituit, & de bonis eleemoſynam fecit. Tertio & vltimo ad ſatiſfactionem requiritur oratio debita, quæ debetur ſuperbis, vanè glorioſis, pompoſis, curioſis: vt ſic in ſpiritu humilitatis & in corde contrito ſuſcipiantur ad veniam. Oratio enim, vt dicit Damaſcenus, non eſt aliud niſi eleuatio mentis ad Deum. Sicut ergo ſuperbus, dum fuit in ſtatu elationis, erectus erat contra Deum: ſic modo humiliatus debet proſterni ante Deum, & eleuari ad placandum Deum. Tunc autem pœnitens humiliter orat, ſi ſeipſum, quia puluis ſit, humiliter videat; ſi nihil ſibi virtutis tribuat: ſi t bona, quæ agit, eſſe de miſericordia conditoris agnoſcit, inquit Grego. in lib. moral. Multum etiam iuuat puritatem orationis, ſi in omni loco, omni tempore nos ab actibus temperemus illicitis: ſi ſemper ab otioſis ſermocinationibus auditum pariter conſtringamus, & linguam caſtigemus, ita Beda de templo Salomonis &c.

DOMI-

DOMINICA OCVLI.

SERMO II.

Reuertar in domum meam, vnde exiui. Luc. 11.

DICIT beatus Auguſtinus in quadã hom. ſuper Ioannẽ. Ieiunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſæculi: quod eſt perfectum ieiunium: tunc enim benè ieiunamus, cum ab illicitis abſtinemus; inſinuat nimirum his verbis S. Pater, ad perfectum ieiunium requiri puritatẽ perfectã mentis ab omni iniquitate, quia nihil prodeſt homini ieiunare & orare, ac alia religionis opera facere, niſi mens ab iniquitate reuocetur. Ex quibus patet, quod quilibet noſtrum maximè hoc ſacro tempore abſtinet à cibis, neceſſario quoque debeat abſtinere à vitijs; quia is benè ieiunat à cibis, qui & à malitiæ actibus & à mundi abſtinet ambitionibus.

Iſidorus l.2. c.44.

& inquit Iſid. de ſum. bono. Hinc qui à cibis abſtinent, & prauè agunt, dæmones imitantur, quibus eſca abeſt, & iniquitas adeſt. Primus ergo effectus huius ſacri ieiunij debet eſſe, vt anima magis abſtineat à vitijs, & propria voluntate: vt dicit Bernardus.

Bern. ſup. Cant. ſerm.38.

Sed quia nihil prodeſt abſtinere à malo, niſi etiam fiat bonum, iuxta illud. *Declina à malo, & fac bonum.* Et: *Quieſcite peruersè agere, diſcite bene facere*; ideo poſtquam homo abſtinuerit à vitijs, neceſſe eſt vt non otio torpeat, nec negligentia tepeſcat, ſed continuè ad quæq; bona manum ponat, & cor ſuum dirigat: alioquin enim ſi otio reſolutus à bono opere deſiſtat, domum conſcientiæ ſuæ facit vacuã, in quam diabolus facilliter intrat, & multo grauius poſt dimiſſam culpam hominem vacantem & otioſum poſſidet, quam ante poſſidebat. Omnibus igitur nuper confeſſis, & nouiter ad Deum poſt perpetratas culpas conuerſis, timendum eſt, ne ſi otioſi inueniantur, à dæmone grauius occupentur; & illud, quod olim Iudæis contigit, audire mereantur; ſcilicet verbũ durum & amarum noſtri thematis; quod dicit diabolus omnibus otioſis. *Reuertar in domum meam vnde exiui.* Verbum hoc imprimis tangit illos, qui poſt remiſſionem peccatorum, nihil boni faciunt; vel qui poſt impetratã gratiã in grauiora, quã antè peccata relabũtur, ingrati Deo, ideoque ſua ingratitudine merẽtur, vt eos diabolus grauius poſſideat. Vtrũq; ergo iſtorũ cauendũ eſt nobis hodie, ne videlicet & otio torpeamus, & in peccata priſtina relabamur, ne maiori numero dæmonum poſſideamur poſt, quã ante, propter ingratitudinẽ.

Pſal. Iſaiæ. 1.

Et quoniam, vt ait Bernardus, anima, quæ iam non in carne ambulat, ſed in ſpiritu, domus Dei efficitur, immo templũ Spiritus ſancti, iuxta illud Apoſtoli. *Templum Dei ſanctũ eſt quod eſtis vos*; ideò prouidendum eſt homini, vt ſi velit effici vera domus, & habitatio Dei, & repellere à ſe ſocietatem diaboli, ne ad eam reuertatur, conſcientiã ſuam cautè & debitè diſponat, maxime hoc ſacro tempore, vt eam toto anno præſenti, habitaculum Dei, & non diaboli faciat: ad quod quidẽ tria ſunt neceſſaria; quæ in verbis præmiſſis conſideranda; primo quidem, quomodo domus conſcientiæ noſtræ ſit fundanda; ſecundo quomodo ornanda; tertio ad quem vſum ſeu actũ ſit deputanda? Debet igitur domus cõſcientiæ noſtræ habere ſolidũ fundamẽtũ, decens ornamentũ, & honeſtũ actum.

Bern. ſup. Cant. ſer 44.

Propoſit.

I.

Fundamentum conſcientiæ fundari debet ſuper ſolidam doctrinam, dicit Saluator. *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram*. Petra hæc eſt doctrina Chriſti, dicente Apoſtolo: Super hanc petram ædificauit Eccleſiam ſuam & conſcientiam cuiuslibet. Eſt autem cõſcientia ſecundum Damaſcenum, lex intellectus noſtri; vel ſecundum Magiſtrum in compendio l.2.c.52. cognitio ſuipſius: & in-

Matth. 7.

Conſcientia quid.

Ex tribus constituitur. & integratur ex tribus, accuſatione præteritorum peccatorum, remurmuratione præſentium, & cautela futurorum. Quando ergo quis accuſat ſe de præteritis, remurmurat ſeu recordatur præſentia, & à futuris cauet, tũc habet integram conſciẽtiam. Sed quia iſta non poſſent conſiſtere, nec diu durare, niſi haberent aliquod fundamentum: ideo iſta omnia debent fundari in doctrina Chriſti, ſecundum quam debent regulari. Summè autem cauendum eſt, ne domus hæc erroneè ſit fabricata, vel nimis larga, vel nimis ſtricta, quia omne, quod fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam. idque adeo, vt dicat Holcot ſuper lib. Sap. cap. 8. conſcientiam plus obligare quam præceptum prælati; ſicut habetur expreſſe *de ſenten. excommunic. Inquiſitioni.* *Rom. 14.* Hinc omnis conſcientia, ſiue in malis per ſe, ſiue in indifferentibus, obligatoria eſt: quia in omnibus talibus veniens contra conſcientiam, facit contra illud, quod credit contra legem eſſe, & ꝓhibitum: Vnde dicit Gloſſ. 28. *q. 1. Ex his,* quod omne quod fit contra conſcientiam præcepti vel prohibitionis, ædificat ad gehennam. Hinc patet vlterius ſecundum Gloſſ. ibidem, quod, ſi plus comedam, quã debeam; quamuis ſit contra conſcientiam, non tamen peccem mortaliter. 25. *diſt. §. Criminis,* vbi dicit Auguſtinus, quod quoties quis accipit plus cibi aut potus, quam neceſſe eſt, venialiter peccet: quod Gloſſa intelligit, quando non accipit ex contemptu, ſed ex caſu, & non ad ingurgitationẽ; alias eſſet mortale. 4. *diſt. Denique.* Ex his iam patet, quod omne, quod fit contra conſcientiam, diuerſimodè obliget ad gehennam; quia quandoque venialiter, quandoque mortaliter. Si ergò rectè debet iſta domus fundari, tria ſunt illi cauenda: primo, ne ſit nimis larga, & ampla, quia talis generat præſumptionẽ, & ſæpè dicit malo bonum; ſæpè etiam ſaluat damnandum. ſecundo prouidendum eſt illi, ne ſit nimis breuis, & ſtricta; quia talis generat deſperationẽ, & ſæpè dicit bono malũ, & per hoc damnat ſaluandum. Sit ergo conſcientia talis vt non faciat aliquid contra præceptũ diuinum, nec facere intendat, & ſit in tali propoſito, ꝙ licet faciat aliquid, de quo dubitat, an ſit faciendũ, vel non, libenter tamen faceret, & nõ omitteret illud, quod ſciret placitum Deo. Tertiò prouidendum eſt, ne hanc domũ fundet quis ſuper aquas voluptatis, vel ſuper arenam cupiditatis, quia talia fundamenta non ſunt ſolida: poſtquam enim flauerint venti, venerint flumina, & deſcenderit pluuia, cadet hæc domus. Qui non fundat benè & firmiter conſciẽtiam ſuam in doctrina Chriſti, ſtatim imminente tentatione carnis, quæ intelligitur per pluuiam, vel terrenæ cupiditatis, quæ per flumen, vel ſuperbiæ, quæ per ventum intelligitur, annihilatur; & ſubuertitur, tentationibus ſuccumbendo.

Aug. lib. de purgatorio.

Structura domus conſcientiæ neceſſaria tria.

Qualis conſcientia habenda.

II.

Dixi, circa domũ cõſcientię conſiderãdum eſſe quomodo ſit ornanda & decoranda: ſed quia nihil poteſt ornari, niſi prius purgetur, hinc conſcientia prius purganda, poſtea ornanda; ſicut etiam dicit Euangelium. *Inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam:* ideo prius videndum eſt, qualiter iſta domus ſit purganda. Purgamentum autem huius domus eſt frequens confeſſio, quæ eſt quaſi ſcopa huius domus: ad quam toties eſt confugiendum, quoties nos aliqua praua cõmiſiſſe cognoſcimus. De hac ſcopa dicitur *Exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum,* ſcilicet per confeſſionem. *Pſal. 76.* Exponit Lirao. id eſt, purgabam in confeſſione ab immunditijs peccatorum venialium, quas attrahit ſpiritus. Verè iſte benè domum ſuam ſeruauit, qui nihil inuenit, niſi venialia, quæ ſcopebat. De mortalibus enim non diceret. *Scopebam,* quia non ſcopatur lutum de cloacis vel foſſis, ſed tenuis puluis de pauimento. Vnde hic dicitur. *Inuenit domum ſuam ſcopis mundatam,* ſcilicet quotidianarum confeſſionum, & ornatam virtutibus. Nihil autem hominem ad purgandum conſcientiam frequentius excitat, ſicut cognitio propriorum defectuum. *Frequens confeſſio per quæ excitetur.* Sicut enim, quo quis clarius, & diligentius, & ſæpius inſpicit domus alicuius angulos, tanto melius purgat: ita qui diligentius ſcrutatur defectus

ctus proprios, eos melius confitetur. Hinc patet ſecundum Gregorium, quod quanto quis minus ſe videt, tanto minus ſibi diſpliceat: & quanto maioris gloriæ lumen percipit, tantò amplius repræhenſibilem ſe cognoſcat. Quæ autem ſint homini cōſideranda, & inſpicienda circa purgationem conſcientiæ, dicit Hugo *lib 3. de anima cap. 2.* illa videlicet, vt conſideres, vnde venias, quo tendas, quomodo viuas, quid agas, quid omittas, quantum hodie proficias, vel quantum deficias, quibus affectibus frequentius tangaris, vel quibus tentationibus à maligno ſpiritu acrius impugneris: nec ſolum attendas, qualis ſis, ſed etiam qualis eſſe debeas. Hæc ille. Sed heu quis noſtrum eſt, qui talia diligenter conſideret? qui conſcientiam ſuam cum tali conſideratione diſcutiat? qui eiuſmodi diſcuſſionem cum debitis circumſtantijs faciat? In confeſſione inquit Auguſtinus, peccatorem oportet conſiderare qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit intentione, & ipſius vitij multiplici executione: alias confeſſio aliter facta, potius eſt ſimulatio ficta, & hypocritica, quam cōfeſſio. Concordat huic Hugo 2. de anima. c. 15. dicens eam vulpinam confeſſionē, ideo, quia eſt ficta, breuis, rara & tepida. Refert Ouidius & Iſidorus Dædalum feciſſe quandam domum varijs vijs ita perplexis, vt nullus eam exire potuerit ſine glomere: hæc vocabatur labyrinthus, quod maximum laborem intus haberet; cui incluſit quoddam monſtrum minotaurum dictum, quod ex vna medietate erat homo, & ex alia bos, ea intentione, vt in perpetuum ibi paſceretur, & nūquam exiret. Eodem modo facit diabolus quibuſdam conſcientiam ita perplexam diuerſis modis, nunc timore, nunc pudore, nunc negligentia, nunc dilatione; & ſic intus occultat monſtrum, id eſt, peccatum monſtruoſum, vt nullus confeſſor poſſit intelligere, niſi maximo labore. Sed iſti huiuſmodi verè ſunt fatui, quia in confeſſione volunt abſcondere peccatum, quod tamen Deo eſt notum. Contra hos dicit Auguſtinus. Quocunque fugerit, non fugit ſeipſam mala conſcientia; non eſt quo eat: ſequitur ſe; immo non recedit à ſe; peccatum enim quod facit intus eſt. Si vis à Deo fugere, ad ipſum fuge, non latendo, ſed confitendo: confiteri potes; latere non potes. Et Iſidorus dicit, quod homo omnia poterit fugere præter cor ſuū: Non enim poteſt recedere quiſquam à ſeipſo: quocunque enim abierit, reatus ſui conſcientia illum nō derelinquit. Quamuis enim humana iudicia ſubterfugiat omnis qui malè agit, iudicium tamen conſcientiæ ſuæ effugere non poteſt: nam ſi alijs celat, quod agit, ſibi tamen celare non poteſt, qui plenè nouit malum quod geſſit. Hæc ille.

Conſcientia circa quæ excutienda.

Aug lib de pænitentia.

Ouid. l. 8. Metha. Iſid. lib. 15. Ethy.

Aug. hom. 41. in Ioan.

Iſid. l. 2. de ſum. bono cap. 26.

Occurrit hic dubium, quare videlicet homines hodie non ſtudioſè diſcutiant propriam conſcientiam, nec proprios conſiderent defectus? Ad quod reſpondeo, id ideo euenire, quia plus aliena facta ponderant, quam propria, iuxta illud *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras?* Hinc Proſper dicit. Tamdiu quis peccata ſua, quæ loſſe & flere deberet, ignorat, quamdiu conſiderat aliena: quod ſi enim mores ſuos ad ſeipſum conuerſus aſpiciat, non requiret, quod in alijs reprehendat, ſed quod in ſeipſo lugeat. ideo & Marci 13. dicitur. *Videte voſmetipſos.* Quare autem homines facilius aliena diiudicent, quam propria, dicit Baſilius, quod difficile ſit cognoſcere ſeipſum: quia ſicut oculus omnia alia à ſe conſpicit, ſe autem non videt: Eodem modo vt ipſe ait, conſcientia; quæ acutè aliena delicta contemplans, tardior eſt erga ſuorum cognitionem peccatorū. Sed occurrit fortius dubium, vnde videlicet proueniat iſta negligentia propriæ diſcuſſionis, & conſideratio peccati alieni. Reſpondeo ſecundum Gregorium 31. libro mora. id prouenire ex ſuperbia & elatione, vt quæ cordis oculum per elationis tenebras extinguit: ex qua, vt dicit Chryſoſtomus ſuper Matth. prouenit communiter, quod alter alterius culpam citò intelligat, ſuam autem difficulter; quia homo in cauſa alterius trāquillum habet animū, in ſua

Dubium.

Matth. 7.

Proſp. lib. 2. de vita cont.

Marci. 13.

Baſilius Hexamer. lib. 3.

Alind dubium.

autem turbatum: perturbatio autem cordis non permittit hominem conſiderare, quod bonum eſt. Ideo optimè dicit Auguſtinus quod remotis obſtaculis inſanæ opinionis, ſcelera nuda iudicentur, nuda penſentur, nuda inſpiciantur, fallacia tegmina, & vanæ laudis gloriæ auferantur, & appareant miſeriæ peccatorum. Ex his omnibus infero, quod nullus melius ad cognitionem ſui peruenire poſſit, quam qui humiliter de ſe ſentit. Patet ex beato Bernardo dicente, Humilitas eſt virtus, qua veriſſima ſui cognitione homo ſibimetipſi vileſcit. Et Chriſoſt. dicit. Qui humilis eſt corde, indigniorem ſe alijs arbitretur. Ex quo dicto patet, quod homo per humilitatem facile veniat ad ſui cognitionem, & è conuerſo. Refert Macrobius li. 1. quod Apollo conſultus à quodam, quænam via certior perueniendi ad beatitudinem, reſponderit dicens: *Si teipſum cognoueris*. Vnde apud gentiles communis erat opinionis hoc dictũ. γνῶθι σαυτὸν id eſt, cognoſce teipſum, de cœlo deſcendiſſe. Hæc eſt ergo prima ſcientia hominis ſcire ſeipſum; prout dicit Bernardus ſuper Canti. ſerm. 36. quæ quidem ſcientia ſecundum ipſum non inflat, ſed humiliat. Vnde & Auguſtinus li. 4. de ciuitate Dei ca. 1. præfert eam omnibus ſcientijs, & Iſaac in lib. de definit. dicit ſummam eſſe philoſophiam, cognoſcere ſeipſum.

S. Aug. l. 3. de ciu. Dei.

Bern. de 12. grad. humil.

Chryſ. in Policrat. lib. 4.

Poſtquam domus conſcientiæ noſtræ per ſufficientem diſcuſſionem confeſſionis fuerit mundata, & purgata; ex tunc neceſſe habet ornari & decorari; ſciẽdum ornatum iſtum conſiſtere in ſanctitate virtutum, & iuſtitia bonorum operum, iuxta illud Pſalm. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo*. Et: *In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, ſeruiamus illi*. Hoc eſt, quod Apoſtolus nos admonet dic. *Sciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore*, ne ſcilicet inhonoretur aliqua turpitudine vitiorum, ſicut faciunt illi de quibus in Pſalm. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*.

Ornanda domus conſcientia.

Luca. 1.

1. Theſſ. 4.

Duo ergo requiruntur ad ornamentum iſtius domus, ſcilicet puritas mentis interior, & honeſtas conuerſationis exterior. Itaque homo debet in memoria ſua collocare pulchras imagines, id eſt, honeſtatem conuerſationis, & puritatem conſcientiæ ſanctorum patrum, vt ipſos inſpiciendo ſimiliter faciat: quod cum fuerit, conſcientia eius erit domus pulcherrima, & ornatiſſima, in qua libenter requieſcet quilibet, cum ſit ad inhabitandum apta, iuxta illud: *Intrans domum meã conquieſcam cum illa*, ſcilicet ſapientia. Et ſequitur, *Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tedium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium*. Certe homo nullibi melius quieſcit, quam in conſcientia ſua, & hac quieta: alibi enim quieſcere non poteſt: nõ in bonis exterioribus, quia diuitiæ, honores, voluptates, habent amaritudinem, & tædium generant, & faſtidiũ & ſatietatem, ita vt homo illud quod prius optauit, paulò poſt faſtidiat & cõtemnat. Ideo Rabanus in Gloſſa libri Sapientiæ c. 8. inquit. Corporales diuitiæ corpus grauant, ſpirituales verò mentẽ releuãt, & tãto maiorẽ ſui famẽ excitant, quãto magis comeduntur: in illis appetitus placet, experientia diſplicet: augent ſpirituales delitiæ deſiderium, quantoque magis ſumũtur, tantò auidius amatur. Hæc ille. In tali ergo loco bonum eſt quieſcere. Sed quia parum valeret purgatio, & ornatus iſtius domus, niſi benè cooperiretur, ideo coopertimentum eius eſt honeſta exemplaritas cõuerſationis exterioris, vt quilibet, quod habet interius in conſcientia, proferat exterius in conuerſatione aliorum ad exemplum, iuxta illud, *Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Hinc eſt quod dicitur Matth. 10. *Quod in aure auditis, prædicabitis ſuper tecta*, id eſt, ſuper honeſtam conuerſationem. Sic patet ſecundum, quomodo hæc domus conſciẽtiæ noſtræ debet ornari, purgari, & operiri ad laudem nominis Chriſti.

Ad ornamentum domus conſcientiæ duo requiruntur.

Sap. 8.

Domus conſcientia quo modo coperiẽda.

Matth. 5.

III.

Conſiderandum nunc in quem vſum domus conſcientiæ noſtræ ſit deputanda, vt ſic habeat officium, & actum ſeu opus honeſtũ in ſe. Ex quo enim eſt domus purgata, ornata, & benè cooperta, non licet in ea quicquam praui aut inhoneſti agere. Vnde Dominus de domo ſua eiecit ſemen-

ementes & vendentes boues, & oues, & columbas, dicens: *Auferte iſta hinc.* quaſi dicat. Non licet talia officia, & tales actus in domo tam egregia exercere. Idem dicendum de domo conſcientiæ noſtræ; cũ enim ſit habitatio Spiritus ſancti, non licet in ea quicquam exercere, preterquam, quod concernit honorem Spiritus ſancti, & ſalutem noſtram. Vbi ſciendum, quod conſcientia noſtra habeat multiplex officium, honeſtum, ſeu actum multiplicem nimis vtilem. Sicut enim in domo benè diſpoſita quatuor perſonæ conſueuerunt deputari ad ſingula officia, prima ſcilicet ad hoc, vt accuſet omnes tranſgreſſores, in domo inobedientes patrifamilias; ſecunda vt releuet omnis defectus, quibus videntur opprimi in domo habitantes; tertia, vt conſeruet omnes poſſeſſiones ſub bona cuſtodia: & quarta, vt vlciſcatur omnes iniurias in alterutrum commiſſas. Eodem modo ſe habet domus conſcientiæ noſtræ, vt quæ eſt accuſatrix prauæ tranſgreſſionis, releuatrix noſtræ depreſſionis, conſeruatrix bonę poſſeſſionis, & vindicatrix fractæ profeſſionis, ſeu promiſſionis.

Conſcientia officiũ multiplex

Primò igitur conſcientia eſt accuſatrix prauæ tranſgreſſionis, iuxta illud, *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium.* Hunc accuſatorem maximè debemus timere, iuxta illud Senecæ, in libr. de mor. Nullum conſcium peccatorum tuorum timueris magis, quam teipſum: alienum enim potes effugere, te nunquã. Sicut autem charitatiuus accuſator primò corrigit ad partem, & ſi non emendauerit, poſtmodum publicè proclamat eum, vt dicitur Matth. 18. ſic conſcientia noſtra primò ſecretè hic in præſenti vita nos arguit, & ſi non emendabimus vitam noſtram, poſtmodum in generali iudicio proclamabit. Ideò præclarè Apoſtol. *Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur: cum autem iudicamur à Domino, corripimur vt non damnemur.*

Eſt accuſatrix prauæ tranſgreſſionis.
Rom. 2.

Secundo conſcientia eſt releuatrix noſtræ depreſſionis. In omni enim depreſſione vel turbatione terrena, ſingularis cõſolatio eſt conſcientia noſtra bona, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Vnde Ambroſius in lib. de off. dicit. Benè ſibi conſcius falſis non debet moueri conuitijs, nec æſtimare plus ponderis in alieno conuitio, quam in ſuæ cõſcientiæ teſtimonio. Et Gregor. Quid prodeſt, ſi omnes te laudent, & conſcientia te accuſat? aut quid obeſt, ſi omnes derogent, & conſcientia te defendit? Hinc & Auguſtinus ſcribens cuidam Manichæo dicit: Senti de Auguſtino quicquid velis, dummodo ſola me conſcientia in oculis Dei non accuſet. Eapropter ſicut liber ſine accuſatione eſſe non poteſt, quem ſola, quæ interius iudicat, conſcientia accuſat: ſic liber eſt, quem conſcientia defendit, liber etiam inter accuſationes, vt dicit Gregor. Hinc eſt quod Auguſtinus ſuadens cuſtodire conſcientiæ innocentiam ſic ait. Cuſtodi intus innocentiam tuam, vbi nemo opprimit cauſſam tuam; præualebit in te falſum teſtimonium, ſed apud homines: nunquid apud Deum valebit? Vbi cauſſa tua dicenda eſt, quando Deus iudex erit, alius teſtis quam conſcientia non erit; inter iuſtum iudicem & conſcientiam tuam noli timere, niſi cauſam tuam. Hæc Auguſtinus.

Releuatrix noſtræ depreſſionis.
2. Cor. 1.
Gregor. hom. 9. ſuper Ezech.
Aug. ſup. Pſal. 36.

Tertiò conſcientia eſt conſeruatrix bonæ poſſeſſionis: de quo dicit Bernardus. *Sanum vas conſcientia & ſeruandis ſecretis idoneum, nullis patens inſidijs, nullis violentijs cedens, vtpote nec manu, nec oculis acceſſibilis. Quicquid in eam poſuero, ſecurus ſum, ſeruabit viuo, reſtituet defuncto.* Hinc eſt, quod Holcoth comparat conſcientiam chartæ, in qua merita noſtra ſcripta ſint, per quam aſſecuremur de præmio paradiſi. *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona.* Ecce finis, ſcilicet præmium vltimatum pro præcepto debitum. An vides conſcientiam eſſe ſicut priuilegium ſuper aliquam hæreditatem, quod eſt benè ſeruandum à tineis & vermibus, quod etiam ſæpius eſt reuidendum & purgandum, ſicut fecit Paulus. *Studeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum.* Quartò conſcientia eſt vindicatrix fractæ promiſſionis. Omnes ſiquidẽ Chriſtiani profeſſi ſunt fidem ſeruare Deo, & eius præcepta implere: ideò quoties hoc promiſſum infringant, conſcientia non ſolum accuſat,

Conſeruatrix bonæ poſſeſſionis. Bernard.
1. Tim. 1.
Act. 24.
Vindicatrix fractæ promiſſionis.

 ſed

ſed etiam vindicat mordendo, & pungen-
Prou. 12. do, iuxta illud. *Eſt qui ꝑmittit, & quaſi gla-
dio pungitur conſcientiæ. Eſt qui promittit, &
non implet.* Verè magna eſt pœna remor-
ſus conſcientiæ in peccatore, qui ſemper
timet pœnam ſibi pro peccato debitam:
nec ſolum timet debitam pœnam, ſed eti-
am multò maiorem, quam actualiter ipſi
inferetur, iuxta illud. *Frequenter* enim *præ-*
Sap 17. *occupat peſſima redarguente conſcientia.* Et
ſequitur: *Semper enim præſumit ſaua pertur-
bata conſcientia.* dicit Holcoth, quod ini-
qui ſæpè præoccupent, id eſt, præconcipi-
ant peſſima, id eſt, maximè pœnalia ſibi
inferenda, redarguente eos conſcientia,
quæ iudicat ſibi maiorem pœnam deberi,
quam actualiter infertur. Hinc Hieremias.
Arguet te malitia tua. Et Auguſtinus 1. con-
feſſionum dicit. *Iuſſiſti Domine, & ſic eſt,
vt ſit ſibi pœna inordinatus animus* Et: *Nul-*
Aug. li. de *la pœna grauiores ſunt, quam malæ conſcien-*
vera in- *tiæ: in qua cum non habetur Deus, conſola-*
noc. 9. c. *tio nō inuenitur.* Eſt autem non parum mi-
29. rabile, quod quantumcunque peccator ab
alijs iuſtus iudicetur & innocens, nihilo-
minus tamen conſcientia ſua eum mor-
deat & torqueat, & dignum ſupplicio iudi-
cet. Hinc & Iuuenalis li. 5. ait, quod ſe ha-
beat conſcientia ſicut antiquitus iudex ſe
habuit, qui cum aliquem iudicare debebat
dignum morte, in vrnam lapillos nigros
mittebat, & eos effundebat coram populo;
& ſic reum oſtendebat eſſe condemnan-
dum: quando autem debebat hominem
innocentem liberare, ſolebat effundere al-
bos lapillos in teſtimonium innocentiæ.
Et hoc infert Iuuenalis, quod quamuis a-
liquis conſcius ſuæ malitiæ euadat iudici-
um iudicis; tamen à ſeipſo condemnetur,
& dignus ſupplicio iudicetur. Ideò Sene-
ca in lib. de moribus, inquit. *Mala conſci-
entia ſæpè tuta eſt, ſecura nunquam.*

Notandum, quod diuerſi diuerſas ha-
bent conſcientias. quidam dilatatam: alij
infirmam: alij perturbatam, ſeu læſam:
alij cauteriatam ſeu ſignatam. Dilatatam
conſcientiam habent illi, qui non ponde-
rant, niſi grauia peccata: & iſtorum con-
ſcientia eſt ſicut rete habens lata foramina
quo non comprehenduntur niſi magni
piſces, ſed parui euadunt. Eodem modo
tales non ponderant otioſa verba, vel iu-
ramenta, vel mendacia niſi ſint coram iu-
dice, vel niſi grauiter offenderint proxi-
mum: apud hos nulla ſunt venalia: mor-
talia verò rarò, niſi groſſiſſima, vt quę cla-
more populi eis innoteſcunt. Alij habent 2.
conſcientiam infirmam per oppoſitum,
qui non ſolum magna, ſed etiam parua &
minima grauiter ponderant: & de non
peccato faciunt peccatum; & hæc conſci-
entia frequenter à tentatione diaboli pro-
uenit, qui ſic inducit homines ad per-
plexitatem peccandi: ſicut legitur de quo-
dam Eremita, qui omnem fœminam vi-
dens deſpiciebat, & poſt eam ſpuebat, cum
tamen fœmina non ſit malum in ſe, niſi
malè conuerſanti. Tales ſunt etiam illi,
qui pectere caput in ſabbatho dicunt eſſe
peccatum; & tamen ducere filum non di-
cunt peccatum illo die. Alij ſunt qui ha- 3.
bent conſcientiam perturbatam, vt ſunt
illi, qui propter peccata commiſſa deſpe-
rant: contra quorum conſcientiam ni-
hil ita efficax eſt, ſicut meditatio vulne-
rum Chriſti, vt dicit Bernardus. Alij ſunt *Bern. ſup.*
qui habent conſcientiam cauteriatam, vt *Cant. ſer.*
ſunt illi, qui ponderant parua, ſed de ma- 63.
gnis nihil curant, ſicut Phariſæi fecerunt 4.
colentes culicem, camelum autem glutientes, *Matt. 23.*
hoc eſt, obſeruantes minima, negligentes
maxima, vt exponit Origenes. & hi ſunt
veri hypocritæ: vt dicit Apoſtolus. *In no-* 1. *Tim.* 4.
uiſſimis inquit *diebus exurgent quidam cau-
teriatam habentes conſcientiam* Gorra. id
eſt, corruptam, tam errore doctrinæ, quàm
culpæ, quam etiam concupiſcentiæ. Iſti-
uſmodi ſunt ſignati cauterio diaboli, de
quo Apocalipſ. 13 Hi omnes habent con-
ſcientiam erroneam, & ita domum malè
fundatam, peius ædificatam, & peſſimè
ornatam, imò deformatam.

Sed dices. Vnde prouenit error iſte cō- *Error cō-*
ſcientiæ? Reſpondeo quod ex octo cauſis. *ſcientiæ*
Primò ex ignorantia, quando homo ne- *ex 8. cau-*
ſcit, quid eligendum ſit, vel quid declinā- *ſis proue-*
dum: de quo dicitur *Cum ignoramus quid,* *nit.*
agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui 2. *Par.* 20.
vt oculos noſtros dirigamus ad te. *Secundo*
prouenit error ex negligentia, vt cum quis
negligit conſcientiam excutere, vel ſi ne-
ſcit ſe expedire, & negligit ab alijs modum
ſeſe

ſeſe expediendi, & extricandi, vti facere tenetur, inquirere. *Tertio* prouenit error ex ſuperbia, vt quando quis non humiliat intellectum ſuum, vt ſcilicet melioribus & ſapientioribus ſe velit credere. Contra eiuſmodi Apoſtolus ait; *Captiuantes omnem intellectum in obſequium fidei*: hoc eſt dicere, quod in credendis plus debeat homo conſentire fidei, quam ſibi, & in agendis plus alijs, quam ſibi. *Quarto* prouenit error ex ſingularitate, qua homo ſenſum ſequens proprium non conformat ſe alijs, nec ſequitur vias communes bonorum.

Num. 11. *Extrema caſtrorum conſumpſit ignis. Quinto* promanat ex affectu inordinato, qui ſæpè conſcientiam inclinat ad illud, quod homo appetit: & ſic facit eum à ſua rectitudine deuiare. Seneca. *Perit omne iudicium cum res venerit in affectum. Sexto* error oritur ex puſillanimitate, qua quis timet non timenda ſecundum rectum iudicium rationis.

Iſa. 35. *Puſillanimes confortamini. Septimo* pullulat idē ex perplexitate, quando ſe homo credit inter duo peccata poſitum eſſe, quorum alterum ſit impoſſibile declinare: perplexitas tamen nihil eſt, niſi ſimplicitas in ſe; poteſt tamen aliquis eſſe perplexus ſecundum quid, ſcilicet ſecundum erroneam conſcientiam, qua depoſita erit liberatus. *Octauo* prouenit idem ex humilitate & cordis puritate: vnde Gregorius. *Bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi minimè reperitur.* Primis ſeptem modis error eſt reprehenſibilis; octauo verò modo eſt commendabilis, nec error dicendus, ſed humilis ſuorum defectuum cognitio, dummodo non ſit nimia. Præter omnes iſtas eſt conſcientia bona, quæ eſt in fide vera & charitate non ficta; de qua dicit Hugo. Tranquilla conſcientia eſt, quæ eſt omnibus dulcis, nulli grauis, vtens ad gratiam amico, & inimico ad patientiam, cunctis ad beneuolentiam, quibus poteſt ad beneficia; cui nec Deus ſua peccata imputat, quia non fecit; nec aliena, quia non approbauit; nec negligentiam, quia non tacuit, nec ſuperbiam, quia in humilitate permanſit. Hæc ille. Hanc ergo conſcientiam ſtudeamus ſeruare, vt in ea quieſcentes per gratiam, tandē poſſimus gaudere per gloriam; quod nobis &c. *Hugo li.* 2 *de anima: cap.* 9.

DOMINICA LAETARE SERMO I.

Eſt puer vnus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos & duos piſces. Ioannis 6.

D. Aug. AVguſt. in libr. Soliloq. ca. 12 loquens ad Deum in perſona totius generis humani in hæc verba prorumpit. Scio Domine Deus & hoc confiteor, quia vbicunque ſum ſine te, malè eſt mihi præter te, non ſolum extra me, ſed etiam intra me: quia omnis copia, quæ non eſt Deus meus, mihi eſt inopia & egeſtas. Et ſubdit: Eia Domine, ex quo à bonitate tua vnica & ſumma temporalium rerum multiformitas per carnales ſenſus lapſum naturæ noſtræ deſubſtantiauit, ſeu deformauit; & dū multa ab vno diuiſit, facta eſt abundantia laborioſa & egeſtas copioſa; dum aliud & aliud ſequebar, & à nullo implebar: dum te non amplectebar incommutabilem, & ſingularem, & indiuiſum, quem ſecutus non erro; quem conſecutus non doleo; quem poſſidens ſatiatur totum deſiderium meum. Hæc Auguſtinus. Per quæ oſtendit, quod, ſicut fuit de ipſo, ſic ante aduentum Chriſti humanum genus non potuerit in aliquo bono creato ſatiari. Vnde licet habuerit tunc multiplices delectationes, in creaturis cœleſtibus, terreſtribus, aquaticis; & alias conſolationes multi-

multipliciter exquiſitas; omnes tamen illæ non potuerunt ſatiare deſiderium generis humani, donec veniret filius Dei: quia vt dicit Propheta. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Et iterum: *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei.* non vtique deſiderium carnis, aut concupiſcentiæ ſeu voluptatis, ſed animæ & ſpiritus. Iſte ergò Dominus veniens repleuit deſiderium animæ noſtræ; quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis; bonis vtique cœleſtibus & gratuitis. Hoc ſignare voluit Saluator noſter ſatiando turbas, de quibus in Euangelio; quas quidem quinque panibus hordeaceis ita perfectè ſaturauit, vt inſuper 12. cophini remanerent; ſignificans vtique, quod ipſe copioſè & abundanter omnibus eſcam animæ adminiſtret. [*Iacob. 1.*] *Dat omnibus affluenter.* De hac ſatiatione loquitur noſtrum thema, deſcribens panes & piſces, quibus Chriſtus ſatiauit turbam, de quo dicitur. [*Propoſit.*] *Eſt puer vnus hic, qui habet &c.* In quibus verbis deſcribuntur tria hoc ſacro tempore cuilibet Chriſti fideli comprimis neceſſaria: primò innocentiæ puritas, cum dicitur. *Eſt puer vnus hic*; ſecundò pœnitentiæ auſteritas, cum additur. *Qui habet quinque panes hordeaceos*; tertiò conſolationis iucunditas, cum ſubditur, *Et duos piſces* Iſta ſunt quæ hoc tempore maximè peccatoribus poſt remiſſionem peccatorum ſunt neceſſaria.

I.

[*Innocentia puritas Chriſti fidelibus neceſſaria.*] Deſcribitur in verbis prætactis innocentiæ puritas Chriſti fidelibus poſt remiſſionem neceſſaria. Dicit enim Hieronymus. Secunda tabula poſt naufragium eſt pœnitentia, per quam homo reuertitur ad innocentiam baptiſmalem: quæ quia maximè hoc ſacro tempore omnibus dignè pœnitentibus reſtituta eſt, ideò maximè debent eſſe cauti & ſolliciti, nè eis quoquo modo auferatur. Vnde Pſalm. admonens omnes tales, quibus reſtituta eſt innocētia, dicit; *Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem.* Dicit Gloſſa *Cuſtodi innocentiam*, nè ſcilicet extorqueatur à te, iuxta illud. [*Apoc. 3.*] *Tene quod habes, nè alius accipiat coronam tuam*: *Et vide æquitatem* ſecundum Innocentium, id eſt, vide, nè facias aliquid niſi æquum: & in his verbis tanguntur duæ partes iuſtitiæ generalis, quibus ſe homo habet erga Deum debitè, & proximum. Vnde quo ad Deum dicit; *Cuſtodi innocentiam.* Quo ad proximum. *Et vide æquitatem*; vt ſcilicet non facias aliis, quod tibi non vis fieri. *Quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico*, id eſt, quoniam Dominus reliquit hæc duo, ſcilicet innocentiam & æquitatem quaſi in teſtamento pacis, iuxta illud: *Statuit ei teſtamentum pacis.* [*Eccl. 44.*] Et: *Pacem meam do vobis.* [*Ioan. 14.*] In pace autem concurrunt hæc duo, ſcilicet innocentia, qua nulli noceamus; & æquitas, qua cunctis vt æquum eſt, ſubueniamus. *Cuſtodi* ergò *innocentiam*, vt nulli malum inferas; *Et vide æquitatem*, vt omnibus bona facias; quod eſt eſſe pacificum. Hinc Tullius, Primum fundamentum iuſtitiæ eſt, nè cui noceas: deindè, vt communi vtilitati deſeruias. Eandem innocentiam & deſcribens Pſalm. ait: *Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam*; & ponit hic latius partes iuſtitiæ ſeu innocētiæ. [*Pſal. 33.*] [*Innocentia Chriſtiana in tribus conſiſtit.*] Primò enim ad puritatem innocentiæ pertinet cohibere manum ab opere malo: ideò dicit; *Diuerte à malo*, quia in via huius vitæ occurrunt ſæpè peius & malum, & ab vtroque diuertendum eſt. 1.

Sed dices, Quare non dicit potius, reſiſte malo. Reſpondeo ſecundum Innocētium, quod ideò, quia nos ſumus debiles: ideoque, vbi non eſt fortitudo, conſilio vtendum eſt, iuxta illud. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus, & validus; quia cum diſpoſitione itur ad bellum, & erit ſalus vbi multa ſunt conſilia.* [*Prou. 24.*] Secundò ad puritatem innocentiæ pertinet promptitudo ad benè agendum: vnde addit. *Et fac bonum*; non enim ſufficit diuertere à malo, niſi illud ſequatur, ſcilicet facere bonum. 2. Hoc ſtudioſiſſimè debent penſare pœnitentes hodiè, vt non credant ſibi ſufficere, ſi caueant à malo, de quo pœnitent; niſi etiam bonis operibus, eleemoſynis, & orationibus, & ieiuniis intendant. Tertiò ad puritatem innocentiæ requiritur inquiſitio pacis ad Deum & ad proximum: nè ſi quis iniuriam fecerit proximo, incidat in 3.

manus

manus Domini; & ideò additur. *Inquire*
pacem, id eſt, ſecundum Innocentium, in
quire, quomodo pacem habeas cum Deo,
Rom.12. & proximo, & teipſo, iuxta illud. *Cum*
omnibus pacem habentes. Et *cum inquiſie-*
ris, perſequere eam, id eſt, perfectè ſequere
eam. Neceſſaria enim eſt diligentia in in-
quirendo: & ideò dicit non tantum quæ-
re, ſed *inquire*, id eſt, intentè quære. Item
neceſſaria eſt perſeuerantia in ſequendo
pacem; & ideò dicit non tantum ſequere,
ſed *perſequere*, id eſt, perſeueranter ſequere.
Matt. 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus*
erit. Vel dicit. *Inquire*, id eſt, interius quæ
re pacem in conſcientia, quia exterius nõ
eſt, niſi bellum & turbatio. *In mundo preſ-*
Ioan. 16. *ſuram habebitis, in me autem pacem.* *Vidi*
Eccl. 1. *cuncta, quæ ſub ſole erant, & ecce vniuerſa*
vanitas, & afflictio ſpiritus; quia cor vult
ſemper ad exteriora vagari. Vnde con-
queritur Pſalm. *Cor meum dereliquit me.*
Ideò benè addit; *Perſequere eam*, quaſi fu-
Hebr. 12. gientem. *Pacem ſequimini cum omnibus.*

Ex præmiſſis colligitur, quod innocen-
Innocentia Chriſtiana in tribus conſiſtit. tia Chriſtiana conſiſtat in tribus, ſcilicet
in abſtinentia à malo, exercitatione in bo
no, & perſeuerantia vtriuſque, quæ tria
requirunt alia tria: nam abſtinentia à ma-
lo requirit bonam voluntatem, & rectam,
quæ ſemper ad bonum tendat, & non fle-
ctatur ad malum: aliàs non eſſet recta; ex-
ercitatio in bono requirit puritatem ope-
rationis, vt opus noſtrum non ſit permix
tum aliqua macula; perſeuerantia verò in
vtroque requirit conſtantiam, vt homo
nunquam recedat à bono. Hæc tria tan-
Pſal. 17. guntur à Pſalmiſt. dicente. *Et retribuet mi-*
hi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, &
ſecũdum puritatem manuum mearum retri-
buet mihi, quia cuſtodiui vias Domini, nec
impiè geſſi à Deo meo. Ecce iſta tria. Bonam
voluntatem tangit, cum dicit. *Et retribu-*
et mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam.
Bonam operationem tangit, cum ſubdit.
Et ſecundum puritatem manuum mearum.
Perſeuerantiam tangit, cum addit. *Quia*
cuſtodiui vias Domini. Eſt ergò ſenſus. *Re-*
tribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam
meam, id eſt, vt Innocentius exponit ſecũ
dum bonam voluntatem meam. Anſel-
mus autem dicit, quod iuſtitia ſit rectitudo
voluntatis propter ſe ſeruata. *Et ſecundum*
puritatem manuum mearum retribuet mihi.
Puritas manuum, id eſt operum. Sciendũ, *Opus ex quibus impurum dicatur.*
quod opus dicatur impurum ratione car-
nalis affectionis. *Manus veſtræ plenæ ſunt*
ſanguine. Item cum fit propter mundi con- Iſaia 1.
cupiſcentiam. *Vt quid mihi thus de Saba* Ierem. 6.
affertis, & calamum ſuaueolentem de terra
longinqua? Et cum ſit cauſa inanis gloriæ. Matth. 6.
Attendite, ne iuſtitiam veſtram coram ho-
minibus faciatis, vt videamini ab eis: alio-
quin mercedem non habebitis. Vnde Greg.
Vecordia magna eſt magnũ agere, & lau-
di inhiare: quia vnde cœlum mercari po-
tuit, inde nummum tranſitorij ſermonis
quærit. Vltimo addit de perſeuerantia;
Quia cuſtodiui vias Domini. Viæ Domini *Via Domini quæ.*
ſunt opera, vel viuendi ordines. Item viæ
Domini ſunt præcepta & prohibitiones,
per quæ itur ad Deum. *Si vis ad vitam in-* Matt. 19.
gredi ſerua mandata Dei. Et: *Viam man-* Pſalm.
datorum tuorum cucurri. Benè dicit, *cuſto-*
diui, nõ ſolum ambulaui; quia multæ ſunt
inſidiæ & laquei in his vijs. *In via hac, qua* Pſalm.
ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum
mihi. Ideò Ieremias dicit. *State ſuper vias* Ierem. 6.
veſtras & videte, & interrogate de ſemitis
antiquis, quæ ſit via bona. Subiungit. *nec im-*
piè geſſi, à Deo meo recedendo. *Domine ad*
quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Au- Ioan. 6.
guſtinus in libr. confeſſion. Domine ſi
vis, vt fugiam à te, da mihi alterum te; vt
à te fugiam ad te, à te iuſto, ad te miſeri-
cordem. Hæc eſt ergò puritas, quam neceſ-
ſe eſt cuſtodire cuilibet pœnitenti.

II.

Habet quinque panes hordeaceos. Deſcri-
bitur in his verbis pœnitentiæ auſteritas. *Pœnitentia pani hordeaceo comparatur.*
Rectè autem pœnitentia comparatur pani
hordeaceo, tum quia dura, tum quia aſpe-
ra, tum quia pungitiua eſt. Grauis enim vi-
detur omnibus incipientibus & nondum
aſſuetis, iuxta illud. *Dabit tibi Dominus* Iſaia 30.
panem arctum & aquam breuem. Sed cer-
tè ſi homo incipiat penſare grauitatem
ſuæ culpæ, & aſperitatem gehennæ futu-
ræ, dulceſcet ei ſine dubio iſte panis: nam
dicitur in Prouerb. *Anima eſuriens etiam* Prou.
amarum pro dulci ſumet. Hac fame labora-

Qq uit Da-

uid Dauid, qui de ſe ait; *Cinerem tanquam panem manducabam.* Vnde autem prouenit iſta auſteritas, & proſperitas in peccatore, ita vt pænitentia videatur ei panis, non triticeus, ſed hordeaceus, videamus breuiter. Sicut autem dicitur in verbis thematis, panes iſti hordeacei erant numero quinque, ad ſignificandum, quod pœnitentia habeat quinque grauia impedimenta, quæ amaricent homini pœnitentiam: propter quæ etiam videtur pœnitentia ei multum auſtera & dura. *Pœnitentia auſteritas ex 5. impedimentis.* Primum impedimentum eſt pudor propalandi, ſeu reuelandi; ſecundum timor recidiuandi; tertium ardor delectandi; quartum torpor præſtolandi, & quintum deſperatio veniam obtinendi.

1\. Primum quod inducit auſteritatem pœnitentiæ eſt pudor propalandi, ſeu releuandi peccatum: qui obuiat omnibus pœnitere volentibus, & maximè hypocritis, & ſuperbis, qui volunt apparere hominibus deforis ſani, & pulchri, cum tamen ſint intus fœtidi. Pudet enim eos reuelare homini, quod ſoli Deo notum eſt, ſecum hoc modo ratiocinantes; Ex hoc ſuſpectus habebor, & quaſi nullius æſtimationis reputabor, qui prius videbar hominibus pudicus, caſtus, ſobrius, humilis, & quietus. Ecce quam aſper & amarus eſt iſte panis primus volenti pœnitere? Aufert nimirum diabolus homini verecundiam & pudorem cum ad peccatum inuitat: at ſi viderit eundem pænitudinem capere peccati commiſſi, pudorem ingerendo à propoſito nititur reuocare. Hinc quidam Sanctus vidit diabolum in Eccleſia, cum homines vellent confiteri, diſcurrentem ad quemlibet, & cuilibet in faciem inſufflantem: qui adiuratus, quid faceret, reſpondit. Reddo, quod abſtuli: reddo inquam modo pudorē volentibus confiteri, quem eis abſtuleram cum peccarent. *Medicina contra pudorem peccatum reuelandi triplex.* Contra hunc pudorem eſt triplex medicina; prima, conſideratio rationis naturalis: ſi enim non erubuiſti facere quod inhoneſtum & inutile fuit; non debes erubeſcere confiteri, quod honeſtum & vtile eſt, vti præclarè Bernardus dicit: O inſania nimia hominum: pudet ablui, & non pudet coinquinari: pudet ſordes abſtergere, & non pudet contrahere: abſtergitur caligo; & contemnitur ablui anima. Secunda medicina eſt virtus diuinæ intuitionis, cui nihil celare potes, etiam minimam cogitationem. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* *Hebr. 4.* Et Boëtius 5. de conſolatione in fine. *Omnia*, inquit, *agimus ante oculos iudicis cuncta cernentis.* Ad quod ergò illi erubeſcis confiteri, qui hoc nouit antequam factum eſſet. Tertia medicina eſt reuelatio futuræ confuſionis, iuxta illud: *Reuelabo pudenda tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* *Naum. 3.* Et: *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur.* *Ierem. 20.* Et: *Scrutabor Hieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis.* *Soph. 1.* Et: *Eſt confuſio adducens ignominiam, & eſt confuſio adducens gloriam.* *Eccl. 4.* Bona confuſio ſecundum Auguſtinum in præſenti, qua homo erubeſcit hic peccata, vt in futuro non erubeſcat. Sic ergò patet de primo pane hordeaceo.

2\. Secundus panis hordeaceus, ſiue ſecundum impedimentum agendæ pœnitentiæ, quod amaricat homini pœnitentiam, eſt timor recidiuandi, & hic multos retrahit, quia quidam timent ne non poſſint à peccatis abſtinere, de quibus proponunt pœnitere, vel nè non poſſint ferre pænitentiam eis iniunctam; ſic ſecum diſcurrentes. Ad quid vis pœnitere hodiè, cum cras in idem redibis? Contra hoc impedimentum eſt triplex remedium, quod dulcorat illum panem hordeaceum: *Remediū contra timorem recidendi in peccatū triplex.* primum eſt conſideratio pœnæ præſentis, quia modicitas; ſecundum eiuſdem leuitas; tertium temporis momentana breuitas: quibus è diametro opponuntur futuræ pœnæ magnitudo incomparabilis, acerbitas intolerabilis, æternitas interminabilis; de quibus omnibus apud Matth. *Ite maledicti in ignem æternum.* *Matt. 25.* Hinc Iob. 6. dicitur. *Qui timet pruinam*, id eſt, pœnam temporalem, *irruet ſuper eum nix magna.* Igitur alleuiatio & diſſoratio pœnitentiæ eſt recogitatio futurorum ſuppliciorum; de quibus Iſa. *Quis poterit habitare cum igne deuorante, & quis habitabit cum ardoribus ſempiternis?* *Iſa. 33.* Ecce ſecundus panis hordeaceus.

3\. Tertius panis ſeu tertium impedimentum agendæ pœnitentiæ eſt ardor dele-

Remediū contra 3. impedimentum. delectandi, quo diabolus perſuadet homini dicens. Recollige homo miſer delectationem, in qua verſaris, & vide quod ſine ea non poſſis ducere vitam? Sed certè contra hoc eſt facilis medicina; recordari videlicet, quia authore Gregorio, momentaneum eſt quod delectat, ſed æternum, quod cruciat. Eſt & aliud remedium recordari verbi illius, quod dicit Apoſtolus. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Non ſolum ergò talem delectationem poſſibile eſt vitare, ſed etiam qualemcunq; maiorem: quia vt dicit Saluator, *Omnia poſſibilia ſunt credenti*, & maximè, quia *non permittit Deus tentari nos ſuper id, quod poſſumus ſuſtinere.*

4. Quartus panis hordeaceus, ſeu quartum impedimentum agendæ pœnitentiæ eſt torpor præſtolandi, qui oritur ex duplici præſumptione, videlicet ex præſumptione vitæ prolixæ & finalis veniæ. Verè maxima difficultas, & aſperitas iſtius panis, quando peccator ſibi blanditur vitam longam, & largam Dei propitiationem.

Remediū contra torporem præſtolādi Sed contra hoc eſt remedium illud Auguſtini: *Qui tibi veniam ſpopondit, diem craſtinam non promiſit: nè tardes ergò conuerti ad Dominum; quia breues dies hominis ſunt.* (Eccl 5. Iob 14.)

5. Quintus panis hordeaceus, ſeu quintum impedimentum agendæ pœnitentiæ eſt deſperatio veniam obtinendi. Hanc inducunt tria: primò conſideratio quantitatis peccati, ſicut Cain in Geneſ. ait. *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* (Gen. 4.) Sed contra hoc eſt paſſio Chriſti, quam ſi quis conſideret, non poteſt habere tanta peccata, quæ per eius paſſionem non poſſint expiari, vt dicit Bernardus; quia vt dicitur in Pſal. non ſolum ſufficiens, ſed *copioſa apud Deum eſt redemptio*, Secundò deſperationem inducit frequens caſus recidiuationis: cogitat enim peccator, & deſperat, dicens: ad quid pœnitebo, cum hodiè faciam, & cras cadam? Sed contra hoc habetur remedium, quod dulcorat iſtum panem, illud dictum Saluatoris. *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, (Matt. 18.) quia Chriſtus eſt ſicut medicus, qui nouit centies infirmum curare recidiuantem. Tertiò deſperationem inducit conſideratio diuturnitatis, per quam ſibi homo dicit: adeò inueteratus ſum in hoc peccato, & tamdiu in eo ſteti, vt nunquam deinceps poſſim miſericordiam obtinere, ideò non confitebor. Sed contra hoc eſt illud quod dicitur in Pſalm. *Miſericordia Domini ab æterno, & vſque in æternum, ſuper timentes eum.* Et apud Ezech. *Quacunque hora ingemuerit peccator &c.* Hinc Leo Papa. Miſericordiæ Domini, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire. Ecce quam auſteri panes hordeacei ſunt iſta quinque impedimenta pœnitentibus; qui tamen ſi benè maſticati fuerint, faciles & dulces ſunt ad manducandum ex gratia diuina, quæ vnicuique hodiè præſto eſt: & ideò nulli eſt dubitandum, quin ſi velit voluntatem apponere propriam, omnia ſibi facilia ſunt futura; quia mentiri non poteſt, qui dixit. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* *Matt. 11.*

III.

Et duos piſces. Duo ſunt, amor & ſpes, quaſi 2. piſces dulces, qui pœnitētibus omnia amara & auſtera delectabilia & iucunda reddunt, ac ita facilitāt & alleuiāt onus pœnitentiæ, vt non videatur hō in aliquo grauari. Amor enim eſt piſcis ita dulcis, vt qui guſtat de eo, non ſentiat omnes tribulationes, & amaritudines huius ſæculi, & omnes difficultates pœnitentiæ, & omnia quæcunque ſibi occurrerint in bonum conuertat. *Amor Dei omnia ſuffert.* *Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* *Rom. 8.* Et enumerat ibi Apoſtolus multa genera pœnarum, paſſionum, & tormentorum, quæ omnia pœnitenti ſunt dulcia, propter amorem, quē habet: dicit enim ibi: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* quaſi dicat, nullus, nec aliqua tribulatio pœnitentiæ; eò quod ſola peccata diuidant nos, & Deum noſtrum *Quis ergò ſeparabit nos à charitate Dei? An tribulatio.*, ſcilicet corporis afflictio. *Iſa. 59.* quæ fit in pœnitentia, certè non; quia qualiſcunque ſit pœna pœnitentis, ipſe ſemper dicit. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineamus?* Quærit vltra. An anguſtia, id eſt, anxietas mentis ſicut Suſanna dixit. *Anguſtiæ ſunt mihi vndique.* *Iob 2.* Dan. 13. quaſi dicat, non Nec anguſtia, id eſt, triſtitia poterit nobis nocere, dummodo fiduciam cor noſtrum *Dan. 13.*

habeat ad Deum. Quærit vltra. An perſecutio? certè non, quia Dauid multas perſecutiones paſſus eſt à Saule, quæ ei nihil nocuerunt, vt patet 1. Reg. per totum. Quærit vltra. An fames, id eſt, penuria cibi, quæ iniungitur communiter pœnitenti; certè nihil nocebit, quia amor Dei in homine omnia iſta ſufficit: & præ dulcedine interiori nō facit ſentire famem, ſicut patuit in Helia & Moyſe, qui vltra humanam æſtimationem ieiunauerunt: & tamen alacres & læti fuerunt, ac ſi delicatis cibis paſcerentur; quod & patet de Daniele expreſſè & ſocijs eius, qui ſolis leguminibus vtentes, & cibos regios ſpernentes, valdè alacres & formoſi videbantur. Quærit vltra: An nuditas, id eſt, penuria veſtiū, certè nil minus; quia Ioānes portabat veſtimētum de pilis camelorum, & tamē fuit maximè commendatus. Quærit vltra. An periculum? certè non; quia Paulus in multis periculis erat; & tamen in omnibus lætus fuit. Quærit vltra. An gladius? certè non; quia multi Martyres *lapidati ſunt, ſecti ſunt, in ore gladij occiſi ſunt*; & tamen omnia vicerunt per fidem, & amorem Chriſti. Propter quod concludit Apoſtolus, quod in his omnibus poſiti ſuperemus, id eſt, vincamus propter eum, id eſt, per virtutem & amorem eius, qui dilexit nos. Ecce quanta iucunditas conſolationis cuilibet verè pœnitenti prouenit ex amore Dei; quem neque mors, neque aliqua creatura poteſt ſeparare à Deo: & per conſequens nulla tribulatio vel calamitas corporalis vel mentalis poteſt ei eſſe difficilis vel amara, ſi verè diligat Deū; quia vt dicit Hieronymus: Amanti nihil eſt difficile. Hinc dicit Pſalmiſta: *Gloriabuntur in te omnes, qui diligūt nomen tuum.* Non dicit, triſtabuntur. Cōcinit his D. Bernard. de. 12. grad. humil. dicens *O quam dulcis & ſuauis eſt cibus charitas, quæ feſſos alleuiat, debiles roborat, mæſtos lætificat, iugumq́ veritatis facit ſuaue & onus leue.*

Daniel.1.

Matt. 11.

2. Cor. 11.

Hebr. 11.

Rom. 8.

Spes futuræ gloriæ minuit auſteritatem pœnitentiæ.

Secundus piſcis dulcorans auſteritatem pœnitentiæ & leuigans omnes tribulationes præſentis vitæ, eſt ſpes & certitudo auxilij diuini in omnibus aduerſitatibus, ex certa expectatione futurorum gaudiorum proueniens. Quiſquis ergò aſperitate pœnitentiæ ſe grauari ſentit, recurrat ad ſpem; & omnia leuia inueniet, omnia dulcia æſtimabit, quia ſicut amor omnia lenit in homine, &, vt dictum eſt, amanti nihil eſt difficile; ſic & ſperanti. Hinc apud Iſa. dicitur. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem: aſſument ſibi pennas, & volabunt, & non deficient.* Hinc Bern. ſuper illud Pſal. *Quoniam tu es Domine ſpes mea*, dicit. Si ſæuiat mundus, ſi fremat malignus, ſi caro concupiſcat aduerſus ſpiritū, ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo in te. Iſti autem duo piſces ſic ſe habēt, vt vnus ſcilicet amor, capiatur in aqua dulci, ſcilicet charitatis, quæ dulcior eſt ſuper mel & fauum, iuxta illud; *Spiritus meus ſuper mel dulcis*; ſpes verò capiatur in aqua amara, quia non poteſt eſſe ſine meritis humanis, quæ vtique cum difficultate & amaritudine proueniunt: virtus enim eſt circa difficile, vt dicitur 2. Ethic. Vnde qui ſperare vellet præmium ſine meritis, præſumptuoſus eſſet: & ideò iſte piſcis eſt ex aqua amara; amor autem eſt ex aqua omnino dulci; quia amor non ponderat merita, vt dicit Gregor. in homil. de Maria Magdalena: audax enim, & intrepidus irruit ad præſentiam maieſtatis. Et benè iſti duo piſces coniunguntur: ſicut enim in conuiuijs magnatorum apponuntur diuerſis diuerſa, & nunc piſces recentes & dulces, nunc verò ſalliti; vt qui non poteſt guſtare de iſtis, guſtet ſaltem de illis: ſic in conuiuio Chriſti præſentis vitæ apponuntur iſta duo, vt qui non audet accedere audacter ad præſentiā diuinæ maieſtatis, vtpote puſillus in amore; ſicut eſt incipiens, ſaltem ſperet de Dei gratia, & meritis ſuis qualibus, talibus: & ſic nihilominus reficiatur pane pœnitentiæ hic per gratiam, vt in futuro poſſit refici pane æternæ conſolationis per gloriam: ad quam nos &c.

Bern. ſup. Pſal. 90.

DOMI.

DOMINICA LAETARE.

SERMO II.

Accepit Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Ioan. 6.

DICIT beatus Auguſtinus in li. 83. quæſt. Debemus Deo illud attribuere, vt cum fateamur aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare nō poſſe: in rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi eſt potentia facientis. Quaſi dicat: quod Deus multa faciat & poſſit facere, quorum rationem nos neſcimus aſſignare. Vnde ſecundum ipſum, ſi quæratur quare Deus aliquid faciat ſupra naturam, contra naturam, vel præter naturam: quare tam mirabilia, tam incomprehenſibilia, tam inſolita, tam inuſitata fecerit; non poteſt ratio melior reddi, niſi quia ita eius potentiæ placuit: ideo ergo talia facit quia poteſt. Et quia diſtributio quinque panum quinque milibus hominum per Chriſtum facta ad ſatietatem, fuit opus à ſęculo inauditum, & ideo ſtupendum & mirabile; ideo verè probauit hac ipſa Chriſtus ſe eſſe verū filium Dei, qui cum patre & Spiritu ſancto vnus Deus exiſtens, ſua admirabili potentia fecerit talia, quorum rationem humana ratio inueſtigare non potuit. Ad hoc igitur oſtendendum Chriſtus accepit panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. In quibus verbis tria dicuntur de Chriſto, quę hoc ſacro tempore cuilibet verè pœnitenti perquam maximè ſunt neceſſaria ad ſalutem. Primo dicitur, *Accepit panes*: Secundo *gratias egit*. tertio, *Diſtribuit*. In acceptione panum notatur eius humilitas, quia cum potuiſſet nouos panes creare per omnipotentiam, voluit tamen præexiſtentes & paratos accipere: ad oſtendendam humilitatem, in actione gratiarum notatur eius deuotio, qua ad Deum omnia referebat; in diſtributione panum notatur eius liberalitas, qua cunctis ad vota miniſtrabat, & vnicuique iuxta deſiderium ſuum prouidebat; Hæc tria & quilibet pœnitens debet habere; quia primo propter hoc, quod exiuit iam de ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ, & de filio diaboli factus eſt filius Dei, debet eſſe humilis & pauidus coram Deo, ne de accepta gratia ſuperbiat, & infletur: ſecundo propter hoc, quod à Deo multa bona receperit, & amiſſa recuperauerit, debet eſſe deuotus, & ſedulus, vt gratias pro omnibus agat: tertio propter hoc, vt pœnam tranſitoriam & ſatisfactoriam in confeſſione ſibi iniunctam redimat, debet eſſe liberalis, vt bona ſua egenis diſtribuat; atque ita in his tribus Chriſtum imitabitur.

Propoſit.

Magna humilitas Chriſti, *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum, formā ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo*. Et: *Cum eſſet einſdem potentiæ cum Patre. portans omnia verbo virtutis ſuæ, per quē Deus pater fecit & ſæcula*, vt dicitur ad Hebr. 1. Immo cum eſſet ille, *qui omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis*. & qui *dixit, & facta ſunt omnia*; idem ipſe talis ac tantus accepit panes ad reficiendum turbas, quas potuit ſolo nutu ſatiare. Ad quid autem aliud hoc fecit, niſi ad inſtruendum nos, vt in omnibus humiles ſimus? Hinc Diuus Auguſtinus in lib. de verbis Domini, dicit in perſona Chriſti, *Diſcite à me*, non mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, non in ipſo mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare; *Sed quoniam mitis ſum & humilis corde*. Si cogitas magnam

Philip. 2.

Hebr. 1.

magnam conſtituere fabricam celſitudinis de fundamēto prius cogita humilitatis. Hæc ille. licet autem cuilibet homini ſemper de humilitate prouidendum eſt, eo, quod humilitas in omnibus hominibus valdè ſit ſpectabilis; & vt dicit Valerius epiſcopus in quodā ſermone, in paupere grata eſt, in diuite glorioſa; tamē homini pœnitēti maximè eſt neceſſaria, præſertim hoc ſacro tempore, quo homo de peccatis veniam accepit in confeſſione, & tendit ad virtutum recollectionē & priſtinam reſtaurationem: circa quæ duo maximè ei eſt timendum, niſi habuerit humilitatem. Pro quo ſciendum quod humilitas tria bona faciat pœnitenti. Primò omnia vitia comprimit, ne reſurgant; ſecundo omnes virtutes perditas acquirit & reſtaurat; tertio reſtauratas cuſtodit. De primo dicit Auguſt. in li. de verbis Domini, quod humilitas ſit ſicut medicina omnibus cōſulens. Ipſa enim omnia tumentia & ſuperba comprimit; omnia tabeſcētia & infirma ſeu fragilia in homine reficit; omnia ſuperflua reſecat; omnia deprauata corrigit. Qua enim ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate filij Dei non ſanatur: quâ iracundia ſanari poteſt, ſi patientia filij Dei non ſanatur? Hæc Auguſtinus. Ecce ſecundum dicta huius S. Patris humilitas comprimit vitia, ne reſurgant, & maximè deprimit ſuperbiam, ne mens hominis de cætero eleuetur contra Deum. Refert Philoſophus in li. de animalibus, quod ceruus intrans ſyluam deprimat cornua & incuruetur, ne per ramos arborum in curſu retrahatur, & retardetur. Eodem modo debet facere pœnitens, qui hodie intrat ſyluam & ſolitudinem pœnitentiæ, vt deponat cornua ſuperbiæ, ne per eam retrahatur & retardetur a ſalute ſua. Vnde Pſalm. conſulit peccatoribus dicens: *Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu.* Hoc maximè tangit pœnitentes illos, qui pro eo, quod iam mala de quibus pœnitent non agāt, magnæ reputationis ſe exiſtimāt: vnde eis dicitur. *Nolite exaltare cornu.* Exponit Inno. *Nolite exaltare cornu,* per ſuperbiam, dicendo vos iā hoc eſſe iuſtos, quia peccata non committitis, dicētes cū ſuperbo phariſæo. *Non ſum, ſicut cæteri hominū, raptores, iniuſti.* Non enim ſufficit declinare a malo, niſi etiā fiat bonū: ideo qui declinat à malo, & tamen bonum omittit; non debet exaltare cornu, præſumendo aut defendendo ſe, quia eiuſmodi dicetur, *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare item aledili.* Hæc Inno. De tribus autē ſolet homo pœnitens gloriari, & ſuperbire, quæ neceſſe eſt reprimi per humilitatē, ſcilicet de generis nobilitate, mortis contemptu, & vitæ ſanctitate. Credit enim, quòd per hæc tria poſſit in cœlū aſcendere, quia nobilis Dei creatura, quam impoſſibile ſit à Deo damnari, cum ſit eius imago: ſecundo quia credit ſe ita fortē, vt etiam mortē pro Chriſto ſuſcipere, & ſicut ſtrenuus miles eam non timere ſibi videatur: tertio, quia etiam multa per abſtinentiam & ſanctitatem ſuam promeruiſſe ſibi videtur. Hæc tria tangit Pſalmiſta dicens: *Dixi iniquis, nolite extollere in altum cornu veſtrum,* id eſt, nolite ſuperbire, quia *neque ab oriente,* id eſt, à generis nobilitate, ſuperbire debetis, *neque ab occidente,* id eſt à contemptu mortis; *neque à deſertis montibus,* id eſt, a ſanctitate & abſtinentia. Et ſequitur medicamētum humilitatis, quibus iſta omnia comprimuntur. *Quoniam Deus Iudex eſt,* qui ſecundum innocentiam nobilior, ſtrenuior & ſanctior; & tamen non fuit ſuperbus, ſed humiliauit ſemetipſum vſque ad crucis ignominiam. Quæ certe verba ſatis oſtēdunt cuilibet verè pœnitēti, quantū humiliari debeat, cū nō habeat materiā ſuperbiendi ex tota vita ſua; quia nec à principio, nec à fine, nec à medio; habet autē ſufficientē materiam ex omnibus iſtis humilitatis, ſi velit aduertere. Vnde ſecundū Inno. IV. ſenſus eſt, non debetis ſuperbire, quia nihil habetis in vobis, vnde ſuperbire poſſitis; ſed tantum humilitatis materiam in vobis inuenire poteſtis, quia *neque ab oriente,* id eſt, à principio vitæ veſtræ, *neque ab occidente,* id eſt, à fine; *neque à deſertis montibus,* id eſt, à tota vita veſtra poteſtis ſuperbire, ſed magis humiliari. Per deſertos montes, qui cum magna difficultate coluntur, & vix bonū fructum faciūt, faciliùs autē ſpinas & tribulos afferunt, benè ſignificatur vita hominis, quæ cum magna difficultate ad bonum trahitur, facilè

autem

Humilitas ſectāda.

Humilitas tria bona pœnitenti præſtat.

Medicinæ ſimilis.

Pſal. 74.

Luca. 18.

Pœnitens de tribus ſuperbit.

Iob. 14.

autem ad malum. Hinc de tribus præmiſſis dicitur *Homo natus de muliere.* Ecce principium vile *Breui viuens tempore.* Ecce finis terribilis. *Repletur multis miſerijs* Ecce medium miſerabile, De his ergo non poteſt ſuperbire Vnde præclarè Innocen. tertius de vilitate humanæ conditionis.

Vnde ſuperbit homo, cuius conceptio culpa,
Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori.

Ne ergo extollat cornu, maximè quoniam Deus Iudex eſt, qui ſuperbos humiliat. Sic ergo patet primum; quomodo humilitas hominem à malo retrahit.

Humilitas virtutum radix.

Secundo humilitas omnes virtutes in homine reparat & reſtaurat. Eſt enim humilitas in virtutibus ſicut radix in arboribus, quæ ſi ſana fuerit, ſpes eſt bona de ramorum fructificatione: ſic ſi humilitas perfecta fuerit in homine, omnia fructificabunt opera virtutum, quæ prius mortua fuerunt; quia ſicut poſt mortificationem radicis in hyeme, ſuperueniente vere reſtituitur pulchritudo & decor ramorum, & ſpes eſt de fructu; ſic recuperata humilitate omnia recuperantur & reuiuiſcunt in pœnitente; quæ non poſſent reuiuiſcere ex ſe ſine humilitate quaſi ſine radice. Hinc dicit Gregorius 27. lib. moralium. Origo virtutis humilitas eſt; veraciter illa in nobis pullulant, quæ in radice propria, id eſt, humilitate, perdurant, à qua nimirum ſi abſcidantur areſcent: Huius ratio eſt ſecundum Gregorium, quia omnium virtutum incrementum eſt à charitate, quaſi ab humore viuificante; qui humor ſi debeat diffundi in ramos ſurſum, prius oportet eum eſſe in radice deorſum. Qui ergo humilitatem habet, habet pariter & charitatem, qua habita omnia rehabentur, quia omnia bona reuiuiſcunt cum illa; & quo ad hoc ſcilicet ad humorem viuificantem, qui eſt in humilitate, Auguſtinus ſuper Ioan. homil. 8. dicit, charitatem etiam eſſe radicem omniũ bonorum; quæ tamen ſine humilitate non poteſt eſſe; quia humilitas eſt proprius locus charitatis.

Humilitas comitatur charitatem.

Humilitas conſeruat virtutes.

Hier. ſup. Matth. c. 19.

De tertio quomodo humilitas omnes virtutes in verè pœnitenti custodiat, dicit Hieronymus. Humilitas eſt conſeruatrix cuſtoſque virtutum; & nihil eſt, quod ita Deo gratum faciat hominem & hominibus, quam ſi vitæ merito non magni, ſed humilitate eſſe infirmi videantur. Multum ergo debet pœnitens ſolicitari de humilitate, ne bona quæ agit ſine ea amittat; qui .n. ſine humilitate virtutes congregat, in ventum puluerem portat. Et Greg. 8. lib. moral. dicit. Perit omne quod agitur, ſi nõ humilitate cuſtodiatur. Ex his omnibus patet, quod ſumma noſtræ perfectionis, in humilitate conſiſtat; vnde præclarè dicit Hugo lib. 3. de clauſtro animæ, quod ipſa ſit inter virtutes, ſicut mel inter merces pharmacopolæ. Sicut enim mel concordat cum omnibus ſpeciebus & confectionibus medicinæ: ita ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutum. Ex hoc conſequenter patet, quod non poſſit quis verè dici perfectus, qui hac virtute priuatus eſt; vt dicit Caſſiodorus ſuper illud Pſalm. *Humiliatus ſum vſquequaque*: per hanc enim ſecundum ipſum, membra Chriſti ſciunt diaboli viciſſe ſuperbiam: per hanc fideles ſuper regna proficiunt; per hanc ſuperbia tyrannica ſuperatur; per hanc in æternum Martyres coronantur. Quiſquis ergo dignè pœnitere ſe dicit, diligenter attendat, vt humilitatem habere ſtudeat, quatenus & mala præterita comprimere, bona perdita reſtaurare, & ea conſeruare poſſit.

Sine humilitate nemo perfectus.

II.

In verbis præmiſſis vti dictum, tangitur Saluatoris gratiarum actio, per quam nos ad deuotionem & diuinæ laudis confeſſionem informat. Et certè neceſſitas magna incumbit homini, vt reddat altiſſimo gratias, ex quo videt Dei filium agere gratias Deo Patri: ſi enim gratias agit Deo Patri, conſubſtantialis eius filius, quia omnia bona omnibus largitur, & qui exiſtens plenus gratia & veritate omnibus dat dona gratiarũ, cum in ipſo ſint omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quantò magis homo pauper & mendicus, & per omnia in ſe defectuoſus, meritò debet gratias agere pro omnib⁹ beneficijs ſibi à Deo præſtitis? Circa quod tria notanda, ſcilicet gratiarũ actionis neceſſitas, eiuſdem voli-

Gratiarum actionis neceſſitas.

tas, & eiuſdem qualitas. De primo ſcilicet, de neceſſitate gratiarum actionis patet, quod ex triplici genere creaturarum inducitur homo ad reddendum gratias Deo, ſcilicet ex genere creaturarum, quæ ſolum habent eſſe naturæ; ſecundo ex genere illarum, quæ habent eſſe naturæ & gratiæ; tertio ex genere earum quę habent eſſe naturæ, gratiæ & gloriæ. Primum patet, quia creaturæ habentes eſſe naturæ tãtum, non ceſſant laudare Deum, & eidem gratias agere, prout poſſunt; eo quod omnis ſpiritus laudat Dominum. Et Dan. 3. inducuntur creaturæ terreſtres, aquaticæ, aereæ, igneæ, ſimplices, mixtæ, ſicut ſunt aquæ, volucres cœli, piſces maris, ignis, grando, nix, glacies, frigus, æſtas, ſol, luna, & ſtellæ, ſerpentes & volucres pennatæ, & vniuerſa germinantia in terra. Hæc enim omnia benedicunt Domino ſuo modo, & faciunt homini ſeipſas materiam benedicendi & laudandi Deum pro tantis beneficijs ipſi homini à Deo in iſtis creaturis exhibitis. Vnde Seneca Epiſtola. 83. dicit, hanc eſſe iuſtitiam naturalem, ſecundum quam conuenit vnicuique, quod ſuum eſt reddere, ſcilicet beneficio gratiam. Et certe in hoc creaturæ irrationales inueniuntur multis hominibus meliores, quia illæ non negligunt hanc iuſtitiam quam homo non curat: vnde & idem Seneca dicit, quod agri fertiles non negligunt hanc iuſtitiam, qui multo plus reddunt quam acceperunt. Si ergo inſenſata reddunt gratias: certè maximè homo vrgetur exẽplo eorum ad idem faciendum, præcipuè cum omnia bona à Deo conſtet hominem habere. Vnde omnis profectus ad diuinitatis numen referendus eſt: quia dicit Caſſianus in quadam epiſtola, Nihil conſtat eſſe bonum, niſi quod ab ipſo dinoſcitur eſſe collatum. Secundo idem patet ex genere creaturarum, quæ habent eſſe naturæ & gratiæ, vt fuerunt ſancti Viri, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Confeſſores, Martyres, Virgines, viduæ, omneſque ſancti, qui dum viuerent in terris, pro omnibus bonis gratuitis à Deo ſibi collatis maximas gratias agebant. Vnde quidam ipſorum offerebant dona & ſacrificia, oblationes, decimas & holocauſta: quidã vocib' in cęlum Dei bonitatem extollebant, cantantes & pſallentes in cordibus ſuis Domino: quidam eum datorem largiſſuum alijs prædicabant. Vnde & benè gratus fuit, qui dixit; *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Deus per creaturas laudatur,

Tertio idem patet ex genere creaturarum, quæ habent eſſe naturæ, gratiæ, & gloriæ, vt ſunt Angeli, beati, & animæ ſanctorum in cœlo; de quibus dicitur in Pſalm. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te* Inno. exponit. *In domo* illa cœleſti, non manufacta. *in ſæcula ſæculorum,* id eſt, in æternum *laudabunt te,* id eſt, gratias agent propter beneficia à te collata, & propter tuam bonitatem. *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt.* De hac domo dicitur: *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* *Iſaiæ. 51.* Et quod ſancti requiem die ac nocte non habeant dicendo, Sanctus Sanctus Sanctus qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. *Apoc. 4.* Si igitur in omni loco damnationis eius benedicitur Deus, *Pſal. 102.* eo quod ſecundum Inno. vbique terrarum, vbique creaturarum effluit largitas ſuæ bonitatis: quid facit miſer homo, ſi non laudat Deum, qui adhuc poſitus eſt in loco horroris, & vaſtę ſolitudinis, cum videat ſanctos Angelos laudare eum in loco voluptatis? O ſi illi laudant qui tamen ita ſecuri ſunt de gloria, vt eam nullatenus amittere poſſint, quare non laudat homo qui neſcit, an odio vel amore dignus ſit, *Eccl. 9.* vt quandoque peruenire ad gloriam de miſeria poſſit.

Dubium.

Sed dices, quid mirum Domine, ſi Deus laudatur ab alijs, quibus multa bona fecit & facit? ego autem qui ſemper miſeriam patior in hac vita, pro quo ei gratias agam? Reſpondeo, quod non mirum, quod gratias Deo non agas, ex quo dona tibi à Deo data non ſentis vel non intelligis. Porci à natura ita comparati ſunt, vt non eleuent caput ſurſum, vt videant quercum; ſed tãtum glandem deorſum conſiderant: neſciunt enim glandem cadere ex arbore, ſed credunt in terra generari. Sic & ingrati quia neſciunt à Deo omnia ſibi deſcendere, ideo non referunt gratias. Vnde multi dicunt: *Quis oſtendit nobis bona?* Dicit Caſſidorus in quadam Epiſt. Qui quanta ſibi

gratia

gratia collata ſit, non intelligit, vel neſcit, quantas largitori gratias debeat, non intelligit, nec enim poteſt quis plenè intelligere, quod accepit, niſi meminerit, quid ante meruerit. Hæc ille. Ex hoc eodem fonte concludit Seneca Epiſt. 82. quod nemo ſciat referre gratias, niſi ſapiens, eo quod ipſe omnia examinet ſecum, quid ſc. acceperit, quando, vbi, & quemadmodum. Patet ergo ſolutio dubii, quod Chriſtianus non agens gratias Deo non faciat hoc, niſi ex ſtultitia ſua maxima, qui ſi eſſet ſapiens, ſciret vtique & vellet eas referre. Sed dices: Domine ego libenter ſcirem & addiſcerem iſtam ſapientiam, qua Deo gratias ſcirem referre. Reſpondeo, iſtam ſapientiam faciliter acquiri, ſi oculus mentis noſtræ ad diuina beneficia

Pſal. 102. conſectatur; de quibus Pſalmiſta enumerans ea, dicit. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Et ſequitur. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Quaſi dicat, ſi alia non eſſent, ſufficeret hoc, quod ipſe retribuit tibi bona pro malis: cogita ergo, quod male facias & feceris, & inde videbis retributiones Dei, qui te non damnauit, ſed ad pœnitentiam vocauit & expectauit, & multa bona tibi tribuit. *Retributiones* etiam dicit, id eſt, iteratas & frequentes donationes & con-

Iſaia. 44. donationes, quas non debemus obliuiſci: *Non obliuiſcaris mei; deleui enim vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Enumerat autem l. c. Pſalmiſta ſex beneficia, pro quibus homo maximè deberet gratias agere, quorum primum eſt venia peccatorum: vnde quo ad hoc dicit: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus*

Iſaia. 43. *tuis.* Et Iſaias inquit, *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Bene di-

Michea vlt. cit *omnibus*, quia ſimul dimittuntur omnia, iuxta illud. *Deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Mare eſt pœnitentia, in quo ſubmerguntur AEgyptij, id eſt,

Peccatum duo mala cauſat. peccata & dæmones. Peccatum duo mala facit; vnum eſt, quod obligat ad pœnam æternam; alterum, quod vulnerat, & debilitat animam, vt impotens ſit ad bonum: vnde non ſufficit, vt pœna dimittatur, niſi & vulnus curetur. Ideo Deus ſecundum *2.* beneficium homini oſtendit in hoc, quod

ſanat & curat animæ vulnera, de quibus *Luc. 10.*

ſequitur. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas.* *Dubium.*

Et apud Luc. *Alligauit vulnera eius.* Sed quid eſt quod ſanat omnes infirmitates?

cum Apoſtolus dicat, *Quia virtus in infirmitate perficitur?* *2 Cor. 12.* Solutio. Loquitur hic de anima & de infirmitatibus animæ, quas Dominus ſanat, licet non ſanet infirmitates carnis, in quibus virtus perficitur. Dicit autem *omnes infirmitates*, quia multæ ſunt infirmitates animæ: auaritia enim eſt quaſi hydropiſis, ira febris, ſuperbia apoſtema, hæreſis lepra, gula boliſmus, luxuria gomorra, phthyſis inuidia. Has ergo omnes infirmitates ſanat Dominus in ſeruis ſuis, maxime hoc ſacro tempore quadragesimali per ſacramentum pœniten-

tiæ. Tertium donum eſt, quod non ſolum *3.* ſanat infirmum peccatorem, ſed ſuſcitat

eum quaſi mortuum; ideo additur. *Qui re-* *Eccl. 20.* *dimit de interitu vitam tuam*, ſcilicet pretio ſanguinis ſui. Eſt qui multa redimat modico pretio, ſcilicet Chriſtus, ſanguine

ſuo. Sed nunquid Chriſti ſanguis modi- *Dubium.* cum eſt pretium? Solutio, modicum quã-

titate, magnum valore. *Empti eſtis pretio* *1 Cor. 6.*

magno. Et: *Non corruptibilibus auro aut* *1. Pet. 1.* *argento empti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni.*

Quartum donum eſt coronatio, de qua *4.* ſequitur. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, ſcilicet pro victoria, quam habes ex pugna. Sed dices, tamen Apoſtolus dicit, quod corona noſtra ſit ex iuſtitia.

Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Solutio, *2. Tim. vlt.* miſericordia eſt, quod Dominus promiſit; iuſtitia, quod reddit. Innoc. autem dicit, quod ideo dicatur corona miſericordiæ, quia licet meritis reddatur, tamen ex maxima miſericordia Dei eſt, quod ipſe det gratiam, quæ eſt fundamentum meriti, & ſecundum hoc iſtud donum eſt gratiæ collatio. Quintum donum eſt adim- *5.*

pletio deſideriorum: vnde ſequitur. *Qui re-* *Prou. 10.* *plet in bonis deſiderium tuum.* *Deſiderium ſuum iuſtis dabitur.* Quid autem deſiderat anima ſcil. iuſti, vel quo replebitur? Certè

R r nonniſi

nonniſi ipſo Deo, quia dicit Auguſt. Animam Dei capacem nihil minus Deo implere poteſt, iuxta illud. *Prou.11.* *Deſiderium iuſtorũ omne bonum eſt*, id eſt, Deus, & ſecundum hoc iſtud donum eſt precum exauditio. Et notanter dicit *Replet in bonis*, quando ſcilicet bona deſiderantur: nam cum bona non ſunt, non adimpletur deſiderium. Vnde petentibus vltionem diſcipulis, dictum eſt. *Luc.9.* *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*. Sextum eſt mentis renouatio, vnde ſequitur. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*. Sicut enim natura aquilæ eſt, vt cum ſeneſcit, habeat roſtrum durum, & ponderoſum, vt non poſſit comedere, quam duritiam deponit, allidendo roſtrum ad petram: Sic & faciet Deus animæ, quando depoſita ponderoſitate corporis eius in morte, ad guſtandum ſuam dulcedinem eam eleuabit. Facit hoc & in præſenti vita per gratiam, per quã depoſita vetuſtate culpæ renouat eam in ſpiritu mentis, vt dicitur Epheſ. 4. vt ſic in nouitate vitæ ambulet Rom.6 1. Reg.10. *Mutaberis in virum alium.* Sunt & alia plura beneficia, quę ibidem enumerat dicens: *Miſericors & miſerator Dominus, longanimis* ſcilicet per patientiam, *& multum miſericors*, ſcilicet expectando conuerſionem, *non in perpetuum iraſcetur, neque in æternũ comminabitur*, quaſi dicat, non vlciſcetur in futuro ſed in præſenti, quod ſecundum Gregorium fit ex miſericordia; *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis*, id eſt, non tãtum verberat in præſenti, quantum meruimus *Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis*, quia cum magna flagella deberet retribuere pro magnis peccatis, parua & pauca retribuit, iuxta illud: *Iob.33.* *Vt eram dignus, non recepi*. Maximè autem in hoc miſeretur, quia fugat longè à nobis peccata. Vnde dicitur. *Secundum altitudinem cœli à terra corroborauit miſericordiam ſuã ſuper timentes ſe. Quantũ diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* Super omnia iſta Deus dicitur miſericors maximè, quia omnia homini facit gratis. Vnde ſequitur *Quomodo miſeretur pater filiorum*, ſcilicet gratis: pater enim miſeretur filiorũ, nutriendo eos, neceſſaria miniſtrãdo, docendo, caſtigando *ſic miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Ecce quanta beneficia quæ deberent hominem ſemper mouere ad gratiarum actiones Deo reddẽdas: maxime tamen hoc ſacro tẽpore, in quo præter bona naturalia & fortuita hodie maxima bona gratię in remiſſione peccatorum eis ſunt collata.

Reſtat videre de ſecundo, vtilitate ſcilicet gratiarum actionis. Eſt autem vtilitas *Gratiarum actionis vtilitas.* vna inter plures iſta, quod homo gratias agens de paruis mereatur recipere magna, iuxta illud Caſſian lib. 4. epiſtola. Inuitat ad magna, qui gratanter ſuſcipit modica, & ſpem de futuris accipit, qui tranſacta beneficia recognoſcit. Hinc Bern. quod ſicut apud omnes ideo intrãt mare, vt iterũ *Bern. ſu. Cant. ſerm.13.* fluant; ita homo debeat referre omnia bona in Deũ, vt iterũ & iterũ ab eo accipiat eadẽ, vel maiora. De tertio ſcilicet qualitate gratiarũ actionis, quales debeãt eſſe, ſciendum, quod gratias debemus agere quinque modis: primo deuotè & iucũdè, & merito iucundè, quia ſine merito dantur nobis beneficia Dei, iuxta illud. *Gratiæ agendæ quinque modis.* *Gratia Dei ſum id, quod ſum*; Secundo magnificè, quia magna dantur nobis. *2. Mach.1.* *De magnis periculis à Deo liberati magnificè gratias agimus* Taliter modo gratias Deo egit, qui dicit. *Magnificate Dominum mecum.* id eſt, laudando & prædicando eum magnum annunciate. Tertio aſſiduè, quia continue beneficia impenduntur nobis, *Epheſ. 5.* *Gratias agentes ſemper de omnibus, & pro omnibus*. Quarto integrè, quia omnia ſunt bona & integra, quæ dantur nobis. *In omnibus gratias agite.* *1. Theſſ. 5.* Quinto conſtanter, ſcilicet tam in proſperis, quam in aduerſis. Vnde Auguſt. ſuper illud. *Repleatur os meum laude* dicit, quod tota die, id eſt, ſine intermiſſione laudare in proſperis, quia conſolaris. in aduerſis quia corrigeris. Et Chryſoſt. in tractatu de ſymbolo dicit. Si venerint mala benedicite vt diſſoluantur mala: ſi proſpera venerint, benedicite, vt perſeuerent proſpera.

III.

Deſcribitur Saluatoris noſtri panũ diſtributio, per quã nos ad liberalitatẽ largitionis eleemoſynarũ hoc ſacro tẽpore informat: licet enim multa ſint inducentia hoc ſacro tempore ad largitionẽ eleemoſynarũ tam prophetica, quam Apoſtolica ſcripta, tamen maximè exemplum Chriſti mouere nos debet ad hoc faciendum, qui diſtribuit panes eſurientibus turbis, cõpaſ-

ſus miſeriæ eorum. Hinc & Dominica hęc vocatur Dominica panum ad ſignificandum, quod debemus noſtrum panē frãgere eſurientibus, & eorum eſuriem ſatiare, ſi volumus ſatiari à Deo, cũ apparuerit gloria eius, maximè cum eleemoſynæ noſtræ ſint ſatiſfactoriæ pro peccatis noſtris. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Et: *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Pro quo ſciendum quod homo inducatur ad faciendum eleemoſynã hoc ſacro tempore ex tribus, ſcilicet ſi cõſideret quis petat eã, pro quo petat, & ad quid petat. Primo conſideret quis petat eam, quia Deus, pro cuius amore petit eam mendicus. Deus enim in tantum diligit pauperes, vt quicquid fit eis propter amorem ſui, reputet ſibi factum, iuxta illud. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis* Petit igitur Deus eleemoſynam per pauperem ſuum, à quo diues petet quandoque regnum; & ideo cum diues negat pauperi modicum fruſtum panis, timere debet ne Deus non audiet eum cum ab eo petet regnum æternæ fœlicitatis, iuxta illud: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperum. clamabit ipſe, & non exaudietur.* Secundo debet conſiderare, quid petat, quia petit non noſtrum, ſed ſuum: *Quid enim habes quod non accepiſti* dicit Apoſtolus? Et ideo valdè ingratus eſt, qui pauperi negat modicam eleemoſynam, cum ipſe habeat à Deo abundantem menſam ſuam. Hinc dicitur. *Tua ſunt Domine omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Tertio debet homo conſiderare, ad quid petat; Deus enim petit non ad dandum, ſed mutuandum, nec tantum ad duplas ſed centuplas vſuras. Matth. 19. *Centuplum accipietis.* Ideo ingratus eſt Deo, qui ad tales vſuras nõ vult mutuare Deo, ad quas tamen mutuaret Iudæo vel Saraceno. Hinc diues eſt ſicut mercator, qui nõ debet vacuus redire domum, ſed cũ lucro, quod eſt eleemoſyna: ad hoc enim Deus dedit diuitias diuiti vt de eis miſereatur pauperibus; alioquin tali mercatori inutili tolletur talentũ, & dabitur alteri meliori, quia ſæpè Deus tollit diuitias auaris, & dat eas pijs & compaſſiuis. O quot mercatores ſunt hodie in ſæculo, diuites dico, qui ſtultè mercantur, dantes illis merces ſuas, qui eis reddere non poſſent in nudinis futuræ gloriæ: quales ſunt, qui multa dant hyſtrionibus pro vana gloria dilatãda; de quibus tamen nihil inuenient in futuro; quia de talibus dicitur. *Receperunt mercedem ſuam.* Nos igitur faciamus nobis amicos de mãmona iniquitatis, qui nos recipere poſſint in ęterna tabernacula tempore neceſſitatis, ad quæ nos perducat. &c.

Eleemoſynæ fructus. *Dan. 4.* *Luca. 12.* *Tria in erogandis eleemoſynis conſideranda.* 1. *Matt. 25.* *Prou. 21.* 2. *1. Paral. 29.* *Diues mercatori ſimilis.* *Matt. 25.* *Matth. 6.*

DOMINICA IVDICA.

SERMO I.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Ioan. 8.

Aug lib. de agone Chriſt.

DICIT D. Auguſtinus. Errat quiſquis ſe veritatẽ cognoſcere putat, qui adhuc nequiter viuit, quaſi dicat, quod nullus malus efficaciter poteſt veritatem cognoſcere. Quid igitur mirũ, ſi Iudęi mali exiſtentes in ſe, nõ poterant veritatẽ à Christo dictam & factã cognoſcere? nec eius operibus & ſermonibus credere, præſertim cum ipſi eſſent ita ſuperbi, ita inflati, vt omnẽ in ſe ſufficientiam habere arbitrarentur? Vnde Saluator eis ait: *Quomodo*, inquit, *poteſtis credere qui gloriã ab inuicem accipitis, & gloria, quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* q. d. vana gloria & ſuperbia veſtra obſtat vobis, ne credatis in me. Hinc Aug. de ſe dicit in l. cõfeſſ. ꝙ quãdiu inflatã faciem mẽtis ſuę habuit, et tumẽs ſęculari põpa & vanitate, veritatẽ non poterit cognoſcere.

& Gregorius. *Tumor mentis obſtaculum veritatis.* Cum igitur ex parte Chriſti nulla cauſa fuerit, quare veritati eius credere nõ debuiſſent, reſtat vt eorum perfidia & incredulitas ex parte malitiæ eorum totaliter exiſtat; ideoque Saluator arguens eorum malitiam ait; *Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi.* In quibus verbis tria tanguntur; primo ſermonis Chri-
Propoſit. ſti commendatio, in eo quod dicitur; *Si veritatem*: ſecundo deſcribitur eiuſdem pia prædicatio, & veritatis ſalutaris annunciatio, cum dicitur, *Dico vobis*: tertio arguitur malitiæ obduratio, cum dicitur: *Quare vos non creditis mihi?*

I.

Sermonis Chriſti dignitas. *Si veritatem.* Sermo Chriſti maximę reputationis, dignitatis aut excellentiæ fuit vltra omnem ſermonem humanum aut Angelicum, quia totalis, pura, & ſyncera ac omnimoda veritas. Vnde cum omnis homo ſit mendax, vt dicitur in Pſal. Deus
Rom. 3. autem verax; ſermo humanus poteſt interdum eſſe verus interdum falſus: interdum etſi verus, non tamen veritas: ſicut Apoſtolus ad Titum 1. dicit de poeta quo-
Veritas multiplex. dam; *Teſtimonium,* inquit, *hoc verum eſt*; verum eſt dixit, non dixit, veritas eſt. Et notandum, veritatem eſſe multiplicem, quam præſtare obligamur. 1 Scripturæ.
Dan. 10. *Annunciabo tibi, quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis.* Secunda veritas eſt con-
2. Cor. 11. ſcientiæ. *Eſt veritas Chriſti in me*, id eſt, in
Prou. 12. mea conſcientia. Tertia loquelæ. *Labium*
Ioan. ep 3. *veritatis firmum erit in perpetuum.* Quarta vitæ. *Maiorem horum non habeo gra-*
Matt. 22. *tiam, quam vt audiam &c.* Quinta doctrinæ. *Scimus quia verax es.* Sexta iuſtitiæ.
Iſaia. 42. *In veritate educet iudicium.* Septima re-
Ioan. 8. munerans gloriæ. *Veritas liberabit vos.* Sed heu veritas ſcripturæ peruertitur ab
Dan. 8. hæreticis. *Proſternetur veritas in terra.* Veritas conſcientiæ permutatur ab hypo-
Oſeæ 4. critis. *Non eſt veritas in terra.* Veritas lo-
Iob. 6. quelæ deridetur à ſtultis. *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis?* Iam enim corrector detractor reputatur. Veritas vitæ diminuitur in mundanis. *Diminutæ ſunt*
Pſal. *veritates à filijs hominum.* Veritas doctri-
næ impugnatur ab æmulis. *Quis vos impediuit veritati non obedire?* *Galat. 5.* Veritas iuſtitiæ captiuatur ab iniquis, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. *Iuſtitia longè* *Rom. 1.* *ſtetit, quia corruit in plateis veritas & æquitas non potuit ingredi.* *Iſaia. 59.* Veritas gloriæ pro vili pretio venditur à reprobis. *Qui* *Prou. 28.* *cognoſcit faciem in iudicio, non benè facit, iſte & pro buccella panis deſerit veritatem.* Eiuſmodi ſunt peiores Iuda, qui Chriſtum vendidit pro 30. denarijs; commutantes veritatem Dei in mendacium. Similiter *Rom. 1.* ſermo Angelicus cum ſit creaturæ, quę de ſe deficibilis eſt, niſi conſeruetur per gratiam, poteſt eſſe interdum verus, ſi à bono Angelo proferatur; & quantumcunque à bono proferatur, poſſet contingere vt etiam eſſet falſus, conſiderata conditione mutabilitatis, quæ eſt ſecundum naturam, licet non ſecundum gratiam: omnis enim creatura citra Deum verſibilis eſt ſecundũ naturam, pro & contra. Hinc dicit Apo-ſtolus; *Quod ſi Angelus* bonus per ſuppo- *Galat. 1.* ſitum *de cœlo deſcendens euangelizauerit vobis aliud, quam annunciauimus vobis, nolite credere;* immo dicit, *anathema ſit.* Hoc autem non poteſt dici veritas, cui Apoſtolus facit diſcredere & non aſſentire, cum abſit ab Apoſtolo, vt veritatem prohibeat credere: & tamen ſi per ſuppoſitum ita cõtingeret Angelum annunciare, non eſſet ei credendum. Ideo nullus ſermo cuiuſcunque creaturę poteſt dici ſimpliciter veritas, ſicut Chriſti, qui eſt ſapientia Dei patris, qui aliud annuntiare vel dicere non potuit, niſi quod in Deo patre vidit. Vnde *Septem modis verbum Dei à noſtro differt.* Gorran. ſuper epiſtolã 1. Theſ. 2. dicit, verbum Dei differre à noſtro in ſeptẽ. Primo in veritate, quia Deus verax, *omnis homo mendax.* Secundo in mutabilitate, quia *nõ eſt Deus vt homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* *Num. 23.* Luc. 21 *Cælum & terra tranſibunt.* *Matt. 24.* Tertio in ſpiritualitate. *Qui de terra eſt, de terra loquitur.* *Ioan 3. & 6.* Et: *Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus &c.* Quarto in virtuoſitate. *Docebat eos tanquam poteſtatem habens.* *Matth. 7.* Quinto in ſuauitate. Nunquam ſic locutus eſt homo. *Ioan. 7.* Sexto in vtilitate. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* *Ioan 6.* Septimo in perfectione. *Conſummatio ſermonũ ipſe eſt.* *Eccl. 43.* Quare bene dictũ eſt, ꝙ ſermo Chriſti

Chriſti commendetur excellentiſſimè vltra ſermonem humanum, & angelicum, in eo quod dicitur, Veritas; nam omnia vera ideò vera ſunt, quia veritati, quæ Chriſtus eſt, adæquantur. Nam ſicut dicit Linconienſ. in ſuis collat. ſerm. 19. veritas eſt adæquatio ſermonis & rei, cum res ita eſt, ſicut ſonat. Præcipua itaque veritas eſt adæquatio ſiue correſpondentia, ſeu conformitas rerum cum ſummo ſermone, hoc eſt, verbo Patris æterno, illo inquam verbo, per quod Pater æternaliter dicit, & verbo ſcripturæ, quod per ora eorum dicitur, qui ſcripturam ediderũt.

Veritas triplex in Chriſto fuit.

Hæc autem veritas triplex eſt; ſermonis, operationis, & intentionis. Veritas ſermonis eſt,

1. quando ita eſt, ſicut dicitur, & cum dicens ita credit, ſicut dicit: nam licet ita ſit in re, ſicut dicit homo, tamen ſi dicens aliter credit eſſe, quam dicit, loquitur contra conſcientiam, & peccat. *Epheſ. 4.* Vnde Apoſtolus dicit. *Deponentes falſitatem, loquimini veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra.*

2. Secunda veritas eſt operationis, & conſiſtit in conformitate operis & ſermonis. Huius contrarium eſt fraus, & dolus, & ſimulatio, per quam aliquis dicit pulchra verba, & ſimulat ſe amicum ei, quem tamẽ occultè odit, ponẽs eidem inſidias. De eiuſmodi dicitur. 1. Ioannis 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.*

3. Tertia veritas eſt intentionis, conſiſtit in conformitate intentionis ad opus, vt videlicet opus, quod de ſuo genere eſt bonum, non fiat ex appetitu laudis humanæ, nec ex quacunque vana intentione, ſed vt honor Dei principaliter intendatur. *Ioan. 4.* *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*, id eſt, ſancta intentione coniuncta cum exteriori operatione. Hæc ergò triplex veritas in Chriſto fuit, & per Chriſtum nobis eſt reſtituta; quia, ſicut dicit Linconienſ. vbi ſupra, ante lapſum primi Parentis fuit in terra veritas: ſed eo labente receſſit à terra; nec potuiſſet reuerti in terram, niſi veritas de terra orta eſſet, id eſt, verbum Patris de carne virginis. Chriſtus ergò iſtam triplicem veritatem habuit: quia ipſe non potuit aliter loqui, quam res ſe habuit. Sicut enim dicit Auguſtinus 12. de Trinitate, ratio humana inhæret æternis ſpeculandis ſeu conſpiciendis, aut conſulendis: conſpiciendis ſecundũ quod eorum veritatem contuetur & ſpeculatur; conſulendis, prout conſulit regulas æternas de alijs iudicando & ordinando. Et licet homo ſecundum primum modum inſpiciendo æternam veritatem non habeat peccare, quia peccare eſt per auerſionem ab æternis regulis; quod non contingit niſi per peccatum mortale, in quod nullus cadit, dum diuinis intendit: tamen iuxta ſecundum modum, ſcilicet conſulendo æternas regulas, poteſt conſentire in actum qui ſit præter regulas huiuſmodi, vel contra eas, & ita poteſt peccare venialiter vel mortaliter. Chriſtus ergò veritatem habuit ſemper in ſermone, quia ſemper inſpiciebat æternam veritatem, ſecundum quam cognouit res, ſicut ſe habebant in ſuo eſſe: & ideò decipi nõ potuit, quia ſemper ab æternis regulis non diſceſſit, nec auerti ab eis potuit. Vnde ipſe de ſe veraciter & ſingulariter dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Secundam veritatem habuit, quia ſemper omnia, quæcunq; verbo pręcepit, facto ipſo etiam impleuit. *Cœpit Ieſus facere & docere.* *Act. 1.* Tertiam veritatem habuit, quia omnia quæcunque fecit, in laudem & honorem Dei Patris ordinauit: vnde in Euangelio præſenti. *Honorifico Patrẽ meum, & vos inhonoraſtis me.* Sed certè, licet hanc triplicem veritatem Chriſtus nobis de cœlo attulerit, & poſt lapſum primi Parentis mundo reſtituerit, tamen iterum & iterum veritas iſta magna ex parte deperijt. Vnde clamat Propheta. *Corruit in plateis veritas.* *Iſaia 59.* Sufficeret ad pœnam quod corruiſſet tantum, ſed quod deterius eſt, iã perijt quaſi totaliter. Vnde Oſeas clamat. *Oſea 4.* *Non eſt veritas,* quo ad ſe: *non eſt miſericordia,* quo ad proximum: *non eſt ſcientia Dei,* quo ad Deum, *in terra. Maledictum & mẽdacium & furtum & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sufficiſſet, quod deficiẽte veritate in terra, terra eſſet inanis & vacua, ſicut in principio creationis fuit; ſed ecce deficiente veritate, quod deterius eſt, omnia mala, quæ deteriora excogitari poſſunt, repleuerunt terram, nec ſolum repleuerunt, ſed etiam

inundauerunt ad abundantiam. Duo ergò hic dicit Propheta; primò defectum veritatis miſericordiæ, & ſcientiæ in terra; ſecundò copiam iniquitatis. In ea defectus veritatis, oſtenditur faciliter ſecundũ oẽs tres modos veritatis: nam prima veritas, ſcilicet qua homo ita loquitur, ſicut eſt in re, deficit in terra, id eſt, anima terrena, quando cogitatio eius & voluntas verbo Scripturæ, & verbo beneplaciti Dei conformis & adæquata non eſt, ac per hoc nec ſermo exterior, nec opus eius exterius, verbo Dei, id eſt, filio Dei adæquatur. Secunda veritas, qua homo ita facit & operatur, ſicut loquitur, defecit etiam hodiè in terra, eò quod ſecundum Linconienſ. dicimus decoratiſſimas orationes & verba; volumus autem & facimus contraria: promittimus bona, & ſoluimus mala: & in hoc ſecundum eum ſumus ſimiles vitibus, quia promittimus vuas, & ſoluimus labruſcas. Promittimus enim proximis noſtris in folijs & floribus, interdum in folijs & flore verborum ſimplicitatem & fructum dulcem, id eſt, opus bonum, & ſoluimus amarum. Similes ecce ſumus in hoc pomis creſcentibus iuxta mare mortuum, quæ colore ſuo prætendunt maturitatem & guſtum ſuauiſſimum, & cum carpuntur, non ſoluunt niſi inanitatem, & fumi euaneſcentis fœtorem. Hæc Linconienſ. & ſatis terribiliter contra doloſos. Tertia veritas, qua homo ita loquitur, ſicut eſt in re, & operatur, ſicut loquitur, & ſicut operatur, ita intendit; defecit hodiè in terra, quia homines hodiè multa gratia vanæ laudis faciunt & operantur: de quibus dicit Saluator: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces,* & hi ſunt hypocritæ. Hos comparat Gregor. lib. 8. moral. Simoni, qui crucem quidem Chriſti portauit, ſed tamẽ in eo mortuus non fuit: quia omnis hypocrita corpus per abſtinentiam afficit, ſed tamen per amorem gloriæ mundo viuit. Non ſolum autem vacua eſt terra veritate, verum etiam miſericordia; quia, ſicut patet ex ſupradictis, in illa triplici veritate expreſſus eſt amor Dei, quo qui caret, neceſſariò caret amore proximi, & ſic caret miſericordia.

Doloſe agentes perſtringuntur.

Simile.

Matt. 7

1.

Sicut enim is, qui habet veritatem diligit Deum, diligit & proximum. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & proximum.* Qui ergò caret veritate, caret miſericordia proximi, in qua amor ad proximũ maximè oſtenditur, quia miſericordia eſt amor reuelans miſeriam alienam: Hæc hodiè in terra non eſt, quia omnes quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ alterius, & per hoc nõ ſunt membra Chriſti. Non ſolum autem veritas & miſericordia, ſed etiam ſcientia Dei vacua eſt in terra. Scientia namque Dei eſt cognitio cum amore, qua cognoſcit homo, quid debeat Deo, & quid proximo; qualiter ſe habeat ad Deum, & qualiter ad proximum. Et quid mirum, ſi abeſt ſcientia Dei, cũ Spiritus S. qui eſt Doctor veritatis & totius ſapientiæ, abſit propter immiſericordiam & impietatem hominum? 1. Ioan. 4.

Sed audiamus mala ſequentia; Sequitur enim; *Maledictum & mendacium inundauerunt*, ſcilicet in loco veritatis; *homicidium furtum, adulterium*, loco miſericordiæ; *& ſanguis ſanguinem tetigit*, loco ſcientiæ Dei. Mendax ſermo eſt, cum vnum dicitur, & aliud creditur: malus ſermo eſt, cũ id, quod creditur, dicitur, ſed ex malo & non recto affectu, ideoq; in vtroq; iſtorum veritas eſſe non poteſt. Homicidium aufert vitam corporis, vel partes vitæ, vt membra corporis: furtum aufert poſſeſſionem, vel partem eius: adulterium aufert perſonam coniunctam ſacramento, ſcilicet vxorem; qui ergò iſta aufert proximo, immiſericors eſt in proximum & crudelis, & per conſequens non eſt in eo miſericordia. Sic igitur hæc ſuccedunt hodiè in mundo, in locum miſericordiæ. In locum autem ſcientiæ Dei ſuccedit ſapientia mundi, quę eſt ſtultitia apud Deum, & hęc eſt ſecundum Linconienſ. calliditas excogitandi, & adinueniendi, quomodo acquirat & perficiat in ſe voluptates carnis, mundi & diaboli. Vnde dicitur hæc ſapientia terrena in auaris, animalis in luxurioſis, & diabolica in ſuperbis. Quod aũt dicit hanc ſapientiam mundi ſanguinem Propheta, rectè dicit; quia ſicut vna gutta ſanguinis alteri ſuccedit, & ſic conſequenter: ſic qui inuenit vnam voluptatem, eum neceſſe

1. Cor. 3.

Iacob. 1.

neceſſe eſt inuenire & aliam, per quam illam conſequatur; & cum illa non poſſit acquiri ſine alia, neceſſe eſt iterum excogitare aliam, & ſic in hac ſapientia voluptatem voluptati connectit quaſi catenas, & peccatum peccato addit; & hoc eſt, quod dicit; ſanguis ſanguinem tetigit. Eradicemus igitur hoc ſacro tẽpore illa maledicta ſemina, quæ ſuccreuerunt loco veritatis, miſericordiæ & ſcientiæ, conſiderantes enormitatem ipſorum. Mendacium ſiquidem eſt ita prauum, vt ſuam crudelitatem exerceat in animam hominis. *Os enim quod mentitur occidit animam.* Maledictum eſt ita peruerſum, vt totam naturam & dignitatem hominis confundat. Sicut enim dicit Scriptura; *Principium omnis operis verbum.* Sed ſi principium fuerit inquinatum, quomodo poteſt eſſe mũdum, quod de tali principio eſt natum? Vnde Eccl. 5. dicitur. *Honor & gloria in ſermone ſenſati.* Tolle verbum, & quid eſt homo, niſi animal brutum? Præterea ſolum verbum eſt, quod iuſtificat, & condemnat, iuxta illud. *Ex ore tuo iudico te,* & ipſum eſt, quod ſolum coinquinat hominem de corde procedens. Præterea ſolum verbum gerit expreſſam ſimilitudinẽ verbi incarnati: vnde ſi non eſſet alia ratio, tamen ob reuerentiam Chriſti, qui eſt verbum Dei Patris, cuius verbum noſtram gerit ſimilitudinem, ex voce viſibili, & intellectu inuiſibili compoſitum, ſicut illud ex Deitate & carne; adhuc verbum noſtrum eſſet abſtrahendum à maledictione. Vnde Apoſtolus dicit. *Omnis ſermo malus non procedat de ore veſtro.* Et iterum. *Benedicite & nolite maledicere.* Eradicemus & homicidium, quod ſanè vſque adeò eſt execrandum, vt homicida videat quaſi ſui partem amputare, & à ſe proijcere. Cum enim omnes homines ſint inuicem membra ſub vno capite Chriſto, vt dicit Apoſtolus, manifeſtum eſt, quod qui occidit vnum hominem, amputet vnum membrum de corpore Chriſti myſtico; imò ipſe ſibi amputat eõ membrum, & hoc non ſolum corporaliter occidendo, verum etiam ſpiritualiter in corde proximum odiẽdo, quoniam qui odit, homicida eſt. Eradicemus & furtum, quod tam pernicioſum eſt, vt, cum homo nititur ditari de alieno corporaliter, ipſe ad ſummum depauperetur in proprio ſpiritualiter, eò quod apud furem lucrum ſit in arca, ſed damnum in conſcientia, cum ſit tranſgreſſor diuini mandati. Vnde Apoſtolus conſulit furibus hodiè dicens: *Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operando manibus ſuis, vt habeat, vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Eradicemus & adulterium, quod tam execrandum eſt, vt propter illud Deus occiderit vna die multa milia hominum peſte, vti habetur de Dauide, in Regum hiſtor. Eradicemus & ſanguinem ſapientię ſæcularis, vt ſimus ſapientes ad faciendũ bona, non ad perpetranda mala: ſic enim primò non erimus ſapientes in oculis noſtris, nec prudentes apud noſmetipſos, ſed erimus potius diſcipuli veritatis, quæ nos docebit vias Domini rectas.

Mendacium pernitioſum. *Sap. 1.* *Item maledictum.* *Luc 19.* *Matt. 15.* *Homicidium fugiẽdum.* *1. Ioan. 3.* *Item & furtum.* *Epheſ. 4.* *Adulterium vitãdum.*

II.

Dico vobis. Certè magna pietas, ſi conſideremus quis, quibus prædicauerit. Quis enim? quia Magiſter & Doctor veritatis, imò ipſa ſumma veritas: qui licet olim per Prophetas & alios ſanctos Patres mundo locutus ſit, nouiſſimè per filium ſuum peccatoribus loqui dignatus eſt; & qui olim locutus eſt in viſione ſanctis ſuis, nunc loqui dignatus eſt etiam peccatoribus palam, & in occulto locutus eſt nihil: quique olim locutus eſt ſemel, nunc loqui dignatus eſt millesies & pluries. *Erat enim quotidiè docens in templo.* Quod ſi etiam conſideremus, quibus locutus ſit, apparebit maxima pietas, quia peccatoribus & inimicis ſuis capitalibus, qui eum vnà cum Patre ſuo oderunt, vt dicitur Ioannis 15. Bonus ergò annunciator veritatis Chriſtus, qui omni odio præpoſuit veritatem, nec eam deſeruit propter odium, ſicut nec propter amicitiam & fauorem ab ea reſilijt: vnde & ei dictum eſt. *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces: non enim reſpicis perſonam hominum:* De hoc habetur Matthæi vigeſimo ſecundo. Circa hoc ſciendum, quod cuilibet Chriſtiano tria ſint circa veritatis profeſſionem obſeruãda. Primò enim veritas à quolibet eſt diligenter

Saluatoris prædicatio. *Heb. 1.* *Ioan. 18.* *Annuntiator veritatis Chriſtus.* *Matt. 22.*

diligenter inquirenda, & cũ maximo ſtudio; ſecundo defendenda cum odio; tertio præferenda omni amico ſeu ſocio. De primo, quomodo veritas ſit inquirenda cum ſtudio, dicitur Eccl. 2. *Prius & misericors eſt Dominus, & remittit in die tribulationis peccata & protector eſt omnibus inquirentibus ſe in veritate.* Ecce veritas non datur, niſi inquirentibus ſe. Quomodo ergò nos volumus ſcire veritatem ſine inquiſitione diligenti? Inquiſitio autem iſta conſiſtit in humili & deuota poſtulatione à Deo. Vnde apud Iacob. dicitur. *Si quis indiget ſapientia, poſtulet eam à Deo.* Salomon de ſe dicit. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus.* Hinc Holcoth ſuper li. Sap. cap. 6. infert, quod pietas, boni mores, & oratio deuota ſint viæ ad veritatem acquirendam. Et Auguſtinus lib. 1. de monom. ca. 4. dicit; quod ad hoc vt veritatis ſcientia detur nobis à Deo, neceſſariò diligentia & pietas ſit adhibenda; altero enim fiet, vt ſcientes inueniamur, altero vt mereamur. De ſecundo, quomodo veritas ſit defendenda cum odio, patet, quod veritas odium, obſequiũ parit amicitiam; ſed tamen veritas præualet finaliter. Vnde 2. Eſdre. 4. dicitur *Magna eſt veritas omnibus.* Dicitur de Iona ꝙ dictus fuerit filius veritatis, eò quod cum ab Elia Propheta fuiſſet ſuſcitatus, mater eius dixerit Eliæ. *Nunc in iſto cognoui, quod vir Dei ſis, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Et ex illa hora Ionas vocatus eſt filius veritatis, quem legimus multa ſuſtinuiſſe, ſed tamen ab omnibus finaliter liberatum. Nam & aduerſa in mari periclitabatur, & proiectus in mare & deuoratus à ceto tandem eiectus ad littus, & feruore ſolis eſt aduſtus: ita vt peteret animæ ſuæ, vt moreretur, vt patet Ionæ 1. 2. & 4. Ecce quantas tribulationes paſſus eſt filius veritatis. An non iſta euenêre in ſignum huius, quod omnes qui volunt ſtare pro veritate, multa oporteat pati à detractoribus, ſubſannatoribus, & calumniatoribus; ſed tamen, ſi conſtantes fuerint, finaliter liberabuntur: *Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Vulgariter videmus, cum ſacerdos die Dominico aſpergit populum, quod omnes deponãt capucia, oculos aperiant, facies exponant, & appropinquent ſacerdoti: ſed ſi eis abundãter aquam in faciem fundat, omnes ſtatim oculos claudunt, & refugiunt, & ſe ab aqua defendũt & manibus protegunt. Eodẽ modo comparata eſt veritas, quæ quando ab aliquo prædicatore prædicatur in generali, omnes libenter audiunt: ſed ſi acrius perſtringat & increpet vitia, in quibus iacet, ſtatim eis diſplicet veritas, iuxta illud. *Audiet luxurioſus, & diſplicebit ei* Hinc de talibus dicitur. *A veritate quidem auditum auertent, & ad fabulas conuertentur.* Hoc quam verum ſit hodiè, apparet in noſtris auditoribus, qui ad literam libentius audiunt prædicationem fabulis mixtã quam meram Scripturam, & tantum illũ dicunt bonum prædicatorem qui hiſtorias refert, non qui prædicat Euangelium. Tertiò veritas eſt præponenda omni amico & cuilibet ſocio. Dicit enim Ariſtotel. 1. Ethicor. quod ambobus exiſtentibus amicis, ſanctum eſt præhonorare veritatẽ. Et oſtenditur hac ratione. Quia non amamus veritatem propter hominem, immò propter veritatem diligimus hominem, ergò magis amanda eſt veritas. Ex quibus patet quod homo tenetur rumpere & deſtruere amicitiam quamcunque propter veritatem. Alias ſi non præhonorat veritatem amico, oportet quod pro amico dicat falſa vel faciat mala, qui tamen ſi præhonoraret veritatem, non faceret illa.

Circa prædicta oritur dubium, vtrum præ ſcandalo vitando veritas ſit obmittẽda? Ad quod reſpondeo, quod veritas eſt triplex, doctrinæ, iuſtitiæ & vitæ. Veritas vitæ eſt obſeruantia legis diuinæ. Veritas doctrinæ eſt prædicatio eiuſdem. Veritas iuſtitiæ eſt ſententia iudicis vel teſtimonium pro veritate. Et iſta triplex veritas pro nullo ſcandalo eſt omittenda. Verſus. *Scandala pro vita doctrina iuſtitiaq; Tu non effugies, quæ ſunt in reliquis fugienda.* Primò pro vita, quia nullus homo pro aliquo ſcandalo fugiẽdo debet peccare mortaliter, nec Doctor, vel Prædicator debet falſum prædicare pro quocunque ſcandalo vitando, tacere tamen poteſt & debet, ſi ita ſit quod auditòres ex ſua doctrina deteriores ſint. Similiter nec iudex debet ferre falſum

Margin notes: *Iacob. 1.* — *Sap. 7.* — *Veritas odiũ parit.* — *3. Reg 7.* — *Ioan. 8.* — *2. Tim. 4* — *Dubium an pro ſcandalo vitando, veritas omittẽda.*

falſam ſententiam, vel teſtis falſum teſtimonium pro quocunque ſcandalo vitando; poteſt tamen iudex ex cauſa interdum differre ſententiam, vel teſtis tacere ad tempus. Iuriſtæ tamen dicunt quod licet veritas vitæ nullo modo ſit omittenda propter ſcandalum, tamen veritas doctrinæ & iuſtitię benè omittantur propter ſcādalum. Verſus,

Veritas iuſtitia ob ſcandalum non tacenda.

Eſt verum vitæ, doctrina, iuſtitiaq́;.
Primum ſemper habe, duo propter ſcandala linque.

Sed quicquid ſit, hoc eſt tenendum, quod licet veritas doctrinæ & iuſtitiæ propter ſcandalum poſſint differri vel taceri; non tamen falſa doctrina propter ſcandalum debet doceri, ſicut nec falſa ſententia contra aliquem pronunciari. Vnde non excuſatur Origenes, qui falſa docuit, nè ſcandalum generaret inter quoſdam hæreticos, vt ipſe teſtatur in planctu ſuo: ſic nec Pilatus excuſatur, quod Chriſtum falsè condemnauit, nè Iudæos aduerſus ſe prouocaſſet, vel nè indignationem Cæſaris incurriſſet. *Ioan.19.* O vtinam iſta attenderent illi, qui nè indignationem ſuorum Dominorum incurrant, veritatem ſubticent, & commendant falſitatem, approbantes vitioſa facta eorum, dicentes, ſe hoc tacere ideò, nè ſcandalizent Dominos ſuos, & nè eos prouocent ad indignationem. *Adulatores perſtringuntur.* O nequam & infideles ſerui tales! Quid enim infidelius eſt, quam eum, cui fidem debeas, circumuenire verborū blanditijs? Quid odibilius fraude & dolo, quo ſub imagine amoris & fidei in ſimplicem & credulum, & quod plus eſt, amicum, inimicitiarū & perfidiæ nequitia exercetur? Ex his infero, quod, licet adulari cuilibet proximo ſit peccatum, grauiſſimum tamen ſit, ſi fiat ſuo benefactori; vnde ſecundum Policratum, lib. 3. ca. 15. licet tyranni aures mulcere licitum ſit, tamen amico adulari non licet: ei namque licet adulari, quem licet occidere, at occidere tyrannum non modo licitum eſt, ſed æquum & iuſtum. Patet igitur ex præmiſſis, quod illis maximè teneamur dicere veritatem, & eam non omittere propter quodcunque ſcandalum; qui nobis ſunt amicitia magis iuncti, vel qui noſtri ſunt benefactores; eò quod talibus teneamur ex charitate magis bonum velle; & ideò tenemur eis veritatem dicere & conſulere, non ad voluntatem, ſed ad vtilitatem; non ſicut quidam Curienſes, dicentes: Ego ſeruio Domino principi fideliter; ideò oportet me facere quicquid iuſſerit. O nequam ſeruitus, quæ contra legem diuinam & humanam iuſſis Principis eſt obedire parata: nonne hæc eſt aperta adulatio, in omnibus obſequi ad voluntatem, ad veritatem verò nihil?

III.

Quare vos non creditis mihi? Tria ſunt quæ faciunt dictum alicuius credibile, videlicet prudentia, virtus & beneuolentia: cuius cauſa eſt ſecundum Ariſt. quia propter oppoſita iſtorum diſcredimus alicui non demonſtratiuè loquenti, videlicet aut propter imprudentiam, quia reputamus eum ignarum: aut propter malitiam, quia, quamuis verum ſciat, non tamen eſt amicus veritatis & iuſtitiæ: aut propter defectū beneuolentię, quia in caſu licet ſit prudens & virtuoſus, non tamen reputamus eum beneuolum, quod velit conſulere id, quod nobis expediens iudicabit. *Iudæorū malitia obduratio arguitur.* Sed quādo hæc tria concurrunt in aliquo, vt ſcilicet reputemus eum prudentem, virtuoſum & beneuolum, tunc abſque dubio credimus dictis illius, quamuis ea nequaquam demonſtret. Sic de Chriſto loquendo ipſe venerat in mundum perſuadere & prædicare; non autem dicta ſua demonſtrare; & ideò doctrina illius non ſcientia, ſed fides appellatur, vt dicit Holcoth ſuper librum Sap. cap. 18. Sunt autem dicta illius credibilia propter tres rationes prædictas: tum quia in eo viguit prudentia, cum eſſet ſapientia Dei Patris, tum quia in eo fuit virtus, quia omnia benè fecit: tum quia in eo fuit beneuolentia ad nos, quia dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo *Marc. 8.* *Apoc. 1.* Et ideò Pſalm. ſignanter dixit. *Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis.* *Ob tria doctrina Chriſti credibilis fuit.* Cū igitur nullus defectus fuerit ex parte Chriſti, ob quem ei fides non fuerit adhibenda, neceſſe eſt vt totalis defectus fuerit ex parte Iudæorum, qui ei credere nolebant; & ideò per Chriſtum rectè tanquam

inexcuſabiles arguuntur in verbis propoſitis. *Quare vos non creditis mihi?* quaſi dicat, ex ſola malitia hoc in vobis procedit, quod non vultis credere. Sciendum, quod tria reddant homines inexcuſabiles, & pœna dignos oſtendant, ſcilicet magnitudo ſcientiæ in peccante, ſimilitudo culpæ in iudicante, & ineptitudo cauſæ in allegãte. Primum igitur quod reddit hominem inexcuſabilem, eſt magnitudo ſcientiæ in peccante: quantò enim homo habet clariorem notitiam de Deo, tantò magis peccat cæteris paribus: & ideò de philoſophis dicit Apoſtolus, quod inuiſibilia Dei eis per creaturas innotuerint, & tamen euanuerint in cogitationib⁹ ſuis, & obſcuratum ſit inſipiens cor eorum, in tantum, vt idola colerent. Similiter dicit Saluator de Iudæis; *Si non veniſſem, & locutus eis nõ fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* quia ergò notus erat in Iudæa Deus, meritò debuit agnoſci & filius eius, ſicut ipſe dicit; *Si non facio opera Patris mei, nolite credere,* quaſi dicat, expreſſam ſimilitudinem Patris in operib⁹ gero, & ideò nihil eſt, quod vos excuſare poſſit. Quare igitur non creditis mihi? Patet ex his, quod conſimilis eſt ratio de malis Chriſtianis, qui multam notitiam de Deo habentes, & continuè de ipſo audientes, nihilominus peccant, ac ſi Deum nunquam nouiſſent, & tantò grauius, quantò nôrunt eum clarius. *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui vapulabit plagis multis.* Secundum quod reddit hominem inexcuſabilem, eſt ſimilitudo culpæ in iudicante: quando enim quis deprehenditur in crimine, & vult alios ob idem punire, nullam poteſt excuſationem prætendere; ſicut fecerunt falſi iudices Suſannæ. Apoſtolus, *Inexcuſabilis es, ô homo; in quo enim alium iudicas, teipſum condemnas.* Sic Iudæi, qui voluerunt Chriſtum condemnare & lapidare, vt dicitur in Euangelio, ſoli digni erant lapidatione, nec excuſari poterant à morte. Ex quo enim pro blaſphemia, quam Chriſto imputabant, quia ſibi honorem diuinum aſſcribebat veraciter, voluerunt eum lapidare, multò magis ipſi iuſtè lapidandi erant, qui Chriſtũ Dei filium eſſe negantes, Deum Patrem blaſphemabant, & multa falſa ei aſſcribebant.

Homines inexcuſabiles tria reddunt. 1. Rom. 1. Ioan. 15. Luc. 12. 2. Dan. 13. Rom. 2.

3. Tertiò reddit inexcuſabilem hominem ineptitudo cauſæ in allegãte: quando .n. cauſa, quæ allegatur, in manifeſto nulla eſt, vel conficta per mendacium, non eſt excuſatio, ſed aggrauatio ad præcedens delictum: ſicut de inuitatis ad cœnam apud Lucam patet; qui quia fictas excuſationes allegabant, reiecti ſunt, & alij loco eorum inuitati. Tales fuerunt & Iudæi, qui allegabant contra Chriſtum falſas allegationes, dicentes eum habere dæmonium; nõdum habere quinquaginta annos, Abraham vidiſſe, & ſic de alijs. Noſtri autem Chriſtiani licet aliter ſe excuſent, inexcuſabiles tamen ſunt apud Deum. Nam quidam ſe excuſant per laſciuam ſocietatẽ, dicentes. Mala ſocietas me induxit ad peccandum; ſed mala excuſatio, quæ concedit peccatum, & alios accuſat. Contra eiuſmodi Seneca dicit. Omitte excuſationem; nemo peccat inuitus. Et Hieron. dicit. *Multitudo peccantium impunitatem nõ facit criminum.* Alij ſe excuſant per diuinã voluntatem; quorum aliqui dicunt Deum præſciuiſſe eos peccatores, & velle eos tales eſſe, & ſic incuſant conſtellationes & tempora, & influxus ſtellarum; ſed certè falſa eſt excuſatio, cum quia Deus non eſt auctor mali, tum quia vir ſapiens dominabitur aſtris, vt dicit Ptolomæus. Alij ſe excuſant per carnalem fragilitatem, dicentes ſe non poſſe à talibus abſtinere, cum habeant talem complexionem, contra quos Hieron. in explanatione fidei, & allegat Magiſter 2. ſent. diſt. 36. Execramus, inquit, eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile à Deo præceptũ, nec omnia mandata à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſeruari. Alij excuſant ſe per finalem vtilitatem, ſicut illi qui auferunt alijs bona, vt inde faciant eleemoſynas, & ita veſtientes vnum ſpoliant decem. Nos igitur dimittamus excuſationes in peccatis, & ſimpliciter noſtras culpas confiteamur, vt gratiam inueniamus in præſenti, & gloriam conſequamur in futuro.

Ad quam nos perducat
Pater, &c.

* *
*

DOMINICA IVDICA. SERMO II.

Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit. Ioan. 8.

Aug. li. de bened. Eſau & Iacob.

Dicit S. Auguſtinus: Simul pluit Dominus ſuper ſegetes, & ſpinas; ſed ſegeti pluit ad horreum, ſpinis ad ignem, & tamen vna eſt pluuia: ſic & verbum Dei omnes compluit; videat quiſque qualem radicem habeat; videat quiſque qui trahit pluuiam bonam; ſi eam trahat, vt generet ſpinas, nunquid ideò pluuia Dei accuſanda? Antequam veniat ad radicem, dulcis eſt pluuia illa; dulce eſt verbũ Dei, donec veniat ad cor malum. Hęc ille; per quæ inſinuat quod verbum Dei varietur ſecundum varietatem auditorum: vnde ſi inueniat cor bonum, fructificat in eo; ſi malum, nihil facit. Quia ergò Iudæi erant peſſimi cordis, eò quod diabolum imitabantur in ſuis operibus; ideò verbum Chriſti in eis fructificare non potuit: Apoſtoli verò erant optimi cordis, quia Chriſtum in omnibus imitabãtur, & ideò multum fructum in eis & per eos in alijs fecit verbum Dei. Hanc ergò differentiam auditorum deſignans Chriſtus hic ait. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos nõ auditis, quia ex Deo non eſtis.* In quibus verbis tria tanguntur: primò doctrinæ & prędicationis ſalutaris commendatio, ex dignitatis excellentia, in eo quod dicitur; *Verbum Dei*; ſecundò notatur verbi Dei vtilitas & efficacia, cum dicitur; *Qui ex Deo eſt*: tertiò notatur auditorum diuerſitas & differentia, cum dicitur; *Audit*.

Propoſit.

I.

Excellentia prædicationis ſalutaris.

Verbum Dei. Certè non poteſt excogitari maior dignitas prædicationis & ſermonis Chriſti, quam vt ſit verbum Dei. Nã ſi pro magno appenduntur verba principis, & pro maiori Regis, & pro maximo Imperatoris vel Papæ: quantò incomparabiliter magis appendenda & ponderanda, dignificanda & extollenda ſunt verba Dei, qui non eſt, vt homo, vt mentiatur, aut vt filius hominis, vt mutetur. Si quis ergò dedignatur iuſſa Principis, Regis, Imperatoris, ſeu etiam Papæ, qui, quantum eſt homo, errare poteſt; certè non poteſt dedignari verba Dei, qui errare non poteſt. Nam ipſe iuſtus eſt, & rectum iudicium eius, & ipſe, quæ procedunt de labijs eius non faciet irrita. Sciendum, quod prædicatio doctrinæ Euangelicæ ſeu verbi Dei commendetur à triplici cauſa digniſſima: Primò, quia prædicatio noſtra eſt verbum non qualecunque, ſed verbum veritatis puriſſimæ: ſecundò, quia eſt verbum vitæ delectabiliſſimæ & immortaliſſimæ: tertiò, quia eſt verbum Dei qui eſt auctoritatis potentiſſimæ. Quoad primum patet dignitas verbi diuini ex eo, quod eſt verbũ veritatis puriſſimæ, quia Chriſtus dixit de ſe. *Ego ſum via, veritas & vita*. Si ergò Chriſtus eſt veritas, quomodo non verbũ illius, cum ex vero non procedat niſi verũ, vt dicit Philoſophus 2. priorum? Vnde & Ioan. 17. dicitur: *Sermo tuus veritas eſt*. Dicitur autem verbum Dei verbum veritatis multis rationibus: primò, quia à veritate originaliter, originem trahit; trahit enim hanc à ſolo Chriſto, qui eſt veritas. Vnde dicit Apoſtolus. *Audiſtis in verbo veritatis Euangelij*, id eſt, Chriſti, qui eſt veritas, vt exponit ibidem Gorra. Secundò dicitur verbum veritatis materialiter, iuxta illud: *Veritatis & ſobrietatis verba loquor*. Tertiò quia in veritate conſiſtit formaliter. *Sicut in veritate omnia locuti ſunt*. Quartò, quia propter veritatem finaliter. *Ego in hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati*. Eſt autem verbum prædicationis verbum veritatis, non cuiuſcumque veritatis permixtæ, ſed puriſſimæ, iuxta illud: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum*

vis eſt verbum Dei — *Num. 23.* — *Verbi Dei prædicatio tripliciter commendatur.* — *Ioan. 14.* — *Verbum Dei verbum veritatis.* — *Coloſ. 1.* — *Act. 26.* — *2. Cor. 2.* — *Ioan. 18.* — *Pſal. 11.*

igne examinatum. Ecce puritas. Sed quo igne examinatum? certè igne Sancti Spiritus: quia in verbo Dei nulla eſt rubigo duplicitatis, vel falſitatis, ſed eſt ſicut vas duriſſimum à rubigine purgatum, vt dicitur Prouerb. 25. & quo ad hoc ibidem ſequitur, *Probatum terræ,* id eſt, à terrenitate: vel purgatum à terra, quia eloquia Dei nō promittunt terram, ſed cœlum: quod nō facit doctrina Ariſtotel. Socratis, vel Platonis, qui non niſi de terra garriunt, more ranarum in terra repentium & coaxantiū. Nec ſolum eſt aurum probatum à terra, ſed etiam purgatum ſeptuplum, id eſt, per ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti. De hac puritate dicitur; *Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Iuſtitiæ Domini recta, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Ecce iterum puritas. Et poſt pauca: *Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa,* id eſt, incommutabiliter vel non egentia teſtimonijs aliorum, vt iuſta eſſe probentur, ſecundum Innoc. hoc ſanè non faciunt verba aliorum, quæ indigent multis teſtimonijs & probationibus, vt vera eſſe oſtendantur; quod non eſt neceſſarium verbo Dei, quod ex ſe verum eſt, ita vt non indigeat probatione.

Pſal.18.

Verbum Dei verbum vitæ

Secundò verbum Dei commendatur ab eo quod ſit verbum vitæ delectabiliſſimæ & immortaliſſimæ; vnde omnia alia verba præter ipſum ſunt quaſi mortua, quia nos ducunt ad mortem, nec habent in ſe ſpiritū vitæ, ſeu viuificantem per gratiam; vt ſunt verba philoſophorum & ſapientum huius mundi, quorum ſapientia ſtultitia eſt apud Deum, & quod deterius eſt, prudentia ipſorum mors eſt, vt dicitur 1. Cor. 4. & Rom. 8. Non ſic autem verbum Dei, quod eſt verbum vitæ, eo quod qui ſeruat illud, mortem non videbit in æternum, vt dicitur in Euangelio. Hinc Saluator ait: *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Dicitur autem verbum vitæ propter plures rationes. Primò, quia habet in ſe quandam vitam. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax:* ideò comparatur ſemini: *Semen eſt verbum Dei.* Secundo dicitur verbum vitæ, quia indicat vitam, ſicut lux viam. *Verba vitæ æternæ habes.* ideò comparatur lumini. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Tertiò, quia confert vitam ſicut panis. *Non in ſolo pane viuit homo;* ideò comparatur pani. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus.* Quartò, quia ducit ad vitam æternam, ſicut fons qui ducit ad alueum ſuæ originis, *Fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam:* ideò comparatur fonti. *Fons ſapientiæ.* Vnde in comparatione verbi Dei, omnes ſæculares ſunt ſicut putei & ciſternæ, fœtidam aquam continentes, iuxta illud, *Foderunt ſibi ciſternas diſſipatas quæ continere aquam non poſſunt.* Sed mirum eſt, quod multi auidius bibunt aquam iſtam ſcientię ſæcularis, quam verbi Dei; ſicut multi Legiſtæ, Poetæ, Sophiſtæ & alij; quos arguit Propheta dicens: *Quid tibi vis, vt bibas in via Ægypti, aquā turbidam?* quaſi dicat, quare non bibis potius claram ſcientiam ſacræ Scripturæ: de qua dicitur. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris,* ſcilicet non alterius. *Erit fons patens domui Iuda.* Notanter dicit *patens,* quia nulli abſconditur, vel quia patenter, & non obſcurè, ſed lucidè omnibus loquitur. Vnde aliæ ſcientiæ reſpectu verbi Dei ſunt quaſi aquæ furtiuę, quę dulciores apparent, vt dicitur Prouerb. 9. cum tamen ſint interdum deteriores & impuriores.

Ioan. 6. Ob plurimas rationes. Hebr 4. Luc. 8. Ioan.6. Pſal. Deut 8. Matt.4. Eccl 15. Ioan.4. Eccl.1. Iſa. 12. Zach.

Tertia commendatio verbi prædicationis eſt, quod ſit verbum Dei. Si alia commendatio non eſſet, ſufficeret vel hæc ſola ad omnem dignitatem & excellentiam; quod eſt verbum Dei habitans in excelſis. Vnde in Pſalm. *Eloquia Domini eloquia caſta.* Et: *Lex Domini, teſtimonium Domini, præceptum Domini, iuſtitiæ Domini, & iudicia Domini deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum,* Et ſic meritò præferuntur omnibus deſiderabilibus mundi. Non eſt ergò excuſatio de non audiendo verbo prædicationis, cum non ſit verbum hominis, ſed Dei; nec cuiuslibet Dei, ſed Dei Deorum & Domini Dominorum; de quo in Pſalm. dicitur. *Deus Deorum locutus eſt.* Sciendum hic tria eſſe, quæ efficiunt, vt dictum alicuius ſit magnæ auctoritatis, potentiam ſcilicet, ſapienti-

Pſal.11. Pſal 18.

ſapientiã & bonitatem, quę omnia in Deo concurrunt, & ideo verbum illius eſt magnæ auctoritatis, & per conſequens à nemine contemnendum. Primo in Deo eſt ſumma potentia: vnde quicquid præcipit executioni mandandũ eſt, ne ſequatur cõ-
Pſal. 75. temptum vindicta, & rebellem pęna. Hinc in Pſalm. dicitur: *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua*, quaſi dicat, Tu terribilis es futurus iudex. Eccl. 43 *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia illius*. *Et quis reſiſtet tibi?* quaſi dicat, nullus, quia tu es potẽtiſſimus. Ioan. 9. *Deus cuius ira nemo reſiſtere poteſt*. Et ibidem. *Quis reſtitit ei & pacem habuit?* Verè terribilis Dominus, non ſolum pauperibus, ſed etiam regibus: aufert enim ſpiritum principum ſubito, quando vult. Vnde dicitur in prædicto Pſalmo: *Terribili apud reges terræ*. Innoc. exponit quia eos in præſentia regno expellit, & in futuro rediget in carcerem inferni. Si ergo tam potens Dominus eſt, profecto metuẽdus eſt, & verbis eius neceſſario eſt obediendum.
2. Secundum quod facit dictum alicuius autenticum, eſt magnitudo ſapientiæ: vnde Salomoni creditur, & verba eius valde põderantur, quia ſapiens reputabatur. Sed certè Chriſtus maior eſt, quam Salomon, vt dicitur Matth. 12. *Ecce pluſquam Salomon hic*; Ille enim habuit ſapientiam creatam & ab alio mendicatam; iſte autem habet ſapientiam increatam, de qua dicitur: *Ego ex ore altiſſimi prodij*; hoc eſt enim verbum quod Deus pater, de corde ſuo eru-
Iacob. 1. ctauit, non factum nec creatum, ſed ab æterno genitum: vnde dicitur. *Si quis indiget ſapientia, poſtulet eam ab eo, qui dat omnibus affluenter*. Notanter dicit *dat*, non
Coloſſ. 2. mendicat ab alijs, ſed dat alijs: *In ipſo namque ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi*. Vbi dicit Gorran. ꝙ hoc dicatur pro tanto, quia in Chriſto eſt omnis
Eccl. 1. ſcientia & ſapientia quadrupliciter, primo efficienter; *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis*; Ab ipſo enim eſt omnis ſapientia &
Ioan 16. ſcientia. Secundo formaliter, quia eius anima omni ſapientia & ſcientia informata eſt. *Nunc ſcimus, quia ſcis omnia*.
1.Cor. 2. Tertio materialiter, quia ſapientia eſt de diuinis, & ſcientia de humanis: Ipſe autem eſt verus Deus, & verus homo; ideo dicit Apoſtolus. *Nihil iudicaui me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtũ*. Quarto exempla-
riter. *Omnia in ſapientia feciſti*. Si ergo ita Pſal.
ſapiens eſt Chriſtus quod nulla ſapientia vel ſcientia ſibi deeſt, certè merito verbum eius eſt audiendum. Tertium, quod reddit 3.
verbum alicuius autenticum, eſt affectus beneuolentiæ: nullus autem habet erga nos maiorem beneuolentiam & affectum feruentiorem quam Chriſtus, qui tantum exarſit bonitate charitatis ſuæ erga nos, vt poſuerit animam ſuam pro nobis. *Maiorem charitatem nemo habet niſi vt animam* Ioan. 15.
ſuam ponat quis pro amicis ſuis, & mortem, non dico talem, qualem ſubijt pro nobis, ſed mortem viliſſimam & turpiſſimam, quia mortem crucis. *Morte turpiſſima condemnemus eum*. Merito igitur tam bonus Philip. 2. Sap. 2.
Dominus, tam ſyncerus amicus, à nobis eſt audiendus, qui non cõtulit nobis aliud, quam quod noſtræ ſaluti videt expedire. vnde ipſe per prophetam dicit; *Ego Deus tuus docens te vtilia*.

II.

Qui ex Deo eſt. Auditus verbi Dei inter cætera operatur, quod homo ſit ex Deo per imitationem & conformitatem ad Deum; idque ideò, quia verbum Dei per amorem in corde transformat amantem in amatum. Vnde ſpontaneus ac lubẽs auditor verbi Dei transformatur in Deum, vt iam potius dicatur Deus, non homo tantum, iuxta illud Pſalm. *Ego dixi, dij eſtis*. Et Chriſtus hoc expones Ioan. 10. ait, quod hoc dictum ſit ad eos, ad quos ſermo Dei factus eſt. Magna igitur efficacia verbi Dei, quæ facit hominem eſſe ex Deo. *Qui nouit Deum, audit nos; qui non eſt ex Deo, non audit nos*. Et poteſt eſſe ad hoc alia ratio, nam cum Deus ſit ſpiritus ſecundum animam, ſecundum quam natus eſt conformari Deo, tanquam ſpiritus ſpiritui, tamen ex quo habet carnem, quæ militat aduerſus animam, vt dicitur Gal. 5. & cuius membrorum lex repugnat & contrariatur legi mẽtis, vt dicitur Rom. 7. hinc eſt, quod ſi totus homo debeat conformari Deo ſecundum ſe totum, id fieri oporteat per aliquod medium, quod poſſit de carnali homine ſecũdum corpus, facere ſpiritualem

Vtilitas & efficacia verbi Dei. Ioan. 4.

ſecundum ſpiritum, vt ſic totus homo ſit ſpiritualis, & totus conformis Deo: hoc autem non poteſt fieri, niſi per verbũ Dei, q̊ de carnali facit ſpiritualem. Verbum enim Dei eſt gladius, amputans totã carnalitatẽ à ſpiritu animæ: vnde & Epheſ 6. & Hebr. 4. dicitur gladius ſpiritus; quia vt dicit Gorran. ibidem, ſpiritũ à carne diuidit, pertingens ad diuiſionem animæ & ſpiritus. Hæc eſt ergo efficacia verbi Dei, quod faciat hominẽ eſſe ex Deo per conformitatẽ ad Deum. iuxta illud. *Qui ſeruat mandata Dei, in illo manet, & ipſe in eo.* Vt autẽ euidentius pateat efficacia & multiplex vtilitas verbi Dei, breuiter ſciendũ, q̊ verbũ Dei ꝓducat 12. fruct⁹ in vero auditore; vnde & ideo cõparatur ligno vitæ, quod affert 12. fructus, vt dicitur Apoc. penul. quos fructus enumerat Gorran. ſuper epiſtolã ad Col. 1. c. & aliquos etiã tangit Archidi. Guido de Bayſio in roſario decreti, 1. q. 1. in ca. interrogo. Prima ergo vtilitas verbi Dei eſt, quod illuminat per cognitionem, & ſic comparatur lumini. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Secundo inflammat per dilectionem; & ſic comparatur igni. *Verbum ipſius quaſi facula.* Pſalm. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud.* Tertio compungit per contritionem, & ita comparatur malleo. *Nonne verba mea quaſi malleus conterens petras?* Quarto liquefacit per lachrymarum prouocationem, & comparatur flatui. Pſalm. *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea. flauit ſpiritus eius, & fluent aquæ* ſcilicet lachrymarum. Quinto reficit per ſaporem, & comparatur pani. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Sexto protegit per virtutem, & cõparatur gladio. *Gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Septimo confortat per ſpei longanimitatem, & dicitur verbum ſolatij. Pſalm. *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* Octauo confirmat per perſeuerantiam & fortitudinem, & dicitur verbum virtutis. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Pſalm. *Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Nono mundat per culpæ ablutionem, vnde dicitur verbum gratiæ. *Commendo vos Deo, & verbo gratiæ eius.* Et: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Decimo ſanat per naturę læſæ ſanationem, id eſt, reparationem; vnde dicitur verbum ſalutis. *Miſit verbũ ſuũ, & ſanauit eos.* Vndecimo gratificat per gratiæ & virtutum infuſionẽ, propter quod dicitur verbum iuſtitię & pacis. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Duodecimo viuificat per vitæ æternæ collationem, vnde dicitur verbum vitæ. *Verba vitæ æternæ habes.* Propter hos effectus & vtilitates verbum Dei à nobis eſt diligenter audiendum, cuſtodiendum, & opere adimplendum.

[Margin, left: 1 Ioan. 3. — Fructus 12. in auditore operatur verbum Dei. — Pſal. — Eccl. 48. — Ierem. 23. — Deut. 8. — Epheſ. 6. — Hebr. 1. Margin, right: Act. 13. — Eccl. 5. — Iacob. 1. — Act. 5. — Ioan. 6.]

III.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, quaſi dicat, multipliciter ſe homo habet ad verbũ prædicationis; quia, quidã audit, vt qui ex Deo eſt; quidã nõ audit, & quia ex Deo nõ eſt Circa quod ſciendum, quod quidã omnino non audiant verbũ; quidam audiunt, ſed non reuerenter; quidam reuerenter, ſed non tenent memoriter; quidã reuerenter, & memoriter, ſed non vtiliter nec operabiliter; quidã autem reuerenter, memoriter, & operabiliter. De primis, qui non audiunt, nec audire volunt, dicitur *Non audiuit populus meus legem meã, & Iſrael non intendit mihi;* & de his hic dicitur; *propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Et quid grauius populo, quam non audire legem & Dominum? Et ideo notanter dicit *populus meus,* quaſi dicat. Si non eſſet populus meus, non eſſet mirum, quod non audiret legem meam: *nunc autẽ populus meus & oues paſcuæ meæ non curàt audire vocẽ meam: ſed ſicut aſpis ſurda, obturant aurẽ ſuã.* Quaſi etiã diceret. Mirum mihi eſt, quod populus meus, cui multa bona ſpecialiter feci; quia non feci taliter omni nationi, ſicut huic, non audiat me; cũ tamen audiat me populus alienus, iuxta illud *Populus, quẽ non cognoui, ſeruiuit mihi; in auditu auris obediuit mihi.* Eiuſmodi, qui nolũt audire, sũt multiplices. Quidã enim non audiunt ex ſimplicitate, vt illi qui omnino non intelligũt prædicantem propter eius ſubtilitatem; & iſti forte magna ex parte excuſari poſſunt; qui libẽter audirẽt, ſi intelligerent; in quo caſu totus defectus eſt in prædicãte, qui nõ vult condeſcendere capacitati auditorum, cũ tamen Chriſtus turbis ſub monte prędicauerit, ſignificans turbis planiora & faciliora eſſe prædicanda, & nõ alta nec ſubti-

[Margin, right: Diuerſitas auditorum verbi Dei quintuplex. 1. — Pſal. — Pſal. — Matth. 5.]

lia. Alij noluũt audire ex curioſitate, vt docti, & ſapientes ſæculares, dicentes, ad quid audirẽ illũ ribaldũ nihil ſcientẽ, cum ego longè plura ſciam; contra quos eſt canõ *de conſe. diſt. 2 Sacerdote*, vbi dicit Gloſ. qui exierit de prædicatione, contẽnens ſacerdotẽ minus peritũ, excõmunicetur. Ratio autẽ, quare doctores non debeãt ſpernere ſimplices in prędicatione, eſt; primo, quia

Chryſ. ſup epiſt. ad Hebr. vt dicit Chryſ. ea, quæ nouimus, ſi ſæpius audiamus, amplius compungimur: vnde Plato legitur diſcipulos ſuos docuiſſe in morte ſua, vt libentius magiſtros ſuos audirent, quã eorũ ſcripturã legerent. Secunda ratio eſt, quia quod littera vnica facile ſe offert inſpicienti, hoc magiſter ſub pluribus faciebus offert audienti. Tertia quia per hoc datur exemplum alijs verbi diuini audiendi: vnde Chriſtus quãuis eſſet ſapiẽtiſſimus, tamen voluit audire doctores in templo, vtique non niſi ad ſignificandũ hoc ipſum. Itẽ illud Pſal. ſupra dictũ. *Populus quẽ non cognoui ſeruiuit mihi &c.* Eſt verbũ Chriſti ad Iudæos principaliter, qui dixerunt Chriſto. Recede à nobis: ſcientiã viarũ tuarũ nolumus; & ſic noluerunt audire; & tamen gentiles, qui non nouerant Deũ, audito verbo prædicationis Chriſti per Apoſtolos, ſtatim ſuſceperunt obedienter: vnde dicitur in Act. Apoſt. *Quia indignos vos feciſtis verbo vitæ, & repuliſtis illud, ecce conuertimur ad gentes.* Poſſet hoc hodie de multis dici, qui Deũ, & eius prædicationẽ minus audiunt, immo audire contemnunt; quibus tamen Deus maiora beneficia exhibuit, & oſtendit: illi vero, quibus minora oſtendit, auidius ſuſcipiunt, & diligentius audiunt. Vnde cõmuniter videmus, ꝙ in prędicatione plures ſint populares & ſęculares, quã ſpirituales; plures ſubditi, quam prælati; plures fęminę, quã viri; plures pauperes, quã diuites, & plures ſerui quã Dñi. In ſignũ huius turbæ ſequebantur Chriſtũ, ſed principes perſequebantur eũ, & doctrinã eius. Iſta eſt ergo prima conditio malo-

2. rũ, qui audire noluũt. Secundi ſunt, qui licet audiunt; non tamẽ reuerenter, ſed negligenter audiunt, & ſine fructu. Sunt n. plures, qui dormitant & ſtertunt infra ſermonẽ, ſicut porci in ſtabulo, ac ſi audirent fabulas; qui ẽi aures audiendi habent, audiãt terribile dictũ beati Auguſt. in quodã ſermone. Interrogo vos fratres & ſorores: quid vobis plus videtur eſſe verbũ Dei, an corpus Chriſti? Et ſi vultis verũ reſpõdere, dicetis, quod non ſit minus verbũ Dei, quã corpus Chriſti, & ideo non minus reus eſt, qui verbũ Dei negligenter audit, quã ille, qui corpus Chriſti negligentia ſua in terrã cadere permittit. Nam licet prædicatio ſit corpore Chriſti minor dignitate, eã tamẽ ſumẽtibus & audiẽtibus eſt maior efficiẽdi poteſtate: prędicatio n. eſt cauſa correctionis & cõuerſionis ad Deũ, & per cõſequẽs

cauſa remiſſionis peccati. Tertij ſunt, qui 3.
audiũt reuerẽter, non tamen tenẽt audita memoriter, de quibus Greg. dicit, quod tales ſint vacui, quia mẽte intellectum ſacri verbi percipiunt, ſed obliuiſcendo, & non ſeruando, quæ audierũt, in cordis ſui viſceribus, id eſt, in memoria non reponunt. Et idẽ Greg. ponit exemplũ dicẽns, quod ſicut ſignũ languoris ſtomachi eſt, ſi cibũ acceptũ reijcit; ſic ſignũ ſit infirmitatis ſpiritualis in peccatore, quãdo audita verba non retinet in memoria, ſed ſtatim obliuiſcit; ſicut ille, qui inſpicit ſpeculũ, & quã primũ à ſpeculo recedit, nõ recordatur pulchritudinẽ ſuã, vt dicitur Iac. 1. Quarti ſũt, qui li- 4.

Greg. hom 10. ſup. Ezech.

Homel. 15 ſuper Euangelia.

cet audiãt reuerẽter, & memoriter retinẽt, nõ tamẽ operabiliter ſeu obediẽter; quia libẽter audiũt dulcia verba, & ea dulcius recordantur, ſed ſecundũ ea facere nõ curãt; & tales ſimiles ſũt illis, qui veniũt in theatrũ, vt audiãt delectabilia, nõ vt ædificẽtur per ea, vt dic. Seneca ep. ſt. 110. ſed vt volu-

ptate inde perfundãtur. Quinti ſũt qui au- 5.
diũt reuerẽter, memoriter, & effectualiter, & iſti ſũt optimi cordis, de quibus dicitur, Luca. 8.
quod cũ audierint, in corde optimo & perfecto retinẽt, & fructũ afferũt in patiẽtia. D.Bern.
Et de his dicit Bern. in quadã epiſtola. *Auris bona eſt, quæ libẽter audit vtilia, prudẽter diſcernit audita, obedienter operatur intellecta.* Hinc & Aug. ſuper illud Pſ. *In quo corrigit adoleſcẽtior viã ſuã,* inquit ꝙ verba Dei fruſtra cuſtodiã ut in memoria, ſi nõ cuſtodiãtur in vita. Hi ergo ſũt vtiles auditores verbi Dei, qui nõ ſolũ audiũt, ſed & cuſtodiũt verbũ Dei, iuxta illud. *Beati, qui audiũt verbũ Dei, & cuſtodiũt illud.* Cuſtodiũt, inquit, vt illuminẽtur ad cognitionẽ, & inuẽniuntur

uitentur ad virtutem, quo informentur ad ſapientiam; quo reformentur ad decorem; quo fruantur ad iucunditatem, inquit Bern. ſuper Cant. ad quam iucunditatem patriæ cœleſtis nos perducat, qui ſine fine viuit, & regnat. Amen.

DOMINICA PALMARVM.

SERMO I.

Ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21.

IVxta teſtimonium ſcripturæ tota vita Chriſti vſque ad cõſummationem cõtinet ſimiliter honorem, & ignominiã, & luctum, lætitiam præcumtem, & triſtitiam ſubſequentem. Patet primo in eius annunciatione, vbi Angelus læta nunciauit Mariæ dicens: *Aue gratia.* &c. Sed eidem poſtea Simeon nunciauit triſtitiam quia doloris gladius pertranſiret cor eius. Idem liquet in natiuitate, vbi nato Chriſto Angeli cantabant, paſtores venerunt, magi adorauerunt & munera obtulerunt: ſed paulò poſt Herodes quæſiuit puerum ad extinguendum eum: vnde ſtatim lætitia Chriſti, & honor à Magis exhibitus verſus eſt in triſtitiam & ignominiã fugæ, Herodianæ perſecutionis. Denique Chriſtus ſæpius à Iudæis Magiſter appellatus, poſt ab eiſdem contumelijs, & cõuitijs eſt affectus, ita vt honorem magiſtralem ſubſequeret ignominia. Quod quidem expreſſius & euidentius hodie expreſſum eſt & oſtenſum, cum poſt honorem & reuerentiam proceſſionis, poſt exhibitionem honoris & laudis, breui tempore poſt, ſcilicet feria 6. proxima, morte turpiſſima fuit condemnatus. Hinc eſt, q̀ hodie poſt lætam & honeſtam proceſſionem legitur paſſio doloroſa, ad ſignificãdum, quod proſperitas, honor & lætitia huius mundi, finaliter inducat ad perpetuam miſeriam, ignominiam, & dolorem. Et quia iſte honor Chriſto exhibitus non fuit ex contingenti, ſeu ex adinuentione humana, ſed potius ordinatione diuina; quia licet Chriſtus exinaniuerit ſemetipſum formam ſerui accipiens; tamen ſecundum formam diuinam manſit ſemper patri æqualis in gloria diuinitatis; & ideo licet in forma humana, quam pro nobis aſſumpſit, voluerit inhonorari & confundi; tamen in maieſtate diuinitatis meritò debuit venerari & adorari. In humana ſiquidem forma venit, vt ſeruus obediens vſq; ad mortem crucis: in diuina verò venit, vt præceptor & Rex deſtruens ignominiam crucis: & ideò, ne cum veniret vt homo contemptibilis & humilis, ab hominibus deſpiceretur, voluit Deus pater, vt eius aduentus ſæculo nunciaretur. Vnde Zach. Propheta longè aduentum eius ante prædicens dixit. *Ecce Rex tuus &c.* Quatenus per hoc Iudæos redderet inexcuſabiles, cum viderẽt eum, vt hominem peccatorem aſino inſidentem, & tamen nihilominus vt regem ſuſciperent in gloria maieſtatis Dei præfulgẽtẽ. Hoc ergo eſt quod hodie Eccleſia dicit: *Ecce Rex tuus venit.* In quibus verbis quatuor proponuntur, quæ nos ad obuiandum & occurrendum huic regi inducunt: primo excellentiæ dignitas, quia *Rex. Ipſe enim eſt Rex regum*: ſecũdo notatur naturæ proprietas; quia *tuus*: caro enim & frater noſter eſt, vt dicit Bern. tertio innuitur fortunę commoditas, quia *venit tibi; nobis enim datus eſt*: quarto clementiæ pietas, quia *manſuetus ſuper aſinam.*

Luca. 2. *Matth.* 2 *Philip.* 2. *Zach.* 9. *Propoſit.* *Apoc.* 19. *Iſaia.* 9.

I.

Sciendum, quod licet iſte Rex appareat debilis, tamen ſit potentiſſimus, eo quod omnia illi ſubdita ſunt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Et in Pſalm. *Dominus fortis & potens ipſe eſt Rex gloriæ.* Habet Rex hic duplicem familiam ſui exercitus, vnam ſecundum deitatem eamq; potentiſſimam, ſcilicet ordines Angelorum

Chriſtus Rex potens. *Matth.* 45. *Duplicem habet familiam.*

Iob. 25. tu; *Nunquid eſt numerus militũ eius, quorũ* vnuſquiſque poſſet ſubuertere mũdũ: ſecũdũ humanitatem verò habuit exercitũ 12. Apoſtolorũ & 72. diſcipulorũ, per quos ad fidem totũ mundũ conuertit. Eſt ſecundo Rex idẽ ditiſſimus, licet videatur pauperrimus, quia in theſauro eius ſunt diuitiæ & gloria, cuius diuitijs noſtra ditata eſt paupertas; cuius gloria noſtra honorata eſt confuſio. Eſt tertio idem Rex ſapientiſſimus licet videatur ſtultus, quia in eo ſunt oẽs theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Vnctus autem hic Rex eſt Spiritu ſancto in inſtanti conceptionis ſuæ, in qua collata ſunt ei tria, ſcil. ratio verbi, immunitas peccati, & plenitudo gratiæ Spiritus Sãcti: Inſignia idem accepit in paſſione, quando factus eſt principatus ſuper humerũ eius, id eſt, crux, in qua principaliter triumphauit, ſicut dicit Apoſtol⁹ in epiſtola hodierna. *Propter quod & Deus exaltauit illũ.* Antiquitus tria ſolebant eſſe inſignia regalia, purpura, corona & ſceptrũ: Chriſtus pro purpura circumdatus eſt chlamyde coccinea, pro diademate corona ſpinea, coronatus, pro ſceptro virga arundinea donatus. Arma huius regis non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia. Titulus regius eſt: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Titulus ſanè cõuenientiſſimus, vt in quo virtus tãti regis declaratur. Nã primo deſcribitur quod ſit ſaluator; quia *Ieſus* interpretatur Saluator. *Ipſe enim ſaluum faciet populũ ſuum à peccatis eorũ.* Secundo deſcribitur, quod ſit amator puritatis, quia *Nazarenus*; quod interpretatur floridus *Ego flos campi*: Tertio ſubditur ꝙ ſit ſtrenu⁹ gubernator, q̃a *Rex Iudæorũ.*

Rex idem ditiſſimus.

Rex ſapientiſſimus.

Coloſſ. 2.

Regalia inſignia tria.

Titulus.

Matth. 1.

Cant. 2.

II.

Notatur huius regis naturæ proprietas, quia *tuus*: Chriſtus .n. eſt Rex noſter, quia licet ſit Rex generaliter omniũ, Angelorũ ſcil. hominũ, & dæmonũ, tamen nulli ita ſpecialiter datus, ſicut homini: vnde nec in natura Angelica, nec dæmonũ venire voluit: Nõ in ſtatura Angelica, ꝑpter naturę Angelicæ innocentiã, quæ nõ indiguit reparatione: nõ in ſtatura dæmonũ, propter naturæ diabolicæ lapſum irremediabilem & culpam, quæ non fuit capax & digna reſtauratione. Soli ergò generi humano datus eſt, quod & indiguit ratione culpæ, & dignũ fuit ratione fragilis naturæ. Eſt autẽ Rex humani generis propter plura: primo quia in natura humana incarnatus; ſecundo, quia in eadẽ tentatus: tertio, quia in eadẽ paſſus: quarto, quia in eadẽ reparatus. quinto, quia in eadẽ ad iudiciũ eſt vẽturus. Quocunq; ergo vertas te, ſemper eſt tuus. Verè beneficiũ maximu habere Deũ excelſum ita ꝓpriũ, ita proximũ, ita nobis vnitũm. Nã ſi cõuertas te ad opera miſericordię illius, quibus alias creaturas miſericorditer regit, fouet & diſponit ſuauiter, multo ſuauius regit & gubernat genus humanũ, cui nõ ſolũ eſſe, & viuere, vt cęteris, ſed beatũ eſſe & beatũ viuere perpetuumque diſponit & ordinat, iuxta illud. *Ego diſpono vobis regnũ.* Si verò te conuertas ad opera iuſtitiæ illius, quibus alijs creaturis iuxta condignũ tribuit, multo iuſtius humana opera remunerat, eo ꝙ ea ſupra merita coronat. *Non ſunt condigna paſſiones huius tẽporis ad futurã gloriã.* Quin & eadẽ citra demerita punit, eo ꝙ in inferno pęnã infinitam faciat finitã, quantũ ad intenſionem.

Christ. in humana natura venire voluit.

Luca. 22.

Rom. 8.

III.

Notatur fortunæ commoditas, quia *venit tibi*, id eſt, ad tuam vtilitatẽ datus. *Quomodo non etiam omnia nobis cũ illo donauit,* Quia præſentia ad ſuſtentationẽ, futura ad fruitionem. Venit ergo nobis ad quatuor. Primo in exemplum conuerſationis. *Inſpice & fac ſecundum exemplar.* Et: *Exemplum dedi vobis* Secundo in pretium redemptionis; *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Et: *Redempti eſtis non corruptibilibus auro vel argento.* Tertio in viaticum peregrinationis. Gen. 28. dixit Iacob *Si fuerit mecum Deus, & cuſtodierit me in via, per quam ambulo: & dederit mihi panem ad edendum,* ſc. in Euchariſtia. Ioan. 6 *Ego ſum panis viuus.* Quarto venit nobis in præmium remunerationis, iuxta illud Gen. *Ego ſum merces tua magna nimis.*

Rom 8.

Chriſtus ad quatuor venit.

Exod. 25.

Ioan. 13.

Apoc 5.

1. Pet. 1.

Ioan. 6.

IV.

Notatur huius clementiæ pietas, quia *Manſuetus*; de quo dicit Beda in homel. Vide ſpeciem aduentus eius; non ſedet in curru aureo pretioſa purpura fulgens, nec aſcendit ſuper feruidum equum diſcordiæ amatorem; non vides in circuitu eius gladios ſplendentes, aut cætera ornamenta

Manſuetudo Chriſti.

Te[illegible]

terribilium armorum, ſed ramos florētes, qui ſunt teſtimonia pietatis. Venit ergo manſuetus, vt non per potentiam timeretur, ſed per manſuetudinem amaretur. De hac humilitate loquitur Apoſtolus in hodierna epiſtola, in qua deſcribit eius manſuetudinem excellentem & humilitatem, quæ fuit triplex, magna, maior & maxima. Magna fuit quia ille qui fuit inuiſibilis, factus eſt viſibilis, & de ſublimi tam humilis: maior in hoc, quia Rex regum factus eſt ſeruus: maxima quia ſplendor paternæ gloriæ factus eſt in ſimilitudinem hominis peccatoris: vnde dicit Gloſſ. *Exinaniuit ſemetipſum*, id eſt, propria dignitate ſe exuit, vt in humilitate nobis imitabilis eſſet. Vbi dicit Auguſtinus. *Ecce habemus humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum; quid ergo intumeſcis, ô homo! ô pellis morticinea quid tenderis! ô ſanies fœtida quid inflaris! princeps tuus humilis, & tu ſuperbus? caput humile, & membrum ſuperbum?* Nota quod Chriſtus exinaniuit ſemetipſum quadrupliciter? Primo quo ad diuitias in natiuitate, quia pannis vilibus inuolutus. Secundo in conuerſatione, quia ſine hoſpitio; *Vulpes foueas habent.* Et: *Circumſpectis omnibus cum iam veſpere eſſet*, Gloſſa, ſi cum aliquis hoſpitio recepiſſet: nullo eum recipiente, exiuit in Bethaniam Tertio in morte, quia nudus pepēdit in patibulo, vt reducat nos in ſtatum innocentiæ, in quo primi parentes nudi erant, & non erubeſcebant. Secundo exinaniuit ſemetipſum quo ad potentiam, quando permiſit ſe capi & cruci affigi; vnde ei dictum eſt. *Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluum facere non poteſt*. Tertio exinaniuit ſemetipſum quo ad ſapientiam, quando coram Caypha, Pilato & Herode nihil reſpondit. *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* Quarto exinaniuit ſe quo ad pulchritudinem; quoniam ille, in quem Angeli deſiderant proſpicere, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur; cæſus alapis deformatur, iuxta illud. *Non eſt ei ſpecies, neque decor*. Secundo magna humilitas Chriſti in hoc apparuit, quia accepit formam ſerui, & ſubditus fuit hominibus. *Erat ſubditus illis.* Nec tantum formam accepit ſerui, ſed etiam mali ſerui, vt vapularet; & ſerui peccati, vt pœnam ſolueret, cum culpam non haberet. Vnde Iſa. 53. dicitur. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Et: *Quæ non rapui, tunc exoluebam*. Ipſe fuit tanquam fideiuſſor, qui deficiente principali ſoluit de proprio; propter quod non eſt obliuiſcendus, iuxta illud. *Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris; dedit enim animam ſuam pro te.* Sed quid per hoc meruerit, oſtendit Apoſtolus dicens: *Propter quod & exaltauit illum Deus*, vbi tangit tria præmia: primum accelerationem reſurrectionis, quia non expectauit generalem reſurrectionem, ſed tertia die reſurrexit; *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; vnde dicit: *Propter quod, & exaltauit illum Deus*, quia natura humana in reſurrectione excellentior eſt facta? Secundo tangitur dilatatio nominis: vnde dicit; *Et dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*; id eſt, manifeſtum eum fecit eſſe filium Dei, in quo ſolo eſt ſalus; *Non eſt aliud nomen ſub ſole &c*. Tertium eſt iudiciariæ dignitas poteſtatis. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere*: vnde dicitur; *Vt in nomine eius omne genu flectatur.*

Nunc videndum eſt de honore huius Regis; & quidem dupliciter à turbis eſt honoratus: primo verbis, ſecundo factis: verbis quidem, quia qui præcedebant & qui ſequebantur clamabant. *O Sanna benedictus qui venit in nomine Domini*, id eſt, benedictione dignus & gratiarum actione proſequendus. Et in hoc fatentur eum à Deo veniſſe tanquam filium Dei in nomine patris. In hoc autē quod dicunt. *O Sanna in excelſis*, fatentur eum Saluatorē mundi, O Sanna interpretatur obſecro ſalua. Factis autē tripliciter hodie ipſum honorauerunt Primo cum ramis & floribus obuiando, ramos in via ſternendo, veſtimenta ei ſubijciendo. Hanc venerationem hodie ſignauit Eccleſia in proceſſione, ſed multo perfectius eam fecit quam illi. Illi quidē frondes & veſtimenta ſternebāt, ſed nos corpora & animas flectimus. Illi temporaliter, nos æternaliter. Illi poſt gloriam ignominiam intulerunt, nos ſemper glorificamus eundem. Illi clamabant prius: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; poſtea

verò:

Chriſti humilitas triplex.

S. Aug.

Semetipſum quadrupliciter exinaniuit.

1. Lucæ. 2.

2.

Matt. 27.

3.

Pſal. 37.

4.

Iſaia. 53.

Luca. 2.

Eccl. 29.

Tribus fuit Chriſtus præmiatus.

Actor. 4.

Matth. 5.

Dupliciter à turbis Chriſtus honoratus.

O ſanna quid.

verò: *Crucifige crucifige eũm*. Prius dixerunt Rex Iſrael, poſteà, *Regem non habemus*, prius Saluatorem appellabant, poſtea irriſerunt dicentes. *ſeipſum ſaluum facere non poteſt*. illi prius flores obtulerunt, poſtea ſpineam coronam impoſuerunt; prius veſtimenta propria ſtrauerũt, poſtea ſua partiti ſunt. Sed nos ſemper & vbique benedictum in ſæcula prædicamus, regem regum cõfitemur, ſaluatorem proclamamus, coronaque gloriæ & honore dignum iudicamus, ad quam gloriam nos perducat &c.

IN DIE COENAE DOMINI.
SERMO I.

Exemplum dedi vobis. Ioan. 13.

Vita Saluatoris noſtra ſalutis exempla.

LIcet tota vita Chriſti noſtri ſaluatoris nõ ſit aliud quã noſtræ ſalutis exemplar, eo quod omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio, vt dicit Auguſt. tamen Chriſtus appropinquante hora mortis ſuę, perfectiora voluit ſuis fidelibus exempla oſtendere, ad oſtendendũ quod ipſe erat verus magiſter & Dominus, prout de ſe dicit: *vos vocatis me magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim*. Et reuera perfect[9] magiſter erat & Dominus, quia quæcunq; docuit, prius

Actor. 1. ipſe fecit, iuxta illũd. *Cœpit Ieſus facere & docere*. Et in hoc Chriſtus confundit phari-

Matt. 23. ſæos, de quibus dicitur. *Dicunt enim & non faciunt*: nec ſolum in hoc perfectionẽ ſuã declarauit, qui ea quę docuit fecit qualitercunque, ſed multo amplius in hoc quod ea fecit manifeſtè, ſcilicet ad gloriã Dei patris, Ioan. 8. *Honorifico patrem meum*. Hoc

Matth. 5. etiam præcepit Apoſtolis dicens: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum &c*. ſed nec in hoc terminari potuit perfectio ſui magiſterij, eo quod ipſe dedit exẽplum nõ in vno bono, ſed in omnibus vir-

Tit. 2. tutibus. *Prabe te exemplũ bonorum operum*, nec ſolũ in omnibus, ſed etiã omnibus ſtatibus. *Non ponunt lucernã ſub modio, ſed ſu-*

Matth. 5. *per candelabrũ, vt luceat omnibus qui in do-*

Luca. 11. *mo ſunt*. Quia igitur talis ac tantus magiſter Chriſtus fuit, qui potius in factis quam in verbis laborauit, nec ſolũ factis occultis ſed etiam manifeſtis, nec in paucis ſed in omnibus & omnibus; ideò meritò de ſe dicere potuit verbũ propoſitum. *Exemplũ dedi vobis*. Dedit autẽ Chriſt[9] humano ge- *Propoſit.*

neri in cœna hodierna triplex exemplũ efficaciſſimum & ſufficiens ad ſalutẽ. Primo quidem exemplũ charitatis in hoc ꝙ vſq; in finem dilexit ſuos. Secundo exemplum humilitatis in hoc quod pedes lauit diſcipulis. Tertio dedit exemplũ benignitatis in hoc quod corpus ſuũ tradidit diſcipulis. vnde volens quod ſimiliter nos faciamus, & dictis tribus virtutibus adornemur, dicit: *Exemplum dedi vobis*.

I.

Chriſtus ſuos quadrupliciter dilexit.

Chriſtus hodie dedit nobis exemplum charitatis, in hoc quod dilexit ſuos. Circa quod ſciendũ, quod Chriſtus dilexerit ſuos quadrupliciter; cuius dilectionis ſimilitudinẽ non eſt inuenire. Primo namq; dilexit nos grãtis; nullus enim meritis noſtris ex- 1.

igentibus tanta beneficia nobis contulit. *Oſea. 14.*

Vnde ipſe apud Oſeã dicit: *Diligam eos ſpõ-*

taneè Et: *In hoc eſt charitas, non quaſi nos di-* *1. Ioan. 4.*

lexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Hinc eſt, ꝙ Bern. dicit, ꝙ Chriſtus dilexerit nos contrario modo, quã mundus diligit ſuos. Mũdus ſiquidẽ dicit: Dili-

ge me, & ego diligam te: Chriſtus autẽ *Di-* *Rom. 11.*

lige me, quia prius dilexi te, nam quis prior dedit illi & retribuetur ei? Secundo dilexit 2.

Chriſtus ſuos ſatis, id eſt, ſufficienter & abundanter; quia pro eis dedit in mortem animã ſuã: & quidẽ in talẽ mortẽ, qua nec opprobrioſior, nec amarior potuit inueniri, iuxta illud. Eccl. 29. *Gratiã fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris: dedit .n. pro te animã ſuã*. Et:

Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *Apoc. 1.*

3. dilexit reſiſtẽtes, id eſt, inimicos & pecca 3.

tores, q̃ ſanè fuit magna dilectio; nã ſicut

 magna

magna eſt dilectio animam ponere pro amicis, vt dicitur Ioan. 15. multò maior dilectio eſt pro inimicis. Hinc dicit Bernardus: Verè Domine tu maiorem dilectionẽ habuiſti, ponens eã pro inimicis. Et Apoſtolus ait. *Cũ adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem eius.*

Ephef. 2. Rom. 5. 4.

Quarto dilexit nos nondum exiſtentes, quia non ſolum pro mortuis, qui iam in limbum deſcenderant, nec ſolũ pro viuis, qui tunc in mũdo erant; ſed etiam pro nobis, qui nondũ fuimus, & pro illis, qui adhuc futuri ſunt poſt mille annos, Chriſtus mortuus eſt. Vnde apud Iob dicitur. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* quaſi dicat, natus non eras in die paſſionis meæ.

Iob. 38.

Ex quibus omnibus infero, quod Chriſti dilectio erga genus humanum fuerit liberaliſſima, quia gratis; fuerit pretioſiſſima, quia ex anima totali; fuerit inſolita & ſtupẽda, quia erga peccatores; & fuerit latiſſima, quia erga non exiſtentes; & ex his ſequitur quod fuerit perfectiſſima, vltra noſtram dilectionem, quæ nunquam eſt gratis, nunquam ex totali anima, nunquam erga tot & tales inimicos, nunquã erga nondũ exiſtentes.

Qualis dilectio à nobis requiratur.

Verumtamen etſi non poteſt eſſe in nobis tanta dilectio quanta in ipſo, tamẽ ſaltem debet eſſe tãta in nobis quanta eſt poſſibilis, iuxta illud. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum.* Ecce modus nobis poſſibilis, ſcilicet diligere Deum ex toto corde, & proximum ſicut noſipſos.

Matt. 22.

Ex quo patet ꝙ homini non ſufficiat, diligere Deum qualitercumque, niſi diligat cordialiter; nec ſolum cordialis dilectio requiritur, ſed totalis, quia dicit; *Ex toto corde.* Hinc infero quod illi, qui occupantur corde circa plurima, non perfectè diligãt Deum, quia minus feruent in amore Dei propter diſtractionem, iuxta illud: *Vnum eſt neceſſarium.*

Luca. 10.

Hoc ſanè ſedulò deberent communicãtes penſare hodie, vt omiſſis alijs recolligerẽt cor ſuum ad diligendum Deum. Eſt enim charitas ſicut ignis, qui minus calefacit in domo magna, quam parua; ſic & minus ardet in corde diſtracto ad diuerſa, quam in recollecto ad vnum. Bene autem ponitur dilectio Dei in corde, ad ſignificãdum, quod homo debeat vitare omne peccatũ mortale quod extinguit charitatẽ, & per conſequens vitã animæ; quia ſic ſimul vitat omne nociuum, quod extinguit cordis vitam corporaliter. Vnde extincta charitate per peccatum mortale homo dicitur mortuus in anima; non eſt tamen idem tenendum de alijs virtutibus, videlicet fide & ſpe, quæ non omnino extinguuntur per peccatum mortale, ſicut probat Apoſtolus. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam &c.* Compatitur tamen charitas veniale, ſicut & cor leuem diſſipationem, quæ non infert mortem, iuxta illud. *Septies in die cadit iuſtus,* ſcil. ſæpè, nõ tamẽ à charitate, ſed in charitate, & ideo nõ deſinit eſſe iuſtus. Tantum de primo.

1. Cor. 13. Prou. 24.

II.

Humilitas Chriſti magna ex duobus patet.

Chriſtus hodie oſtendit nobis exemplũ humilitatis in hoc, quod lauit pedes Apoſtolorum; quæ ex duobus ſumitur. Primo eius magnitudo ſumitur ex parte eius, qui lauit; ſecundo ex parte eorũ, quos lauit. De primo dicit Chriſtus: *Si ego magiſter & Dominus laui pedes veſtros.* Quibus autem lauit? *piſcatoribus*; & propter quid: *vt nos idem faciamus.* Legimus homines hominibus pedes lauiſſe, vt habetur Gen. 24. Item legimus Angelis homines pedes lauiſſe Gen. 18. ſed nunquam legimus Angelos hominibus pedes lauiſſe, & multo minus Deum Patrem legimus hominibus pedes lauiſſe. Verè ergo magna humilitas, verè magnum miraculum, & inſolitum nouũque factum, quia Dominus Angelorum, terreſtrium, & infernorum per potẽtiam, magiſter omnium ſapientiſſimus per ſingulorum occultorum notitiam inclinari dignatus eſt ad pedes ruſticorum piſcatorum. Hinc Petrus attendens tantam nouitatem dixit: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Nonne Angelis præcipere potuit, vt lauarent pedes Apoſtolorum? ſed noluit, quin potius per ſeipſum fecit, vt exemplũ daret nobis ſimiliter faciendi: & in hoc dedit ſpeciale documentum nobilibus, iuſtis, doctis & innocentibus, vt non contẽnãt ignobiles, peccatores, ignaros & iniuſtos.

Quadruplicem in vita ſua oſtendit.

Oſtẽdit autẽ Chriſtus in vita ſua quadruplicẽ humilitatẽ: primo quo ad diuitias; quia natus, in vili panniculo inuolui voluit; *Inuenietis infantem pannis inuolutũ & po-*

Luca. 2. Ioan. 6.

& poſitum in præſepio. Secūdo quoad honores quia rex eſſe refugit. *Et domum propri-*
Luc 9. *am contempſit habere. Vulpes foueas habent*
&c. Tertio quo ad delitias, quia eſuriit. Matth. 4 & ſitiuit Ioan. 4. Quartò quo ad potentiam, ſapientiam & pulchritudinē; quia ſe impotentem, neſcientem & deformem oſtendit. Condemnauit ergò diuitias, honores & delitias, potentiam, ſapientiam & pulchritudinem ſæculi, quæ ſunt portæ mortis; & quiſquis amicus eſſe voluerit mundi in his, inimicus Chriſti con-
Iacob. 4. ſtituetur, vt dicitur Iacob. 4. Ex his infero primo, quod nullus grauius peccet illo, qui cōtemnit ſequi veſtigia Chriſti in prædictis exemplis humilitatis, & appetit ea, quæ ille contempſit. Patet, quia contemnit perfectum exemplar, & per conſequēs neceſſe eſt eum errare in via ſalutis, ſicut ſcriptorem auertentem oculos ab exemplari; propter quod Moyſi dictum eſt;
Exod. 25. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte.* Ex quibus vlterius infero, quod appetens ea, quæ Chriſtus contempſit, & contemnens, quæ appetijt, peccet mortaliter, & per conſequens damnetur. Patet per D. Auguſtinum in lib. de vera religione, vbi probat hoc ſolum eſſe peccatum mortale in prædictis duobus caſibus, videlicet appetere & contemnere.

III.

Oſtendit Chriſtus exemplum ſuæ benignitatis, in hoc, quod corpus ſuum tradidit ad manducandum diſcipulis. Hodiè enim fecit grande conuiuium, quale in vita ſua nunquam fecerat. Nam licet lega-
Ioan. 6. tur quinque milia de quinque panibus ſatiaſſe, non tamen de proprio corpore, ideoque iſtud conuiuium eſt ſummæ benignitatis, ſignificatum per conuiuium Regis Aſſueri, qui anno tertio imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis Principi-
Eſther 1. bus ſuis: ſicut & Chriſtus poſt legem naturæ & legem ſcriptam, ſub lege gratiæ inſtituit hoc ſacramentum. Grande autem dicitur conuiuium hoc, quia grandis cibus Angelorum in eo proponitur: grandes debent eſſe qui manducant; grandia quoque dona confert; propter quod neceſſe eſt benè eſſe diſpoſitum, præparatum & aptatum eum, qui ad tale conuiuium intendit accedere: quod ſignificauit Saluator in lotione pedum diſcipulorum. Et notanter lauit pedes, qui ſunt extrema & vltima pars corporis, ad ſignificandum etiam minima eſſe purganda ante ſumptionem huius ſacramenti. Nam caput myſticum in homine eſt intentio, quæ debet eſſe in homine recta: manus eſt operatio, quæ debet eſſe ſancta: & facies eſt conuerſatio, quæ debet eſſe honeſta; ſed hæc omnia non ſufficiunt, niſi etiam pedes lauentur, id eſt, affectiones noſtræ, quibus adhuc continuè in puluere terrenorum gradimur, ſint mūdæ. *Pedes cur Chriſtus lauerit diſcipulis.* Aliquando enim vruntur calore iræ, inuidæ vel odij. *Nunquid ambulare poteſt* Prou. 6.
homo ſuper prunas, vt non comburantur pedes eius. Aliquando diſſoluuntur frigore negligentiæ. *Orate, nè fuga veſtra fiat in* Matt. 24
hyeme. Aliquando colliduntur ad lapidem fidei hæſitatione: aliquando inquinantur luto, ſcilicet carnis voluptate. *Sordes eius* Tren 1.
in pedibus eius. Aliquando aſperguntur Matt. 10.
puluere vanæ gloriæ *Excutite puluerem de pedibus veſtris.* Ideò illi pedes indigent multiplici & frequenti lotione: & primo lauat aqua amaræ compunctionis. *Quibus aquis pedes lauādi.* *Lauabo per ſingulas noctes*, id eſt, per ſingula pec- Pſalm. 6.
cata mundabo conſcientiam meam. Se- Prou. 18.
cundò aqua confeſſionis; *Aqua profunda,* Pſal.
verba ſcilicet confeſſionis, *ex ore viri*, omnia enim in confeſſione lauantur: Tertiò aqua corporalis afflictionis; *Contribulaſti capita draconum in aquis*, capita dicit, id eſt, primos motus peccati. Quartò aqua fra- Eccl. 3.
ternæ compaſſionis. *Ignem ardentem ex-* Pſal. 6.
tinguit aqua Quintò aqua deuotionis. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei* Sextò a- Naum 3.
qua diuini ſermonis. *Aquam propter obſidionem hauri tibi*, id eſt, retineas verbum Dei tibi contra tentationem, iuxta illud.
Iam vos mundi eſtis propter ſermonem meum Ioan. 15.
quem locutus ſum vobis.

Pro latiori huius materiæ declaratione, tria ſunt hic conſideranda: primò videndum quæ, & qualis requiratur præparatio ad communionem huius ſacramenti: ſecundò conſideranda impedimenta huiuſmodi præparationis: tertiò effectus huius ſacramenti expendendus. *Tria circa præparationem ad communionē conſideranda.* De primo ſciendum, quod tripliciter ſe homines præ- 1.

parent ad hoc ſacramentum: Quidam enim præparant ſe ſufficienter non ſecundum veritatem, ſed ſecundum probabilitatem, ita vt exiſtiment ſe carere peccato; qui tamen, ſi facerēt maiorem inquiſitionem conſcientiæ inuenirent ſe reos: ſunt tamen parati, vt ſi ſcirent peccatum in ſe, vellent confiteri: non tamen apponunt ad hoc omnimodam diligentiam; & hi quāuis gratiam non recipiant propter obicem peccati, nō incurrunt tamē offenſam, quia nec ſumunt dignè, nec indignè, quamuis ſint indigni. Secundò quidam ſe præparant indignè, vt illi qui omninò contemnunt vel negligunt ſe pręparare & conſcientiam diſcutere. Et tales etſi confitentur reliqua, non tamen volunt apponere diligentiam ad examinandum conſcientiam, nec habent propoſitum firmum pœnitendi in quantum occuret eis aliquod peccatum, & hi ſumunt indignè. Hos arguit Apolus dicens. *Qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Glo. ita incurrit offenſam diuinam, ac ſi Chriſtum crucifigeret. Tertiò quidam ſe præparant dignè, vt illi qui verè contriti, confitentur purè de ſibi notis peccatis, examinantes conſcientias cum circumſtantijs peccatorum, habētes propoſitum pœnitendi de omnibus, quæcunque oblit ſunt quę libēter confiterentur ſi recordari poſſent. Et tales in hoc caſu per ipſam cōmunionem conſequuntur gratiam remiſſionis peccatorum non ſolum confeſſorū, ſed etiam oblitorum. Ex quo ego infero quod in hoc caſu ſi quis facta diligenti diſcuſſione ſuæ conſcientiæ, quamuis non ſufficiēti ad communionē accedit, aliquo peccato mortali in eo manente, quod eius cognitionem ſubterfugiat, non peccat; imò magis ex vi ſacramenti conſequitur remiſſionem peccati, quia iſtud ſacramētum venialia delet & mortalia oblita. Sed diceres. videtur hoc quodammodo iniuſtum quod Deus imputet homini culpam peccatorum oblitorum; cum nemo ad impoſſibile obligatur. Ad quod reſpondet Thomas de argentina in 4. diſtinct. 10. quod triplex eſt ignorantia, ſcilicet inuincibilis, & hæc excuſat à toto & à tanto. Alia eſt craſſa ſeu neglecta, & hæc excuſat à tanto, ſed non à toto. Tertia eſt affectata, & hæc nec à toto nec à tanto: imò talis aggrauat, vt dicit Magiſter in 2. ſententiarū diſt. 22. Modum autem pręparationis expreſsè ponit Euangelium. Chriſtus enim volens tradere diſcipulis corpus ſuum, primò à cœna ſurrexit, ſecundò veſtimēnta depoſuit, tertiò linteo ſe præcinxit, quartò pedes lauit, quæ quatuor communicanti ſunt neceſſaria. Primò enim debemus gulam fugere, hoc eſt à cœna ſurgere. Secundò auaritiam fugere, hoc eſt veſtimenta deponere. Tertiò luxuriam deteſtari, hoc eſt linteo ſe præcingere. Quartò affectiones puras habere, hoc eſt pedes lauare. Primum ſignificatur per Iſraelitas, quibus manna non eſt datum prius, niſi deficeret farina Aegypti. Secundi ſignificantur per Iudam qui loculos habuit. Vnde poſt buccellam introiuit in eum ſatanas. Tertij ſignificantur per Dauid, qui ante eſum panū propoſitionis continuit tribus diebus. Quarti per ſacerdotes leuiticos, qui prius ſanctificabantur, id eſt, mundabantur antequam offerrent ſacrificium.

1. Cor. 11. — *Ignorantia triplex.* — *Communicanti quatuor neceſſaria & quæ.*

Secundo videndum eſt de impedimentis præparationis dignæ, quæ tria ſunt. irreuerentia accedendi, propoſitum peccandi, & infectio præcedentis propoſiti. De primo dicit Apoſtolus. *Conuenientibus vobis in vnum*, id eſt, ſimul & fusè & inordinatè irruentibus ad altare. Et cauſa huius ſubditur. *Vnuſquiſque enim cœnam ſuam præſumit ad manducandum*, quod intelligitur, quia ſicut tunc illi qui hic arguuntur, non expectabant debitum tempus, puta miſſam ſed ante ſumebant cœnam: ita & modò quidam propter feſtinantiam eundi ad comedendum ſe indeuotè ingerunt ad concionem. Alij etiam ante tempus ſtatutum, puta ante dies iſtos magnæ ſeptimanæ in medio quadrageſimę, vel citò poſt communicāt putantes ſe iam ſolutos à ſtatuto Eccleſię, qui tamē ſe decipiūt, eò quod canon dicit eſſe communicandū ſemel in anno, videlicet circa feſtum paſchæ. *de pœn & re Omnis.* Hoc vitio etiam laborant quidam ſpirituales, qui interdum ante miſſam diſtrahuntur & diſſoluuntur iocis & riſibus, & interdum verbis turpibus increpantes miniſtros altaris de negli-

Ad communionis dignam præparationem tria impediunt. 1.

negligentijs. Alij verò tranſcurrentes conſuetas orationes, vt quam dilecta, & alia, non recordantes ſeipſos quid faciunt, aut quid dicunt. Si ergò volunt dignè & reuerenter communicare, ſint primo pacifici & quieti, ſint patientes iniuriarum, ſint alacres & læti, ſint longanimes & perſeuerantes quouſque diuinum officium finiatur: vnus alterum præmittendo ante ſe, reputando ſe indignum, & omnes alios
2. Impedimentū. dignos. Secundum quod impedit præparationem dignam, eſt propoſitum peccandi, quod notatur cum dicitur, *& alius quidem eſurit*, id eſt, famem peccandi patitur. Pſalm. *Appoſuerunt adhuc peccare*. Iſti ſunt
Ioan. 13. ſimiles Iudæ qui manducauit corpus Chriſti, & tamen habuit intentionem tradendi
3. Imped. Chriſtum. Tertium quod impedit dignam præparationem eſt infectio præcedentis propoſiti, de quo dicitur. *Alius autem ebrius eſt*. 1. Theſſal. 4. Qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Inebriatur homo peccando, dormit non pœnitendo; propterea dicitur Ioel. 1. *Expergiſcimini ebrij & flete*, id eſt, animam ad pœnitentiam reuocate, & dolete pro peccato.

Tertiò videndum eſt de efficacia huius ſacramenti, ſuntque vtilitates eius ſeptem. Prima quia vnit & incorporat Chriſto: *Qui manducat carnem meam in me manet, & ego in eo*. Secundò quia fortificat. Pſal. *Panis cor hominis confirmat*. Tertiò ad deuotionem excitat. *Omne delectamentum in ſe habens*. Quartò augmentat fidem. 4. ſentent. diſtinct. 33. Quintò ſpem ſubleuat. *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*. Sextò renouat memoriam diuinæ charitatis. *Hoc facite in meam commemorationem*. Septimò mundat à venialibus, & præſeruat à mortalibus, & omnes virtutes auget, vt dicit Damaſcenus & Innocentius. Ex quibus omnibus iſtud colligamus, quod volens dignè accedere ad hoc ſacramentum debet Chriſtum imitari tanquam exemplar perfectum in tribus præcedentibus virtutibus. Primò vt ſit charitatiuus erga Deum & proximum. Secundò humilis in reputatione ad ſeipſum. Tertiò benignus & miſericors erga egenum; quæ tria cum habuerit, rectè accedet, & per conſequens conſequetur per ſacramentum Euchariſtiæ in præſenti gratiam, & in futuro gloriam. Quam nobis &c.

Communionis Sacramenti vtilitates ſeptem. Ioan. 6. Sap. 16.

Matt. vlt. 1. Cor. 11.

IN DIE SANCTO PASCHAE.

Surrexit non eſt hic. Marci vlt.

INter cætera mirabilia diuinæ ſapientiæ opera quibus vniuerſa in hoc mundo regit & gubernat, illud quodammodo non min' mirabile videtur, ꝙ nunquam gaudium præcedit triſtitiam, ſed ſemper triſtitia præ-
Thob. 3. cedit gaudium, iuxta illud. *Poſt triſtitiam & lachrymas gaudium infundis*. Et eſt hæc lex diuinæ non ſolum ſapientiæ, ſed etiam iuſtitiæ contra legem mundanæ iniquitatis & nequitiæ poſita. Nam iuxta legem ſæculi ſemper verecundiam præcedit gratia & honor, ſicut grandinem præcedit coruſcatio, vt dicitur Eccl. trigeſimo ſecundo. Vnde Prouerb. decimo quarto. *Extrema gaudij humani occupat luctus*. E contra verò eſt de lege diuina ſecundum quam gaudium ſequitur triſtitiam, & riſus dolorem. Hoc apparet hodiè in Domino noſtro Saluatore, qui pro eo quod nudiuſtertius graui fuit triſtitia anguſtiatus, iuxta illud: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*. Matth. vigeſimo ſexto. Nunc re- *Matt. 26.*
ſurgens à mortuis gaudio vniuerſæ creaturæ eſt circumdatus. Omnes enim qui tunc ſecum triſtabantur & compatiebantur, nunc immenſo gaudio gauiſi ſunt. In paſſione ſiquidem Chriſti triſtabantur triplices creaturæ, ſcilicet, puræ

corpora-

corporales, ſicut terra quæ tremuit & ſol obſcuratus fuit. Secundò puræ ſpirituales ſicut Angeli, de quibus dicitur Iſa. 33. *Angeli pacis amarè flebant.* Tertiò compoſitæ creaturæ vt homines, videlicet Apoſtoli & mulieres. Iſtæ ergò omnes creaturæ reſumpſerunt gaudium cum Chriſto reſurgente. Nam terra præ gaudio tremuit & quieuit, vt dicitur in Pſalm. Sol apparuit clarior quam vnquam antea fuerat, vt dicit D. Auguſtinus in ſermone hodierno. Secundò Angeli gauiſi ſunt gaudio magno de noſtra redemptione, & magis de ſua reparatione, & maximè de Domini ſui reſurrectione. Vnde dicitur de eis. *In die illa ſtillabunt montes dulcedinem & colles fluent lacte & melle.* Montes Angeli maiores, colles minores qui hodiè dulciter lætati ſunt. Tertiò gauiſi ſunt Apoſtoli viſo Domino. Gauiſæ ſunt mulieres, & præcipuè mater Chriſti quæ plena fuit amaritudine. Gauiſa eſt Magdalena, quia recuperauit dilectū à morte ad vitam. Gauiſæ ſunt & aliæ piæ mulieres ſequentes Chriſtum, quia per eum non fuerunt deſolatæ. Gauiſi ſunt inſuper & ſancti Patres in limbo, & hoc propter tria, quia de loco infimo erepti ſunt ad locum ſuperiorem, Secundò, quia de caligine tenebrarum eleuati erant ad claram viſionem Dei. Tertiò, quia de conſortio & vicinitate dæmonum tranſlati ſunt ad conſortium Angelorum. Non ſolum autem prædictis creaturis, ſed etiam nobis peccatoribus magnū debet eſſe hodiè gaudium, & hoc ex tribus. Primò ex parte noſtri capitis Chriſti, qui vt hodiè poſt depreſſionem eleuatus eſt & exaltatus. Si enim gaudium eſt nobis de eo quod amicus ſurgit de infirmitate ad vitā mortalem, quantò magis cum ſurgit de morte ad vitam perpetuam: nec ſolum ſurrexit ad vitam qualemcunque, ſed vitam honorabilem, vitam delectabilem, vitam excellentiſſimam: quia *Exaltauit illum & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Secundò gaudium nobis debet eſſe ex parte aduerſarij noſtri. Si enim gaudium eſt de triumpho in bello, poſt quem tamen timetur futura ſeditio, quantò magis gaudium eſſe debet de triumpho inimici taliter proſtrati, qui ſic cecidit, vt non adijciat vt reſurgat; & quod plus: non ſolum hoſtis proſtratus eſt, ſed etiam tota præda eius quam tulerat, & vniuerſa arma eius ablata ſunt. Tertiò gaudium nobis debet eſſe ex parte noſtri proprij ſubiecti, quia hodiè ſpes nobis æternæ immortalitatis promiſſa eſt, ex eo videlicet, quia ſicut Chriſtus reſurrexit, ita & nos reſurgemus, iuxta illud. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* Omnibus igitur creaturis, omnibus ſtatibus, ordinibus, officijs & dignitatibus Chriſti reſurrectio gaudium eſſe debet, quia omnibus reſurrexit ad vtilitatem. Hinc eſt quod Angelus alloquens ſanctas mulieres, quæ tunc erant triſtes de morte Chriſti ad nouæ alacritatis lætitiam eas animās dicit de Chriſto reſurgente. *Surrexit non eſt hic,* quæ verba leguntur in Euangelio hodierno, & tria tanguntur in iis. Primò namque deſcribitur Dominicæ reſurrectionis per Angelum annunciatio, cum dicitur. *Surrexit.* Secūdò additur vera eiuſdem annunciationis probatio, cum dicitur, *non eſt hic.* Tertiò ex vtroque colligitur Chriſti reſurgentis conditio, quia *Surrexit non eſt hic.*

[Margin: Iſa. 33 — Ioel 3. — Ioan. 20. — *Gaudiū S. Patrū in limbo triplex.* — *Noſtrum item triplex.* — Philip. 2. — Luc. 11. — 1. Pet. 1. — *Propoſit.*]

I.

Surrexit. Sciendum quod reſurrectio Domini annunciatur mulieribus non quibuſcunque, nec à quocunque, nec qualitercunque; & ideò tria conſideranda hic occurrunt. Primò, quales fuerunt mulieres quibus reſurrectio Dominica nuntiatur. Secundò qualis fuit annuntiator. Tertiò quali modo annunciauit. De primo dicitur in principio Euangelij, quod iſtæ mulieres vna Sabbathorum, id eſt, prima die poſt ſabbathum venerunt manè, orto iam ſole, cum aromatibus ad monumentum Chriſti, vt vngerent Ieſum. Erant enim iſtæ mulieres deuotæ, quarum deuotio oſtenditur ex emptione pretioſi vnguenti. Vnde licet ſcirent quod Ioſeph ab Arimathia & Nicodemus qui ſepelierunt corpus Chriſti, quod vnxiſſent illud, vt dicitur Ioan. 19. eò quod Ioſeph & Nicodemus attulerūt mixturam mirrhæ & aloes quaſi libras

libras centum, & ſepelierunt corpus Domini, tamen iſtæ mulieres quaſi pro nihilo reputantes illam vnctionem, voluerunt per ſeipſas eam Chriſto impendere. Nam ſicut dicit Alexandrinus: conditio veri amantis eſt, vt magis eligat ipſe obſequium rei amatæ impendere, quamuis alius iam impendit. Vis ergò amoris agebat in iſtis mulieribus, vt vellent tangere & vngere corpus Chriſti, quia minus carum reputabant, quod ab alijs fuit datum ſine illis. Secundò iſtæ mulieres fuerunt diligẽtes, feruidæ & ſollicitæ, quia non expectabant diem, ſed valdè manè. Verè magnus amor & diligens iſtarum mulierũ fuit: cum enim inconueniens ſit mulieri foras egredi valdè manè, impetus tamen amoris poſtpoſuit omnem quæ videbatur inconuenientiam. Tertiò iſtæ mulieres fuerunt viriles & animoſę, quia nullum impedimentum, nec aliquod periculum retardare eas potuit ab obſequio Chriſti, licet quinque fuerint impedimenta. Primò enim fuit lapis magnus appoſitus, de quo dicebant. *Quis reuoluet nobis lapidem &c.* Secundò, fuerũt cuſtodes appoſiti cuſtodiæ, nè corpus Chriſti ſubtraheretur. Tertiò, erat ſigillum Principis Sacerdotum & Phariſæorũ appoſitum. Quartò, quia nullum diſcipulorum Chriſti audebant aſſumere in auxilium, nè diceretur, quia diſcipuli eius furati ſunt eum. Quintò, quia horribile eſt valdè videre corpus mortuum in monumento & pertractare, & præcipuè de nocte, ita quod mater timeat filium proprium mortuum. Sed in iſtis mulieribus vincebat amor fragilitatem naturæ, quia non ſolum non timebant, ſed etiam deſiderabant cum feruore videre & vngere. Tantum enim dilexerunt eum viuum, ꝙ nõ timebant poſſe timere de mortuo. Non ergò eas retraxit fœtor ſepulchri, quia ſic fuerunt delectatæ in amore viuentis, quod nullum faſtidium credebant poſſe percipere de mortuo. Magis ergò ponderabant hoc vt Chriſti corpus inungerent, quod in tantum viuum dilexerunt, vt non paterẽtur ipſum putreſieri vel incinerari, ſed adhibitis remedijs à putredine cupiebant ipſum incorruptum & illæſum conſeruare.

Amantis conditio.

Impedimenta quæ mulieres has retardare potuiſſent

Ex quibus infero, quod volens eſſe gaudij particeps præſentis ſolennitatis, tria debet habere ſupradicta. Primò, vt ſit deuotus & amoroſus per propriam actionem. Quamuis enim multi multa faciũt ad honorem Dei, non tamen ipſe ceſſet propter hoc, ſed faciat quæ poteſt, nec reputet aliquid factum pro Deo per alios, ſi ipſe non fecit. Talis fuit vidua Luc. vigeſimo primo, quæ licet ſciuiſſet multa fuiſſe facta & impenſa ad ædificium templi, tamen ipſa nihilominus omnia pro nihilo reputans, miſit in gazophilacium, æra minuta duo, quod eſt quadrans. Volens ergò hodiè per gratiam communionis Euchariſtiæ reſurgere cum Chriſto, ſimiliter faciat, vt mittat duo æra minuta in corpus Ieſu, id eſt, duo præcepta dilectionis, videlicet Dei & proximi, nec reputet aliquid facta aliorum, quibus ipſi merentur, vt in eis confidat, ſed propria faciat. Dicit enim Apoſtolus Gal. ſexto. *Quod vnuſquiſque onus ſuum portabit, & quæcunque ſeminauerit homo, eadem & metet.* Vnde dicit Sal. Eccleſ. nono. *Quodcunque poteſt manus tua inſtanter operare.* Tua dicit, non aliena. Et eſt hoc contra illos, qui cum vident diuites, clericos aut Eccleſias, dicunt: iſti habent ab alijs, non opus eſt vt eis detur. Quid enim tibi de alterius merito, ſi tu non dederis? Vnuſquiſque enim ſibi meretur. Nec enim Chriſtus vituperauit viduam, ſed commendauit, quæ alijs multa largientibus, ipſa pauca dedit. Secundò infero, quod volens eſſe particeps hodiè reſurrectionis ſpiritualis Chriſti in anima ſua per gratiam communionis Euchariſtiæ, debet eſſe feruidus, diligens & ſollicitus circa ſui præparationem. Sicut enim iſtæ ſurrexerunt valdè manè, ſic ille qui præparat ſe ad communionem, debet valdè manè ſurgere. Manè ſurgit & vadit, qui aliquot diebus ante communionem abſtinet ab illicitis. Sed valdè manè, id eſt, feruidè & ſollicitè ſurgit, qui ab initio quadrageſimæ non ſolum ab illicitis, ſed etiam à licitis abſtinet, ſicut fecit Apoſtolus, qui dicit de ſe. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Tertiò infero, quod volens eſſe parti-

Tria ad communionem huius gaudij inquirũtur.

Galat. 6.

Eccl. 9.

particeps reſurrectionis ſpiritualis Chriſti in anima ſua per gratiam communionis, debet eſſe virilis & animoſus contra tentationem. Sicut enim iſtæ fuerunt animoſæ contra pericula, ſic qui hodiè communicat, debet eſſe firmus in intentione, & animoſus in ſuo propoſito ad exponendum ſe omnibus difficultatibus pœnitentiæ. Si enim iniungitur ei ieiunium, non reputet difficile, quia hoc poſſunt vetulæ aut virgines tenellulæ, multò magis ipſe vir. Si eleemoſinæ iniunguntur, non reputet difficile, quia per hoc non minuitur burſa, iuxta illud. *Sunt qui diſtribuunt opes & ditiores fiunt.* Si iniunguntur orationes, non reputet difficile, quia orantibus nihil eſt impoſſibile, iuxta illud; *Omnia quacunque petitis, credite quia accipietis.* Et qui orare reputat difficile, ſciat quia etiam ſolum deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, vt dicit Pſalmiſta. Omnia ergò amanti ſunt poſſibilia. Ex quibus finaliter infero, quod nihil ſic hominem animat & fortificat in via pœnitentiæ ſicut ſpes de Deo, iuxta illud. *Spera in Deo & ipſe faciet:* Et Aug. Quis ſperauit in Deo, & derelictus eſt ab eo? quaſi dicat, nullus.

Quinque de Angelo dicuntur. Secundò videndum eſt qualis fuit annunciator huius gaudij. Et patet ex Euangelio, quia fuit Angelus Domini bonus, & in ſpecie lucidus, de quo nuntio quinque hic dicuntur. Primò quia in iuuenili ætate apparuit, quę eſt ætas florida, ad ſignificandum, quod in iſta ætate Chriſtus ſurrexit, & nos reſurgemus. *Epheſ. 4.* *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Secundò dicitur de eo, quia ſedebat ſuper lapidem, per quod ſignificatur Chriſtum fuiſſe eleuatum ſuper omnem grauitatem per dotem ſubtilitatis, quam dotem habebunt electi poſt reſurrectionem, quia tunc corpus nulla grauitate deprimetur, quin liberè poſſit eſſe ſupra omnem grauitatem. Tertiò dicitur quod ſedebat in dextris, per quam ſignificabatur reſurrexiſſe Chriſtus ad vitam perpetuam, & ſic habere dotem immortalitatis: *Rom 6.* *Iam enim ei vltra mors non dominabitur.* Roma. ſexto. Vnde nullam paſſionem caloris vel frigoris factionem, nec quamcunque aliam alterationem corporis potuit ſuſtinere, & ſimiliter electi poſt reſurrectionem erunt. Quartò dicitur de iſto annunciatore, quod aſpectus eius erat ſicut fulgur, quod ſubitò mouetur ab oriente in occidentem, & ſignificat dotem agilitatis, per quam corpus Chriſti nulla grauitate tardabatur, quin poſſet liberè eſſe vbi vellet: ſimiliter erunt electi poſt reſurrectionem, quia ſicut dicit Auguſtinus. Ibi erit protinus corpus, vbi volet animus. Quintò dicitur de eo, quod coopertus erat ſtola candida, & ſignificabat Chriſtum habere dotem claritatis. De quo Pſalm. dicit. *Amictus lumine ſicut veſtimento*; & propter hoc corpus eius nullo veſtimento indiget, nec propter aeris intemperiem, quia fuit impaſſibilis; nec propter erubeſcentiam, quia innocens; nec propter ornatum, quia amictus lumine. Vnde ſuperflua eſt quæſtio de hoc, quale veſtimentum Chriſtus habuit poſt reſurrectionem, aut quale habebunt electi, hoc enim excluditur per dotem claritatis. Sicut enim ſol non indiget alia tunica qua veſtiatur vltra propriam lucem, ſic nec tunc electi indigebunt, iuxta illud Matthæi decimo tertio. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum.* *Matt. 13.* Tertiò videndum eſt de modo annuntiationis ſeu inſinuationis glorificationis corporis Chriſti, de quo dicit Angelus, *quia ſurrexit*, quaſi dicat. Ille qui erat in monumento depreſſus permiſſione ſua, poſt ignominiam ille idem reſurrexit virtute & potentia ſua ad gloriam. Et in hoc oſtendit Angelus, quod glorificatio Chriſti per reſurrectionem fuit virtuoſa, quia virtute propria ſurrexit. Non enim dixit reſuſcitatus eſt per alium, ſed ſurrexit per ſe tanquam potens Dominus. hoc ſignificabat illud, quod ante dixerat Iudæis. *Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud.* *Ioan. 2.* Ioannis ſecundo. Suſcitabo dicit; ſcilicet egomet, non alius, quia vt dicitur Ioannis decimo. *Ego habeo poteſtatem ponere animam meam, & iterum ſumere eam.* Ex quo ſequitur, quod reſurrectio Chriſti fuit multum glorioſa, ex hoc, quia fuit virtute propria non aliena. Vnde maior honor

eſt

eſt duci belli, ſi abſque ſuffragio medicorum de vulneribus ſurgit, quam ſi eorum adiutorio. Et quia impoſſibile erat omninò apud Iudæos Chriſtum non ſolum virtute propria reſurgere, ſed etiam virtute diuina, eò quod cum nihil commune cum Deo habere dicebant, iuxta illud Ioannis decimo. *Quia tu cum ſis homo, facis te eſſe Deum* Et ideò tantò maior gloria fuit Chriſto, quod propria & non aliena virtute reſurrexit. Hinc primo Pet. primo dicitur. *Deus ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit illi gloriam.* Et: *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,* ſcilicet hoc nomen, quod vocatur verus Deus. Et tantum de primo.

1. Pet. 1.
Philip. 2.

II.

Non eſt hic. Et verè non fuit in ſepulchro per præſentiam humanitatis, qui iam ſurrexerat ad gloriam maieſtatis. Et vt probaret Angelus ſe verum dicere, deſcendit ad ſingularem demonſtrationem dicens. *Ecce locus vbi poſuerunt eum*, quaſi dicat. Si verbis meis non creditis, ſaltem vacuo credatis ſepulchro. Circa quod ſciendum, quod Chriſtus ſuam reſurrectionem multipliciter probauit. Prima probatio fuit lapidis remotio. Vnde dicitur hic. *Quis reuoluet nobis lapidem &c.* Et ſequitur. *Viderunt reuolutum lapidem.* Secunda probatio fuit linteaminum & ſudarij ablatio. Vnde Ioannis vigeſimo dicitur, quod Petrus & Ioannes viderunt linteamina, & ſudarium in vnum locum poſita. Tertiò per tactum Magdalenæ. Quartò per fractionem panis, Luc. vltimo. Quintò Angelico teſtimonio, vnde hic Angelus dixit mulieribus *ſurrexit.* Ioannis vigeſimo dicitur, quod fuerunt duo Angeli; Angelus autem bonus efficax teſtis eſt, quia mentiri non poteſt. Licet autem & poſtea multis argumentis ſeu ſignis viſibilibus, hoc idem Chriſtus probauit, tamen iſta ſunt ipſo die reſurrectionis facta, ad ſignificandum ea eſſe neceſſaria omni communicanti. Primò enim verus communicans debet habere lapidis reuolutionem, id eſt, remotionem duritiei

Chriſti reſurrectio multis probatur.

Communicanti quæ neceſſaria.

cordis & obſtinationem eius. Nam in cor inueteratum non deſcendit gratia; *Nec habitabit in corde ſubdito peccatis.* Ideò de electis dicitur, Ezechielis vndecimo. *Dabo eis cor nouum, & ſpiritum nouum tribuam eis, & auferam ab eis cor lapideum*; nec aliter ſuſcitatus eſt Lazarus, niſi pri⁹ amotus eſt lapis, Ioannis vndecimo. Lapideum cor, ſecundum Bernardum; quod nec compunctione mollitur, nec minis conteritur, nec beneficijs allicitur, paratum ad flagitia, ingratum ad beneficia. Secundò neceſſarium eſt communicanti, ad probandum ſinceritatem ſuæ conſcientiæ, & veritatem ſpiritualis reſurrectionis linteaminum & ſudarij ablatio. Sicut enim tunc Angelus abſtulit linteamina & ſudarium, quibus corpus Chriſti erat inuolutum, vt nudum appareret & vacuum ſepulchrum: ſic neceſſe eſt omni communicanti auferre velamina circumſtantiarum & oſtendere nuditatem peccati; quia ſcriptum eſt Prouerbiorum vigeſimo octauo *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur.* Tertio eſt tali homini neceſſarium probari per tactum, id eſt, reprehendi à Prælato, accuſari à proximo, flagellari à Deo. Sic enim probat Deus electos eſſe filios ſuos. Geneſis vigeſimo ſeptimo. Dixit Iſaac ad Iacob. *Accede ad me fili mi, vt tangam te & probem ſi tu es filius meus*, Apocalypſis tertio. *Quos amo, arguo.* Quo contra de reprobis dicitur; *Argue ſtultum, & oderit te.* Et: *Homo peccator vitabit correptionem.* Quartò neceſſe eſt probari talem hominem per fractionem panis, ſcilicet per largitionem eleemoſynæ, iuxta illud: *Frange eſurienti panem tuum.* Quinta probatio eſt teſtimonium ab his qui foris ſunt, & præcipuè à viris Angelicis, ſcilicet Prædicatoribus, Prælatis, Doctoribus, Confeſſoribus diſcretis; quem enim ipſi approbant dignum communione, approbatus eſt: *Quodcunque ligaueritis &c.* His enim argumentis probatur quis verè ſpiritualiter reſurrexiſſe. Sed quia hic dicitur per Angelum de Chriſto, quia *non eſt hic,* ideò merito quæritur, vbi tunc poſt reſurrectionē erat? Reſpōdeo ſecundū Alexandrinū. Quod ex quo corpori glorificato non debetur

Sap. 1.
Ezech. 11.
Ioan. 11.
Cor lapideum.
Prou. 28.
Prou. 9.
Eccl. 32.
Iſa. 58.
Matt. 16.

betur determinatus locus hic inferius, patet quod Chriſtus erat tunc vbi volebat & fortè cum Sanctis qui cum eo ſurrexerũt, erat in ampliſſimis finibus orbis & extremis maris, vel forte habitabat in paradiſo terreſtri. Hæc Iacobus de Alexandria, & Albertus de Padua.

III.

Surrexit, non eſt hic. Per hoc confutatur falſitas Iudęorum dicentium Chriſtum eſſe ſubtractum, & confirmatur veritas fidelium. Circa quod ſciendum, quod Iudæi audientes cuſtodes prædicare Chriſtũ reſurrexiſſe, inierunt conſilium dantes pecuniam copioſam militibus cuſtodibus, vt dicerent quod eis dormientibus diſcipuli eſſent furati corpus eius, vt dicitur Matth. vltimo. Sed hoc falſum eſt propter plura. Primò quia diſcipuli erant homines pauperes & idiotæ, ideò non audebant appropinquare ſepulchro. Ex quo enim tantum timuerunt eo viuente, vt eo relicto omnes fugiſſent, quantò amplius poſt mortem. Secundò quia lapis magnus aduolutus non potuit amoueri ſine ſtrepitu, quin ſuo ſonitu cuſtodes excitaſſet dormientes circa ſepulchrum. Tertiò, quia ſi voluiſſent furari, hoc feciſſent prima nocte ſepulturæ, quando nullus adhuc erat cuſtos. Quartò quia nouus modus furandi eſſet mortuum abſque linteaminibus aſportare. Quintò quia mirum eſſet, quod tantam habuiſſent commoditatem aſportandi, quod denudaſſent corpus, cui fortiter inhęrebant linteamina conglutinata vngentis myrrha & aloes. Sextò quia nemo fur adeò eſt ſtultus, vt circa rem ſuperfluam occupetur, cuiuſmodi eſt linteamina conuoluere & complicare, & ſudarium ſimiliter. Ex quibus omnibus patet mendacium Iudæorum, per hoc, quod dicunt ideò Chriſtum non reſurrexiſſe, quia non eſt inuentus in ſepulchro, ſed potius eſſe furatum. Et ex hoc econtra patet fides veritatis Chriſtianorum, dicentium Chriſtum verè reſurrexiſſe, ideò, quia nõ eſt inuentus in ſepulchro, iuxta verbum Angeli dicentis. *Surrexit, non eſt hic. Ecce locus &c.*

Ex quibus pateat Chriſtum verè ſurrexiſſe.

Circa quod ſciendum, quod velit nolit audire perfidus Iudæus, neceſſariò reſurrexit Chriſtus, iuxta illud Ioannis vigeſimo. *Oportuit Chriſtum reſurgere ſecundum Scripturas*, & hoc multiplici ratione. Primò quidem propter dignitatem ſuæ ſanctificationis: neque enim dignum erat vt ſanctus ſanctorum tamdiu in puluere emaneret, iuxta illud Pſalm. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Idem habetur Actu 2. *Deus ſuſcitauit Ieſum ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri eum ab eo.* Secundò oportuit eum reſurgere propter obedientiam paſſionis. Philipp. 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem.* Sequitur. *propter quod Deus exaltauit illum.* Gloſ. in reſurrectione. Tertiò propter eius vtilem damnationem. Rom. decimoquarto. *In hoc Chriſtus reſurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur.* Cum ergò iaceret mortuus adhuc, non poſſet dici Dominus mortis ſed ſubiectus. Vnde Rom. ſexto dicitur. *Mors illi vltra non dominabitur.* Quartò propter Euangelij prædicationem; ſi enim non reſurrexiſſet, nullus prædicare auſus fuiſſet remiſſionem peccatorum in nomine eius. Vnde Luc. vigeſimo quarto. *Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis, & prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.* Quintò propter noſtram iuſtificationem, iuxta illud Roman. quarto. *Mortuus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Sextò propter fidei confirmationem; quia niſi reſurrexiſſet, nequaquam filius Dei crederetur, propter quod dicit Apoſtolus. *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Gloſ. id eſt, Dei, hoc nomen quod poſſit verè dici filius Dei, non quod ipſum ante non habuit, ſed quia mundo incognitum fuit. Vnde primo Corinth. decimo quinto arguit Apoſtolus. *Si Chriſtus non reſurrexiſſet vana eſſet fides noſtra.* Septimò ſurrexit propter ſpei eleuationem, quia ſi caput reſurrexit non remanebunt membra. *Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* Octauo oportuit eum reſurgere propter noſtrã reſurrectionẽ in corpore, ſi .n. nõ reſurrexiſſet, gloriã quidẽ

Ioan. 20. Chriſtus cur reſurrexit. Pſal. Philip. 2. Rom. 14. Luc. 24. Rom. 4. 1. Cor. 15. 1. Pet. 1.

beatæ

beatæ viſionis potuiſſent habere fideles in anima merito paſſionis eius, ſed gloriam corporis reſurgentis numquam habuiſſent, quia reſurrectio Chriſti oportebat eſſe cauſa noſtræ reſurrectionis, iuxta illud 1 Cor. 15 *Chriſtus reſurgens à mortuis, primitia dormientiũ: quoniam quidẽ per hominẽ mors, & per hominẽ reſurrectio mortuorũ.* Et: *ſicut in Adã oẽs moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur*, propter quod arguit Apoſtolus. *Si Chriſtus reſurrexit & nos reſurgemus*. Ex his omnibus infero quod ſi participes reſurrectionis Chriſti eſſe cupimus, & cum eo in gloria regnare volumus, neceſſe eſt primo, vt cum ſanctis mulieribus non vacui, ſed cum aromatibus bonorum & odorantium operum ad Chriſtum accedamus. Sunt autem tria vngenta mẽtis, ſcilicet contritionis quæ conficiuntur etiam ex viliſſimis ſpeciebus horti conſcientiæ noſtræ, ſcilicet ex peccatis. Vngẽta compaſſionis quæ conficiuntur amariſſimis ſpeciebus, id eſt, ex omnibus miſeriis proximorum; & vngenta deuotionis quæ conficiuntur ex pretioſiſſimis ſpeciebus, id eſt, omnibus beneficijs diuinis. Pſalm. *Introibo in potentias Domini, Domine memorabor iuſtitia tua*. Vngenta linguæ ſunt confeſſio ad accuſandum ſeipſum: exhortatio ad ædificandum proximum: gratiarum actio ad laudandum Deum. Vngenta manuum ſunt opera miſericordiæ, videlicet tam corporalia quam ſpiritualia. Cum iſtis autem vngentis non eſt tardandum, ſed feſtinandum & ſurgendum valdè mane. *Ne tardes conuerti ad Dominum*, ſed quã primum ſol intelligentiæ nobis lucet, ſtatim properemus, quatenus Chriſtum qui eſt vita noſtra inuenire mereamur. Ad quam vitam nos perducat qui viuit & regnat Deus. Amen.

Vngenta mentis tria.

Eccl. 5.

FERIA SECVNDA PASCHAE.

SERMO I.

Surrexit Dominus verè & apparuit Symoni Petro. Luc. vltimo.

AIT S. Auguſtinus ſupra Pſalm. 95. Vẽdere ſe homines potuerunt, ſed redimere non potuerũt. Ideo venit Chriſtus qui dedit ſanguinẽ in pretium & redemit orbem terrarum. Ex quibus verbis patet quod redemptio humana conſiderata quantum ad hominem, fuit opus magnæ miſericordiæ, eo quod non cadit ſub merito alicuius hominis viatoris, cum omnis talis ſit obnoxius peccato. *Omnes enim peccauerunt & egent gratia Dei*. Et ob hoc iſta feſtiuitas paſchalis vltra cæteras feſtiuitates Chriſti & ſanctorum plus debet eſſe hominibus celebris, tamquam recordium magnæ pietatis diuinæ, iuxta illud. *Miſericordiarum Domini recordabor.* Natiuitas ſi quidem Chriſti fuit opus magnæ miſericordiæ & pietatis, ſed reſurrectio perfectioris gratiæ & conſummatioris iuſtificationis: quia iuxta Gregorium nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. In natiuitate data eſt ſpes redemptionis, quia tunc debitum pro nobis ſoluit: ſed in paſſione expiata eſt culpa præuaricationis, quia tunc ſufficienter reatum culpæ abſtulit. In reſurrectione verò ſpem adipiſcendæ gloriæ ſecum ſine omni impedimento oſtendit, vnde Chriſtus reſurrexit vt exemplar noſtræ reſurrectionis, ſicut clamat Eccleſia in cantico vulgari dicens. *Chriſtus ſurrexit, exemplum populo dedit, quia reſurgemus & ſibi conregnabimus*. Quod canticum ad honorem Dominicæ reſurrectionis more ſolito primo decantemus, & po-

Redemptio opus miſericordiæ.
Rom. 5.

Iſaia. 63.

ſtea Matrem Domini ſalutabimus pro impetranda gratia diuina, dicēdo. *Aue Maria gratia &c.* In quibus verbis tria tanguntur. Primo namq; deſcribitur reſurrectio Chriſti, vt potens & magnifica, quia *Surrexit Dominus*. Secundo vt verax & non phantaſtica, quia *verè*. Tertio vt potens & publica, quia *apparuit Petro*. Sic ergo Chriſtus ſurrexit potenter vt magnus Dominus & potens in prælio. Surrexit veraciter vt carens omni figmento. Tertio ſurrexit potenter & publicè vt oſtenſus principali diſcipulo, quia *Petro*.

Propoſit.

I.

Dixi primo quod deſcribitur reſurrectio Chriſti vt potens & magnifica, quia ſurrexit vt Dominus. Sicut enim dicit Apoſtolus. Siquidē ſunt dij multi, nullus tamen eſt tantus & talis tamque magnificus Dominus ſicut Chriſt⁹, de quo dicitur: Tu ſolus Dominus ſcil. per eſſentiam, alij vero participatiuè: vnde in fęmore ſuo ſcriptū eſt; *Rex regum & Dominus Dominantium*. Et licet Chriſtus ab inſtanti ſuæ cōceptionis habuit hoc dominium, tamen illud nō oſtendit niſi poſt reſurrectionem. In diebus ſiquidē ſuis ante mortem legitur de eo quod ſubditus erat parentibus: ſed poſt reſurrectionem dicit de ſe: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*. Magna certè poteſtas dominari à mari vſq; ad mare. Et ſicut pater dicit filio: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Et iterum *Adorabunt eum omnes gentes, omnes reges ſeruient ei*. Circa quod eſt ſciendum quod Chriſtus eſt Dominus tanquam potens & Dominans vniuerſæ creaturæ. Habet ſiquidem triplicem poteſtatem, in cœlo, in inferno & in terra; & ita habet in ſummo & infimo & in medio damnationis poteſtatē, vt nō ſit qui ſe abſcondat ab eo. Vnde Pſalmiſta: *Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum ades. Si ſumpſero pennas diluculo, & habitauero in extremis maris*. Ecce cœlum, infernus & mundus. Dominium Chriſti in cœlo apparet primo in hoc, quod omnes Angelicæ poteſtates adorant eum, iuxta illud: *Adorent eum omnes Angeli eius*. Et. *Seniores* 24. *procidebant ante ſedētem in throno, & adorabant eum, mittentes coronas ſuas ante eum*. Iſta autem adoratio in cœlo non eſt aliud niſi vera & expreſſa recognitio ſanctorum Angelorum, & hominum in cœlo regnātium, quod eorū pręmia à nullo habent niſi à Chriſto; & hoc notatur in eo ꝙ dicitur, *ſubmittebant coronas ſuas ante eum*. Quia omne meritū eorū quo ſancti adepti ſunt pręmia cœleſtia, nō ſibi ipſis ſed gratiæ diuinæ aſcribunt, iuxta illud. Quid habes, ꝙ non accepiſti? Secundo Dominium ſuæ poteſtatis apparet in cœlo in hoc, quia ipſe eſt qui habet clauē Dauid, qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Vnde ipſe dicit. *Miſerebor cui voluero, & propitius ero in quem mihi placuerit*. Tantæ libertatis & poteſtatis eſt iſte Dominus, quod nullius ſeruitijs, precibus, pretijs, fauorib⁹ aut terrorib⁹ poteſt ab aliquo obligari, ſed omnia beneplacito ſuo reſeruauit. Vnde Pſalmiſta: *Omnia quæcūq; voluit Dominus fecit in cælo & in terra*. Tertio apparet poteſtas damnationis eius in cęlo in hoc, quod nullū ſibi patitur reſiſtentē, nō ſolū verbo aut facto, ſed etiā ſola cogitatione. Vnde Lucifer necdū expreſſerat ore, nec oſtēderat opere quod poneret ſedē ſuā ad aquilonē; ſed quā cito cogitauit hoc mente, ſubito deiectus eſt per illū Dominum. De quo caſu Dominus quod ſua poteſtate factus ſit dicit. *Videbā ſathanā tanquā fulgur de cœlo cadentē*. Gloſſa. videbā, id eſt, præſens erā, quaſi dicat, hoc factū eſt poteſtate mea. O ſi ſic ſubito deiecerat tam altū, quid fiet de inferiori? Si ſic regē ſuperbiæ ſtrauit, quid faciet familiari ſuo? Si ſic potentē, quanto magis debilē & infirmum hominem? Et ſi ſic pro ſola mentis cogitatione, quid erit ꝑ oris expreſſione & operis patratione? De poteſtate in inferno patet, quod etiam ibi eam habeat & exerceat, quia ipſe eſt iudex qui tradit reos miniſtris, & miniſtri tradūt tortoribus. Ipſe eſt Dominus ille, qui poſtquā occiderit corpus, habet poteſtatem animam mittere in gehennā. Verè eſt ergo Dominus inferni. Iſtam poteſtatē ſui Dominij Chriſtus oſtendit maximè in reſurrectione ſua; nam ſeparata anima à corpore ipſo die paraſceues, ſtatim anima Chriſti cum diuinitate deſcendit ad debellandas tartareas poteſtates. Quem videntes dæmones territi & conturbati, quod nunquam

1. Cor. 8
Apoc. 19.
Lucæ. 2.
Matt. vlt.
Chriſti poteſtas triplex.
In cœlo.
Apoc. 4.
Exod. 33.
Iſaia. 14.
Lucæ. 10.
In inferno.
Matt. 5.
Lucæ. 11.

quam talē ad ſe deſcendiſſe viderant, intra ſe dixerunt, vt ait Aug. in ſermone hodierno, vnde venit tam fortis qui ad nos tā potenter ingreſſus eſt? Mundus qui nobis ſubditus fuit, nunquam nobis talem mortuū miſit. Quis ergo eſt qui ſic intrepidus fines noſtros ingreditur? & non ſolum ſupplicia noſtra non veretur, verum etiam alios de vinculis noſtris potenter abſoluit. Ecce quomodo dæmones ſenſerunt Chriſti potentiam in inferno. De hoc habetur figura in li. Macha. vbi dicitur quod Iudas Machabæus ſurrexit, vt defenderet populum ſuum & dilatauit gloriam populo ſuo. Et ſequitur. *Similis factus eſt leoni in operibus ſuis.* Comparatur leoni Chriſtus in hoc: quia ſicut leo ad nullius beſtiæ occurſum pauet, vt dicitur de eo: ita Chriſtus intrepidus fuit ad occurſum dæmonum quos potenter deuicit & ſpoliauit; vt dicitur Lu. 11. *Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum: vniuerſa quæ habuit auferet & ſpolia eius diſtribuet.* Sed pro iſto latius aduertendum, quod cū ſecundū fidē Catholicam ponitur quadruplex infernus, ſcil. damnatorū, purgatorium, limbus puerorum, & limbus patrū: ad nullum tamen horum Chriſtus dicitur deſcendiſſe, præter quam ad limbum ſanctorū patrū. Verū eſt per eſſentiā, licet per effectū ad oēs deſcendit, aliter tamen & aliter; quia ad infernū damnatorū deſcendens, habuit hunc effectū, quod eos de ſua incredulitate & malitia confutauit. Illis autem in purgatorio, ſpē conſequendæ gloriæ dedit. Patribus autem in limbo pro ſolo peccato originali detentis, lumen æternæ gloriæ in fudit. Hęc D. Thomas par. 3. q. 52. art. 2. Pro cuius meliori memoria pono triplex memoriale documētum. Primum eſt quod Chriſtus eos qui ſunt in inferno damnatorum, non liberauit in reſurrectione. Ratio huius ſecundū Tho. ſup. 3. ſententiarū diſt. 22. quia ibi ſunt oēs obſtinati & nō ſunt capaces liberationis; vnde nō ex inſufficientia liberationis, ſed ex indiſpoſitione eorū nō ſunt liberati, propter quod canit eccleſia. *In inferno nulla eſt redemptio.* Secundū documentum, pueri in limbo nō ſunt liberati, ex eo ꝙ nullus tunc meruit liberari niſi qui fuit mēbrū Chriſti per fidem, vel fidei ſacramentum, vt puta per baptiſmum in nouo, & per circumciſionem in veteri teſtamento; & per ſacrificia in lege naturæ, quia tamen nullum horum pueri habuerunt, igitur &c. Tertiū documentū, illi qui ſunt in purgatorio nō ſunt liberati, quia virtus paſſionis Chriſti non ſe extendit niſi ad remouendū originale peccatum de ſe; & ad remouendū culpam actualem, quod non fit niſi per ſuſceptionem alicuius ſacramenti vel baptiſmi vel pœnitentiæ. Ideo non decuit eos liberare, niſi fortè dicaturꝙ in hac vita meruerunt vt per paſſionem Chriſti liberarētur: vel fortè ſecundum Thomā tunc ſpeciali gratia factum fuit Chriſto de nouo paſſo, quod tamen nunc fieri nō poteſt. Et ita patet modus quomodo Chriſtus dominium ſuæ poteſtatis exercuit in inferno.

Chriſtus leoni cō paratus.

Documenta.

De poteſtate in mundo patet ꝙ Chriſtꝰ eſt verus Dominus poſt reſurrectionem in mūdo, ſicut de ſe dixit *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Pro quo ſciendum, quod duo ſunt quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas; vna ſpiritualis, altera temporalis eſt. Sed tamen ſpiritualis poteſtas longè eſt excellentior tēporali, vnde dicit Ambr. in paſto. ſuo. Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterūt comparationibus adæquari. Si regū fulgori cōpares & principū diademati, lōgè erunt inferius q̄ ſi plūbi metallū ad auri fulgorem compares. Quippe cū vides colla regum & principum ſubmitti genibus ſacerdotum & oſculata eorū dextera, orationibus eorū credant ſe communiri. Et ſequitur: Nihil enim in hoc ſeculo excellentius ſacerdotibus, nihil ſublimius Epiſcopis dici poteſt. Et patet iſta poteſtas ſpiritualis nomine cœli, temporalis verò nomine terræ intelligi. Chriſto igitur data eſt omnis poteſtas cęli & terræ poſt reſurrectionē, quia ſacerdotalis & regalis in ipſo excellēter extitit. De ſacerdotali dicitur. *Præcurſor pro nobis introiuit Ieſus ſecundū ordinē Melchiſedech pontifex factus.* De regali dicitur. *Rex magnus ego ſū dicit Dominus exercituū & nomē meū horribile in gētibus.* Pręter aūt has poteſtates eſt in Chriſto tertia poteſtas diſtributionis, q. ſacerdotiū & regnū cui vult diſtribuit, & aſcēdēs in cęlū vtrāq; poteſtatē reli-

In mundo.

Sacerdotij honor & dignitas.

Hebr 6.

Mal. 1.

reliquit Eccleſiæ. Vnde 22. *diſt. dicitur omnes.* Quod Chriſtus ſolus fundauit Eccleſiam Romanam, & beato Petro æternę vitæ clauigero terreni ſimul & cœleſtis regni contulit poteſtatem. Sed quia nemo militans Deo, implicet ſe ſæcularibus negotijs; ideò diſpenſatiuè factum eſt vt Eccleſia ſolius ſpiritualis poteſtatis auctoritatem habeat, ſed executionem temporalis poteſtatis regibus & principibus commiſit, ſecundum quod deducit Bernardus li. 4. de conſideratione ad Eugenium c. 4.

Poteſtas Chriſti ſuperat poteſtatem Eccleſiæ. Licet autem vtraque poteſtas ſacerdotalis & regalis ſint in Eccleſia, tamen multo excellentius ſunt in Chriſto. Primo ex eo, quia poteſtas Chriſti eſt primariæ inſtitutionis. Inſtituit quos vult ſacerdotes, & dignitates ordinat. *Fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo.* (*Apoc.* 1.) Et *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores.* (Epheſ. 4.) Item diſtribuit regna. *Per me reges regnant, per me principes imperant, & legum conditores iuſta decernunt.* (*Prou.* 8.) Secundo excellit damnatione, poteſtas enim eius eſt æterna, & regnum eius quod non auferetur, & quod nō corrumpetur, vt dicitur Dan. 7. Et hoc quo ad regalem poteſtatem. De ſacerdotali vero dicitur Hebr. 7 *Ieſus eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* Tertio excellit auctoritate; ipſe enim eſt principalis Rex & ſacerdos, alij tamquam miniſtri. *Audite reges quoniam data eſt poteſtas à Domino vobis, & virtus ab altiſſimo, & miniſtri eſtis regni eius.* (*Sap.* 6.) De ſacerdotibus vero dicitur. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* (1. *Cor.* 4.) Ecce vtrique miniſtri Quarto excellit efficacia; reges enim poſſunt occidere, viuificare autem non poſſunt Sed de Chriſto dicitur. *Tu es Domine qui vita & mortis habes potentiam; deducis ad portas mortis & reducis.* (*Sap.* 14.) Similiter ſacerdotes licet ſacramenta adhibeant ad viuificandum animam, ſolus tamen Chriſtus confert gratiam per quam eſt vita animæ, & liberat à morte peccati. *Sciatis quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata in terra.* (*Matth.* 9.) Quinto excellit iudicio, quia finale iudicium vtriuſque poteſtatis ſacerdotalis & regalis ad eum finaliter deuoluetur, à quo nulla erit appellatio. *Poteſtatem dedit illi iudicium facere quia filius hominis eſt.* (*Ioan.* 5.) Sexto excellit retributione pręmijs præmia enim Regum & ſacerdotum ſunt temporalia: ſed ipſe pro meritis vniuſcuiuſque habet poteſtatem dandi præmia vel pœnas æternas. Poſtquam occidit corpus, habet poteſtatem animam mittere in gehennam. (*Luca.* 12.) De præmio verò æterno dicitur. *Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei det eis vitam æternam.* (*Ioan.* 17.) Ex quibus patet, quomodo Chriſtus reſurrexit potenter vt Dominus: vnde verè & merito poteſt dici, quod ex quo habet poteſtatem cœli, mūdi, & inferni, verè ſurrexit hodie vt Dominus.

II.

Reſurrectio Chriſti vera fuit. *Surrexit verè.* Circa quod eſt ſciendum quod Dominus ſurrexit veraciter, mirabiliter, vtiliter & æternaliter, & per conſequens ſurrexit exemplariter. De primo dicitur quia *ſurrexit verè*, quam veritatem Chriſtus probauit multis argumentis euidentiſſimis. Primo, quia 40. diebus apparens diſcipulis ſemetipſum præbuit viuum in multis argumentis. Actu. 1. Secundo quia oſtendit manus & pedes & latus. Ioā. 20. Tertio quia comedit: vnde dixit. *Habetis hic quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi.* Et ita de multis alijs, quæ non poteſt facere corpus phantaſticum. Sic quilibet noſtrum deberet veraciter reſurgere, vt poſſit dicere *Memento Domine quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde optimo & perfecto.* (4. *Reg.* 20.) Sed è cōtrario de falſo pœnitente dicitur Apoc. 3. *Scio opera tua quia nomen habes quod viuas & mortuus es.* Et: *Vos eſtis qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda veſtra.* (*Luca.* 16.) Iſti ſunt ſimiles ſepulchris dealbatis à foris, intus autem pleni fœtore. (*Matt* 23.) Et ſunt ſimiles lupis palliatis ouili pelle. Matth. 7. *Mirabilis.* Secundo ſurrexit Chriſtus mirabiliter, quia clauſo ſepulchro, ſicut etiam fuit mirabiliter natus clauſo virginis vtero. Fuit autem poſitus in ſepulchro nouo in ſyndone munda, & in horto florido. Sic verus pœnitens reſurgens à peccatis, debet Chriſtum reponere in ſepulchro conſcientiæ ſuæ renouato per pœnitentiam, in tali videlicet, quod ſit mūdum, ac

ſi ad-

ſi adhuc in eo nullus iacuiſſet. Debet enim omnino obliuiſci præteritarum delectationum, ac ſi eas nunquam habuiſſet. Debet eſſe firmi propoſiti & duri ad reſiſtendum tentationibus, ſicut lapis ictibus. Secundo debet reponere Chriſtum in ſyndone mūditiæ & caſtitatis, tā cordis quam oris & operis. Tertio debet reponere Chriſtū verus pœnitens in horto florido virtutum, vt ne refloreat caro eius, & anima per gratiam, quæ emarcuerat per culpam. Item

Vtilis. de tertio quod Chriſtus ſurrexit vtiliter, quia capta præda. Sic homo reſuſcitatus per

Matt. 20. gratiam, debet viuere vtiliter nō otiari tota die; ſed laborare in vinea Domini ex denario diurno, quod etiā animalia bruta & virgulta faciunt, nā vermiculi ſteriles ſunt per hyemē: ſimiliter animalia ſterilescunt in hyeme & quaſi mortificantur in virtute

Ioan. 12. generatiua & motiua. Similiter arbores mortificantur in hyeme in virtute vegetatiua. Similiter grana frumenti cadentia mortificantur; quæ tamen omnia reſurgunt multo vtilius, & quædam centuplum fructum afferunt, ſicut patet de grano milij & papaueris. Sic deberet verus pœnitens fructificare fructus honoris & hone-

Eccl. 24. ſtatis, vt dicat. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* Si enim fuit inutilis cor-

Pœnitens verus quomodo vtiliter ſurget. de, quia iniquitatem meditatus eſt in cubili cordis ſui, aſtitit omni viæ nō bonæ, malitiam autem non odiuit; iam poſt cōuerſionem lex Dei ſit in corde ipſius, meditetur eam corde ſuo nocte. Iam exerceat & ſcopet ſpiritū, id eſt, purget eum ab inani cogitatione. Iam in meditatione ſua exardeſcat ignis Spiritus ſancti, & feruor charitatis, & dilectionis Dei, & proximi. Si etiam fuit inutilis ore, quia os eius fortè abundauit malitia, & lingua eius concinnabat dolum, id eſt, doloſe finxit dolos. Si datus ad detrahendū ſedens aduerſus fratrem ſuum loquebatur, & aduerſus filium matris ſuæ ponebat ſcandalum; iam os ſuum aperiat & meditetur ſapientiam; iā os ſuum aperiat & attrahat ſpiritum veritatis, vt loquatur pacē cum proximo ſuo; iam ponat ori ſuo cuſtodiam, vt non loquatur opera hominum, ſed ex ore ſuo perficiat laudem diuinam, ſepties in die laudans Dominum; iam loquatur de teſtimonijs Dei in conſpectu regum, & ſic vtiliter ſurget in verbo. Quod ſi fortè fuit olim inutilis in facto & opere; quia fortè confeſſus eſt ſe noſſe Deum ore, factis autem negauit: vt quia vidēs furem currebat cum eo, & cum adulteris portionem ſuam ponebat: nam qui furatus eſt iam non furetur, ſed iuxta cōſiliū Apoſtoli magis operetur manibus ſuis, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti; hæc eſt enim vera reſurrectio ſpiritualis multum vtilis.

Item de quarto quod Chriſtus ſurrexit æ- *Æterna.*

ternaliter dicitur. *Quod reſurgens ex mor-* *Rom. 6.*

tuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sic nos reſurgere debemus vitando relapſum peccati, quia irriſor eſt & non pœnitens, qui deflenda iterum committit, vt dicit Ambr. iſti non cum Chriſto ſed cum Lazaro exſuſcitantur, qui iterum mortuus eſt. Et quia iſta omnia inſtruunt nos ſpiritualiter reſurgere à peccato, ideo concluditur quod Chriſtus reſurrexit exē- *Exemplaris.*

plariter ad noſtram inſtructionem; iuxta

illud. *Quomodo Chriſtus reſurrexit à mor-* *Rom. 6.*

tuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

III.

Dixi tertio quod deſcribitur Chriſti reſurrectio vt patens & publica, in hoc quod oſtenſus eſt principali diſcipulo ſc. Petro. Sicut etiam dicit Chriſtus: *Non poteſt ciuitas* *Matth. 5.*

abſcondi ſupra montem poſita. Et: *Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio.* *Luca. 12.*

Quid enim profuiſſet Chriſti reſurrectio ſi nobis non patuiſſet? ſi diſcipulos latuiſſet? ſi ipſis probata non fuiſſet? Ideo Chri- *Reſurrectionis fructus apparitione probatur.*

ſtus volens facere fructum ſuę reſurrectionis in nobis, multiplici eam apparitione probauit, manifeſtando ſe diſcipulis ſuis & alijs perſonis. Et primo apparuit Mariæ Magdalenæ, ſicut dicitur Mar. 16. *Surgens Ieſus manè prima ſabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ.* Modum autem apparitionis oſtendit Ioan. 20. *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans,* & ſignificat ſta- *Quibus apparuit.*

tum diligentium qui præ amore plorantes nolunt recedere quouſque dilectum inueniant. In hac apparitione affuerunt duo Angeli, qui eam conſolabantur de dilecto: nec mirum quod Angelos vidit quæ

piè incepit & piè perſeuerauit : nec etiam mirum quod de eorum conſolatione non fuit contenta, quia diligentes Deum non ſunt contenti conſolatione creaturarum, niſi videant Deum quem quęrunt facie ad faciem, iuxta illud. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Ex quo infero quod contentus conſolatione terrenorum, non requirens claram Dei viſionem affectualiter, non verè diligit Deum; quia ſpem ponit in creatura, & pro creatore diligit creaturam, & ſic non verè diligit Deum, immo iam non diligit. De his conqueritur Dominus per prophetam. *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*, quaſi dicat. Dereliquerunt me conſolatorem omnium, & foderunt ſibi conſolationes vanas & inſufficientes quæ eos ſatiare non poſſunt. Et:
Ioan. 4. *Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum.* Secundo apparuit mulieribus à monumento recedentibus, de quibus Matth. vlt. dicitur. *Quod exierunt de monumento cum timore & gaudio magno currentes nunciare diſcipulis. Et ecce Ieſus occurrit eis dicentes. Auete.* Illæ ſignificant ſtatum contemplantium, qui continuè recedunt ab hoc mundo per cōtemptum quaſi à monumento fœtido, ſicut fuit Paulus, quia omnia fœtida reputans dicit: *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora.* Et his Ieſus occurrit conſolando & adiuuando eos Iſa. 64. *Occurriſti lætanti & facienti iuſtitiam.* Sed audiamus quid dicitur de iſtis mulieribus, quia illæ accedentes tenuerunt pedes Ieſu, per quod ſignificatur quod tales debent in operibus ſuis accedere miſericordiam Dei & iuſtitiam, vt dicant cum Pſalmiſta: *Miſericordiam & iudicium tibi Domine.* Tertio apparuit Petro, vt dicitur hic Luc. vlti. neſcitur tamen quando aut quomodo. Et iſta apparitio eſt conſolatio peccatorum: quia dicit Bern. Magna dignatio Domini quod ei ſpecialiter præ cæteris voluit apparere, quē de negatione prę cęteris rea cōſcientia cōfundebat. Significat ergo iſta apparitio ſtatum pœnitentium: nam quia Petrus à conſpectu Domini exiuit foras & cępit flere, meruit iſtam Domini apparitionem. Sed quare eum permiſerat cadere qui eum præ cæteris plus dilexit? Reſpondeo ſecundum Gregorium, quod in hoc magnæ pietatis diſpenſationem oſtendit Dominus, quod eum quem cunctæ voluit præficere Eccleſiæ, permiſit cadere, vt in ſua culpa diſceret qualiter alijs debeat miſereri. *Intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo.* Eccl 31. Ex quo infero quod licet melius ſit habere prælatum innocentem quantum ad virtutem interceſſionis apud Deum, tamen melius eſt habere pœnitentem quantum ad compaſſionem miſerationis. Quarto apparuit duobus diſcipulis in Emaus euntibus, quod interpretatur populus abiectus, vel deſiderium conſilij, & ſignificat ſtatum religioſorum, qui elegerūt eſſe abiecti in domo Domini magis, quā habitare in tabernaculis peccatorum; & qui deſiderant continuè implere conſilia diuina paupertatem, caſtitatem & obedientiam. Quinto apparuit 11. diſcipulis ſimul congregatis Ioan. 20. & ſignificat ſtatum perfectorum qui in vnum congregant omnia ſua opera, & portas ſenſuum ſuorum clauſura diſcretionis cuſtodiunt. Det ergo Deus vt & nobis appareat in corde per gratiam, & in futuro per gloriam; quod ipſe nobis præſtare dignetur &c.

FE-

FERIA TERTIA PASCHAE.

SERMO I.

Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſo die reſurrectionis in caſtellum quod erat in ſpacio ſtadiorum 60. ab Ieruſalem nomine Emaus. Lucæ. 24.

TRibus apparitionibus factis eodem die reſurrectionis Domini (vti ſuperiori ſermone indicatum) duo diſcipuli audita iam nouitate de reſurrectione Christi ab Apoſtolis & mulieribus, licet adhuc imperfectè crediderunt reſurrectionem Domini, quaſi ex quadam dubitatione ibant ad quoddam caſtellum nomine Emaus, quibus euntibus ſic in via Dominus apparuit eis. Et de hac quarta apparitione dicitur in Euangelio hodierno. *Duo ex diſcipulis Ieſu &c.* Vbi Euangeliſta tria facit. Primo oſtendit quomodo Chriſtus de ſe loquentibus apparuit. Secundo quomodo eis enarrauit ſcripturas ipſis dubitantibus. Tertio quomodo manifeſtauit ſe ipſis diſcumbentibus. ibi: *tunc aperti ſunt oculi eorum.*

I.

Quo ad primum dicit. *Duo ex diſcipulis Ieſu ibant &c.* Duo diſcipuli ibant ipſa die reſurrectionis Domini, poſt tres apparitiones Chriſti in quoddam caſtellum quod diſtabat ab Ieruſalem 60 ſtadijs, quæ 60. ſtadia faciunt ſeptem miliaria cum dimidio, vt dicit Albertus. Nicolaus tamen de Lyran. dicit, quod 60. ſtadia faciunt quatuor leucas integras ſine quatuor ſtadijs; ſed hoc eſt ſolum ex diuerſa computatione illorum, nomine Emaus, quæ ſecundū Bedā dicebatur poſt hoc Nicopolis, quæ poſt expugnationē Iudæ fuit reſtaurata ſub Marcho & Armelio & Anthonio, ſed mutauit nomen. *Et ipſi loquebantur ad inuicem,* non quaſi credentes, vt dicit Theophilus, ſed vt ſtupentes in rebus extraneis. De quo autem inter cætera loquerentur, dicit q̄ *de his omnibus quæ acciderant,* ſc. tēpore paſſionis Chriſti in proximo factæ, vt puta de traditione, flagellatione, crucifixione, ſepultura, & demum apparitione mulieribus facta. Et credendum eſt quod iſti duo diſcipuli nō ſine magno dolore loquebātur, de his omnibus quę acciderant, exēplo quorū nos ea quæ vidimus & audiuimus de operibus Chriſti annunciare alijs debemus, & conferre inter noſmetipſos, iuxta illud Ioan. 7. *Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Et factum eſt dum fabularentur ſecum.* Fabula dicitur compoſitio ex mitis incredibilibus; quia verò iſti mirabantur de his quæ acciderant, nec ea plenè credebant maxime de reſurrectione; ideo fabulari dicuntur. *& ſecum quærerent,* ſcilicet toto conatu ad inuicem de ſaluatore. Vnde 2. Paral. 15. *In tota voluntate ſua quæſierunt Dominum & inuenerunt eum.* De quibus autem quæſierunt inter ſe, facile eſt videre, quia forte de illis quod fuit tanta peruerſitas Iudę vt traderet Dominū ſuum. Et quomodo Chriſtus non reſtitit capiētibus eū: Itē quomodo Apoſtoli eius tanquā puſillanimes nō defenderūt eū ſed fugierūt ab eo. Inter cętera tamen quærebant, quo deberent diuerti, ex quo fuerūt ſine patre, & q̄ vitam eligerent. Vltimo an poſſibile fuiſſet eum reſurgere, & an illa vera eſſent quę per mulieres dicebantur. Cū autem illa cū amaritudine confabularentur, tūc ipſe Ieſus, de quo loquebantur, appropinquans ibat cum illis. Attende quomodo familia-

Fabula quid.

Matt. 18. tis eſt Chriſtus de ſe loquentibus. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ego in medio eorum ſum.* Quia autem in iſta confabulatione occurrebant dubitabiles quæſtiones, quas ipſi per ſe non poterant ſoluere, ideo ponitur eorum ignorantia. vt dicitur. *Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.* Habebant enim paſſionem in oculis quæ dicitur aurilia, vel ſecundum alios acriſia, latinè vero dicitur inuidentia. & eſt duplex: vel quando rem præſentem non videmus, vel quãdo viſam non cognoſcimus; quando frequenter rẽ viſam quærimus, aut quã manu tenemus.

Sub ſpecie peregrini Chriſtus diſcipulis apparuit & quare

Cur autem ſub ſpecie peregrini Chriſtus illis apparere voluerit, tres ponit Theophilus cauſas, quarum prima vt diſcipuli non timentes eum dicerent totam ſuã intentionem coram ipſo. Secundo vt intelligerent quod licet idem ſit corpus Chriſti quod reſurrexit ſicut prius, non tamen omnibus eſſet viſibile, ſed quib⁹ vellet. Tertio vt intelligerent ꝙ poſt mortẽ cõuerſatio eius non erat digna hominibus ſed Angelis. Gregorius tamen dicit quia talẽ ſe illis demonſtrauit exterius in oculis corporis, qualis apud illos erat intus in oculis mentis. Ipſi enim Chriſtum amabant, & tamen de ipſo dubitabant. Propter amorẽ igitur ſe oſtendit eis, ſed propter dubitationem cognitionis ſuæ ſpeciem ab eis abſcõdit. *Et ait ad illos* Hic ponitur Chriſti allocutio de eorum dubitatione, ex quo enim ipſi non aduertebant & per conſequẽs nec loquebatur ſibi, ipſe præuenit eos vt prouocaret eos ad colloquium, dicens eis. *Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem?* quaſi dicat. Ex quo nihil mihi loquimini, ſignum eſt quod ardua inter vos tractatis, & eſtis triſtes, ſicut eis prædixerat Ioan. 16. *Quia plorabitis vos &c.* Sed ne viderentur illi ociſa tractare, reſpondebat vnus ex illis nomine Cleophas & dixit ei. *Tu ſolus peregrinus es,* ſcil. pro hac vice qua veniſti ad diem feſtũ in Ieruſalẽ cũ alijs. Et bene dicunt Chriſtum peregrinum, quia erat de longinquis partibus cœli. Secundo vt dicit Beda, quia longè natura eius ab eis per reſurrectionis gloriam diſtat. Tertio quia fidei eorum erat extraneus. Pſalm. *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus.*

Peregrinus Chriſtus.

Contra arguunt eum: *Et non cognouiſti ea quæ facta ſunt?* Ac ſi dicant, peregrini conſueuerunt inquirere de nouitatibus, tu autem exiſtens circa tales nouitates mirum eſt quod ignoras. Et ne excuſaretur de obliuione dicunt notanter, *quæ ſunt facta in illa his diebus,* id eſt, nouiter & recẽter. Quibus ille dixit. *Quæ?* non quærit ex ignorantia, vt dicit Lyran. ſed ſicut Magiſter ſciẽs aliquid perfectè: quærit nihilominus à diſcipulo, vt audiat intentionẽ ſuam. Deinde dicitur reſponſio diſcipulorũ, in qua commẽdant Chriſtũ tripliciter, ſc. reſpectu Dei, reſpectu ſui, & reſpectu proximi. *Et dixerũt ei de Ieſu Nazareno.* Ecce cõmendatio patriæ, id eſt, florido. *Ego flos campi.* Cõmendant virtute, quia vir fuit, id eſt, virtuoſus. *Virtus de illo exibat & ſanabat omnes.* Item commendat officium quia dicunt propheta, *Hic eſt verè propheta.* Et dicit Gloſſ. dicunt eum prophetam, tacent autem de filio Dei, quia non perfectè crediderunt: vel quia licet ſciunt & credunt, tamen timent reuelare ſibi, timentes ne eſſet vnus ex hoſtibus Chriſti, & ſic neſcientes cum quo loquuntur, tacent de filio Dei. Itẽ cõmendant opus dicentes. *Potens in opere & ſermone;* ſecundum Lyran. prædicationis in ſuſcitandis mortuis, & ſic de alijs curandis infirmis. Quantæ autem ſit potẽtiæ Chriſti ſermo, dicitur Luc. 3 *Stupebant autem in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo illius.* Item commẽdant eum reſpectu Dei. *Coram Deo,* acceptus ſcilicet Deo in omnibus prædictis. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Item commendant eũ reſpectu proximi dic. *Et omni populo.* *Omnis populus gaudebat in vniuerſis quæ glorioſè fiebant ab eo.* Luc. 13. Et ita deſcribunt eum in vita, nunc conſequenter, quid factum eſt in morte. Et quomodo. *Certè per inuidiam tradiderunt eum ſummi ſacerdotes,* ſcilicet Pilato & gentibus, qui tamen eum venerari debuerant, in damnationem mortis. Et inſinuant genus mortis dicentes: *Et crucifixerunt eum;* vnde aggrauantur eis cauſæ triſtitiæ. quia *poſt hæc omnia ſperabamus quod ipſe redempturus eſſet Iſrael,* quaſi dicat, quãuis triſtes ſumus propter mortem ſuam, tamen ſpes reſurrectionis ſuæ mitigabat in nobis aliqualiter triſti-

A diſcipulis his tripliciter commendatur.

Cant. 2.
Luca. 6.
Ioan. 6.
Matth. 3.
Matt. 27.

triſtitiam: nunc autem quia non reſurrexit, deſperamus multò fortius. Et dicit Theophilus, quod ipſi æſtimabant Chriſtum ſolum redempturum Iſrael, id eſt, Iudæos à ſeruitute Romanorum, & ſolum regem terrenum futurum, quod & Iudæi hodiè à Meſſia expectant, cum tamen quærendum eſt prius liberari à ſeruitute peccati. *Et nunc ſuper hæc omnia dies eſt tertia hodiè, quod hæc facta ſunt*; hoc dicunt ipſi ſecundum Lyra. reducentes in memoriam, quod prædixerat tertia die ſe reſurrecturum. Sicut etiam dicit Theophilus. Conſequenter ſubiungunt de reſurrectione quaſi hæſitando, adducentes teſtimonium mulierum & aliorum; vnde dicunt. *Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerũt nos.* Hoc intelligendum eſt quo ad ablationem corporis Chriſti, de quo turbantur Apoſtoli audito iſto à mulieribus, non autem de reſurrectione annunciata per ipſas quæ eis erat conſolabilis. Subiungunt tempus teſtimonij mulierum, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, dum adhuc tenebræ eſſent. Ioann. 20. *Et non inuento corpore*, quia dicitur Luc. 24. Quod ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu. Et ergò iſti dicunt, quod non inuento corpore Chriſti mulieres exierunt citò de monumento, ad dicendum quod factũ eſt Apoſtolis, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, vt habetur Ioann. 20. vnum ad caput, alium ad pedes Ieſu in ſepulchro, qui dicũt eum viuere *Quem quæritis viuentem cum mortuis, ſurrexit, non eſt hic. Et abierunt quidam ex noſtris*, ſcilicet ſocijs & Apoſtolis Chriſti, ſcilicet Petrus & Ioannes, vt dicitur Ioann. 20. & ita inuenerũt, ſcilicet corpus Chriſti ſublatum, & monumentum apertum & vacuum, & linteamina & omnia alia, ſicut eis mulieres dixerunt. Ipſum verò non inuenerunt, ſcilicet ibi in loco ſepulchri, licet poſtea eum in via inueniſſent vt dicitur Matth. 28. Ecce bonæ mulieres ſunt aliquando audiendæ. Vnde Sara dixit Abrahæ. *Eijce ancillam & filium eius.* Et noluit Abraham. Sed Dominus Deus dixit ad eum. *Omnia quæ locuta eſt tibi Sara audi vocem eius.*

Luc. 24.

Mulieres bonæ audiendæ.

Geneſ. 21.

11.

Et ipſe dixit ad illos, arguens eos ex eorum reſponſione. Hic tanquam pius Magiſter dubitationes eorum confutat, ſcripturas & ratione probant, dicens: *O ſtulti*, per cæcitatem intellectus & ignorantiam, maximè autem ſtulti, quia credebant ſolum redemptionem Iſrael temporalem, non æternam & ſpiritualem: *& tardi corde*, id eſt, duri mente, *ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ*, de Chriſti morte & reſurrectione. Vnde Actu. 3. dicitur: *Deus qui prænunciauit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit.* Conſequenter arguit ratione. Eſt enim modus probandi alicui per auctoritatem & rationem. Cum ergò Chriſtus allegaſſet Prophetas, conſequenter arguit ratione Dicitur ad Hebr. 2. *Decebat enim eum per paſſionem conſummari.* Gloſſ. id eſt, niſi Chriſtus pateretur, homo nõ redimeretur; vnde dicit. *Nõne oportuit Chriſtum pati & ita intrare in gloriã ſuam?* quaſi arguat. Illud quod eſt definitum ab æterno ex conſilio Trinitatis non poteſt variari, ſed Chriſtum pati fuit definitum iſto modo, ergò oportuit eum pati: oportuit quidem, id eſt, neceſſe conditionale fuit, ſcilicet ſi redemptio hominis ordinari debuiſſet, non autem neceſſe ſimpliciter. Quia quamuis alius modus redemptionis fuiſſet poſſibilis, nullus tamen ita fuit cõgruus ſicut paſſio Chriſti. Sed in contrarium Gregor. 21. libr. moral. Qui fecit nos de nihilo, propter ſuam paſſionem nos potuit redimere. Verum eſt de abſoluta potentia, non autem ordinata. Et ergò oportuit Chriſtum pati vt dicit Lyra. tum propter ordinationem, tum propter Chriſti exaltationem, tum propter humani generis redemptionem, tum propter Scripturæ impletionem. Vnde Hieron. ſuper illud Pſal 47. *Et Domini Domini exitus mortis.* Gloſ. Ac ſi dicat, Quia de morte indignaris humana conditio, patienter fer mortem, quia & Domini qui peccatum non fecit, Domini dico exitus ab hac vita non alius fuit quam mortis, id eſt, per mortem. *Et ita intrare in gloriam ſuam*, id eſt, in gloriam per ipſum acquiſitam, quæ gloria conſiſtit in dotibus animæ, & in glorificatione ab omni populo. Hoc enim merito ſuæ paſſionis Chriſtus acquiſiuit, quia

Quare Chriſtum pati oportuit.

Philip 2.

 meru-

Philipp 2. meruit glorificari ab omni populo ſicut verus Deus.

Hic notandum, quod ſi Chriſtum oportuit pati, & tunc intrare in gloriam ſuam, quid nos miſeri dicturi, facturique ſumus, qui nihil patimur? & tamen volumus intrare in gloriam alienam? *Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant in figuris prædicta,* videlicet in Geneſ. quomodo de latere viri formata fuit Eua: ſic de latere Chriſti Eccleſia. Item quomodo Abel per ſacrificium Deo placuit, Cain verò diſplicuit: ſic hoſtia Chriſti accepta fuit Deo, Iudæorum victimæ diſplicuerũt. Et Cain Abel ex inuidia occidit: ſic Iudæi Chriſtum. Item quomodo Abraham obtulit filium in monte: Iacob vidit ſcalam cœlos tangentem in myſterio ſanctæ crucis: Moyſes eduxit ſexcenta millia hominum, exceptis pueris & fœminis: Noë crapulatus à vino denudatus eſt coram filijs: ſic Chriſtus potatus in cruce aceto denudatus ab eis. Pſal. *Confuſio operuit faciem meam.* Duo filij illudentes ei, ſcil. Iudæi & Gentiles; dicentes: *Vach qui deſtruis templum Dei &c.* Sed ſurgens à mortuis maledixit vnum, ſcil. Iudæos. Item quomodo filij Iſrael peccantes morſu ſerpentum puniti, ſanati fuerunt ex aſpectu ſerpentis ænei. Item de Sãmſone, quomodo adamauit Dalilam. Non enim allegauit eis poetica figmenta, non philoſophica argumẽta, quæ licet etiam fuiſſent aliqua de Chriſto, tamen paruam potuiſſent facere probationem de ipſo; ergò potius allegauit Moyſen, qui primus fuit Prophetarum, & de Chriſto multa prædixerat, vt dicitur Deut. 18. Et conſequenter alios Prophetas allegauit, vt Iſai. 53. qui dixit: *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt.* Item Hiere. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam;* & ſic de alijs. *Et appropinquabãt caſtello quo ibant:* non fuit eis tædium in via audire eum, adeò ſunt delectati in ſermone eius. *Et ipſe finxit ſe longius ire,* ac ſi remotius intendebat ire ad locum magis diſtantem. Sed a. d. tamen fictio duplicitas eſt, & illa peccatum, quomodo hoc conuenit. Dicendum ſecundum Auguſtinum. Quod non omnis fictio eſt mendacium, ſed ſolum illa, quando illud quod fingimus, nihil ſignat: ſed quando in aliquam rem refertur, non eſt mendacium, ſed figura veritatis, vt hic erat. Per iſtam enim fictionem qua finxit ſe longius ire, ſignificabatur ſecundum Greg. quod longè erat, & quaſi peregrinus à fide eorum. *Et coegerunt eum,* id eſt, alliciebant eum verbis, & poſtea fortè traxerunt eum honeſtè, dicentes: *Mane nobiſcum Domine, quoniam aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies* ad occaſum. Ex hoc nos tenemur peregrinos non ſolum hoſpitare, ſed eos etiam ad domos noſtras cogere, & ipſum Dominum Ieſum deprecare, vt in iſtis diebus & alijs omnibus maneat nobiſcum. Et quia iuſta petentibus non eſt denegandus aſſenſus; ſubditur ergò exauditio eorum cum dicitur. *Et intrauit cum illis.* Cuius rationem aſſignat Lyran. dicens: quia prædictum deſiderium eorum diſponebatur ad fidei complementum. *Et factum eſt, dum recumberet cum illis; accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis.* Hoc mirum eſt, quod ipſe Dominus accepit nõ exoratus aut hortatus, ſed ſimpliciter accepit ipſis irrequiſitis panem, quem conſueuerat manducare, & in ipſo virtutem diuinitatis ſuæ oſtendere: *Et benedixit,* id eſt, verbis aliquibus dedicauit, *ac fregit,* per ſe, taliter, ac ſi quis cultello acuto ſcidiſſet: *& porrigebat illis;* ſcilicet tanquam diſpenſator eorum. Et ita dicit Lyran. quamuis alibi careat auctoritate littera præter de fractione.

III.

Et aperti ſunt oculi eorum. Hæc eſt tertia pars, in qua oſtenditur, quomodo Chriſtus cognitus eſt ab eis; vnde dicitur: *Et aperti ſunt oculi eorum.* ſecundum Gloſſ. Lyra. Quia voluntariè ſe eis oſtendit in effigie, qua erat cognoſcibilis ab eis. Vnde ſecundum Auguſtinum dicitur. Quamuis ipſe ſine oculis non ambulauerit apertis; tamen impedimentum quod fuit hucuſq; eis oppoſitum, fuit remotum. Cryſoſt. tamen dicit, quod non ſenſibiles, ſed oculi mentis fuerunt in eis aperti, & hoc benè concordat cum litera, in qua dicitur; *in fractio-*

ſtactione panis; non enim cognouerunt aſpectu vel auditu. *Et ipſe euanuit ab oculis eorum*, oſtendens, quod habebat corpus glorificatum, quod ſubitò poteſt transparere per dotem agilitatis vt dicit Lyran. Quare autem ſubitò eſt abſconſus ab eis, qui ita eum diligebant? Reſpondetur quod propter tria. Primò ſecundum Theophilum, vt animus ipſorum magis accenderetur in amorem ipſius. Secundò nè eſſet cauſa erroris, putantibus, quod tale corpus haberet ſicut prius. Tertiò ſecundum Gloſſ. ſubtrahitur carnalibus oculis ſpecies infirmitatis, vt mentibus incipiat apparere gloria reſurrectionis. Quo facto diſcipuli dixerunt ad inuicem: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis*; ac ſi dicant: quãta noſtra diligentia, quod non aduertebamus tam optimum ſocium, cum tamẽ cor noſtrum ſenſit eum eſſe Dominum noſtrum, oſtendens ipſum quis eſſet. Ex quo autem ardebat cor eorum ſubiungunt. *Dum loqueretur nobis in via*, ſcilicet amicabiliter & fauorabiliter, dulciter & ſuauiter. *Et aperiret nobis Scripturas*, quia ſecundum Theophilum; verba Chriſti intrabant per aures vſq; ad cor eorũ; & quia neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia; ideo hi diſcipuli ex accenſione amoris, ſurgentes, eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem, ad alios diſcipulos, qui erant in Ieruſalem congregati propter metum Iudæorum, vt dicitur Ioann. 20. Nec tardabat eos via longa, nec hora ſerotina, nec cauſa ardua, propter quam venerant; ſed potius inſtigabat eos amor ad annunciandum Chriſti reſurrectionem, ideò ſubditur: *Et inuenerunt eos congregatos*, quia adhuc & Thomas fuit cum illis, Virgo beata, Maria Magdalena, & alij amici Chriſti. *Et ipſi narrabant, quæ geſta erant in via*, ſc. de contabulatione & negligentia, & de allegatione Scripturarum ſalutifera, & ſic de alijs. Vltimo quomodo *cognouerunt eum in fractione panis*. Et comportauerunt eis gaudium inſimul de vera viſione Chriſti gratioſa. Sed ſuper hoc verbo quod dicitur: *Rogauerunt eum vt maneret cum eis*, exemplo eorum à nobis eſt rogandus quadruplicìter: primò per charitatis amicitiam; ſecundò per orationis inſtantiam; tertio per mentis opulentiam; quartò per pacis confidentiam. *Chriſtus à nobis quadrupliciter rogandus.* De primo, ſcilicet de charitatis amicitia dicitur. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* *Ioan. 14.* Secundò de orationis inſtantia dicitur. *Coëgerunt eum dicentes, mane nobiſcum Domine.* *Luc. vlt.* Tertiò de mentis opulentia dicitur Luc. decimo nono. *In domo tua oportet me manere.* *Luc. 19.* Quartò de pacis confidentia dicitur; Ioannis decimo. *Quærebant Ieſum apprehendere Iudæi, & exiuit de finibus eorum, & abijt trans Iordanem in locum vbi Ioannes erat baptizans prius, & manſit ibi.* *Ioan. 10.* Ecce Chriſtus fugiens perſecutiones, manet in loco pacis. Pſalm. *In pace factus eſt locus eius.* Iſidorus. Qui pacem amplectitur, Chriſto in ſe manſionem parat. Pro qua manſione vt maneat nobiſcum hic per gratiam, & in futuro nos cum eo perducat ad gloriam, ipſum glorificantes imploremus. Quod nobis præſtare dignetur Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

* *
*

IN OCTAVA PASCHAE. SERMO I.

Stetit Ieſus in medio diſcipulorum & ait: Pax vobis. Ioannis 20.

Auguſt. ſuper Pſal. 68. ſerm 2. Dicit beatus Auguſtinus. Duo quidem nobis in genere humano nota erant, vnum autem incognitum: naſci quippè & mori omnes ſciebamus, ſed reſurgere & in ęternum viuere neſciebamus. vt ergò oſtenderet nobis Chriſtus quod nō noueramus, ſuſcepit duo quæ noueram⁹. Hæc Auguſtinus. Ex quibus verbis patet quod Chriſtus ideò naſci & mori voluit ſicut cæteri homines, & tandem reſurgere à mortuis, vt reſurrectione ſua doceret ſe eſſe ſupra homines, ac per hoc ſpem daret hominibus reſurrectionis futuræ. Vnde dicit Auguſt. lib. de ſymb. tract. primo in fine. Credimus reſurrectionem carnis, quę præceſſit in Chriſto, vt hoc ſperet corpus, quod præceſſit in capite Hęc ille. Sed quia hæc difficilia ſunt ad credendum: ideò Chriſtus multiplici argumento ſuam reſurrectionem probauit, docens non eſſe impoſſibile hominibus, quod in ipſo fuit iam inchoatum, propter quod dicit Auguſtin. in ſerm. de reſurr. Domini. Chriſtus voluit reſurgere eo tempore, quo cūcta reuiuiſcunt, vt oſtenderet per hoc homini eſſe poſſibile, quod quandoque rediret ad vitam, ex quo terræ naſcentia videt redire ad vegetationem. Nam ſecundum ipſum, ſicut poſt hyemalis frigoris frigidam ſepulturā, quodammodo pullulare elementa omnia feſtinant, vt reſurgente Domino & ipſa reſurgere videantur. Nam ex reſurrectione Domini aër ſalubrior, ſol candidior, terra fit fœcundior, ex tunc ſurculus vireſcit in frutice, herbā creſcit in ſegete, vinea lætatur in palmite. Si igitur cum floreſcit Chriſti caro omnia floribus veſtiuntur, neceſſe eſt, vt aliquando homo credat ſe reſurrecturum. Hæc ille. Ad hoc igitur probandum efficacius, Dominus volens reſurrectionis ſuæ veritatem probare, apparuiſſe legitur Apoſtolis ipſo die reſurrectionis, & poſt hoc die octauo eiuſdem, vt veritate reſurrectionis ſuæ probata, nos de reſurrectione noſtra accertioraret. Quam quidem veritatem reſurrectionis ſuæ Chriſtus probās, ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum dicens: *Pax vobis.* Principaliter tria fecit Ieſus poſt reſurrectionem inter diſcipulos, Primò quia *ſtetit*; ſecundò quia *in medio*; tertiò quia dixit *Pax vobis.* *Propoſit.* In quibus verbis Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam cōſolatur ſuos fideles tripliciter. Primò quidem conſolatur eos tanquam fortis & potens ad auxiliandum, cum dicitur. *Stetit Ieſus,* quia expectat. Secundò conſolatur eos tanquam verus mediator ad reconciliandum quia *in medio.* Tertiò conſolatur eos tanquam quietator ad pacificandum, quia dicit *Pax vobis*; & ita oſtendit ſe eſſe auxiliatorem, reconciliatorem & pacificatorem.

I.

Stetit. Stetit Chriſtus poſt reſurrectionē ſuam triplici de cauſa. *Stetit Chriſtus triplici de cauſa.* Primò ad vocandum, vt ad pœnitentiam veniamus; Omnis enim eius vita, omnis doctrina ad hoc fuit ordinata, vt factis & verbis nos vocaret ad pœnitentiam; & ideò qui ad pœnitentiam venire renuit, omne illud infringit & deſtruit, propter quod Chriſtus venit. Quod autem Chriſtus ad hoc ſtetit, dicitur Ioan. 7. *In die,* inquit, *magna feſtiuitatis,* ſcilicet ſcænophegiæ, quæ dies ſignificabat ſtatum beatitudinis ſuæ ſecundum Lyra. *Stabat Ieſus & clamabat dicens. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Conſtat autem, quia non vocabat tunc ad bibendum aquam materialem, quam non habebat

bebat in copia cũ eam ſolus petierit, à Samaritana Ioannis 4. ideò intelligitur illud verbum de aqua pœnitentiæ, ad quam Chriſtus vocabat peccatores. O ſi Chriſtum vocantem peccatores multi tunc ſecuti ſunt, quando tamen adhuc nec eius miracula viderant, nec præmia exhibita conſiderabant, quantum & nos rei ſumus, qui vt dicit Greg. in homilia ſuper Matth. & miracula audimus, & præmia cognoſcimus, nec tamen ad Chriſtum venimus. Secundò ſtetit Dominus noſter poſt reſurrectionem ſuam, quaſi paratus ad auxiliandum & confortandum ne in tribulationibus deficiamus. Quis enim inter tot pericula, inter tot mala & aduerſariorum diſcrimina ſe ponere poſſet aut auderet, niſi ſibi Deus adeſſet & vacillantem animum confortaret? Quomodo ergò beatus Stephanus inter aduerſarios ſtaret ſicut inter apes, niſi Chriſtum ſtantem & confortantem videret? Vnde ipſe dixit: *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Stantem dicit notanter, id eſt, confortantem me in tribulationibus. Tertiò ſtetit Dominus poſt reſurrectionem ſuam ad auxiliandum, vt aduerſarios vincamus. Quis enim tanto hoſti, tam forti, tam ſagaci, tam nocere cupienti reſiſtere poſſet, niſi Dominus benignus adiuuaret? Iuxta illud Pſalm. *Niſi quia Dominus adiuuiſſet me, paulo minus habitaſſet in inferno anima meã.* Ad quod ſignificandum dicitur Ioſue 5. *In agro,* id eſt, certaminis campo *leuauit oculos ſuos ad virum contra ſe ſtãtem, euaginatum tenentem gladium. Cui dixit. Noſter es an aduerſariorum? Et ait ille. Princeps ſum exercitus Domini.* Quis ergò timor eſſe poteſt ab hoſtibus, vbi talis & tantus eſt ad ſuccurrendum paratus Dominus? iuxta illud. *Si Deus nobiſcum, quis contra nos.* Et iterum: *Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Et iterum: *Non timebo milia populi circumdantis me,* ſcilicet ſi tu es mecum.

Actu 7.

Rom 8.

I I.

Medium ſemper tenuit Chriſtus.

Stetit in medio. Circa quod ſciendum, quod Chriſtus in tota vita ſua ſemper tenuit medium. Nam in medio noctis natus eſt, in medio animalium poſitus, in medio Doctorum ſedit, in medio populorum ſtetit. *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* In medio latronum crucifixus; in media nocte reſurrexit; in medio diſcipulorum ſtetit, vt patet hic, ad ſignificandũ, quod nos qui reſurgere à morte culpæ volumus per gratiam, debemus ſemper in omnibus operibus noſtris virtuoſis medium tenere. Nam nec aliter beati adepti ſunt gloriam, niſi quia medium tenuere beati. Aliter enim opera noſtra non eſſent virtuoſa. Vnde Philoſophus 2. Ethicor. determinat quod omnis virtus eſt in medio, quod patet primo in virtutibus cardinalibus. Nam prudentiã circumſtant duo extrema; vnum per modum exceſſus, ſcilicet nimia curioſitas. Aliud per modum defectus, ſcilicet fatuitas; prudentia verò tenet medium, non declinans ad extremum curioſitatis nec fatuitatis. Item iuſtitiam circumſtant duo extrema: vnum per modum exceſſus, ſcilicet nimia ſeueritas. Aliud per modum defectus, ſcilicet nimia lenitas. Iuſtitia verò tenet medium non declinans ad ſeueritatem, vel lenitatem: Item temperantiam circumſtant duo: vnum per modum exceſſus, ſcilicet guloſitas. Aliud per modum defectus, ſcilicet extenuitas. Temperantia verò non declinat ad aliquod. Item fortitudinem circumſtant duo: vnum per modum exceſſus, ſcilicet crudelitas: Aliud per modũ defectus, ſcil. puſillanimitas; ſed fortitudo tenet medium. Hoc idem patet in virtutibus Theologicis. Nam fidem circumſtant duo extrema: vnum per modum exceſſus, ſcilicet leuitas faciliter omnibus credens quæ audit. Aliud per modum defectus, ſcilicet tarditas difficulter credens. Fides ergò tenet medium, quia credit credenda, & non credit non credenda. Similiter ſpem circumſtant duo: vnum per modum exceſſus, ſcilicet præſumptio: aliud per modũ defectus, ſcilicet deſperatio; ſed ſpes tenet medium, quia ſperat ſperanda, & non ſperat non ſperanda. Charitas autem non habet medium, quia non tenet modum, eò quod in diligendo Deum non eſt modus, ſecundum Bernardum. Non enim quis tantum diligere poteſt Deum, quin adhuc

adhuc plˢ poſſet aut deberet diligere. Vnde ſecundum ipſum. Modus diligendi Deum eſt modus ſine modo. Ad ſignificandum igitur quod non debemus in omnibus noſtris actibus ſeruare mediũ virtutis, Chriſtus hodiè in medio ſtetit. Vnde Bern. dicit. Tene medium ſi non vis perdere modum.

Propter tria ſtetit Chriſtus in medio.

Stetit autem Chriſtus in medio propter tria. Primò vt quaſi ſol in medio cœli illuminaret; ſecundò vt quaſi bitumen diſiuncta combinaret; tertiò vt quaſi cor omnia membra debilia viuificaret.
1. *De primo patet*, quia ſol eſt in medio planetarum ſub ſe habens tres planetas, videlicet Venerem, Mercurium & Lunam: ſuper ſe, Martem, Iouem & Saturnum. Iſti autem planetæ nec de ſe lucent, nec in præſentia ſolis apparent, ad ſignificandum, quod ſine Chriſto quilibet in ſe deficit. *Sine me nihil poteſtis facere.* (*Ioan. 15.*) Et omnis bonitas bonitati Chriſti comparata, nulla eſſe apparet, iuxta illud Prophetæ (*Iſa. 64.*) *Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ*, quæ eſt res viliſſima.
2. De ſecundo patet, quod Chriſtus ſtetit in medio, vt quaſi bitumen diſiuncta combinaret. Combinauit autem Chriſtus diuerſa, & primo hominem cum Deo. (*1. Tim. 2.*) *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus*; quia ideo mediator dicitur, quia reconciliauit hominem Deo. (*Deut. 5.*) *Ego ſequeſter & medius fui inter Deum & vos.* Vnde dicit Gorra. ſuper locum prædictum ad Timot: quod ante aduentum Chriſti non erat, qui vtrumque, ſcilicet Deum & hominem poſſet arguere, & ponere manum in ambobus. Ioannis 9. Deus enim purus mediator eſſe non potuit, quia immortalis & iuſtus erat; vnde in nullo cum homine cõueniebat, nec homo purus, quia peccare potens erat: nec Angelus bonus, quia impaſſibilis: nec Angelus malus, quia iuſtitiæ inſuſceptibilis. Sed homo Chriſtus hoc potuit, quia & iuſtus erat cum Deo, & mortalis factus eſt cum homine. Factus eſt ergò mediator ſecundum Gorran. ibidem, non vt Deus ſolum, ſed vt Deus & homo ſimul, qui mediator eſt mediatione ſublimi; quia communicat naturam extremorum. Hæc Gorra. Secundò combinauit hominem cum creaturis, quia creaturæ vt Angeli, qui prius homini aduerſabantur in veteri teſtamento facientes vindictam in peccatoribus, nunc gaudent de pœnitentia peccatorum, vt dicitur Luc. 15. Et qui prius permittebant ſe adorari Gene. 17. nunc prohibent, vt patet Apoc. vlt. *Vide nè feceris, Deum adora.* Tertiò combinauit hominem homini, quia Iudæos cum Gentibus in vnam fidem coniunxit: ex duobus parietibus fecit vnum ædificium, propter quod & lapis angularis vocatur. *Lapidem quẽ reprobauerunt ædificantes, hic eſt factus in caput anguli.* Tertiò Chriſtˢ ſtetit in medio ad viuificandũ mortuos, ſicut cor in medio corporis; vnde ipſe dicit. *Ego ſum via veritas & vita.* (*Ioan. 14.*) Et: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* (*Ioan. 10.*) Duplicem vitam Chriſtus influit membris ſuis, ſcilicet vitam gratiæ & gloriæ. Et quia hoc non eſt aliquando factum perfectius quam poſt Chriſti reſurrectionem, ideò ad oſtendendum nouæ vitæ acquiſitionem Chriſtus ſtetit in medio, vt illuminator per exemplaris vitę & doctrinę ſplẽdorem, & vt combinator & copulator per charitatis & dilectionis coniunctionẽ, & vt reconciliator & mediator pro offenſa Patris per ſufficientẽ expiationem, propter quod de eo merito dicitur, quia ſtetit in medio.

III.

Pax vobis. Tale eſt bonum pacis, vt in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, & nihil vtilius poſſideri; (*Pacis encomia.*) & ideò Chriſtus in tantum bonum pacis ſæpius commendauit, videlicet naſcendo, moriendo & reſurgendo. Nam ſicut dicit Caſſio. Ad laudem regnãtis pertinet, ſi ab omnibus pax ametur. (*Caſſio. lib. 1. ep. Epiſt. 9.*) Quid enim melius Principem prędicet quã quietus populus, concors ſenatus, tota reſpublica, morum honeſtate veſtita. Hæc ille. Quia igitur Chriſtus fuit verus Rex Regum, & Dominus Dominantium; ideò pacem amare docuit verbo pariter & exemplo, in vita & morte & poſt morte. In vita quidem, nam eo nato Angeli cantabant: (*Apoc. 19.*) *In terra pax hominibus &c.* Hanc etiam diſcipulis prædicandam commiſit, vt patet Luc. 10. (*Luc. 2.*) *In quamcumq; domum intraueritis, primum dicite. Pax huic domui.* Se-

cun-

cundò eam commendauit in morte, ex eo quod capi & flagellari, crucifigi & occidi voluit, vt nos ad pacem diuinam reduceret, iuxta illud: *Vos qui eratis longè facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.* Et ſequitur. *Ipſe enim eſt pax noſtra qui fecit vtraq; vnum.*

Epheſ. 2.

Ideo Chriſtus dicitur Deus pacis 1. Theſ. 5. primò quia eſt pacis auctor. *Ipſe eſt pax noſtra* ſecundò quia eſt pacis amator. Pſa. *In pace factus eſt* Item. *Cum his qui oderunt pacem &c.* tertiò quia pacis allator. Pſalm. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis*; quartò quia pacis Prædicator. *Veniens euangelizauit nobis pacem*; quintò quia pacis emptor. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Sextò quia pacis dator. *Pacem relinquo vobis.* Septimò quia pacis præmiator. *Beati pacifici.* Tertiò pacem commendauit poſt mortem vt hic. Nam reſurgẽs à mortuis, pluries legitur pacem Apoſtolis dediſſe, ſicut patet in Euangelio hodierno. Ex quo infero, quod inimicus eſt pacis, qui ea quæ ad pacem ſunt inter homines, deſtruit, & per conſequens inimicus Chriſti. Quia ex eo, quia deſtruit omne illud fundamentum, per quod Chriſtus in mundum venit, in mundo vixit, de mundo exiuit, poſt mortẽ in cœlo regnat, & quia in omnibus & per omnia in pace factus eſt locus eius.

Chriſtus Deus pacis & quare.

Epheſ. 2.

Epheſ. 2.

Iſaiæ 53.

Ioan. 14.

Matth. 5.

Pax triplex.

Sed nè quis decipiatur in nomine pacis æquiuoco, ideò aduertendũ, quod triplex eſt pax, ſc. malorum, iuſtorum & beatorũ. Prima deteſtabilis, ſecunda commendabilis, & per conſequens fugienda, de qua dicit Propheta. *Zelaui ſuper iniquos, pacẽ peccatorum videns.* Et conſiſtit in abundantia diuitiarũ, deliciarũ & honorum ſine moleſtia quarumcunq; tribulationũ aut impedimentorum, iuxta illud *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Boues eorum craſſæ, abundantes in greſſibus ſuis. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus neq; clamor in plateis eorum.* Hæc autem licet videantur hominem pacificare, tamen in rei veritate turbant. Eſt ergò hæc pax malorũ tripliciter mala, licet appareat eis bona & delectabilis eorum opinioni. Et primò eſt mala in hoc, quia licet iucunda appareat, tamen eſt amaritudine plena. Apparet ſecura, tamen eſt repentini interitus. Apparet impijs libera, & tamen vindicta plena. Apparet primò iucũda, & tamen eſt amara. Nam quomodo eſt vera iucunditas in diuitijs, vbi timetur continuari bellum? Pro eis bellat conſcientia, arguens de malè acquiſitis: opprimũ proximus alienare & ſpoliare cupiens: caro rebellat abundantiam ex eis habens: diabolus inſidiatur diuerſis peccatis illaqueans. Et ſuper omnia quomodo ille pacem habet cui ſola memoria mortis amara eſt? *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in delitijs ſuis.* dicit Gloſſ. Qui mundi proſperitatem & diuitias diligit, amara eſt illi mors corporalis, quia talis futuræ vitæ gaudia paruipendit. Secundò hæc pax eſt mala, quia licet appareat ſecura, eſt tamen repentini interitus. *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Tertiò hæc pax eſt mala, quia promittit impunitatem & libertatem, & tamen eſt vindicta plena, ſicut & latrones ſemper furantur, & tamẽ eis impunitatem promittunt. Similes ſunt muri, qui currit ad caſeum, vſquequo muſcipula capiatur. Et vulpi quæ gallinas inuadit, donec laqueo ſuſpendatur: & lupo qui oues inuadit, donec pedica capiatur. Et talibus comminatur Dominus. Deuteron. vigeſimo nono. *Ne dicas in corde tuo, pax eſt mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei.* Et ſequitur: *Venient ſuper eum omnia maledicta, & conſument eum in perditione.*

Malorum fugienda.

Pſal.

Eccl. 41.

1. Theſ. 5.

Deut. 29.

Secunda pax eſt iuſtorum commendabilis, & per conſequens diligenda, & eſt triplex, ſcilicet interior quæ eſt cordis, exterior quæ eſt temporis, & ſuperior quæ dicitur diuinitatis. Prima eſt hominis cum ſeipſo; ſecunda hominis cum Chriſto; tertia hominis cum Deo. De prima patet: nam quando nullus eſt error in intellectu, nullus amor noxius in affectu, nulla mala operatio in effectu, tunc verè pax eſt in corde humano. Vnde dicit Apoſtolus. *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra,* id eſt, voluntates veſtras in charitate, i. a mala affectione. *Et intelligentias veſtras,* i. ab omni errore. De 2. pace, ſ. exteriori q̃ eſt pax tẽporis dicitur.

Iuſtorum diligenda.

Philip. 4.

Rom. 12. *Si fieri poteſt vt ex vobis eſt pacem cum omnibus hominibus habentes.* Iſta autem pax nō eſt aliud niſi concordantium in bono, animorum tranquillitas, vt dicit Caſſio. ſuper Pſal. Ex quo patet, quod homines cōcordes in malo, non poſſunt veraciter dici pacifici, licet fingantur pacem habere inter ſe. Vnde Tullius in lib. de officijs vocat eam potius conſpirationem, quam pacem vel amicitiam, ſicut patet de Pilato & Herode, qui in morte Chriſti facti ſunt amici. Et iſta pax malorum, eſt multum periculoſa iuſtis. Quia dicit Gregor. in paſto. Sicut multum nocet, ſi vnitas deſit bonis: ita valdè eſt noxium, ſi vnitas adſit malis; quia ſi peruerſorum nequitia in pace iungitur, profectò eorum malis actibus robur augetur; & ideò dicit Iſidor. de ſummo bono, eſſe valdè optandum, vt mali ſint diſcordes ad hoc, vt opera bonorum non impediātur. Eſt ergò pax bona exterior iuſtorum, quando homo proximo ſuo concordat in bono, & omnia turbantia animum proximi ſui vitat & fugit; omnia verò ſibi ad ſalutem profutura prouidet, ita quod vni placet, alteri acceptum eſt. Sed valdè mirabile eſt quod dicit Hieron. ſuper Pſalm. 82. tractans illud. *Quoniam cogitauerunt vnanimiter ſimul aduerſum te.* Infælix populus Dei non poteſt in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo. Vnde autem turbatur pax iſta proximorum ad inuicem, oſtendit Gregor. in quadam homil. quod maximè hoc fit pro rebus temporalibus. Et Seneca in lib. de moribus. Quietiſſimam vitam agerent homines in terra, ſi duo verba tollerentur, ſcilicet meum & tuum. Et ſolent reddi 7. cauſæ propter quas pax nō eſt inter homines. Prima quia non puniuntur malefactores. *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſq; timore vllo filij hominum perpetrant mala* Secunda abundantia temporalium *Facta eſt rixa inter paſtores Abraham & Loth.* Tertia quia non occupantur pugna contra dæmones. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus &c.* Vnde videmus, quod carentes bellis extraneorū, communiter inter ſe bellant. Quarta quia non conſideramus, quia diuitijs corpus & animam perdimus. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter corruerunt.* Ita quia non conſideramus dubium euentum belli 2. Regum 11. *Varius eſt euentus belli, & nūc hunc, nunc illum occidit gladius* Sexta quia non ſeruamus præcepta Dei, nec decimas ſoluimus. *Vtinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua.* 16. *quæſt.* 1. *Reuertimini.* Vnde quod non accipit Chriſtus tollit. fiſcus 16. quæſt. 7. *maiores.* De tertia pace, ſcilicet ſuperiori, quæ eſt Deitatis, dicit Leo Papa in quodam ſermone. Tunc eſt vera pax hominibus & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præſide gubernatur. Hæc eſt vera pax, à Dei voluntate non diuidi, & in his quæ ſolius Dei ſunt delectari. Quando enim ſenſualitas nulla parte contradicit rationi, tunc eſt ſerenitas mentis, & tunc eſt regnum Dei.

Ob 7 cauſas non eſt pax inter homines.

Eccl 8.

Geneſ. 13.

Epheſ. 5.

Ierem. 46.

Iſaia 58.

Baruch. 5

Tertia pax eſt beatorum, quæ eſt multum deſiderabilis, & eſt illa qua electi Dei fruuntur Deo in cœlo, quietati & pacificati in appetitu ſuo, nihil vltra deſiderare volentes. ſecundum Boëtium de conſolat. Sunt enim tria in anima noſtra principalia naturalia. Primum eſt cognitiuum, & eſt intellectus noſter, quo vniuerſa cognoſcimus. Secundum amatiuum, & eſt noſter affectus, quo amanda diligimus. Tertium eſt noſter affectus, quo operationi inſiſtimus. Hæc autem omnia in cœlo quietantur & pacificantur. Nam intellectus noſter quieſcit in contemplatione perſpicaciſſimæ veritatis, quieſcit affectus in dulci prægustatione ſuauiſſimæ bonitatis. Tertiò quietatur effectus in continuatione tranquillitatis. ibi enim eſt ſumma prudentia, ſumma ſcientia totum intellectum implens, ita vt nihil remaneat in eo vacuum; & ſatiatur intellectus ad plenum. Baruch. tertio *Diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit lumen oculorum & pax.* Vbi ſunt ergo qui multa ſcire cupiunt, & hoc ſcire negligunt, quo ſcito omnia ſcirent. Ibi etiam erit beatitudo æterna & interminabilis; & ideò effectus ſeu operatio noſtra ſummè quietabitur, quia ſine fine. iuxta illud Iſaiæ trigeſimo ſecundo. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.*

Beatorum deſiderabilis.

Baruch 3.

Iſa. 32.

Illam

Iſtam ergo pacem fratres deſideremus, fugientes pacem ſæculi vanam & tranſitoriam, & inquirentes æternam, quatenus de pace gratiæ perueniamus ad pacem gloriæ æternæ. Ad quam nos perducat pater & filius & Spiritus ſanctus. Amen.

IN OCTAVA PASCHAE.

SERMO II.

Beati qui non viderunt & crediderunt. Ioan. 20.

Fidei Catholicæ effectus.

DICIT Auguſtinus in li. de verb. Domini. Nullæ maiores diuitiæ, nulli honores, nulla huius mundi maior eſt ſubſtantia quam fides Catholica, quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, & infirmos curat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, & in æterna beatitudine cum ſanctis Angelis collocat. Hæc ille. Ex quibus patet quod homines maximè debent eſſe ſoliciti ad habendam fidem & de omnibus pertinentibus ad fidem, eo quod ſecũdum gradum fidei charitate informatæ recepturi ſunt præmia in cœlo; iuxta illud Auguſti in li. de omnibus. Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti ſed fidei. Hinc Saluator ait: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Quod vtique non eſt niſi propter diuerſitatem meritorum ex fidei radice procedẽtium, in qua quidam certius & deuotius ſe primæ veritati ſubijciunt quam alij. Vnde ſecundum hoc etiam fides eſt maior in vno quam in alio vt dicit Tho. 2. 2. q 4. art. 7. Cum igitur ex fide ſicut ex radice omnia noſtra merita procedant, ita vt quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima noſtra ſuſceptura eſt, ex fidei fundamento procedat, vt dicit Auguſtinus ſuper Ioan. rectè Saluator commendans ſuos fideles dicit: *Beati qui non viderunt & crediderunt,* quaſi dicat. Si beati ſunt illi qui viderunt & crediderunt, quanto magis illi qui non viderunt & crediderunt. Vnde Auguſtinus ſuper Ioãnem dicit. Fides eſt credere quod non vides. Sed fortè diceres. Ergo fides ſancti Thomæ fuit diminuta & imperfecta, quia viſa credidit. Credidit enim Chriſtum reſurrexiſſe tunc primo quando eius vulnera vidit & palpauit. Reſpondeo certè non: immo fuit perfecta fides, quia aliud vidit, aliud credidit. Vidit enim hominem & credidit Deum, vt dicit ſanctus Tho. 2. 2. q. 1. art. 4. in ſolutione primi articuli. Vna eſt ergo fides noſtra cum Apoſtolis, qui licet viderunt humanitatem exterius, tamẽ interius crediderunt Deitatem, ſicut & nos qui nihil horum videntes vtrumque credimus, & ideo eadem eſt beatitudo noſtra cum illis. Sicut ergo beati qui viderunt & crediderunt: ita beati qui non viderunt & crediderunt. Circa verba noſtri thematis tria ſunt omnibus Chriſtianis conſideratione digna. Primo de fidei excellentia. Secundo de fidei ſufficientia. Tertio de fidei efficacia, quæ tria qui conſiderabunt reuera beati erunt, qui non viderunt & crediderunt.

Ioan. 14.

Fides radix meritorum.

Propoſit.

I.

Fidei excellentia.

Tanta eſt excellentia fidei ſupra alias virtutes, vt cum omnes virtutes Chriſtianis aut præcipiantur aut perſuadeantur, à nulla tamen earum denominentur præterquam à fide. Vnde nec à ſpe dicuntur ſperales, nec à charitate charitatiui, nec à fortitudine fortes, nec à temperantia temperati, nec à prudentia prudẽtes, nec à iuſtitia iuſti, & ſic de alijs, ſed à ſola fide dicũtur Chriſti fideles. Et ideo Auguſtinus ſuper Ioannem appellat eam fundamentum omnium aliarum virtutum. Quod declarans Tho. 2. 2. q 4 art. 7. quod per ſe & ſimpliciter fides eſt prima virtus inter omnes virtutes theologicas, quia naturalis cognitio non poteſt attingere ad Deum, ſecun-

dum quod eſt obiectum beatitudinis prout tendit in ipſum ſpes & charitas, niſi per fidē, ergo fides eſt prima virtus inter virtutes theologicales, ſc. inter charitatē & ſpē: multo magis inter virtutes politicas ſeu morales ipſa eſt prima, quia non poſſunt eſſe veræ virtutes niſi præſuppoſita fide, vt dicit D. Auguſt. in li. contra Iulianum. Et

Hebr. 11.

Apoſtolus. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Et iterum. *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Ex his concludit Apoſtolus

Rom. 14.

Fidei definitio.

quod fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparētium. Quod Dionyſius in li. de di. nominibus cap. 7. exponens dicit. Quod fides eſt manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate & in ipſis veritatem. Et hoc dicit Apoſtolus ſubſtantiam ſperandarum rerum, id eſt, cauſam ſubſiſtendi in nobis res ſperandas, ſcil. bona futura. Et hoc vel in futuro, quia faciet ſubſiſtere in nobis res ſperandas in patria per apertā viſionē; vel in præſenti, quia iā facit nobis eas ſubſiſtere per ſpē & expectationē. Vnde Gloſſ. ſuper illud Matth. 1. *Abraham genuit Iſaac,* id eſt, fides ſpem, item dicitur argumentū, id eſt, probatio ſiue demonſtratio quędam rerum non apparentium, quia fides oſtendit nobis inuiſibilia. Et hoc vel fides antiquorum patrum, quia enim ita crediderūt, ergo ita eſt: vel fides noſtra eſt, quia enim fides ita dicit, ſequitur, ergo ita eſt. Hæc Gorran. ſuper epiſtolam Hebræ. cap. Ex his patet excellētia huius virtutis quia in hoc conſiſtit ſecundum Tho. 2. 2. q. 4. art. 1. ꝙ eſt prima inchoatio rerū ſperādarū in nobis; per aſſenſum .n. fidei habemus virtualiter oēs res ſperandas. In hoc .n. ſperamus beatificari ꝙ videbimus aperta viſione veritatē cui per fidē adhæremus. Hæc Tho. Et ideo Saluator beatificat illos, qui ſibi per fidem adhærent dicens. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Eſt tamen hic ſciendū quod inter fidē, ſpem & caritatem eſt talis ordo, quod per fidem dirigitur homo in via; & quia via ardua eſt, ſpe omnipotente innititur, & per charitatem ſummi boni attrahitur. Vnde Auguſtinus dicit, quod fides nos Deo ſupponit & ſubijcit, ſpes erigit, charitas vnit. Fide agnoſcimus nos ſub Deo eſſe, & debitores nos eſſe ſeruitij Spes nos eleuat, vt audeamus aggredi quodſupra vires noſtras eſt. Charitas autem facit nos eſſe cum Deo, & tantum de primo.

II.

Dixi ſecundo, quod ad hoc vt homines beati ſint, requiritur vt cognoſcant ſuæ fidei ſufficientiam. Multi enim habere ſe credunt fidem ſufficientem & debitam atque perfectam ad ſalutem, qui tamen in rei veritate eam non habent; & ideo neceſſe eſt cognoſcere ſufficientiam fidei ad ſalutem requiſitam. Circa quod conſideranda ſunt tria. Primo de diuerſitate fidei in diuerſis hominibus. Secundo de integritate fidei. Et tertio de perfectione & ſufficientia fidei. De primo ſciendum, quod circa fidem ſunt multæ diuerſitates:

Fidei diuerſitates.

in quibuſdam enim fides viua, in quibuſdam mortua, in quibuſdam fides ficta, in quibuſdam non ficta, ſed vera, in quibuſdam fides magna, in quibuſdam fides modica, in quibuſdam fides implicita, in quibuſdam autem explicita. Fides viua eſt fides quæ potens eſt elicere debitas operationes, de qua dicitur. *Iuſtus autem ex fide viuit;* & hæc vocatur fides per dilectionem operans. De fide mortua dicitur,

Abac. 2.

Iacob. 2.

Fides ſine operibus mortua eſt. Et hæc dicitur fides informis, id eſt, carens forma, quæ eſt charitas; ſicut corpus carens anima, quæ eſt eius forma & vita. Vnde Gloſſa ſuper dictum Iacobi dicit. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Quibus operibus reuiuiſcit fides, quæ prius erat mortua & informis, fit formata & viuens. Hæc Gloſſa. Fides ficta eſt eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Fides non ficta eſt, de qua dicitur.

Matt. 13.
Luca 8.
1. Tim. 1.

Finis præcepti eſt charitas ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Vide quid dicit, charitatem procedere a fide. Exponit Gorran. dicens, quia dilectio procedit originaliter & diſpoſitiue ex potentia cognitiua: immo minimus actus charitatis ex fide procedit quæ eſt in intellectuali habitu. De modicitate fidei dicitur

Matth. 6.

Matth. 14. *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Et. *quanto magis vos modicæ fidei?* Dicit Rabanus. Modica fides eſt quæ in Deo de tēporalibus ſpem non habet, & hæc eſt fides imperfectorum, vt dicit Gorran. ſuper Epiſtolā. 2. Theſ. 3. de qua dicitur Iſa. 53 *Domine quis credidit auditui noſtro.* Alia eſt fides magna, & hæc eſt perfectorum, de

qua Matth. 15 dictum eſt mulieri . *O mulier magna eſt fides tua*. Ad hoc autem vt magnam fidem quis habeat requiruntur quatuor. Primo vt de Deo magna ſentiat, vt Centurio qui credidit curari vno verbo filium ſuum, cui dictum eſt à Domino. *Nõ inueni tantam fidem in Iſrael*. Secundo vt bona tranſitoria intuitu æternæ retributionis contemnat Hebr 11. *Fide Moyſes grandis effectus eſt relinquens Ægyptũ*, id eſt, cõtemplit Aegypti gloriam, in quo oſtendit quod per fidem eſt contemptus bonorum temporalium. Tertio vt in aduerſis de Deo confidat. Vnde dicit Apoſtolus. *In omnibus gratias agite quod fides veſtra ſuper excreſcit*. Gorran. ſuperabundantia charitatis, vel ſuperexcreſcit, id eſt, in tribulationibus non deficit. Exod. 1. quanto magis opprimebant AEgyptij filios Iſrael, tanto magis creſcebant. Quarto vt cum homo petit à Deo & ſtatim non accipit, à propoſito non deſiſtat, ſicut Chananea cui dictum eſt *Magna eſt fides tua*. De fide implicita, quam tenentur omnes habere dicitur *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum*, quod fit cum homo omnia credenda in genere credit. De fide explicita quam tenentur ſolum habere prælati dicitur *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de fide ſpe & charitate*. Et ſic patet de fidei diuerſitate.

Quatuor ad fidem magnam requiruntur
Matth. 8.
1. Theſ. 1.
Matt. 15.
Hebr. 11.
1. Pet. 3.

Sequitur de fidei integritate; nam quid prodeſſet habere fidem in parte, & in parte non: ſicut credere in patrem aut in filium, vel in patrem & filium non autem in ſpiritum ſanctum, & ſic de alijs. Debet ergo eſſe de omnibus articulis ſimul explicitè vel implicitè. Vnde dicit ſanctus Tho. Quod ſicut peccatum mortale contrariatur caritati, ita diſcredere vnum articulum contrariatur fidei. *Qui peccat in vno factus eſt omnium reus*. Sicut ergo charitas non remanet in homine poſt vnum peccatum mortale, ſic nec fides poſtquam diſcredit vnum articulum fidei. Ex his infert ſanctus Tho. quod hæreticus qui diſcredit vnum articulum fidei, non habet habitum fidei nec formatæ nec informis, quod dilucidè ibidem deducit. Si autem quæritur in quo conſiſtat hæc integritas fidei. Reſpondeo ſecundum Tho. quod non ſolum conſiſtit in his quæ ſunt vt articuli fidei; ſed etiam in his quæ ſunt vt præcepta eccleſiaſtica. Et ſic ſecundum iſtũ Doctorem tunc fides eſt integra, quando homo inhæret doctrinæ Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate prima, & ſcripturis ſacris, tanquam infallibili diuinæ regulæ. Si autem ea quæ ſunt fidei alio modo tenet quam per fidem, non dicitur habere fidem ſed opinionem. Vnde ex his patet ſolutio ad illud dubium quo quæritur. An ille dicatur hæreticus qui ex his quæ eccleſia docet, quæ vult tenet, & quæ vult non tenet. Dicendũ eſt enim breuiter quod talis ſi hoc pertinaciter tenet, eſt hæreticus, eo quod talis nõ inhæret Eccleſiæ vt infallibili regulæ, ſed proprię volũtati, & ſic habet potius opinionem, quã fidẽ, ſecundũ propriã voluntatẽ Hęc Tho. Attende qui audis vel legis dicta iſtius Doctoris, dicentis. Eccleſiæ per omnia in his quæ fidei ſunt obedire debere. Sed fortè diceres, verum eſt in his quę fidei ſunt tantũ, nõ in alijs. Ad quod ego reſpondeo ꝙ non ſolũ in his, verũ etiã in alijs. Nã ſicut dicit Auguſt. in li. de cura pro mortuis agenda; ꝙ ſi nulla eſſet auctoritas ſacræ ſcripturæ quæ doceret orare pro defunctis, tanta eſt auctoritas Eccleſiæ Romanæ & eius conſuetudo, quod ꝓ lege firmiſſima ſine dubitatione eſt tenenda. Et hoc apertius idem Auguſt. dicit in li. contra Fauſtũ, quod nõ crederet Euãgelio niſi eũ auctoritas Eccleſiæ cõmoueret Hoc etiam apertiſſimè ſcribens ad Hieronymũ epiſtola. 18. dicit. Cõtra aptiſſimum morẽ Eccleſiæ nemo ſentiat. Et Damaſce. li. 4. ſuarum ſentẽtiarum dicit. Semper conſuetudo Eccleſię ſeruanda eſt. Similiter Hieronymus contra Viligantium in epiſtola dicit. Quid neceſſe eſt in manus ſumere ꝙ Eccleſia nõ præcipit? Item Aug. in li. Samſonis. 11. di. eccleſiaſticarũ, oſtendit multa ex ſola conſuetudine Eccleſiaſticæ tenenda, ſicut ſignatio crucis in fronte, benedictio hoſtiæ triplex, prolixitas canonis, orare verſus orientẽ, benedictio fontis, oleũ vnctionis in baptiſmo, quæ omnia tacita ac myſtica traditione Patrum ſunt magis obſeruata ſilentio quã publicata ſcripto. Quanta poſſent hic argui contra hæreticos dogmatizantes de vtraque ſpecie, de decimis, de indulgentijs.

Thom. 2. 2. q. 5. art 3.
Iacob. 2.
Fidei integritas in quibus conſiſtit.
Eccleſiæ auctoritas.

gentijs & alijs,quę omnia ſunt contra prę-cepta Eccleſiæ & conſuetudines ipſius approbatas.

Fides perfecta quæ dicatur.

De tertio,ſcilicet de ſufficientia & perfectione fidei patet.Nam tunc dicitur ſufficiens & perfecta fides,quando eſt de operibus creationis,recreationis & glorificationis, & habetur in ſymbolo Apoſtolorum. quorum confeſſio eſt ſicut quædam ſcala Iacob,12.gradibus conſtructa, cuius cacumen cœlum tangit,per quam Angeli deſcendunt & aſcendunt. Et Dominus inſuper innixus eſt illi, hoc eſt dicere quod quicquid pertinet ad diuinitatem Chriſti & humanitatem eius, ad Trinitatem perſonarum & Eccleſiæ Sacramenta, ſufficienter ibi traditur.Vnde dicit Tho.2.2.q 2.ar. 8. quod credere SS.Trinitatem explicitè eſt de neceſſitate ſalutis tempore nouæ legis & gratiæ,quia omnes qui renaſcuntur in Chriſto,hoc adipiſcuntur per inuocationem Trinitatis, ſecundum illud. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ,baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus ſancti*: in mo vt ipſe bidem dicit Myſterium Chriſti explicite credi non poteſt ſine fide Trinitatis, quia in myſterio Chriſti hoc continetur, quod filius Dei carnem aſſumpſerit, quod per gratiam Spiritus S. mundum renouauit, & iterum quod de Spiritu ſancto conceptus ſit. Ex his patet quod ſufficientia & perfectio fidei noſtræ conſiſtit maximè in his duobus, quæ omnes explicitè neceſſario credere tenentur, ſcilicet Trinitatem perſonarum in diuinis,& myſterium natiuitatis,paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Chriſti, miſſionis Spiritus S. & omnia contenta in ſymbolo Apoſtolorum: & propter hoc particulæ fidei in ſymbolo Apoſtolorum contentæ,dictæ ſunt articuli, quia per ipſos hortamur ad credendum,& ipſi crediti arctant nos ad amorem vel timorem Dei, vel aliam affectionem ad Deum. Addit autem prædictus Doctor q non omnia credenda poſſunt dici articuli fidei; ſunt enim quædam quæ fidem antecedunt,vt quæ ſunt iuris naturalis.ſicut eſt hoc quod proximo non eſt nocendum. Quædam verò conſequuntur fidem, vt hoc quod antichriſtus eſt futurus, quæ tamen ſunt credenda. Et patet ex his multos errare dicentes, nihil credendum eſſe niſi quod eſt de Deo,quod falſum eſt ſimpliciter loquendo, cùm credere carnis reſurrectionem non ſit de Deo,ſed de homine, & tamen eſt articulus fidei. Verumtamen loquendo ſtrictius, non eſt aliquis articulus quicumque creditur ab Eccleſia, qui non reducatur ad Deum mediate vel immediate, cum omnia credenda ſapiunt vel Dei potentiam, aut ſapiētiam, aut bonitatem, ſicut patet intuenti ſcripturas & creaturas &c.

Matth. vlt.

In duobus conſiſtit.

III.

Dixi tertio, quod ad hoc vt homines beati ſint per fidem, ſimul neceſſe eſt vt cognoſcant effectum fidei,qui eſt præcipuus triplex.Primo quia Deo multum placet. Secundo quia Diabolo multum diſplicet. Tertio quia hominibus multum prodeſt.De primo dicitur. *Beneplacitum eſt Deo fides & manſuetudo*. Et ideo placet Deo,quia ſine ipſa nihil placet Deo. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Nec mirum Ipſa enim eſt porta per quam princeps noſter Chriſtus intrauit ad cor hominis. Prius enim intrauit per fidem in mentem virginis quam in ventrem. *Beata quæ credidiſti.* Quod tractans Auguſtinus in lib. de virginitate dicit. Beatior fuit Maria concipiendo fidem Chriſti quam carnem Chriſti. Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet,niſi felicius Chriſtum corde quam carne geſtaſſet. Item ad tantum Deo placet,quod omnia quæcunque vult impetrat apud Deum Vnde Centurioni dictum eſt. *Sicut credidiſti fiat tibi,* Item animam Deo deſponſat.*Sponſabo te mihi in fide.* Secundo diabolo diſplicet multum, quia ipſa eum fugat. *Signa eos qui crediderint hæc ſequentur.In nomine meo dæmonia eijcient* Et: *Hæc eſt victoria quæ vicit mundum fides veſtra. Sancti per fidem vicerunt regna,* ſcil. mundi & carnis & diaboli. Item fides eſt lorica & ſcutum contra diaboli tela. *Induti lorica fidei.* In hac enim conſiſtit tota noſtra reſiſtentia contra diabolum. *Cui reſiſtite fortes in fide*. Tertio fides hominibus multum prodeſt, quia ipſa eſt lucerna ad quam in nocte huius vitæ ambulatur. *Per fidem ambulamus & non per ſpeciem*. Item per ipſam ſunt

Fidei efficacia.

Eccl. 1.

Hebr.11.

Luca. 1.

Matth.8.

Oſeæ 2.

Marci vlt.

1.Ioan.5.

Hebr 11.

1 Theſſ.5.

1 Pet. vlt.

2.Cor.5.

ſiunt homines habitaculum Chriſti ſpirituale. *Ephes. 3.* *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.* Item fides regit totam vitã hominis in gratia Dei. *Abac. 2.* *Iuſtus autem ex fide viuit.* id eſt, vitã ſuam regit & gubernat. Itẽ per fidem habetur beatitudo viæ & patriæ. De prima dicitur hic. *Beati qui non viderũt & crediderunt.* De ſecunda dicitur: *1. Ioan. 5.* *Vitam habetis æternã qui creditis in nomine filij Dei.* Gal. 3. *Qui ex fide ſunt benedicentur cum filijs Abraham.* Hæc ergo reportat finem ſalutis animarum noſtrarum, vt dicitur 1. Petr. 1. *Ioan. 6.* *Omnis qui credit in eum non pereat ſed habeat vitam æternam.* Sed vt hæc omnia nobis proficiant, tria ſunt nobis neceſſaria. *Tria requiruntur vt fidei effectus nobis proſint.* Primo vt habeamus fidem rectam ſeu certam, ne ſpiritu erroris decipiamur, ſicut de multis prædixit Apoſtolus: *1. Tim. 4.* *In nouiſſimis diebus quidam diſcedent à fide, attendentes ſpiritibus.* Secundo vt habeamus fidem fortem, ne per aſperitates cadamus, ſicut Petrus ambulans ſupra mare, cui dictum eſt. *Matt. 14.* *Modicę fidei.* Tertio vt habeamus fidem operoſam per dilectionem, ne per otium euaneſcat, quia fides ſine operibus mortua eſt. *Iacob. 2.* Quæ cum habuerimus, certe filij Dei erimus per fidem vt dicitur Gal. 4. mortem æternam euademus, & vitam æternam atque beatitudinem conſequemur. Quod nobis præſtare dignetur &c.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

SERMO I.

Ego ſum paſtor bonus. Ioan. 10.

QVamuis Deus omnipotẽs ab initio mũdi mirabilis in maieſtate ſua apparuit in vniuerſa rerum productione, iuxta illud Pſalm. *Mirabilia opera tua Domine,* ac per hoc oſtenderit ſufficienter potentiam ſuam, ſapientiam & bonitatẽ; tamen quia homo ex præuaricatione diuinorum mandatorum ſic fuit infectus, vt nec attenderet Dei potentiam per memoriam, nec ſapientiam per rationem, nec bonitatem per voluntatem propriam, vnde quaſi oblitus tantorum bonorum, dereliquit factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo, iuxta illud: *Deut. 32.* *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Sed quia ſcriptum eſt, quia altiſſimus benignus eſt ſuper ingratos, ex eo patet, quia licet vidiſſet hominem ſic ingratum, beneficia tamen ſibi non ſubtraxit, ſed auxit & cumulauit. Nã quia homines non curabant opus creationis, venit filius Dei vt impenderet opus recreationis ſeu reparationis humanæ, vt ſic ſaltem homines maioribus beneficijs præuenti, bonitatẽ diuinã ſupra ſe agnoſcerẽt, & eũ velut bonum paſtorem amarent. Appropinquans igitur paſſioni Dominus, vt animas ſuorum diſcipulorum ad ſe amandum erigeret, commendãs bonitatem ſuam dicit. *Ego ſum paſtor bonus.* In quibus verbis deſcribitur bonitas diuina quantũ ad impenſam homini pietatis clementiam. Impendit autem diuina bonitas homini triplex opus ſuæ bonitatis. Nã triplex eſt eius opus maximę pietatis; videlicet opus creationis, opus recreationis, & opus glorificationis. Secundum hoc tria ſunt conſideranda in verbis præmiſſis quæ diuinam pietatem commendant. Primo itaque commendatur diuina bonitas quo ad eius eſſentia'ẽ entitatem, & hoc per opus creationis, cũ dicitur. *Ego ſum.* *Propoſit.* Secundo cõmendatur eius immenſa bonitas quo ad eius inæſtimabilẽ charitatẽ, & hoc per opus recreationis, cum dicit: *paſtor.* Tertio commendatur eius infinita bonitas, quo ad eius perpe-

perpetuam & interminabilem iocunditatem, cum dicitur: *bonus.* Quo ad primum opus Deus dicitur bonus, quoad ſecundum melior, quo ad tertium optimus In omnibus autem ſimul conſideratis apparet bonus, ideo de ſe dicere poteſt: *Ego ſum paſtor bonus &c.*

I.

Ego ſum. Nulla creatura poteſt dicere veraciter. *Ego ſum*, pręter ſolum Deum, cui

Deus immutabilis. hoc proprie conuenit, vt dicat: *ego ſum*, ratione triplici. Primo ratione immutabilitatis, quia in eſſendo ſemper idem ipſe eſt, & immutabilis eſt. Pſalm. *Tu autem idem ipſe es.* Vnde ipſe dicit *Ego Deus & non mutor.* Et: *Apud quem nõ eſt tranſmutatio.* Hoc confitetur Balaam dicens : *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.*

Iacob. 1. *Num. 23.*

Vnde Permenides philoſophus dixit, ꝙ Deus mobilẽ orbẽ rotat, ſed ſe immobilẽ conſeruat. Iſtud patet in Eſau, de quo dicitur Hebr. 12. ꝙ locũ pœnitentiæ non inuenit quamquam cum lachrymis quæſierit Gen. 27. Et de Antiocho. 2. Mach. 2. dicitur: Rogabat Deũ à quo nõ erat miſericordiam conſecuturus. Sed dices: nonne Hiere. 18. dicitur ex perſona Dei: *Si impius egerit pœnitentiam ſuper peccato ſuo agã & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui ſibi.* Et iterum Ezech. 18. *Quacumq; hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ſuarum non recordabor.* Ad quod reſpondeo, quod iſta mutatio non eſt in Deo, ſed in homine ſic mutato. Vnde voluntas diuinæ prædeſtinationis finalis ſemper eadẽ manet quantumcumq; hominis voluntas mutetur. Dicendũ ergo quod Deus mutat ſententiam, ſed conſiliũ nunquam. In hũc modũ loquitur Ambr. de pœ diſt. 1. Nouit Deus mutare ſententiam, ſc. interlocutoriã præſentis iuſtitiæ ſi tu noueris mutare vitam & mutare delictum. Secundo Deo conuenit eſſe propriè propter eius omnipotentiã, qua de nihilo poteſt aliquid facere, & abiectũ glorificare, ſicut ipſe de dicit:

Iſaia. 45. *Ego ſum Deus & non eſt alter formans lucem & creans tenebras.* Tertio conuenit ſibi ꝓpriè eſſe ratione ſummæ benignitatis quã oſtendit in dimittendo culpam & conferendo gratiam. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* *Iſaia. 43.* Huius autẽ entitatis primo apparet magnum beneficiũ in creatione, vbi Deus dedit eſſe naturæ. Nã licet ad potentiam pertinet creare, bonitatis tamẽ eſt potentiam mouere & eam operi applicare. Vnde Auguſt. dicit, quia ideò nos ſumus, quia Deus bonus eſt, & inquantum ſimus boni ſumus. Et ad idẽ dicit Damaſce. lib. 2. cap. 2. Quia bonus & ſuper bonus eſt Deus, nõ eſt contemptus ſuiipſius cõtemplatione, ſed ſuperabundantia pietatis & bonitatis motus, attentauit vt cuilibet generi benefaceret vt ſua bonitate participaret. Hæc ille. Ex quibus infero quod opus creationis humanæ licet ſit opus potentiæ diuinæ, quantum ad hoc quod tãtam creaturam ex nihilo fecit, tamen eſt opus benignitatis diuinæ, quo ad hoc quod eam ſine meritis præcedentibus dignatus eſt facere, & cuncta propter hominem creare & condere in mundo, q̃ etiã Deus nõ tã mirabiliter q̃ delectabiliter propter hominẽ creauit, ſic vt per illa Deũ cognoſceret & amaret. Vnde Auguſt. 10. confeſſ. c. 6. dicit. Cęlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, ecce vndiq; mihi dicunt vt te amẽ, nec ceſſant dicere hominibus vt ſint inexcuſabiles. Ex quo conſequenter infero quod humanum genus maximè obligatur ad amandũ Deũ etiam ſupra Angelicam naturam, ꝙ patet ex eo quia nulli Angelorũ tanta beneficia in creatione ſunt collata vt homini. Nam Angeli habent eſſe pulchrũ, quia ſpirituale tantũ; ſed homines ſpirituale & corporale. Angeli creati ſunt propter Deum, creaturæ autem nõ propter Angelos, ſed propter homines: & ita homines maioris ſunt dignitatis, ꝙ creati propter Deũ, & cũ hoc creaturę propter ipſos, vt ſint quodãmodo Dñi creaturarũ, & ſolũ recognoſcãt Dñm Deum ſuũ. Propter quod dicit Hugo. Magno debito obligata es anima mea, & multum accepiſti, & nihil à te habuiſti, & pro his omnibus non habes quid retribuas niſi tantum vt diligas. Nam quod dilectione datum eſt, nec melius nec decentius quam per dilectionem rependi poteſt. Hæc ille. Sed certè pugnat contra multos ordo iſte, qui creaturam pro creatore diligunt, & nõ ſolum vt non dominentur creaturę vt Domini,

Obligatio humani generis ad amandum Deum.

Hugo in li. de arrha ani.

mini, ſed etiam ſubijciuntur ſibi vt ſerui; ſicut ſuperbi, quibus dominatur diabolus; auari, quibus dominatur terra; luxurioſi, quibus dominatur proprium corpus; & de his verum eſt quod dicit Sapiens. *Creaturæ in odium homini factæ ſunt*, quod tunc fit quando eis homo abutitur. Sed diceres, ex quo in odium homini factæ ſunt, ergo homo non peccat ex ſe, ſed ex illis creaturis. Reſpondeo ſecundum Holcoth ſuper li. Sap. c. 14. quod non eſt imputandum creaturis nec bonitati vel ſpeciei creaturæ, ſi homines in amore mundanorum contra honorem Dei figantur, ſed tantum imputandum eſt homini qui malè vtitur creaturis. Vnde Auguſtinus dicit. Nec aqua malum, nec animal malum quod in aëre viuit. Nam iſtæ ſubſtantiæ bonæ ſunt in ſe, ſed malum eſt voluntaria præcipitatio in aqua & ſuffocatio quam merſus patitur. Stilus ferreus alia parte qua ſcribimus, alia parte qua deleamus fabricatus eſt, in ſuo genere pulcher & ad vſum noſtrum accommodatus. Et ſi quiſquam eadem parte ſcriberet qua deletur, & ea vellit delere qua ſcribitur, nullo modo ſtilum malum fecerit, ſed ipſum factum in re inturpatur. Hæc Auguſtinus. Et per hoc tolluntur excuſationes quorundam in peccatis, dicentium & allegantium interdum carnis propriæ fragilitatem eos impellere ad peccatum, aut interdum diabolum eos cogere ad peccandum. Quibus reſpondeo quod nullum horum cogit eos peccare, ſed ipſimet ſunt cauſa peccati efficiens. Concupiſcentia in carne non neceſſitat aliquē ad peccatum, licet bene incitat, & hoc pro peccato primi parentis; eſt tamen in voluntate ſua ſi velit vt poſſit ei reſiſtere. Sed dices, quare Deus melius ſine tali incitamento non creauit hominē? Reſpondeo ſecundum Gregorium, ne homo in ſuperbiam eleuetur ex præſumptione ſecuritatis, vt dum pulſata trepidat, in ſolo auctoris adiutorio robuſtius ſpem figat. Hæc ille. Similiter diabolus non cogit ad peccatum, quia dicit Bernardus. Impulſor hominis diabolus eſt, impulſor mundus, impulſor homo. Quis eſt iſte homo ſi quæris. Quiſque ſui, noli mirari. Vſque adeo impulſor homo ſui eſt & ſuimet præcipitator, vt non ſit quod in altera pulſore formides, ſi ipſe proprias à te contineas manus tuas, ſenſus tuos. Hæc ille. Et tantum de primo.

Aug. lib. de vera relig. cap. 28.

Greg lib. 9. moral. cap. 16.

Bern ſup. Cant. ſerm. 86.

II.

Dixi ſecundo quod commendatur diuina bonitas quo ad eius immēſam charitatem, per quam hominē recreauit, cum dicitur *Paſtor*, iuxta illud: *Pauit eos in innocentia cordis ſui*. Homo enim creatus in innocentia, ſubito eam amiſit, & ea longo tempore caruit, ac quaſi multis milibus annorum famē ipſius paſſus eſt, iuxta illud. *Famem patientur vt canes*. Venit ergo filius Dei & attulit panē Angelorum quo reficit orbem terrarum. Et hoc tunc, quando virtute paſſionis ſuæ ſatiauit animam eſuriētem bonis. Tunc enim eſurientes & ſitientes in quibus anima pre expectatione ſalutis defecerat, ſedentes in tenebris & in vmbra mortis inferni, vinctos in mendicitate & ferro impleuit bonis. Vnde merito dici poteſt paſtor, qui ſic ouem perditam proprijs humeris in cruce impoſitam reportauit ad caulas Eccleſiæ militantis, & eam ſaturauit omnibus delitijs ſpiritualium gaudiorum, & eſt iſtud beneficium charitatis diuinæ erga hominem maius quam primum, quia eſt ſpeciale homini, ſic quod nulli alteri. Nam Angeli mali non ſunt recreati, ſed tātū homines, vt dicit Damaſce. li 2. cap 3. quod hominibus eſt mors, Angelis eſt caſus. Vnde ſicut homo poſt mortem eſt inſanabilis, ſic dæmones poſt lapſum. Ideo Pſalmiſta recolens iſtud beneficium, dicit: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius*. Et ſequitur. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*. Ex quo infero quod maxime debet & ſpecialiter amare Deū, & ſpecialiter vitare ei⁹ offenſam qui taliter ſanat eum. Vnde Pſalm. dicit. *Non fecit taliter omni nationi*. Et verè non fecit alicui, cui ſic prouideret de multiplicibus remedijs, ſacramentis, indulgentijs, quibus ſanari poſſumus. Magnitudo autem diuinæ charitatis in recrea-

Ioan. 6.

Chriſtus paſtor.

tione humana apparuit in hoc, quod non qualitercumque recreauit, ſed ſicut bonus paſtor dedit animam ſuã pro ouibus ſuis, quod eſt ſignũ excellentiſſimæ charitatis. *Ioan. 15.* *Maiorem hac dilectionem nemo habet, niſi vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ex quo patet dignitas animæ humanæ, quæ ſic placita fuit Deo, quod pro eo poſuit animam ſuam, iuxta illud: *Sap. 4.* *Placita erat Deo anima illius; propter hoc properauit illum educere de medio iniquitatum.*

Ex tribus animæ noſtræ dignitas apparet. Apparet autem præcioſitas animæ noſtræ ex tribus. Ex eius doloroſa amiſſione, ex ei⁹ diligẽti inquiſitione, ex ei⁹ cariſſima redẽptione. Primo patet ex eius doloroſa amiſſione: Sapiens.n.nõ dolet multũ de amiſſione rei paruæ, Chriſtus autem ſapiẽtia Dei patris maiorem dolorem monſtrauit ob amiſſionẽ paucarũ animarum, quã ſi totum aurum Arabiæ perdidiſſet. Nam multa talenta auri ſuo tempore perdita ſunt, ciuitates combuſtæ & deſtructæ, pro quibus Chriſtum nullatenus legimus fleuiſſe. Sed certè ob perditionem animarum paucarum legitur fleuiſſe, vt dicitur Luc. 19. *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam.* Secundo idẽ patet ex eius diligenti inquiſitione. Sapiens enim non multum curat ſi perdiderit aliquid vile. Sed Chriſtus in remotiſſimis partibus animã quæſiuit 33. annis laborioſè in paupertate & labore, & ꝑ earũ redẽptione in infernũ deſcẽdit. Pſal. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam.* Tertio patet hoc idem ex eius cara redemptione, pro qua redimenda videns Chriſtus totum mundum non ſufficere, dedit ſeipſum. *2. Cor. 6.* *Empti eſtis precio magno.* Et ideo ipſe eſt ſolus cuſtos animarum, cętera commiſit famulis vt temporalia. Pſalm. *Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum.* Et. *Iuſtorum animæ in manu Dei.* Cum autem ſic Deus amat animas humanas, valde mirum eſt quod homines eas vilipendunt, & maiorem curam impendunt ſordidis ſotularibus, quam animabus peccatricibus, ſuntq; adeo diuerſi erga ſuas animas. Nam quidam eas perdunt, quidam vendũt, quidam impignorant, quidam pro nihilo dant. Vendunt cupidi pro diuitijs, exponentes ſe rapinis, furtis, periurijs, falſis mercationibus. Vnde Eccl. 10. dicitur *Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam*: hic enim & animam ſuam venalem habet. Secundo aliqui animas ſuas perdunt vt otioſi, negligentes, accidioſi, non curantes niſi quod vna dies vadat & alia ſuccedat. Eccl. 29. *Eſt qui perdit animam ſuam præ confuſione.* Tertio aliqui animam ſuam impignorant, vt ſunt illi qui illicite diuitias, delitias, honores acquirunt, vt ad tempus bene habeant: qui in ſenectute non habentes media ſolutionis, nec vitam cõſuetam dimittere poſſunt, animas dæmonibus tradunt, & ſic pignus perdunt. Sunt & alij qui animas ſuas non pro ſe, ſed pro ſuis impignorant, vt Prælati, quibus dicitur: *Sap. 3.* *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius*, & ideo deberent curare vt tempeſtiuè pignus reluerent à mutuante. Quarto aliqui animas ſuas pro nihilo dant, vt ſunt inuidi, iracundi; quia dum cęteri peccatores aliquid pro animabus recipiunt, vt ſuperbi honores, auari diuitias, luxurioſi delitias, inuidi nullum delectabile, ſed amaritudinem recipiunt. Et ideo de tali dicitur illud Heſter. 3. *Tradens me morti & periculo.* Conſideremus igitur tantam dignitatem animarum noſtrarum & eas honoremus, & caro pretio appendamus. Chriſtus enim pro eis dedit animam ſuam quam non dediſſet pro toto mundo. Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatẽ meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum, propter hoc dicitur. *Eccl. 29.* *Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.* Et tantum de ſecundo.

III.

Licet bona naturæ ſint bona infima, bona gratię ſint bona media, nulla tamẽ ſimpliciter dicũtur bona niſi bona gloriæ. Cuius ratio eſt, quia omnia bona tã naturæ quam gratiæ ordinantur in bona gloriæ, & ſic bona gloriæ comprehendunt in ſe omnia bona. Exod. 33. *Veni oſtendam tibi omne bonum.* De quo Apoſtolus dicit. *Nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe.* Ex quo infero, quod bona gloriæ ſunt maximè bona, quia omnium

nium bonorum in ſe contemtiua. Secundo infero, quod bona glorię maxima ſunt & non cadunt ſub merito noſtrarum paſſionum, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Vnde Rom. 8. dicitur. *Nõ ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futurã gloriam.* Et Sap. 3. dicitur. *Quoniam donũ & pax eſt electis eius.* Ex quo conſequenter infero, quod præmium regni cœleſtis non datur ſanctis, niſi ex liberalitate & acceptatione diuina. Vnde dicit Robertus Holcoth ſuper lib. Sap. c. 3. exponens literam prædictam, quod pax æternæ beatitudinis quæ eſt futura electis, eſt donum Dei liberaliter & ſuper condignitatem paſſionum. Sed dic ex quo ſic eſt, quod homo ex ſuis naturalibus non poteſt mereri ex condigno vitam æternam. Quæro à te, nunquid ſaltem homo adiutus per gratiam diuinã poſſit eam mereri ex condigno? Videtur
2.Tim.4. enim quod ſic, quia dicit Apoſtolus. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Si ergo eſt corona iuſtitiæ, ergo iuſtè redditur, & per conſequens ex condigno. Ad quod reſpondeo, quod illud dictum intelligitur dupliciter. Vno modo, quod merita hominis tantum valeant naturaliter, puta quod tanta ſit bonitas in natura, & ſubſtantia meriti, quod ei debeatur vita ęterna. Alio modo, quod tantum valeat legaliter ex inſtitutione legis. Sicut praua pecunia cupri; ex natura ſui, ſiue naturali valore non valeat tantum, quantum vnus panis, ſed ex inſtitutione Principis tantum valet. Iſto modo opera noſtra ex ſua naturali bonitate non merentur vitam æternã de condigno, ſed de congruo tantũ, quia congruum eſt, quod homini facienti ſecũdum ſuam potentiam finitam detur præmium vitæ æternæ ſecundum potentiam infinitam; poteſt etiam dici quod opera noſtra ſunt condigna vitæ æternæ ex gratia nõ ex ſubſtantia actus. Statuit .n. Deus, quod benè operans in gratia, habebit vitã æternam; & ideò per gratiam & legẽ Principis noſtri meremur de condigno vitam æternam. Et ſecundum hoc dicitur iuſtum præmiũ, quia Deus conſtituitur debitor ex natura ſui promiſſi, non ex natura noſtri debiti commiſſi. Sicut dicit Magiſter ſententiarum lib. 3. diſt. 9. c. 4. Ex quibus omnibus infero, quod licet Deus iuſtè retribuet dando ſanctis præmia, tamen conſiderata inſufficientia meritorum ipſorum in ſe in relatione ad pręmia ęterna, ex mera bonitate ſua eos ſaluabit, iuxta illud. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus con-* Thren. 3. *ſumpti.* Et Apoſtolus dicebat. *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et iterum. *Gratia Dei vita æterna.*

Quatuor autem oſtendunt indignitatẽ noſtram ad gloriam, quam Deus dat ſuper condignum, videlicet impotentia naturæ, quæ de ſe eſt nuda, non habens aliquid vnde placere poſſit, iuxta illud. *Quid dignum offeram Domino.* Iob. 14. *Homo natus &c.* ſequitur. *Et dignum ducis ſuper eum &c.* Secundũ eſt immunditia culpæ, de qua Luc. 15. *Pater peccaui in cœlum, non ſum dignus vocari.* Tertium eſt inſolentia negligentię. *Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni.* Quartum eſt inſufficientia pœnitentiæ, quia licet pœnitentia noſtra poſſit eſſe digna benignitate acceptationis, & pietate reputationis; iuxta illud. *Facite dignos fructus pœnitentiæ;* non tamen eſt digna æqualitate retributionis, vel proportionabilitate ſatisfactionis. Cuius ratio, quia paſſiones breues ad durandum, leues ad portandum, paucæ numero, paruæ merito, ideò non poſſunt comparari ad præmia quę ſunt æterna, vniuerſalia & delitioſa ad Titũ. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Tob. 9. *Si meipſum tradam tibi in ſeruum, non ero condignus;* quia ergò nec digni ſumus, nec digni eſſe poſſumus; niſi indignos dignificet Deus. Heſter. 6. *Hoc honore dignus eſt, quem rex vult honorare.* Ideò non eſt rogandum, quia digni ſimus. ſed vt dignos efficiat. 2. Theſ. 1. *Oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocare vocatione ſua.* Et: *Quia indignum ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam, laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ.* &c.

Quatuor nos reddunt indignos ad gloriam Dei. *Mich. 6.* *Matt. 22.* *Luc. 14.* *Matth. 3.* *Paral. vlt.*

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

SERMO II.

Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Ioannis 10.

ETſi De⁹ operis diligat omnem creaturam vt dicitur Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti*; tamen multò intenſiori & feruentiori charitatis affectu diligit genus humanum. Tantò enim charitatis feruore erga hominem videtur eſſe accenſus, vt quaſi omnium aliorum quæ propter hominem creauit, oblitus, ipſi ſolimet homini tantum intendat: vnde illud; *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* quaſi dicat, non. Hinc dicit Aug. ſuper Ioan. Quod omnia diligit Deus quæ fecit, ſed inter illa magis diligit creaturas rationales, & de illis ea amplius quæ ſunt membra vnigeniti filij eius. Hæc ille. Signum autem huius dilectionis diuinæ erga hominem in hoc apparet, quod ei vult maius bonum quam cæteris creaturis. Ex quo ſigno vt dicit Thomas 1. 1. quæſt. 20. arguitur magnitudo amoris. Cum enim amare ſit velle bonum alicui, conſtat quod quantum eſt ex parte boni ipſius, quod quis vult amato, illum dicitur magis amare, cui maius bonum vult. Cum ergò Deus velit nobis ſummum bonum, conſtat quod nos maximè diligit. Signum autem quod vult nobis ſummum bonum apparuit in hoc, quia vt nos redimeret, dedit vnigenitum filium ſuum, cui non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Cum ergò non ſit maius ſignum charitatis intenſioris quam mors pro amicis, & Chriſtus hoc fecit; merito poteſt de eo dici, quod ipſe tanquam bonus paſtor animam ſuam dedit pro ouibus ſuis. De trib. ſit mentio in hoc verbo, ſcilicet de benignitate noſtri Saluatoris ſeu Creatoris. *Bonus paſtor.* Secundò de pretioſitate redemptionis. *dedit animam ſuam.* Tertiò de benignitate humanæ conditionis. *pro ouibus ſuis.* De primo in quo deſcribitur benignitas noſtri creatoris, dicitur, quod bonus eſt paſtor. Iſta benignitas apparet in multis vt oſtenſum eſt in ſermone præcedenti. Sed maximè relucet in tribus, ſcilicet in bonitate inſtructionis; ſecundò in bonitate gubernationis; tertiò in bonitate educationis. Quantum ad primum dicitur bonus Magiſter; quantum ad ſecundum dicitur bonus Dominus; quantum ad tertium dicitur bonus paſtor.

Genus humanū præ cæteris creaturis diligit Deus.

1. Cor. 9.

Rom. 8.

Propoſit.

I.

De primo, ſcilicet de bonitate inſtructionis dicitur. *Magiſter bone quid boni faciam vt habeam vitā æternam.* Circa quod ſciendum, quod aliter pueri bonos Magiſtros eligunt, aliter adoleſcentes ſeu viri. Pueri namq; dicunt illos bonos Magiſtros, qui eis obtemperant ad voluntatem, non ad vtilitatem, qui permittunt eos otiari, & ludere, & dies deducere in ſolatijs. Sed certè mali Magiſtri tales, quia finaliter ſunt ruina & perditio puerorum in ſenectute. E conuerſo eſt de Magiſtris adoleſcentum qui eligunt tales qui eos corrigant, inſtruant, vacare vel ludere non permittant, ſed ſtudere in moribus & ſcientijs compellāt, vt poſt hoc ſecuri requieſcant. Primus Magiſter ſignificat diabolum qui præeſt vanis hominibus, quibus omnia ad voluntatem & libitum ipſorum concedit, vt poſtea eos in inferno æternaliter fatiget cruciatibus & pœnis. Huius Magiſtri diſcipulus ille fuit qui dixit. *Anima mea, habes multa bona repoſita in annos plurimos.* Sed quid ſequitur. *Stulte hac nocte repetent animam* Luc. 12.

Marc. 10.

tuam à te. Ecce poſt breue otium longus labor. Talis fuit & ille qui ad breue tempus induebatur purpura & biſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, ſed tandem ſepultus eſt in inferno.

Luc. 16.

Secundus Magiſter ſignificat Chriſtum qui docet nos vtilia, & non permittit otiari ad horam, ſed continuè laborare, vt poſtea æternaliter requieſcamus à laboribus. Apocal. 14. *Amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.*

Chriſtus docet triplicem doctrinã.

Docet autem triplicem doctrinam, ſcilicet præceptorum. *Non mœchaberis, non furtum facies, non occides,* & ſic de alijs.

Exod. 20. Matt. 19.

Conſiliorum. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Tertiam ſupererogationum, vt illud *Orate pro inimicis veſtris, benefacite illis qui oderunt vos.* Et illud *Si quis percuſſerit te ad vnam maxillam præbe ei & alteram.* Et illud. *Si quis tollit à te tunicam, da ei & pallium.*

Matth. 5.

O quã facilis doctrina huius Magiſtri & quam vtilis ſcientia, non facere alijs quod ſibimet homo fieri non vult, quod etiam à natura homini videtur in corde inſcriptum. Nihil ergò difficultatis præcipit qui vitare ſolum malum iniungit. Et certè ſi quis conſideret, vtique difficilius eſt hominem occidere quam non occidere, difficilius eſt furari, quam de proprio viuere. Quod ſi quis dicat; etſi præcepta ſunt facilia, conſilia tamen difficilia; quia vendere omnia & dare pauperibus, hoc eſt maximè difficile.

Matt. 19.

Reſpondeo ſecundum Thom. in lib. de perfectione vitæ ſpiritual. c. 7. Quod Dominus non ea ratione dedit hoc conſilium quaſi diuites perfecti eſſe non poſſint aut intrare regnum cœlorum, ſed quia de facili non poſſunt. Sic de Abraham legitur, quod fuerit perfectus, & tamen fuit diues. Geneſ. 17. Similiter & Dauid, Zacheus & alij.

Diues perfectus quis.

Ex quo infero ſecundum Tho. quod conſtat diuitem eſſe perfectum, qui non habet animum diuitijs irretitum, ſed totaliter Deo coniunctum.

Eccl. 31.

Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt. Magnæ enim virtutis diues eſſe oſtenditur & perfecta charitate fixus in Deo, qui ex affectu diuitiarum malitiã peccati non trahit, qui poſt aurum concupiſcendo non vadit, nec in diuitijs confitendo ſe extollit. Sed certè ſecundum ipſum pauci ſunt tales diuites. Nam quantò maior eſt beatitudo & virtus diuitis taliter inſtituti, tantò minor talium eſt numerus. Vnde ſequitur. *Quis eſt hic, & laudabimus eum. Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Verè mirabilia fecit qui diuitijs affluentibus cor non apponit. Et ſi quis eſt talis verè probatur perfectus. Sed attendite quid addit iſte Magiſter in hoc cõſilio. *Si vis,* inquit, *perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes.*

Mercatori tria ſunt conſideranda.

Tria ſunt conſideranda negotiatori, quid, quando & quomodo vendat. Quid, vt merces non membra ſua vendat: illa enim vendunt homines prudentes, quibus carere optimè poſſunt. Nemo vendit autem oculum, manum, pedem &c. ſed domum, agrum, &c. Anima autem melior eſt oculo, manu & omnibus membris etiam glorificatis, vt dicit Auguſtinus. Neſcit ergò negotiari qui venalem animam exponit. Docet ergò perfectus Magiſter, vt vendamus quæcunque habemus, non quod ſumus. Nam quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, ſe autem perdat? Secundò debet ſcire quando vendat, ſcilicet quando plurimum valet, vt tempore nundinarum. Nundinæ noſtræ ſunt tempus præſentis vitæ, in quo vnus ſciphus aquæ frigidæ datus in nomine Chriſti multum valet. *Ecce nunc tempus acceptabile.* ſecundo Corinth. ſexto. Et, Eccleſ. tertio.

2. Cor 6. Eccl. 3.

Tempus vendendi tempus emendi, poſt mortem verò omnia regna mundi nullius ſunt æſtimationis. Tertiò ſcire debet quomodo vendat, vt det vilius & melius recipiat. Stultus mercator qui recipit argenti marcam & dat marcam auri. Peior qui perdit membra in foro. Peſſimus qui animam vendit pro obulo. Heu quanti hodiè per dolos, circumuentiones & fraudes in venditione & emptione perdunt animas pro modico pretio, decipientes ſe mutuo?

Secundo benignitas iſtius Domini apparet in bonitate gubernationis, quia omnia cum manſuetudine & tranquillitate gubernat. *Diſponit omnia ſuauiter.*

Sap. 8.

Vnde.

Vnde Trenorum 3. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eũ.* Et: *Bonus Dominus confortãs in die tribulationis.* Ex quo ergò bonus Dominus, merito ei ſeruiendum potius quã alteri. Nam iuſtum, facile, & vtile perſuadent ſibi eſſe ſeruiendum. Iuſtum, quia nobilis quo nullus dignior: vnde non ſufficit ad hoc Angelus, vt ſeruiat ei homo, multò minus diabolus. *Vide nè feceris, conſeruus enim tuus ſum.* Item facile, quia mãdata eius grauia non ſunt. *Iugum enim meum ſuaue eſt,* Non ſic diabolus, de quo Hier. 16. dicitur. *Seruietis Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Item vtile eſt ſibi ſeruire, quia liberalis & potens, volens plenè remunerare. *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Non ſic diabolus, qui ſeruos ſuos perdit. *Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat.* Iſte eſt Abimelech, qui ſeruos perdit, & perditur cum illis. Iudicum 9.

Nahum. 1 Deo ob plurima ſeruiendum. *Apoc. 19.* *1. Ioan. 5.* *Matt. 11.* *Matt. 25.* *Ioan. 10.*

Tertiò benignitas noſtri creatoris apparet in bonitate educationis, & ob id dicitur de eo, quod eſt bonus paſtor, quia nos paſcit quadruplici alimento. Primum eſt corporalis alimoniæ, quem cibum etiam præſtat irrationabilibus animalibus. Vnde Pſal. *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.* Item. *Qui dat eſcam omni carni.* Sed certè pauci ſunt qui hunc cibum a Deo ſe habere confitentur, dicentes: Si non laborarem, nihil haberem. O ſtultitia! Reſpõde quæſo, quis dedit tibi membra ad laborandum? quis dedit ſapientiam & induſtriam ad inueniendum? quis dat profectum ad conſequendum & perficiendum opus incæptum? nonne Deus? *Ergò quid habes quod non accepiſti? Quod ſi accepiſti, quid glориaris quaſi non acceperis?* Nã nec parẽtes tui tibi relinquere potuiſſent, niſi theſaurizaſſẽt, nec theſaurizaſſent, niſi ſciuiſſent: nec ſciuiſſẽt, niſi a Deo accepiſſet. Ergo a Deo potiꝰ habetur, ꝙ habetur à parentibus, nec fortuna tibi cõferre quicquam poteſt preter Deum; nam cæca eſt proſperitas ſine auxilio diuino, quia ſine illo nihil poſſumus facere. Et quid prodeſt noſtra induſtria ſine Deo, cum omnia etiam quæ toto anno, imò tota vita laboramus & conquirimus, vnius horæ momento ſæpius contingit redigi in fauillam Deo ſolo permittente; quid ſi volente vel præcipiente, & nosipſi in nihilum verteremur? *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.* Secundum alimentum eſt ſpiritualis intelligentiæ. Cibus enim ſpiritualis eſt verbũ Dei, quo anima paſcitur per rectam eius intelligentiam. Vnde Pſalm. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcua ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* Matth. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Ex quibus patet, quod ſæculares & vani ſpernentes auditionem verbi Dei, quantumcunque abundent temporalibus delitijs, famelici ſunt & mortui, quia in ſolo pane corporali volunt viuere, quod eſſe non poteſt. Cũ enim compoſiti ſunt ex corpore & anima, & ſicut corpus viuit pane materiali: ita anima debet nutriri pane ſpirituali verbi Dei, alioquin talis homo non viuit perfectè & plenè, ſed ſempiternè, & per conſequens eſt ſemiuiuus, quia ſolum viuit ſecundum corpus, non autem ſecundum animam, & per conſequens talis homo non eſt homo. Ecce pulchra concluſio, quod non audiens verbum Dei, non eſt homo. Vnde Iſai. 1. *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen verbi ſui, ſicut Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus.* Conſtat autem, quod Sodomitæ peruertentes ordinem naturæ, non merebantur dici homines, nec habitare cum hominibus in terra; ideò ſubmerſi ſunt cum dæmonibus in infernum, vt dicitur Geneſ. 19. Tertium alimentum eſt ſacramentalis Euchariſtiæ, de quo Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Sed attende iſtius cibi magnitudinẽ, quod eſt panis Angelorum. *Panem Angelorum præſtitiſti eis, paratum de cœlo, habentem omne delectamentum & omnem ſaporem ſuauitatis.* Quod dico ideò, vt ſciat ſe debere fore magnum, qui manducaturus eſt hunc panem. Vnde Auguſtino dictum eſt in li. confeſſionum. Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me. Hinc Salomon ait. *Ad menſam magnam ſediſti, ſcito, quia talia oportet te præbere.* O vtinam recordaremur

Chriſtus quadruplici nos paſcit alimento. *1. Corporalis alimonia.* *1. Cor. 4. A Deo omnia proficiſcuntur.* *Thren. 3.* *2 Spiritualis intelligentia.* *3 Sacramentum Euchariſtia.* *Sap. 16.*

mur quid accepimus in hoc ſacramento, vtinam caueremus à recidiuo iſto tempore, nè iudicium manducaremus & biberemus. primo Corinth. vndecimo. Indignè ſumit qui committit ea quæ nouiter accedendo dimiſerat ad tempus. Indignè communicat, qui eijcit tantum Dominum ita recenter hoſpitatum. Hinc Apoſt. clamat ſecundo Corinth ſexto. *Hortamur vos nè inuanum gratiam Dei recipiatis.* Et iterum. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt.* primo Timoth. quarto. Gloſſa. Gratiam Dei inuanum recipit, qui poſt remiſſionem peccatorum in bonis operibus ſe non exercet. Vnde Gregorius dicit, quod gratia vacua eſſe non poteſt in bonis, quia ſemper operatur magna, ſi eſt, & vbi eſt. Si autem operari negligit, gratia non eſt. Quartum alimentum eſt cœleſtis gloriæ, quo non paſcuntur niſi electi in cœlo. Vnde illud Luc. vigeſimo ſecundo. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum vt edatis & bibatis in regno meo.* Et iterum. *Beatus qui manducat panem in regno Dei.* De his paſcuis Ezechielis trigeſimo quarto dicitur. *In paſcuis vberrimis paſcam eos, in montibus excelſis erunt paſcua eorum.* Et tantum de primo principali.

1. Cor 11. Indignè qui ſumant. 2. Cor. 6. 1. Tim. 4. 4 Cœleſtis gloriæ. Ezec. 34.

II.

Dat animam ſuam. Magnus affectus charitatis oſtenditur in tribus primis effectibus benignitatis; ſcilicet quod creator noſter factus eſt nobis bonus magiſter inſtruendo de vita æterna, vt ſciamus ad eam peruenire. Secundò quod factus eſt bonus Dominus in gubernando & regendo, nè contingat nos in aliquo ſub eius regimine deordinari. Tertiò quod factus eſt bonus paſtor in educãdo, nè contingat nos in vita deficere ex defectu nutrimenti & alimenti vtriuſque hominis. Sed certè maximum benignitatis eſt ſignũ quod animam ſuam dignatus eſt ponere pro animabus noſtris, vltra quam charitatem nemo maiorem habet. Iohannis decimo quinto. *In hoc eſt charitas Dei in nobis, quoniam ipſe poſuit animam ſuam pro nobis.*

Pretioſitas redéptionis noſtræ, ex effectibus benignitatis apparet. 1. Ioan. 2.

Tria autem dicuntur hic de eius mirifica & inenarrabili bonitate, quam exhibuit nobis in ſua paſſione. Primò quod paſſio ſua fuit liberalis & gratioſa, vnde dicit: *dat.* Non enim commutauit nobiſcum de ſimili, qui omninò indigni eramus in omnibus & inſufficientes. Roman. octauo. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis.* Nec vendidit pro aliquo pretio. Iob. vigeſimo octauo. *Non dabitur aurum obriſum*, id eſt, fulgidum *pro ea*; nec accommodauit ad tempus, ſed donauit ſe perpetuo, ſoluens pro nobis liberaliter quod tenebamur. Pſalm. *Quæ non rapui tunc exoluebam*, ideò dicit notanter, *dat.* Secundo oſtenditur quod paſſio Chriſti fuit chara & pretioſa, in hoc quod dedit animam, qua nihil pretioſius æſtimari poteſt, etiam ſi totus mundus ad vnius animæ æſtimationem conferatur, vt dicit Saluator Matthæi decimo ſexto. *Quid prodeſt homini &c.* Et: *Nonne anima plus eſt quam eſca?* et ratio, quia omnes aliæ creaturæ ſpecies ſunt aliqualis ſimilitudinis Dei, cum ſint quædam veſtigia ſimilitudinis Dei, ſcilicet valdè remotiſſimè ab eius perfectione diſtantes: anima verò humana eſt ad imaginem Dei facta & ſimilitudinem eius, & per conſequens valdè propinqua perfectioni eius. Quod ſi non eſſet, non diceretur hominibus, *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Matthæi quinto. Cum autem Chriſtus non ſolum fuiſſet homo, ſed etiam Deus, patet, quod anima eius ex coniunctione cum verbo in vna perſona fuit maximæ perfectionis. Hinc de ea dicitur, quod non ad menſuram datus eſt ei ſpiritus, ſicut nobis Ioannis tertio & primo. Vnde, *Vidimus eum plenum gratia & veritate.* Tãtæ ergò perfectionis animam plenam omnibus donis, gratijs, beatitudinibus, fructibus, dotibus, & alijs omnibus copioſiſſimè dotatam, dare pro nobis peccatoribus, nonne excedit omnem noſtram æſtimationem & ſufficientiam. Vnde Hierem. duodecimo dicitur. *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum*; quaſi diceret: recordare quid fecerim pro te. Eccl. vigeſimonono. *Gratiam fideiuſſoris*

Rom. 8. Iob 28. Matth. 6. Matth. 5.

tui ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam. Ex his patet, quod magnæ reputationis debet eſſe apud nos memoria paſſionis Chriſti, qui dedit tam liberaliter animam tam pretioſam, ſuã propriam nõ alienam.

Si autem quęris quid lucriaut quid magni nobis acciderit aut euenerit ex morte & paſſione Chriſti. Reſp. tibi, quod certè maxima neceſſitas fuit, vt Chriſtus poneret animam ſuam pro nobis per paſſionẽ ſuam. Peccatum enim quantum ad præſens quatuor mala confert nobis. Nam primo tollit nobis locum, peruertit motum, corrumpit affectum, & conſtringit per reatum ad pœnam. De primo patet; quia omnis creatura habet locum ſecundum exigentiam & formæ ſuæ debitum, ita vt quantò creatura nobilior, tanto locus ei debetur altior; quod patet in omnibus creaturis. Differunt enim ſpecies creaturarum ab inuicem, ita quod duæ æquales inueniri non poſſunt, vnde patet, quod in cœlo Archangeli ſunt ſuper Angelos, Principatus ſuper Archangelos, poteſtates ſuper Principatus, & ſic de alijs. Et idem patet in corporibus, quia ſuper terram eſt aqua, ſuper aquam aër, ſuper aërem ignis, ſuper ignem cœlum ſtellatum, & ſuper cœlum ſtellatum cœlum criſtallinum, ſupra quod eſt cœlum empireum, quod quia eſt nobiliſſimum, eſt ſuper omne cœlum locatum. Idem patet in rebus elementatis. Nam ſupra ligna eſt metallum, ſuper metalla herbæ, ſupra herbas animalia, & ſupra animalia ſunt homines. Et ſic ſecundum gradum naturæ, homo eſt ſuperior in natura; ideoque omnibus creaturis in primordio creationis rerum eſt præpoſitus, Geneſ. ſecundo, vt præſit piſcibus maris & volucribus cœli; quem tamen gradum amiſerat per peccatum: vnde ſicut in gradu naturæ fuit homo altior ante peccatum; ita inferior factus eſt poſt peccatum, quia peccatum ignobilitat & vilificat animam, ac ponit in ea turpiſſimam formam; propter quod dicit Auguſtinus, peccatorem non eſſe dignum pane quo veſcitur; cuius ratio poteſt eſſe, quia omnis creatura quantumcumque ſit vilis, gerit aliquam ſimilitudinem creatoris ad minus in eſſe; peccatum autem eſt receſſus ab eſſe: Et cum homo peccat, efficitur nihil, propter quod habet diſſimilitudinem potius quam ſimilitudinem. Peccatum autem paſſione Chriſti deletur, vt habetur Apocalip. primo. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo,* quo peccatores lauantur, ſed deleto peccato reſtituitur locus. Vnde ad Hebr. dicitur, quod vna ſacrificatio quicquid erat, deleuit. In ſignum huius, Sancti Patres de limbo educti, perducti ſunt vſque ad cœlum. Ac ſi diceretur, quod per paſſionem Chriſti, in qua Chriſtus dedit animam ſuam, locus humanæ naturæ debitus, ſecundum eius primæuam originem reſtitutus eſt. Et ſic patet, quanta vtilitas fuit dante animam Chriſto pro nobis: eſt que triplex gradus dilectionis proximi. Primus impendere pro ſalute ipſius temporalia, vel ea totaliter vel particulariter adminiſtrando; *Tradidi omnem ſubſtantiam in vſus pauperum.* Secundus, exponere corpus laboribus, fatigationibus, tribulationibus. *Laboraui vſque ad vincula pro veſtra exhortatione.* Tertius ponere animam. *In hoc cognouimus charitatem Dei in nobis, vt ſicut ipſe poſuit animam ſuam pro nobis, ita & nos.* Et hoc in neceſſitate eſt præcepti, extra neceſſitatem verò perfectionis. Anima autẽ hic intelligitur prout viuificat corpus, non prout viuificatur à Deo.

Peccatũ quatuor nobis mala confert. 1. Tollit locum.

Geneſ. 2.

Creaturæ omnis gerit Creatoris ſimilitudinẽ.

Paſſione Chriſti humana natura reſtituta eſt.

Gradus dilectionis proximi triplex.

1. Cor. 13.

1. Tim. 2.

1. Ioan. 3.

Secundò peccatum peruertit motum. Quicunque enim aliquid operatur, intendit aliquem finem, aliter eius operatio nõ perueniret in finem; & quodcuque mouetur, intendit terminum, ad quem debet peruenire, & in ipſo quieſcere. Terminus autem in quo natura rationalis quieſcit, eſt ſolus Deus. Nam appetitus naturalis in nullo bono creato poteſt habere quietem, niſi perueniat ad Deum. Hinc dicit Auguſtinus. Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec reuertamur ad te. Et quia homo locum ſuæ quietis diligit, & illud quod diligit, diligenter inſpicit, iuxta hoc, *Vbi eſt cor tuum, ibi oculus;* ideò natura fecit hominem rectum, & oculos

2. Peccatum peruertit motum.

cūlos poſuit ei in alto, ad reſpiciendū quietis ſuæ terminum. Iuxta illud Ouidij.

Os homini ſublime dedit cœlumq́; videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Sed peccatum peruertit iſtū motum, quia eſt graue, teſtante Dauide. *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*; neque Angelum peccantem cœlum ferre potuit, ſed in infernum demerſit. Nec ſolum aggrauat, ſed etiam momentaneè deprimit. *In puncto ad inferna deſcendunt.* Et: *Videbam ſathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Sed dices: qui ſit Domine, quod hodiè multi peccatores etiam manifeſtiſſimi non deſcendunt in infernum: reſpondeo fieri hoc ob paſſionem Chriſti, in qua poſuit animam ſuam, vt nobis obtineret locum pœnitentiæ. Hinc ipſe dixit; *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quantumcunque ergò peccatum graue ſit, tamen facilitas veniæ hinc apparet, qui ad vnum gemitum dimittitur, vt patet de Publicano Luc. decimo octauo. idque nō niſi per paſſionem Chriſti.

Pſal. 37. *Ioan. 21.* *Luc. 10.*

Tertiò, peccatum corrumpit affectum, quia eſt ſicut humor frigidus & reumaticus, tollens appetitum; ſic peccatoribus nihil ſpirituale ſapit, qui ſi dulcedinem ſpiritualem guſtarent, omnia mundana derelinquerent, teſtante Sancto Auguſtino, dum inquit: Guſtato Spiritu deſipit omnis caro. Chriſtus autem per ſuam paſſionem noſtrum affectum accendit, vt inquit Bernardus. Super omnia te amabilem reddit mihi bone Ieſu, calix paſſionis tuæ, quem pro me bibiſti. Extenſio enim omnium membrorum Chriſti, quibus nos quaſi ad ſe trahere videtur, iſtum denotat affectū; ſicq; patet tertia vtilitas ex eo, quod Chriſtus poſuit animam ſuam pro nobis.

3. Peccatum corrumpit affectum.

Quarto peccatum conſtringit per reatum ad pœnam; hoc enim exigit iuſtitia Dei, vt quicunque peccat, puniatur: Pœna autem penſatur ex culpa; Culpa autem dicitur penſari ex parte eius, in quem peccatur, quia maius peccatum eſt, quando peccatur in bonum infinitum, nempe Deum, cuius præcepta contemnuntur; vnde pœna pro peccato debita erat æterna, quā Chriſtus ſua paſſione nobis abſtulit, & corpore ſuo peccata noſtra tulit ſuper lignum .i. pœnam peccati pertulit in corpore ſuo, vt dicitur in Epiſtola hodierna: nam paſſio Chriſti, in qua Chriſtus poſuit animam ſuam, fuit tantæ virtutis, quod ſuffecit ad expiandum omnia peccata totius mundi, etiamſi eſſent mille mundi. Vnde per hanc eius paſſionem, operantur omnia ſacramenta, quæ à paſſione Chriſti ſumpſerunt virtutem, vt Baptiſmus ablutionem, pœnitentia remiſſionem. Hæc ergò fuit neceſſitas paſſionis Chriſti, quæ cum adeò efficax eſt & vtilis, meritò dicitur, pretioſa & gratioſa.

4. Conſtringit per reatū ad pœnā. *Efficacia paſsionis Chriſti.*

III.

Pro ouibus ſuis; Certè magna dignitas humanæ conditionis eſſe ouem Dei. Pro quo ſciendum, quod ſicut in præſenti vita, ita & in futura ſemper erunt duo Domini & paſtores; itemque duplices ſerui ſeu oues, videlicet Chriſtus & diabolus. Chriſtus autem habet oues ſuas ſignatas, ex quibus cognoſcuntur eſſe ſuæ, ſimulq; diabolus. Veruntamen in hoc eſt differentia, quod ſerui Dei dicuntur oues propter innocētiam, ſerui autem diaboli dicuntur hædi ſeu hirci, propter fœtorem immunditiæ. Et iſte ordo ſicut eſt hic in ſtatu viæ, ſic erit in ſtatu futuræ vitæ; *Statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.* Secundum hoc ergò Chriſtus dicit oues ſuas fideles illos, in quibus operata eſt paſſio ſua effectum ſalutis. Sicut autem videmus quod paſtor bonus diſcernit oues ſuas ab extraneis, aut per colorem, aut per ſignum, aut per vocem: ita Chriſtus fideles ſuos cognoſcit primo per colorem; Color enim ouium Chriſti eſt ſimul mixtus, albus & niger; ſed ouium diaboli eſt aut albus tantum, aut niger. Figura habetur Geneſi trigeſ. vbi oues Iacob erant albæ & nigræ ſimul; Laban debuerunt eſſe nigræ tantum, vel albæ. Color niger tantum ſine albedine ſignificat tantū nigredinem & obſcuritatē conſcientiæ, nullam habentem virtutis puritatem, vt eſt omninò in malis, de quibus dicitur. *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorū.* Color albus tātum ſignificat hypocriſim ſuperficialem illorum, qui ſunt velut ſepulchra dealbata, intus

Matt. 25. *Triplici differentia paſtor bonus diſtinguit oues ſuas ab extraneis.* *1. Per colorem.* *Rom. 1.*

ir tus autem fœtida; Matth. vigeſimo tertio & hic eſt color hædorum diaboli. Color autem ouium Chriſti eſt ſimul mixtus; albus per interiorem puritatem innocentiæ, & niger per exteriorem humilitatem conuerſationis patientiæ; de quo dicitur; *Nigra ſum, ſed formoſa.*
Cant. 1. Ecce ſimul nigra anima per humilitatem exterioris conuerſationis; Sed formoſa per puritatem innocentiæ interioris affectionis & rectæ intentionis. Secundo diſcernit Chriſtus oues ſuas per
2. Per ſignum. ſignum, quod eſt charitatis: de quo Epheſios primo. *Signati eſtis ſpiritu promiſ-*
Epheſ. 1. *ſionis Dei.* Iſtud eſt ſignum, quo poſtes domus in ſuperliminari, ſignari præcipiuntur, Exod. duodecimo, & Ezech. nono; quod ſi quis non habuerit, peribit à vaſtāte Angelo, quia qui charitatem non habet, fruſtra quærit alijs placere Deo. primo
1. Cor. 13. Corinth. decimo tertio. *Si linguis hominum loquar, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Dicunt autem Doctores, quod etiam Deus in electis habet certum ſignum ſuæ prædeſtinationis, quo ſignauit eos, iuxta illud Apocal. *Nouit Deus qui ſunt eius*, in tantumque, ſiue homo peccat, ſiue ſit in gratia, ſemper illud ſignum manet in eo, in illum finem & effectum, vt terreantur inimici eius, & accedant amici. Quale autem ſit illud ſignum, quod eſt impreſſum talibus, dicit Gloſſa, quod menti talium eſt impreſſum quoddam inſignium, amicis vt accedant, inimicis autem vt territi fugiant, & hoc etiam fit dum ſunt mali; vnde *Scit Deus qui*
2. Tim. 2. *ſunt eius*, ſecundo Timoth. ſecundo, id eſt, amat & defendit prædeſtinatos ſuos, etiam dum ſunt mali. Et nota per hoc, quod eos continuè munit, apparet hoſtibus & amicis, quod ipſi ſunt ſignaculum Dei inter prædeſtinatos. Habent etiam prædeſtinati dum ſunt mali, quendam caracterem, quo diſtinguuntur à damnandis: vnde ex tribu Iuda, duodecim millia ſignati. Tertiò Chriſtus cognoſcit 3. Per vocem.
oues ſuas per vocem; vox enim ouium Chriſti eſt blanda, dulcis & humilis. Nam electi Dei etſi omnia manſuetè faciunt, maximè tamen in verbis dulces ſunt, iuxta illud Eccleſiaſtic. quadrageſimo quinto; *In verbis ſuis monſtra placauit.* Eccl. 45.
Quod tunc fit, quando electi Dei etiam Tyrannos mundi dulcedine verborum comprehendunt; vnde eis dictum eſt à Chriſto; *Dabo vobis os & ſapientiam,* Luc. 21.
cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri. Luc. vigeſimo primo. Contra autem oues diaboli loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum, & verca oris eius iniquitas & dolus. Tales enim publicè bonos infamant, occultè detrahunt, & vbi poſſunt perſequuntur. De quibus in Pſalmis. *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſum filium matris tuæ ponebas ſcandalum.* Quiſquis ergo habet colorem album per interiorem puritatem, nigrum per exterioris conuerſationis humilitatem, ſignum charitatis per deuotionem ad Dominum, affectionem & vocis dulcedinem per pietatis allocutionem, verè hic eſt ouis, pro quo Chriſtus poſuit animam ſuam, vt ſic eam per gratiam hic ſibi eligeret, & in futuro ad dextram in gloria circa ſe ſtatuat.

Quod nobis præſtare dignetur, Pater, & Filius, & Spiritus
S. Amen.

* *
*

DOMI-

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

SERMO I.

Mundus gaudebit & vos contriſtabimini, ſed triſtitia vertitur in gaudium. Ioan. 16.

SI non eſſet alia conſolatio electorum Dei in hac vita ad tribulationes & miſeria huius mundi, æquanimiter perferendas & tolerandas; ſatis poſſet ſufficere præſentis Euangelij illa Chriſti animatio, qua confortando ſuos, & mundi tranſitoriam momentaneamque voluptatem, & perpetuam, ac in æternum manſuram iucunditatem omnibus ſuis præparatam prædicit. Quorum vtrumq; in verbis præpoſitis hic exprimit; *Quia mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Et gaudium vtique tale, quod nemo tollet à vobis. Vnde Auguſtinus tractans illud: *Mundus tranſit & concupiſcentia eius.* dicit, Quid vis? verum amare temporalia, & tranſire cum tempore, an Chriſtum amare & in æternum viuere? Ex quibus patere poteſt differentia inter filios ſæculi & filios Dei; quia filij ſæculi amant gaudia tranſitoria, filij autem Dei gaudia æterna. Filij ſeculi amant aſperitatem veram, iucunditatem falſam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeria, ſpem beatitudinis inanem. E contra verò electi Dei, & filij eius ſpiritui ſancto adoptati, etſi habent triſtitiam corporis, tamen lætitiam retinent mentis. Gaudium enim eorum eſt non de creatura; ſed creatore; cui comparata aliunde omnis iucunditas mœror eſt, omniſq; ſuauitas dolor. Omne dulce amarum; omne decorum fœdum, omne quod delectare poteſt moleſtum. Ecce quanta differentia inter filios ſeculi & Dei. Eſt inſuper & alia; quia finaliter filij ſeculi in ſe mœrores inuenient, qui derelicto creatore, gaudium in ſe quærebant. Hinc Seneca tale gaudium vocat potius nuntium futuræ triſtitiæ. Econtra verò electi Dei, qui pro creatore ſuo ſæculi miſerias, perturbationes, & calamitates ſuſtinuerunt, finaliter illuc perducentur, vbi erit ſemper ſumma ſecuritas, ſumma fœlicitas, fœlix libertas, fœlix beatitudo, & vbi erunt homines Angelis ſimiles. Hanc autem differentiam Saluator innuens in verbis thematis dicit: *Mundus gaudebit*, ſcilicet ad tempus, vt poſtmodum lugeat, *vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* In quibus verbis tria tanguntur. Primo filiorum huius ſæculi momentanea vanitas, cum dicit: *Mundus gaudebit.* Secundo electorum Dei meritoria pœnalitas, cum dicitur, *vos autem contriſtabimini.* Tertio deſcribitur eorum præmiatoria fœlicitas, cum dicitur, *ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*

Aug. hom. ſup. epiſt. Ioan.

Differentia inter filios Dei & ſæculi.

Senec. epiſt. 63.

Auguſt. lib de vtil pænit.

Propoſit.

I.

Mundus gaudebit. Sciendum quod ſæculares & mundani gaudent diuerſimodè; quidam enim gaudent in vanitate mundi, quidam verò in voluptate peccati; primũ gaudium eſt periculoſum & vanum. Secundum pernicioſum & veſanum. Primũ gaudium oſtendunt eſſe vanum quatuor, ſcilicet falſitas caſus, ignorantia ſtatus, cauſę gaudij tranſitus, & multiplicitas reatus. De primo, iſtud gaudium oſtendit falſitas caſus, quia qui timet non gaudet, vt qui videt domum proximi comburi; ſic autem eſt de mundo, quem Deus exigentibus ſuis peccatis continue paratus eſt deſtruere, iuxta i Iud. *Quos plantaui ego euello.* Iſtud pater de Lucifero, Adam, Iuda, & vniuerſa terra, quæ periit diluuio: quomodo ergo tu quæris tibi gaudia? Ex quo infero quod hoc

Sæculares & mundani gaudent diuerſimodè.

Gaudiũ prius vanum probant quatuor.

Ierem. 45.

hoc probat vanitatem gaudij, quia gaudemus in ſtatu in quo poſſumus dānari.
2. Secundo probat iſtam vanitatem, ignorantia ſtatus. Merito dolet & non gaudet viator, qui dubitat de rectitudine viæ. *Nemo autē*
Eccl.9. *ſcit an amore vel odio dignus ſcit.* Et: *quale*
Thob.5. *mihi gaudium eſt qui in tenebris ſedeo?*
3. Tertio iſtud gaudium probant eſſe vanum, cauſæ huiuſmodi gaudij tranſitus. Sicut enim videmus quod plus dolet quem gaudet pater videns filium hodie naſci & cras mori; ſic & mundus tranſit, & concupiſ-
Iob.20. centia eius, de quo gaudemus. *Gaudium*
4. *hypocritæ ad inſtar puncti* Quarto, gaudium iſtud probat eſſe vanum multiplicitas reatus. Vanè enim expendit ſuperflua, qui obligatur ad multa: In multis autem offendimus omnes, quod emendare tenemur; luctu non gaudio: ideo vanè gaudemus. Vnde Iſaiæ. 22. *Vocauit nos Dominus ad fletum & ad planctum.*

De ſecundo gaudio, ſi quid eſt in voluptate de quo gaudent inſani, dicitur:
Eccl.19. *Qui in iniquitate gaudet denotabitur*, id eſt, de nota libri vitæ delebitur, quod
Poſterius gaudium veſanum eſſe quatuor oſtendunt. oſtendunt quatuor: ſcilicet, Efficiens, Materia, Forma, & finis. Aliquando enim iudicatur res vituperabilis ratione efficientis; vt dona iniquorum. Aliquando ratione materiæ vt nummus plumbeus. Aliquando ratione formæ, vt homo monſtruoſus. Aliquando ratione finis, vt Syrenarum cantus. Sic gau-
1. dium peccatorum, ſecundum quamlibet ſui cauſam vituperabile & inſanum eſt, & primo ratione efficientis. Si laborans ad mortem rideret vel gauderet, reputatur inſanus, & phræneticus: peccans mortaliter, laborat ad mortem animæ;
Eccl.2. ideo, *Riſum reputaui amentiam, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis*, Et verè decipitur per ignorantiam ſtatus, quia ſi aduerteret peccati maculam; offenſam & pœ-
Luca.19. nam fleret, ſecundum illud: *Quia ſi ſcires*
2. *& tu*, ſubaudi fleres. Secundo iſtud gaudium eſt inſanum ratione materiæ. Fatuus reputaretur, qui ignem ad ſe comburendum & laqueum ad ſe ſuſpendendum, vel gladium ad ſe interficiendum faceret ſcienter & gaudenter: quod facit qui gau-
Prou.15. det de peccato; ideo, *Gaudium eſt ſtulto facere ſtultitiam*; Hi ſunt qui cum malè fecerint, exultant in rebus peſſimis. Tertio ratione formæ; fatua eſſet mulier, quæ co- 3.
ram viro ſuo oſtenderet ſigna impudicitiæ ſuæ, ſicut fatui ſunt, qui in choreis, commeſſationibus, ludis, & huiuſmodi gaudent; quia in hoc culpam ſuam Deo & hominibus manifeſtant, ſimiles illis qui dixerunt, *venite & fruamur bonis*. Et: *Inge-* Sap. 2.
muerunt qui lætabantur corde, ceſſauit gau- Iſa.24.
dium tympanorum; ideo dicitur: *Tempus* 1. Cor. 7.
breue eſt, reliquum eſt, vt qui gaudent, ſint, tanquam non gaudentes; Quarto iſtud gau- 4.
dium eſt inſanum ratione finis. Piſcis ſumens cibum cum hamo, Auis granum in laqueo, fatuè gaudet, quia ex hoc ſtatim ſequitur dolor mortis; & finis gaudentium in peccato eſt malus, quia Iob. 21 dicitur *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonum Organi, ſed in puncto ad infernum deſcendunt.* Scabioſus dum fricat gaudet, ſed illa fricatio vertitur ei in perniciem & in anguſtiam: ſic huiuſmodi gaudium. *Riſus enim dolore miſcebitur, &* Prou. 14.
extrema gaudij luctus occupat; ideo peccatoribus gaudentibus dicitur: *Miſeri nunc*
lugete & vlulate. Et per hoc patet pri- Iacob. 4.
mum membrum noſtri thematis, quod oſtendit huius ſæculi momētaneam & fatuam vanitatem?

II.

Vos autem contriſtabimini. Per hoc verbum ſecundum Doctores Chriſtus voluit ſignificare miſeriam huius mundi, quam debuerunt pati diſcipuli ſui & omnes electi, & per quam debuerunt mereri paradiſi gloriam. Verum quia miſerię præſentis ſeculi communes ſunt omnibus electis Dei, vltra quas Apoſtoli ſpecialiter debuerunt alias pati; ideo ipſi erant ſpecialiter contriſtati pro Chriſto. Erat autē triplex cauſa contriſtationis eorum. Primo abſentia Chriſti cuius præſentia erat eis toto mundo dilectiſſima, iuxta illud: *Ad quem ibimus verba vitæ æternæ habes.* Secunda cauſa fuit odium mundi; totus enim mundus odio habuit Apoſtolos, quod fuit tædioſum & triſtabile. Vnde Saluator eis prædixerat. *Eritis odio omnibus hominibus propter* *Apoſtolorum contriſtationis triplex cauſa.* Ioan.6.

nomen

nomen meum. Tertia cauſa fuit ſæuitia diaboli qui Tyrannos commouit cõtra Apoſtolos, vt perſequerentur eos verbis & factis; infamia & in rebus & in corporibus; ita vt omnis qui occiderit eos; arbitrarentur obſequium ſe præſtare Deo. Iſta triplex triſtitia figurauit triſtitiam omnium Electorum Dei in vita præſenti, quia ex his tribus habent cauſam triſtitiæ. Et primo ex abſentia Christi, quod tunc fit, quando Deus ad tempus ſubtrahit ſuis gratiam vt videantur electi quaſi obliti à Deo, Vnde Pſalm. *Obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ.* Sunt autem ſubtractionis huius cauſæ multiplices, inter quas præcipua eſt ſuperbia: interdum enim ſubtrahitur gratia, vt eam affectuoſius quærant: interdum vt aliquando inuentam melius & diligentius ſeruent: interdum autem ne negligentes fiant interdum quibuſdam propter eorum ſuperbiam. Sicut enim gratia promeretur ex humilitate vt dicit Bernardus, iuxta illud: *Humilibus dat gratiam:* ita ſubtrahitur propter ſuperbiam ad eum finem, vt poſtea tales ſciant quo modo Deo ſeruiendũ ſit cũ timore, & exultandũ cum tremore. Interdũ magnæ triſtitiæ cauſa, qa ſecundum Bernard. Sicut aduentus gratiæ cauſa eſt omnium bonorum, eo ꝙ quanto cito aduenit cor durum & lapideum facit molle & ſanum: Incipit quoque euellere, deſtruere, ædificare, & plantare, rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflammare, necnon mutare praua in directa, & aſpera in vias planas: Ita è conuerſo abſentia gratiæ eſt cauſa omnium malorum, eo quod ſtatim torpet cor & languere incipit, ac ſi cacabo bullienti ſubtraheretur ignis. Et ex hoc neceſſe eſt triſtari animam; vt dicit Bernardus, tamdiu, donec iterum reuertatur, & ſolito recaleſcat cor. Valdè ergo timendum eſt homini, imo grauiter contriſtandum de eo, quod gratia ſibi interdum ſubtrahitur, cum tunc relinquit eum cuſtodia ſua, nec dubitet in cauſa eſſe ſuperbiam, etiamſi non appareat, etiamſi nihil tibi conſcius ſis; quod enim tu neſcis ſcit Deus, quamque non ſemper propter ſuperbiam quæ iam eſt, ſed quæ futura eſt vt ſubtrahatur, ſicut patet de Paulo. 1. Cor. 15. Siue ergo iam exiſtens ſiue nondum, ſemper ſuperbia eſt in cauſa, inquit Bern. vbi ſupra ſerm. 55. Et ideo dicit ibidẽ ꝙ nihil ita eſt efficax ad gratiã promerendã; retinendã & recuperandã, quã ſi omnino corã Deo inueniaris non alte ſapere ſed timere; quia *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Et iterum. *qui timet Deum nihil negligit*, Secunda cauſa triſtitiæ electorum Dei in hac vita eſt odiũ ſecularium: ſed certe non debet eſſe triſtitia electis, ꝙ odiuntur à ſecularibus; nã quid magni eſt odiũ ab eo qui ſe etiã odit? talis autẽ eſt mundus qui ſanctos odit, qui etiã ſeipſum odit. Qui enim diligit iniquitatẽ, odit animã ſuam; & qui ſibi nequã cui bonus? Imo multũ debet eſſe delectabile bonis, quod odiuntur potius quam diligantur à ſecularibus, quia eorũ amor non eſt niſi inimicitia Dei. *Qui voluerit eſſe amicus mundi, inimicus conſtituitur Dei.* Quid ergo magni ſi bonos odit mundus, qui & Deum odit. *Odio habuerũt me gratis.* Hinc Ioannes dicit. *Nolite mirari ſi odit vos mundus.* Et certe non mirandũ, quia opera mundi ſunt operibus electorũ contraria ad inuicẽ, quę nullo modo conuenire poſſunt. Vnde Chriſtus arguit dicens: *Non poteſt vos*, inquit, *odiſſe mundus, quoniam teſtimoniũ perhibeo de ipſo, quoniã eius opera mala ſunt.* Hinc dicitur Sap. 2. in perſona reproborũ dicentiũ contra iuſtũ virum. *Grauis eſt nobis ad videndum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris.*

Eſt tamen vtique ſatis mirandũ ꝙ mũdus odit electos Dei & probos homines: nõ habens gratitudinem ad eorum beneficia, quoniam ipſi doctrina ſua illuminant mundum. Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra.* Et ibidem. *Vos eſtis lux mundi.* Verè magna ingratitudo extinguere lucernam in medio noctis. Sic odire ſanctos & maximè prædicatores illuminantes verbo veritatis. Secundo ipſi ſunt qui diſciplina caſtigant mundum, quia per eos iudicatur mundus. 1. Cor. 6. *Et ſi in vobis iudicatur mundus.* Hoc autem iudicium eſt magnæ pietatis, quia tendit ad commendationem. Cum enim iudicamur à Domino corripimur, vt non cũ hoc mundo

Ioan. 16. *Fuit figura triſtitiæ Electorum Dei.* *Bern. ſer. 55. ſuper Cant.* *ſerm. 74. ſup. Cant.* *Iacob. 4.* *Ioan. 15.* *1. Ioan. 5.* *Mundus electos odit & quare.*

mundo damnemur. Et ideo magna ingratitudo eſt odire tales iudices caſtigantes & diſciplinantes malitiam noſtram, quod eſt ſignũ ſolius reprobi hominis, iuxta illud: *Peccator vitabit correptionem.* Imo eſt ſignum hominis deſperati, quia ſcriptum eſt *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnet*, ſcilicet correptionem. Tertio ipſi oratione iuuant mundum. Vnde in Pſalm. *Dixit vt diſperderet eos*, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione &c. Hinc Pſalmiſta: *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.* Quarto ipſi mundum ſua cohabitatione

Geneſ. 18. conſeruant. *Non delebo mundum propter quadraginta iuſtos.* Et certè quicquid Deus mundo facit in beneficijs & donis fortunę & gratiæ, omnia dat propter bonos. Matt. 5. *Pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Prius dicit *ſuper iuſtos*, quia propter merita ipſorum etiam malis pluit, qui de ſe non merentur, quia vt dicit Auguſtinus Peccator inquãtum talis, non eſt dignus pane quo veſcitur. Quinto ipſi mundum prouidentia ſuſtentant, ſicut Ioſeph totum AEgyptum prouidentia per ſeptem annos tempore famis ſuſtentabat, vnde & ſaluator dictus eſt à populo AEgypti. De quo Pſalm. *Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Pudeat Chriſtianos principes deteriores eſſe Pharaone gentili rege, qui & ſi malus in alijs, tamen in hoc bonus fuit, quod bonum & ſanctum virum ſibi in conſilio aſſumpſit, cuius conſilio & prudẽtia rempublicam gubernaret.

Tertia cauſa electorum Dei eſt in hoc mundo, quod non ſolum deſpiciuntur in animo à ſęcularibus, ſed etiam perſequuntur verbo & facto ab eiſdem, iuxta illud: *Perſequimini de ciuitate in ciuitatem.* Et A-

2.Tim.3. poſtolus. *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur*, id eſt, qui religioſè & ſanctè volunt viuere in Chriſto. Sed certe non debet eſſe magna triſtitia ex hoc quod perſequuntur à mundo, cum Chriſtus magiſter & Dominus perſe-

Ioan. 15. cutus eſt ab eo. *Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Et etiam cum omnes ſancti, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles, Iudith. 8. Sed quid ex tali perſecutione ſequitur? *Beati qui per-* Matth. 5. *ſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Si beati qui patiuntur, igitur maledicti qui eã inferunt: non eſt ergo triſtãdum de pœnalitatibus huius mundi, ſed in Domino cõfidendum qui de omnibus tribulationibus liberabit electos, iuxta illud. *Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* Hic patet quare Deus permittit hic malos proſperari & gaudere, bonos autem contriſtari, videtur enim hoc quaſi iniuſtum. Ad quod reſpondeo ſecundum Hugonem ſuper illud Eccl. 3. *Vidi ſub ſole iniquitatem loco iudicij*, quod ſemper apud Deum malitia habet pœnam ſuam, & virtus pręmium; pœna tamen culpæ nunc eſt occulta, poſtea autem erit manifeſta. Et ideo iuſtum eſt iudicium Dei, & ipſe iuſtus Iudex. Iob. 34. *Deus non condemnabit fruſtra, nec omnipotens ſubuertet iudicium.* De quo Greg. dicit. Quod temporalia non e- Greg.lib. 24.mora. ueniunt bonis, non eſt inconueniens; hoc enim eſt ne longa fœlicitate luxurient. De hoc etiam Auguſtinus lib. primo de ciuit. Dei. cap 9. quærit, cur diuina miſericordia ad impios ingratoſque perueniat. Et ſoluit dicens: placuit diuinæ prouidentiæ impoſterum bona dare iuſtis quibus non fruentur iniuſti, & mala impijs quibus non cruciabuntur iuſti & boni. Iſta verò temporalia voluit vtriſque eſſe communia. Non eſt ergo contrarium diuinæ iuſtitiæ quod mali proſperantur hic & lætantur, vt in futuro perpetuo triſtentur. Et econuerſo boni nunc triſtantur, vt in futuro perpetuo lætentur. Vnde iuſtiſſimè permittit hic bonos tribulari, vt exerceantur & purgentur, & purgati glorificẽtur *In igne enim proba-* Eccl. 2. *tur aurum, & homines acceptabiles in camino tribulationis.* Et Sap 3 *Tentauit Deus illos & inuenit eos dignos ſe.* Et tantum de ſecundo.

III.

Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Sciendum eſt, quod licet indubitanter triſtitia præſentis vitæ conuertetur electis in maximum gaudium in vita futura, tamen etiam ipſi electi habent maximum gaudiũ hic in ſpe, expectantes illud gaudium in re. Et ideo ſicut reprobi hic habent duplex gau-

Impij & Sancti duplex hic habẽt gaudium.

gaudium, ſcilicet vanum & periculoſum, & inſanum & pernitioſum, vt dictum eſt in primo membro: ita ſancti habent duplex gaudium, videlicet vnum verum & gratioſum, aliud verum & glorioſum, & ſic triſtitia eorum vertetur in duplex gaudium. Primum ergo gaudium habent iuſti etiam dum ſunt in hac vita gratioſum & verum, quod conſiſtit in voluntate boni: *Gaudium eſt iuſto facere iudicium, & pauor eſt operantibus iniquitatem.* Gaudent ſiquidem boni de beneficijs Dei, de ædificatione proximi, de ſanctitate ſtatus proprij, & de aduerſitatibus mundi; ſed maximè de aduerſitatibus mundi, quia eas ſciunt eſſe vtiles; vnde gaudet iuſtus de aduerſitate, ſicut mercator de mercimonijs lucroſis, *Beati eritis cum maledixerint vobis homines. Gaudete in illa die & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Item gaudet ſicut debitor in debitis acquirendis. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Item ſicut miles probus in torneamentis, quia ibi probatur & acquirit gloriam: ſic homo patiens in aduerſis. *Omne gaudium exiſtimate cum in varias tribulationes incideritis.* Ecce gaudium præſentis vitæ. Secundum gaudium habent iuſti in ſpe futuræ gloriæ. De quo Matth. 15. *Euge ſerue bone & fidelis, &c. Intra in gaudium Domini tui.* Primo hoc gaudium glorioſum oſtendit aſpectus gratiſſimæ pulchritudinis. Si enim delectabile eſt oculis videre ſolem ſiue creaturarum pulchritudinem, quanto delectabilius erit videre pulchritudinem creatoris? Ideo Pſalmiſta dicit. *Lætificabis eos in gaudio cum vultu tuo.*

Prou. 21.

Matth. 5.

Act. 5.

Iacob 1.

Secundo oſtendit hoc gaudium amplexus Dei & amplexus ſummæ dulcedinis. Si enim amplexus ſponſi delectat ſponſam, quanto plus amplexus Dei qui eſt ſplendor lucis æternæ delectabit animam? Ideo Apoc. 19. dicitur *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni & vxor eius præparauit ſe.* Fœlix anima quæ poteſt dicere *Leua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Tertio oſtendit hoc gaudium expulſus omnis inquietudinis. Iſaiæ. 61. *Gaudens gaudebo in Domino.* Si gaudet qui de vno ſtulto ſe liberat, quãto magis qui de omnibus ſtultis & ſtultitijs liberabitur. Ideo dicitur. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus, quia abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apoc. 21. Quarto oſtendit hoc gaudium maximum obtentus æternus dictę beatitudinis. Si quis gaudet quod tamen non durat niſi per dimidiam diem, quantum gaudebit de conuiuio æterno. Vnde in Euangelio. *Iterum videbo vos & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Hoc eſt plenum gaudium. Ioan. 16 *Petite & accipietis; vt gaudium veſtrum plenum ſit.* Fœlix ergo triſtitia in labore præſentis vitæ & pęnitentiæ, quę in illud gaudium conuertetur. Hoc gaudium merito appetendum eſt vbi vis rationalis videbit primam pulchritudinem; concupiſcibilis amplexabitur ſummam dulcedinem; iraſcibilis tenebit omnimodam quietudinem, & totus homo æternam beatitudinem. Ad quam nos perducat &c.

Iſaiæ. 35.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

SERMO II.

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ioan: 16.

DICIT Rabanus ſuper illud Matth: 22. *Multi ſunt vocati &c.* Ad fidem plures veniunt; ſed ad cœleſte regnum pauci perducuntur. Omnes enim canonici vocantur ad electionem, ſed vnus eligitur. Vnde, *multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Hæc Rabanus. Cuius dicti ratio poteſt eſſe, quia licet multi ſint fideles nomine, pauci tamen re. Illi enim tantum ſunt fideles re & nomine, qui ita ambulant in fide ſicut Chriſtus ambulauit, iuxta illud. 1. Ioannis. 2. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ipſe ambulauit, ambulare.* Chriſtus autem toto vitæ ſuæ tempore non niſi in tribulationibus miſerijs & defectibus huius mundi patienter vixit, idem voluit perpeti ſuos fideles, iuxta illud: *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam &c.* Crux autem ibi intelligitur mortificatio carnis à deſiderijs mundanis. Vnde dicit Auguſtinus in quodam ſermone. Nullus ſeruus Chriſti ſine tribulatione eſt; cum putas te non habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Talibus ergo & non alijs qui hic tribulantur & triſtantur, triſtitia vertitur in gaudium, planctus in iubilum, & dolor temporalis in lætitiam ſempiternam. Hi enim ſoli ſunt electi ad præmium æternum quibus hic dicitur per Chriſtum. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* In quibus verbis deſcribitur diuina conſolatio qua cunctos fideles confortando exhilarat. Circa quod tria ponit. Primo præſentis vitæ acerbam miſeriam, quia *triſtitia veſtra.* Secundo huius miſeriæ breuem perſiſtentiam, quia *vertetur.* Tertio cœleſtis patriæ perennem lætitiam, quia *in gaudium quod nemo tollet à vobis.* Per primũ ſolidãtur in fide, per ſecũdũ in ſpe eleuantur, per tertium charitate firmantur.

Propoſit.

I.

Dixi quod ponitur præſentis vitæ acerba miſeria, quia *triſtitia veſtra.* per quod ſolidantur in fide. Vnde dicit Iacob. *Omne gaudium exiſtimate fratres cum in varias tẽtationes incideritis.* Et ſequitur. *ſcientes quia probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Et 1. Petr. 1. *Nunc oportet contriſtari in varijs tribulationibus, vt probatio fidei veſtræ multo pretioſior ſit auro quod per ignem probatur.* Gloſſ. ordi. Non eueniunt nobis tribulationes ad malũ, ſed ideo vt probatio, id eſt, vos probari fideles in camino tribulationũ decocti, omni rubigine vetuſtatis careatis. Notanter autẽ comparat patientiam fideliũ auro, primo quia ſicut in metallis nihil eſt auro prætioſius, ita hæc apud Deum eſt omni laude digniſſima, cũ in patientia animas noſtras poſſidebimus. Sicut enim aurum in fornace examinatum & probatũ cuius ſit fulgoris apparebit: ita fideliũ cõſtantia inter preſſuras videtur contemptibilis, ſed finito certamine in iudicio quantæ ſit gloriæ apparebit. Secundo patientia fidelium comparatur auro propter firmã conſtantiam. Nam ſecundum Auguſtinũ ſuper Pſalm. 60. Sicut in fornace ardet palea & in cinerem vertitur, & ſic per conueniens annihilatur: ita aurum purgatur & à ſordibus exuitur. Sic eſt de malis & iuſtis, quia mali in tribulationibus murmurãt & cadunt per impatientiam, iuſti aũt fortiter ſtant. Propter quod de iuſtis dicitur: *Tanquam aurum in fornace, &c.* Ex quibus ego infero ꝙ ſicut ſignũ firmæ fidei in Chriſtiano eſt conſtans patientia tribulationũ; ita ſignũ imperfectæ fidei & debilis eſt impatientia earũdem. De primo patet Sap. 3. vbi dicitur. *Tamquã aurũ in fornace probauit illos & quaſi holocauſti hoſtiã recepit illos.* Vbi dicit Robertus holcoth quod pœna iuſto-

Iacob. 1.

Tribulationes cur nobis eueniant.

Patientia fidelium auro comparatur.

Luca. 21.

Sap. 3.

iuſtorum eſt vehemens argumentum ſeu teſtimonium diuinæ acceptionis & dilectionis, & hoc eſt intelligendũ quando ex charitate & pro ſuo amore ſuſtinetur ſecũdũ Robertũ, quod dico propter hæreticos & ſciſmaticos, qui diabolo inſtigãte ardẽtiſſimè vadunt ad ignẽ vel tormenta. Sed certè nihil eis proficit pœna ad premium, ſed potius incipit ad perpetuũ ſupplicium. Dicit enim Auguſtinus in li. de fide ad Petrũ, quod talibus nihil prodeſt etiam mors pro Chriſti nomine ſuſcepta. Cuius ratio eſt, quia non ex charitate, ſed ex vanitate gloriæ humanæ patiuntur. Et vide quia Salomon comparat patientiã iuſtorũ nõ ſolum auro, ſed etiam holocauſti hoſtiã vocat eam. Pro quo ſciẽdum quod holocauſtũ erat præcipuũ inter ſacrificia quæ Deo offerebantur, & fiebat de armentis & pecudibus & auibus, & de iſto nihil habebat ſacerdos qui obtulit pro parte ſua, ſed totum cremabatur Deo. Et ideo dicebatur holocauſtum, ab olon quod eſt totum, & cauma incendium, quaſi totum incendium. Vnde licet ſacerdos in alijs ſacrificijs aliquando ſibi recipiebat partem, aliquando dabat offerenti, tamen in holocauſto non, licet ſecundum legem potuit ſibi ſacerdos pellem vendicare. Sic eſt de Martyribus, qui patiuntur tribulationes quod totaliter Deo ſunt immolati & accepti, licet mundus detraxerit eis pellem, id eſt, gratiam ſecularem. De ſecundo ſcilicet de impatientia fidelium dicitur Hiere. 6. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos.* O quam fœlix erit qui poſſit dicere illud Pſalm. *Argentum igne examinatum, probatum terræ,* id eſt, a terra, nihil habens terrenæ vanitatis, ſed purgatum igne charitatis ſeptuplum, id eſt, à ſeptem capitalibus peccatis quæ ſunt radices vniuerſæ iniquitatis.

Holocauſtum vnde dicatur & quid.

Electos cur Deus triſtari permittit.

Quare autem Deus permittit ſuos hic triſtari & tribulari, plures poſſunt aſſignari rationes. Prima eſt propter legis diuinæ ordinationem ab antiquo ſtatutam. Nam ſtatuit Deus per multas tribulationes ſan-
1. ctos intrare in regnum cœlorum. Vnde ſicut commune eſt præmium omnium electorum in cœlo, quia vnus denarius diurnus, ita voluit eſſe commune pondus diei & æſtus tribulationis. Ideo non murmurant ibi laboratores præcedentes contra patremfamilias quod plura vel maiora pondera, ſed quod eadem, diutius tamen quam ſequentes portauerunt. Hinc dicit Gloſſ. ordi. ſuper illud 1 Petr. 3. *Nolite peregrinari in feruore,* quia antiquum & frequens eſt electos Dei pro ſalute æterna in præſenti aduerſa pati. Hæc gloſſa. Quod patet incipiendo ab Abel iuſto, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſe, & alijs Patribus veteris teſtamenti, qui per tribulationes probati amici Dei facti ſunt, vt habetur Iu-
dith. 8. & Hebr. 11. Secundo fit hoc ad di- 2.
ſtinctionem electorum à reprobis, quia tribulationes ſunt euidentia ſigna dilectionis diuinæ. Hebr. 11. *Quis eſt filius quem non corripit pater?* Et econuerſo euidentiſſimum ſignum reprobationis eſt continua proſperitas. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in*
puncto ad inferna deſcendunt. Tertio fit ad 3.
terrorem malorum. Vnde dicit gloſſ. ſuper illud. 1. Petr. 4. *Tempus eſt vt iudicium incipiat à domo Dei.* Si autem primum à nobis, quis finis illorum qui non credunt Euangelio? Interlinearis, ſi primum fit hic iudicium à nobis, ſi hic cruciat quos amat, ſi flagellat filios, quid ſperare debent ſerui nequiſſimi? Et gloſſa ordi. dicit. Si tanta eſt fragilitas mortalis vitæ, vt nec iuſti quidem qui in cœlo ſunt hanc ſine tribulationibus propter innumeram vitiatæ naturæ labem tranſeant, quanto magis hi qui à cœleſti gratia ſunt alieni, certum damnationis ſuæ exitũ expectant? Hinc Gre 3. li. moral. quærit. Quid eſt quod omnipotens Deus ſic vehementer in hoc ſeculo deſpicit, quos ſublimiter ante ſæcula prælegit, niſi hoc quod fidelium pietati pateat, quãtum idcirco eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in ſummis. Et ſequitur. Hinc ergo vnuſquiſque colligit, quid illic ſint paſſuri quos reprobat, ſi hic ſic cruciat quos amat? aut quomodo feriẽtur qui iudicio arguendi ſunt, ſi ſic vita eorum præmitur qui ipſo iudice & teſte lau-
dantur? Quarto fit hoc ad cauteliã etiã bo- 4.
norũ. Vnde Hier. ſuper illud: *Sagittæ Domi-* Iob. 6.
ni i me ſũt, quarũ idignatio ebibit ſpiritũ meũ.

Spiritum hominis ebibunt ſagittæ, cũ ſupernę animaduerſiones mentẽ ab elatione compeſcũt. Iuſtorũ n. mens non ſolũ perpẽdit quod tollerat, ſed etiã pauet ꝙ reſtat, videt qualia in hac vita patitur, metuit ne poſt hanc vitam grauiora patiatur. Iam ergo ſententiam tollerat in pœna, ſed minas adhuc venturi iudicis formidet ex culpa. Hoc eſt ꝙ dicebat Apoſtolus. *Nihil mihi cõſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Quaſi dicat. Licet *mihi nihil conſcius ſum*, conſcientia remordente, *tamen in hoc non iuſtificatus ſum*, id eſt, non ideo me iuſtum reputo, quia poteſt eſſe aliquod delictum quod neſcio. Eccl. 9 *Nemo ſcit an odio vel amore dignus ſit.* Hæc ille: Magnũ ergo donũ eſt tribulatio iuſtis, quod datur ad conſeruandam ſanctitatem & vitandam elationem. Nam quæ videntur nobis ſancta, apud Deum ſunt ſæpius iniqua; & ideo ne homo ex ſuis operibus ſuperbiat, ſed potius humilietur, datur ei tribulatio. Vnde ſuper illud 1 Petr. 3. *Iuſtus vix ſaluabitur.* Dicit gloſſa ordi. Tanta eſt iuſtitia diuina, vt interdum quæ noſtro iudicio videntur iuſta, DEI iudicio inueniuntur iniuſta, iuxta illud. *Homo videt quæ foris ſunt, Deus autem intuetur cor.* Hoc eſt quod dicit Hieronymus ſuper illud Iob. 3. *Venit ſuper me indignatio tua.* Deus pater bona agentes flagellat vt purget, quia noſtra perfectio culpa non caret. Et Saluator dicit: *Omnem palmitem ferentem fructum pater purgabit vt fructum plus afferat, eo quod qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc.*

1. Cor. 4.

1. Reg. 16.

Ioan. 15.

5\. Quinto fit hoc ad expiationem vitiorum & conuerſionem ad Deum. Vnde Iob. 6. *Hæc ſit mihi conſolatio vt affligens me dolore non parcat.* Quaſi dicat, ſecundum Gregorium. Hic parcit vt in æternum feriat, ſed me hic feriat non parcens quod eſt mihi conſolatio. Timet enim ſibi hic parci. Vbi dicit Hieronymus. Electi dum ſe perpetraſſe illicita nouerint, ſi perſcrutantes inuenerint quia pro illicitis nulla aduerſa perpeſſi ſunt, immenſa formidine tabeſcunt, pauore æſtuant, ſuſpicionibus malis agitantur & laborant. Ac ſi apertè diceretur, hic quidem parcit vt feriat in perpetuum, & non parcendo in perpetuum parcat. Ex afflictione enim conſolor, qui ad ſpem ſalutis ex vulnere reddor. Hæc ille. Sexto fit hoc 6.
propter mentis noſtræ ad cœleſtia eleuationem. Vnde tribulationes datæ ſunt iuſtis, ſicut pennę volucri, quibus ad ſuperiora volat. De quo dicitur Iob. 5. *Homo ad laborem naſcitur & auis ad volandum.* Quia impoſſibile eſt in hac peregrinatione ſine labore eſſe; ſed in eo quod caro affligitur, mens ad petenda alta leuatur. Vnde Pſal. *Ad Dominum cum tribularer clamaui.* Se- 7.
ptimo fit hoc propter meritorum accumulationem. Dicit enim Iſidorus in epiſtola ad Cyprianum. Quanto in hoc ſeculo perſecutionibus, paupertate, inimicorum potentia vel morborum crudelitate fuerimus afflicti, tanto poſt reſurrectionem in futuro maiora præmia conſequemur. Et Greg. li. 3. moral. Tanta ſpes in Deo ſolidior ſurgit, quanto pro illo quiſque grauiora pertulit, quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia retributione ſeminatur. Octauo fit hoc ad virtutum appro- 8.
bationem. Nam nemo quantum profecerit, niſi inter aduerſa cognoſcit; quia vnuſquiſque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, ſed quantum profecerit in aduerſitate perturbatus oſtendit. Aduerſitas enim quæ bonis viris obijcitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis. Vnde tribulatio eſt ſicut malleus qui probat ollam an ſit firma vel ſolida, vel fragilis & infirma. Si enim eſt ſolida ſonabit, ſi fragilis crepabit. Qualiter autẽ tribulantur electi, oſtendit Rupertus ſuper ca 3. li. Sapientię, dicens: Sancti tribulantur & tentantur ac vexantur. Tribulantur in pœnis, vexantur in verbis, tentantur in diuinis promiſſis. Sed contra tribulationem pœnarum habent ſpem immortalitatis, contra vexationem contumeliarum habẽt ſpem æternæ tranquillitatis, & contra diuinam tentationem habent ſpem pręcipuę dignitatis. Et tantum de primo.

II.

Deſcribitur præſentis miſeriæ breuis perſiſtẽtia, cũ dicitur: *Vertetur*, per ꝙ in ſpẽ eleuãtur. Quis. n. poſſet ſubſiſtere in tot miſerijs & tribulationibus, ſi nõ quãdoq; finẽ caeum.

Vita præſentis miſeria breuis. earum ſperaret? Dicitur autem miſeria præſentis vitæ breuis, quia vertetur: imò non ſolum vertetur, ſed totaliter ſubuertetur, quando abſterget Deus omnem lachrimam ab oculis Sanctorum. Propterea Chriſtus loquens Apoſtolis de vita præſenti dicit: *Modicum & non videbitis me.* Quaſi dicat. Tempus tribulationis & pœnalitatis, quod ex abſentia mea habetis, *Iſa. 54.* eſt quaſi punctum reſpectu æternitatis *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſeratione magna congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem parumper, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Vnde Sap. 3. dicitur. *In tempore erit reſpectus illorum.* Quaſi dicat ſecundum Holcoth. In puncto modico & inſtanti paſſi ſunt, ſed in tempore prolixo & longo, ſcilicet æternitate erit reſpectus illorum, id eſt, præmiatio quæ dicitur reſpectus; ſicut ſolet dici quando Dominus liberaliter remunerat ſeruientem, dando ſibi magnum aliquid: benè iſte reſpexit eum. Sic certè Deus benè reſpiciet ſanctos, quando ſupra modum & proportionem retribuet pro labore mercedem. *2.Cor. 4.* *Illud enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* *Sap 3.* Hoc eſt quod dicitur. *In paucis vexati in multis benè diſponentur.* Vbi dicit Holcoth, quod ſi illa quæ patiuntur electi in præſenti comparentur ad ea quæ in futuro dabuntur bonis pro mercede, licet ſint in ſe valdè multa, tamē in comparatione eorum valdè pauca, quia *Rom. 8.* *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Pro quo ſciendum, *Tempus vitæ noſtræ tria continet.* quod tempus vitæ noſtræ tria in ſe continet: Primò breuitatem durationis; ſecundò pœnalitatem grauis afflictionis; tertiò labilitatem continuæ mutationis; ideò dicunt reprobi iſta tria conſiderantes. *Sap 2.* *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ.* *Sap 9.* De breuitate durationis dicitur: *Homo infirmus & exigui temporis.* *Iob. 10.* De pœnalitate dicitur: *Tædet animam meam vitæ meæ.* De quibus duob⁹ ſimiliter loquēs Seneca epiſtola 3. dicit: Propone temporis profundi vaſtitatem & vniuerſum complectere; deindè hoc quod ætatem vocamus humanam, opera immenſa, & videbimus quod exiguum ſit quod optamus, quod expendimus. Ex hoc quantum lachrymæ, quantum ſolicitudines occupent, quantum morę antequam veniant optata, quantum valitudo, quantum timor, quanti labores, luctus & pericula, & intelliges etiam vita minimum eſſe quod viuitur. Hæc Senec. Huic concordans Auguſtinus ſuper Pſal. 36. dicit, exponens illud: *Adhuc puſillum & non erit peccator: Si toto illo tempore viueres, ex quo Adam de paradiſo emiſſus eſt vſque ad hodiernum diem, certè videres vitam tuam non fuiſſe diuturnam quæ ſic auolaſſet.* *Breuitas temporis.* *Vniuſcuiuſque vita quanta eſt, adde quantoſlibet annos, duc longiſſimam ſenectutem, quid eſt? nonne aura matutina.* Et idem ſuper Pſal. 6. *Cum dies iudicij venerit, tunc ſentient peccatores, quoniam non ſit longa omnis vita quæ tranſijt.* Et Hieron. lib. 3. ſuper Amos. *Nihil fugacius ſæculo, rebuſque ſæculi; quæ dum tenemus, amittimus, & per infantiam, iuuentutem, pueritiam ac virilem & ingraueſcentem & maturam ætatem, annoſque vltimos ſenectutis imitamur & currimus, & neſcientes ad mortis terminos peruenimus.* De pœnalitate vitæ dicit Ambro. *Ambr. in ſerm. de quad.* Tantis malis hæc vita repleta eſt, vt comparatione eius mors remedium putetur eſſe non pœna. Denique Iob dicit militiam eſſe vitam hominis ſuper terram. Et oſtendens quare Deus eam ita breuem fecit, dicit ideò vt moleſtiæ eius quæ proſperitate vinci non poterant, temporis exiguitate finirentur. *Miſeria temporis.* Quæ autem ſint iſtæ pœnalitates oſtendit Auguſtinus ſuper illud Iac. 4. *Quæ eſt vita veſtra niſi vapor?* ſic dicens: *Vita hæc vita dubia, vita cæca, vita ærumnoſa, quam dolores exterminant, ardores ſiccant, aëra morbidant, eſcæ inflant, ieiunium macerat, ioci ſoluunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitiæ iactant, pauperes deijcit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, & poſt hæc omnia mors interimit, & vniuerſis gaudijs finem imponit, ita vt eſſe deſierint nec fuiſſe putētur.* Hæc Auguſtinus. *Tempus labile.* De labilitate cōtinuæ mutationis dicitur Ecclef. 18 *De manè vſque ad veſperam immutabitur tempus.* Et verè ſic eſt, quod Iob dicit: *Homo natus de muliere breui viuēs tempore, repletur multis miſerijs.* Et ſequitur; nunquā

in eodem ſtatu permanet. Semper enim eſt in curſu rapidiſſimi temporis pueritiam abſcondimus, deindè adoleſcentiam, deindè ſenectutem, inquit Seneca epiſtol. 71.

Ex quibus patet triplex fatuitas hominum mundanorum, præſumentium longitudinem non obſtante breuitate, diligentium amaritudinem non obſtante pœnalitate, differentium morum rectitudinem non obſtante temporis inſtabilitate; ideò

Galat. 6. iuxta conſilium Apoſtoli. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Senes, debiles, & impotentes non habent tempus, ſed habentur à tempore. Infirmi & grauiter patientes non habent tempus, cum non ſint ſui compotes; mortui tranſiciunt tempus ſuum. Et ideo nec ſenectus, nec morbus, nec mors expectandæ ſunt ad benè viuendum; ſed ſtatim incipiendum eſt dum têpus noſtrum eſt. Sed de multis verum eſt

Iob 34. illud Iob. *Dedit ei Deus tempus pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbiam.* Propter quod Dauid conqueritur. *Tempus faciendi Domine diſſipauerunt legem tuam.* Vnde ille ſapientiſſimus computatur, qui dicit: Benè vixi, non qui dicit: benè viuam. De quo Seneca epiſtola 49. dicit: Beatiſſimus & ſecurus ſui poſſeſſor eſt, qui craſtinum ſine ſollicitudine expectat, & quiſquis dicit vixi, quotidiè ad lucrum ſurgit. Vnde Martialis Epigrammate. 50.

Non eſt crede mihi ſapientis dicere viuam,
Miſera nimis vita eſt craſtina viuere hora.

Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus de verbis Domini, homil. 15. Age pœnitentiã, ſemper eſto correctus, longè quidem eſt dies iudicij, ſed vniuſcuiuſque dies vltimus lôgè eſſe non poteſt, quia breuis eſt vita, & ipſa breuitas ſemper incerta: ipſa res eſt quæ multos occidit, dum dicunt cras, cras, & ſubitò oſtium clauditur, & remanſit cũ voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Hæc Auguſtinus. Eſt ergò fatuitas ſumma iuuentutem vel tempus præſens expendere in peccatis, & de tempore futuro, quod non eſt noſtrum ſemper ſpem habere. Vnde dicitur Eccleſ. ſeptimo. *Nè impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, nè moriaris in tempore non tuo.* Ideò ad Galat. ſexto dicitur. *Bonum facientes non deficiamus.* Et metricè ſic dicitur.

Vita breuis caſuſque leuis, nec eſt ſpes ſperãdi.
Quanta ſeres tanta feres ſit cura parandi.
plura. Seras vt non plura feras ne non ſeuiſſe pœniteat, dum nil valeat iam pœnituiſſe.

II.

Dixi tertio, quod deſcribit cœleſtis patriæ perennem lætitiam, quia *gaudium*, per quod in charitate confirmamur & perficimur. Circa quod ſciendum, quod quatuor vicibus fit mentio in præſenti Euangelio de gaudio, ideò quadruplex gaudium eſſe diſtinguitur. *Gaudiũ quadruplex.* Primum eſt mundanæ proſperitatis ad fugiendum, quia contemptibile; quo ad hoc dicitur, *Mundus gaudebit.* Secundum eſt internæ ſinceritatis ad poſſidendum, quia delectabile; quo ad hoc dicitur, *gaudebit cor veſtrum.* Tertium eſt fraternæ charitatis ad diffundendum, quia communicabile; quo ad hoc dicitur; *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Quartum eſt æternæ fœlicitatis ad perfruendum, quia contemplabile; quo ad hoc dicitur; *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* De primo gaudio quod eſt fugiendum, quia fermẽtatur anxietate, maculatur carnalitate, alteratur inſtabilitate, anguſtatur breuitate, ex quibus redditur contemptibile. Quod autem ſit fermentatum & non purum, patet, quia non eſt dare gaudium in vita iſta in mundo, quin plus habeat doloris quam refrigerij, quia riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Non eſt riſus ſine mixtione doloris, & non eſt gaudium ſine occupatione luctus; propter hoc dicitur in Ioele. *1. Fugiendum.* *Confuſum eſt gaudium à filijs hominum.* De ſecundo verò quomodo maculatur carnalitate patet, quia prius incenditur inepta lætitia, & tunc accenditur concupiſcentia & contrahitur immunditia, & tunc auditur vox illa Sapient. ſecundo. *Venite fruamur bonis,* quę ſunt tanquam in iuuentute, & *vtamur creaturis* ſertiliter; *vino pretioſo & vnguẽtis nos impleamus, nec prætereat nos flos temporis; coronemus nos roſis, antequam mar-*

marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. De tertio quod alteratur inſtabilitate patet, quia non poteſt eſſe ſtabile quod fundatur in inſtabili, quia mundus tranſit & concupiſcentia eius. Bernardus. Cor quando futurum non curat gaudium, implicatur amore terrenorum atque illis inuoluitur; vanitas recipit, curioſitas deducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, torquet inuidia, cruciat triſtitia, turbat iracundia, ſicque miſeris vitijs omnibus quaſi per multa diſpergitur mens, quærit nec inuenit vbi requieſcere poſſit. De quarto quod ſcilicet anguſtatur breuitate, patet per illud Iob vigeſimo. *Scio quod laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* in puncto non eſt longitudo, neque latitudo, nec ſpiſſitudo. Ita in gaudio ſæculi non eſt longitudo durationis, nec latitudo valoris, nec ſpiſſitudo repletionis; nam dicitur in Iob, quod *in puncto ad inferna deſcendunt,* quia in punctuali gaudio confidunt, & in punctuali medio ad inferna deſcendunt. *Tenet,* inquit, *tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonum organi, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Secundum gaudium eſt internæ ſinceritatis delectabile ad poſſidendum, de quo Apoſtolus. *Gloria noſtra hoc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ* propter quod dicitur Eccl. tr g[illegible]. *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium* Et Seneca. Non eſt gaudium niſi ex virtutum conſcientia. Iſtud gaudium purificatur aduerſitate, pulchrificatur fertilitate, pacificatur ſecuritate, dulcificatur ſuauitate. De primo tamen quia ſanctus homo probatur & ventilatur in tribulatione, ac tentatione purior efficitur. Vnde Iacob. primo. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, ſcientes quia probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet.* De ſecundo videlicet fructu bonorum operum ſic dicitur Galat. quinto. *Fructus autem ſpiritus charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, continentia, caſtitas.* Vnde propter fœcunditatem bonorum operum & virtutum

2 Delectabile.

Iacob. 1.

Galat. 5.

beatus Bernardus comparat conſcientiam agro benedictionis. Conſcientia inquit bona eſt titulus religionis, ager benedictionis, templum Salomonis, hortus delitiarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, Arca fœderis, theſaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti, liber ſignatus & clauſus, in die iudicij aperiendus. De tertio. Vbi enim minus eſt peccati, maior eſt ſecuritas; ſtimulus autem ſeu aculeus eſt peccatum; vnde qui eo caret, nihil ſibi eſt conſcius, audet loqui, arguere, mori, viuere, iudicis adire præſentiam, & expectare ſententiam. *Non eſt ergo regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Romanorum decimo quarto. Ratio eſt, quia *qui ineunt huius pacis conſilia ſequitur eos gaudium.* Prouerbiorum duodecimo. De quarto ad pacem enim ſequitur tranquillitas, tranquillitatem ſuauitas, ſuauitatem iocunditas. Eccleſ. primo. *Religioſitas cuſtodiæ iuſtificabit cor, iocunditatem atque gaudium dabit. Multorum beneficiorum recordatio iocundiſſima eſt.* Vnde Bernardus ſuper Cantica. Nihil glorioſius teſtimonio conſcientiæ, cum veritas in mente fulget & mens in veritate ſe videt; ſed qualem? pudicam, verecundiam, pauidam, circumſpectam, nihil admittentem, quod euacuet gloriam conſcientiæ, atteſtante ſibi in nullo conſcientia quo erubeſcat præſentiam veritatis. Sed econtrario nullus dolor acrior, amarior, & acerbior remorſu conſcientiæ corruptæ: vbi remordet propria conſcientia, terret diuina ſententia, incerta poſſibilitas reſurgendi, incerta opportunitas confitendi, incerta cauſalitas moriendi. Tertium gaudium eſt fraternæ charitatis ad diffundendum communicabile, hoc eſt gaudium charitatis, quæ non gaudet ſuper iniquitate, congaudet enim veritati. primo Corinthiorum decimo tertio. *Gaudium meum* ait Apoſtolus *omnium veſtrum eſt.* Hoc enim gaudium primum eſt de peccatorum reconciliatione & conuerſione. Sic paterfamilias oſtendit gaudium ad filium prodigum. Lucæ decimo quinto. *Epulari* inquit,

Conſcientia bona quid.

Rom. 14.

Prou. 12.

3 Communicabile.

1. Cor. 13.

inquit, *& gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Secundo de pœnitentis conuerſione. Sic gaudet Angelus de ſuæ cuſtodię delegato, dum reductus ad ſtatum gratiæ purgatur & proſperatur per opera pœnitentiæ. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore.* Tertio de concordi connexione. Sic gaudet Prælatus de ſubdito. *Implete gaudium meum vt idem ſapiatis. Eandem charitatem habentes vnanimes id ipſum ſentientes.* Et quartò de perſeuerantiæ conſummatione; ſicut gaudet Doctor de diſcipulo. *Itaq; fratres mei chariſſimi, gaudium & corona mea: ſic ſtate in Domino chariſſimi,* ſicut membra in corpore, vt condoleatis & congaudeatis ſicut rami in ſtipite, & perſeueretis ſicut palmites in vite & fructificetis. Hoc enim gaudium charitatis omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Vnde ait Bernardus ſuper Cant. ſer. 19. Dulcis & ſuauis eſt charitas quæ feſſos alleuiat & debiles roborat, mœſtos lætificat, eſurientes reficit, iocundat reficientes, quia non quęrit quia ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Quartum eſt gaudium æternæ fœlicitatis ad perfruendum, quia contemplabile. Beatitudo eſt gaudium de veritate, non ſemiplenum ſed ſuperplenum. Primò quia eſt incomprehenſibile captu. *Intra in gaudium Domini tui.* De quo Anſelmus in proſologion, c. vltimo. Inueni plenum gaudium & plus quam plenum. Pleno quippè corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudio illo. Adhuc ſupra modum ſuperat illud gaudium; non enim illud totum gaudium intrabunt gaudentes, ſed toti gaudentes intrabunt gaudium. Secundò quia eſt impermiſcibile luctu. *Gaudium & exultationem obtinebunt & fugiet dolor & gemitus.* Tertiò quia infallibile guſtu *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Et: *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, & gratiarũ actio & vox laudis.* Quartò quia inamiſſibile ſtatu. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Iſtud gaudium promittit Chriſtus ſuis pro triſtitia quam hic patiuntur. Ad quod gaudium nos perducat ipſe gaudiorum æternorum auctor, qui viuit & regnat &c.

Luc. 15. Philip. 2. Philip. 4. 1. Cor. 13. 4. Contemplabile. l. g. li. 1. Confeſ. Matt. 25. Iſa. 51. Iſa. 12. & 51. Ioan. 16.

DOMINICA QVARTA POST PASCHA.

SERMO I.

Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioannis 17.

Veritatis apprehenſionem tria impediunt.

TRia ſunt quæ impediunt hominem apprehendere veritatē. Amor altitudinis. Ecce ſuperbia. Profunditas rei inueſtigandæ. Ecce rerum cœleſtiũ excellentia. Ignorantia inquiſitoris ſiue breuitas potentiæ. Ecce defectus naturæ. Noſtro autem tempore quarta cauſa eſt ſocietas nutritiua, quia vt dicit Rabbi Moyſes: in natura hominis eſt amor ſequendi illud cum quo habet ſocietatem, & diligere ea in quibus nutritus eſt; adeò quod videbis habitatores villarũ, licet ſint ibi in ſordibus & in defectu delectabilium, & in malitia ciborum, vt odiant habitationem ciuitatum, nec delectãtur in delitijs earum, ſed eligunt potius ea in quibus enutriti, quam ea in quibus non ſunt, licet meliora ſint. Quæ omnia quicunque velit attendere, faciliter inueniet. Nam in nobis eſt amor altitudinis & vanæ gloriæ, ita vt Propheta cogeretur clamare contra nos dicens: *Nolite extollere in altum cornu veſtrum;* quia tumor mẽtis eſt obſtaculum veritatis, vti fatetur de ſe Auguſtinus in libr. confeſ. pluribus vicibus

Rab. Moyſ. lib. 1. cap. 30.

cibus. Secundò profunditas rerum inueſtigandarum tanta eſt, ſicut dicit Auguſtinus in quodam ſerm. ad Erem. quod philoſophi, quamuis ſubtiles, ad vnius apis naturam inueſtigandam plenè peruenire non potuerunt, multò minus ad inueſtiganda cœleſtia, ad quę ſe habet intellectus humanus, ſicut oculus noctuæ ad lumen ſolis. Tertiò ignorantia inquiſitoris ſiue breuitas potentiæ, quæ tanta eſt in nobis, ſicut cochlear ad totum circulum maris, vt Auguſtinus dicit de ſeipſo. Vnde Sap. 9. dicitur. *Homo exigui temporis & minor ad intellectum iudicij & legis.* Quartò ſocietas nutritiua, quæ tanta eſt in nobis, vt animalis homo non ſapiat quæ Dei ſunt, ſed quæ mundi. Cum igitur homo ex ſeipſo deficeret in apprehēſione veritatis, neceſſarius fuit talis Doctor mundo qui amoueret prædictos defectus; quibus amotis doceret omnem veritatem. Hic autem nō eſt niſi Spiritus Sanctus, qui omnes prædictos defectus amouet in nobis, qui ſecundum Gregorium in moral. mouet memoriam, mouet voluntatem, docet rationem. Ipſe dat robur vitæ, vt quod per naturam nobis eſt ſcire & apprehendere impoſsibile, per gratiam fiat poſsibile: nec ſolum poſsibile, ſed etiam facile. Ipſe eſt enim ſpiritus bonus, ſpiritus fortis, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, infirma roborans, aſpera planans, corda purificans; quicquid in hoc ſæculo videtur difficile & anguſtū, leue facit & latum. Nec mirum. Nam ſicut dicit Leo Papa. Velox eſt ſermo ſapientiæ, & vbi Deus magiſter eſt, cito diſcitur quod docetur. Talem igitur ac tantum Doctorem ſufficientiſsimum ſibi patriq; æqualem, attenta noſtra ignorantia & alijs multiplicibus defectibus, in apprehēdenda veritate, ipſe Dei filius Dominus & Saluator noſter ſuis diſcipulis & communiter nobis omnibus mittendum promittit, qui cum venerit, docebit nos omnem veritatem, ſine omni impedimento, eò quod nulla in diſcendo mora, vbi Spiritus Sanctus Doctor eſt. Tria autem ſunt conſideranda, maximè circa hoc nomen digniſsimum, quod dicitur & appellatur Spiritus Sanctus & Doctor veritatis. Et quia veritas eſt triplex ſecundum Gregorium; ideò conſiderandum eſt quomodo Spiritus Sanctus non ſolum docet vnam veritatem, ſed omnem, ſcilicet iuſtitiæ, doctrinæ, & vitæ. Eſt ergò Spiritus Sanctus perfectus & vtilis Doctor ex his tribus, quia docet veritatem iuſtitiæ in Regibus, Principibus & iudicibus. Eſt ſecundo perfectus & vtilis Doctor, quia docet veritatem doctrinæ in Epiſcopis, Prælatis, & Prædicatoribus. Eſt tertiò perfectus & vtilis Doctor, quia docet veritatem vitæ in omnibus generaliter ſtatibus, gradibus, officijs & conditionibus, ſcilicet incipientibus, proficientibus & perfectis. Benè ergò de ipſo dicitur, *Quia docet omnem veritatem.*

Bernard. ſerm. 74.

Propoſit.

I.

Moyſi qui fuit primus iudex populi Dei, dictum eſt. *Prouide ex omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderunt auaritiam.* Exodi decimo octauo. Ecce præcipitur prouideri de viris in iudices aſſumendos, in quibus eſt veritas iuſtitiæ; ſine enim hac veritate nō ſtant recta iuſtitia, nec durant Principatus aut regna. Circa quod conſideranda ſunt tria. Primò qualiter ſe debeat habere Rex, Princeps, aut quilibet iudex ad iuſtitiam, & quid circa hoc cauendum. Secundò quid circa veritatem iuſtitiæ ſeruandum. Tertiò quæ virtutes debent concomitari iuſtitiam; primò, cautela quam debent ſeruare omnes iudices, talis eſt, vt caueat nè ſit maior iuſtitia quam debeat, nec minor. Tunc autem maior eſt quam debet, quando excedit in puniendo ſine omni miſericordia, quod non eſt facere iuſtitiam ſed iniuriam, ſicut dicit Tullius in libro de officijs. *Summum ius ſumma iniuria eſt.* Tūc autem eſt minor quam debet eſſe, quando omninò delictum remanet impunè, & quando facilitas venię præbet incentiuum delinquendi, ideòque Spiritus Sanctus dicitur Doctor veritatis iuſtitiæ, quia ipſe docet ſic veritatem, vt tamen non omittat miſericordiam. Nam iuxta Pſalm. Miſericordia & veritas ſemper obuiant ſibi.

Exod. 18.

Iudicij qua neceſſaria.

1. Cautela.

Ergò ſic docet miſericordiam, vt tamen iuſtitiam non omittat. Rex enim non ſolùm per miſericordiam, ſed etiam per

Prou. 19.

iuſtitiam erigit terram. *Secunda cautela*

2. Cautela

omnium iudicum debet eſſe circa obſeruationem iuſtitiæ legum. Tunc autem iuſta eſt lex, quando non diſcordat à diuina lege; nulla enim lex vera & iuſta eſt, niſi quæ eſt conformis diuinæ legi.

Leges quando ſint iuſtæ.

Vnde Deut. 17 dicitur. *Si difficile & ambiguum fuerit iudicium apud te inter ſanguinem & ſanguinem, & iudicium inter portas tuas videris variari ſurge & aſcende ad locum quẽ elegerit Dominus Deus tuus. Venieſq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſq; ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcunq; dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus Deus tuus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram nec ad ſiniſtram.* Et poſt pauca *Cum fuerit rex conſtitutus, deſcribet ſibi Deutronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetq; illud omnibus diebus vitæ ſuæ.* Hæc ibi. Ecce qualibus legibus iudices debent vti, quia tantum illis quæ ſunt conformes legi diuinæ. Vnde omnium legum inanis eſt cenſura, niſi diuinæ legis imaginem gerat, vt ait Auguſtinus. Debent ergo omnes leges, omnia iura, omnia ſtatuta emanare à lege Dei. Vnde Prouerb. 8. dicit ſapientia diuina. *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*, Attendant autem hoc illi qui multa contra Deum & iuſtitiam ſtatuunt, prohibentes teſtari in extremis Eccleſijs aut pauperibus. Item alia multa in grauamen miniſtrorum Dei ſtatuentes, quæ omnia non ſolum diſcrepãt à diuina lege, ſed etiam nituntur ſubuertere diuinam legem. Sublato enim & deſtructo ſacerdotio Dei, neceſſe eſt & legem Dei deficere, vt dicit Apoſtolus. *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt tranſlatio legis fiat.*

Aug. li. 8. de Ciuit. Dei ca. 6.

Hebr 7.

Tertia cautela circa iuſtitiam eſt, nè ab ipſis iudicibus violetur in eorum perſonis, ſed ſicut volunt alijs iuſtè fieri, ita & ipſi obtemperent legibus & conſtitutionibus iuſtitiæ; nec attendant perſonam diuitis vel potentis, conſanguinei vel affinis, ſed ſe primo, deindè alios omnes indifferenter legum iuſtitia percellant & cõſtringant. Sicut narrat Valerius lib. ſexto de Seleuco ſenatore Romano, qui conſtituerat vt deprehenſus in adulterio vtroque oculo orbaretur. Contigit ergo primo ſuum filium in adulterio comprehendi. Cum autem tota ciuitas propter honorem patris vellent filium à tali pœna liberare, clamantibus cunctis ad Patrem: Pater vt legi per ipſum conſtitutæ ſatisfaceret, prius ſibi oculum vnum, deindè filio alium eruit; in quo oſtendit ſe & miſericordem Patrem, quia vnum oculum filio reſeruauit; & iuſtum iudicem, quia vtique duos oculos iuxta legem eruit. Idem narrat de Carudo conſule, qui ſtatuit, nè quis in conſilium cum gladio intraret. Contigit ergò quod veniens de villa, oblitus gladij quo accinctus erat, conſilium ſubitò vocatus intrauit. A conſedente autem admonitus cur cum ferro intraſſet, ſtatim extracto gladio ſe transfixit. Ecce qualis fuit obſeruantia iſtorum circa leges. Econtrario verò eſt hodiè, quod multi iudices ſtatuunt leges quas cogunt ſeruare inferiores, ſoli autem digito eas tangere nolunt. Ideò Valerius libr. 9. refert, Anacharſum philoſophum dixiſſe, leges eſſe ſimiles aranearum telis, quæ parua animalia retinent, ſed magna tranſmittũt: ita his legibus pauperes conſtringi, potentes verò abſolui.

3. Cautela iudici neceſſaria

Secundò, circa iuſtitiæ veritatem iudices & potentes ſeruare debent primò, vt ſint diligentes cauſas audiendo & examinando, non ſicut quidam curſim vel raptim tranſcurrentes cauſam, cum tædio ſedentes in iudicio: ſed debent alijs omnibus poſtpoſitis ſe cum diligentia locare ad iudicandum, ſicut narrat Helynandus in geſtis Romanorum de Traiano Imperatore; qui cum equitare debuiſſet ad bellum, & iam equo inſediſſet, vidua quædam ipſum pro iuſtitia ſibi facienda petijt. Cui cum ille reſponderet ſe facturum, poſtquam de bello rediret, Reſpondit illa: fortè inquit non redibis. Et Imperator, alius igitur Imperator tibi faciet. Cui illa. Er-

Iudices circa iuſtitiæ veritatem quæ ſeruanda.

1. Cauſas diligenter audire.

gò

gò illi merces erit, non tibi. Quibus verbis compunctus Imperator de equo deſcendit, in loco ſedit, cauſam diligentiſſimè examinauit, & iuſtam ſententiam tulit. Secundò vt diligant iuſtitiam publicam magis quam vitam propriam, vt dicit Auguſtinus de Ciuitate Dei, libro quinto cap. decimo ſeptimo. Et Tullius libro primo de officijs, capitulo tertio. Vnde narrat Iulius Frontinus, & Valerius lib. quinto, quod Codrus rex Athenienſium conſuluit Apollinem Deum ſuum, quomodo victoriam de hoſtibus ſuis Peloponenſibus reportaret: accepit reſponſum, quod non aliter niſi ipſe moreretur in bello. Quo audito ſe in habitu pauperis inter bellantes miſit, ibique occiſus eſt, ac maluit mori dum vincerent ſui, quam viuere ſuis ſuperatis. Duo enim erant præcepta Platonis volentibus prodeſſe reipublicæ, vt ait Tullius libro primo de officijs. Vnum vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quæcunque agant ad eam referant, obliti commodorum propriorum. Alterum verò, vt totum corpus reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tueantur reliquas deſerant. Quod quia antiqui ita fecerunt, ideò paruam rempublicam magnam fecerunt. Sicut ait Cato, cuius verba recitat Auguſtinus quinto de Ciuitate Dei, cap. decimo quarto. Vnde & antiqui iudices nunquam volebant eſſe ditiores in officio iudiciario quam ante, ſicut narrat Vegetius libro octauo de re militari, de Attilio Regulo, qui adeò pauper fuit, quod vxorem liberoſque in agello paruulo collocauit, qui ab vno villico colebatur. Idem narrat Auguſtinus quinto de Ciuitat. Dei, cap. decimo octauo, de Quintino dictatore, qui primus fuit poſt imperatorē, quod non plus in dignitate voluit habere, quam quatuor iugera agri, quæ prius ipſe colebat ſuis manibus. Vnde Cambiſes Rex Perſarum, iudicem corruptum muneribus excoriari fecit; & ſuper cutem patris filium collocauit, vt diſceret melius iudicare quam Pater. Attendant hoc iudices qui ex culpis & pœnis pauperum volunt ditari. Tertiò requiritur vt iudices cum deliberatione ſententiam ferant, non præcipitanter, iuxta illud: Iob vigeſimo nono. *Cauſam quam neſciebam, diligenter inueſtigabam.* Gregorius libro decimo nono moralium. Ad ferendam inquit ſententiam nequaquam præcipites eſſe debemus, nè temere & indiſcuſſa iudicemus. Et ibidem. Maiora crimina tardius credenda ſunt, ſed cum probata fuerint, citius ſunt punienda. Exempla in prompto ſunt, quanta mala fecit facilis credulitas. Ecce Ioſeph ad facilem credulitatem Putifari incarceratus eſt, Suſanna ſine diſcuſſione debita condemnata eſt. Vnde Theodoſius Imperator ſtatuit, vt nulla ſententia niſi poſt triginta dies exequeretur, quod & nunc ſeruat Eccleſia, ſicut patet *de appellationibus in capitulo Ab eo. libro ſexto.*

2. Publica preferre proprijs.

3. Deliberatè ſententiam ferre.

Iob 29.

Geneſ. 36.

Dan. 13.

De tertio quomodo iuſtitia debet ornari virtutibus, dicit Bernard. ſerm. quarto, quod iuſtitia eſt virtus ſeruans vnicuique quod ſuum eſt. De qua veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, & humilitas. Innocentia debet eſſe primo in his quæ iuſtitiæ veritatē adminiſtrant, vt nulli iniuriam faciant. Talis fuit Titus Imperator, de quo dicitur quod nullum factum recoluit in morte, quod pœnitendum eſſet, vno excepto, quod tamē non prodidit: vnde & in morte conquæſtus eſt vitam ſibi eripi immerenti. Narrat etiam Solinus libro vltimo, quod in quadam inſula rex eligitur, qui eſt ſenex moribus, & clementia inueteratus; qui ſine filijs eſt, nè regnum fiat hæreditarium; qui ſi in aliquo peccato deprehenditur, morte mulctatur. Item amicitia quanta fuit in antiquis? quilibet enim bonum alterius vt proprium procurabat, ſicut refert Tullius libro tertio de officijs. Narrat Aulus Florus in hiſtoria Romanorū, quod medicus Pyrrhi regis nocte ad Fabricium venit, promittens ſe Pyrrhū occiſurum veneno ſi ſibi aliquid polliceretur. Quem Fabricius vinctum iuſſit reduci ad dominum ſuum. Pyrrhus autē admiratus dixit. Difficilius ab honeſtate Fabricius, quam ſol à curſu ſuo auerti poteſt. De concordia quæ maximè iuſtitiæ vtilis eſt, vt dicit Auguſtinus epiſtol. 5. qualis fuerit in antiquis, narrat Vegecius libro 4. quod obſidente Hannibale Caſſilinam ciuitatem, tantam inopiam perpeſſi ſint,

Iuſtitia ornanda virtutibus.

vt murem centum denarijs emerent, eiuſq; ie venditor fame periret. Quod ideo fecerunt ciues vt fidem & concordiam cum Romanis ſeruarent. De pietate quæ eſt cultus veri Dei, vt dici, vt Auguſt. epiſt. 33. quanta fuit in antiquis dicit Valerius libro primo quod non dubitauerunt ſacra impijs ſeruire, & inde ſe humanarum rerum regimen habere exiſtimantia, ſi diuinæ potentiæ fuiſſent bene & conſtanter famulata. Vnde pari vindicta Deorum & parentum violatio expianda erat. Similiter erat in illis affectus & humilitas etiam erga inferiores, ita quod legitur de Traiano ſicut refert Helynandus, quod cum filius eius equitaret indomitum equum habens, ex cuius pedibus filius cuiuſdam viduæ fuit interfectus, eidem viduæ ſibi conquerenti filium pro filio illius viduæ dedit. Hæ ſunt ſeptem columnæ quæ debent ſuſtentare domum iuſtitiæ. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Prou. 9. His enim adornatur veritas iuſtitiæ, & ſine ipſis iuſtitia eſt ſordida & vilis, infirma & debilis.

II.

Dixi ſecundò quod Spiritus ſanctus eſt perfectus & vtilis doctor in Epiſcopis, Prælatis & viris ſpiritualibus ſcilicet prædicatoribus, per quos docet veritatem doctrinæ, quia his dictum eſt: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc. vl. Vnde Paulus inſtructus Timotheum dicit: *Prædica verbum inſta opportunè importunè, argue, obſecra, increpa.* Circa quod tria ſunt conſideranda. Primo quis eſt idoneus veritatis doctrinæ annunciator. Secundo qualis debet eſſe doctrina veritatis. Tertiò quantæ reuerentiæ & honeſtatis debet eſſe annunciator doctrinæ veritatis. Idoneo veritatis doctrinæ annunciatori ſeptem ſunt neceſſaria, ſecundum Auguſtinum, lib. 3. de Eccl. pot. quæſt 15. art. 2. quorum primum eſt, vt per eum veritas fidei non peruertatur; Eccleſiæ mandatum non contemnatur; Peccatum accuſatione dignum toto conatu fugiatur; Nouus viuendi ritus non inueniatur; Verbum Dei etiam delectabiliter audiatur; Charitas Chriſti non ſpernatur; & ſeptimum vt per eum de operibus bonis mundi gloria non quæratur. Prædicatori ſeptē ſunt neceſſaria. Probationes horum obmitto propter prolixitatem. Cum autem talis fuerit, extunc vltimo requiritur, vt ab Eccleſia ad prædicandum veritatem doctrinæ mittatur. Hoc eſt contra Huſſitas dicentes & aſſerentes cuilibet ſacerdoti licere prædicare etiam ſine licentia ſuperioris. Contra quem errorem contrarium patet de Chriſto, qui cum eſſet filius Dei, habens omnia in poteſtate ſua, Ioannis decimo tertio; Ioan. 13. tamen non prius cœpit prædicare, quam de eo vox de cœlo intonās ex parte Patris diceret: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacuit.* Luc. 3. Matt. 17. Et ſequitur *Ipſum audite.* Luc. tertio, & Matth. decimo ſeptimo. Gorra. ſuper epiſtolam ſecūdam Thimoth. ſecundo dicit: Commenda fidelibus qui ſunt idonei & alios docere. Idonei triplici idoneitate, vita, ſcientia, & facundia. Propter quorum defectū clamat Hieremias, c. 1. *A. a. a Domine Deus. Ecce neſcio loqui.* Hoc idem patet Iſaiæ, vt dicitur Luc. quarto; vbi Chriſtus probans ſe miſſum à Deo, accepto libro Iſaiæ Prophetæ legit illud quod de eo ſcriptum erat ſexageſimo primo capitulo in hæc verba. *Spiritus Domini ſuper me eò quod vnxerit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me.* Hæc ille. Secundo idem patet de Ioanne Baptiſta, qui licet ſanctificatus in vtero, tamen non niſi per miſſionem prædicauit Ioannis primo. Ioan. 1. *Fuit homo miſſus à Deo.* Miſſionem autem ſuam quia interior erat, probauit auctoritate Scripturæ Propheticæ quæ de eo dicta erat, *Ego vox clamantis in deſerto, ſicut dicit Iſaias;* Luc. 3. nec tamen prædicare cœpit donec fieret ad eum verbum Domini in deſerto; vt patet Luc. tertio. Vbi dicit Albertus Magnus q; per hoc data eſt ſibi auctoritas prædicandi. Tertiò idem patet de Paulo, qui cum eſſet Doctor omnium gentium à Deo electus, tamen non audebat prædicare ſine licentia Petri, vt dicit Auguſtinus ad B. Hieronymum in epiſtola; Actor. 9. vt etiam ipſe refert de ſe ad Galat. ſcribens. *Deinde*, inquit, *aſcendi Hieroſolymam, & contuli Euangelium cum Petro, ne forte in vacuum curre-*

currerem aut cucurriſſem. Et ad Rom. 10. dicit, *Quomodo prædicabunt niſi mittantur,*

Ad veritatis doctrinam tria requiruntur. Secundo, videamus doctrinam veritatis, quæ debet eſſe honeſta, vtilis, & etiam docilis. Primo honeſta, vt ſit honeſtis verbis: Ex quo enim doctrina veritatis eſt verbum Dei; certè cum maxima honeſtate dicendum eſt & audiendum. Vnde Auguſtinus dicit. 1. q. 1. Interrogo. Quod eadem reuerentia debet haberi ad verbum Dei, ne aliquid de eo in vanum omittatur, quę habetur ad corpus Chriſti ne in terram mittatur. Secundo debet eſſe vtilis. Non enim multis ſed efficacibus opus eſt, inquit Seneca. Tertio debet eſſe docilis, vt gratanter audiatur; hoc autem quia non poteſt prædicator habere à ſe, cum ſit donum Dei, orabit diligenter, vt Deus det verbo ſuo virtutem. *Hominis enim eſt præparare animum; Domini autem gubernare linguam.* *Prou. 16.* Ante omnia etiam vigilandum eſt vt doctrina veritatis careat omni adulatione. Nam dicit Chryſoſt. ſuper Matth. Si propter timorē mortis tacere veritatem impium eſt, propter miſerum ventrem & honoris vani ſpem, grauioris culpæ eſt. Nemo ergo propter fauorem humanum veritatem occultet, ſciens quia non eſt nouum ſed antiquum quod liberè & ſine adulatione veritatem prædicantes & geſta prauæ vitæ arguentes, gratiam non habebunt apud homines; quia hæc eſt conditio veritatis, vt eam ſemper inimicitiæ conſequantur, ſicut per adulationem perniciosè inimicitię conquerentur.

Reuerentia digna prædicatoribus exhibenda. De tertio quantæ reuerentiæ debent eſſe annunciatores veritatis dicit Apoſtolus ad Timotheum. *Presbyteri qui bene præſunt, duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo Dei.* Dicit Gregorius quinto libro Regiſtri ſui, ſcribens Mauritio Imperatori in hæc verba. Non indignetur Dominus meus ſacerdotibus, ſed eis debitam reuerentiam impendat propter eum cuius ſerui ſunt; quia illi quandoque dij, quandoque Angeli in ſcripturis appellantur. *Exod. 32. Mal. 3.* Vnde Conſtantinus, cum in Concilio trecenti eſſent congregati Epiſcopi, & contra ſe mutuo quærelas conſcriptas in libellis ſibi obtuliſſent, omnes libellos igne facto in medio ipſorum combuſſit dicens, nō eſt dignum vt ego homo exiſtens, Deos iudicem; Deus enim Deos iudicare debet. Ego debeo à vobis iudicari, vos autem à nemine. *Lib. 5. hiſtoria tripartita.* Et idem Imperator legitur dixiſſe. Si aliquem in clericali habitu turpiter agentem viderem, amictu & chlamide mea ipſum cooperirem ne videretur. Et ideo vt dicit Auguſtinus iſte Imperator diu in magna proſperitate regnauit. *Aug. lib. 5. de ciu. Dei c. 25.* Idem patet de Theodoſio qui propter maximam obedientiam & reuerentiam quam exhibuit beato Ambroſio, diu regnauit & proſperabatur contra inimicos in omnibus. Econtra vero inobedientes prophetis & ſacerdotibus, ſemper peſſimè fi[...]eru[...]t, vt patet de Saul; quia *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Dominus, & ſedere fecit mites pro eis.* *Eccl. 10.*

VII.

Spiritus ſanctus eſt perfectus & vtilis doctor veritatis vitæ, quæ neceſſaria eſt omnibus hominibus, & conſiſtit in ſanctitate & in juſtitia coram Deo; ita vt homo innocenter viuat ad Deum & proximum, *Luca. 1.* ſeruando mandata Dei, diligendo Deum ſuper omnia, & proximum ſuum ſicut ſeipſum: habendo etiam deuotionem ad Deum, & miſericordiam ad proximum. Hæc eſt veritas vitæ, quæ homini multa bona facit, & primo placere Deo, iuxta illud Pſalm. *Complacui in veritate tua.* Et rectè, *quia miſericordiam & veritatem diligit Deus.* *Veritas vitæ qualia bona homini præſtat.* Secundo quia talis veritas in quocūque fuerit, omnia præcellit vt dicitur. 2. Eſdræ. 4. *Omnes enim dicunt & clamant, quia magna eſt veritas & omnibus prævalet.* Et reuera prævalet; nam tales apud Deum multa mirabilia leguntur feciſſe, vt Apoſtoli & eorum ſequaces, quia erant ſimplices ſicut columbæ. Tertio quia veritas operatores ſuos in omnibus cuſtodit. *Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt, & veritas ad eos qui operantur bonum reuertetur.* *Eccl. 27.* Quarto quia regnum cœlorum ingredi facit; *Aperite portas & ingredietur gens iuſta in eas, cuſtodiens veritatem.* *Iſa. 26.* Quinto quia opus quodlibet meritorium efficit. *Dabo opus eorum in veritate.* *Iſaia. 41.* Sed proh dolor hodie eſt verum illud Pſalmiſtæ. *Diminutæ ſunt veri-*

ritates à filijs hominum. Diminutæ dicit, quia & veritas iuſtitiæ, doctrinæ & vitæ in omnibus diminuuntur. Et hinc homines hodie diuerſimodè ſe habent ad veritatem. Quidam enim eam odio habent, vt homines ſuperbi. *Habuerunt me odio gratis,* dixit Chriſtus prima veritas de ſuperbis phariſæis. Alij vero detrahunt veritati. *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis?* & hoc faciunt inuidi. Alij eam captiuam detinent, vt Romanorum. 1. *Veritatem in iuſtitia detinent.* Alij eam impugnant, vt neceſſe ſit eam cadere. *Corruit in plateis veritas.* Alij eam pro vili pretio vendunt. *Pro buccella panis deſerit veritatem.* Sed quicquid ſit, in fine veritas triumphabit, inimicos ſuos proſternet, & amicos ſuos liberabit. *Vos cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos,* ſcilicet à culpa, *& tandem* à pœna & miſeria præſenti, deinde *dabit gloriam.* Quam nobis concedat Chriſtus qui eſt via, veritas & vita. Amen.

Ioan. 15. *Ioan. 6.* *Iſaia 59.* *Prou. 28.* *Ioan. 8.*

DOMINICA QVARTA POST PASCHA.

SERMO II.

Cum venerit paracletus, ille arguet mundum de peccato, & de iudicio & de iuſtitia. Ioan. 16.

INſpicientes ſanè & conſiderantes totum illud ſæculi æuum, quod à mundi exordio vſque ad Chriſti defluxit aduentum, abſque dubio nihil in eo inuenire poterimus niſi tribulationes & dolores, triſtitias, turbationes & lachrymas, oppreſſiones iuſtorum, & anguſtias multiplices & varias, paucos autem vel nullos conſolatores aut liberatores ab eiſdem, iuxta illud. *Vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocentum, & neminem conſolatorem, nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio deſtitutos.* Proinde clamabant iuſti ad Dominum tãtis oppreſſi calamitatibus, tantis afflicti mœſtitijs, ac tantis deſtituti auxilijs, vt mitteret eis conſolatorem & propugnatorem, protectorem & liberatorem. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem & propugnatorem qui liberet eos,* non ſolum ſaluatorem, ſed & protectorem poſtulantes. Nec mirum quod ſic clamabant cum oppreſſi fuiſſent non ſolum tribulationibus multis, ſed etiam malis. Pſal. 70. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas?* *Multas* dicit propter diuerſitatem tentationis, eo quod Diabolus tunc non ſolum impellebat ad peccatum, ſed etiam attrahebat; *& malas* propter crudelitatem afflictionis, eo quod diabolus dirè & crudeliter deſæuiebat in ſanctos. Vnde & tempore Chriſti Chananæa de filia ſua confeſſa eſt quia malè à dæmonio vexabatur. Videns igitur Deus pater afflictionem populi ſui qui erat in AEgypto huius mundi, tanquam pater miſericordiarum, & DEVS totius conſolationis, miſertus eſt in miſericordia & miſerationibus, & ex magna miſericordia miſit filium ſuũ vnigenitum in ſaluatorem: qui ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, & ex miſerationibus multis poſt hoc miſit Spiritum ſanctum nobis in protectorem & conſolatorem, qui ſecundum multitudinem dolorum noſtrorum in corde noſtro, conſolationibus ſuis lætificauit multipliciter animas noſtras, vt dicitur Pſalm. 93. quatenus etſi oſtendit nobis tribulationes multas & malas ad tempus, tamen conuerſus ad nos iterum

Eccl. 4. *Iſaia. 19.* *Matt. 15.* *Tit. 2.*

oculo

oculo pietatis & miſericordiæ, conſolatus eſt nos, & de abyſſis terræ, id eſt, de profunditate triſtitiarum reduxit nos. Pſalm. 70 propter quod idem Spiritus ſanctus paracletus dicitur, id eſt, conſolator, cuius aduentum Saluator noſter mundo vtilem & neceſſarium prædicens, in verbis thematis oſtendere dignatus eſt, dicens. *Cum venerit* inquit, *paracletus*. In quibus verbis deſcribitur Spiritus ſanctus, primo vt mœrentium & deficientium conſolator, quia *paracletus*. Secundo vt negligentium & errantium repræhenſor, quia *arguet mundum*. Tertio oſtenditur culparum & negligentiarum quas arguit dignus vltor, quia *de peccato, de iuſtitia, & de iudicio.*

I.

Spiritus Sanctus ſecundum Bernardum ſerm. 74. eſt ſpiritus bonus, Spiritus ſanctus, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus fortis, infirma roborans, aſpera planans, corda purificans, quicquid in hoc ſeculo nequam videtur difficile & anguſtum, leue facit & latum; opprobrium gaudium iudicat, deſpectionem exaltationem eſſe perſuadet. Hæc Bernardus. Quæ omnia certè magnæ ſunt hominis conſolationes; circa quod notandum, quod quando nutrix recedit à puero, puer triſtatur & plorat; & licet ipſa puerum hortetur & moueat, quod non ploret nec doleat, puer tamen cum receſſerit ſtatim clamat & plorat, quantumcunque cito ſe redituram promittat, nec ceſſat à fletu donec nutrix lac in os ſuum mittat. iſto modo Chriſtus nutricius fuit Apoſtolorum. Oſeæ. 11. *Ego quaſi nutricius Ephraim*. Ephraim interpretatur frugifer, & figurat Apoſtolos, qui fruges doctrinæ ferebant, quibus totus mundus fuit ſaturatus. Iſte ergo nutricius accepit licentiam ab Apoſtolis recedendi in cælum, vt dicitur Ioannis 14. *Vado & venio ad vos*; & tamen iſto non obſtante ipſi ſe à triſtitia non poterant continere, vt dicitur hic. *Sed quia hæc locutus ſum vobis*, ſcilicet de meo receſſu, *triſtitia impleuit cor veſtrum*: ideoque Chriſtus ſpiritum Sanctum eis conſolatorem promiſit mittere, tanquam lac dulciſſimum. Iſaiæ 60. *Lac gentium ſuges, & mammilla regum lactaberis*. Iſtud lac eſt dulciſſimum ſuper mel. Eccl. 24. *Spiritus enim meus ſuper mel dulcis*. Iſto lacte hodie conſolatur nos Spiritus ſanctus, & reficit de die in diem, mitigando amaritudines huius vitæ & dulcorando eas. Veruntamen Spiritus ſanctus facit interdum ſicut prudens mulier, quæ ſciens lac non poſſe durare in propria ſubſtantia & diſpoſitione naturali, quin corrumpatur & reſoluatur à caliditate ſimul & corrumpatur, admiſcet dulcedini lactis amaritudinem mordicinorum, id eſt, quorundam boletorum quæ præſeruant lac à putrefactione & condenſant illud in caſeum ſolidum, qui dudum durare poteſt. Iſto modo Spiritus ſanctus, videns quod habens gratiam eius & conſolationem poſſet de facili extolli & ſuperbire, non æſtimans ſe ſimilem eſſe cæteris, ſicut phariſæus Lucæ 18. ad incutiendum timorem proponit diuinæ iuſtitiæ æquitatem, & ad incutiendum dolorem proponit propriæ culpæ iniquitatem, ſicque amaricat ſibi conſolationes præſentis vitæ, & conſeruat eam à putredine ſuperbiæ. Si tamen videt animam multum timentem ſeueritatem iuſtitiæ, aut exceſſiuè turbatam de iniquitate propriæ culpæ, ſtatim ne deſperet miſericordiam proponit propitiationis diuinæ, per quam erigit ad ſpem. Sic mater filio quem interdum acu pungit tacitè ad os, ne nimis lactu inſiſtat. Sed videns eum nimium flere, finaliter conſolatur lactando ad plenum ipſum filium.

Ephraim quid ſignificet.

A ſuperbia quatenus in præſenti vita præſeruemur.

Sed circa hoc aduertendum quibus datur iſta conſolatio: Et certe non illis, qui hic habent conſolationes propriæ voluntatis & temporalis voluptatis, de quibus dicitur Lucæ. 6 *Væ vobis diuitibus qui habetis hic conſolationem veſtram*, id eſt, qui

Spiritus S. quos conſolatur.

eſt qui abutimini diuitijs ad voluptatem, vt exponit Lyran. Vnde dicit beatus Bernardus: delicata eſt nimis diuina conſolatio, & non datur admittentibus alienam. Hæc conſolatio eſt vana propter durationis paruitatem. *Vanè conſolabantur:* Nec ſolum vana, ſed etiam oneroſa propter faſtidij generationem; nam ſecundum beatum Auguſtinum, bonum temporale dilectum cum non habetur deſideratur, cum adipiſcitur vileſcit. Hinc eſt quod Iob omnibus amicis eum in dolore conſolantibus dixit: *Conſolatores oneroſi vos omnes eſtis.* Conſolatur ergo Spiritus ſanctus illos, qui nihil conſolationis habent in mundo, qui ſunt quaſi populus eius ſpecialiter electus; de quibus dicitur. *Conſolatus eſt Dominus populum ſuum.* Conſolatur autem eos ſecundum diuerſos ſtatus, & primò contemplatiuos, infundendo eis dulcedinem ſuæ cognitionis, per quam vident bonum æternum, & in eo delectantur. De quo dicitur: *Conſolabitur Dominus Syon.* Syon interpretatur ſpecula; & ſignificat illos, qui ſpeculantur & vident Deum per ſpeculum ſcripturæ & in ænigmate fidei. Secundo conſolatur ſperantes, reſurrectionem corporum expectantes. Pſalmiſta. *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea.* Vnde de talibus ſperantibus dicitur: *Conſolamini inuicem in verbis iſtis*: & per hoc infundit Deus ſuis dulcedinem ſuæ dilectionis. Tertio conſolatur proficientes in virtutibus *Eccleſia ædificabatur in timore Domini, & conſolatione Spiritus ſancti replebatur.* Quarto conſolatur lugentes pro peccatis proprijs & alienis. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Et. *Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt conſolarer omnes lugentes.* Quinto conſolatur omnes castè viuentes. *Cor viduæ conſolatus ſum.* Sexto conſolatur in libris ſacris legentes & ſtudentes *Habemus ſolatium libros ſanctos* Et, *Quæcunq; ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Septimo conſolatur patientes acerbitatem præſentis tribulationis *Conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Et: *Sicut abundant in nobis paſſiones Chriſti, ita per Ieſum Chriſtum abundant conſolationes.* Octauo conſolatur humiles in ſanctis ſuis. *Deus humiles conſolatur.* Et: *Expectemus humiles conſolationem eius.* Nono conſolatur Deum timentes, ſicut patet de Simeone timorato, qui expectans conſolationem erat iuſtus & timoratus. Decimo conſolatur puſillanimes, id eſt, illos qui non audent aggredi difficilia opera virtutum, timentes ſuccumbere: vel pœnitentiam non audent aſſumere, timentes non poſſe perficere; quibus dicitur. *Dicite, puſillanimes confortamini, & nolite timere.* Hæc autem conſolatio Spiritus ſancti non eſt vana, ſicut illa mundana, ſed pleniſſima *vt repleamini ab vberibus conſolationis veſtræ.* Item non eſt vilis ſed precioſiſſima. *Oculus non vidit.* Item non eſt fragilis aut momentanea, ſed durabilis & longiſſima. *Lætitia ſempiterna erit ſuper capita eorum.*

Zach. 10.
Iob. 16.
Iſaia. 49.
1. Contemplatiuos.
Iſaia. 51.
Syō quid.
2. Sperantes.
1. Theſ. 4.
3. Proficientes.
Act. 9.
4. Lugentes.
Matth. 5.
Iſaia. 61.
5. Caſtos.
Iob. 29.
6. Legentes ſacra.
1. Mach. 12.
Rom 15.
7. Patientes.
2. Cor. 1.
Ibid.
8. Humiles.
2. Cor. 7.
Iudith 8.
9 Timentes Deũ.
Luca. 2.
10. Puſillanimes.
Iſaia. 35.
Iſaia vlt.
Iſaia. 64.
Iſaia. 35.

II.

Arguet mundum. Merito mundus arguendus eſt, tanquam plenus malitia, & qui totus in maligno poſitus eſt. *Quicquid eſt enim in mundo, aut eſt concupiſcetia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Quomodo ergo non eſt arguendus qui nihil boni in ſe habet? Vbi notandum quod merito mundus arguitur à Spiritu ſancto, quia ipſe mundus cum ſuis ſocijs carne & diabolo contra nos arguit. Arguit autem Spiritus ſanctus veraciter & demonſtratiuè, ſed mundus cum ſuis ſocijs fallaciter & ſophiſticè ſeu ſeductiuè. Arguit Chriſtus per certas demonſtrationes, mundus per rethoricas perſuaſiones: dæmon per ſophiſticas obligationes, caro per inſolubilium deductiones. Primo arguit Chriſtus per Spiritum ſanctum diſputando demonſtratiuè, vt nos doceat & corrigat. Procedunt enim ſuæ demonſtrationes ab inuentis principijs & notiſſimis nobis, quia de peccatis noſtris; vnde dicitur hic arguendum mundum de peccato. Iſti argumento non eſt inter nos qui ſciat reſponder: *quia ſi dixerimus quod peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt* Vnde Iob. 9. dicitur. *Quantus ego ſum vt reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo qui etiam ſi habuero quippiam iuſtum non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor.* Sic reſpondit ei mulier depræhen-

1. Ioan. vlt.
1. Ioan. 2.
Quomodo arguat Chriſtus per Spiritum S. mundũ.
1. Ioan. 1.

prehenſa in adulterio, quando Chriſtus ei geometricas demonſtrationes digito pro-
Ioan. 8. traxit in terra, & ideo confuſionem & cõcluſionem euaſit, dicente ſibi Chriſto: *nec ego te condemnabo*, *vade & amplius noli*
2. Reg. 12. *peccare*. Sic reſpondit Dauid ad Nathan, cum eum argueret de adulterio & homicidio. Ille dixit: *peccaui Domino*. Cui ſtatim Nathan dixit: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Non eſt ergo melior reſponſio Chriſto arguenti niſi humilis confeſſio
Mundus arguit perſuaſionibus. peccatorum. Secundo arguit mundus per rhetoricas perſuaſiones. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum vt locupl es fias, & veſtimentis albis induaris*. Eſt e-
Apoc. 3. nim perſuaſio mundi vt colligas, lucreris, & vndecumque poteris perquiras; & cum diues factus fueris, tunc per opera pietatis ſatisfacies Deo pro peccatis tuis. Vnde mundus primo ſuadet quærere quæ ſunt mundi; & poſtea quæ ſunt Dei. Chriſtus
Matth. 6. verò oppoſitum. *Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius*. Vnde ſicut rhetor per exempla ſuadet mundus dicens: Nonne Abraham diues fuit? Dauid Rex magnificus? Gregorius eleem oſynarius, & tamen amici Dei ſingulares facti ſunt? Et ſic de multis alijs ſanctis, qui in ſanctitate diuitias habuerunt? Sed certè mentita eſt iniquitas ſibi, nam diues epulo ad tormenta raptus eſt, & alter diues dilatans horrea ſua, anim am dæmonibus rapientibus exhalauit; & beatus diues, qui eſt inuentus ſine macula. Semper enim diuitiæ maculant & inquinant, propter annexas voluptates & alia vitia. Ideo iſtæ rationes mundi non debent Chriſtianos mouere, quia licet cum diuitijs Chriſto bene ſeruire ſit poſſibile, eo quod diuitiæ ſunt electis adiuuamenta virtutum, tamen beatus diues qui non abijt poſt aurum, nec ſperauit in theſauris pecuniæ, quod Salomon pro miraculo computat. Ideo ſecurius eſt viam paupertatis eligere & maioris perfectionis, nec mundus audiendus cum ſuis ſophiſticis & deceptorijs argumentis. Vnde etſi nobis talia perſuadet, ſimus tanquam ſurdi non audientes nec aperientes os noſtrum. Relinquamus eum latrare ſicut canem, vbique ſcientes eius aſtutiam; quia quæ promittit, non adimplet; aut ſi implet, in malum noſtrum conuertit, & nobis blanditur vt decipiat. Quantos enim vidimus ante nos *Honores huius ſaculi nõ ambiendi.* qui mundi promiſſis illecti laborauerunt, ſudauerunt, & vires exhauſerunt, pro conſequendis honoribus, dignitatibus, aut prælationibus? Poſtquam autem eas ſunt adepti, tranſierunt ad patres, ita vt verum ſit, *Mundus tranſit & concupiſcentia eius*. *1. Ioan. 2.* Ideo dicunt reprobi hodie in inferno. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit?* *Sap. 5.* Et ſequitur. *Tranſierunt omnia velut vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam; cuius cum pertranſierit non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus*. Certè multi ſe æſtimant fęlices ſi adipiſcerentur honores, ille Epiſcopatum, ille Canonicatum, & ſic de alijs. Sed ipſis contingit, quod velocius deſcendunt ad infernum, quam vt aſcendant ad talem honoris gradum. Sæpius vidimus noſtris temporibus, atque vtinam non vidiſſemus, quod multi pro prælaturis litigauerunt decem annis, quas adepti vix vno anno in eis manſerunt. Vnde ipſis contingit ſicut illis qui in mari decipiuntur per inſulam cæti. Cætus enim quandoque colligit in dorſo arenam, ſupra quam creſcunt gramina & herbæ vireſcunt, vnde apparet nauigantibus quaſi inſula: per hoc nauigantes decepti, deſcendunt de nauibus volentes pauſare, & facientes ignem ad coquendum comeſtibilia; quem cetus ſentiens ignem, mergitur in profundum, ſicq; illi præcipitantur. Sic eſt de talibus. Ideo contra talem deceptionem vtamur cautela ipſius vulpeculæ, quæ cum aſcendit glaciem, prius apponit aurem diligenter, & ſi ſentit ſub glacie fluẽtem aquam, nullo modo in illa glacie moratur, quia ſignum eſt aquam eſſe prope ſuperficiem glaciei, & glaciem tenuem. Sic nos perpendamus prius, mundum non durabilem ſed fragilem eſſe, ideoque non committamus nos periculo.

Tertio arguit dæmon per ſophiſticas obliga-

obligationes. Obligat enim hominem ad falſitatem, vti ante primum peccatum fecit falſam propoſitionem mulieri. *Geneſ. 3.* *Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dij.* Sed qui tales obligationes admittunt, adducet eos Dominus cum operantibus iniquitatem. Et ideo dicamus nos: *Non oportet nos de hoc reſpondere tibi.* *Caro deductionibus inſolubilibus.* Quarto caro arguit per inſolubilium deductiones, quia ipſius argumentationes vix ſolutiones recipiunt, in quibus quotidiana eſt pugna, ſed rara victoria. Iacob. 1. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Interlinearis Bedæ. Abſtractus à recto intinere; & illectus ad malum. Et quid ex hoc ſequitur? certè peſſima concluſio, ſicut ſequitur. *Deinde*, inquit Iacobus, *concupiſcentia cum conceperit*, ſcilicet delectando & conſentiendo, *peccatum parit*, ſcilicet perducendo ad actum manifeſtè. *Peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Sed nos ſcientes quia caro quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum non poſſidebit regnum Dei, reſpondeamus carni illud Apoſtoli. *Debitores ſumus non carni vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemur. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuemus.* Vnde caro eſt ſicut exactor, cuius vox ſecundum dictum Iob non eſt exaudienda. Et tantum de ſecundo.

III.

De peccato, de iuſtitia, & de iudicio. Ecce tres culpæ & tres negligentiæ, propter quas homines mundani ſunt arguendi in quolibet ſermone faciendo per ſacerdotem. De peccato quidem quod habent. De iuſtitia quam non habent, nec faciunt. De iudicio quod non timent. *Mundani à Spiritu S meritò arguendi.* Circa quod ſciendum quod mundani homines ſeptem mortalibus laborantes merito ſunt arguendi à Spiritu ſancto, & conſequenter à prædicatoribus & viris ſpiritualibus, ſicut illi qui permittunt optimos fructus hortorum ſuorum depaſci, imo deuaſtari à ſeptem beſtijs. Vel qui ſe voluntariè exhibent lacerandos ſeptem crudeliſſimis animalibus & beſtijs horrendis, quas enumerans Salomon, dicit *Sap. 11* primam eſſe vrſum, per quam intelligitur gula, *Gula cōparatur vrſo.* quia vrſus eſt animal vorax & in melle ſpecialiter delectatur. Secundo, quia fœtum producit informem, id eſt, turpem, & non habentem expreſſam formam corporis & membrorum: tradunt enim naturales, quod vrſa maſſam carnis parit ſine lineamentis, & partibus organicis ordinatè diſtinctis. Sic guloſi voraces & delectationibus dediti, quicquid faciunt totum ad carnis commodum conuertunt; patet in artificibus noſtris, qui omnia quæ labore comparant, perbibunt & deuorant, & ideo partus eorum & proles operum ipſorum non eſt niſi carnalitas, quam prohibet Apoſtolus dicens: *Rom. 13.* *Carnis curam ne feceritis.* Secunda beſtia eſt leo, per quam ſignificatur ſuperbia, *Superbia ſignificatur per leonem.* quia cæteris animalibus appetit dominari, & natura ſua eſt ferociſſimus & ſuperbus, aliarumque beſtiarum ſeu ferarum quaſi Rex conſortia dedignatur: hinc etiam nulla fera ei ſociatur, & cum rugit, cætera animalia formidant. Hæc eſt regula omnis ſuperbi, quia dedignatur alijs ſe ſociare, alij timent & verentur eum accedere; contra quos dicitur Eccl. 4. *Noli eſſe quaſi leo in domo tua ſubuertens domeſticos tuos.* Tertia beſtia fuit ira plena, & vocatur iracundia, quæ figuratur per quoddam animal quod ab Ariſtotele vocatur Abanæ, *Ariſt. lib. 7. cap. 2. de ani.* eſtque animal magnitudine quaſi ceruus, quod contra conſuetudinem omnium aliorum animalium, habet fel in aure ſimile felli hominis in colore, amarum valde, *Ira figuratur Abana.* & cauſatiuum vehementer iræ & ferocitatis. Sic homines iracundi, videntur habere fel in aure. Quia quantumcunque quis eis loquatur dulciter, amicabiliter, pacificè, honeſtè, modeſtè, & rationabiliter, ſemper eis videtur ſonare in auribus iniuria. Vnde ſemper portant fel in aure, quia quicquid audiunt, in amaritudinem conuertunt; hoc autem fel dicitur eſſe ſimile felli hominis, quia talis homo iracundus loquitur aut defendere intendit ſemper ra-

per rationibus probabilibus, ſicut homo prudens defendere oſtendit ſe. Vnde Actuum 8. dicitur de Simone. *In felle enim amaritudinis video te eſſe.* Et Deuter. 32 *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Vua eorum vua fellis, & botrus amariſſimus.* Quaſi dicat. Siue verba eorum, ſiue opera, ſiue rationes, ſiue intentiones eorum, omnia ſunt inſanabilia.

Acedia comparatur ignotæ beſtiæ.

Quarta fuit beſtia ignota, per quam ſignificatur acedia. Homo enim pigritiæ datus, non poteſt cognoſci de facili; modo vult vnum, modo alterum. Prou. 13. & 21. *Vult & non vult piger.* Et *Deſideria occidunt pigrum.* Et iſta beſtia ſignificatur per aſinum, qui in quibuſdam partibus eſt animal ignotum, ſicut in Polonia.

Aſinus in Polonia ignotus.

Eſt autem proprietas aſini quod in anteriori parte videtur quaſi ad modum crucis in cruribus prioribus & brachijs diſpoſitus, eſtque ibi valde debilis: ſed in poſteriori parte eſt multum fortis, ideo ibi onera portat. Sic eſt de accidioſo & pigris, quia ea quæ ſunt crucis, id eſt, pœnitentiæ aut mortificationis carnis, nihil ſufferunt: ſed ad ea quæ ſunt carnalia & lumbos reſpicientia, ſunt nimis fortes, ſimiles diabolo patri eorum, de quo dicitur. Iob. 40. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico.* Sed bonum eſſet quod tali aſino daretur diarium de quo dicitur Eccl. 33. *Cibaria & virga & onus aſino, panis & diſciplina & opus ſeruo,* id eſt, ſeruienti corpori in opere diuino.

Luxuria per Dracones duos figuratur.

Quinta beſtia fuit ſpirans vaporem igneum, & vocatur luxuria, & figuratur per duos dracones, qui in duobus montibus Armeniæ viam publicam tanta peſtilẽtia infecerunt, ꝙ nullus per eã tranſire potuit, quin ſubitò moreretur, ſicut narrat Ariſtoteles libro ſuo de proprietatibus elementorũ. ꝙ factum Socrates, erecta ſibi altiſſima turri in loco multum diſtante à montibus, per ſpeculum factum de calibe depræhendit, in quo ſpeculo vidit illos duos manifeſtos dracones, vnum ex vno monte, alium ex alio vaporem emittere, quo aer infectus homines inter montes per viam euntes interfecit. Accidit autem iſtud tempore Philippi patris Alexandri Magni, ſicut ibidem narratur; & per hoc ſignificantur duo ſtatus, laicorum videlicet & clericorum, qui hodie dediti luxuriæ; illi adultera committentes, iſti concubinas fouentes, tanquam duo dracones venenoſi, homines ſimplices in via mandatorum Dei incedentes, exemplo prauo ſcandalizant, & inficiunt, de quibus Iohelis. 2. *Dabo prodigia,* id eſt, monſtra, *in cœlo,* id eſt, in ſpiritualibus, *& in terra,* id eſt, in laicis, *ſanguinem* ſcilicet peccati, *& ignem,* id eſt, ardorem concupiſcentiæ, *& vaporem fumi,* id eſt, famam malam volantem ab eis & inficientem alios. Vocat autem ea monſtra ſeu prodigia, quia reuera monſtruoſum eſt, vt in talibus dignitatibus conſtituti ſic agant, cum vtrique potius proximis ſuis, bono exemplo prælucere teneantur, iuxta illud. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Sed hodie non eſt hoc monſtruoſum, propter vſitatam conſuetudinem qua frequenter hoc videmus. Vnde non miramur videndo prælatum laſciuum, nec coniugatum adulterum, ſicut nec Balaam expauit aut miratus eſt ad vocem aſinæ loquentis, quamuis monſtruoſum eſſet; quia in exercendo artem magicam talibus monſtris fuit conſuetus.

Inuidia deſignatur per odorem fumi.

Sexto ponit Salomon odorem fumi qui naturaliter eſt liuidus, ſeu pallidus & obſcurus, per quem deſignatur inuidia. Proprium eſt enim inuidi, occultas detractiones, damnationes, & diffamationes quaſi quendam liuidum fumum emittere, vt claritatem famæ beatorum denigret.

Inuidi ſimiles vulpi.

Hi ſunt ſimiles vulpi, quæ naturaliter fœtet, & habet proprietatem ſecundum naturales, quod cum taxus, animal valde honeſtum parauerit ſibi foueam, vulpis in abſentia ſtatim currens mittit ibi fœtidum fimum: ſuperueniens taxus, propter fœditatem foueæ relinquit vulpi eam, abominans & contemnens foueam, ſicque vulpis ſibi acquirit alienum hoſpitium, non laborioſè ſed potius cauteloſè. Iſta eſt natura inuidorum, qui videntes bonum ſtatum aliquorum bonorum hominum, non valentes eos aliter de eorum ſedibus aut dignitatibus vel

eſt eiſs expellere, diffamant & detrahunt eis, accuſantes eos crimine peſſimo apud ſuperiores. Et tandem contingit, quod boni viri antequam cum eis litigent, libentius dimittunt & reſignant illa beneficia, quibus illi tanquam vulpis taxo ſuccedunt, ſed certè non diu proſperantur in eis, ſicut Briccius poſt ſanctum Martinum, qui multa paſſus eſt. Septima beſtia eſt quæ ab oculis ſcintillas horrendas emittebat, & ſignificatur auaritia, quæ quicquid videt in mundo concupiſcit, & quaſi ad omnes diuitias ſcintillas concupiſcentiæ emittit. Vnde comparatur igni, qui creſcit per appoſitionem combuſtibilium. Prouerb. 30. *Ignis numquam dicit ſufficit.* Scintillæ ergo igneæ in auaro ſunt concupiſcentiæ, & deſideria plura habendi, quæ concupiſcentia ſignificatur per cattum, qui habet oculos igneos & ſcintillantes: quia Cata græcè idem eſt quod videt latinè: & ideo dicitur cattus, quia videt in nocte ſicut de die, ac ita prudenter venatur prædam ſuam in tenebris, ſicut in luce. Iſto modo prudentes ſeculi tam ſpirituales quam ſeculares, venantur in tenebris, id eſt, in curiis & atriis principum, tam à dextris quam à ſiniſtris, iuſtè & iniuſtè, per fas & nefas; de quibus dicit Iob. 28. *Omne pretioſum videt oculus eius.* Et Eccleſiaſtes 1. *Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Et Eccl. 1. & 4. *Laborare non ceſſat, & non ſatiantur oculi eius diuitiis.* Et per oppoſitum boni talia fugiunt, dicentes illud Pſalmiſtæ. *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam.* Hæ ſeptem beſtiæ ſignificantur in dracone magno, qui habuit capita ſeptem, vt dicitur. Apoc. 12.

Auaritia igni comparatur.

Deſignatur per cattũ.

Mundus arguendus de peccato.

Secundo mundus eſt arguendus de peccato; ſicut ille Rex qui potens reſiſtere inimicis ſuis, permittit ſe vltrò & ſpontaneè ſeu voluntariè ab eis capi. Vnde inimici noſtri ſignificantur per ſeptem gentes peſtiferas quas expugnauerunt & vicerunt filii Iſrael, ſicut dicitur Sapientiæ 18. & Iudicum. 3. Fuerunt autem gentes iſtæ ſecundum eorum nomina Gergezæus, Amorrhæus, Heuæus, Hethæus, Chananæus, Iebuſæus, & Pherezæus. Gergezæus interpretatur colonum eiiciens, & ſignificat ſuperbiam quæ primum colonum cœli, id eſt, Angelum, & poſtea Adam colonum paradiſi eiecit. Iſta gens arguitur per donum Spiritus ſancti, ſcilicet per timorem Domini, per quem homo vincit aduerſa: Vnde per timorem DEI homo depreſſus eleuatur ad ſuperiora tanquam intrepidus contra aduerſa, iuxta illud. *Qui timet Dominum non experietur quicquam mali.* Amorrhæus interpretatur amaricãs vel amara loquens, & ſignificat inuidum qui totus eſt felleus, ſemper amara diffundens. Iſte arguitur per donum intellectus, quo homo intelligens proximum ſuæ naturæ comparticipem, dulcem ſe proximo ſuo reddit. Tertius Heuæus, & interpretatur lapides colligens, & ſignificat iracundum & rixoſum, qui ſemper colligit lapides offenſionis & ſcandali, quibus alios offendit, ſicut Semei contra Dauid. iſte arguitur per donum conſilii, quo conſulitur nobis per Chriſtum, iuxta illud Matth. 5. *Noli reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit ad vnam maxillam, præbe ei & alteram.* Quartus populus Hethæus, qui interpretatur ſtupor vel formido, & ſignificat acediam, quæ facit hominem ſtupidum & formidantem opera virtuoſa, qui arguitur per donum fortitudinis. Gregorius. 8. moral. Fortitudo ſpiritus eſt carnem vincere propriis voluptatibus, præſentis vitæ dilectionem extinguere. Econtra carnis fortitudo eſt tranſitoria, ſine ceſſatione diligere, contra flagella conditoris inſenſibiliter perdurare. Quintus populus Chananæus, interpretatur poſſeſſor vel negotiator, & ſignificat auarum ſeu cupidum, qui per varias negotiationes poſſeſſiones acquirit & auget. Hinc Auguſt. Quæ eſt iſta auiditas concupiſcentiæ, cùm & ipſæ belluæ habeant modum? tunc rapiunt quando eſuriunt, parcunt verò prędæ cum ſenſerint ſatietatem. Inſatiabilis eſt ſola auaritia diuitum; ſemper rapit & nunquam ſatiatur; nec Deum timet; nec hominem reueretur; nec patri parcit, nec ma-

Deut. 7.

2. Reg. 16.

Aug. de verb. Dom. ſerm. 15.

Auaritia qualitas deſcribitur.

trem

trem cognoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem obſeruat, viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in ſeruitium reuocat, teſtimonium falſum profert, res mortui occupat. Quæ eſt animarum inſania amittere vitam & appetere mortem? acquirere aurum & perdere cœlum? Iſte arguitur per donum pietatis, quæ monet ad tribuendum pauperibus ex miſericordia propter Deum. Sextus populus eſt Iebuſęus qui interpretatur præſepe, & ſignificat gulam, quæ ſuadet homini ſemper ſtare ad præſepe. Iſte arguendus eſt per donum ſcientiæ, per quam homo ſcit tēperatè viuere.

Philip. 4.

Scio abundare, ſcio & penuriam pati. Septimus populus eſt Pherezæus, qui interpretatur diſſeminans terram, & ſignificat luxurioſum, qui illicitè ſeminat ſemen ſuum.

Galat. 6.

Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem. Iſte arguendus eſt per ſapientiam, id eſt, per ſapidam ſcientiam, & ſaporem cœleſtium, quibus guſtatis vileſcit omnis dulcedo carnalis.

Mundus de iuſtitia arguendus.

Secundò mundus meritò eſt arguendus de iuſtitia, quam non habet, quæ tamen omnibus, & ad Rempublicam regendam maximè eſt neceſſaria, à qua nullum tempus vacare debet, teſte Tullio lib. 1. de off. cap. 13. Virtutis huius ſplendor eſt maximus, quia fundamentum perpetuæ commendationis & famæ eſt, cuius ſecundum Ambroſ. libr. 1. de offic. prima eſt pars in Deum, vt ſcilicet quæ ſunt Dei, Deo reddantur.

Matt. 22.

Secunda in patriam, vt ſcilicet defendatur, & in pace conſeruetur. Tertia in parentes, deindè in omnes. Et ſecūdum hoc iuſtitia deſcribitur, quod eſt virtus, per quam vnicuiq; quod ſuum eſt tribuitur, ſecundum Auguſtinum.

Aug. de ciu. Dei libr. 19. cap 1.

Iuſtitiæ definitio.

Et Macrobius dicit. Iuſtitia eſt, quando vnicuique quod ſuum eſt, ſeruatur. Quod expreſſius declarat Bernard. ſerm. 4. dicens: Iuſtitia eſt virtus, quod ſuum eſt vnicuiq; tribuens, ſuperiori ſcilicet Prælato obedientiam & reuerentiam; æquali, id eſt, pari, conſilium & auxilium, contra eius ignorantiam & infirmitatem; inferiori cuſtodiam & diſciplinam. Quæ omnia viguerunt in antiquis Patribus, non ſolum Deicolis, ſed etiam idolatris & paganis, & ideò tunc aureum ſæculum dicebatur. Nunc autem propter defectum iuſtitiæ, quando omnes in Eccleſia Chriſti quæ ſua ſunt non quæ Ieſu Chriſti, neceſſe eſt omnia deordinari, eò quod ſecundum Auguſtinū, Remota iuſtitia quid ſunt regna niſi latrocinia?

Aug. libr. 4. de ciu. Dei ca. 4.

Ideò ſapiens clamat, vt rectores & præſides, prælati & iudices ad reformandum ſtatum mundi & Eccleſiæ Chriſti diligant iuſtitiam, dicens:

Sap. 1.

Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Notanter dicit, *diligite iuſtitiam*, non ſolum facite iuſtitiam. Nam ſecundum Robertum Holcoth, multi ſunt qui faciunt iuſtitiam, ſed tamen eam non diligunt, & ideò meritò ſunt à Spiritu Sancto arguendi, quorum ſunt quatuor genera.

Quatuor genera eorum qui facĩt nec tamen diligunt iuſtitiam.

Primi ſunt appetentes honores & reuerentiam. Secundi vindicantes rancores per impatientiam. Tertij lucratiui munerum. Et quarti diſſimulatiui ſcelerum. Primi ſunt qui licet non diligunt iuſtitiam, volunt tamen videri iuſti: arguunt delinquentes, vituperant vitia, & docent virtutes; puniunt ſine miſericordia, & tamen cum intentione corrupta, quia non ob aliud niſi vt honorificentur ab hominibus, & vt vocentur iuſtitiæ zelatores, quales fuerunt Scribæ & Phariſæi, de quibus Matth. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarū &c.* Secundi ſunt vindicatiui rancoris & impatientiæ, prætendunt ſe amatores iuſtitię & non ſunt. Sicut enim iuſtitia vult vindicare delicta, ſic & ira iniuriam. Vnde philoſophus dicit; quod ira eſt appetitus vindictæ; iratus autem dolet vindictam quaſi patiens aliquid iniuſtum, ſed quando punit delectatur, vt dicitur 3. Ethicorum ca. 12. Tales fuerunt illi duo ſenes nequam, qui Suſannam condemnabant.

Dan. 13.

Vnde inter paſſiones malas in iudice ira eſt peior, quia impedit animum nè poſſit cernere verum, & in pœnis neſcit medium tenere. Et ideò dicitur Iacob 1. *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* Et certè non ſolum non operatur, ſed etiam deſtruit. Tertij ſunt lucratiui munerum, prætendunt enim ſe iuſtitiam diligere, ſed mentiuntur; quia plus diligunt pecuniam propter quam faciunt iuſtitiam. Iſti non ſunt amatores iu-

 ſtitiæ

ſtitiæ, ſed mercatores, eò quod apud eos, qui plus dat pecuniç, plus reportat iuſtitię. Quibus maledicitur per Prophetam. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferiis ab eo.* Quarti ſunt diſſimulatiui ſcelerum, ſicut illi qui videntur eſſe compaſſiui, & ita non vlciſcuntur nec puniunt delicta, & faciunt ad modum matris, quæ non ſuſtinet ligari vel aduri filium freneticam, quam poſtea videbit omninò veſanam, ſicut dicit Auguſtinus in quadam epiſtola. Et iſta eſt falſa & inſana manſuetudo vel pietas, immò potius eſt crudelitas aliorum, quia per hoc quod dimittitur multum malum votus, multi exemplo eius deprauantur. Ideò dicit Hieronymus. Secandæ ſunt putrdæ carnes, nè totum corpus inficiatur & putreſcat; & vna ouis morbida à caulis eſt repellenda, nè totus grex inficiatur; & vna domus accenſa extinguatur, nè tota ciuitas comburatur. Et tantum de iſta iuſtitia.)

Iſaiæ 5.

Mundus de iudicio arguendus. Tertiò de iudicio arguendus eſt mundus, quod non timet. Et meritò: cum enim illud iudicium ſit multum horribile, in quo etiam hi, qui videbantur iuſti, vix ſaluabuntur, multò magis mundus qui plenus eſt peccatis arguendus eſt, quod non timet tale iudicium. De quo dicitur Iſaiæ trigeſimo: *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Vnde tunc dicent reprobi Chriſto: *Grauis eſt nobis ad videndum.* Et circa hoc notandum, quod iſta eſt differentia inter bonos & malos, quia boni timent de peccatis ſuis, & timent Deum ante iudicium, vnde dicunt: *Confige timore tuo carnes meas.* Hoc enim conſulit ſapiens: *De propiciatu peccatorum noli eſſe ſine metu.* Et ideò taliter timenti Deum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuę benedicetur, vt dicitur Eccleſ. 1. Et per oppoſitum reprobi, quia non timent peccata ſua, nec verentur peccare; ideò etiam nec Deum timent, nec eius iudicium. Sed certè veniet dies quando timebũt, quando timor erit ad pœnã non ad emendationẽ quando dicent. *Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ;* tunc enim venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum, vt dicitur Sap. quarto. Propter quod dicit Gregor. decimo quarto moral. Vitari namque terror iudicis non niſi ante iudicium poteſt, non modo cernitur, ſed precibus placatur. Cũ vero in illo tremendo examine ſederit, & videri poteſt, & placari non poteſt, quia facta prauorum quæ diu ſuſtinuit tacitus, ſimul omnia reddet iratus. Vnde neceſſe eſt nunc timere iudicem, cum nondum iudicium exerceat, cum diu ſuſtinet, cum adhuc mala tolleret quæ videt, nè cum hũc in retributionem vltionis iuſtitia concuſſerit, tantò in iudicio diſtrictius feriat, quantò diutius ante iudicium nos expectat. Hæc Gregorius. Pro quo latius deducendo ad incutiendum metum peccatoribus de rigore iuſtitiæ diuini iudicij eſt ſciendum, quod malefactores & criminoſi & rei ex triplici cauſa ſolent confidere ſe euaſuros impunè. Primò quando ſperant quod poſſint declinare & euitare rigorem iudicij; vt quia ſine examine fiat emenda per mediationem amicorum & arbitrium bonorum, & non per ſtrepitum iudicialem. Secundò ſperant ſe rei probabiliter euaſuros, licet non omninò impunè, ſi poſſint ſubire iudicium, ſic tamen quod habeant iudices & aſſeſſores fauorabiles ipſis. Tertio modo per translationẽ perſonarum ſuarum, vt quia reus in vno regno poteſt conuerſari in alio, & ſic euadere iudicium translato domicilio. Sed certè nullo iſtorum modorum poſſunt euadere peccatores. Primò quia illud iudicium erit cum examine rigidiſſimo, in quo etiam minimum verbum otioſum ponderabitur. Matthæi duodecimo. Nec ſolum verba, ſed etiam cogitationes examinabuntur, & ita tam verba quam cogitata, facta & greſſus noſtri minimi iudicabuntur. Iob. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.* Nec ſolum mala commiſſa appendentur, ſed etiã bona omiſſa computabuntur, vt patet de diuite Epulone Luc. decimo ſexto. Et de illo qui abſcondit pecuniam Domini ſui, & nihil lucratus eſt, Matth. vigeſimo quinto. Ideò non poterunt

1. Pet. 4. *Iſaiæ 30.* *Sap. 2.* *Pſalm.* *Eccl. 5.* *Iudicium timendũ.* *Rei tripliciter ſperant ſe euaſuros.* *Iudicium quale futurum.* *Luc. 16.* *Matt. 25.*

ſunt mali declinare rigorem iudicij. Secundò iudices erunt ſeueri, & in nullo fauorabiles reprobis, quantumcunque propinquis vel cognatis. Quia ſancti ſecundum Gregorium tanta rectitudine iuſtitiæ diuinæ conſtringentur, vt nulla ad reprobos compaſſione moueantur. Vnde dicitur Sap. tertio. *Iudicabunt ſancti nationes.* tanquam aſſeſſores Chriſti, Matthæi decimo nono. *Sedebitis & vos iudicantes.* Hi enim ſunt ſeniores, cum quibus Chriſtus venturus eſt ad iudicium Iſaiæ tertio. Hi ſunt etiam ſenatores, cum quibus ſedebit nobilis vir in portis, Prouerbiorum vltimo. Quia ergò ſancti iudicabunt qui ſunt veraciſſimi, ideò non poterunt flecti quin mala facta puniantur. Vnde nota quod durum eſt reo & graue, ſi rex ſit ſibi extraneus, qui ſibi in nullo penitus teneatur. Secundò ſi ſit talis qui à iuris regula nullatenus abducatur. Tertiò ſi eſt talis, de cuius iniuria reus accuſatur. Sic erit in iudicio, in quo ſe ſancti reddent peccatoribus extraneos. Nec mirum, quia Chriſtus etiam dicet reprobis *Neſcio vos.* Matth. vigeſimo quinto. Vnde & fatuis reſpondēt prudentes. *Ite ad vendentes & emite vobis.* Secundò nullo modo declinabunt à regula iuris, quia ſanctitas & iuſtitia, quia tūc iam erunt induti nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Epheſ. quarto. Tertiò ipſi erunt hoſtes impiorum, quos impij in hac vita conculcauerunt, Abacuc primo. *Reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtum?* Et ideò tunc viceuerſa ipſi calcabunt eos Malach. vltimo. *Calcabitis impios cum fuerit cinis ſub planta pedum veſtrorum.* His igitur compenſatis, timendum eſſet diuinum iudicium, ſemperque de ipſo foret cogitandum. Nam dicit Gregorius homilia trigeſima nona. Præſentis temporis lætitia ſic eſt agenda, vt nunquam amaritudo futuri iudicij à memoria recedat. Et Bernardus ſuper pſalmum *Qui habitat. Quid tam cauendum, quid tam plenum anxietate & vehementiſſima ſolicitudine excogitari poteſt, quam iudicandum aſtare illi terrifico & Deifico tribunali, & incertam adhuc ſubitamque diſtricto iudice expectare ſententiam? Vbi iudex teſte non indiget, vbi veritas diſcutit intentiones.* Et in quadam epiſtola ad Robertum monachū dicit: *Veniet qui malè iudicata reiudicabit, illicitè iurata confutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus, vbi plus valebunt pura corda quam aſtuta verba, & conſcientia bona quam marſupia plena, quando iudex non falletur verbis, nec flectetur donis.* Hæc ille. Item quo ad tertium non poterit reus ſe tunc transferre de vno regno ad aliud, vt ſubterfugiat illud iudicium, quia omnes tunc oportet nos aſtare ante tribunal Chriſti, vt dicit Apoſtolus, nullo excepto. Et Iohel tertio dicitur: Venite omnes gentes de circuitu & congregamini. Nos ergò fratres peccata deteſtantes quæramus iuſtitiam Dei, iudicantes noſmetipſos in præſenti, vt futurum illud terribile iudicium euadere, & præmia cœleſtia conſequi poſſimus. Quod nobis præſtare dignetur. &c.

* *
*

Marginalia: *Sap.* 3. — *Matt.* 19. — *Matt.* 15. — *Epheſ.* 4. — *Abacuc* 1. — *Malach. vlt.* — *Iudicij futuri memoria non deponenda.*

DOMI-

DOMINICA QVINTA ROGATIONVM.

SERMO I.

Petite & accipietis, Ioannis 16.

Dicit S. Auguſtin. in lib de definit. Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo iuuante venire, nullum inuitatum niſi Deo auxiliante operari, nullum niſi orantem auxilium promereri. Ex quibus verbis patet, quod licet Deus præſto ſit, dare cuilibet auxilium ſalutis, illud tamen non dat niſi per medium orationis: imò eſto quod Deus ſine orationis medio nonnullas virtutes hominibus infundat, illas tamen non complet, nec proficit abſque orationis iugitate & perſeuerantia. Hinc eſt quod Saluator ad iugem orationis perſeuerantiam exhortans ait. *Oportet ſemper orare.* Et prouocans nos ad orandum, oſtendit orationis noſtræ exauditionem facilem in hodierno Euangelio dicens. *Petite & accipietis &c.* In quibus verbis duo tanguntur. Primò hortatur ad orationis deuotionem, *Petite.* Secundò promittit orationis deuotæ exauditionem, *& accipietis.*

Luc.18.

Propoſit.

I.

Circa primum hortatur ad orationis deuotionem dicens: *Petite,* quod primo præmiſerat dicens. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Vnde ſciendum, quod vt dicit Henricus de Vrmaria. Cordis perfectio cuiuslibet iuſti hominis, ad iugem & indiſruptam orationis perſeuerantiam tendere debet, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad continuam tranquillitatem mentis niti debet, & ad eius perpetuam puritatē; propter quam poſſidendam, & omnem laborem corporis & concuſſionem ſpiritus indefeſſe quærimus & iugiter exercemus. Hæc ille. Ex quibus verbis patet quod multum neceſſaria eſt oratio ad ſalutem, circa quod videndum eſt de duobus. Primò de commendatione orationis; ſecundò de forma & modo orandi, vt ſic iuxta conſilium Saluatoris exhortantis debitè petamus. Eſt autem primum ſciendum, quod oratio eſt moraliter ſcala noſtræ aſcenſionis ad Deū; ſecundò ſcutum noſtræ defenſionis; tertiò nuncius noſtræ legationis; quartò redditus noſtræ ſubiectionis, & quintò ſpeculum noſtræ cognitionis, vt inquit Hugo lib. de profectu nouitiorum. Primò dico quod oratio eſt ſcala noſtræ aſcenſionis, per hanc enim aſcendimus ad Deum, & à terrenis ad cœleſtia nos leuamus. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat.* Vnde oratio ſecundum Damaſ. libr. 3. cap. 28. definitur, quod ſit aſcenſus mētis ad Deum, & decentium petitio. Et Hugo de profectibus nouitiorum dicit, quod oratio mentem magis à terrenis eleuat & elongat, quam cæteræ actiones, quia illę negotiatur cum Martha circa frequens miniſterium inferius, iſta cum Maria pedibus Domini inhęrens, eum ſolum ſibi propitium eſſe exorat. Hæc ille. Ex quo patet quod in oratione plus requiritur eleuatio mentis ad Deum quam vocis; vnde dicit Gregor. 28. moral. quod orare eſt amaros gemitus in compunctione, non verba cōpoſita reſonare. Et 12. moral. Vera poſtulatio eſt non in oris vocibus, ſed in cordis cogitationibus. Valentiores voces apud aures Dei non faciunt verba, ſed deſideria, ideò de Moyſe tacente dicitur. *Quid clamas ad me?* Et de Anna dicitur quod nō loquens orabat; hoc eſt quod Saluator ſuis electis præcipit dicens: *Intra cubiculum tuum*

Lib. 9. ca. 1. de perf. int. hom.

Oratio quid.

Eſt ſcala.

Eccl.35.

Exod.14.

1.Reg.1.

Matt 6.

tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Sed dices: Ex quo oratio non eſt niſi aſcenſus mentis ad Deum, ergò fruſtra vox adiungitur, & per conſequens vocaliter non eſt orandum. Reſpondeo, quod licet oratio principaliter debet eſſe per eleuationẽ mẽtis, tamẽ ex conſequẽti vox eſt neceſſaria. Vnde dic. Pſal.141. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominũ deprecatus sũ.* Et adiungitur orationi triplici ratione. Primò ad excitãdum interiorem deuotionem, verbis enim & ſignis noſipſos interius excitamus ad ſecundum deſiderium augendum, vt dicit Auguſtinus ad Probam, & ea ratione fiunt inclinationes capitis, & genuflexiones ad Philip.2. Secundò ad redditionem debiti, vt ſcilicet ſeruiat Deo ſecundum ſeipſum totum corde & corpore. Tertiò ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, vnde Pſalm. 15. dicitur. *Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.* Vnde dicit Hugo lib. de perfect. nouitiorum, quod licet Deus plus attendat cor quam verba oris, tamen ideò verba apponimus, vt cum mens pigra eſt ſe ad leuandum in Deum, per verba orationis ſuſtentata iuuetur, & memoria Deo inhæreat, intellectus ſurſum tendat, affectus per deuotionem inflammatus guſtet, quoniam ſuauis eſt Dominus, ex intentione ſacræ orationis afflatus. De⁹ enim qui creauit nos, ſcit quid nobis neceſſe ſit antequam petamus eum, & ideò non indiget vt per orationem inſinuemus ei quid deſideramus. Item qui ad hoc fecit nos vt benè faceret nobis gratuitò per ſemetipſum, oratione noſtra non indiget flecti ad miſerandum quod diſpo ſuerat facere, ſed ampliorem nobis in hoc profectum procurat, vt gratis nobis benè faciat, ſicut ab æterno diſpoſuit, & tamen orationis noſtræ ſtudium ad multiplicem nobis vtilitatem conuertit, atq; ita oratio noſtra non eſt cauſa eius beneficentiæ, ſed via, vt ſi nõ propter illam cauſam, per illã tamen viam nobis miſereatur. Hæc Hugo. Sed dic. Quid intendimus cũ oramus, quia vel petim⁹ quod operetur quod diſpoſuit ſe facturũ pro tempore, & hoc videtur fruſtra; nã ſine noſtris petitionibus quicquid diſpoſuit ſe facturum, perficiet. Vel petimus quod mutet diſpoſitionem & voluntatem ſuã, & velit ſicut nos volumus, & hoc impoſſibile eſt, cum Deus non poſſit mutari. Reſpondeo quod nõ intendimus Domini, vel diuinam diſpoſitionem mutare, ſed magis inſtare vt compleatur. Sic enim Deus diſpoſuit, quod ea quæ circa nos conſumabuntur, per noſtras orationes merebuntur conſumari. Non ergò cum oramus Deum mutare proponimus, vel ad nos inclinare, ſed magis nos ad Deum leuare; & noſtrã voluntatem ſuo beneplacito conformare, quod pulchrè declarat Dioniſ. c. 3. de diuinis nominibus per duo exempla. Primum eſt, ſi imaginemur vnam cathenam vel funem de cœlo pendentem, & nos attrahendo eam nitamur ſurſum ſcandere; non eã vtiq; qui ſurſum eſſet, & deorſum æqualiter deſcendere faceremus ad terram, ſed per eam nosmetipſos ad ſuperius erigeremus. Secundum exemplum; ſi eſſemus in naui exeunte in aqua, & teneremus funes fortes in manibus, alligatos ad rupem immobilem, & traheremus fortiter funes illos, non moueremus rupem ad nos, ſed econtrario nos, & nauem moueremus ad rupem. Sic cum oramus, non trahimus ad nos immobilem Deũ virtute, ſed nos potius trahimus ad Deum, eleuando mentẽ noſtram per pium & humilem affectum; fide, ſpe & charitate ſubnixa.

Secundò oratio eſt ſcutum noſtræ defenſionis. Vnde dicitur de Aaron quod orando cum Moyſe pro mitigatione ignis in populum immiſſi à Deo, properans homo ſine quærela, ſcil. ipſe & Aaron deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutũ orationem, & per incenſum deprecationẽ allegans, reſtitit iræ. Narrant hiſtoriæ Britonum, quod rex Archicarus illuſtris depictam habuit imaginem virginis benedictę filium ſuum in brachijs baiulantem. Ad hanc ergò imaginem quoties in preſſura belli inciperet fatigari, reſpexit, ex cuius ſcuti intuitu vires recenter recepit. Sic Moyſe orante vincebat populus, & deficiente vincebatur. Tertiò oratio eſt nuncius noſtræ legationis. Vnde Aug. ſuper Pſal 65 dic. Orationis puræ magna eſt virtus, & velut fidelis nuntius mandatum peragit, & illuc penetrat, quo caro non peruenit. Vnde

Oratio ſcutum.

Sap. 18.

Exod. 17.

Oratio nuntius.

Vnde Pſ. *Intret in conſpectu tuo oratio mea.*
Redditus nostra subiectionis. *Inclina aurem tuam ad precem meã.* Quar-
tò oratio eſt redditus noſtræ ſubiectionis:
Cadit enim oratio ſub præcepto, determi-
natè & indeterminatè. Determinatè qui-
dem quantum ad miniſtros Eccleſiæ, qui
ſub præcepto Eccleſiæ ad horas canonicas
obligantur; indeterminatè verò quantum
ad omnes. Omnis enim homo tenetur ſa-
lutem ſuam procurare, quod ſine oratio
ne adulto nõ conceditur. Vnde orare mẽ-
taliter eſt de iure naturæ, & reducitur ad
ſecundum præceptum primæ tabulæ, ſcil.
Memento vt diem ſabbathi ſanctifices. Tem-
pus verò Laicis orandi non inſtituitur ex
ſtatutis canonum, niſi diebus feſtiuis, quã-
do tenentur diuinis officijs intereſſe, vt
populo orationibus ſuam intentionem
conforment. De hac redditione dicitur:
Osea 14. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, id
eſt, deuotas orationes. Quintò oratio eſt
Oratio speculum. ſpeculum noſtræ recognitionis. Vnde di
cit Hugo de profect. nouitiorum, quod o-
ratio eſt ſpeculum, quod facit cognoſcere
defectus ſuos, vel profectus, quia conſci-
entia ibi ſe ſibi lucidiùs repręſentat, vel pro
profectu in fiduciam ſpei læta erigitur, vel
ex defectus conſideratione confunditur.

Ad orationem debitam 7. requiruntur. De ſecundo, ſc. de forma & modo orã-
di eſt ſciendum, quod ad hoc vt debitè pe-
tatur, & oratio ſuũ conſequatur effectũ,
ſeptem ſunt neceſſaria. Primò ſiquidem
in corde orantis debet eſſe virtus charita-
1. tis, vt ex deſiderio amoris Deum petat, ꝙ
tangitur in Euangelio vbi dicitur; *Si petie-
ritis Patrem.* Secundò debet eſſe irreprehẽ-
2. ſibilitas conſcientiæ; vnde Ia. 1. dicitur, ꝙ
ille quem reprehendit conſcientia de pec-
cato, dicitur vir duplex animo & inconſtãs
in omnibus vijs ſuis. Vnde Gloſ. dic. Ord.
Duplex eſt qui genua ad precem flectit, &
mordente conſciẽtia de impetratione dif-
fidit. Duplex qui vult gaudere cum Deo &
ſæculo, qui de bonis quę agit non Deũ, ſed
fauorem quærit. Hæc ille. Vnde 1. Io. 3.
*Si cor noſtrũ non reprehendit nos, fiduciã ha-
beamus, & quicquid petierimus accipiemus.*
Et Paulus. *Volo enim vos orare in omni loco*
1. Tim. 2. *leuando puras manus ad Deum.* Ex quibus
patet quod orans debet eſſe à vitijs imma
culatus, & Deo acceptus. *Reſpexit*, inquit,
Dominus ad Abel & munera eius. prius ad Gen. 3.
Abel, poſtea ad munera: Hinc eſt quod ex
dantis corde illud quod datur, acceptatur,
ait Gregor. 25. moral. Ex quibus patet pri-
mam cauſam non exauditionis orationũ
noſtrarum, eſſe culpam demeritorum orã- Isa. 1.
tis. Vnde dicitur. *Cum multiplicaueritis o-
rationem veſtram, non exaudiam.* Et ſubdit
cauſam: *Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſan-* Ioan. 9.
guine, id eſt, peccato. Et: *Peccatores Deus
non exaudit.* Iſa. 59. *Peccata veſtra abſcon-
derunt faciem eius.* Sed dices ergò pecca to-
res non debent orare pro eorum conuer-
ſione, quod eſt contra illud Ezech. 18. *Qua-
cunq; hora peccator ingemuerit, &c.* & Luc.
18. orans Publicanus eſt exauditus. Reſpõ-
deo ſecundum Thom. ſecunda. 2. qu. 83.
artic. 8. quod oratio peccatoris procedens
ex deſiderio peccandi non exauditur, ſed
benè quæ procedit ex deſiderio bonæ fa-
mæ, non quaſi ex iuſtitia, quia talis non
meretur, ſed ex pura miſericordia. Tertiò 3.
debet eſſe irremeabilis ad peccata quę plã-
guntur in oratione, ſicut diximus etiam de
pœnitentia. Irriſor eſt & non pœnitens,
qui quod pœnitet, iterum committit; vnde
Greg. dic. 10. mor. Cum mala geſta defle-
ueris in oratione, nequaquam rurſum fa-
cias quod in precibus iterũ plangas. Quar- 4.
tò debet eſſe reconciliatio offenſæ fratris. Matth. 5.
*Cum offers munus tuum ante altare, & ibi
recordatus fueris, quod frater tuus habet ali-
quid aduerſum te, vade recõciliare fratri tuo.*
Et iterum Dominus: *Cum ſtabitis ad oran-
dum, dimittite, ſi quid habetis aduerſus ali-
quem.* Quintò debet eſſe ordinabilitas pe- 5.
titionis, petendo quod eſt neceſſarium; vn-
de in Euangelio dicitur. *Si quid petieritis*, ſi
petieritis illud quod eſt verum bonũ, pro-
ut exponit Aug. hom. 3. hoc eſt quod Sal- Matth. 6.
uator per ſe exponit dicens: *Primum quæ-
rite regnum Dei* Circa quod ſciendũ, quod
triplex eſt petitio, ſc. caſta, quando veniã
de peccatis petimus: caſtior, quando ſpõ-
ſi dona petuntur; caſtiſſima, quando ipſe
ſponſus petitur. Vnde Augu. in epiſt. 47.
ad Probam vxorem Adelphi dic. Ora pri-
mum beatam vitam, quam omnes appe-
tunt. Quid aliud oportet orare niſi quod
omnes cupiunt? *Vnam*, inquit, *petij à Do-
mino.* Licet autem principaliter petendum
eſt

eſt regnum cœlorum, tamen poſſunt etiã peti temporalia promouentia ad ipſum, non tamen vt finem in eis conſtituamus, ſed vt adminicula beatitudinis conſequẽdæ, vt ſc. inſtrumentaliter nobis deſeruiãt, quaſi ad ſuſtentationẽ vitæ corporalis ex-
6. ercendæ ad actus virtuoſos. Sextò debet eſſe perfectibilitas operis, Iob. 27. *Neq; reprehendit me cor meum in omni vita mea* Vbi dicit Gre. 16. mor. quod ſi id quod præcipit Dominus, faciamus, id quod petim⁹ apud Deum obtinemus: hæc .n. congruũt vt & oratione operatio, & operatione ora-
Thren. 3. tio fulciatur. *Leuemus corda noſtra cũ manibus ad Dominum in cœlos.* Corda cũ ma-
7. nibus leuat, qui orationem ſuam cum o-
Luc. 18. peribus roborat. Septimò debet eſſe inde-
1. Theſ. 5. feſſa perſeuerantia *Oportet ſemper orare.* Et: *Sine intermiſſione orate.* Pſal. *Semper laus eius in ore meo.* Nomine orationis intelliguntur bona opera, vt ait Augu. de perfectione iuſtitiæ. Nec deſinit orare, qui non
1. Theſ. 2. ſinit benè facere. Hinc eſt quod Apoſt. ait. *Gratias ſemper agentes pro vobis.* Quod exponit Haymo dic. Quod propter aſſiduitatem, quam per ſingulos dies & noctes ferebat hoc ait, quia in ſcripturis Patrum legimus, quod Apoſt. vſq; ad quintam horam labori manuum inſiſtebat, & ab illa hora vſque ad decimam prędicationi operam dabat, & poſt illam dabat, & procurabat pauperum & peregrinorum hoſpitalitatem, ſuiq; corporis neceſſitatem, per noctem verò orationi inſiſtebat: propter illam ergò aſſiduitatẽ prædictorum ait, *ſemper gratias agere.* Non eſt ergo intelligendũ, quod omnibus alijs operibus actiuæ vitæ omiſſis, ſemper eſſet orandum; ſed quod certis horis, & præcipuè canonicis eſt ad orationem recurrendum, alijs verò horis & temporibus, operibus iuſtis vacandum. *Sine intermiſſione orate,* id eſt, ſemper iuſtè viuite & æterna deſiderate. Quia iuſtus nõ deſinit orare, niſi deſinat iuſtus eſſe. Semper orat qui ſemper benè agit. Et Aug. dicit. Ipſum deſiderium boni, oratio eſt.

II.

Et accipietis. Magna fiducia, maxima ſecuritas orandi, ex quo per illam certificamur de exaudiendo quem oramus, qui nequaquam nos ad orandum prouocaret, niſi dare vellet. Deſcribitur igitur affectus orationis vnico verbo, cum dicitur, *accipietis,* ſcilicet gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Circa quod ſciendum, quod duplex eſt affectus orationis, virtus merendi & impetrandi, & quidem dupliciter per eam meremur. Primò quia vitamus tentationem, quod eſt maximum meritum. Vnde Hieron. ſuper Marc. 14. In tentationem intrat qui orare negligit. Et Auguſtinus dicit. Oratio eſt oranti præſidium, aduerſario incendium, Angelis ſolatium, Deo gratum ſacrificium; & principaliter valet contra vitia ſpiritualia. Vnde Hiero. ſuper Matth. 17. tractans illud. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in ieiunio & oratione,* inquit: Non ſanat oculum quod ſanat calcaneum, ſanantur peſtes corporis oratione, ieiunio ſanãtur peſtes mentis, 2. meremur per orationem, quia procedit ex radice charitatis, penes quam conſiſtit omne meritum, & eſt fons viuus, ac impoſſibile eſt exiſtentem in charitate non exaudiri, quia oratio virtute ſua omnia im- Marc. 11.
petrat. Omnia quæcunque orantes petieritis, credite, quia accipietis. Hinc Bernardus in ſuis meditat. dicit: Ex duobus vnum ſperare debemus indubitanter, aut dabit nobis quod petimus, aut quod nouit eſſe vtilius. Et Auguſtinus in lib. ſententiarum Proſperi dicit, quod orans miſericorditer auditur, & miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtile, magis nouit medicus quam ægrotus. Ex quibus poteſt haberi facilis coniectura & probabilis agnitio, quare in orationibus noſtris non ſemper exaudimur, quia videlicet illud nobis inutile eſt ad ſalutem quod petimus; vel fortè indiſcretè petimus, licet vtile, ſed ad finem malum ordinatur per nos. Sic filij Zebedæi bonum optabãt, quia ſedere à dextris Dei & ſiniſtris; ſed mala intentione, quia ex ambitione. Ideò audiuerunt. *Neſcitis quid petatis.* Et: *Petitis* Matt. 20.
& non accipitis, eò quod malè petitis. Fit eti- Iacob. 4.
am quandoque dilatio exauditionis, vt magis ad petendum prouocemur; quia ſecundum Bern. Sancta deſideria dilatione creſcũt, vt tantò cautius cuſtodiatur acceptũ quo difficilius impetratur. Fit præterea hoc ad humilitatẽ, dum tardius exauditur,

& ſic duo bona proueniant: ſcilicet vt ſolers reprimatur elatio, & tamen petitionis *Hug. li. de prof. nou.* non caſſetur effectus. Vnde dicit Hugo. Si pro voto non ſuccedit, ſuſtineat aſſiduè: ipſa namque tarditas proficiens eſt vitæ profectus dũ humiliamur, & per hoc melius à ſuperbia defendimur, quia ſæpè nimia proficiendi ſecuritas mentem extollendo deijcit, & feruor continuatus vires corporis exhaurit. Et ideò Deus piè curſum noſtrum temperat, vt longius procedatur. Hæc Hugo. Fit etiam dilatio hæc vt ad illud tempus exauditio differatur, quod magis congruum & vtile eſt petenti. Sic Moyſes gloriam Dei ſibi oſtendi petijt, quẽ tamen non tunc, ſed poſt videre meruit. Fit etiam dilatio talis, vt aliorum ſuffragiis quærat adiuuari, quia fortè ardua eſt petitio: vel vt præſumptio reprimatur, ſicut Ezechias miſit ad Iſaiam, vt oraret pro eo & populo, Ioſias ad Oldam. Vnde & Apoſtolus à Romanis iuuari in oratione poſtulauit. *Rom. 8.* *Obſecro vt iuuetis me in orationibus veſtris vt liberer ab infidelibus* Hinc Saluator dicit: *Matt. 18.* *Si duo conſenſerint ex vobis de omni re quãcunq; petierint, fiet illis à Patre meo qui eſt in cœlis.* Vltimo fit dilatio, imò negatio exauditionis propter vtilius, contrarium eius quod petitur, ſicut Apoſtolo fuit vtilior ſtimulus carnis quem petebat ter amoueri, qui tamen ab eo non eſt amotus, vt virtus in infirmitate perficeretur. Vnde dicit Hugo vbi ſupra. Vtilior eſt ſæpè exercitatio tribulationis, quam quies proſperitatis, licet hanc plus optemus. Et Iacobus. *Triſtatur aliquis veſtrum, oret æquo animo & pſallat.* Dicit Gloſſ. ord. Nè murmuret & iudicia Dei vituperet, ſed ad Eccleſiam currat, & flexis genibus vt Deus conſolationem mittat, oret, nè ſæculi triſtitia quæ mortem operatur abſorbeat, & crebra pſalmodiæ dulcedine nociuam peſtem de corde pellat.

Orationis fructus. Ad ſciendum autem finaliter, particulariter & ſingulariter fructum petitionis noſtræ, breuiter notandum, quod oratio noſtra impetrat multa nobis bona, tam in præſenti quam in futuro, tam animæ quã corpori, tam nobis quam alijs noſtris, nec tantum amicis, ſed etiam inimicis. Vnde dicit Hugo, quod prima vtilitas orationis eſt, quia per eam facilius impetramus quæ à Domino deſideramus, ita quod quandoque breui oratione aliquis obtineat quod diuturnis alijs laboribus & pijs operibus vix obtineret. Vnde dicit ipſe, quod ſancti pro omni deſiderio in omni periculo, in omni caſu ſemper inueniuntur principaliter ad orationis remedium refugiſſe, quia promptius ibi quod petebant conſequerẽtur. Quid enim oratio non poteſt efficere? Iudicis iram placat. *Orauit Moyſes, & placatus eſt Dominus.* *Exod. 32.* Secundò peccatori veniam impetrat. *Matt. 18.* *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Tertiò tentationis impetum ſedat. *Num. 11.* *Orauit Moyſes & abſorbtus eſt ignis.* *Pſal.* Quartò vitia cordis expellit. *Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Quinto in periculo liberat. *Inuoca me in die tribulationis.* *Pſal.* Et: *Ad Dominum cum tribularer clamaui.* Sextò à periculis defendit. *Orate nè fuga veſtra fiat in hyeme aut ſabbatho.* *Matt. 24. & 26.* Et: *Vigilate & orate nè intretis in tentationẽ.* Septimo ab hoſtibus vindicat, patet de oratione Ezechiæ & Iſaiæ contra Sennacherib. *Iſa. 37.* Octauo difficultatem complanat. *Ioſue. 6.* *Vociferante populo muri Iericho corruerunt.* Nono familiaritatem Dei confert. pſalm. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum.* Decimo ſanctorum angelorum præſentiam adducit. pſal. *præuenerunt principes coniuncti pſallentibus.* Vndecimo, Spiritus ſancti gratiam impetrat, vnde orantibus Apoſtolis cecidit Spiritus S. *Luc. 11.* Et. *Pater dabit ſpiritum bonũ petentibus ſe.* Duodecimo, ſapientiam donat *Eccl. 51.* *Si quis indiget ſapientiam poſtulet eam à Domino.* *Epheſ. 6.* Et *Quæſiui ſapientiam palam in oratione mea.* Decimotertio gratiam prædicandi impetrat. *Orantes pro me vt detur mihi ſermo in apertione oris mei.* Quartodecimo reuelationem ſecretorum impetrat. *Ierem. 33.* *Clama ad me & annunciabo tibi grandia & firma* Quintodecimo poteſtatem quorũ liber miraculorũ. Iac. 5. Helias orauit vt nõ plueret, & pro puero ſuſcitando *3. Reg. 17.* Sedecimo aeris tẽperiem, ſicut tẽpore beati Greg. Decimoſeptimo tẽporalia ſubſidia. pſa. *Oculi omniũ in te ſperãt.* 18. quorũlibet aduerſitatũ meretſublationẽ. *Fames ſi oborta fuerit, aut peſtilẽtia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, aut rubigo;* *3. Reg. 8.* & ſic de aliis. Sequitur.

Si quis

Si quis cognouerit plagam cordis ſui & expandit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ. Hæc ibi. Decimonono quorumlibet vtilium & neceſſariorum donationem. Rom.10. *Quicunq; inuocauerit nomen Domini ſaluus erit*. Et breuiter omnia ſaluti contraria reprimit, confert & conſeruat proficua, hic in gratia, & poſt vitam æternam. Ad quam. &c.

DOMINICA QVINTA ROGATIONVM.

SERMO II.

Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum plenum ſit. Ioan. 16.

AVguſtinus l. de moribus Eccleſiæ. Tāta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tanta eſt iocunditas lucis æternæ, hoc eſt incommutabilis veritatis atque ſapiētiæ, vt etiam ſi non liceret in ea amplius manere quam vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs & circumfluentia bonorum temporalium rectè meritoque contemnerentur. Hæc ille. Ex quibus verbis patet quod pro conſequenda vita æterna homines multum deberent deſudare, maximè ex quo omnes delitię huius mundi & quęque optima ipſius pro nihilo reputētur in comparatione eiuſdem. Hinc eſt quod Saluator noſter volens nos eſſe ſolicitos de huiuſmodi gaudio vitæ æternæ, inſtruit qualiter illud acquirere debeamus, per medium ſcilicet orationis, cum dicit: *Petite & accipietis, vt gaudium veſtrum plenum ſit*. Circa quod tria deſcribuntur. Primo excitatur affectus noſtræ deuotionis, cum dicitur. *Petite*. Secundo promittitur certitudo diuinæ aſſecurationis, cum Propoſit. dicitur: *accipietis*. Tertio oſtēditur liberalitas ſufficientiſſimę remunerationis, ibi: *vt gaudium veſtrum plenum ſit*.

I.

Petite. Merito excitatur noſtra affectio ad deuotionem orationis, ad quam quidem orationem hortantur nos plurima. Et primo omnis creatura, quæ ad Deum laudandum ſemper inuitat. Dicit enim Auguſtinus. Si placent opera Dei, id eſt, creaturæ, ex ipſis Deum lauda, & in artificem eorum retorque amorem. Secundo ad hoc hortatur nos ſcriptura diuina. *Ad laudandum Deum inuitamur per plura.* *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua*. Et Eccl. 18. *Non impediaris orare ſemper*. Et 1. Mach. 4. *Et nunc clamemus omnes in cœlum*. Tertio ad hoc hortantur nos antiquorum patrum exempla: Patres enim vtriuſque teſtamenti, omnia ſua opera oratione confirmabant, iuxta illud Ioan. 4. *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt*. Vnde Noe primus ædificauit altare Domino Deo, nec dubium quin ibidem orauit offerens holocauſta. Similiter & Abraham Geneſ. 8. orauit ne ſubuerteretur Sodoma, Iſaac & Geneſ. 18. Iacob, vt patet in multis locis. Moyſes & Exod. 8. omnes prophetæ vſque ad Chriſtum. De Chriſto autem in multis locis Euangelij legitur, quod aſcendens in montem ibi pernoctabat in oratione. Apoſtoli etiam Actor. 1. erant perſeuerantes in oratione. Petrus quoque & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Paulus quoque dicit: *Flecto genua mea ad Deum patrem*. Quarto hortatur nos ad hoc dignitas Angelorum orationes noſtras Deo offerentium, Thobiæ. 12. *Quando orabas cum lachrymis ego offerebam orationem tuā Deo*. Quinto hortantur nos ad hoc præeminentiæ huius virtutis: licet. n. ieiuniū & eleemoſyna ſint magnę virtutis apud Deū, tamen videntur ſeruire quodammodo orationi, quia ſunt quaſi duæ alæ, de quibus Thobiæ. dicitur: *Bona eſt oratio cum ieiunio & elee-* 12.

moſyna. Sextò hortatur nos ad hoc facilitas huius operis. Vnde gloſſ. ſuper illud. *Iuſtus autem miſeretur & retribuet*, dicit: Semper eſt aliquid iuſto quòd det, ſaltem orationē. Septimo hortatur nos honorabilitas huius operis. Nā ſecundum Iſidorum cum legimus, Deus nobiſcum loquitur, ſed cū oramus, nos cū Deo loquimur. Octauo hortatur nos neceſſitas huius operis, quia ſine oratione nullū opus poteſt valere. *Cū ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolū habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te leuemus.*

2. Paral. 20. Luca. 18.

Et ideo Saluator bene dixit: *Oportet ſemper orare & non deficere.* Sed dices: placet Domine quod orare me debere ſcio, ſed pro quo orandū ſit neſcio. Ad quod ego reſpōdeo. Si ſcire deſideras pro quo orandum ſit, nō multa philoſophia tibi eſt opus: aduerte ſiquidē illud breuiſſimum, *Pater noſter &c.* noſtri Saluatoris, & inde concipies verum modū orationis. In oratione ſiquidē Dominica prædicta duo docet orare Chriſtus ſc. propter collationē boni, & amotionem mali; vnde iſte eſt totalis finis & effectus orationis Chriſtianę, vt amoueantur mala & conferantur bona, idque petitionibus ſeptem, in quarum quatuor petimus collationem bonorum dicendo: *Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua. Panem noſtrum &c.* In tribus autem petimus amotionem malorum. *Et dimitte nobis. Et ne nos. Sed libera nos.* Prima petitio petit fidem, ſecunda ſpem, tertia charitatem, quarta fortitudinem, quinta iuſtitiam, ſexta prudentiā, ſeptima temperantiā. Prima eſt contra luxuriam, quæ non ſanctificat ſed polluit nomen. Secunda contra auaritiā, quæ non cupit regnum cęli ſed terræ. Tertia contra accidiam, quæ nihil facit. Quarta contra gulam, cui panis nō ſufficit. Quinta contra irā, quæ rancorē non dimittit. Sexta contra ſuperbiā, quę in tentationē inducit. Septima contra inuidiam, quæ malum alterius quærit. Ex his patet quid petere à Deo debeamus, quia collationem boni & ablationem mali

II.

Accipietis, non dicit, quid accipietis, ſed intelligitur illud quod dicit propheta, *gratiā & gloriā dabit Dominus.* Accipietis ergo indubitanter & certiſſime, abundanter & copioſiſſimè. De primo dicitur hic, *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* vbi dicit Chryſ. Petentis negligentia repræhenditur, vbi de dantis miſericordia nō dubitatur. Hinc Bern. dicit. Nemo noſtrū paruipendat orationē ſuā. Dico enim vobis ꝙ ipſe ad quē oramus nō paruipendit eā, ſed poſtquam egreſſa ſit de ore noſtro, ipſe ſcribit eā in libro ſuo. Et ſequitur. Ex duobus vnum ſperare debemus indubitāter, quia aut dabit quod petimus, aut quod nouit vtilius. Hęc Bern. Quis ergo nō petet videns illū qui mentiri non poteſt ſic indubitanter promittere? Nō ſolū autē ꝓmiſit dare, ſed & iurauit. *Sicut iurauit ad Abrahā patrē noſtrum daturum ſe nobis.* Si ſe, multo magis alia omnia a ſe. De ſecundo Luca. 1.

dicitur: *Poſtulet autē à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Iacob. 1.

Econtra diabolus qui pauca dat & vana, ſed multa improperat. Eccl. 22. *Exigua dabit & multa improperabit.* Certè exigua dat ſecularibus & vanis in delectatione momentanea, ſed multa improperabit, in exactione, in pœna perpetua, iuxta illud Gregorij. *Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat.* Notanter autem dicit, *dat affluenter.* Et certè ſic eſt, quia ſæpius plus dat, quā petimus. *Potens eſt autē omnia facere ſuperabundanter quā petimus aut intelligimus.* Ephes. 3.

Patet hoc in petitione filij prodigi, qui petijt annumerari ſolū mercenarijs, ſed pater eū in filiū èconuerſo recepit, & omnia vt filio ſuo reſtituit. Patet hoc de Luca 15.

Iob qui recepit multa plura poſt tribulationem, quā habuit ante in ſua poſſeſſione. Iob. 42. Num. 17.

Idem patet de Aaron, qui petijt vt virga floreret, & tamen accepit non ſolum florentē ſed etiam fructiferam. De Salomone qui petijt ſapientiā, & accepit inſuper pacē 3. Reg. 3.

& diuitias. De Zacharia patre ſancti Ioannis, qui petiuit ſibi dari filiū, & obtinuit nō ſolum filium, ſed etiā prophetā maximū, imo pluſquam prophetam, quo maior nō ſurrexit. Ecce ꝗ apertè videmus liberalitatē dātis. Bene ergo dicit. *Petite & accipietis.*

III.

Vt gaudium veſtrū plenū ſit. Circa quod ſciendū quod triplex eſt gaudiū. Quoddā enim eſt vacuū omnino, quoddā ſemiplenum, quoddam plenum omnino. Primum eſt falſum, ſecundum verum, tertium perfectum. Gaudiū triplex.

fectum. Primum mundi, ſecundum iuſti,
tertium Dei. Primum abijciendum, ſecun-
dum diligendum, tertium ſemper inquirē-
dum. De primo & ſecundo ſimul tractabi-
mus per comparationem ad ſe inuicem, vt
melius quodlibet illorū in ſuo valore ap-
pareat, & conſequenter de tertio. Sciendū
igitur quod gaudium mundi conſiſtit in
vanitatibus & delectationibus momenta-
Iob. 20. neis & caducis. De quo dicitur: *Hoc ſcio à*
principio ex quo eſt poſitus homo ſuper terram
quod gaudium impiorum breue eſt, & gau-
dium hypocritæ ad inſtar puncti. De ſecundo
ſcilicet de gaudio iuſti & boni hominis,
quod conſiſtit in virtutibus & meritis ac a-
Eccl. 30. lijs donis gratuitis, dicitur: *Non eſt oblecta-*
mentum ſuper cordis gaudium. Quomodo e-
nim non debet gaudere vir iuſtus habens
ſpem certam de remuneratione ſuorum
Actor. 5. meritorum? Rom. 12. *In ſpe gaudentes.* Sic
gaudebant Apoſtoli, *quoniam digni habiti*
ſunt pro nomine Chriſti contumeliam pati.
Gaudiū ſpirituale in quibus à mundano differt. Differt autem gaudium illud ſpirituale à
gaudio mundi carnali in pluribus. Et pri-
mo ex puritate, quia iſtud gaudium
eſt purum, *non habet amaritudinem con-*
uerſatio ipſius, vnde eſt ſicut vinum forte
1. ad inebriandum. Econuerſo, gaudium
Sap. 8. mundi eſt impurum. *Extrema gaudij lu-*
Prou. 14. *ctus occupat.* Vnde Iſa. 1. *Vinum tuum mix-*
Notent Poloni. *tum eſt aqua.* Et Boëtius 2. de conſolat.
dicit, quod multis amaritudinibus dul-
cedo felicitatis humanæ reſperſa eſt. Mi-
rum eſt autem, quod cum Poloni non li-
benter bibunt vinum mixtum vt Itali, ſed
purum, quod etiam non ita libenter bi-
bunt gaudium ſpirituale purum, & non
dimittunt impurum gaudium mundi,
quod eſt peſſima mixtura mixtum, & qui-
Conſcientiæ remorſus quid. dem duplici mixtura; remorſu conſcien-
tiæ & ſolicitudine cruciante. Remorſus
conſcientiæ eſt ſicut morbus regius qui
rodit carnem & magnis expenſis indiget,
ſicut gallinis & alijs quæ ponuntur ſupra
locum; quæ quanto plus ponuntur tanto
plus conſumuntur, & plus conſumitur
morbo quam ſuſtentetur fomento, ita eſt
in iſto gaudio, quia plus remordet remor-
ſus conſcientiæ quam delectet dulcedo io-
cunditatis tranſitoriæ & mundanæ. Hinc
Prou. 17. Salomon dicit. *Melior eſt buccella panis*
cum gaudio. quam plena domus diuitijs cum
iurgio. Secundo iſtud gaudium eſt mixtum
ſolicitudine cruciante. De qua dicit Bern.
Diuitiæ mundanæ cum labore acquirun-
tur, cum timore poſſidentur, & cum dolo-
re amittuntur. Non eſt ergo gaudium in
diuitijs, in delitijs, & vanitatibus, ſed po-
tius triſtitia & miſeria inſatiabilis, iuxta
illud: *Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum.* Ioan. 4.
Vnde concludo cum Richardo de duode-
cim patriarchis cap. 35. Quod qui vult in
veritate gaudere, oportet non ſolum fal-
ſam delectationem ſed etiam vanam per-
turbationem excludere. Ex quo infero
quod qui adhuc in infimis delectatur, in-
terna conſolatione vtique indignus eſt.
Secundo infero quod nullus verè poteſt
gaudere niſi qui de internis & veris bonis
gaudet, vt dicit Richardus. Hinc Pſal-
miſta ait. *Quam magna multitudo dulce-*
dinis quam abſcondiſti. Notanter dicit, *ab-*
ſcondiſti, quod tractans Richardus dicit:
Quid mirum ſi eam mundi amator neſcit
quam diligentibus ſe Chriſtus abſcondit?
Hinc Pſalm. ait: *Dediſti lætitiam in corde*
meo. Dicit in corde, non extra. Et Chriſtus
dicit. *Intra in gaudium Domini tui.* Non Matt. 25.
dicit, exi in gaudium Domini. Ex his patet
ſecundum Richardum cap. 37. quod mens
quæ per varia deſideria fluctuat, quam ad-
huc ſecularium curarum procella exagi-
tat; ad illud internum gaudium non per-
tingit. Hæc Richardus. Secunda differen- 2.
tia ſpiritualis gaudij eſt continuitas & diſ-
continuitas. *Secura mens quaſi iuge conui-* Prou. 15.
uium. Econuerſo de gaudio mundi. *Gau-* Iob. 20.
dium hypocritæ ad inſtar puncti. Hypocrita
dicitur eſſe mundus, quia falſus. Tertia 3.
differentia eſt dignitas & indignitas, quia
ſpirituale eſt de rebus dignis. *Gaudete in* Philip. 4.
Domino ſemper. Econuerſo ſeculare de vo-
luptate membrorum turpium, vt dicit Se-
neca epiſtola 67. Hoc enim gaudium non
eſt aliud niſi luxuriari in ſpectaculis, ine-
briari, impinguari, nihil mali pati. *Stulto-* Prou. 3.
rum exultatio ignominia. Quarta differen- 4.
tia eſt ſalubritas & nociuitas. Nam ſpiri-
tuale gaudium ſalubre eſt in hoc, quia gu-
ſtato ſpiritu deſipit omnis caro, vt dicit
Auguſtinus. Econuerſo; gaudium mun-
di facit contemnere omnia cæleſtia, quia
anima-

1. Cor. 2. *animalis homo non percipit quæ Dei ſunt: ſtultitia enim ineſt illi*. Ex his patet in quo differt gaudium mundi à gaudio ſpirituali, & quod in infinitum beatior & felicior eſt gaudens gaudio ſpirituali quam corporali; quia dicit Richardus vbi ſupra cap. 25. Quantò plus exterius iuſtus videtur infelicior, eò interius beatior eſt. Econuerſo ille quantò plus videtur exterius felicior, tantò plus interius miſerabilior.

Gaudiũ Dei in quo conſiſtit. Tertium gaudium ſcilicet Dei, quod eſt omnino plenum atque perfectum, conſiſtit in Dei viſione, iuxta illud Pſalm. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Iſtud gaudium erit

Plenum eſt & perfectum. plenum & perfectum ex diuerſis. Primo ex regis illius præſentia, quem ſancti videbunt in maximo decore, quo viſo ita implebuntur quod vlterius non poterunt velle

1. quicquam aliud. De quo Iſaiæ. 33. *Regem in decore ſuo videbunt* Illa viſio erit plenitudo perfecta ex tribus, ſcilicet deitate, humanitate & fraternitate Chriſti ad nos. Se-

2. cundo erit illud gaudium perfectum à ſocietate ſanctorum, & hoc tripliciter, à multitudine. Apoc. 7. *Vidi turbam magnam quam nemo &c.* A nobilitate, quia Maria, Angeli & omnes Reges Apoc. 5 *Feciſti nos*

3. *Deo noſtro regnum*. Tertio ab amicabilitate, quia vnuſquiſque gaudium alterius reputabit ſuum. Tertio erit plenum illud gaudium ab inferno, propter tria, & primo quia illum euaſerunt: ſecundo quia hoſtes videbunt cruciatos: tertio quia peccatum amplius deſtruetur. Quarto erit plenum il- 4.

lud gaudium à mundo, & hoc tripliciter; quia miſeriam mundi huius euaſerunt. Secundo, quia tantum hoſtem tam debiles vicerunt. Tertio, quia amplius eum non timebunt. Sic ergo ſancti perfectum gaudium & plenum non poſſunt habere niſi in cœlo. Nam licet in præſenti per gratiam habeant verum & purum gaudium, vt dictum eſt, tamen habent quodammodo ſemiplenum, eo quod quamdiu ſunt in corpore peregrinantur à Domino, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem, & quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & quia non quod volo ago bonum, ſed quod odi malum. Et his de cauſis dicitur eſſe quaſi ſemiplenum, quia etſi ſpiritus promptus eſt, caro tamen infirma. Sed in cœlo tunc erit pleniſſimum, quia ad nutum animæ ſeruiet corpus, & abſcedet omnis triſtitia & impedimentum quodlibet. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugietq; dolor & gemitus*. Iſaiæ. 35. Ad quod gaudium perducat nos Dominus Ieſus Chriſtus. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI.

SERMO I.

Dominus Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum & ſedet ad dexteram Dei. Marci vltimo.

QVamuis de omnibus Chriſti operibus quę in noſtra humanitate operatus eſt, operando ſalutẽ in medio terræ, multum gaudẽdum, eò quod quicquid in aſſumpta humanitate noſtra fecit, totum nobis contulit ad ſalutẽ; nobis. n. natus eſt & datus, pro nobis paſſus, ac pro nobis etiam reſurrexit, vt dicit Apoſtol. ad iuſtificationem noſtram, quæ omnia plena ſunt gaudio; multo tamen maior exultatio, & gaudium multò incomparabilius nobis eſſe debet de opere aſcenſionis ſuæ in cœlum, eo quod gloria aſcenſionis Chriſti totius diſpenſationis diuinæ quam in carne noſtra operatus eſt, fuit complementum. Epheſ 4. *Qui deſcendit ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos vt adimpleret omnia.* Vnde dies aſcenſionis eſt dies requietionis & quie-

Iſaiæ. 9. 1. Pet. 2. Rom. 3. — *Aſcenſio Domini præ reliquis myſterijs glorioſiſſima.*

Geneſ. 2. & quietis Chriſti, in quo requieuit ab omni opere quod reparauerat. Vnde ipſe dicit ad patrem: Ioan. 17. *Opus conſummaui quod dediſti mihi.* Magno igitur gaudio nobis gaudendum eſt hodie, ampliorique exultatione quam de natiuitatis aut reſurrectionis eius myſterio gratulandum. Nam etſi gaudium Luca. 2. Angelus cum multitudine militiæ cœleſtis annunciauit mundo in natiuitate, illud tamen gaudium imperfectum erat, eo quod nihil nobis naſci profuit niſi redimi profuiſſet, vt dicit Gregorius in cãtico paſchalis ſabbati, licet etiam gaudium magnum & maius præcedẽti fuit de Chriſti paſſione per quam ſumus Deo reconciliati, eo quod vt dicit Apoſtolus. Rom. 5. *Iuſtificati ſumus in ſanguine ipſius ab ira per ipſum*; illud tamen gaudium etiam nondum fuit plenum & conſummatum, eo quod ſancti patres de limbo educti cœlum aſcendere non poterant, donec ianua cœli aperiretur, quod non prius fieri potuit quam per Michea. 2. aſcenſionem Chriſti. *Qui aſcendens iter pandit ante eos.* Gaudium reſurrectionis quamque in ſe magnum fuit, eo quod corpus mortale ſtolam tunc induit gloriæ immortalis, iuxta illud *Concidiſti ſaccum meũ & circumdediſti me lætitia*, tamen nihilominus illud gaudium nondum fuit completum; quia quamdiu Chriſtus ſic manſiſſet in carne glorificata cũ diſcipulis conuerſando in mundo, Spiritus ſanctus non fuiſſet datus, eo modo quo datus eſt de cęlo, Ioan. 16. iuxta illud: *Niſi ego abiero paracletus non veniet ad vos.* Secundo quia niſi Chriſtus aſcendiſſet, ſpes noſtra aſcendendi in cœlum fruſtrata fuiſſet. Ex quo enim caput non præceſſiſſet, quomodo membra ſequi potuiſſent? Aut ex quo victor mortis ad locum immortalitatis non aſcẽdiſſet, quo modo ſpes mortalibus hominibus fuiſſet illuc perueniendi? Si enim filius regis aulã non ingreditur, quomodo ſeruus pannoſus ingredi ſperatur? Propter quod Auguſtinus in ſermone de aſcenſione dicit, reſurrectionem eſſe ſpem noſtram, aſcenſionem Chriſti verò glorificationem noſtram. Et ibidem. Nos Chriſti mors viuificauit, reſurrectio erexit, ſed Chriſti aſcenſio conſecrauit. Dum enim Dominus noſter naturam humanam ſyderibus portauit, credentibus cœlum patere poſſe monſtrauit: dum vincentem in cœleſtibus eleuauit, victorem mortis quo ſequamur oſtendit, inquit Auguſtinus ſupra illud Actuum. 1. *Eleuatus eſt in cœlum* In hac ergo ſolennitate deletum eſt finaliter chyrographum noſtræ damnationis, mutata eſt ſententia noſtrę corruptionis. Illa enim natura, cui dictum eſt, *terra es, & in terram ibis*, hodie in cœlum iuit, ait Gregorius homilia. 29. Fateri igitur oportet, quia etſi per natiuitatem Chriſti, paſſionem & reſurrectionem Deo patri ſumus reconciliati, & a diaboli ſeruitute erepti, per aſcenſionem tamen Chriſti poſſeſſores ſumus paradyſi effecti & confirmati pluraque recepimus per ineffabilem aſcenſionis Chriſti gloriam, quã per diaboli perdideramus inuidiam: quia quos diabolus de primi hominis felicitate eiecit, hos hodie Dei filius ſibi corporatos ad patris dexterã collocauit. Merito igitur nobis gaudẽdũ eſt Chriſto aſcendente in iubilo, cum non ſolum Chriſti videamus gloriam, ſed etiam carnis noſtrę in ipſo ſuper omnes choros Angelorum exaltationem, ſicut hodiernum teſtatur Euangelium in verbis propoſitis, quia *Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum & ſedet ad dexteram Dei.* In quibus verbis tria deſcribuntur. Primo myſterium dominicę aſcenſionis quantum ad aſcendentis proprietatem. cum dicitur: *Dominus Ieſus*, Secundo deſcribitur quantum ad aſcẽdentis veritatem, quia *poſtquam locutus eſt.* Tertio quantum ad loci ſublimitatẽ, quia *aſſumptus eſt in cœlum & ſedet à dextris Dei.* Propoſit.

I.

Dominus Ieſus. Sciendum hic, quod licet Chriſtus in tota vita ſua ſe voluit pauperẽ oſtendere & defectuoſum, iuxta illud: *Ego autẽ pauper ſum & dolens*; tamen in aſcenſione ſua voluit ſe oſtendere Dñm fortem & virtuoſum, intantum vt etiã Angelicæ poteſtates admirantes eius virtutis potentiam ab alijs quærebant. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et reſponderunt aliæ. *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Secundũ Dyoniſiũ li. primo de cœleſti hier. c. 7. Nec ſolum Angeli inferiores, ſed etiam ſuperiores &

Deo immediati intra ſe quærebant dicen-
tes *Quis eſt iſte qui venit de Edom*, quo re-
Iſaia.63. ſpondente: *Ego ſum qui loquor iuſtitiam.*
ſtatim dixerunt: *Quare ergo rubrum eſt ve-
ſtimentum tuum?* Vbi Hugo dicit quod per
iſtam immediatam interrogationem ap
paret quod fuerunt ſummæ virtutes. Nec
mireris quod ita quærebant Angeli ab alijs
de Chriſti forti & potenti aſcenſione: Li-
cet enim multi ſcirent ipſum hominem eſ-
ſe, non tamen ſciebāt humanam naturam
ſupra ſe exaltandam, inquit Hieronymus
ſuper illud: *Tollite portas.* Ideo benè & con-
gruè Chriſtus in aſcenſione ſua dicitur.
Dominus Ieſus. Qui enim in incarnatione
Sap. 7. ſua apparuit vt paruulus & egenꝰ, eo quod
ſimilem vocem emiſit omnibus plorans. Et in
Philip. 2. paſſione apparuit vt ſeruulus deſpectus,
quia *humiliauit ſemetipſum formam ſerui
accipiens, factus obediens vſque ad mortem,
habitu inuentus vt homo*; iſte apparuit vt
Daniel. 7. antiquus dierum. *Plenus iubilo exaltationis.*
Pſalm. *Aſcendit Deus in iubilatione, & tan-
quam Dominus in voce tubæ*, propter quod
in toto corpore ſancti Euangelij quatuor
Euangeliſtarum, quamuis Chriſto multa
ineffabilia merita per Euangeliſtas ſunt
attributa, ſignanter tamen circa aſcenſio-
nem ſuam admirabilem Marcus eum hic
appellat dicens: *Dominus Ieſus poſtquam lo-
cutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum.* Pro quo
Præter Chriſtum nemo appellari poteſt Dominus.
ſciendum quod in toto mundo non eſt res
quæ poſſit rationabiliter appellari Domi
nus præter Chriſtum, idque propter tres
cauſas. Primo quia homo diſpēſator, mu
tuator & mendicator, & ideo non poteſt
rationabiliter Dominus appellari. Et adde
tres impotentias ſeu inſufficientias in o-
mni Domino terreno. Prima eſt, quia qui-
libet Dominus magis indiget ſeruo quam
ſeruus eo vt communiter. Vnde videmus
quod centum ſerui contentantur vno Do-
mino, vnus autē Dominus vix contenta-
tur centum ſeruis. Et hoc ſignum eſt quod
plus indigent Domini ſeruis, quā ſerui Do-
minis. Patet etiam hoc, quia Dominus
quantò maior & potentior eſt, tantò ma-
iori indiget ſeruorum obſequio & defen-
ſione, quam ſeruus protectione Domini.
Secunda impotentia eſt, quia nullus Do-
minus terrenus poteſt facere ſeruum libe-
rum, cuius probatio eſt, quia ipſemet non
eſt liber; ſeruit enim malis affectionibus,
cupiditatibus, iræ, impatientiæ, & ſic de a-
lijs. Vnde Seneca Epiſtola. 47. Seruus es, o-
ſtende quis non ſit? alius libidini, alius a-
uaritiæ, alius ambitioni, omnes timori ſer-
uiunt; quia Domini vt communiter magis
timent quam ſerui, & qui à multis time-
tur, multos timet. Tertia impotentia eſt
quam Domini terreni ſuſtinent, quod non
poſſunt compellere hominem ad eis ſer-
uiēdum, velit nolit, quia eis nunquam be-
ne ſeruiet aliquis inuitus. Per oppoſitum
autem Chriſtus eſt Dominus veraciter &
realiter. Primo quia nullo ſeruo indiget,
nec per eius ſeruitium ſibi aliquid accreſ-
cit; imo econtra ipſe ſeruo ſuo ſeruit po-
tius quem ſemper cuſtodit. *Conſerua me
Domine quoniam ſperaui in te; dixi Domino
Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum
non eges.* Et hoc oſtendit Chriſtus ſpecia-
liter in aſcenſione, quia eo aſcendente li-
cet Angeli ſibi occurrerunt, non tamen in
auxilium, non in ſubſidium, non in adiu-
torium. Secundo veraciter appellatur Do-
minus Chriſtus, quia ipſe ſeruientes libe-
ros facit, imo reges. *Feciſti nos Deo noſtro re-* *Apoc. 5.*
gnum & regnabimus. Hoc apparuit in aſ-
cenſione ſua, in qua Chriſtus tanquam
nobilis homo abijt in regionem longin-
quam accipere ſibi regnum & reuerti. Vbi *Luca. 19.*
duo dicit de Chriſto. Primo, quia abiit in
cœlum accipere ſibi regnum; per aſcenſio-
nem enim ſuam Chriſtus accepit regnum
cœleſte iure hæreditario ſibi, nobis autem
iure adoptionis, vnde ipſe eſt hæres regni,
nos autem cohæredes eius, iuxta illud: *Hæ-
redes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*
Secundo dicitur de eo quod debet reuerti,
ſicut Angeli hodie Apoſtolis teſtati ſunt
dicentes: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis
eum aſcendentem in cœlum*: quod tunc fiet
quando vnumquemque viſitabit in morte
ſua particulariter, & in iudicio generali
vniuerſaliter; tunc enim introducet v-
numquemque in poſſeſſionem huius re-
gni; iuxta illud: *Si abiero & præparauero* *Ioan. 14.*
*vobis locum, iterum veniam & accipiam
vos ad me.* Vnde nos ſumus ſerui illi qui *Luca. 12.*
expectant Dominum ſuum quandò reuer-
tatur à nuptijs. Tertio non ſolum homo,

imo

imo tota creatura, velit nolit, ſibi ſeruit in cœlo, in terra, & in inferno; quia ſi obediat ſuis præceptis, voluntariè & virtuoſè ſeruiet Deo ad declarandum diuinam miſericordiam in præſenti ad tempus, & in futuro perpetuè proſperabitur, iuxta illud Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Si vero nolit diuinis ſeruire præceptis voluntariè, ſeruiet Deo inuoluntariè, ad declarandum diuinam iuſtitiam in præſenti ad tempus, & in futuro perpetuè. Et ideo omnis homo neceſſario ſeruiet ei, vel in ſuo palatio cœleſti, vel in ergaſtulo infernali in æternum. Et ideo dicit Pſalmiſta. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Et iterum. *Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.* Et quia hoc nulli competit homini, ideo nemo poteſt rationabiliter & verè Dominus appellari. Illud aduerterat Octauianus Auguſtus, ſicut de eo narrat Suetonius de vita 12. Cæſarum. Domini inquit appellationem vt maledictum & opprobrium ſemper exhorruit, Dominumque ſe appellari nec à liberis aut à nepotibus ſuis vel ſeriò vel ioco paſſus eſt. Non ſic eſt de Chriſto, quem omnes creaturæ etiam inuitè Dominum proclamant, eique obſequuntur & ſeruiunt. In ſignum cuius tam ſuperior creatura vt Angelica; quam media irrationalis, vt nubes, aera, & lucida; quam infima rationalis & corporea, vt homines in ſua aſcenſione, fuit in ſuum obſequium ordinata. Et tantum de iſto principali.

II.

Poſtquam locutus eſt Apoſtolis. Omnia quæ Chriſtus geſſit poſt reſurrectionem ſuam quadraginta diebus, vſque ad diem aſcenſionis ſuæ & horam eiuſdem, fuerunt teſtimonia veritatis ſuæ carnis. Nam per ea animæ ſimul & carnis immortalitas deſignabatur, & veritas naturæ humanæ declarabatur; ſicut ait Leo in quodam ſermone. Vnde eius comeſtio, eius locutio, & alia geſta humana fuerunt vera teſtimonia ſuæ naturæ humanæ veraciter reaſſumptæ poſt mortem per gloriam reſurrectionis, propter quod non ocioſè nec fruſtra hic dicitur per Marcum, quod Dominus Ieſus prius locutus eſt Apoſtolis, & tunc aſcendit. Circa quod ſciendum quod ipſo die aſcenſionis ad confirmandam veritatem ſuæ naturæ, fecit quatuor notabiles operationes. Prima fuit, quia diſcipulos increpauit durè, ſcilicet de duritia cordis & eorum infidelitate, vt verba quæ eis diceret arctius ipſis impreſſa remanerent, quia illa quæ cum paſſione timoris vel triſtitiæ ingeruntur, arctius retinentur. Secunda, quia eis officium prædicationis iniunxerat dicens: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium.* Tertio, quia tunc formam baptiſmi inſtituit dicens: *In nomine patris & Filij & Spiritus ſancti.* Quarto, quia gratiam miraculorum eis contulit dicens. *Signa autem eos &c.* Iſta autem à phantaſtica creatura fieri non potuiſſent. Secundus actus quo voluit Chriſtus confirmare miraculum ſuæ aſcenſionis fuit familiaris comeſtio, quia poſt prædicta fuit cum eis familiariſſimè pranſus, vt dicitur Actuum. 1. *Conueſcens* inquit *aſcendit.* Quod tractans Gregorius in homilia dicit. Comedit & aſcendit vt per effectum comeſtionis, veritas pateſceret carnis. Tertius actus quo Chriſtus voluit confirmare illud myſterium, fuit aſſocialis itineratio, quia poſt illam benedictam reſurrectionem Chriſtus egreſſus eſt cum eis: vnde dicitur Lucæ 23. *Eduxit eos foras in Bethaniam, & iuit cum eis vſque ad montem Oliueti.* In iſta autem proceſſione fuit mater Chriſti cum alijs ſanctis mulieribus, quæ etiam vt piè creditur interfuerunt illi refectioni, ſicut colligitur Act. 1. vbi dicitur, *quod aſcendente Ieſu regreſſi ſunt diſcipuli Domini vbi manebant cum mulieribus & matre Ieſu.* Iſta autem regreſſio denotat quod Chriſtus inde exierat, quando poſt cibum eduxit eos foras; nec eſt veriſimile quod in tali domo fieret conuiuium matre Domini abſente. Similiter dicendum eſt de proceſſione; nō eſt enim veriſimile quod Chriſtus vellet matrem ſuam chariſſimam ſic derelinquere deſolatam, vt eundo in cœlum eam non benediceret. Quartus actus Chriſti fuit

Chriſtus in die aſcenſionis quatuor operatus eſt.

Guſta Chriſti fuerunt teſtimonia naturæ ſuæ humanæ.

fuit affectualis ſtatio. Non enim poſtquā peruenit ad montem ſtatim euolauit, ſed aliquamdiu ſtetit, ſicut amici valefacientes in vltima valefactione ſolent figere gradum. Morā autem iſtius ſtationis, quatuor Chriſti operationes declarāt. Primo, quia Apoſtolis quærētibus de conſummatione ſæculi, Chriſtus reſpondit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate*. Ex quo elicitur quod prædicator aut doctor veritatis non debet ſe occupare inutilibus quęſtionibus, cuiuſmodi ſunt quæſtiones de futuris euentibus, & præcipuè de fine & conſummatione ſæculi; ſed potius illis quæ poteſt ſubditos ædificare. Secundo iſtam moram declarat, quia Chriſtus dedit præceptum quod in ciuitate illa manerent donec virtutem cœleſtem reciperent, vt dicitur Lucę vltimo. Ex quo habetur quod volēs gratiā ſpiritus Sancti accipere, debet quietari à tumultu vitiorum & ſæcularium ſeu ciuilium negotiorum. Secundo ex hoc habetur quod nullus debet præcipitare ad prædicationem faciendam, niſi prius ſederit ad diuinam virtutem & doctrinam præcipiendam; contra noſtros prædicatores, qui quandoque indeliberati prædicant. Tertio in iſta ſtatione dedit eis promiſſum de miſſione Spiritus ſancti dicens: *Accipietis virtutem Spiritus ſancti in vos*. Quarto in ſtatione dedit eis benedictionem, vt dicitur Luc. 24 *Benedicens eis ferebatur in cœlū*. Ex his omnibus colligitur modus ſpiritualis aſcenſionis poſt Chriſtum de ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ. Ad quod requiritur primo increpatio duri cordis, vt conteratur ad dolorem & ad pœnitentiam. Pſalm. *Increpuerunt me renes mei*. Sic enim Deus increpat ſuperbos vt humilientur. Secundo requiritur comeſtio panis doloris. Pſalm. *Cinerem tanquam panem manducabam*. Tertio requiritur aſſociatio virtutum: Pœnitens enim debet congregare virtutes diſperſas. Quarto debet ſtabiliri in bono. Abacuc 3. *Requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum*. Poſt quæ omnia merebitur homo benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Iuxta illud Pſalm. *Quis aſcendit in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius.*

Documētum Prædicatoribus.

Act. 1.

III

Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Hic deſcribitur myſterium Dominicæ Aſcenſionis, quantum ad loci ſublimitatem, de qua dicitur: *A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Huius aſcenſionis figura habetur. 2. Paralippo. 29. vbi dicitur. *Conſurgens diluculo Ezechias rex ordinauit omnes principes ciuitatis & aſcendit in domum Domini*. Sic Chriſtus reſurgens diluculo, vt dicitur in pſalmo, adunatis & congregatis diſcipulis, qui ſunt principes ciuitatis ſanctæ, videlicet Eccleſiæ militantis & triumphantis, Pſalm. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*) Coram eis aſcendit in domum Domini, in cœlum ſupremum & excellentiſſimum, qui eſt locus ſpiritualis Domini Dei patris ſui, in quo ſedit ipſe ad dexteram eius. Circa quod de modo aſcenſionis Chriſti: primò videndum eſt qualiter, ſecundo quando, tertio vnde, quarto & vltimo ad quem locum. Quantum ergo ad primum, qualiter Chriſtus aſcendit, eſt ſciendum, quod Chriſtus aſcendit in corpore lucidiſſimo & clariſſimo. Pſalmiſta. *Amictus lumine ſicut veſtimento.* Licet autem Chriſtus poſt reſurrectionem habuerit corpus religioſum & clarum, illa tamen claritas non fuit oculis Apoſtolorum ita manifeſta ante aſcenſionem; imò fuit eorum oculis comparata, vt eius corpus poſſent videre; ſed in aſcenſione tunc illa claritas fuit eis oſtenſa. Secundo aſcendit benedicendo Apoſtolos & benedicendo Deum patrem, id eſt, laudando & gratias agendo Deo patri. Tertio eleuatis manibus ferebatur. Et quarto oculis verſis ad orientem. Pſalmiſt. *Aſcēdit ſuper cœlos cœlorum ad orientē*. Ex quo primo inſtruimur vt quāto quis ad maiorē honorē ſublimatur, tāto magis debet leuare manus ſuas orādo & gratias agēdo ad Deum. Pſalmiſta: *Leuaui oculos meos in mōtes, vnde veniat auxiliū mihi. &c.* Secundo elicitur ex hoc quod Eccleſiæ debent conſtrui ad oriētem, vt ſacerdos diuina celebrans vultum habeat ad oriētē, ſicut Chriſtus reſpiciebat ad orientem. Sed nota quod Eccleſia non

de-

Eccleſia verſus Orientem conſtruenda.

debet ædificari verſus quemcunq; ortum ſolis, ſed ſolum verſus ortum ſolis æquinoctialis, videlicet qualis fit circa feſtum S. Lamberti & S. Gregorij, non autem verſus ſolſtitium æſtiuale ſiue hyemale. Cuius ratio eſt, quia Eccleſia quæ militat in terris, temperare ſe debet æquanimiter in proſperis & aduerſis. Ita notat Archidiaconus. *De conſ. diſt* 1. *Nemo.* Siimiliter etiam & infans baptizandus, debet teneri verſo vultu ad orientem dum mergitur in fontem, vt ſic vultum habeat ſicut ille, in cuius nomine baptizatur.

Infans verſus Orientem baptizãdus.

Sed diceres vtrum Chriſtus ſolitarius eleuatus eſt in cœlum, vel cum qua militia. Ad quod dicendum, habuiſſe quadruplicẽ militiam. Primò Angelorum Sanctorum, qui ſecum aſcenderant de inferno patrũ, qui ibi miniſtrabant portando animas eorum in ſinum Abrahæ, vt patet Luc. 16. de Lazaro, ſicut nunc miniſtrant nobis in mũdo. Secũdò cũ militia Sãctarũ animarũ quas de inferno extraxerat, cum nulla adhuc aſcendere potuit propter clauſuram ianuæ. Tertiò cum militia Sanctarum animarum de mundo, cum in iſtis quadraginta diebus poſt reſurrectionem credendũ ſit multos iuſtos homines eſſe mortuos, & de paruulis fidelium non eſt dubitandum qui omnes Chriſtum aſſociabant in cœlum, ex quo non habebant neceſſario deſcendere ad infernum damnatorum, nec purgatorium, nec ad limbum deſtructum. Quartò cum militia Sanctorum reſuſcitatorum, qui in corporibus eorum quaſi noua militia ſecundum quoſdam cum Chriſto aſcẽderunt; licet quidam dicunt quod iſti Patres reſuſcitati per Chriſtum tempore reſurrectionis ſuæ iterum dormierunt, ſecundum Auguſtinum ad Euodium in epiſtola, quod etiam communiter tenet B. Thomas, 3. par. q. 53 art. 3. Iſta autem tota militia dicitur à quibuſdam fuiſſe in paradiſo terreſtri vſque ad horam aſcenſionis Chriſti. Sed verius eſt vt dicatur ſemper Chriſto adhæſiſſe, & eum aſſociaſſe quocunque conuerteretur. Qualis autem & quanta fuit exultatio & iubilatio iſtius ſanctiſſimæ militiæ, quis ſufficit dicere? Nam licet Angeli perpetuum gaudium habeant de viſione d[illegible]tatis Chriſti, ſicut dicit Petrus: *In quem Angeli deſiderãt proſpicere;* tunc tamen ex viſione glorioſæ humanitatis Chriſti ſic mirabiliter glorificatæ ſpeciale & accidentale gaudium aſſumpſerunt. Et quia hoc videtur quibuſdã ſciolis ridiculum, quod Angelis noua lætitia accidat, ideò audiant Gloſſam ſuper verbo Petri prædicto; vbi ſic dicit: Tanta eſt eius hominis, qui paſſus eſt pro nobis poſterior gloria, vt etiam Angelicæ in cœlo virtutes, cum ſint ęterna fælicitate prędite, non ſolum immortalis Deitatis magnificentiam, ſed etiam aſſumptæ eius humanitatis claritatem ſemper aſpicere gaudeant. Hæc Gloſſa. Et quomodo rogo nõ fuit ſpeciale gaudium Angelis, videntibus Chriſtum introducere in cœlum tantam multitudinem animarum Sanctarum, quibus replendus erat caſus dæmonũ? Epheſ. 1. *Propoſuit in Chriſto, ſcilicet Deus, Pater reſtaurare omnia quæ in cœlis ſunt.* Quanta etiam lætitia fuit Sanctorum Patrum, propter inferni ereptionem & Angelorum aſſociationem & cœleſtis regni adeptionẽ?

Quadruplici militia ſtipatus Chriſtus eleuatus eſt.

1. Pet. 1.

S[e]d hic occurrit dubium, à quo, aut per quem Chriſtus fuit aſſumptus in cœlum, eò quod hic in themate dicitur: *Aſſumptus eſt.* Et Actuum primo dicitur. *Eleuatus eſt.* Non autem dicitur, aſcendit propria virtute. Ad quod dicendum quod Chriſtus primo & principaliter aſcendit virtute ſuæ Deitatis, qua etiam & reſurrexit. Vnde ſicut ex Deitate ſua potuit reſurgere, ita & humanitatem ſupra cœlos eleuare. Pſa. *Exaltare Domine in virtute tua.* Sed ſecundario etiam aſcendit virtute animæ glorificatæ, ex cuius redundantia glorificabatur corpus, vt dicit Auguſtinus ad Dioſcorum. Tanta enim eſt obedientia corporis ad animam in glorificatis, quod vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus; ſecundũ B. Auguſtinum lib. 22. de ciuit. Dei. Et ideò ex virtute animæ volentis vt corpus ſuum immortale & incorruptibile eſſe in loco cœleſti; corpus Chriſti aſcendit in cœlum, & non ſolum virtute diuina, veruntamen ex quo virtus diuina principaliter mouebat Chriſtum ad aſcendendum, ideò dicitur aſſumptus vel eleuatus, ſcilicet virtute diuinitatis ſuæ, quæ hoc principaliter operabatur.

Dubium.

Quomodo Chriſtus ſit eleuatus.

CurChriſtusaſcendit in cœlum. Sed adhuc diceres. Quare Chriſtus aſcẽdit in cœlum? Reſpondeo quod ad hoc duplex eſt ratio, tàm ex parte ipſius Chriſti, quàm etiam ex parte noſtri; quare voluit aſcendere ex parte Chriſti, quo ad ea quæ *Ex parte ſui.* fecit propter noſtram ſalutem; nam per hoc primum nobis viam præparauit: *Vado parare vobis locum, vt vbi ego ſum, illic & vos ſitis.* *Ioan.14.* Secundò aſcendit ad interpellandum pro nobis, licet enim iuſtis ſint omnia facilia, præſentibus tamen faciliora, vt dicit Tullius ad Brutum amicum ſuum. Et vulgò dicitur: facies hominis, facies leonis. Repræſentatio igitur humanæ naturæ quam Chriſtus aſſumpſit, & in cœlum introduxit, non eſt niſi quædam præſentialis interpellatio pro nobis, ob quam cauſam Ioannes appellat eum aduocatum noſtrum. *1. Ioan. 2.* Tertiò vt Spiritum Sanctum nobis mitteret ſicut ipſe dixit: *Niſi ego abiero, paracletus non veniet: Si autem abiero mittam vobis eum.* *Ioan. 16.* Quartò vt reciperet regnũ nobis, & ius poſſidendi. Vnde Chriſti aſcenſio eſt cauſa noſtræ aſcenſionis inchoatiuè, non per modum meriti, aut per remotionem prohibentis vt eius paſſio, ſed eſt cauſa exemplaris; quia Chriſtus cum ſit caput noſtrum, aſcendit in cœlũ, cui oportet nos coniungi, eò ꝙ non poteſt eſſe caput ſine membris, ſed vbi eſt gloria capitis, illuc tendat mens & corpus. Ex parte verò noſtra eſt quadruplex ratio. Prima propter fidei augmentum. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* *Ioann.20. & 14.* Secunda propter ſpei noſtræ ſublenationem. *Si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipſum.* Tertia ad erigendum charitatis affectum in cœleſtia. *Vbi eſt theſaurus tuus ibi eſt & cor tuum.* *Matth.6.* *Coloſſ.3.* *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Quartò vt augeatur reuerentia ad ipſum, dum non æſtimamus eum hominem tantum, ſed ſicut Deum verum. Vnde magis reueretur rex in aula & corona propria, quàm in domo communi & mitra deſpecta, ſecundo Corinth. quinto. *2.Cor.5.* *Si cognouimus ſecundum carnem Chriſtum,* ſcilicet prius, *ſed iã nunc non nouimus.*

Deindè reſtat videre de tempore quando fuit eleuatus & aſſumptus, & hic dicendum eſt de anno, menſe, die, & hora. Annus fuit ſecundum Auguſtinum, decimus ætatis circulus, hoc eſt, in ſexto millenario annorum ab initio mundi. *Aug in li. de mirab. S.Scrip.* Sicut enim 6. die opera ſua compleuit, & 6. die primus homo de paradiſo eiectus eſt; ſic Chriſtus 6. millenario compleuit opus redemptionis, & hominẽ reduxit ad paradiſum exultationis. Vnde à creatione mundi vſque ad dominicam aſcenſionis, fuerunt quinque milia ducenti & 34. anni ſine medio, ſecundum communem computationem Bedæ, licet ſecundum aliquos aliter, de quo non eſt vis. Aſcendit autem Chriſtus in menſe Maio. *Chriſtus quando aſſumptus.* Nam paſſus viceſima quinta die menſis Martij, ſurrexit 27. eiuſdem menſis, ſecundum Auguſtinum de ciuit. Vnde quia ab illo fluxerunt 40. dies ad aſcenſionem, ſic aſcenſio fuit quinta die menſis Maij. Et fuit iſtud tempus congruum primo, quia in iſto menſe agri adimplentur, rore & vaporibus terram implentibus; ſic Chriſtus terram viuentium animabus impleuit ſanctis. Secundò quia ſicut nunc totus orbis lætatur propter aëris temperiem; ſic ſancti tunc exultauerunt, quando amœnitatem ſuæ patriæ viderunt. Tertiò ſicut nunc aues canũt cantica ſuauiſſima; ſic electi Angeli cantauerũt cantica glorioſiſſima. Quartò ſicut cœli nunc ſerenantur magis quàm alio tempore propter aëris puritatem; ſic S. Angeli tunc fuerunt ſerenati ad litteram, quia tunc cœpit Angelos illuminare ſecũdum actus hierarchicos vt eſſent clariores quàm ante, cum ibi ſit hierarchia quantũ ad humanitatem. Vnde Dionyſius dicit de Angelica hierarchia, quod omnes Angeli gaudent moto Patre, quod factum eſt in aſcenſione, eo modo quo ſupra dictum eſt.

Nunc videndum eſt de die aſcenſionis, quæ fuit feria quinta, quæ quadrupliciter eſt priuilegiata. *Chriſtus quo die aſcenderit* Primò quia in ea creati ſunt piſces, & benè congruit myſterio: qui ſicut piſces poſt creationem remanſerunt in aquæ amaritudinibus; ſic diſcipuli poſt aſcenſionem in tribulationibus, ſicut eis dictum eſt. *Plorabitis & flebitis vos.* Secundò, iſta die fuerunt aues creatæ, per quod *Geneſ.1.* ſignificatur gaudium Angelorum, vltra quos hodiè Saluator volauit ſuper Cherubin

bin. Tertiò; iſta die fuit Chriſtus in templo oblatus. Nam à dominico die in quo natus eſt vſq; ad quintam feriam quadrageſimæ diei poſt ſequentis purificatio Domini terminatur: ita hodiè fuit ab Angelis Deo Patri oblatus, iuxta illud: *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce in nubibus cœli filius hominis veniebat, & vſq; ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem.*

Dan. 7.

Quartò iſta dies conſecrata eſt myſterio paſchalis refectionis; nam iſto die Chriſtus comedit paſcha cum diſcipulis in cœna, & ibi inſtituit Euchariſtiæ ſacramentum, quod fuit imago illius æterni conuiuij, ad quod hodiè Sancti per Chriſtum fuerunt introducti, dicente Domino Apoſtolis in cœna: *Ego diſpono vobis regnum ſicut diſpoſuit mihi Pater, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Luc. 22.

Luc. 22.

De hora verò aſcenſionis Chriſti ſciendum, quod Chriſtus aſcendit hora nona, quod patet ex eo, quia poſt prandium, vt dicitur Actuum primo, quæ hora fuit congrua ad hoc. Primò, quia illa hora Adam fuit de paradiſo expulſus, ſcilicet ad auram poſt meridiem, Deo deambulante in paradiſo; hinc congruum fuit, vt eadem hora reduceretur in paradiſum, cum Deus ſaluauit humanum genus per ſimilia, vt docet Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana. Secundò, quia eadem hora fuit paradiſus clauſus, & ab Angelo cuſtoditus, ita vt à nullo aperiri poſſit; ſic è conuerſo hodiè per Chriſtum eſt apertus, vt à nullo claudi poſſit. Tertiò, quia iſta hora ad infernum deſcendit, vt patet Matth. 27: *Hora nona emiſit ſpiritum.* Vnde quia tunc multum humiliatus fuit deſcendēdo gratioſè ad inferos, debuit hodiè exaltari glorioſè aſcendendo ad ſuperos. Quartò, quia illa hora infernus fuit ſpoliatus, debuit ergò eadem hora cœlum eſſe ditatum. Nūc videamus de loco breuiter aſcenſionis, qui fuit mons Oliueti, vt patet Actuū primo, & locus ſuæ orationis in nocte, vt patet Luc. vigeſimo primo. Ideò ſicut ibi eleuabatur ſpiritualiter in oratione ad Patrē, ſic debuit eleuari corporaliter ad Patrem de eodem. Secundò, quia ibi fuit captus, ligatus, expauit, tæduit: ideò cum per meritum ſuæ paſſionis debuit exaltari, congruum fuit vt inde exaltaretur vbi mærere cæpit, ſicut de quibuſdam Sanctis etiam legimus. Tertiò quia ibi creditur Chriſtus antichriſtum interfecturus fuiſſe ſpiritu oris ſui. *Egredietur Dominus & præliabitur contra omnes gentes, & ſtabunt pedes eius ſuper montem Oliueti, qui eſt contra Hieruſalem ad orientem.* Quartò, quia ibi creditur Chriſtus iudicium facturus, vt patet Ioelis tertio. Conſequenter de loco ad quem aſſumptus ſit Chriſtus, ſciendum, quod aſſumptus eſt vſque ad ſupremum cœlum. Pſalmiſta. *Et occurſus eius vſque ad ſummū eius.* Et: *Ipſe aſcendit ſuper omnes cœlos.* Ponunt autem Sancti decem cœlos, vt patet ex D. Thom. in 1. parte Sum. q. 69. artic. 4. Primum cœlum aſcendendo eſt cœlum Lunæ; ſecundum Mercurij; tertium Veneris; quartum Solis; quintum Martis; ſextum Iouis; ſeptimum Saturni; octauum ſydereum ſeu ſtellatum; nonum criſtallinum ſeu aqueum; decimum empyreum; in quo ſunt Angeli ſecundum Bedam & Baſilium, eſtque ſuper omnes cœlos corporales, & dicitur cœlum cœlorum, quia in eo eſt ſtabilitatio Angelorum Sanctorū; & animarum beatarum, & eſt locus corporum glorioſorum, in hoc cœlum omnēs homines glorioſi euolant. Ibi virgo glorioſa reſidet ſuper choros Angelorum omnium poſita, vltra quam Chriſtus reſidet, iuxta illud Epheſ. primo: *Conſtituit eum ſuper omnem principatum & poteſtatē, & ſuper omne nomen quod nominatur ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro.* Nec eſt putandum quod Chriſtus in aliquo cœlorum prædictorum corporeorum citra empyreum moratus ſit per diem, aut etiam per horam vnam, vt aliqui erroneè fingunt, dicentes eum in quolibet cœlo per vnum diem, aut etiam per horam manſiſſe, & in die Pentecoſtes primo ad dexteram patris veniſſe in cœlum empyreum, & tunc mox miſiſſe Spiritum ſanctum. Puerile eſt hoc credere de homine puro glorificato, quia corpus glorificatū mox vbi ſpiritus velit, erit vbi vult; ſed ſine dubio quilibet ſanctus vult citius eſſe in loco ſibi diuinitus deputato.

Quæ hora aſcenderit.

Geneſ. 3.

Mons Oliueti locus ſuæ aſcenſionis.

Luc. 22.

Zach. 14.

Epheſ. 4.

Epheſ. 1.

Ideò

Ideò ex quo non eſt retardans, ſtatim ibi efficitur vbi eſt loc⁹ eius, multò magis hoc credendum eſt de Chriſto. *Quomodo autẽ ſedet à dextris Dei?* Reſpondeo ſecundum Bonauenturam, quod hoc intelligitur ſic: id eſt, ſedet in cœlo empyreo ſecundum humanitatem à dextris Dei, id eſt, in potioribus bonis, quia excellit tàm Angelos quàm homines loco & dignitate. Pro quo ſciendum, quod ſecundum Thomam parte tertia. q. 58. art. 2. per dexteram ſecundum Damaſcenum intelligitur gloria diuinitatis, ſecundum verò Auguſtinũ, beatitudo Patris & iudiciaria poteſtas. Seſſio ergò regiam & iudiciariam dignitatem deſignat. Chriſtus ergò ſecundum naturã diuinam habet cum Patre prædicta omnia æqualiter in eadem maieſtate, ſed ſecundum naturam humanam dicitur ſedere in potioribus bonis vltra alios beatos, in tantum quod ipſa natura humana in Chriſto eſt beatior omnibus creaturis à ſe, & ſuper illas habet regiam & iudiciariam poteſtatem. Licet autem quandoque legitur ſtare in cœlo, ſicut Stephanus vidit Ieſum ſtantem, hoc intelligitur quantum ad eius adiutorium eſſe paratum. Sedere autem Chriſto conuenit, vt hic dicitur primo, ad deſignandum quod nullum habet defectum, ſed appetitum quietatum & ſatiatũ, ſicut ille qui ſedet quieſcit à motu. Secundò dicitur ſedere, quia eſt iudex viuorum & mortuorum, ad quem pertinet ſedendo iudicare, *vt de ſententia & re iudicata. Cum æterni li 6.* Tertiò ad ſignificandum quietem poſt laborem, quem per vitam ſuam totam hic ſuſtinuit. Pſal. *Pauper ſum ego à iuuentute mea, exaltatus autem. &c.* Quartò ad ſignificandum ſtabilitatem & reuerentiam honoris, quam tota curia cœleſtis ſibi exhibet: pluries enim legitur in Apocal. quod ſancti ſtant ante thronum agni ſubmittentes coronas ſuas, & laudantes eum ſine ceſſatione. Non eſt ergò putandum Deum Patrem habere corporalia membra, ſcilicet manus aut pedes aut caput, vt ſic Chriſtus à dextris Patris ſederet, ſed tantum eo modo quo dictum, eſt iſtud per ſimilitudinem moraliter intelligendum. Cuius ſedis participes nos efficiat, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sedere quare Chriſto conueniat.

Actor. 10.

★

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

SERMO I.

Dum venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Ioannis 15.

Tria requiruntur vt dictum alicuius ſit credibile.

SIcut dicit philoſoph⁹ 2. metaphiſicę in principio, tria ſunt quæ faciunt dictum alicuius credibile, quamuis non demonſtratiuè loquatur, videlicet prudentia, virtus & beneuolentia. Cuius cauſa eſt ſecundum eum, quia propter oppoſita illorum diſcredimus alicui non demonſtratiuè loquenti; videlicet vt propter imprudentiam, quia reputamus eum ignarum: aut propter malitiam, quia quamuis verum ſciat, tamen non eſt verus amicus veritatis & iuſtitiæ; aut propter defectum beneuolentiæ, quia in caſu licet ſit prudens & virtuoſus, non reputamus tamen eum beneuolum, quod velit conſulere illud quod nobis expediẽs iudicabit. Sed quando iſta tria concurrunt in conſiliario, quod reputamus eum prudentem, virtuoſum, & beneuolum, tunc abſque dubio credimus dictis eius, quamuis ea nequaquam demonſtret. Loquendo igitur de Chriſto ſic eſt. Chriſtus venit in mundum perſuadere & prædicare, non

autem

autem dicta ſua ſcientificè demonſtrare, & ideò doctrina ſua non ſcientia ſed fides vocatur. Sunt autem dicta ſua credibilia, id eſt, ad credẽdum poſſibilia, quibus merito credi debet propter tres rationes prædictas; tum quia in eo viguit prudentia, cum eſſet ſcientia Dei Patris; tum quia fuit in eo virtus, *Quia benè omnia fecit*; tum quia in eo fuit beneuolentia ad nos, quia *dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*; & ideò dicta ſua ſunt nimis credibilia. Vnde Pſal. *Teſtimonia tua Domine credibilia facta ſunt nimis*. Veruntamen licet Chriſtus fuiſſet ita verax & prudens, vt non poſſet in ore eius dolus inueniri; ita virtuoſus & honeſtus, vt non poſſit in tota vita argui de minimo peccato; ita beneuolus & benignus, vt etiam inimicis ſuis benefecerit, & pro eis orauerit; tamen nihilominus peruerſi Iudæi ſic erant excæcati malitia, vt iſta omnia pro aliquo non reputantes, ipſius teſtimonia quę perhibebat de æterna ſua veritate pro nihilo habebant. Vnde licet Chriſtus in hoc natus eſſet, & ad hoc veniſſet in mundum vt teſtimonium perhiberet veritati, vt dicitur Ioannis 18 ipſeque ſponte ſe ſubmittebat reprehenſioni, vt ſi malè in aliquo locutus eſſet, teſtimonium perhiberent Iudęi contra ipſum de malo, vt dicitur Ioan. 18. tamen Iudæi videntes eum ipſis contrarium in eo quod eorum peccata arguebat, eorum operibus contradicebat, filium Dei ſe nominabat, nullo modo ei credere volebant, ſed eum potius perſequebantur dicentes. *Circumueniamus iuſtum*, id eſt, Chriſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ, promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat. Quia igitur mundus Chriſto credere noluit, nec eius teſtimonium tam de peccatis, contra quæ teſtificatus eſt, quod pro eis mundus eſſet puniendus & damnandus, quam etiam de ſeipſo teſtificatus eſt ſe verum Dei filium, & ſic omnia à ſe dicta veriſſima: ideò neceſſe fuit adiungere ſibi vnum alium conteſtem, ſcilicet Spiritũ Sanctum, qui veniens in mundum, dicta Chriſti confirmaret in bonis & electis, iuxta illud, quod Sancti petebant. *Confirma hoc Deus* per Spiritũ Sanctum, *quod operatus es in nobis per* filium tuum. *vt in ore duorum ſtaret omne verbum*. Peruerſis autem teſtimonium perhiberet veritati, oſtendẽs omnia à Chriſto dicta eſſe vera, & ipſum fuiſſe verum Dei filium. Hinc eſt quod Saluator recedens ab Apoſtolis ad patrem, nè Apoſtoli vacillarent, ſi mundus dictis Chriſti credere nollet, nec ad vocem prædicationis Apoſtolorum flecti vellent; promittit Spiritum Sanctum ſe miſſurum à Patre, qui veniens teſtimonium perhiberet de Chriſto, ſicut verba thematis dicũt. *Cum venerit paracletus, &c.* In quibus verbis tria ponuntur circa miſſionem Spiritus Sancti occurrentia. Primò namque deſcribitur magna benignitas Dei Patris & filij ſui, Spiritum Sanctum mittentis, cum dicitur: *mittam vobis à Patre*. Secundò immenſa iocunditas Spiritus ſancti in mẽtem hominis venientis, quia veniet vt paracletus & Spiritus veritatis. Tertio ſubditur efficaciſſima vtilitas Spiritus Sancti miſſionis, cum dicitur: *Ille teſtimonium perhibebit de me.*

Marc. 7. *Apoc. 1.* *1. Pet. 2.* *Ioan. 8.* *Iudæi cur Chriſto nolebant credere.* *Sap. 2.* *Propoſit.*

I.

Paracletum mittam vobis à Patre. Sciendum, quod benignitas Dei erga nos peccatores in multis apparuit, ſecũdum quod multiplicem nobis conſolatorem miſit. Primò namque in hoc, quod filium ſuum miſit in conſolationem omnibus peccatoribus, iuxta illud Iſaiæ 61. & tranſſumptiuè. Luc. 4. *Spiritus Domini ſuper me &c.* Et ſequitur: *Ad Euangelizandum pauperibus miſit me, vt conſolarer lugentes.* Secundo dedit Spiritum Sanctum, & miſit in corda fidelium transfundendo, vnde dicitur paracletus, id eſt, conſolator. *Eccleſia ædificabatur ambulans in timore Dei, & conſolatione Spiritus Sancti replebatur.* Tertiò dabit nobis conſolationem tota Trinitas, ſe nobis in præmium largiendo. *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita conſolabor vos.* In prima conſolatione magnam oſtendit nobis gratiam, quia per filium ſuum vnigenitum in noſtra corporali humanitate apparentem dignatus eſt nos conſolari viſibiliter.

Benignitas Dei erga peccatores in multis apparuit. *Actor. 9.* *Iſa. vlt.*

Baruc. 3. *Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum homini-*
bus conuerſatus eſt. Simile eſt, ac ſi filius
Imperatoris deſcendiſſet ad reos in carce-
rem, & conſolaretur eos. Verè magna cõ-
ſolatio facta eſt à Deo hominibus in hoc,
quod filius ſuus tàm familiariter, tàm a-
micabiliter, tàm ſocialiter, & ſuper omnia
tàm humiliter cõuerſatus eſt cum eis cor-
poraliter. Sicut dicit Ioannes 1. Ioan. 1.
Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vi-
dimus oculis noſtris, & manus noſtra contra-
ctauerunt de verbo vita. Simile ac ſi medi-
cus cum ægris comederet & biberet. Cer-
tè magna conſolatio eſſet tibi tàm fami-
liariter conuerſari filio regis, vt ad vnam
buccellam panis ad te deſcenderet quan-
do tibi placeret. Sic eſt de filio Dei, qui e-
tiam ad peccatorem hominem deſcendit,
Luc. 15. ſabbatho manducare panem; vt dicitur
& 7. Luc decimo quarto. Et ad quendam Pha-
riſæum ſimiliter, vt dicitur Luc. ſeptimo.
Nonne etiam maior conſolatio eſſet tibi,
ſi tu exiſtens iam morti adiudicatus, ad
regis filium confugeres pro liberatione?
Sic enim factum eſt de Chriſto, ad quem
appropinquabant Peccatores & Publicani,
vt eruerentur à morte. Sic Magdalena cu-
currit ad eum. Sed & maxima conſolatio
eſſet tibi, ſi inter ipſas medias flammas po
ſitus, & vndique circumſeptus, ſicut tres
pueri in camino ignis habens refrigerium,
ſed omni conſolatione & ſpe deſtitutus
inuenires, non ſolum conſolatorem ver-
balem, qui te inter flammarum incendia
confortaret, & animaret ad conſtantiam,
ſed etiam in momento oculi de ipſis ſine
offenſa eriperet, quod fecit Chriſtus. Nam
cum exigentibus peccatis noſtris nobis di-
ctum eſſet à Deo. *Pergite in lumine ignis*
veſtri, & in flammis quas accendiſtis vobis.
Iſa. 50. Ac ſi diceretur. *Ite maledicti in ignem ater-*
num; Matth. vigeſimo quinto. Ipſe Deus
Pater miſit filium ſuum, qui non ſolum
nos confortauit in pœnalibus & dolori-
bus ac miſerijs pro peccato ſuſceptis, ſed
Eccl. 51. etiam nos de eis in momento eripuit, ita
vt dicat homo: *Liberaſti me de manibus*
quærentium animam meam & de portis tri-
bulationum quæ circumdederunt me: à preſ-
ſura flammæ quæ circumdedit me, & in me-
dio ignis non ſum æſtuatus. Secundo non
ſolum Deus conſolatus eſt hominem ſe-
cundum ſenſus corporales viſibiliter, per
filium ſuum in corpore apparentem, qui
præſentia corporali viſitauit nos, & con-
ſolatus eſt in omni tribulatione noſtra, quod
fuit magnum donum: ſed etiam miſit ſpi-
ritum Sanctum tàm viſibiliter ſicut in lin-
guis igneis ſuper Apoſtolos ad conſola-
tionem animarum noſtrarum, iuxta illud
Pſalmi. *Secundum multitudinem dolorum*
meorum in corde meo conſolationes tua lati-
ficauerunt animam meam. Et hoc certè fuit
tantò maius donum, quantò bonum ani-
mæ maius eſt bono corporis. Nec in hoc
contenta eſt Dei benignitas, ſed animabus
noſtris maiorem conſolationem per Spi-
ritus ſancti aduentum infudit, eo quod ip-
ſum nobis dedit quaſi quendam aduoca-
tum, qui omnes neceſſitates noſtras Deo
Patri exponit, & poſtulat pro nobis gemi- Rom. 8.
tibus inenarrabilibus, id eſt, poſtulare nos
facit & docet quid petere debemus nobis
vtile ad ſalutem. Quanta eſſet conſolatio
homini, ſi rex aut princeps ipſius doceret
eum de intentione ſua prius quam ab eo
peteret quid ei vtile eſſet petere, aut quid
ille vellet ei dare? Sic eſt de Deo qui nos
docet per Spiritum Sanctum quid nobis
expedit petere ad ſalutem. Sed & maior eſ-
ſet conſolatio, ſi iudex ad cauſam iam per-
ditam Aduocatum peritum daret ad eam
reformandam. Hoc fecit Deus Pater, ho-
mini mittens Spiritum Sanctum qui in
conſpectu Dei allegat pro nobis noſtram
fragilitatem, diaboli iniquitatem & inui-
diam, & filij Dei quam ſuſtinuit pretioſam
paſſionem. Sed & maximam conſolatio-
nem nobis in hoc dedit per Spiritum S.
quoniam in ipſo nos adoptauit ſibi in fili
os & hæredes. *Miſit Deus ſpiritum filij ſui* Galat. 4.
in corda noſtra clamantem: Abba pater. Ter-
tiò inſuper Deus conſolationem finalem
præparauit, ſeipſum exhibendo omnibus
diligentibus ſe, *quam oculus non vidit, nec*
auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; quæ Iſa. 64.
erit tàm in corpore, quàm in anima in glo-
ria æterna. *Vbi exultabimus & ſatiabimur*
ab vberibus conſolationis noſtræ. Et ibi erit Iſa, vlt.
magna conſolatio de viſione humanitatis
Chriſti quam videbimus corporaliter,
Oculo ad oculum videbunt, ſed maior erit
de vi-

Iſa. 52. de viſione Deitatis, quam videbimus ſecundum animam & ſpiritualiter, quia *tūc*
Iſa. 60. *videbis & affl:es. & mirabitur & dilatabitur cor tuum:* non ſolum corpus, ſed etiam cor tuum. Maxima autem erit de vtraque, ſc. de humanitate Chriſti & Deitate Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Et tantum de primo.

II.

Dixi ſecundo, quod deſcribitur immenſa iocunditas Spiritus S. in mentem hominis venientis, in hoc cum dicitur, quod venit vt paraclerus, & vt Spirit⁹ veritatis. Circa quod ſciendum eſt, quod Spiritus S. habet multa nomina in Scripturis ratione multiplicis effectus, quem operatur in homine. De quo dicit Bern. in quodam ſermone. Spiritus S. multiplex dicitur, quia multipliciter conceditur fidelibus & inſpiratur. Conceditur enim ad vſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad ſolatium, ad feruorem. Ad vſum vitæ bonis & malis, communia bona abundantiſſime tribuens; ad miraculum, in ſignis & prodigijs; ad ſalutem, cum in toto corde reuertimur ad Dominum Deum; ad auxilium, cum in omni colluctatione adiuuat infirmitatem noſtram; ad ſolatium, cum teſtimoniū perhibet ſpiritui noſtro quod filij Dei ſumus; ad feruorem, cum in cordibus perfectorum vehementius ſpirans, validum ignem charitatis accendit, vt nō ſolum in ſpe filiorum Dei, ſed etiam in tribulationibus gloriemur, contumeliā gloriam reputantes. Hæc Bern. Ex his patet quod propter huiuſmodi diuerſos effectus quos in nobis operatur Spiritus ſanctus, licet ipſe idem ſit & vnus in omnibus donis, diuidens ſingulis prout vult; tamen diuerſimodè eum cōuenit nominari, propter quod ſecundum Bern. in ſermone 74. appellatur quandoq; ſpiritus bonus, ſpiritus ſanctus, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus fortis, infirma roborans, aſpera planans, corda purificans, quicquid in hoc ſeculo nequam videtur difficile & anguſtum, leue facit & latum, ob probriū gaudium iudicat, deſpectionem exaltationem eſſe perſuadet. Hæc Bern. Sed vt magis in particulari cognoſcamus effectus Spiritus Sancti à quo denominatur, aduertendum, quod Spiritus ſanctus viginti nominibus nominatur à Salomone, Sapi. 7. c. vbi ſic dicitur. *Eſt enim in illa*; ſcilicet ſapientia; *Spiritus intelligentiæ, multiplex, vnicus, ſubtilis, modeſtus, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus ſuauis, amans bonum, qui nihil vetat bene facere, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundus, ſubtilis.* Primò ergò dicitur Spiritus ſanctus ſpiritus intelligentiæ ſeu ſapientiæ: licet enim filio Dei appropriatur ſapientia, vt dicitur primo ſententiarum diſt. 18. cap. 10. eò quod gignitur à paterna memoria per modum verbi, vt patet 7. de Trinitate cap. 13. nihilominus Spiritus ſanctus etiam dicitur ſpiritus ſapientiæ ſeu intelligentiæ, quia à ſapientia Patre, & à ſapientia Filio procedit, vt dicitur hic in Euangelio. Vnde dicitur Spiritus ſanctus ſecundum Holcoth ſuper librum Sapientiæ cap. 7. quia omnia quæ facta ſunt ſanctificat. Sanctus autem in latino dicitur idem quod eſt agios in græco. Agios enim græcè quaſi ſine terra latinè. Spiritus ergò intelligentiæ dicitur primo ſanctus pro tanto, quia eos quos ſanctificat, purificat ab amore terrenorum, & transfert ac coniungit ad amorem cœleſtium. Ideoq; ie in ſpecie ignis conuenienter deſcendit in Apoſtolos, non in ſpecie aquæ vel aëris, quæ elementa in diuerſis partibus ſuperficiei terræ cohærent, ſed in ſpecie ignis qui immediatè corporibus cœleſtibus contiguatur; ſicut patet primo metheorum circa principium. In ſignum huius quod illos quos incendit amore, facit neceſſario terrena paruipendere, & ad cœlum aſcendere, & ideò vocatur ſpiritus ſanctificationis; Romanorū primo. Secundò dicitur multiplex ab effectu, propter multiplicia dona quæ præſtat. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, ſpiritus intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eū ſpiritus timoris*

Spiritus S ob diuerſos effectus diuerſa habet nomina.

A Salomone 20. nominib. nominatur.

Rom. 1.

Iſa. 11.

Domini: per quæ dona quaſi per ſeptem gradus homines perfecti aditum cœleſtis vitæ inueniunt. Nam per timorem Dei humiles, per pietatem miſericordes, per ſcientiam diſcreti, per fortitudinem liberi, per conſilium cauti, per intellectum prouidi, per ſapientiam maturi fiunt. Tertiò dicitur vnicus formaliter, & cauſaliter, & etiam effectiuè, quaſi nos vniens Deo ſpe,
Epheſ. 4. fide & charitate, & etiam proximo. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quartò dicitur ſubtilis, quia viros ſanctos
Ezech 16. facit ſubtiles in eligendo, docendo, & faciendo, quibus Sanctos ſuos exornat. *Indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento.*
Galat. 5. Quintò dicitur modeſtus, quia ſuos modeſtos facit. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, modeſtia, caſtitas.* Sextò dicitur diſertus, quaſi diſertos faciens de balbutientibus & infantibus, ſicut patet de Apoſtolis in die Penthecoſtes. Sic & hodiè quandoque vocat ad religionem vel ad
Sap. 10. ſcholam rudes, & facit Prædicatores & Doctores diſertiſſimos. *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas,* id eſt, eloquentes. Et intellige eloquẽtes ſapienter, quia eſt ſpeciale donum Dei, quod aliquos ſapienter eloquitur; nã multi habent eloquentiam ſine ſapientia, qui magis officiunt quam proficiunt, ſicut docet Auguſtin. libr. 2. de natura & origine animæ, & Seneca epiſt. 112. Septimò Spiritus Sanctus dicitur mobilis, id eſt, moueri faciens promptè & obedienter, quamuis in ſe immobilis perſeueret. Iſto modo Apoſtoli moti ſunt ad prædicandum Ioan. 15. *Poſui vos vt eatis & fructum afferatis.* Octauo dicitur incoinquinatus, & hoc eſt verũ tàm formaliter, quàm effectiuè, quia non inhabitat niſi loca munda. Vnde de Apoſtolis canimus, quod inuenit eos receptacula munda, & tribuit eis cariſmatũ dona. Nono dicitur certus contra incon-
1. Tim. 1. ſtantes & mendaces & deſperantes. *Scio*
Sap. 12. *cui credidi.* Decimò dicitur ſuauis. *O quam ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine.* Facit enim ſuaues & mites, non impatientes & amaros, non turbidos vel impetuoſos; ſecundo
2. Cor. 6. Corinth. ſexto. *In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto.* Vndecimo dicitur amans bonum, facit enim homines Rom. 5.
congaudere de profectu alieno, quod eſt contra inuidos. *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Duodecimo dicitur, quod nihil vetat facere bonum: imò hortatur Prou. 3.
bonum ei qui poteſt. *Noli prohibere bonum facere ei qui poteſt ſed & ipſe ſi potes benè fac.* Hoc eſt contra negligentes & malos conſiliarios, qui diſſuadent Dominis opera pietatis facere. Tredecimo dicitur humanus, quia homines diligit. Prouerbiorum Prou 8.
octauo. *Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum,* quia facit homines humanos non beluinos, non beſtiales. Sapient. duodecimo. Sap. 12.
Oportet eſſe iuſtum & humanum. Quartodecimo dicitur benignus quaſi benè ignitus, quia benè ignitos diſponit; Sapi. primo. *Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ;* Et: Sap. 1. Epheſ. 4.
Eſtote inuicem benigni, miſericordes donantes vobis. Decimoquinto dicitur ſtabilis, quia ſtabiles facit & perſeuerantes in bono, nec obſtat quod prius dictus eſt mobilis; illud enim pro tanto dicitur, quia facit nos moueri de virtute in virtutẽ; ſed poſtea ſtabiles in bono; primo Corinth decimo quinto. *Itaque fratres ſtabiles eſtote & immobiles.* Sedecimo dicitur ſecurus, 1. Cor. 15.
quia ſecuros nos facit per ſpem quæ eſt certa expectatio futuræ beatudinis ex gratia Dei & meritis proueniens. Creditor quando habet pignus, certus eſt de ſuo. Sic Deus certificans nos de beatitudine, dedit Spiritum Sanctum in pignus; Epheſ. Epheſ. 1.
primo. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis. quod eſt pignus hæreditatis veſtræ.* Decimo ſeptimo dicitur, omnem habens virtutem, quia eſt Patri & Filio coæqualis & conſubſtantialis; Iob trigeſimo tertio. Iob 33.
Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. Decimo octauo dicitur omnia proſpiciens, tum quia ſpiritus qui omnia ſcrutatur; primo Chorinth. ſecundo; tum quia facit omnia prudenter proſpicere: quia de præteritis dat cautelã, de præſentibus circumſpectionẽ, de futuris prouidentiam; primo Corinth. 1. Cor. 2.
ſecundo. *Spiritualis homo omnia dijudicat.* Decimonono dicitur talis, quia capiat omnes ſpiritus intelligibiles, & capere faciat omnia

omnia dona Spiritus ſancti, mediantibus quibus homo intelligit. *Si n. Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illũ*, ſ. iuſtum. Vicesimo dicitur Spiritus ſanctus eſſe mundus: Nec mirum, quia ipſe eſt lux vera quæ illuminat omnem hominẽ. Et ideo mundus in ſe exiſtens, facit mundos. *Cor mundum crea in me Deus.*

Eccl.39. *Ioan.1.* *Pſal.50.*

Vltra iſtas viginti conditiones, Spiritus ſanctus in Euangelio nominatur tripliciter. Primo dicitur paracletus, quod idem eſt quod conſolator vel aduocatus, quia conſolatur peccatores ne deſperent de venia: nam poſtquam homo peccat, ſtatim mordetur à conſcientia, dictante quod male fecit, & ex hoc homo incipit erubeſcere, dolere & timere de peccato commiſſo. Quod ſi indiſcretè dolet aut timet Deũ de offenſa, incidit in deſperationem & laqueum diaboli. Neceſſe eſt ergo vt Spiritus ſanctus conſoletur, dando ſpem de venia, reducendo peccatori miſericordiam diuinam quæ vincit eius iuſtitiam, & ex hoc quaſi quadam lætitia exhilarat mentem peccatoris. Conſolatur autem Spiritus ſanctus tripliciter. Primo conſolationes in tribulatione largiendo. 1. Theſſ. 1. *In tribulatione multa cum gaudio Spiritus ſancti.* Secundo dona cariſmatum nobis in tribulatione augendo. Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur.* Et poſt. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Tertio quanta ſint gaudia quæ recipiemus pro modicis iſtis tribulationibus demonſtrando. *Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro.* Et ſequitur. *Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. Id quod modicum eſt & leue tribulationis noſtræ &c.* Paracletus etiam interpretatur aduocatus. Vnde tres aduocatos dedit nobis Deus. Primo filiũ ſuũ 1. Ioan. 2. *Aduocatũ habemus apud Deum patrem.* Secundo Spiritum ſanctum, vt hic. Tertio virginem glorioſam, de qua clamamus. *Eya ergo aduocata noſtra.* Et hæc eſt magna ſecuritas peccatorum. Secundo Spiritus ſanctus dicitur doctor veritatis, vt hic. *Ipſe vos docebit omnem veritatem.* Docet autem primo veritatem cognoſcere, veritatem diligere, & veritatem operari. Docet veritatem doctrinæ, vt rectè de Deo credamus. Docet veritatem iuſtitiæ, vt rectè cum proximis viuamus, docet veritatem vitæ, vt rectè noſmet viuendo iuſtè & ſanctè regulemus. Hic eſt magnus doctor, quem appellat Salomon omnium artificem. *Omnium artifex docuit me ſapientiam.* Sed quem docet iſte doctor? certè non omnes, ſed tantum humiles & mites Iſa. 33. *Doctor paruulorum*, id eſt, humilium. Matth. 11. *Reuelaſti ea paruulis.* Et Pſalm. *Intellectum dat paruulis.* Et iterum. *Docebit mites vias ſuas.* Hinc eſt quod Spiritus ſanctus in columba apparuit, quæ eſt auis mitiſſima. Docet ſecundo hominem ſpernentem mundi delectabilia. *Quem docebit ſcientiam & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte*, id eſt, à dulcedine mundanæ voluptatis. Qualiter autem docet iſte doctor? tripliciter. Primo interius inſpirando ſancta deſideria, & inflammando ea ad bonum, illuminando intellectum ad cognitionem veri, & incitando affectum ad volitionem boni, necnon promouendo omnes ſenſus exterius ad proſecutionem eiuſdem. Secũdo per ſcripturas, docendo exterius per vocem prædicatorum, quorum clamore homo inducitur ad cognitionem ſuæ deformitatis, ad agnitionem diuinæ bonitatis, ad deſiderium iuſtitiæ & ſanctitatis. Vnde ſacra ſcriptura eſt ſicut ſpeculum in quo omnia deformia & pulchra videntur, videlicet peccata & virtutes, pœnæ & præmia, ſuperiora & inferiora. Sed multi ſunt qui non amant hoc ſpeculum, ſicut illa mulier quæ habuit oblongam faciem & turpem; vnde quotiens inſpexit ſpeculum, ſemper deformitatem imputauit ſpeculo, & ſic multa ſpecula fregit. Sic multi perſequuntur prædicationem, imputantes ſermoni quod eos confundit & deturpat potius quam decorat, cum tamen ipſimet ſunt in culpa qui deformitatem talem nolunt per prauam conſuetudinem deponere. Vnde ipſi ſunt ſimiles aquæ benedictæ, ad cuius aſperſionem omnes aperiunt oculos, ſed tempore aſperſionis claudunt, iuxta illud. *Audiet luxurioſus & diſplicebit ei.* Sciendum autem quod triplex eſt veritas

Spiritus S. cur vocetur Paracletus. *Tripliciter conſolatur.* *Rom. 8.* *2. Cor. 4.* *Cur aduocatus.* *Dicitur Doctor veritatis. Ioan.16.* *Sap.7.* *Iſaia.28.* *Spiritus S qualiter doceat.* *S. Sriptura ſpeculum.* *Veritas triplex.*

tas. bonæ vitæ; quæ nunquam eſt omittẽda, etiam ſi ſcandalum oritur, & ad quẽlibet pertinẽs. Alia iuſtitię, ad iudicem pertinẽs. Alia diſciplinæ, ad prælatum pertinens. In his duobus quandoque omittitur propter ſcandalum, ſed prima non. Vnde Beda. Vtilius ſcandalum naſci permittitur quam veritas relinquatur.

III.

Ille teſtimonium perhibebit de me. Reuera magna vtilitas mundo facta eſt per miſſionem Spiritus ſancti viſibilem & inuiſibilem. Per viſibilem in eo, quod ex huiuſmodi miſſione viſibili dubij fuerunt in fide confirmati, videntes & audientes quod Spiritus ſanctus confirmat & approbat doctrinam Chriſti, fidem eius & opera per ipſum facta fuiſſe diuina virtute confirmauit. Increduli vero fuerunt compuncti ex hoc & ad fidem incitati, videntes quod Chriſtus ſicut promiſit mittere Spiritum ſanctum aſcendendo, ita impleuit. Vnde ex hoc eum de cætero firmius vt verum Deum & non tantum vt hominem cœperunt venerari, & in eum credere tanquam in Deum verum qui poteſt mittere

De Chriſto multiplex teſtimonia prædicta. Spiritum ſanctum æqualiter cum patre. Circa quod ſciendum quod Chriſtus multiplex teſtimonium legitur habuiſſe. Primum à patre. *Teſtimonium perhibet de me pater qui miſit me.* Secundo a ſeipſo. Ioan. 5. & 8. *Teſtimonium perhibeo de meipſo, quia ſcio vnde veni.* Tertio a Spiritu ſancto, vt dicitur hic. *Ille teſtimonium perhibebit de*

1. Ioan. 5. *me.* Vnde *hi ſunt tres qui teſtimonium dant in cælo, pater, verbum, & Spiritus ſanctus.* Et quia iſta teſtimonia Iudæis videbantur ſuſpecta, quia pater pro filio in teſtimonium non admittitur, nec filius pro ſeipſo,

Ioan. 8. ſicut ei dicebant: *Tu de te teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum.* Ideo neceſſe fuit mittere Spiritum ſanctum qui eſt teſtis generalis omnium iuſtorum. Sed certè Iudæi falſi & mali teſtimonium patris non admiſerunt pro filio in eius ba-

Matth. 3. ptiſmo, vbi vox patris audita eſt. *Hic eſt filius meus dilectus.* Et in transfiguratione ſimiliter Matthæi 17. Licet enim in cauſa ciuili vel criminali pater non admittitur pro filio in teſtimonium, tamen in cauſa vbi agitur de ætate aut cognatione, ſeu linea conſanguineitatis & attinentię proximitatis, admittitur ſecundum leges & canones, quod etiam ipſi Iudæi fecerunt de cœco nato illuminato per Chriſtum, in cuius teſtimonium admiſerunt patrem cæci & matrem ad decendum & teſtificandum ſi eſſet eorum verus filius. *Ioan. 9.* Nunc autem Deo pãtri pro filio ſuo vnigenito credere noluerunt. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, qui teſtificatus eſt de filio ſuo.* *1. Ioan. vlt.* Sed quid mirum? Cæci enim erant & duces eorum, ſcilicet cœcorum, vt dicitur Matth. 15. Et ideo in cauſa cœci rectè iudicauerunt, in cauſa autem lucis, ſcilicet Chriſti malè, eo quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Cuius ratio ſequitur. *Erant enim eorum opera mala.* *Ioan. 3.* Inde eſt quod ſicut noctuæ lumine ſolis *Iſaia. 3.* excæcatæ malè iudicabant lucem tenebras, & tenebras lucem. Neceſſe igitur fuit mitti radium ſolarem Spiritum ſanctum, qui illuminaret oculos cœcorum, & hoc eſt quod ait Apoſtolus. *Det vobis ſpiritum ſapientiæ in reuelationem & agnitionem* *Epheſ. 1.* *eius, illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos;* & quaſi cœcis familiariter probaret, & teſtificaretur quod Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, conſubſtantialis & coæternus Deo patri, & quod non eſt aliud nomen ſub ſole in quo neceſſe eſſet ſaluari credentes quam in nomine ipſius.

Vltra prædicta teſtimonia Chriſtus habuit alia. Primo à ſcripturis Ioan. 5. *Scrutamini ſcripturas in quibus putatis vos vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Secundo ab operibus. Ioan. 10. *Opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me.* Tertio à miraculis. Ioan. 15. *Si non veniſſem & opera nõ feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quarto a turbis. Ioan. 12. *Teſtimonium perhibebat de eo turba.* Quinto ab Apoſtolis Actor. 4. *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium.* Sexto a Ioanne Ioan. 1. *Hic venit in teſtimonium &c.* Attende ergo tu

go tu peccator. Ecce ſi Chriſto fuit neceſſarium teſtimonium ita verax, ita famoſum, ita laudabile, ita multiplex, ita fidele, ita probabile: qui tamen in nullo potuit eſſe ſuſpectus, nec argui de peccato; quomodo nos peccatores ſine teſtimonio bonæ puræ conſcientiæ aut bonorum operum ſaluari volumus? Vnde homini ſaluando triplex teſtimonium eſt neceſſarium. Primo conſcientiæ, vt in nullo remordeat eum conſcientia. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Secundo bonæ famæ, vt vita noſtra in nullo ſordeat apud alios. 1.Tim.3. *Oportet teſtimonium bonum habere ab his qui foris ſunt.* Tertio neceſſarium eſt teſtimonium deuotionis lachrymoſæ; vt in aliquo patiamur & tribulemur in præſenti, ſicque ploremus deuotè procidentes coram Deo qui fecit nos. De his tribus dicitur 1. Ioan. vlt. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra.* Spiritus ſcilicet conſcientiæ noſtræ, aqua puritatis noſtræ famæ, & ſanguis tribulationis & paſſionis qui lachrymis eliquatur, ſicut fuit in Chriſto, cuius ſudor fuit ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram &c.

Homini ſaluando triplex teſtimonium requiritur. 2.Cor.1.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

SERMO II.

Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis quia ab initio mecum eſtis. Ioan. 15.

LICET ex cognitione creaturarũ aſſurgere poſſimus aliqualiter in Dei notitiam quantum ad multa, videlicet ꝙ eſt bonus, potens & clemens, iuxta illud: *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: tamen ad cognoſcendũ euidenter conſilia ſua & præcepta quæ vult nos ſeruare in hac vita, pertingere non poſſumus ſine ipſius reuelatione. Vnde Salomon dicit: *Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Ex quibus ipſe infert, quod cum de his quæ Deus præcepit & conſulit non poteſt conſtare nobis niſi per reuelationẽ fidei de credendis & agendis: ergo talis ſapientia per quã hoc nobis reueletur, eſt neceſſaria. Et quia talis ſapientia non eſt niſi à Chriſto in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, vt dicit Apoſtolus; ideo merito fuit neceſſaria filij Dei miſſio in mundum, qui veniens annunciauit nobis voluntatẽ conſiliorum & præceptorum diuinorum, & illius æternæ & incommutabilis veritatis, quam vidit apud patrẽ eſſet teſtis, ſicut ipſe ſolus ad Pilatum dixit: *Ego in hoc natus ſum & ad hoc veni, vt teſtimoniũ perhibeam veritati.* Ipſe ergo quamdiu fuit in mundo, quid aliud niſi doctrina ſua & exemplis ac miraculis illuminabat mundum ſicut verus doctor veritatis: imo ſicut ipſa vera & ſempiterna veritas Dei, iuxta quod de ſe ait: *Ego ſum via veritas & vita.* Verum quia filius Dei perfecta ſalute noſtra debuit redire ad patrem, ideo ne mundus obliuiſceretur illius veritatis quam Chriſtus verbo & exemplo docuit, neceſſe fuit mittere Spiritum ſanctũ, qui ea quæ Chriſtus docuit & fecit in cordibus fidelium confirmaret. Vnde Chriſtus recedens corporali præſentia de mundo ad patrem, promittit Apoſtolis Spiritum ſanctum vt confirmatorem veritatis ſuæ dicens: *Ille teſtimonium perhibebit de me &c.* Circa iſtam materiam

Rom.1.
Sap.9.
Ioan.18.
Ioan.14.

riam

riam de tribus videndum eſt, ſecundum quod tria tanguntur in verbo propoſito. Tangitur enim de perſona Spiritus ſancti cum dicitur: *Ille*, ſcilicet paracletus Spiritus ſanctus. Secundo de fidelitate teſtimonij, cum dicitur: *perhibebit teſtimonium de me*. Tertio de perſonis Apoſtolorum qui fuerunt teſtes Chriſti idonei, cum dicitur: *Et vos teſtimonium perhibebitis quia ab initio mecum eſtis.*

I.

Ille. In hoc pronomine demonſtratiuo deſcribitur perſona Spiritus ſancti quantum ad duo. Primo, ſecundum effectum temporalem, in eo quod dicitur paracletus, quaſi conſolator, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ſimiliter ſpiritus veritatis, quia docet omnem veritatem, eo quod omnis veritas à quocumque dicatur, à Spiritu ſancto eſt, ſecundum Ambroſium ſuper epiſtolam. 1. ad Cor. 12. vbi inquit: Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto, nec vlla veritas poteſt dici ſine ipſo. Secundo demonſtrat iſtud pronomen *ille*, perſonam Spiritus ſancti, ſecundum proceſſionem æternalē, in eo quod dicit quod à patre procedit, quę proceſſio ſecundum D. Thomam non eſt aliud niſi eius emanatio per modum amoris quo pater diligit filium, & econuerſo. Sed quia non eſt præſentis negotij ingenioſos alta docere, ſed tantum lac dare paruulis non eſcam: ideo omiſſa inquiſitione æternalis proceſſionis, videndum eſt de effectibus temporalis miſſionis: qui quidem ſunt multiplices, ſecundum quod tactum eſt in ſermone præcedenti. Sed vt materiam ampliorem de hac habeamus, & tanta beneficia gratantius recolamus, quæ nobis ex miſſione Spiritus ſancti continuè fiunt, vltra ea quæ dicta ſunt, ſciendum quod eſt triplex ſtatus fidelium in eccleſia militanti, incipientium, proficientium & perfectorum; quibus omnibus ſecundum diuerſitatem capacitatis, mittitur diuerſimodè Spiritus ſanctus. Primus ergo ſtatus eſt incipientium, cui Spiritus ſanctus mittitur ſecundum ſeptem modos. Datur enim primo omnibus electis incipientium

Triplex ſtatus fidelium in Eccleſia.

Incipientibus

& nouiter ad Deum conuerſorum vt remiſſor. Secundo vt viuificator. Tertio vt mundator. Quarto vt nouator. Quinto vt liberator. Sexto vt eruditor. Septimo vt auxiliator. Et ſumuntur iſti ſeptem modi iuxta tres partes pœnitentiæ, quæ ſunt contritio in corde, confeſſio in ore, & ſatisfactio in opere. Et ideo oportet vt pœnitentia tribus modis reſpondeat peccato. Datur ergo in contritione quinque modis ſecundum quinque conditiones peccati. Per peccatum enim anima Deum offendit. Item per peccatum animam occidit. *Homo per malitiam occidit animam ſuam.* Item maculat, vetuſtat, & ſubijcit ſeruituti animam, *quia omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*. Contra hoc ergo primo quod peccatum operatur in animam offenſam Dei, datur Spiritus ſanctus vt remiſſor. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*. Et propter hoc dicitur: *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum verbum, nō remittetur ei.* Secundo contra mortem peccati datur vt viuificator. *Intromittam in vos ſpiritum & viuetis*. Et propter hoc Epheſ. 2. dicitur. *Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificabit nos*. Tertio contra maculam datur vt mundator. *Omnis qui relictus fuerit in Syon & reſiduus &c.* Et ſequitur. *Si ſanguinem lauerit de medio Ieruſalem in ſpiritu iudicij.* Et: *Audacius ſcripſi vobis fratres ſanctificans Dei Euangelium, vt fiat oblatio gentium accepta Deo & ſanctificata in Spiritu ſancto*, Quarto datur vt innouator contra vetuſtatem peccati. De qua Epheſ. 4. *Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem veſtram veterem hominem, qui corruptus eſt ſecundum deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ & induite nouum hominem*. Et Pſalm. *Emitte ſpiritum tuum*. Et: *Dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri.* Quinto contra ſeruitutem datur vt liberator. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto liberauit me à lege peccati mortis.* Sicq; patet quomodo datur Spiritus ſanctus in contritione. In confeſſione autem datur vt eruditor. *Spiritus* enim *Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam*

mittitur Spiritus S. ſeptem modis.

Spiritus S. datur 5. modis in Contritione.

Sap. 16.

Ioan. 20.

Matt. 12

Ezech. 37.

Iſaia 4.

Rom. 15.

Ezech. 36.

Rom. 8.

Sap. 1.

tiam habet vocis, Scientia vocis, eſt confeſſio per quam homo ſcit aperire vulnera animæ ſuæ. Vltimo in ſatiſfactione datur vt auxiliator. Vnde Apoſtolus: *Spiritus Domini adiuuat infirmitatem noſtram.* Nã quid oremus ſicut oportet neſcimus. Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus Prou.18. inenarrabilibus. *Spiritus viri ſuſtentat im-* Iſaia 44. *becillitatem ſuam.* Et: *Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt inter herbas quaſi ſalices iuxta præter fluẽtes aquas.* Vnde glorioſæ Virgini dicitur ſub typo animæ concipientis quæ debet con- Luc.1. cipere Ieſum Chriſtum. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Quia ſine Spiritu ſancto nec contritio, nec confeſſio, nec ſatisfactio meritoria eſſe poteſt.

Proficienti datur Spiritus S. quinque modis.

Conſequenter ſequitur qualiter ſpiritus datur animæ proficienti in virtutibus & gratijs, & procedenti de virtute in virtutem, & quidem quinque modis. Nam profectus animæ aut eſt in opere boni, aut in ſuſtinentia mali. Eſt ergo Spiritus ſanctus in opere boni vt inflammator nè tor- Luc. 12. peat & infrigidetur anima ad bonum. *Ig-* Rom. 5. *nem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat? Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Secundò datur tali animæ vt Ezech.36 ductor. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Tertiò datur vt roborator nè Epheſ.3. deficiant. *Flecto genua mea ad Deum vt det vobis virtutem corroborari per ſpiritum in interiori homine.* Quartò datur in malis ſu- Iudit.14. ſtinendis vt defenſor nè ſuccumbant. *Irruit ſpiritus Domini in Samſonem, & dilacerauit leonem.* Quintò datur vt conſolator nè Sap.12. deſperet. *O quam ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis.* Eccl. 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Rom. 14. *Pax & gaudium in ſpiritu ſancto.*

Item perfectis 5. modis.

Videamus de tertio ſtatu, ſcilicet perfectorum, qui iam in ſanctitate perſeuerant. His datur Spiritus ſanctus alijs quinq; modis, perfectio autem animæ conſiſtit in tribus. Primum eſt firmitas & perſeuerantia in bono, & quantum ad hoc datur vt confirmator Pſalm. *Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Et iterum. *Spiritu principali confirma me.* Secundum eſt cognitio arcanorum cœleſtium, & quo ad hoc datur vt illuminator, quia anima obumbratur per carnẽ. Item vt eleuator, quia erigit animam ad hoc quod eſt ſupra ſe. Item vt reuelator monſtrando & offerendo cœleſtia. De illuminatione dicitur. *Oſtende nobis lucem* Eccl.36. *miſericordia tua.* De eleuatione dicitur. 1.Cor.2. *Nobis reuelauit Deus per Spiritum ſanctum ſuum.* Spiritus enim omnia ſcrutatur etiã Ezech. 8. profunda dicent. *Eleuauit me ſpiritus Domini inter cœlum & terram, & adduxit me* Ioan. 14. *in viſione Dei.* De reuelatione dicitur: *Ille* & 16. *vos docebit omnia.* Et: *Quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Tertium in perſeuerantibus eſt bonorum adeptio æternorum, & quantum ad hoc datur vt glorificator *Sig-* Epheſ.1. *nati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ in redemptionem.* Sic patet multiplex effectus miſsionis tẽporalis Spiritus ſancti, qui meritò dicitur paracletus ille, quaſi conſolator, quia omnibus ſtatibus conſolationem ſua præſentia affert, vt ſupra dictum eſt.

II.

Teſtimonium perhibebit de me. Non poteſt eſſe fidelius & verius teſtimonium niſi cum eſt à teſte vero, de re vera, & intentione perfecta ſeu recta, quæ tria hic tanguntur. Teſtis enim verus eſt Spiritus ſanctus, quia illa res de qua teſtificatur fuit veritas ſumma, quia vnigenitus filius Dei, quia *de me.* Intentio fuit recta, quia perhibebit, id eſt, perfectè & ſine omni fraude exhibebit teſtimonium, non mendacium. Et circa hoc aduertendum, quod qui vult teſtificari in aliqua cauſa debet habere directorem Spiritum ſanctum, qui verum teſtimonium perhibere docet de veritate rei & cauſæ. Aliàs ſi voluerit aliquis loqui ex proprio, certè neceſſe eſt vt loquatur falſitatem exemplo diaboli, de quo dicitur Ioannis 8. *Cum loquitur ex proprijs, mendacium loquitur, quia mendax eſt.* Tunc autem dirigitur Spiritus ſanctus hominem in teſtimonio ferendo, quando nulli falſitati teſtimonium perhibet, nullam veri-

tatem negat quando debet, nullum teſtimonium vendit, nihil teſtificatur niſi de quo certus eſt per ſenſus proprios. Vnde Exod 20. dicitur. *Non falſum teſtimonium dices.* Et ratio, quia falſus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius, id eſt, culpabilis & ad ſatisfactionem obligatus, Deo quem contemnit, iudici quem decipit, innocenti quem lædit. Et Auguſtinus in ſermone de decem plagis dicit, quod octaua plaga qua plagatur iſte mundus ad modum Aegypti, eſt locuſta, animal dente noxium; & ſignificat falſum teſtimonium. Quid enim vult niſi nocere mordendo & conſumere decipiendo? Ideò Apoſtolus: *Si inuicem mordetis inuicem conſumemini.* Tales ſunt ſicut illi qui contra Chriſtum inſurrexerunt teſtes iniqui. Matth. 26. Vnde Ambroſ. in ſermone de paſſione Domini ait: quod cum Chriſtus veritas eſt, qui pro falſitate vel pro vili pretio veritatē vendunt, Chriſtum occidunt. Tales ſunt deteriores illis cuſtodibus, qui pro eo nè veritatem reſurrectionis Dominicæ publicarent, pecuniam acceperunt à Iudæis; nec tamen veritatem tacuerunt, ſed eam annunciauerūt. Narratur lib. 6 Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 9. quod tres falſi teſtes inſurrexerunt contra ſanctum Narciſſum Epiſcopum Hieroſolimitanum, confirmantes ſub ſacramētō iuramenti quoddam factum contra eū; quorum vnus dixit ita eſſe, confirmans vt ſi ita non eſſet, igne conſumeretur. Alius dixit ita eſſe, quod ſi non, regio morbo corrumperetur. Tertius dixit ita eſſe, quod ſi non, oculis orbaretur. Sanctus verò cuius vita & pudicitia ab omnibus noſcebatur, in deſertum ſeceſſit, ibique pluribus annis delitescebat. Et ecce diuina vltione factū eſt, quod primus à parua ſcintilla ignis domo ſuccenſa cum omni familia omnique pecore ſuccenſus eſt & combuſtus. Secundus à pedibus morbo regio vſque ad verticem repletur atque conſumitur. Tertius videns eorum exitium, nec ſe potuiſſe latuiſſe diuinum oculum, cunctis audientibus ſera pœnitentia vniuerſum ſceleris pandit ordinem, & in lachrymas prorumpit, ſicque luminibus orbatus eſt. Et Narciſſus quaſi de cœlo rediuiuus ex improuiſo redijt, & multò magis erga eum amor hominum creuit. Ecce quid nocuit ſancto viro falsè obiectum crimen, & quantum nocuit ſceleratis viris teſtimonium falſum. Conſimile narrat Hieronymus de quadam ſancta fœmina Epiſtola 123. quæ falſis teſtibus conuicta ſuper adulterio iuſſa eſt cum ſuo adultero decollari.

Galat. 5.

Incommoda ex falſo teſtimonio prouenientia.

Ad deteſtationem huius criminis falſi teſtimonij multa faciunt ſecundum Guilhelmum de lata petra; Primò, quia talis teſtis manum illam qua periurat, diabolo dat; & quicquid illa manu tangit, ſiue ſe ſignat, ſiue cibum ſuum: eſt ac ſi manu diaboli ſe ſignaret vel ſuum cibum. Secundum eſt quia talis magis eſt inuerecundus diabolo, quia fugit crucem vel euangeliū, vel corpus Chriſti. Iſte autem audacter accedit ad omnia iſta ſuper quæ iurat. Tertium eſt quia talis eſt falſarius Dei, qui iuramentum tantum inſtituit ad confirmādum veritatem in modum ſigilli. Iſte autem iſto ſigillo regis æterni ſignat & confirmat falſitatem. Quartum eſt, quia iſtud peccatum habet ſpecialem maledictionē, vt patet Zachariæ 5. vbi dicitur quod falſi teſtis tā ligna quàm lapides domus omnia ſunt maledicta. Et ergò mirum eſt quod eum terra non abſorbet? Vnde vt communiter videmus quòd tales malè habent in præſenti, iuxta illud: *Vir multum iurans non recedet de domo eius plaga.* Attendat etiam talis, quia tenetur ad reſtitutionem omnium, quę proximus eius amiſit per eius teſtimonium, vt dicit Thomas ſecunda ſecundæ. q. 7. Et *facit bene.* 14. *quaſt.* 5 *Non ſane* Et *quaſt.* 6 *Si res aliena.* Et 2. *quaſt.* 1. *Notum* Item ſeptem annis pœnitere debet. 31. *quaſt.* 5. *Si quis.* Itē eſt infamis & à teſtimonio repellitur. 22. *quaſt.* 5. Si quis conuictus conſimili pœnitentia punitur, qui ad falſum iuramentum aliquem inducit vel permittit. 22. *quaſt.* 5. *Si quis.* Benè ergò dictum eſt quod quiſquis vult eſſe idoneus teſtis, debet habere Spiritum ſanctum directorem. Tunc autem Spiritus ſanctus illum dirigit, quando vt dictum eſt, puram veritatem dicit, & hoc nō cauſa alicuius pretij, amicitię, amoris, timoris, odij, vel cuiuſcunq; priuati commodi.

Eccl. 23.

Hic

Dubia. Hic quæreret aliquis; verum in aliquo caſu licet teſti aliquid recipere pro ferendo teſtimonio? Reſpondeo quod non niſi tãtum expenſas. Et ſi accipit, turpiter accipit, & reſtituet ei à quo recipit, niſi ille dederit ad corrumpendum teſtem, & tunc debet dare ei in cuiusiniuriam accepit. Secundò quæreret quis, quid faciet teſtis qui non eſt de facto certus? Reſpondeo ſecundum Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. 7. in teſtimonio non debet homo incertum pro certo aſſerere. Sed dubium debet ſub dubio proferre, & de quo certus eſt pro certo aſſerere. Veruntamen dicit Thomas, contingit aliquando ex labilitate humanæ memoriæ, quod quis reputat ſe certum eſſe de eo quod falſum eſt. Ideò ſi aliquis cũ debita ſolicitudine recogitans exiſtimet ſe certum eſſe de eo quod eſt falſum, nõ peccat mortaliter hoc aſſerens. Quia non dicit falſum teſtimonium per ſe & ex intentione, ſed per accidens & ex contingenti extra illud quod intendit. Tertium dubium an valet teſtimonium illorum qui ſolum ex auditu aliorum deponunt & an liceat iurare? Reſpondeo quod teſtis debet iurare de eo quod vidit, audiuit, aut manu contractauit, vt etiam dicitur 1. Ioannis 1. tamen in cauſa matrimoniali vbi agitur de conſanguinitate, admittuntur teſtes de auditu; ita tamen quod tales audiuerunt à ſuis ſenioribus & non ab alijs, & cum hoc ſi ſunt perſonæ graues, hoc eſt, bonæ vitæ & bonæ famæ. Item ſi eſſent plures teſtes & quilibet eorum audiuiſſet ab alio quam alter, non valeret teſtimonium, niſi quilibet illorum audiuiſſet à pluribus, à duobus ad minus, vel niſi ipſi coniuncti audiuiſſent à duobus. Ita notatur in capitulo, *licet ex quadam; de teſtibus.* Secus autem eſt quando teſtes inducuntur ad probandum præſcriptionem; nam tunc teſtimonium valet de auditu. Poſſunt enim tunc dicere quod ſemper viderunt & audiuerunt ita eſſe, nec vnquam viderunt vel audiuerunt contrariũ, & quod communis eſt & fuit ſemper opinio quod ſic fuit, & quod non extat contrarij vel initij memoria. Ita notatur *in Gloſſa vltima de præſcriptione cap. 1. lib.* 7. Sint ergò cauti teſtimonium ferentes, nè contra Spiritum ſanctum ferant, ſi contra veritatem ferant teſtimonium. Nã de Spiritu ſancto & de quolibet fideliter teſtificante, Chriſtus ſolum gloriatur ſe teſtimonium habuiſſe in verbo thematis dicens: *Ille teſtimonium perhibebit de me,* ſcilicet qui certam veritatem teſtificatur.

III.

Dixi tertio, quod fit mentio de perſonis Apoſtolorũ qui fuerunt teſtes idonei ad perhibendum teſtimonium veritati, cũ dicitur: *Et vos teſtimoniũ perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Circa quod ſciendũ, quod ad hoc vt quis ſit teſtis legitimus, & habeat perſonam pro teſtimonio ferendo idoneam, requiruntur plura, quæ notantur in his verſibus.

Teſtis legitimi conditiones.

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama.
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

Primo ergò requiritur conditio, videlicet vt non ſit ſeruus, qui non recipitur in teſtimonium. Nam ſeruus ſæpè metu dominantis teſtimonium ſupprimit veritatis; *De verborum ſignificatione, forus.* Secundo requiritur ſexus, quia fœmina non admittitur in teſtem in cauſa criminali 33. *quæſt.* 5. *Mulierem*; niſi cum de crimine ciuiliter agitur, tunc enim admittitur etiam contra clericos. *Vt de teſti. quoniam.* Non admittitur etiam in teſtamentis. *Inſtituta de teſtamentis. §. teſtis.* Tertiò requiritur ætas. Nam in ciuilibus non admittitur minor quatuordecim annis. 4 *quæſt.* 3. *cap.* 1. In criminalibus non minor 20. vt ibidem dicitur. Quartò requiritur diſcretio, quia non admittitur in teſtimonium furioſus ſiue mente captus. 3 *quæſt.* 7 *Tria* Quintò requiritur fama, nam infames à teſtimonio repelluntur. *De teſtibus cogendis. Preterea.* Nec poteſt pœnitentia: quia etſi animas per pœnitentiã ſaluare poſſumus, infamiã tamen abolere non poſſumus. 2. *quæſt.* 3. §. *Hinc colligitur.* Sextò requiritur fortuna, ſcilicet an locuples, an egenus, an lucri cauſa quid faciat. 4 *quæſt.* 3. *Teſtium.* Septimò requiritur fides, quia contra fidelem non admittitur. 2. *quæſt.* 7. *Si hæreticus.* Et quia iſta omnia fuerunt in Apoſtolis, ideò fuerũt legitimi teſtes pro Chri- *Apoſtoli teſtes idonei.*

ſto. Apoſtoli enim non erant ſerui, ſed liberi. *Iam non dicam vos ſeruos*, & maximè poſt miſſionem Spiritus ſancti, tunc enim liberati fuerunt per gratiam adoptionis; quia vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Itē *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris*. Et: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore*. Secundò erant viri, quia viriles & conſtantes, ita vt audacter dicerēt regibus & principibus. *Magis oportet obedire Deo quam hominibus*. Non ergò erant vt fœminæ molles, ſed vt viri audaces. Tertiò erant perfectæ ætatis, ſicut patet ex eorum legendis Nam quidam erant citra triceſimum annum, quidam citra quadrageſimum, quidam citra quinquageſimum. Fuerunt etiam diſcreti & prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices vt columbæ. Fuerunt & bonæ famæ, quia nullis criminibus reſperſi, ſed de proprio labore viuentes. Naue & retibus victum quærentes, vt dicitur Matthæi 4. Fuerunt locupletes nō auro, ſed Spiritu ſancto, iuxta illud Apoſtoli. *In omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſapientia*, ita vt nihil deſit vobis in vlla gratia. Tales deberent eſſe prædicatores moderni, ſucceſſores Apoſtolorum qui teſtimonium perhibebāt Chriſto coram omni populo, maximè vt non ſint ſerui vitiorum ſed liberi, vt videlicet omnia faciant non ex timore, ſed ex amore vt filij Dei. *Perfecta enim charitas quæ debet eſſe in talibus, foris mittit timorē.* Item vt non ſint delicijs & voluptatibus reſoluti. Vnde eis dicitur: *Sint lumbi veſtri præcincti*. Lumbos præcingere, eſt carnis laſciuiam per continentiam coarctare. Itē vt ſint perfectæ ætatis, non vt quidam neſcientes quid, aut de quibus affirmant, vt dicit Apoſtolus. Sed certè multis poteſt dici illud 2. Regum 10. Et 1. Paralipp. 19. *Manete in ciuitate donec creſcat vobis barba.* Requiritur etiam diſcretio & ſufficiens ſcientia, quia dicit Gregorius, indecorum eſt vt alios debeant regere, qui ſeipſos neſciunt gubernare. Requiritur etiam fama, quia nobis neceſſaria eſt conſcientia noſtra, ſed proximis fama, vt dicit Apoſtolus. Debet etiam eſſe locuplex in virtutibus, vt ſic luceat coram omnibus lux eius. Vltimo debet eſſe fidelis Deo & proximo, vt ſibi dicatur illud Matth. 25. *Euge ſerue bone & fidelis*. Quiſquis ergò tamen fuerit, rectè ſibi dicetur à Domino, quia ille teſtimonium perhibebit de me pro quo accipiet coronam vitæ.

Ioan. 15. — *2. Tim. 1.* — *Rom. 8.* — *Matt. 10.* — *1. Ioan. 4.* — *Luc. 12.* — *Matth. 5.* — *Matt. 25.*

INDEX

INDEX RERVM maxime notabilium, quę hac parte Hyemali continentur.

Prior numerus paginam, alter columnam deſignat.

A.

Abſtinentia inter diuerſos diuerſimoda, 196,1
Abſtinẽtiæ obeſt appetitus inordinatus. 267,2
Acedia paralyſi comparatæ 141,2. *Et quomodo curanda.* Ibid. *occæcat mortales.* 134,2. *comparatur ignotæ cuidam beſtiæ.* 395 1
Achab & Saul reges indiſcreti. 77,1
Actiua & contemplatiua vita. 6,1
Adam duplici morte punitus. 13,1
Adam & Eua de ſuperbia puniti. 73,1
Admirationis de Chriſto cauſſæ. 81,2. 82.1. 91,1
Adoleſcentia. 199,2
Adorandus à nobis Deus tripliciter. 143,2
Aduentus Chriſti quadruplex. 21,1. & ſeq. *quem fructum attulerit.* 22,1
Aduentus Chriſti conditio vnde cognita. 52,1. *Quid operetur in mentem.* 55,2. *in aduentu ſuo Chriſtus tria nobis præſtitit.* 3,1.
Adulatio caritati contraria. 51,1
Ab adulatore cauendum. 96,1. & 2
Adulatores verè dominorum, quibus adulantur, hoſtes. 95,2. *Inducunt vitia.* 96,1. *diuitibus pernicioſi.* Ibid. *reprehenſi.* 321,1
Adulterium vitandum. 319,2
Aduocati nomine cur dictus Spiritus S. 421,1
De Ægypto proficiſcendum. 106,1 *Et quomodo.* Ibid. 2
Aeris & venti operationes. 208,1
Ætas virilis 199,2 *decrepita.* 199 2
Afflictiones miſericordiæ diuinæ ſigna. 61,2
Agenti bene duo neceſſaria. 97,1. *Sectandæ virtutes quæ.* Ibid.
Ager vt colendus. 217,2
Amantis conditio. 337,1
Amen quid. 30,2
Amicitia triplex. 125,1. *vtilitatis ergo ſuſcepta.* Ibid. *Et propter delectationem.* Ibid. *Et honeſtatis cauſſa.* Ibid *ſtabilis quæ.* 125,2
Amor Dei ſuffert omnia. 307,2
Amoris lex. 191,2. *coniugalis exempla.* 127,1. & 2
Angelus Lucifer de ſuperbia punitus. 73,1
Angeli nomine ſacerdos dictus. 59,2
De Angelo dicta quæ. 338,1
Angelum ſacerdos quibus imitetur conditionibus. 60,1
Angeli mirantur beatorum glorificationem. 92,1
Angelorum conditiones. 61 2. *labores.* 207,2
Animæ noſtræ libertas 71, 2. *vita, verbum Dei.* 227,1. *dignitas vnde appareat.* 364.1 *ſecundum animam homo quid.* 71,1
B. Anna filia Phanuel commendatur à Luca. 85,2
B Annæ virtutes ſeptem. 87,1
Anna vocatæ plures. 85,2
Antichriſtus qualis, & quamdiu regnaturus. 31, 1. *Fideles quibus modis decipiet.* Ibid. 2
Antichriſti quãta ſit futura perſecutio. 206,1
Ab Apoſtolo quæ prohibita mulieribus. 88,2
Apoſtolorum contriſtatio vnde 374,2. *Figura triſtitiæ electorum Dei.* 375,1
Appetitus inordinatus obeſt abſtinentiæ. 267,2
Appropinquare tres hominum ſtatus deſignat. 3,2
Appropinquatio Dei ad hominem. 42,1
Appropinquationis diuinæ fructus. 43,1
Aqua in vinum mutatæ cõfirmationes, 118,1 *in vinum ſpiritualis mutatio.* 124,1

fluxus continuus. 208,1
Arcana cœleſtia manifeſtantur humilibus. 179,1
Architriclinus quis. 118,2
Arundo quid. 48,2
Aſcenſio Domini glorioſſima. 408, 2. *facta ex Oliueti monte.* 415, 1. *In aſcenſionis die Chriſti opera.* 411,2. *in aſcenſione Chriſtus quadruplici militia ſtipatus fuit.* 413, 1. *Et quomodo eleuatus.* Ibid.2
Aſinus ignotus Poloniæ. 395,1
Attritio quid. 288,2
Attritionis & contritionis differentia. 289,1
Auaritia hydropiſi comparata. 141, 2. *vt curanda.* 142.1 *comparatur igni.* 396,1. *deſignata per catum.* Ibid.
Auaritia cupiditasq́ occæcant hominē. 240,1
Auditores boni, bona terra. 225,2
Aulici perſtringuntur. 72,2. 211,1
Autoris intentio. 2,1.

B.

Babylon quid. 89.1
Baptiſmus ob tria Ioanni conueniebat. 68,1
Baptiſmi Ioannis vtilitas. 68,1
Baptizandus infans Orientem verſus. 43,1
Beatitudinis inæqualitas in quo. 203,1
Beati aliter Deum cognoſcunt, aliter mortales. 180,2
Beatorum glorificationem mirantur Angeli. 92,1
Benedicendo creatura creatori gratias agit. 83,2
Benedictio Simeonis vnde. 83, 1. *Triplex eſt.* Ibid.2
Benignitas Dei in peccatores. 417,2
Beſtialis homo quis. 164.1
Bethania quid. 78,2
Bethania & Iordanis quid. 69,1
Bethphage quid. 4,1. 78,2
Bibere pluries, & edere ſemel tantum permittitur in ieiunio. 265,1
Bonitatis diuinæ magnitudo deſcripta. 196,1
Boni pauciores malis. 202,1
Boni auditores, bona terra. 225,2
Bonorum ſocietas vtilis ad plurima. 174,1
Bonos Deus adiuuat. 202,1
Bona terra, cor docile ac mite. 223,1. *Boni auditores.* 225,2.
Bona opera extra Eccleſiam infructuoſa 211,2
Bonum elicitur è malis tripliciter. 168,2
Bona naturæ, ſemen bonum. 169,1
Bona naturalia quæ. 169,2. *Quanti.* Ibid.
Bona fortunæ ſemen bonum. 170,1
Bonorum temporalium interitus. 251,1
Bouis integri comeſtor vna vice Milo. 267,1

C.

CÆcitas peccatum ſignificat 238, 2. *Ex peccatis mortalibus.* Ibid.2.
Cæcitatis conditiones. 240.2
Cæci ſagacitas prudens. 242,1
Cæco benignitas exhibita à Chriſto. 243,1
Cœleſtia ſecreta manifeſtantur humilibus. 179,1. *corpora mouentur continuè.* 208,1
Cœlorum virtutes vt mouebuntur. 26,2
Calceamentum ſoluere quid. 68,2
Cana Galileæ quid. 122, 2. *in Cana Galilææ cuius fuerint nuptiæ.* 115,1
Canticum Simeonis. 82,1
Cantica lætitiæ cur in Septuageſima omittantur. 195
Capite elephantino infans. 72,1
Capiti noſtro cur hodie cinis imprimatur. 252,2
Caritas commendatur. 75, 1. *feruens diſcipulo Chriſti neceſſaria.* 127,1
Caritatis veræ ſignum quod. 155,2
Caritati repugnat adulatio. 51,1
Caritate vera quis præditus. 75,1. *vide dilectio.*
Carnaliter viuens, eſt ſtultus. 164,2
Caro quomodo arguat. 394,1
Carnium eſus in ieiunio cur interdictus. 264,2
Caſtellum quid myſticè. 6, 2. *moraliter quid* 7,2
Caſtellum cur dicta Hieruſalem. 6,1
Catholicæ religionis encomia. 282,1. *Præſtantia.* 283,1. *vide, Fides Cathol.*
per Catum deſignatur auaritia. 396,1
Cauſſas diligenter audiat iudex. 386,2
Cautelæ tres iudici neceſſariæ. 385, 2 386,1
Centurio qualis. 136,1
Chanaan quid. 122,2
Chananæa mulier peccatorem denotat quemlibet. 277,1
Chriſtiana innocentia in quibus conſiſtat. 304 305,1
Chriſtianis humilitas neceſſaria maximè. 182,2
Chriſtianorum ſapientia vera quæ. 227,1
iuſtitia in quo. 267,1

Chri-

Chriſtus cur in mundum venerit, 1, 2. 21, 1. in aduentu ſuo tria nobis præſtitit. 3, 1. duos cur miſerit diſcipulos. 5, 1. ob quatuor ſuſcipi debuit. 8, 2. à nobis tripliciter honorandus. 10, 2. à patribus cur toties deſideratus. 16, 2 manſuetus trifariam. 17, 2. Super aſinam quare ſederit. Ibid. ſe Meſſiam eſſe quibus probet ſignis. 47, 1. quare clamauerit. 67, 1. à patre mirificatus octo modis. 83, 1. quare paruulus apparuerit. 94, Triplici puritate fuit præditus 94, 1. quomodo creuerit. 94, 1 plenus ſapientia. 98, in Hieruſalem vt permanſerit. 100, 2. inuenitur tribus in locis. 109, 2. vt quærendus. 110, 1. parentum ſuorum quærendus exemplo. 110, 1. Comparatur aui. 112, 2. nuptijs cur interfuerit. 122, 1. vinum bonum triplex ponit 128, 1. Compunctionis, deuotionis, & æternæ felicitatis. Ibid. 1; & 2 leproſum curando manum cur appoſuit. 133, 2

Cur eundem tangere habuit neceſſe. Ibid manum cur extenderit. 144, 2. duas ob cauſſas dormiuit. 150, 1. in nauim cur deſcenderit. 151, 2. ſaluat quatuor hominum genera. 161, 1. cur Iudæ proditori conuerſatus. 177, 2. tria proponit. 190, 2

Chriſtus quæ nos doceat. 16?, 2. ad ſe venientes vt reficiat. 193, 2. paterfamilias. 199, 1 inuidorum arguit ingratitudinem. 201, 1 ad quatuor exiuit. 217, 2. quare locutus parabolicè. 221, 1. quomodo ſeminator. 221, 2. à ſæcularibus conculcatur. 231, 1

Chriſtus cur dictus Caput, 250, 2. in deſertum quare ductus. 256, 1. filius Dauid cur dictus. 279, 1. filius diuerſi modè. Ibid. miſericordia Dominus. 279, 2. veritatis annuntiator 319, 2. Rex potens 328, 2. habet familiam duplicem. 328, 2. Rex ditiſſimus. 329, 1. Rex ſapientiſſimus. Ibid. Chriſtus humana natura venire voluit. 329, 1. ad quatuor venit. Ibid. 2. Semetipſum quibus modis exinaniuit 330, 1. Quibus præmijs ornatus Ibid. 2. vt honoratus à turbis. Ibid. vt ſuos dilexerit. 33?, 2. pedes diſcipulorum cur lauerit 333, 2, reſurrexit verè. 340, 1. Et quare. Ibid 2. Leoni comparatus 343, 1. reſurrectionis ſuæ fructum apparitione probauit. 345, 2. Et quibus apparuerit Ibid ſub ſpecie peregrini diſcipulis apparuit. 348, 1. Peregrinus. Ibid. à diſcipulis viſus tripliciter commendatur. Ibid. 2. à nobis rogandus quadrupliciter, 351, 2. In medio diſcipulorum quare ſteterit. 352, 2 Medium ſemper tenuit. 353, 1. quare ſtetit in medio diſcipulorum. 354, 1, Deus pacis 355, 1, paſtor. 363, 2 nos paſcit alimonia corporali. 368, 1. Intelligentia ſpirituali. Ibid. 2. Euchariſtiæ ſacramento. Ibid. Cæleſtis gloriæ cibo. 369, 1 per Spiritum S. vt arguat mundum. 392, 2. aſcendens quadruplici militia ſtipatus fuit. 413, 1. Quomodo eleuatus. Ibid. 2. in cælum cur aſcenderit. 414, 1. Et quo menſe, quo die. Ibid. 2. Qua hora. 415, 1. In monte Oliueti, Ibid.

Chriſti benedictio præfigurata. 20, 1. Aduentus quadruplex 21, 1. aduentus quem fructum attulerit. 22, 1. aduentus conditio vnde cognita. 52, 1. aduentus quid operetur in mentem. 55, 2 patres, hic putatiuus, ille verus, quales fabri. 82, 1. ſignū multiplex. 84, 1. Triplex aliud. Ibid eius vita, morum diſciplina. 93, 1, nuptiæ cum humana natura myſticæ. 122, 1. nuptiæ cum anima fideli, 123, 2 nuptiarum hydriæ quæ 124, 1. diſcipulo neceſſaria feruens caritas. 127, 1 tactus ſalutaris. 145, 2. Benignitas. 146, 1.

Chriſti crux, ſcala. 153, 2. nauicula. 154, 2. pons. 155, 1

Chriſti iugum triplex. 181, 2. Et ſuaue. 182, 2. diſcipulos oportet humiles eſſe. 189, 1 cibus triplex. 193, 2 increpatio. 198, 2. doctrina ſuauitas 215, 1. quintuplex egreſſio. 217, 1 Chriſti ſponſa, perſona, verba, cōculcantur à ſæcularibus, 231, 1. & 2. paſſio gratioſa, & quare 233, 1, 2. Tormentorū grauitas. Ib. 2 paſſio excitat deuotionem. 234, 1. doloroſa. 235, in Iudæos beneficia 235, 2 pœnarum crudelitas. 236, 2 paſſio copioſa. 237, 1. paſſio vltimum refugium. 237, 2 benignitas exhibita cæco. 243, 1 miſericordia ex tribus emergit. 279, 2. Chriſti ſermonis dignitas. 316, 1. concio 319, 2. doctrina credibilis ob tria. 321 2. verbum prædicatum, excellens 323, 1. inſignia regalia. 329, 1. Titulus. Ibid Manſuetudo. Ibid. 2 Humilitas. 330, 1. vita, noſtræ ſalutis exemplar. 331, 1 humilitas magna. 332, 2. Et ea quadruplex. Ib poteſtas in cœlo, terra, inferno 342, 1, & 2. 343, 2. poteſtas dignitatem ſuperat Eccleſiæ 344, 1. Reſurrectio vera fuit; Ib. 2. Et mirabilis. Ibidem Et vtilis. 345, 1. &

paſſio-

paſſione humana natura reſtituta. 370,2 paſſionis efficacia 371, 2. aſcenſio glorioſiſſima. 408, 2. geſta teſtimonio fuerunt humanæ ſuæ naturæ. 411, 1. opera in aſcenſionis die. 411,2. turba quæ præſtiterit obſequia 9,2 omnia ſubdita. 180,1. Et quanam. Ibid. ſedere quare conueniat. 416,2. Iudæi cur nollent credere. 417, 1. De Chriſto Simeonis præconium. 81, 2. admirationis cauſſæ 81,2. 8?,1. 91,1. Prophetia. 83. 2. hæreticorum errores. 116,1 prædicta multiplicia teſtimonia, 42?,1. in Chriſto tria 82, 2. inueniuntur omnia. 109,1. veritas triplex. 3?7,1. Chriſtum quærendi fructus. 113, 2. quare turbæ ſecutæ 133, 1. ſequenti terrena contemnenda. 156, 2. ſequentium deuotio magna. 2?1. 1. ad Chriſtum quinque venitur modis. 142, 2. Per nos ipſos venire cur nequeamus. 143,1. veniendi via triplex. 190,2. Totidemque modi. 191, 1. inter Chriſtum & humanam naturam coniugij figura. 122,2. præter Chriſtum nemo poteſt appellari Dominus. 410,1
Cinis cur hodie frontibus noſtris apprimatur. 252,2
Circunſtantiæ peccatorum in confeſſione explicandæ. 272,2
Clauſtralium officium. 86,2
Clauſuræ defectus. 232,1
Clementia iuſtitiaq; regnum cōſeruatur, 81,1
Clericus qualis eſſe debeat. 37,1
Clerici dicuntur ſol. 35,2
Cogitationes hominum Diabolus vt norit. 257,1
Cognitio ſui ipſius neceſſaria. 272,2
Ad cognitionem ſui homo vt perueniat. 273,2
Comedendum tempore ieiunij quando. 266,1 vide, Edere.
Communicanti quatuor neceſſaria. 334, 2, 339,1
S. Communionis vtilitates quæ. 335,2
Ad communionem ſe præparanti conſideranda quæ. 333,2. digna præparatio quibus impediatur. 334,2. 335,1.
Compunctionis vinum bonum tres habet effectus 128,1
Concionari an mulieribus in Eccleſia liceat. 88,1
Concionatoris officium quodnam. 63,2. formam tenuit Ioannes Bapt. Ibid.
Concionator in dicenda veritate ſit impauidus. 231,2
Concionatori quæ conditiones neceſſariæ. 4,2 miſſio neceſſaria. 5.1. ſeptē neceſſaria. 388,1
Concionatores notent. 223,1. 224,1
Concionatoribus exhibenda reuerentia. 389,1
In concionatoribus quæ requiſita. 226,1
Pro concionatoribus documentum. 412,1
Conculcatio ſeminis à tranſeuntibus. 231,1
Confeſſarijs obediendum. 65,1
Confeſſio cur & quando iteranda. 294,1. Extra tempus paſchatis etiam quando requiſita. 295,1. frequēs per quæ excitetur. 298,2
Confeſſionis perfectio. 107,1. modus. 135,2. definitio 252,1. Conditiones. 293, 2. pudor quo remedio tollendus. 306,1
Confeſſione purgatur conſcientia. 272,1.
In confeſſione peccatorum circunſtantiæ ſunt explicandæ. 272,2
Coniugalis amoris exempla. 127,1, & 2
Pro coniugatis documenta. 86,2. 120, 2
Coniugij cauſſa & vtilitas. 124,2. inter Chriſtum & humanam naturam figura. 122,2
Conſcientia quid, & ex quibus conſtituatur. 271, 2. purgatur confeſſione. 272, 1. qualis habenda. 275,2
Conſcientia quid. 297, 2. Qualis eſſe debeat 298,1. Ad ſtructuram ſuæ domus quanam requirat. Ibid. vt excutienda. 299,1.
Conſcientia bona quid. 383,2
Conſcientiæ multiplex actus. 274, 1. affectiones diuerſæ. 275,1. errores ex quibus. 276,1 remorſum cur multi non ſentiant. 282,2 domus ornanda. 300,1. Quomodo tegenda. Ibid. 2 Ad ſui ornatum quæ requirat. Ib. 1
Conſcientiæ multiplex officium. 301,1. Accuſare prauam tranſgreſſionem. Ibid. Releuare noſtram depreſſionem. Ibid. Conſeruare bonam poſſeſſionem. Ibid. 2. vindicare fractam promiſſionem. Ibid.
Conſcientiæ error ex quibus. 302, 2. puritas neceſſaria 304,1 remorſus quid. 407,1.
Conſuetudines bonæ obſeruandæ. 101,1
Contemplatiua & actiua vita. 6 1.
Contemplatiua vita melior actiua. 202, 2
Contemplatiuæ vitæ præeminentia. 203, 1
Contritio quid. 288, ad ſalutem neceſſaria. 289,1. Neceſſaria comparatione Baptiſmi. Ibid 2. pœnitentiæ. Ibid Euchariſtiæ. Ibid. Redemptionis humanæ. Ibid.
Contritio medicina eſt opportuna 290,1. Celerrima. Ibid. Integerrima, ſaluberrima. Ibid.

Ibid.2.cur dicatur, de peccatis dolor. 291,1
Contritionis perfectio. 107, 1, vtilitas quadruplex. 290,2
Contritionis & attritionis differentia. 289,1
Ad contritionem peccator quibus cauſſis moueatur. 281,1
In contritione datur Spiritus S. quinque modis. 424,2
Conuerſio peccatoris admiranda. 295,2
Cor durum quid. 222.2. docile ac mite, bona terra. 223,1 lapideum. 339, 2. lapideum tria emolliunt. 225,2. hominis diabolus deſiderat. 108, 2. hominis Deus tripliciter exigit. 112,2
Corde rectus quis. 40,2
Cordis durities, petra. 222,2
Corpora cæleſtia continuè mouentur. 208,1
Corrigiam calceamenti ſoluere quid. 68,2
Creationis opus minus eſt conuerſione peccatoris. 91,2
Creatoris gerit omnis creatura ſimilitudinem. 370,2
Creatori creatura benedicendo gratias agit. 83,2
Creaturæ omnes deteſtantur otium, 208,1.
vt Credibile fiat alicuius dictum. 416,1
Crux Chriſti, ſcala. 153,2. nauicula. 154,2. pons. 155,1
Cupiditas & auaritia hominis occæcant animum. 240,1

D.

DÆmon vt à nobis vincendus. 255,2
Dæmones, volucres cæli. 222.1. vide diabolus. Dalila quid. 172,1
Dauidis filius cur dicatur Chriſtus. 279,1
Decurrentium in hippodromo pericula. 79,2
Denarius diurnus quid. 197, 1. Gloria cæleſtis. Ibid. vita æterna. 200,2. 214, 1.
Deſertũ quid. 255,1 in deſertũ Chriſtus quare ductus. 256,1. in deſerto quid euenerit Iſraelitis. 255,2. 256,1.
Deuotio eſt ad orationem neceſſaria. 273, 1. Requirens tria. Ibid. deuotionis vinum bonum tres habet effectus. 128, 2 in deuotione fundatur magna fides. 285,1
Deus cur laudandus. 12, 1. hominibus qualia ſigna oſtendat. 33,2 an poſſit autor eſſe mali, 87,2. peccatum deteſtatur. 108, 1 cor hominis tripliciter exigit. 112, 2. à nobis adorandus tripliciter. 143,2. vt velit omnes fieri ſaluos. 146, 2. oſtendit homini gratiam triplicem. 185, 2. acceptor perſonarum non eſt 192,1. bonos adiuuat. 202, 1. in peccatoris conuerſione quæ operetur. 243,2. homines tentari cur permittat 257,2. miſericors ex generali poteſtate. 280, 2. Ob neceſſitatem experimentalem. Ibid. per creaturas laudatur. 312,2.
Deus pacis, Chriſtus 355,1
Deus immutabilis 362,1. Ab humano genere neceſſariò amandus. Ibid. 2. humanum genus maximè diligit. 366, electos triſtari cur permittat. 379,1
Dei ad hominem appropinquatio. 42, 1. Et eius fructus. 43,1
Dei amor ſuffert omnia. 307,2. benignitas in peccatores. 417,2. bonitatis magnitudo deſcribitur. 196, 1 gaudium in quo poſitum 408,1. plenum & perfectum. Ib. gratia ſine dolore quæri non poteſt. 110, 2. Eſt ſemen bonum. 170,2.
Dei gratiæ triplex gradus. 52, 1. per Dei gratiam cæleſtis inuenitur gloria. 110,1.
Dei incarnationis modus quis. 91, 1. miſericordiæ ſeptem. 281,1. nos admonentis benignitas. 209,2. notitiam latet nihil. 159, 2. Iuſtitia inflexibilis. Ibid.
Dei opera mirabilia. 88,2. opera tria miranda maximè. 91, 1 potentia infinita vnde cognoſcenda. 58, 2. potentiam demonſtrant eius opera. 159,1
Dei præcepto parendum. 210,1. & ſeq. ſecretarius propheta. 80, 2. ſeruo quid agendum. 106,1. Dei verbum, ſemen 224,2. vt ſuffocetur. 225,2. negligere, peccatum eſt mortale. 126,2. animæ vita. 227,1. à noſtro quid differat. 316,2
Dei verbum, eſt verbum veritatis. 323,2. verbum vitæ. 324,1. Idq; multas ob rationes. Ibid. efficax & vtile. 325, 2. Quos operetur fructus in auditore 326,1. auditur à diuerſis diuerſimodè. 326, 2. Quære, verbum Dei. In Dei via progrediendum. 241,2. Dei voluntati an reſiſti poſſit. 87,2. ad Dei laudem nos inuitant plura. 405, 2 citra Dei auxilium peccator non reſipiſcit 243,1 inter Dei & ſæculi filios differentia. 373,1
Deo cognita omnia. 59,1. obedire perfecta iuſtitia. 116,2
Deo ſunt agendæ gratiæ. 185,1. Ob bona cæleſtia. 186,2. Ob bona naturalia. Ibid. ſeruiendum ob plurima 368, 1. à Deo ſpiritus

vitales tres treati. 71, 1. proficiſcuntur omnia. 368,1
Deum cognoſcunt aliter mortales, aliter beati. 180,2
Ad Deum accedenti neceſſaria quæ. 181, 1. accedentes triplici reficiuntur cibo. Ibid, 2.
Ad Deum timor compellit. 215, 2. Et pudor. 216, 2. Item tempus vrgens. Ibid. Et locus recipiens. Ibid.
Diabolus horret etiã luxuriæ fœtorem. 94, 2 cor hominis deſiderat. 108, 2. in quos habeat ita poteſtatẽ. 125, 2. tripliciter operatur 165. 1. Cur homo dictus. 166, 2. magnus cetus. 205, 2. vbiq; contrarius homini. Ibid. verbi diuini fructum impedit. 225, 1. quorum dux. 254, 1. hominum cogitationes vt nouerit. 257,1
Diaboli via lata. 79, 1. malitia quadruplex. 167,1
Dictum alicuius vt ſtat credibile. 4'6,1
Dies feſti deuotè colendi. 101, 2. quibus polluantur peccatis. 101,2
Dilectio qualis à nobis requiſita. 332,1
Dilectionis gradus quinque 157, 1. commoda, 184. 2. erga proximum gradus triplex. 370, 2. vide, caritas.
Diſcipulorum pedes cur lauerit Chriſtus. 333,1
Diſcipulos duos cur miſerit Chriſtus. 5,1
Diſcipulos Chriſti decet humiles eſſe. 189,1
Diſcretio laudata. 76, 2, lucernæ & ſoli comparata. 77, 1. Quam efficax. Ibidem. vbiq; neceſſaria. 252,1
Diſcretionis efficacia. 77, 1, 2. quanta virtus. 77,2
Diues mercatori ſimilis. 315, 2. perfectus quis. 367,1
Diuinæ remunerationis liberalitas. 200,1
Diuitiæ cur homini datæ, 170, 2. ſunt ſpinæ. 219, 2. 223,1
Diuitijs vtendum quomodo. 108,1
Doctrina Chriſti credibilis ob tria. 321,2
Documentum 65, 1. pro cõcionatoribus. 412, 1
Documenta. 69, 2. 101, 1. 103, 1. 134, 2. 150, 1. 151, 2. 180, 2. 182, 1. 199, 1. 223, 2, 343, 1. Moralia. 101, 1, & 2. 103, 1. Pro virginibus, coniugatis & viduis. 86, 2. Pro ſæcularibus. 196, 2. pro coniugibus. 120,2
Dolor intolerabilis vndè. 235,1
Doloſi perſtringuntur, 318,1
Dominica Septuageſimæ variè appellata. 194, 1. Sexageſima cur dicta. 220,1
Dominus appellari poteſt nemo præter Chriſtum. 410,1
Domini nomen potens. 22, 2. via quæ. 78, 2. 79, 1. 305, 2. Quando dirigatur. 67. 1.
Dona gratuita, ſemen præcipuum. 217,2
Dormire quid. 171,1
Draco vt capiatur. 158,1
Per Dracones geminos luxuria figuratur. 395,1
Dubitandi modus triplex. 46,1
Dubium 131, 2. 170, 1. 177, 1. 248, 2. 255, 1. 256, 2. 260, 1. 263, 2. 296, 1. 312, 2. 320,2
Dubia. 11, 1. 30, 2. 69, 1. 87, 2. 119, 2. 138, 2. 152, 1. 167, 2. 183, 1. 202, 1. 225, 2. 264, 1. 273, 1. 299, 2. 313, 2
Duodenarius numerus myſticus. 104,2

E.

EBionis hæreſis. 116,1
Ebrietas turpis. 130, 1 Inſania voluntaria. Ibid. 2
Eccleſia cælo comparata. 34, 1. vinea primigenialis. 212,1
Eccleſiæ conſideratio duplex. 123,1
Eccleſiæ & vineæ comparatio. 212, 1. dignitatem ſuperat Chriſti poteſtas. 344, 1. authoritas. 359,2
Extra Eccleſiam opera bona infructuoſa. 211,2
In Eccleſia ſtatus fidelium triplex. 424,1
Eccleſia in vigilijs frequentandæ. 100, 1. verſus Orientem conſtruendæ. 413,1
In Eccleſijs an mulieribus concionari liceat. 88,1
Eccleſiaſticæ hierarchiæ vnde. 199,1
Edere ſemel tantum, & bibere pluries in ieiunio permiſſum. 265,1
Electorum Dei triſtitia. 375,1
Electos cur mundus odit. 375, 2. triſtari cur Deus permittat. 379,1
Electuarijs an vti liceat in ieiunio. 265,1
Eleemoſynæ fructus & vtilitas. 107, 1. 250, 2. 315, 1. Erogandæ modus. 250, 2. Erogandæ tres obſeruationes. 315,1
Elephas caret poplite. 72,2
Elephantis natura. 72,1
Ephraim quid. 391,1
Eradicatio feſtina prohibetur. 166,2
Eremitæ cuiuſdam infelix exitus. 77,1
Euangelij tria documenta. 46,1
In Euangelio conſideranda tria. 2,1
Euchariſtiam qui ſumant indignè. 369, 1. vide Communio.
Exurge triplex. 220,1

F.

Fabu-

FAbula quid. 347,2
Fames ineſt peccato. 172,2
Febri comparatur peccatum. 108,2
Felicitatis æternæ vinum bonum tres habet effectus. 128,2
Feſti dies deuotè colendi. 101,2
Fideles quibus modis antichriſt⁹ decipiet. 31,2
Fidelium patientia auro comparata. 378,2
Fidelium ſtatus in Eccleſia triplex. 424,1. Incipientium, proficiētium, & perfectorū. Ib.
Fides multiplex. 284, 2. Magna fundatur in deuotione. 285,1
Fides Catholica cōparata radici. 282, 2. arcæ, ſtellæ, petræ fundamenti, ſpeculo mundo. 283, 1. Oculo dextro, annulo, vexillo. Ibid. 2
Fides animam viuificat. 286, 1 Intellectum illuminat Ibid. 2 diabolicas poteſtates expellit. Ibid. Mundum contemnit. 287,1. Impetrat miracula. Ibid.
Fides radix meritorum 357,1. magna quid requirat 359,1. perfecta quæ. 360, 1. In duobus conſiſtit. Ibid.
Fides & voluntas bona, ſemen eſt bonū. 163,2
Fidei Catholicæ encomia. 282, 1. præſtantia. 283,1. vtilitas. 286,1 effectus. 357,1. Excellentia. Ibid. 2. definitio. 358, 1. diuerſitates Ibid. 2. Integritas in quibus poſita. 359,1
Figura. 99,1. 114,1.
De Filium immolaturo patre. 77,2
Filij cur adeò contumaces hodie. 125,2
Inter Filios Dei & ſæculi differentia. 373,1
Circa Fletum conſideranda quæ. 138,1
Fœtor ineſt peccato. 172,2
Formicæ prudentia. 188,2
In foro huius mundi contenta quatuor. 197,2
Fortuna bona, ſemen bonum. 170,1
Fructus orationis, eleemoſynæ, ieiunij. 107,1,2
Fumi odor inuidiam ſignat. 395,2
Furtum deteſtandum. 3 9,1

G.

GAudium mundanorum vanum. 373,2
Gaudium ſanctorum pariter & impiorum duplex. 376,2
Gaudium quadruplex. 382, 2. Triplex 406, 2. ſpirituale quid à mundano differt. 407,1 Dei in quo conſiſtat. 408,1. plenum & perfectum. Ibid.
Gaudia SS. patrum in limbo quæ. 336, 1. Et noſtra. Ibid,
Gentiliū ad fidē cōuerſio, & Iudæorū reprobatio. 137,2. à Gētilib' ieiuniū perſuasū. 260,2
Gloria cæleſtis inuenitur per Dei gratiā. 110,1
Gloria vana vitium. 173,2
Gloriæ futuræ ſpes dulcorat auſteritatem pœnitentiæ. 308,1
Gloria Dei quomodo reddimur indigni. 365,2
Grani profuſio nimia. 232,2
Gratia tribus infinita modis. 105,1
Gratia Dei ſine dolore quæri non poteſt. 110,2. Trifariam quærenda. Ibid.
Gratia Dei, ſemen bonum. 170,2
Gratiæ ſtatus, vita præſens. 3,1
Gratiæ Dei gradus triplex. 52,1. ex Gratiæ defectu multa incommoda. 57,1
Gratiam in vacuum recipientes qui. 54,2
Gratiam Deus oſtendit homini triplicē. 185,2
Ad Gratiam diſponētes virtutes quæ. 53,1
Per Gratiā Dei cæleſtis inuenitur gloria. 110,1
de Gratia amiſſa dolendum. 111,1
Gratiæ Deo ſunt agendæ. 185,1 Ob cæleſtia bona. 186,2 Ob naturalia bona. Ibid.
Gratiarum actio fit benedicendo. 83, 2. ſequi debet orationem. 278,2. neceſſaria. 312,1
Gratiarum actionis vtilitas. 314,2. Quinque modi. Ib. ad Gratias agēdas tria mouēt. 185,1
Gratuita dona, præcipuum ſemen. 217,2
Gula occæcat mentem. 240,1. epilepſiæ comparata. 242,1. Curatur per abſtinentiam. Ib. comparatur vrſo. 394,2

H.

HÆreſum trium confutatio. 179,1
Hæretici vulpeculæ ſunt. 213, 1. capiendi tripliciter. Ibid.
Hæreticorum errores de Chriſto. 116, 1. pro Helia Ioannem cur Iudæi ſumpſerint. 65,2
Heluidij hæreſis. 116,1
Hierarchia Eccleſiaſtica vnde. 199,1
Hieruſalem cur dicta caſtellum. 6,1
Hieruſalem pacis viſio. 195,1.
In Hieruſalē Chriſtus vt permanſerit, 100,2
In Hippodromo decurrentium pericula. 79, 2
Holocauſtum quid, & vnde dictum. 379,1
Homicidium fugiendum. 3 9,1
Homo ſecundū animā quid. 71, 1. naturaliter mãſuetus. 156,1. beſtialis quis. 164,1. carnalis, eſt ſtultus. 164,2. ſpiritualis omnia iudicat. 165,2. in creatione tripliciter honorat⁹. 187,1. ad ſui cognitionē vt perueniat 273.2
Hominis vincula quæ 46,2. cor diabolus deſiderat. 108,2. cor tripliciter exigit Deus. 112, 2. conſummatio, ſerò dicitur 200, 1 poſt obitum deformitas. 246.1 nouiſſima. Ibid. Incinerationis memoria vtilis Ibid. 2. miſeriæ quænam. 277,1. ad Hominis ſalutem tria teſtimonia requiſita. 423,1
Homini cur laudandus Deus. 12,1

quæ

Homini quæ timenda. 54,1. *diuitiæ cur datæ.* 170,2. *contrarius obiquè diabolus.* 205,2

Hominem tria faciunt creſcere. 97,2. *tria faciunt rationalem.* 164,1. *ad hominem Dei appropinquatio.* 42,1. *Eiusq. fructus.* 43,1

Homines vitioſi diuerſimodè. 98,2 *inexcuſabiles ob tria.* 322,1

Homines tentari cur Deus permittat. 257,2

Hominum ſtatus tres per verbum appropinquare ſignificantur. 3,2 *circa bona opera diuerſitas.* 78,1, *genera quatuor ſaluat Chriſtus.* 161,1. *genera quatuor in mari huius mundi præcipuè pereuntia* 161,2. *cogitationes diabolus vt norit.* 257,1.

Honor erga ſuperiores. 143,2

Honores non ambiendi. 393,2

Horarum nomine mundi ætates indicatæ. 196,2. 197,2. *& ſeq.*

Hoſanna quid. 10,1 330,2

Humani generis redemptio, opus miſericordiæ. 341,1

Humanæ conditionis dignitas cur in paradiſo. 12,.. *vilitas.* 7.,2,74,2.

Humanæ natiuitatis incommoda. 74,1

Humanæ Chriſti naturæ teſtimonio fuerunt illius geſta. 411,1

Humilis quis. 95,1. *ad humilem verè duo requiſita.* 95,2

Humilibus arcana manifeſtantur cæleſtia. 179,1

Humilitas Chriſtianis neceſſaria maximè. 182,2. *miraculorum gratiam ſuperat. Ib.*

Humilitas amplectenda. 310,1. *Tria bona pœnitenti ſuppeditat. Ibid. Similis medicinæ. Ibid. virtutum radix.* 311,1 *Et virtutum conſeruatrix. Ibid. Caritatis comes. Ibid. Chriſti magna* 332,2. *Et in eius vita quadruplex.* *Ibid.*

Humilitas trium Regum. 109,2

Humilitatis efficacia. 95,1 *ſine ea perfectus nemo.* 311,2

Hydriæ ſex quid. 119,1. *nuptiarum Chriſti quæ.* 124,1

Hypocritarum ſigna. 251,2

I.

IEiunium duo requirit. 250,1. *à natura dictatum.* 259,2. *à gentilibus perſuaſum.* 260,2 *à medicis imperatum.* 261,2. *à patribus commendatum.* 262,1

Ieiunium vt obſeruandum. 263,1. *cur 40 diebus, Ibid. Quadrageſimale quàm ſtrictè ſeruandum. Ibid.* 2. *Cur inchoetur feria quarta.* *Ibid.*

Ieiunium meritorium tria requirit. 269,1. *Optimum quod. Ibid.* 2 *infructuoſum inter vitia.* 296,1

Ieiunij fructus. 107,2. *præſtantia.* 248,1. *inſtitutio.* 259,2. *in veteri teſtamento fructus.* 262,1. *In nouo merita. Ibid.* 2. *in ieiunio abſtinendum à quibus.* 264,1. *à vitijs.* 271,1. *venatio prohibita.* 269,2. *cur interdictus eſus carnium.* 264,2. *vſus vini permiſſus,* 265,1. *prohibita lacticinia. Ibid. Electuarijs an vti liceat. Ibid.* 2. *ſemel edendum, & pluries bibere licitum. Ibid.* 1. *an liceat omnibus vti piſcibus. Ibid.* 2. *Qua hora comedendum.* 266,1. *ad ieiunium debitum quæ requiſita.* 251,2. *quinam obligati.* 268,1. *Non, qui ſunt pauperes. Ibid.* 2.

ad Ieſum venitur quinque modis. 142,2. *per nos nequimus.* 143,1

Igni comparatur auaritia. 396,1

Ignorantia multiplex. 240,2. *affectata.* 241,1 *Maligna, craſſa, obſtinata, &c.* *Ibid.*

Impatientiæ mala. 156,1

Impiorum vox. 73,2. 79,2

Impiorum & ſanctorum æquè duplex gaudium. 376,2

Incarnationis Dei quis modus. 91,1

Incinerationis memoria vtilis. 246,2. *ad fugam tentationis. Ibid. ad deuotionem conſeruandam.* 247,2. *ad ornandam orationem.* *Ibid.*

Incipientibus mittitur Spiritus S ſeptem modis. 424,1, & 2

Indeuoti perſtringuntur. 72,2

Infans elephantino capite. 72,1

Inferni timor excitat contritionem. 281,1

Innocentia Chriſtiana in quibus poſita. 304,2. 305,1

Innocentiæ puritas neceſſaria, 304 1.

Intellectum fides illuminat. 286,2

Inuidia quid. 201,2 *febri ſimplici comparatur.* 141,2. *occæcat hominem,* 239,1. *deſignatur per odorem fumi.* 395,2

Inuidus vulpi ſimilis. 395,2

Inuidorum Chriſtus arguit ingratitudinem. 201 1

Ioannes Baptiſta quando coniectus in vincula. 44,2. *à Chriſto commendatus.* 48,2. *prophetas exceſſit.* 49.1. *formam tenuit concionatoris.* 63,2. *cur dicat ſe vocem,* 66,2

Ioan-

Ioanni Baptiſmus ob tria conueniebat. 68,1.
baptiſmi vtilitas. 68,1
Ioannem cur Iudæi pro Helia ſumpſerint. 65,2
Ionæ prophetæ ſomnus. 171,2
Iordanis & Bethania quid. 69,1
Ioſeph & Maria cur de Chriſto dicta mirabantur. 81,2. 82,191,1
Ioſephi dignitas longè inferior dignitate Mariæ. 89,1
Ioſephi & Mariæ doloris cauſſa. 102,2
Ira febri acutæ comparata. 141, ſanabilis pietate. 141,1. per quod animal figurata 394.2
Iracundia occæcat animum. 239,1
Iudæi cur Ioannem per Helia ſumpſerint. 65,2
Iudæi Chriſto cur nollent credere. 417,1
Iudæorum ſolennitates. 100,1. reprobatio, & gentilium ad fidem conuerſio. 137,2. obdurata malitia redarguitur. 321,2. in Iudæos Chriſti beneficia. 23[illegible],2
Iudæ malitia. 235,1. Quid notet. Ibid.
Iudæ proditori cur Dominus conuerſatus. 177,2
Iudicis aduentus qualis. 29, 1. poteſtas eius. Ibid. 2
Iudici neceſſariæ tres cautelæ. 385,2. & 386,1 circa iuſtitiæ veritatem ſeruanda quæ. 386,2. vt cauſſas diligenter audiat. Ibid. vt publica priuatis anteponat. 387, 1. vt deliberatè ſententiam ferat. Ibid.
Iudicium timendum. 398, 2. Quale futurum. Ibid
Iudicium generale cur ſigna præcedent. 26,2 27,1
Iudicij extremi memoria efficax. 24, 1. dies, ſerò dicitur, 200,1. futuri memoria nunquam deponenda. 399, 2. de Iudicio mundus arguendus. 398,1
Iugum Chriſti triplex. 181,2. Et ſuaue. 182,2 nouæ legis veteri leuius. 183,2
Iuſtitia perfecta, obedire Deo, 116, 2. Dei inflexibilis. 159,2. Chriſtiana in quo. 267,1. virtutibus ornanda. 387, 2. de iuſtitia mundus arguendus. 397,1
Iuſtitiæ & miſericordiæ ordo. 200,2. definitio. 397,1. danda opera. 75,2.
Iuſtitiam facientes, nec tamen diligentes, quinam. 397,2. circa iuſtitiam ſeruanda iudici. 386,2, à iuuentute pueri bonis moribus imbuendi. 101,1

L.

LAborandum propter tria. 207,1
Laborantium tria genera. 206,2
Laboris vtilitas. 202,1, merces. 205,1 maledicti conditiones. 192, 2. ad laborem locus inuitat. 211,1
Labores Angelorum. 207,2
Lacryma. vide Fletus.
Lacticinia cur in ieiunio prohibita. 265,1
Lætitiæ cantica cur omittantur in Septuageſima. 195,1
Lapidum cumulatio nimia. 232,2. ad laudem Dei plura nos inuitant. 405,2
Lectulus floridus, pœnitentia. 154,1
Leo ſuperbiam notat. 394,2
Lepra omnium infirmitatum grauiſſima. 141,1
Leproſus cur ſacerdoti ſe iuſſus eſt oſtendere. 134,2. quid ſignificet. 134,2. peccatorem ſignat. 140,1 Curatur à peccatis per ſeptem beatitudines. Ibid. 2. ad leproſi mundationem tria requiſita. 135,1. quæ conſidderanda. 132,2
Leproſum curando Chriſtus manum cur appoſuit. 133, 2. cur eundem tangere neceſſum habuit. Ibid.
Lex noua perfectior veteri. 184,1
Legis præcepta cur dicantur grauia. 183,1. nouæ iugum veteri leuius. 183, 2. veteris grauitas: ibid. vtriuſque difficultas. 184,1
Locus ad laborem inuitat. 211,1
Locus recipiens compellit ad Deum. 216,2
Lucifer Angelus de ſuperbia punitus. 73,1
Luna & ſol vt obſcurabuntur. 25,1
Luxuria lepræ comparata. 142,1
Luxuria mentem occæcat. 240,1. per geminos dracones figurata 395, 1. conculcatur verbum Dei. 232,1
Luxuriæ fœtorem horret etiam diabolus. 94,2. cum luxurioſo periculoſa conuerſatio. 142,1
Luxurioſi perſtringuntur. 231,1. in luxurioſis motiuum duplex. 222,1

M.

MAgorum trium commendatur humilitas. 109,2
Malis boni pauciores, 202, 1. eorum ſocietas bonis vtilis. 176,1
Mali an Deus poſsit autor eſſe. 87, 2. Mali tolerandi. 177,2
Malis elicitur bonum tripliciter. 168,2

Mandatum. vide, Præceptum.
Manè & veſpera quid. 206,2
Manichæi error vnde. 116,1
B. Maria dilectione creaturas oẽs excedit. 90,1
Mariæ & Ioſeph de Chriſto dicta cur mirabantur. 81,2. 82,
Mariæ virg. martyrium quantum. 84, 2. *dignitas excedit dignitatem Ioſephi.* 89, 1. *de eius dolore prophetia.* 84,2
Mariæ & Ioſephi doloris cauſſa. 102,2
Maris motus quid. 158,1 *In mari huius mundi quatuor hominum genera præcippuè pereuntia.* 161,2
Matrimoniũ vt meritoriũ. 120, 2. *circa illud quæ conſideranda.* 125,1. *eius dignitas.* 111,2
Matrimonij actũ quæ à peccato excuſent 120,1
Matris proprietates ſex. 89, 2, *Ad medicinam opportunam requiſita quæ* 290, 1. *à medicis imperatum ieiunium.* 261,2
Medium tenendum. 103, 1 *ſemper tenuit in vita Chriſtus.* 353,1
Mendacium pernicioſum. 319,1. *maledictũ. Ib.*
Mercatori tria conſideranda. 367,2
Merces laboris. 205,1
Meritorum humanorum vtilitas. 211 2
Meſſiã ſe eſſe Chriſt⁹ quib⁹ probet ſignis. 47, 1
Metreta quid. 117,1
Milo bouis integri comeſtor vnica vice. 267,1
Miraculum aquæ in vinum conuerſæ confirmatur. 118,1
Miraculorũ gratia minor humilitate. 182,2
Miſer quis. 276,1
Miſeria præsẽtis vitæ breuis. 381,1. *Tẽporis. Ib.* 2
Miſeriæ hominis quæ. 277,1. *pro miſerijs auertendis orandum.* 277,1.
Miſericordia Chriſti ex tribus emergit. 279, 2
Miſericordiæ ſymbolum, oliua. 11, 1. *ſigna, tribulationes,* 62, 2. *Dominus Chriſtus.* 279,2
Miſericordiæ Dei ſeptem. 281,1
Miſericordiæ & iuſtitiæ ordo, 200,2
Miſſio concionatori neceſſaria. 6,1
Mons oliueti quid. 4,1
Moralia. 23,2. 86,1 101,1. 117,1. 182,1. 199,1
Moribus bonis imbuẽdi à iuuẽtute pueri. 101,1
Morum diſciplina eſt vita Chriſti. 93,1
Mors peccati miſerrima. 73,2 *intempeſtiua periculi plena.* 161,2
Mortales aliter Deum cognoſcunt, aliter beati. 180,2
Mortalia peccata ſeptem. 79,1
Mulieres bonæ audiendæ. 349,1
Mulieres Chriſti corpus vncturas impedimentum nullum retardare potuit. 337,1
Mulieribus an liceat in Eccleſijs concionari. 88,1. *ab Apoſtolo quæ probibita.* 88,2
Mundanæ res vanæ. 107,2
Mundani à Spiritu S. arguendi. 394, 1
Mundanorum prudentia in quibus. 170,1. *quale gaudium.* 373,2 & 374,1
Munditia quid. 147,2 *Vt conſequenda. Ibid. Triplex.* 189,1. *eius effectus.* 148, 2
Mundus amaritudine plenus 217, 1. *vt vincendus à nobis.* 2.5, 2 *electos cur odit.* 375, 2. *arguit perſuaſionibus.* 393, 1. *arguendus de peccato.* 396, 1. *de iuſtitia.* 397, 1. *de iudicio.* 398,1
Mundi ſapientia triplex eſt. 179, 2. *ætates horarũ nomine ſignificatæ.* 196, 2. 197, 2. & *ſeq. ætates diuerſæ.* 198, 1. *vanitatibus multi ſtudent.* 200,2
In mundi huius foro quatuor ſunt. 197 2
In mundo non inueniuntur omnia, ſed in Chriſto. 109,1
Mũdũ Chriſtus vt per Spiritũ S arguat. 39:,2
In mundum cur venerit Chriſtus. 1,2
NAtiuitatis humanæ incommoda. 74,1
Naturæ bona, ſemen bonum. 169,1
Naturæ bona quæ. 169,2 *Quanti. Ibid.*
Nauicula quid. 150,1
Nazareth flos dictus. 86,1
Negligentia primos parentes perdidit. 171, 2
Negligentia mala, 171,2
Nobilitas vitæ. 157,1
Noctis ſignificatio. 110,2.
Noſcere ſeipſum, ſumma eſt ſapientia. 70,2
Notabile concionatoribus. 223,1. 224,1
Notanda tria 13,2
Numerus duodenarius myſticus. 104,2
Nuptiæ in Cana Galileæ cuius. 115, 1. *humanæ.* 124, 2. *cur ſacerdotibus interdictæ.* 118,2. *triplices.* 122,1. *Chriſti cum humana natura myſticæ. Ibid Chriſti cum anima fideli.* 123, 2 *Tria requirunt.* 124,1
Nuptiarum Chriſti hydriæ quæ 124,1
Nuptijs cur interfuerit Chriſtus. 122,1
OBedientia ſubditi. 94,2
Obediendi promptitudo. 198,1
Obedire Deo, perfecta iuſtitia. 116,2
Oculi ad quatuor leuandi. 41,1
Odium ex veritate naſcitur. 320,1
Officiarios quales eligere princeps debeat. 38,1
Oliua miſericordiæ ſymbolum. 11,1
Oliueti mons quid, 4,1. *ex Olineti mõte Chriſtus aſcendit in cælum,* 415,1

Omnia Deo cognita. 59,1
Operarij quinam. 196,2
Operariorum inuitatio. 198,1
Opibus quomodo vtendum. 108,1
Opus creationis minus eſt conuerſione peccatoris. 91,2
Opus impurum quod. 305,2
Operi bono duo neceſſaria. 78,1
Opera Dei tria miranda maximè. 91,1. mirabilia. 88,2. demonſtrant eius potentiã. 159,1
Opera bona extra Eccleſiã infructuoſa. 211,2
circa Opera bona diuerſitas hominum. 78,1
Optimi & peſsimi quinam. 78,2
Oratio quid. 400,2. Eſt ſcala. Ib. Scutum, & nuntius. 401,2 Speculum. 402. 1. Noſtræ ſubiectionis redditus. Ibid cur nõ exaudita ſemper. 285, . Quibus ornetur circumſtantijs. 247,2. 286,1
Orationis fructus. 07,1. 404,1. effectus. 278,2
Orationē ſequi debet gratiarum actio. 278,2
Ad orationem debitam quæ requiſita. 277,2. 402,1 deuotio neceſſaria. 273,1
Orientem verſus Eccleſia conſtruenda. 413,1. Baptizandus infans. Ibid.
Otioſitas prohibita. 204,1
Otioſus quibus ſimilis. 209,2.
Otium, nouerca virtutum. 209,2. tria diſſuadent. 209,2. deteſtantur omnes creaturæ. 208,1. Et ſcriptura. Ibid. diſſuadent exempla ſanctorum. 208,2
Otia vitanda ob damnum ſequens. 207,2
Oues proprias diſtinguit ab alienis bonus paſtor, per colorē. 371,2. per notam. 372,1. per vocem. Ibid. 2

P.

PAni comparatur verbum Dei. 228,2
Paracleti nomen cur tributum Spiritui S. 421,1
In Paradiſo cõditionis humanæ dignitas. 12,2
Paralytico comparatus peccator. 138,2
Parentes perſtringuntur. 101,2
Parentes primi de ſuperbia puniti. 73,1. eos negligentia perdidit. 171,2. extra Paſcha quando requiſita confeſsio. 295,1
Paſsio Chriſti gratioſa, & quare 233,1,2 Excitat deuotionem. 234,1. doloroſa. 235,1. copioſa 237,1. vltimum refugium 237,2. eius efficacia. 371,2
Paſsione Chriſti natura humana eſt reſtituta. 370,2
Paſtor bonus oues ſuas diſtinguit ab alienis, per colorem. 371,2. per ſignum. 372,1 per vocem. Ibid. 2
Paterfamilias Chriſtus. 199,1
Patientia fideliũ auro comparata. 378,2. vera quæ. 53,2. Tribus exercetur modis. Ibid.
De Patre filiũ immolaturo. 78,2
Patres cur fruſtrati deſiderio ſuo tot ſeculis. 17,1. à Patribus toties cur deſideratus Chriſtus. 16,2. à Patribus commendatum ieiunium. 262, SS. Patrum in limbo gaudia quæ. 336,1
Pauperes ad ieiunium non obligantur. 268,2
Pax habenda trifariam. 3,2. colẽda. 75. 2. trifariam. 3,2. colenda. 85,2. triplex, 355,1. malorũ fugienda. Ibid. Bonorũ diligenda Ib. 2
Pacis encomia. 354,2, Deus, Chriſtus eſt. 355,1
Peccator comparatus paralytico. 138,2 ſimiæ ſimilis. 193,1. citra auxilium Dei non reſipiſcit. 243, 1. quibus moueatur cauſſis ad contritionem. 281,1 Inferni timore. Ibid. Horrore peccati. Ibid. 2. Peccati verecundia. Ibid doloris anguſtia. 282,1
Peccatoris cõuerſio excedit opus creationis. 91, 2. clamorem impedientia 242,2. admiranda conuerſio. 295,2
In Peccatoris cõuerſione q̃ De⁹ operetur. 243.2
Peccatorem ſignat leproſus. 140,1.
In peccatores Dei benignitas. 417.2
Peccatorum miſeriæ tres conditiones. 7,1
Peccatum febri comparatum. 08,2. per cæcitatem ſignificatum 238,2 duo mala generat 313,1. quatuor nobis mala confert. 370, 1. Corrumpit affectum 371,1. Conſtringit ad pœnam. Ibid.
Peccati mors miſerrima 73,2 grauitas. 108,1 deteſtatio apud Deum Ibid delectatio generat famem. 162,2. origo. 190,1 onera fugienda. 19 ,1. incommoda. 241,2. horror & verecundia mouent ad contritionem. 281,2 odium quæ generet 288,1
Peccato inſũt, ignorãtia, fœtor, & fames. 172,2
De peccato mundus arguendus. 396,1
Peccata mortalia ſeptem. 79,1. mortalia cæcitatem afferunt. 238,2
In peccata relabendi timor quæ medela iuuãdus. 306,2. de peccatis dolor, contritio cur dicatur. 291,1
Peccatorum cautela. 135, 2. circunſtantiæ in confeſſione aperiendæ. 172,2
Pedes quibus aquis lauandi. 333,2.
Perfectio contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis. 107,1
Pericula varia. 205,1
Perſecutio quãta ſit antichriſti futura. 206,1

Perſonarum Deus acceptor non eſt. 192,1
Peſſimi & optimi quinam. 78,2
Petra, duritics cordis. 222,2
Pharisæorum qualis prudentia. 188,1
Philoſophi nulli venatores, 270,2
Piſcibus omnibus an in ieiunio liceat veſci. 265,2
Piſcium labor. 208,1
Pluuiæ inundatio nimia. 232,2
Pœnitens de tribus ſuperbit. 310,2
Pœnitens verè, ſurget vtiliter. 345,1
Pœnitentia ſtricta. 154, 2. hordeaceo pani comparata. 305, 2. ne ſit auſtera, quibus impediatur obſtaculis. 306, 1. cur lectulus floridus. 154,1
Pœnitentiæ auſteritas dulcoratur futuræ gloriæ ſpe. 308,1. via publica. 77, 2. impolluta & directa. Ibid. ad pœnitentiam quæ requiſita. 295,2
Poloni notent. 407,1
Polonia ignorat aſinum. 395,1
Potentia Dei infinita vnde cognoſcenda. 58,2
Præceptum eſt obligans, tentans, ac docens. 134,1
Præcepto diuino parendum. 210,1. & ſeq.
Præcepta Dei duo. 81, 1. legis grauia cur dicantur. 183,1
Prædicatoris officium quodnam. 63,2
Prædicatores notent. 223, 1. in prædicatoribus requiſita ſeptem. 226,1
Prædicator, vide Concionator.
Prælatus qualis eſſe debeat. 35,2
Prælatus inſtruitur. 103,2
Prælati debent excellere. 34, 2. dicuntur ſol. 35,2
Prælati perſtringuntur. 224,2
Prælatorum prudentia. 188,2
Preſſura gentium vt fiet. 25,2
Primogenituræ ius 196,1
Princeps qualis eligere debeat officiarios. 38,1
Principum regumq́; mos, 81,1
Priſcillianiſtarum hæreſis. 116,2
Profectus ſpiritualis impedimenta quæ. 97,2. adiumenta. 98,1
Progrediendum ſemper. 97,1
Propheta quis. 66,1. ſecretarius Dei. 80, 2. ijs obedire tenemur. 80,2
Prophetia de Chriſto, 83, 2. de dolore virg. Mariæ. 84,2
Prudentia mundanorum in quibus. 170,1. phariſæorum qualis, 188,1. Formicæ. Ibid. 2. ſerpentis. 188,1. Prælatorum. 188,2
Prudentiæ reprehenditur abuſio. 187,1. Eiuſque triplicis. Ibid. Publica priuatis iudex anteponat. 387,1
Pudor compellit ad Deum. 216,2
Puer à pura ætate dictus. 94,1
Pueri à iuuentute bonis moribus imbuendi. 101,1
Purgatorij pœna. 291,2
Puritas à nobis requiſita. 94,1

Q.

Quadrageſima cur inſtituta. 244,1
Quadrageſimale ieiunium quam ſtrictè ſeruandum. 263,2
Quadrageſimali tempore cur ante meridiem veſperæ canantur. 266,1

R.

Rationalem quæ faciant hominem. 164,1
Rectus corde quis. 40,2
Redemptio humani generis, opus miſericordiæ. 341,1
Redemptionis noſtræ precium vnde appareat. 369,1
Regia via quæ. 78,1
Regnum iuſtitia clementiaq́; conſeruatur. 81,1
Religionis Catholicæ encomia, 282, 1. Præſtantia. 283,1
Religioſus qualis eſſe debeat. 36,2
Religioſi dicuntur ſol. 35,2
Remedium contra pudorem confeſſionis. 306, 1. contra timorem in peccata relabendi. Ibid. 2. contra ardorem delectationis. 307,1 contra torporem præſtolandi. 307,1
Remunerationis diuinæ liberalitas. 200,1
Reprobationis cauſſa. 179, 2. circa reprobationem tria conſideranda. 139,2
Reproborum vox. 73,2. 79,2
Rerum humanarum differentia triplex. 127,1
Reſurrectio Chriſti copiosè demonſtrata. 339, 1. 340, 1. 344, 2. vera fuit. 344, 2 mirabilis. Ibid. Vtilis. 345,1. Æterna. Ibid. 2. Exemplaris. Ibid.
Reſurrectionis ſuæ fructum Chriſtus apparitione probauit. 345,2. Quibus & vbi. Ibidem.
Reus ſe ſperat euaſurum tripliciter. 398,2
Rex quis dicatur. 18, 2. in rege tria requiſita. 15,2
Regibus vinum quare prohibitum. Ibid. 2

Regum principumq́ mos. 81,1
Regum trium commẽdatur humilitas. 109,2
Rixoſus diabolo ſimilis. 156,1

S.

Sacerdos dictus Angelus. 59,2
Sacerdos Angelum quibus conditionibus imitetur. 60,1
Sacerdotibus nuptiæ cur interdicta. 118,2
Sacerdotij dignitas & honor, 343,2
Sacrilegium, peccatum grauiſsimum. 275,1
Sæculares comparati lunæ 37,1 Falconi. 38,1
Pro ſæcularibus documenta. 196,2
à ſæcularibus conculcantur, ſponſa Chriſti. 231,1. *Perſona Chriſti. Ibid. verba Chriſti.* Ibid. 2
Sæcularium & mundanorum quale gaudium 373,2. & 374,1
Salus duplex. 10,2
Salutis via certa quæ. 76,2
Salutis cauſſa, Efficiens Deus. 160,1. *Materialis anima. Ibid. 2. Formalis, gratia ſeu virtus. Ibid. finalis, ſtatus gloriæ cæleſtis.* 161,1
Ad ſalutem hominis tria teſtimonia requiruntur. 423,1
Samſon quid. 172,1
Sanctificatio noſtra in quo conſiſtat. 90,2
Sanctitas vt obtinenda vitæ. 75,1
Sanctorum exempla diſſuadet otium. 208,2
Vt ſanctorum, ſic & impiorum duplex gaudium. 376,2
Sanguinis humani effectus. 234,1
Ob ſanitatem ieiunium imperatum. 261,2
Sapientes inſtruuntur. 104,1
Sapientia ſumma eſt, ſeipſum noſcere. 70,2 *mundi triplex.* 179,2. *nobis acquirenda triplex.* 188,1. *vera Chriſtianorum quæ.* 227,1
Sapientiæ reprehenditur abuſus. 187,1. *Eiuſq́ triplicis.* Ibid. 2
Satisfactio in quibus conſiſtat. 295,2
Satisfactionis perfectio. 107,1
Saul & Achab reges indiſcreti. 77,1
Scandalum quid. 48,1. *duplex,* 49,2. *an ſemper peccatum.* 50,1
Vt ſcandalum vitetur, an reticenda veritas. 320,2. 321,1
Ob ſcandalum veritas minimè tacenda. 321,1
Scriptura diſſuadet otium. 208,1
Securus in hac vita nemo. 150,1
Sedere Chriſto quare conueniat. 416,2
Semen bonum quod. 163,2. *bonum, naturæ bona.* 169,1. *Bona fortuna.* 170,1. *Gratiæ Dei. Ibid. 2. præcipuum, dona gratuita.* 217,2. *quadruplex.* 224,1. *verbum Dei.* 224,2
Seminis à tranſeuntibus conculcatio. 231,1
Semini comparatur verbum Dei. 229,2
Seminandum quomodo vtiliter. 218,2
Seminator Chriſtus quomodo. 221,2
Senectus. 199,1
Senectutis ætas miſera. 101,2
Senes Deo fæces offerunt. 199,2
Sententiam deliberatè ferat iudex. 387,1
Septuageſima cur dicta. 195,1
In ſeptuageſima cur omittantur lætitiæ cantica. 19 ,1
Septuageſima dominica variè appellata 194,1
Sermo. vide, verbum.
Serò dicitur, hominis conſummatio. 200,1. *dies iudicij.* Ibid.
Serpentis prudentia. 188,1
Seruatoris noſtri quintuplex egreſſio. 217,1. *concio.* 319,2
Seruiendum ob plurima Deo. 368,1
Seruo Dei quid agendum. 106,1
Sexageſima cur dicta. 220,1
Signum Chriſti multiplex. 84,1. *aliud triplex.* Ibid.
Signa generale iudicium cur præcedent. 26,2. *Quot & qualia.* 27,1. *decem. Ibid. qualia Deus oſtendat hominibus.* 33,2
Simeonis de Chriſto præconium. 81,2. *Canticum* 82,1 *tria facta.* 83,1. *vnde benedictio proceſſerit.* Ibid.
Simile. 4,1. 171,2. 179,2. 203,1. 282,2. 318,1
Sion quid. 392,1
Societas bonorum vtilis ad plurima. 174,1. *Bonis prodeſt.* 176,1
Societas mala fugienda. 254,2
Sol & luna vt obſcurabuntur. 25,1
Solis nomine dicuntur Prælati, religioſi, & Clerici. 35,2
Solennitates Iudæorum 100,1. *quibus polluantur peccatis.* 101,2
Spes duplex. 143,2. *quibus erigatur.* 30,1
Spinæ ſuffocantes. 232,1
Spinis comparatæ diuitiæ. 219,2. 2 3,1
Spiritualis homo iudicat omnia. 165,2
Spiritualis profectus impedimenta quæ, 97,2. *adiumenta.* 98,1
Spiritus S. quorum dux. 255,1. *quos conſolatur.* 391,2. 392,1, & 2. *mundanos arguet.* 394,1. *cur vocetur paracletus.* 421,1. *Trifariam*

uiam conſolatur. Ibid. Cur ſic uocatur. Ibid. doctor veritatis Ibid. Qualiter doceat Ib. 2 Sacrę ſcripturę ſpeculum. Ibid. mittitur incipientibus ſeptiformiter, 424, 1, & 2. datur in contritione tribus modis. Ibid. 2
Spiritus S. ob diuerſos effectus diuerſa nomina. 419, 1. viginti appellationes apud Salomonem. Ibid 2
Spiritui S. tria beneplacita. 126, 1
Per Spiritum S. Chriſtus vt mundum arguit. 392, 2
Spiritus vitales à Deo tres creati. 71, 1
Sponſa Chriſti conculcatur à ſęcularibus. 231, 1
Status in Eccleſia fidelium triplex. 424. 1. Incipientium, proficientium, & perfectorum. Ibid.
Stella quid. 39, 1. cadere vt dicatur. 25, 2
Stellis comparati ſubditi. 38, 2
In ſtellis quę conſideranda. 38, 2
Stupor vnde procedat. 102, 2
Subditi obedientia. 94, 2 ſtellis comparati. 38, 2. pro rectoribus ſuis orent. 174, 2
Superbia phreneſi comparata 141, 1. occęcat mentem. 238, 2. per leonem ſignificata. 394, 2
De Superbia punitus Lucifer Angelus. 73, 1, Et primi parentes. Ibid.
à Superbia vt pręſeruemur. 391, 2
Superbia & vanitatis mala. 73, 1
In Superbis verbi diuini fructum quid impediat. 225, 1
Erga Superiores honor. 143, 2
Synagoga Chriſtum crucifixit. 235, 2

T.

TAcendum aliquando, & quare. 103, 2.
Talentum abſcondere quid. 169, 2
Tempeſtas cur orta. 150, 1
Tempeſtatis mitigatio. 151, 2
Temporalium bonorum interitus. 251, 1
Tempus pręſens à nobis obſeruandum. 210, 1
Tempus vrgens compellit ad Deum. 216, 2.
Tempus breue. 381, 2. Laudabile. Ibid. vitę noſtrę tria continet. Ibid. 1
Temporis reddenda ratio. 211, 1
Tentare quid ſit. 144, 2
Tentari Deus homines cur permittat. 257, 2. 258, 1
Tentatio quid. 256, 2. Sextuplex. 256, 2
Tentatio vt fugienda. 246, 2
Tentationibus vt reſiſtendum. 258, 2
Terra bona, cor docile ac mite. 223, 1. Boni auditores. 225, 2
Terra bona, conditiones quę. 225, 2
Terrę ſiccitas. 231, 2
Terrena contemnenda Chriſtum ſequenti. 156, 2
Timenda homini quę. 54, 1
Timor ſtimulus ad Deum compellens. 215, 2
Tormentorum Chriſti grauitas. 233, 2
Tribulationes miſericordię diuinę ſigna. 62, 2
Tribulationes cur nobis eueniant. 378, 2
Tridui ſignificatio. 106, 2. Et alia. Ibid. 2
In Trinitate nihil prius aut poſterius. 180, 1
Triſtitia pœna maxima. 291, 1
Turba quare ſecuta Chriſtum. 133, 1

V.

VAlentij hęreſis. 116, 1
Vana gloria vitium. 173, 2
Vanitatis & ſuperbię mala. 73, 1
Vanitatibus mundi ſtudent multi. 206, 2
Venatio prohibita in ieiunio. 269, 2. an mortale peccatum. 270, 1. à nullis philoſophis exercita. Ibid. 2
Venti & aeris operationes. 208, 1
Verbum Chriſti à ſęcularibus conculcatur. 231, 2
Verbum Dei, ſemen. 224, 2. vt ſuffocetur. 225, 2. animę vita 227, 1. Sanat animam. 230, 1. comparatur aquę. 227, 2. pani. 228, 2. ſemini. 229, 2. ſimplicibus exponendum ſimpliciter. 229, 1. vitam donat & gloriam. 230, 2. per luxuriam conculcatur. 232, 1. à noſtro vt differat. 316, 2. eſt verbum veritatis & vitę. 323, 2. efficax & vtile. 325, 2. Quam fructuoſum in auditore. 326, 1
Circa Verbum Dei negligentia, peccatum eſt mortale 226, 2
Verbi diuini encomium. 229, 2. fructum diabolus impedit. 225, 1 In ſuperbis quid impediat. Ibid. fructum quę impediant. 230, 2. auditores diuerſimodi. 326, 2
Veritas triplex. 75, 2. 421, 2. vt inquiratur. Ibid. 75, 2. multiplex 316, 1. in Chriſto triplex. 317, 1. odium parit. 320, 1. an omittenda pro vitando ſcandalo, 320, 2. 321, 1. ob ſcandalum non tacenda. 321, 1
Veritatis neceſſitas. 75, 2. annuntiator Chriſtus. 319, 2. verbum, eſt verbum Dei 323, 2. doctrina quid requirat. 389, 1
Veritati ſtudendum. 75, 2
Veritati apprehendendę obſtant tria. 384, 1

In ve-

In veritate dicendæ concionator ſit impauidus. 231,2
Veſpera & manè quid. 206,2
Veſpera cur ante meridiem canantur in Quadrageſima. 266,1
Veſtimenta ſtrata quid. 9,1. *ſternere quid* 11,1
Veſtium ornatus æqualiter omnibus competit. 50,2
Via diaboli lata. 79,1. *Domini quæ.* 78,2. 79,1 305,2. *Domini quando dirigat.* 2.67,1
In via Domini progrediendum. 241,2
Viæ difficiles iniquitatis. 79,2
Pro viduis documenta. 86,2
In vigilijs Eccleſiæ frequentanda. 100,1
Vinea Eccleſia per confeſſores fodienda. 213,1. *vt purganda. Ibid. Quomodo & à quibus ædificanda. Ibid.* 2. *prima generalis, Eccleſia.* 212,1. *ſecunda quæ.* 213,2
Vinea, bona iuſti vita. 213,2
Vinea conſcientia. 213, 2. *putanda, & cuſtodienda.* 214,1
Vineæ & Eccleſiæ comparatio. 212,1
Vinum bonum compunctionis triū eſt effectuum. 128,1. *Et deuotionis totidem. Ibid.* 2 *Æternæ felicitatis item trium.* *Ibid.*
Vinum peſſimum quod. 129, 1. *Multiplex. Ib. Luxuriæ fomentum. Ibid. deterius quid moraliter. Ibid.* 2 *Immoderatè ſumptum nocet.* 130,1. *Regibus cur prohibitum. Ib.* 2
Vinum bonum triplex ponit Chriſtus. 128. 1. *Compunctionis. Ibid. deuotionis. Ibid.* 2. *Felicitatis æternæ,* *Ibid.*
In vinum aquæ mutatæ confirmationes. 118,1. *Mutatio ſpiritualis.* 124.
Vini defectus occaſio miraculi. 115,2
Vini triplicis defectus. 117,1
Vini vſus in ieiunio cur permiſſus. 265,1
Pro virginibus documenta 86,2
Virtuti oppoſita duo vitia. 103,1. *dant operam pauci.* 208,2
Virtutes cælorum vt mouebuntur. 26,2
Virtutes ad gratiam diſponentes quæ. 53,1
Virtutum ſpecie vitia teguntur. 166, 1. *nouerca, otium.* 209,2
Vita præſens, gratiæ ſtatus. 3, 1 *actiua & contemplatiua.* 6, 1. *contemplatiua melior actiua.* [illegible], 2. *humana comparata flori, nubi, rori, hoſpiti.* 245, 1. *Curſori, cineri.* *Ibid.* 2
Vita Chriſti, morum diſciplina. 93,1
Vitæ ſanctitas vt obtinenda. 75,1. *nobilitas.* 157,1. *æternæ promiſſio.* 197, 1. *contemplatiuæ præeminentia.* 203,1. *humanæ fragilitas conſideranda.* 244,2. *Comparata flori.* 245,1
Vitæ verbum, eſt verbum Dei. 324,1
Vitæ præſentis miſeria breuis. 381, 1. *Tempus tria continet.* *Ibid.*
Vitæ veritas quæ praſtet homini bona. 389,2
Vitia duo virtuti oppoſita. 103,1
Vitia teguntur virtutum ſpecie. 166, 1 *Latronis.* *Ibid.*
à vitijs abſtinendum in ieiunio. 271,1
Viuere dupliciter. 72,1
Vnguenta mentis. 341,1
Vocati multi. 201,1
Volucres cæli, dæmones. 222,1
Voluntas bona & fides, ſunt bonum ſemen. 163,2
Voluntati diuinæ an reſiſti poſſit. 87,2
Vrſo gula comparatur. 394,2
Vulpi ſimilatur inuidus. 395,2
Vxor eligenda diſcretè. 125, 1. *Ob bonos mores, non propter diuitias. Ibid vt regenda.* 126, 1. *vt corrigenda.* 126,1. *vt diligenda. Ibid.* 2. *Cur diligenda. Ibid.*

Z.

Zizania quid. 165,1

FINIS.

INSTYTUT

R. D.

NICOLAI POLONI,

DECRETORVM DOCTORIS,

ET REVERENDISS. EPISCOPI POSNA-
NIENSIS SACELLANI, AC CONCIONATO-
ris celeberrimi,

SERMONES

*SVPER EVANGELIA DOMINICALIA A
feſto Pentecoſtes vſq; ad Aduentum Domini, ad populum
inſtruendum exquiſitiſsimi,*

Vulgò

VIRIDARIVM

nuncupati.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Crithium ſub ſigno Galli.
Anno M. D. CXIII.

IN DIE PENTECOSTES, SERMO I.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Ioannis 14.

FESTIVITATIS hodiernæ ſolēnia ſancta mater Eccleſia dignis veneratur obſequijs, tantaque ſpirituali iucunditate lætatur in domino, quãta corda fidelium ſancti ſpiritus dulcedine perfuſa in Dei dilectione dilatantur. Hodiè namque charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, (Rom.5.) per quẽ quidem Spiritum ſanctum recepimus pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. Ab hoc die tuba Euangelicæ prædicationis intonuit. Ab hoc die imbres chariſmatum, flumina benedictionum omne deſertum huius mundi & vniuerſam aridam rigauerunt. (*Fructus præſentis feſtiuitatis.*) Hodiè Deus Pater digito ſuo, ſcilicet Spiritu ſancto, nouæ legis præcepta, & legem vitæ & diſciplinę in cordibus fidelium ſcripſit. Non quidem legem timoris ſed amoris. (Act.15.) *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis.* Iudæis data eſt lex, quam nec ipſi, nec Patres eorum portare potuerunt; Nobis verò iugum ſuaue hodiè impoſitum eſt, (Matt.11.) & onus leue. Nec mirum, quia Spiritus ſanctus qui hodiè datus eſt, ſpiritus eſt bonus, (Sap.12.) & ſuauis. *Qui attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter.* Illos ergo antiquos in voce tonitrui dando legem (Sap.2.) duram in tabulis lapideis docuit Exodi decimo nono. Nos in ignis claritate in ſono aurę dulciſſimæ dando præcepta vitæ & legem gratiæ ſuauem in cordibus noſtris benigniter informauit. Magna igitur differentia, magna diſtantia, imò maximum chaos inter nos & antiquos firmatum eſt, eò quod lex amoris & dilectionis data eſt nobis ad vitam, illis verò lex timoris & vltionis ad mortem. (*Differentia noua & antiqua legis.*) Vnde Apoſtolus vocat legem antiquam occiſionis, nouam autem viuificationis. ſecundo Corinth. capit. tertio. Illis poſitum eſt ſimul cum lege velamen ſuper cor eorum, (2.Cor.3.) nobis autem ablatum eſt velamen, vt reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformemur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu. Inquit Apoſtolus ibidem in fine. Ex quo igitur nobis data eſt lex Domini immmaculata teſtimonium Domini fidele, ex quo data ſunt nobis eloquia Domini, eloquia caſta, argẽtum igne Spiritus ſancti examinatum, meritò ex dilectione ſeruandum eſt, quia quod per dilectionem datum eſt, melius quam per dilectionem ſeruari non poteſt. Auguſt. in ſuis medit. ait. Si fideles veraceſque filij ſumus Patris noſtri cœleſtis, qui

dedit nobis ſpiritum adoptionis filiorum, ſeruemus præcepta eius ex dilectione. Illud enim eſt ſignum dilectionis & adoptionis noſtræ à Deo, iuxta illud Gregorij. Probatio dilectionis, eſt exhibitio operis. Sic e-
Ioan.14. nim Saluator ait: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Et ſequitur. *Qui habet mandamea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.* Propter quod etiam Saluator noſter oſtendens veros adoptionis filios ſuos, dicit hic in Euangelio hodierno: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit &c.* In quibus verbis
Propoſit. tria proponuntur. Primo namque proponitur mandatorum Dei obſeruatio, quam Deus à nobis exigit & requirit, cum dicitur: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Secundò proponitur obſeruationis mandatorum Dei remunaratio, quam Deus homini repromittit, cum dicitur: *Et Pater meus diliget eum.* Tertiò ſubinfertur perſonarum diuinarum viſitatio, quam tota Trinitas homini exhibere intendit, cum additur, *Ad eum veniemus.*

I.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit &c. Sicut enim dicit Lyran. ſuper iſta littera. Obedientia in opere procedit ex amore exiſtente in corde, & ideò ſignum dilectionis diuinæ & diſpoſitio ad habendũ Spiritum ſanctum, eſt amor & obedientia
Ioan. 14. diuinorum præceptorum, iuxta illud, *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Pro quo
Tria in obſeruatione mãdatorum Dei notanda. ſciendum, quod circa mandatorum Dei obſeruationem tria ſunt attendenda. Primò, quod mandata Dei ſint neceſſariò implenda & obſeruanda. Secundò, quomodo ſint obſeruanda. Tertiò, quod mandata Dei ſint effectualiter tenenda. Primum patet, quia mandata noſtri Saluatoris ſunt mandata magni Domini & ſummi Regis, qui habet poteſtatem vitæ & mortis, qui occidit & viuere facit, percutit & ſanat, & nõ eſt qui de manu ſua ſe poſſit eruere. Deuteronomij trigeſimo ſecundo. Neceſſe eſt
Deut.32. ergò implere quæ præcepit, & hoc tribus ex cauſſis. Primò, quia mandata eius non ſunt impoſſibilia credenti. Deuteronomij
Deut. 30. trigeſimo. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodiè, non ſupra te eſt.* Ecce implendi poſſibilitas, ex quo non eſt ſupra hominem. Supra te non eſt, quod non niſi per te fieri poteſt. Supra te non eſt, quod potentiæ tuæ ſubiectum eſt. Vnde Saluator benè dixit, quod omnia poſſibilia ſint credenti. Secundò, quia non ſunt inutilia ſperanti, iuxta illud ad Hebræos ſeptimo.
Reprobatio fit mandati præcedentis propter infirmitatem eius & inutilitatem. Hebr. 7.
Quaſi dicat Apoſtolus, quod propter hoc refutentur mandata, quia ſunt debilia & inutilia. vnde poſſumus concludere à contrario ſenſu, quod ſi mandatum reprobatum fuerit inutile, ſicut cæremoniale, neceſſariò mandatum morale eſt obſeruandum tanquam vtile. Inde eſt quod mandata legis veteris quantum ad cæremonialia hodiè ſunt omninò inutilia, & per conſequens non ſeruanda, iuxta illud; *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem*, ſcilicet quantum ad cæremonialia, iudicialia verò in aliquibus ſunt ſeruanda & in aliquibus non, ſed moralia in omnibus. Qualis autem vtilitas eſt ſeruantibus mandata in noua lege? Certè maxima, iuxta illud. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata Dei.* Matthæi decimo nono. Matt. 19.
Tertiò ſunt ſeruanda neceſſariò, quia non ſunt difficilia diligenti, iuxta illud primo Ioannis quinto. *Mandata eius grauia non ſunt.* Vbi dicit Gloſſa interlinearis; quod notanter dicat, *grauia non ſunt*, eò quod non trahant deorſum vt talentum plumbi, ſed ſurſum vehit & excelſos facit cuſtodia mandatorum. Et Gloſſa ordinaria ibidem dicit, rationem aſſignando, quomodo grauia non ſint, quia ea quæ ſunt dura & aſpera, timor Dei & ſpes premij facit leuia. Vnde dicit Gloſſa. Si quis grauia eſſe iudicat, infirmitatẽ ſuam accuſet, quia forti ſunt leuia. Et verè non ſunt grauia, quia omne quod natum eſt ex Deo, etiam vincit mundum, & per conſequens implet mandata. Hæc Gloſſa. Vnde Auguſtinus libro tertio confeſſ. Verus amor non ſentit amaritudines ſed dulcedinem, quia ſapor amoris dulcedo eſt. Et idem ibidem. Qui amat non laborat; omnis enim labor non amantibus grauis eſt. Et Hieronymus in quodam ſermone. Nihil amantibus durum, nullus labor difficilis. Ama Chriſtum, facile videbitur difficile. Hoc eſt

1. Ioan. 5. Mandata Dei leuia.

Rom. 8. quod dicit Apoſtolus. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, an ignis, an gladius &c.* Ex his patet quibus mandata diuina grauia ſint aut quibus leuia. Nam peccatoribus charitatem non habentibus valdè ſunt grauia, iuſtis verò habentibus charitatem facilia & leuia.

Peccatoribus quatuor ſunt grauia & quæ.

Sunt autem quatuor grauia peccatoribus, quæ non ſunt grauia viris iuſtis, ſcilicet onera peccatorum, opera mandatorũ, vicinum beneficium, & diuinum iudicium.

Onera peccatorum.

De primo dicit in perſona eorum Pſalmiſta. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Certè maximæ grauitatis eſt peccatum, quod ita ſubito penetrat totam groſſitudinẽ terræ & in puncto ad inferna deſcẽdere facit.

Iob. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos &c.* Refert Robertus Holcoth; quod ſi ponatur ferrum ad magnetem in libra eadem, ferrum ſibimetipſi non erit graue, hoc eſt, ſua grauitas in nullo promouebit ſuum deſcenſum, ſed tantum deſcendit, quantum grauitas magnetis permittit; vnde nõ plus põderabunt ambo quam ſolus magnes. Cuius ratio eſt, quia magnes naturaliter attrahit ferrum. Ferrum ſignificat duritiam cordis noſtri: Magnes ſignificat Chriſtum attrahentem nos ad ſe per gratiam.

Holcoth. in lib. Sap. cap. 2.

Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit eum.* Quamdiu homo coniunctus eſt Deo per gratiam & charitatem, homo non eſt ſibimetipſi grauis nam Deus eum ſupportat & confortat.

Philip. 4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Sed ſi diuidatur homo à Deo per peccatum mortale, & ponatur in alia parte libræ, ſtatim fit ſibimetipſi grauis, in tantum, vt ſi moriatur ſtatim deſcẽdat ad infernum.

Iob. 7. Iob ſeptimo. *Poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi grauis Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam.* Quaſi dicat. Aufer à me iniquitatem, & ſtatim ero iuxta te in alia parte libræ & nullo modo ero mihi grauis.

Iob. 17. *Pone me Domine iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* In figura huius vidit Zacharias mulierem ſedentem in amphora habentem in ore ſuo maſſam plumbi, & dictum eſt prophetæ quod hæc ſit impietas. In ſignum huius quod iniquitas opilabit os ſuum, & quod omnis iniquitas grauis eſt. *Supra plumbum quid grauabitur?* Ideo dicitur, *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis.*

Zach. 5.

Eccl. 22. *Iſaia. 1.*

Opera mandatorum.

Secundo malis hominibus grauia videntur opera mandatorum, cum tamen ſint facilia iuſtis. Nec mirum quod eis videntur grauia cum tamen in rei veritate non ſint quia ipſi ſunt debiles & infirmi & impotentes. *Ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.* Scimus quia ignis eſt totaliter leuis, terra totaliter grauis, mixtum vero ex terra & igne eſt partim leue & partim graue, Et ſi terra prædominetur, mixtum tale deſcendet ſi ignis aſcendet. Sic eſt de anima humana Pſalmiſta. *Anima mea ſicut terra ſine aqua* Charitas eſt ignis: *Ignem veni mittere in terram.* Quando ergo anima non eſt ſeparata à terra, fit totaliter grauis. *Cor nequam cruciabitur doloribus & peccator grauabitur.* Tunc enim deſcendit ſemper ad dilectionem terrenorum. Pſalmiſta. *Vſquequo graui corde.* Sed ſi fiat commixtio charitatis ad animam, tunc eleuatur ſurſum. *Quæ ſurſum ſunt ſapite.* Quia ergo iuſti multum habent de iſto igne charitatis, ideo omnia eis ſunt facilia. Vnde Leo Papa: nil arduum in hominibus, nil aſperum mitibus, facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium, nec dura ibi neceſſitate ſeruitur vbi diligitur quod iubetur. Hæc Leo.

Luca. 12. *Eccl 3.* *Coloſſ. 3.* *Leo ſer. de appa. Dom.*

Vicinum beneficiũ.

Tertium quod videtur malis graue eſt vicinum beneficium. Diſplicet enim malis quod boni qui viuunt è vicino iuxta eos, benefaciant & bene viuant. Vnde dicunt de bono & iuſto viro: *Grauis eſt nobis ad videndum.* Econtra eſt de iuſtis qui congaudent aliorum fælicitati, gaudentes cum gaudentibus.

Sap. 2.

Diuinum iudicium. *Iſa. 30.*

Quartum quod malis eſt graue, eſt diuinũ iudicium. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius & grauis ad portandum.* Nec mirum, quia quanto graue ab altiori loco deſcendit, tanto fortius premit: Chriſtus autem deſcendet à ſummo cœlo, & ideò grauiſſimè eos obruet. Iuxta illud: *Super quem ceciderit lapis iſte conteret eum.*

Matt. 21. Electis vero illud iudicium erit optabile & delectabile, quia tunc appropinquabit redemptio eorum.

Mandata Dei quomodo obſeruanda. De ſecundo quomodo mandata DEI ſint obſeruanda, ſciendum quod mandato debeatur dilectio & voluntatis deſiderium. Iuxta illud Pſalmiſtæ. *Expectabam ſalutare tuum Domine, & mandata tua dilexi.* Secundo directio quantum ad rationis conſilium, vt ſcilicet ſecundũ id homo omnia ſua conſilia dirigat. *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Tale conſilium deberet eſſe Catholicorum Dominorum, vt non eſſet contra diuinum præceptum. Tertio mandato debetur electio & libertatis arbitriũ. *Fiat manus tua vt ſaluet me, quoniam mandata tua elegi*, quod fit quando homo ex libertate & bona voluntate non inuitus nec coactus mandata obſeruat. Vnde dicit Auguſtinus non eſt amicus recti, quando ſi fieri poſſet mallet illud quod rectum eſt, non iuberi. *Aug ſuper Pſal. 66.* Quarto mandata ſunt reuerenter audienda, quod fit quando homo tam aure corporis quam cordis ea attendit, & hoc pertinet ad potentiam intellectiuam. *Audi Iſrael mandata vitæ, auribus percipe, vt ſcias prudentiam.* Vbi tangit duplicem *Baruch.3.* audientiam, intrinſecam & extrinſecam, contra ſomnolentos in prędicatione. 1. q. 1. Interrogo vos fratres, quid eſt maius, corpus Chriſti an verbum Dei? Quinto ſunt memorialiter cuſtodienda, & hoc pertinet ad potentiam retentiuam. *Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam.* De tertio quod mandata ſint effectualiter *Prou.19.* implenda, & pertinet hoc ad potentiam operatiuã dicitur; *Peccator tranſgrediens mãdatũ Domini, incidet in promiſſionem nequam.* Vnde dicit Auguſtinus ſuper illud. *In quo* *Eccl. 29.* *corrigit adoleſcentior viam ſuam.* Cuſtodia o verborum Dei, intelligenda eſt operatio præceptorum; fruſtra enim cuſtodiuntur in memoria, ſi non cuſtodiuntur in vita. Nam verba Dei tenendo agunt quidam, ne obliuiſcantur, agunt viuendo, ne corrigantur.

Mandata Dei quid ſint in hac vita

II.

Et pater meus diliget eum. Multiplicem remunerationem hic & in futuro, conſequuntur mandatorum diuinorum obſeruatores ſunt enim mandata Dei in hac vita alimenta dulcoris, ſunt medicamenta doloris; ſunt argumenta diuini amoris, ſunt etiam in vita æterna argumenta perpetui honoris; ſunt ornamenta fulgidiſſimi decoris, & ſunt fulcimenta æterni vigoris. De primo dicitur, *Nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Domini.* De ſecundo, *Eccl.23.* *Si volueris mandata conſeruare, conſeruabũt* *Eccl.15.* *te*, ſcilicet à dolore peccati. De tertio patet hic in euangelio. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum.* De quarto Pſalm. *Tunc* ſcilicet in futura vita *non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Vnde tunc damnati dicent qui ſpreuerunt mandata Dei. *Facti ſumus in opprobrium & fabulam gentibus, quia* *Tobiæ.3.* *non egimus præcepta tua.* De quinto, *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.* Iuſti *Matt. 13.* videlicet, qui iuſtitiam præceptorum dilexerunt, & iuxta ea iuſtè vixerunt. De ſexto, *Serua mandata mea & viues.* Sed quia inter *Prou.7.* omnia Saluator ponit vnum præcipuum, ſcilicet reciprocam dilectionem Dei patris qua diligit omnes obſeruatores mandatorum, ideo ſciendum quod multa ſunt quæ acquirunt dilectionem Dei & quodammodo inclinant Deum ad diligẽdum hominem. *Ad dilectionem Dei nos incitant deuotio mentis.* Primum eſt deuotio mentis quo ad affectum, *Dilectus Deo & hominibus Moyſes*, qui interpretatur aquacitas, & deſignat hominem deuotum aquis lachrymarum abundantem. *Eccl 45.* Vnd: Bernardus tractans illud Geneſis primo, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, dicit: Spiritus ſanctus *Bern lib. de amo. Dei c.7.* procedens à patre & filio, ab initio creaturæ ſuper fertur ſuper aquas, id eſt, ſuper mentes filiorum hominum fluctuantes, omnibus ſe offerens, omnia ad ſe trahens inſpirando, noxia arcendo, prouidendo vtilia, Deum nobis & nos vniẽdo Deo. Hæc ille. Secundum eſt cõtemplatio regni *2. Contẽplatio cœleſtium.* cœleſtis quo ad intellectum. Pſalmiſta. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Portæ Sion interpretantur contemplatiui, quaſi ſpeculatiui cœleſtium gaudiorum, quas portas diligit Dominus pluſquam tabernacula Iacob. id eſt, actiuos, quia Iacob interpretatur ſupplantator,

3. Doctrina veritatis. tator, & ſignificat hominem incipientem ſupplantare vitia. Tertium eſt doctrina veritatis quo ad locutionem. *Sap 8.* *Dominus omniū dilexit illam*, ſcilicet animam. Et poſt ſequitur. *4 Iuſtitia boni operis.* *Doctrix eſt diſciplinæ*. Quartum eſt iuſtitia operis boni quoad actionem. *Diligit iuſtos Dominus*. Et: *Qui ſequitur iuſtitiam* *Prou. 15.* *diligetur à Domino*. Quintum eſt honor & *5. Gloria ſanctæ conuerſationis.* gloria ſanctæ conuerſationis, quoad boni exempli oſtenſionem. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & glorioſus, ego dilexi te*. *Iſa. 43.* Sextū eſt hilaris & iucunda eleemoſynarum largitio quo ad proximum. *6. Eleemoſynarum largitio.* *Hilarem datorem diligit Deus*. Septimum eſt virginitatis incorruptio quo ad corpus proprium. *Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum quē diligebat Ieſus*. Dicitur de Ioanne qui fuit *2. Cor. 9.* virgo Et *Qui diligit cordis munditiam, habebit ſibi amicum regem*. *7. Virginitatis incorruptio.* Octauum eſt diſcretio ſapientiæ in cognoſcendis. *Neminem diligit Deus niſi cum quo ſapientia habitat* Nonum eſt puritas innocentiæ in fa- *Ioan. vlt.* ciendis. *Puer Iſrael & dilexi eum*. Decimū *Prou. 22.* eſt ſimplicitas intentionis rectę in appe- *8. Diſcretio ſapiētiæ.* tendis: *Scio quod probes corda & ſimplicitatem diligas*. Vltimum eſt obſeruatio diuini ſermonis, vt hic dicitur. *Pater meus diliget* *Sap. 8.* *eum*. Certè maxima vtilitas eſt ſermonis *9. Innocentiæ puritas.* diuini auditio & obſeruatio, quæ tanti Domini procurat dilectionem. Procurat inſuper etiam animarum noſtrarum ab in- *Oſeæ. 11.* firmitatibus diuerſis curationem: vnde ob- *10. Simplicitas intentionis.* ſeruatio ſermonis diuini maxime curat & ſanat omnes infirmitates noſtras ſpirituales, iuxta illud. *Sermo tuus Domine ſanat omnia*. Homo peccator habet ſeptem graues *1 Para. vlt.* infirmitates ſcilicet ſuperbiam tanquam phreneſim & mentis alienationē, quæ nec *Sap. 16.* ſe nec alios bene iudicat, & curatur ſermo- *Homo 7. laborat infirmitatibus.* ne diuino, qui ſuadet humilitatem dicens: *Quanto maiores humilia te in omnibus*. Secunda infirmitas eſt ira, quæ eſt quaſi febris acuta, patiens calorem & ſitim maxi- *Eccl 3.* mam. Ira enim continuè ſitit vltionē cum calore iracundiæ, quam curat ſermo diuinus dicens. *Iacob. 1.* *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur*. Tertia infirmitas eſt acedia quæ comparatur paralyſi, & eſt membrorum debilitatio & diſſolutio, ita vt proprios actus perficere non poſſint, & curatur per valdè calida, ſcilicet per conſiderationem ignis infernalis. Quarta eſt auaritia, & ſignificatur per hydropiſim, quæ quo plus bibit, tanto plus ſitit; curaturq́ue per eleemoſynam & opera pietatis. Iuxta illud: *Frange eſurienti panem tuum*. *Iſa. 58.* Quinta infirmitas eſt ictericia, & ſignificat inuidiam, quæ facit hominem pallidum & glaucum, & non permittit ſua ſiccitate fel diffundi per venas. Sic inuidus homo per inuidiæ ſiccitatem fit pallidus & glaucus. Vnde Ouidius. *Inuidus inuidia comburitur intus & extra*. Intus in anima, & extra in corpore. Sed talis infirmitas poteſt curari ſermone diuino, vt dicitur. *Diliges Deum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum*. Sexta infirmitas eſt gula, & ſignificatur per epilepſiam quę facit hominem cadere corporaliter in ignem & aquā; Sicut & gula in diuerſa genera peccatorū, vt patet de Loth; & *Geneſ. 19.* curatur per abſtinentiam, iuxta illud Apoſtoli. *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria*. *Epheſ. 5.* Septima eſt luxuria, quæ comparatur lepræ & naſcitur ex calore corrupto & deordinato, eſtque cōtagioſa. Sic & luxuria hęc ſanatur per continentiam. *Sint lumbi veſtri præcincti*. *Luca. 12.* Ecce quomodo ad omnes infirmitates ſermo diuinus adhibet remedia, & ideo maxime eſt vtilitatis.

III.

Et ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus Circa quod ſciendum quod duo hic proponat quæ Deus ſuis electis repromittit. Primo ſuum gratioſum aduentum & deſcenſionem ad hominem, ibi *Ad eum veniemus*. Secundo ſuauiſſimam ſuam in corde ipſius hominis inhabitationem, in hoc: *Et manſionem apud eum faciemus*. O quam dulcis hoſpes animæ dulce refrigerium homini peccatori. De primo ſciē- *Multipliciter Deus venit in mentem hominis.* dum quod Dominus venit in mentem hominis multipliciter. Ad quoſdam enim dedignatur venire ſicut ad peccatores in peccatis manentes. *In maleuolam animam non intrabit ſpiritus ſapientiæ* *Sap. 1.* Vbi dicit Holcoth aſſignando rationem huius, quod ſi vnum contrariorum ſit in ſummo, nihil ſecum compatitur de ſuo contrario. Deus autem eſt ſumma bonitas, & ideo nullo modo habitat cum malitia. Natura enim reſpuit vt contraria coniungantur, & ideo ſapientia in maleuolam animam non intrabit.

trabit. Et dicit notanter *Non intrabit*, quia non ſolum non inhabitabit ſed nec introibit in eam. Ad quoſdam aut venit & deſcendit ſed eos non inhabitat diu, ſicut illos qui ad vomitum reuertuntur ſecundum Liram ſuper Ioannem. De quibus dicitur. 2. Pet. 2. Quod tales ſint ſimiles cani reuertenti ad vomitum & ſui lotæ in volutabro luti. Vbi gloſſ. ordi. dicit. Canis cum vomit cibum qui pectus premebat proijcit, ſed cum ad vomitum reuertitur vnde leuigatus fuerat rurſus occupatur. Sic qui nequitiam quæ mentis intima premebat confitendo proijcit, poſt confeſſionem dum repetit reſumit. Sus dum in luto lauatur, ſordidior efficitur & reuertitur. Sic qui peccatum plangit nec tamen deſerit, pœnæ grauiori ſe ſubijcit, qui & ipſam quam flendo potuit veniam habere contempſit, & quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum voluit; quia dum fletibus ſuis vitæ immunditiam ſubtrahit ante Dei oculos ſordidas ipſas etiam lachrymas facit. Hæc gloſſ. Circa quod ſciendum quod duo ſunt impedimēta quibus impeditur viſitatio & inhabitatio Spiritus ſancti: vnum mentalis malitia, de qua dicitur. *Peruerſa cogitationes ſeparāt à Deo* id eſt, peruerſæ affectiones cogitationis: ſecundum quod impedit manſionem Dei in homine, eſt immunditia corporalis; vnde licet in maleuolam animam non intret ſapientia diuina, tamen in corpus ſubditum peccatis nō negatur quin intret, ſed diu non inhabitat. Cuius dicti poteſt eſſe ratio vt oſtendatur differentia inter peccata carnalia & ſpiritualia, & maximè peccata malitiæ cuiuſmodi eſt ira, inuidia, ſuperbia, quia iſta ſunt minoris verecundiæ ſed maioris culpæ ſecundum Gregorium; peccata autem carnalia ſunt maioris verecundiæ & minoris culpæ, & ideo vt communiter facilius conteruntur homines de peccato carnali & cum maiori verecundia ſatisfaciunt quam de peccatis ſpiritualibus. Vnde peccata ſpiritualia ſicut odium, inuidia, ira, ſuperbia, magis in hominibus continuantur quam peccata carnis: & ideo dicit quod in maleuolam animam non introibit ſpiritualiter, ſed in peccatores & reos carnalium peccatorum benè intrat aliquando, ſed non inhabitat

Duo Spiritus S. viſitationem impediunt.

in eis ſecundum Holcoth ſuper librum Sap. cap. 1. Vnde Gregorius dicit. Maleuola anima eſt, quæ in corde tenet odium & tumorem Corpus autem ſubditum peccatis eſt quod ſecundum Apoſtolum fornicationi non Domino ſeruit. Propterea dicitur: *Derelinquat impius viam ſuam & vir impius cogitationes ſuas.* Ad quoſdam vero Deus venit per iuſtificationem à peccatis & inhabitat ac manet ibidem in cordibus eorum perſeueranter per gratiam confirmantem corda eorum in bono. Tales fuerunt Apoſtoli, in quibus manſit Deus per gratiam in præſenti, & poſtea per gloriam in futuro. *Iſaia. 55.*

Manet autem pater & filius & Spiritus ſanctus in quibuſdam communiter & libenter, in quibuſdam verò ſpecialiter & libentiſſimè, & hoc ſecundum diuerſas virtutes quibus homo diuerſimodè meretur Dei inhabitationem in ſe, quarum prima eſt credulitas vera. *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris*, ſupple det vobis Deus vt hoc conſequamini. Secunda eſt fortitudinis conſtantia quæ habetur per ſpem. *Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem*. Pſalmiſta. *Tu autem in ſancto habitas laus Iſrael*. Sanctum vocatur firmum. Vnde dicitur. *Sanctificetur nomen tuum*, id eſt, firmetur. Tertia eſt deuotio interna. *Dixit Dominus vt habitaret in nebula.* Nebula humida eſt & deſignat animam pœnitentis compunctionis lachrymis humectatam. Quarta eſt conuerſatio cęleſtis. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis*, id eſt, in cœleſtibus viris. Quintum eſt diſcretio reſpectu inferiorum. *Ego ſapientia in conſilio habito, & eruditis interſum cogitationibus.* Sextum eſt contemplationis ſpeculatio reſpectu ſupernorum. *Factus eſt in pace locus eius & habitatio eius in Sion*, quod interpretatur ſpecula: de qua dicitur Iere. 31. *Statue tibi ſpeculam.* Septimum eſt mentis humiliatio reſpectu omnium iſtorum. *Habitat Dominus cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium & viuificet cor contritorum* Octaua eſt dilectio operoſa, de qua dicitur hic. *Si quis diligit me.* &c. Sequitur. *Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus* &c. Specialiter autem & libentiſſimè manet Deus & inhabi-

Epheſ. 3. *Iſaia. 40.* *3. Reg. 8.* *Pſal.* *Prou. 8.* *Pſal.* *Iſa. 57.*

Deus ob quatuor quoſdam libenter inhabitat.

inhabitat quoſdã ob quatuor, propter quæ amicus ſolet manere apud amicum. Primo apud illum qui eum ſpecialiter & inſtanter rogat & quaſi trahit per pallium, ſicut de illis duobus diſcipulis dicitur, quod coegerint Chriſtum dicentes: *Mane nobiſcum*

Luca. 24.

Domine quia iam adueſperaſcit, per quod ſignificãtur illi qui totum tempus vitæ ſuæ in bono deduxerunt, & tandem fœliciter conſummauerunt; qui ſcilicet mane pueritiæ; in virilitate, quaſi meridie; in ſenectute, quaſi veſpere, ſemper Domino placuerunt. Secundo libentiſſimè manet amicus

Luca. 19.

vbi opulenter reficitur, ſicut Chriſtus mãſit apud Zachæum. *Hodie in domo tua oportet me manere.* Zachæus enim erat princeps, & ipſe diues. Sciuit Dominus quia apud diuites eſt bonum hoſpitium, Diuites ſunt homines opulenti virtutibus, ſcilicet iuſtitia, miſericordia, humilitate: vnde quanto ditior eſt homo, tanto maiores

Prou. 19.

habebit amicos. *Diuitiæ addunt amicos plurimos* per hoc etiam ſignificatur quod Dominus libẽtiſſimè maneat vbi multa pauperibus largiuntur. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi.* Et ſequitur. *Quomodo charitas Dei manet in eo?* Tertio libẽtiſſimè homo manet vbi eſt pax & ſecuritas. Sic Chriſtus mãſit trans Iordanẽ, vbi Ioannes erat baptizans, eo quod Iudæi quærebant eum interficere. Et locus ille vocatus eſt Bethania, qui interpretatur obedientia, per quod deſignatur quod Chriſtus libenter moretur in loco obedientiæ, vbi ſubditi obediunt Prælatis. Cuius ratio eſt, quia ibi ſecurus eſt quod eum nec mundus nec diabolus inimici eius eijciant. Sic puer Chriſtus manſit in Ieruſalem in tẽplo. Ieruſalem interpretatur pacificas; in pace ergo libenter manet. Non miretur ergo peccator quod in eo Chriſt⁹ nõ maneat: quomodo enim manebit in illo hoſpitio vbi dona ſua ſunt in periculo? Quarto libentiſſimè homines manent vbi diliguntur & habent amicos. Sic Chriſtus apud Marthã & Magdalenam manſit quia eum diligebant. Signum autem fuit quia eum diligebant, quia ad nutum ſibi ſeruiebant, & omnia mandata eius & ſermones ſeruabant. Magdalena enim ſedebat ſecus pedes Domini audiens verbũ illius: Martha autẽ miniſtrabat; per quod ſignificatur amor Dei & proximi. Vnde habens amorem iſtum duplicis vitæ, ſcilicet actiuæ, qui per Marthã; & contemplatiuæ, qui per Magdalenam ſignificatur, habet Chriſtum hoſpitem. Nos igitur fratres chariſſimi ſtudeamus Chriſto dignum cordis hoſpitium præparare, vt tandem eius ſocietatem mereamur obtinere quod nobis præſtare dignetur. &c.

IN DIE PENTECOSTES.

SERMO. II.

Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet vobis pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Ioan. 14.

Natura noſtra tripliciter conſideratur.

SI conſideremus fratres chariſſimi, naturæ noſtræ conditionem in ſeipſa, quantum ad eſſe naturæ, quantũ ad eſſe gratię, & quantũ ad eſſe gloriæ, abſq; dubio nihil inueniemus, niſi fragilitatem, imbecillitatem & vanitatem. Nam quantum ad eſſe naturæ, tota vita noſtra non eſt niſi corruptio, eo *quod omnis caro corrumpit viam* *Gen. 8.* *ſuam.* Vnde eſſe noſtrum eſt valde fragile, infirmum & debile, iuxta illud. *Seruus tuus* *Sap. 9.* *ſum ego, homo infirmus & exigui temporis.* *Ibid 2.* Et rurſus. *Exiguum enim & cum tædio eſt* *Iob. 14.* *tempus vitæ noſtræ.* Et Iob. *Breues dies hominis ſunt.* Quantum etiam ad eſſe gratiæ, vita noſtra non eſt niſi defectio, eo quod quantumcunque homo ſit perfectus & ſan-

ſanctus, quantum poteſt acquirere per naturā, ſine gratia nihil faciet meritorium ad ſalutem vitæ æternæ. Hinc dicit Salomon, *Si quis con[ſ]ummatus fuerit inter filios hominum, ſi abſuerit ab illo ſapientia tua, in nihilum computabitur*. (Sap. 9.) Quantum verò ad eſſe gloriæ, vita noſtra non eſt niſi omnino ād. fruſtratio, eo quod ſi difficile a[eſtim]amus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore, quanto magis quæ in cœlis ſunt, quis inueſtigabit: (Ibidem.) Quia igitur homo conſideratus in ſe in [illegible] defectuoſus eſt, tam ſua naturalia in vita iſta diligere, quam gratiam acquirere, quam etiam cœleſtia poſſidere, ſine gratia Spiritus ſancti, ideo eſt quod neceſſario habet poſtulare dominum, qui cum venerit docebit omnia ſupradicta, iuxta illud; (Ibidem.) *Senſum tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam tuam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis*. Et ò [illegible]; (Ibid. 13.) *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*. Ex quibus patet magna neceſſitas miſſionis Spiritus ſancti. (Miſſionis Spiritus S. neceſſitas.) Nam à eo ratione in eſſe naturæ renouari non poſſumus, niſi per ipſum, eo quod natura noſtra corrupta per peccatum originale, non niſi per ipſum renouatur ab infectione originalis culpæ, iuxta illud; (Pſal. 103.) Pſalm. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ*. (Ioan. 3.) *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto. &c.* (Gen. 1.) In ſignum huius ſpiritus ſanctus ferebatur ſuper aquas. (Matt. 3.) Et in columba ſuper Chriſtum baptizatum. A delectione etiam culpæ actualis purgati in eſſe gratiæ non poſſumus confirmari in bono niſi per Spiritum ſanctum, eo quod licet gratiam gratis datam generaliter acceperimus omnes, tamen non niſi per ſpiritum ſanctum cōfirmamur in eo per gratiam gratum facientem. (Pſal. 67.) Vnde petit Pſalm. *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*. In ſignum huius datus eſt ſpiritus ſanctus in ſpecie ignis hodie ad conſolidandum infirma, ad roborandum debilia, ad fortificandum diſſoluta. (Sap. 9.) *Nam per ipſum correctæ ſunt ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & per eum didicerunt homines, quæ tibi placent*. Quantum verò ad eſſe gloriæ ſumus certificati per ſ[piritu]m [illegible] indubi[tatam] ſpem, eo [quod] (Ephes. 1.) *accepimus ſpiritum ſanctum pignus hereditatis noſtræ*. In ſignum cuius Spiritus ſanctus [illegible] dicitur deſcendiſſe de altiſſimo cœlo. (Sap. 9.) *Niſi miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis*, quia per ipſum ad altiſſimum cœlum ſursum [illegible] eſt nobis datus [illegible]. Altum eſt cœlum planetarum, altius ſtellarum fixarum, altiſſimum eſt cœlum empyreum, quod dicitur cœlum trinitatis, in quod cœlum recipiuntur animæ ſanctorum, & hoc non eſt niſi per Spiritum ſanctum, qui animas illuc deducit. Pſalmiſta *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Vt igitur de tanto renouatore, confirmatore & deductore, qui nos docet omnia hæc, loqui & audire valeamus, ab ipſo primum gratiam loquendi & audiendi imploremus, quatenus & ſi non viſibiliter, ſaltem inuiſibiliter in nos deſcendat in igne deuotionis incendendo noſtrum defectum ad audiendum, & in [illegible] ſermonem noſtrum ad eloquendum, vt poſſimus docere omnia ſupradicta, quod vt facilius aſſequamur [illegible] in gloria imploremus dicentes: *Aue Maria gratia plena &c.*

Paracletus Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Ioan. 14. Sicut dicit Dion. 2. c. de diuinis nominibus, habent cauſata cauſalium receptas imagines: Cauſalia vocat cauſas, cauſata vocat effectus, imagines vocat ſimilitudines. Hoc eſt tantum dicere, quod opus factum creatum vel productum ab aliquo, habet ſimilitudinem ad illum, à quo factum eſt creatum genitum vel productum. Idcirco ſicut Deus pater per verbum creando imprimit rationali creaturę ſuam ſimilitudinem quantum ad eſſe naturæ, ſic appropriate loquendo per Spiritum ſanctum recreando imprimit ſuam ſimilitudinem quantum ad eſſe gratiæ, iuxta illud Auguſtini: (Lib. 3. cont Fauſtum.) verbo ſuo ſunt conditi & inſtituti, ſed gratia ſua ſcilicet Spiritu ſancto non geniti, vt eſſemus filij & diſcipuli. Propter quod verbum incarnatum quod naſcitur ex ſubſtantia patris, hypoſtaticum amorem, id eſt, conſubſtantialem.

tialem qui ab eis procedit, tripliciter commendat in verbis propoſitis dicens: Paracletus. Primo enim proponit nobis iſtum amorem tanquam clarum & nobilem ex magnificentia perſonali, cum vocat eum *paracletum Spiritum ſanctum*. Secundo indicit modum poſſibilem huius amoris ex influentia liberali, cum dicit; *Quem mittet pater in nomine meo*. Tertio oſtendit fructum eius miſſionis efficacem & vtilem ex ſufficientia virtuali, cum ſubditur, *ille vos docebit omnia*.

Propoſit.

I.

In floribus ſuis lib 9. cap. 26.

Spirituū quatuor genera.

Spiritus ſanctus Paracletus. Magna planè & perfectiſſima eſt iſta nobilitas, qua maior nequit inueniri inter omnes ſpiritus. Dicit enim Bernardus quatuor eſſe genera ſpirituum; ſcilicet pecorum, hominum, Angelorum, quorum nullum iſtorum poſſumus appellare nobilitate perfectum, ſed ſolus Spiritus Dei, qui omnes alios condidit, & modum naturæ eis tradidit, ille ſolus eſt nobilitate perfectus; & illa nobilitas benè exprimitur in hoc quod *dicitur Spiritus ſanctus*. Attribuitur autem hoc nomē illi duplici ratione; Primo, quia ſicut dicit Auguſtinus, qui communis eſt ambobus, vocatur propriè quod ambo conſtituunt, ſed quia pater eſt Spiritus, & Filius eſt Spiritus; & pater eſt ſanctus, & filius eſt ſanctus; & quia procedit ab vtroq;, ideo vocatur Spiritus ſanctus. Secundo ex ipſa ſignificatione, quia hoc nomen ſpiritus in rebus corporeis impulſionem quandam & incitationem ſignificat. Nam flatum & ventum ſpiritum vocamus. Eſt autem proprium amoris, quod impellat & moueat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Iſta ergo perſona, quæ procedit per modum amoris propriè Spiritus ſanctus vocatur. Tertio quia quæ ſunt vnum amore, dicuntur vnum ſpiritu, & quia Spiritus ſanctus eſt amor, ideo conuenienter Spiritus ſanctus dicitur, ita dicit beatus Thomas ſuper primo Sententiarū diſt. 10. Benè ergo congruit hoc nomen Spiritui ſancto, vt dicatur ſpiritus, *nam vbi vult ſpirat*. Ex cuius ſpiratione homo in dilectione & amore Dei perficitur totaliter. Spirauit enim hodie in Apoſtolos, ex qua ſpiratione fuerunt maximè accēſi in amore Dei. Ab illo enim die amauerunt Chriſtum inſeparabiliter, vnde qui prius relicto eo omnes fugerūt, deinceps & peramplius colla ſua pro eo tyrannis expoſuerūt & ſubmiſerunt. Ita quod nō ſolū verba tyrannorū aſpera, opprobrioſa, & contumelioſa, ſed nec duriſſima verbera & atrociſſima tormenta eos à Chriſto ſeparare potuerunt dic. illud: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an ignis, an gladius?* Secundo amauerunt Chriſtum inſeparabiliter iuxta illud Canticorum. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, vbi gloſſ. ordi. dicit. Aquæ multæ ſunt perſecutiones. Vnde flumina perſecutionum vel carnalium voluptatum non potuerunt in Apoſtolis extinguere charitatem. Tertio amauerunt eum perſeueranter. *Maiorem dilectionem nemo habet niſi vt animam ſuam ponat quis. &c.*

Aug. lib 3. de Trinitate.

Cur Spiritus ſanctus hoc nomine vocetur.

Ioan. 3.

Spiratio Spiritus S. perficit in Dei amore.

Rom. 8.

Cant. 8.

Ioan. 15.

Sed diceres, quę ſunt ſigna huius amoris Spiritus ſancti, per quæ poſſum cognoſcere me habere amorem ſuum. Reſpōdeo quod amor Dei in homine ex tribus poteſt cognoſci. Primo ex obſeruatione præceptorum. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Secundo ex ſupererogatione conſiliorum. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit*, Notanter dicit, *ſermonem*, non præceptum, vt includat etiam conſilia, quæ ſunt poſita in ſermone Chriſti euangelico. Tertio ex fide credendorū. *Ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis & credidiſtis*. Sunt autem tres gradus huius amoris Chriſti, ſecundum Hugonem in libro de perfectione nouitiorum Primus eſt ſic amare conceſſa à Deo & vti eis, vt tamen illicita deuitet, & amori Dei nullius rei amorem præponat, ſicut illi qui ſic ea quæ mundi ſunt diligunt, & tamen in eorum amore vel cupiditate peccata mortalia deuitant, ſeruando quæ DEVS præcipit facere, & tenendo quæ prohibentur ab eo, iuxta illud Matt. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Et iſte eſt primus gradus amoris, per quem homo primo incipit ingredi viam

Tria amoris ſigna.

Ibidem.

Ibid. 14.

Ibid. 16.

Tres amoris gradus.

Matt. 19

vitæ. Propter hoc dicitur, *Si vis ad vitam ingredi*. Secundus eſt cum homo voluntate pleniori & affectu feruentiori non ſolum communia præcepta contentus eſt ſeruare, ſine quibus non eſt ſalus, ſed etiam ad omnia, quæ Dei ſunt, ſtudioſus eſt & volũtarius tam faciẽdo in ſe quam in alijs promouendo & conſulendo, quod eſt propriè bonorum & religioſorum. De quibus dicit Bernardus: Nõ eſt veſtrũ circa communia languere præcepta, neque hoc ſolum quid præcipiat Deus ſed quid velit. Vnde Apoſtolus. *Probantes quæ ſit voluntas Dei beneplacens & perfecta*. Quantũ enim amas Dominum tuum, tantò ſtudioſior es promouere beneplacitum eius, vbi potes & honorem, & cauere eius offenſam & inhonorationem, fidelis etiam famulus ea diligẽtia, qua cauet Dominum ſuum in ſe offendere per peccatum; ea etiam cauet & dolet eum inhonorari ab alijs per ſcandalum & prauum exemplum, quia indiſciplina famulorum redundat in dedecus dominorum. Quis enim fidelis famulus patienter ſuſtineat contemptum Domini ſui, iniurias, ne dicam, promoueat ſed augeat? Tertius gradus huius amoris eſt tanto affectu æſtuare ad Deum, quod ſine ipſo quaſi viuere non poſſit coarctatus deſiderio diſſoluendi & eſſe cum Christo. Talibus viuere eſt in faſtidio, & mori in deſiderio etiam per dura tormenta. Hoc deſiderium fecit Andream amplecti crucem; Stephanum orare pro lapidantibus, qui ei cœlum patefaciebant, quod anhelabat ingredi; Laurentium deridere carnifices; Vincentium prouocare tortores; Agatham lætiſſimè ire ad carcerem, & cæteros glorioſos martyres gaudere in tribulationibus. Sic & Apoſtoli amore iſto hodie inflammati, *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. Experiamur igitur in nobis & probemus, ſi huius amoris ardorem in aliquo iſtorum ſentiamus, nutriamus iſtum ignem Spiritus ſancti, inflammantes nos ad deſiderium cæleſtium, & contemptum terrenorum, ardeamus pariter mutuo igne charitatis, ad proximos, vt digna habitacula Spiritus ſancti eſſe mereamur. Quod ſi, quod abſit, nondum igne iſto incaluimus, incendamus eum in cordibus nostris ſanctis deſiderijs, orationibus, ieiunijs, eleemoſynis. Sicque petamus eum dicentes, *Accende lumen ſenſibus*, vt ſcilicet ſenſus noſtri non diſpergantur ad illicita, ſed intendant ad recta; vt os non loquatur iniqua, oculi non concupiſcant lubrica, nares non odorent ſuauia, aures non delectentur in verbis aut ſonis laſciuiæ, & manus cuſtodiantur ab operibus nequitiæ & malitiæ, ſed totus homo exterior intendat ad honorem Dei & ſalutem ſuã & proximi, vt ſic infuſo amore cordibus infirma noſtri corporis virtute perpetua firmentur. Tantum de primo.

Rom. 12.

Act. 5.

II.

Quem mittet pater in nomine meo. Vnde Deus pater & filius vnus Deus cum Spiritu ſancto ex magna liberalitate influxerunt Spiritum ſanctum cordibus humanis, quẽ quodammodo videbatur impoſſibile exigentibus aut potius prohibentibus peccatis noſtris, quibus corda noſtra tanquam vaſa immunda erant ad ſuſcipiendum tãtum donum diuinæ dilectionis. Nunc igitur quia per paſſionem Christi emundata ſunt, purificata & pulchrificata, ideo infuſa eſt dulcedo Spiritus ſancti. Circa cuius miſſionem videndum eſt de pluribus. Et primo de eius proceſſione æternali, quomodo procedat à patre & filio. Secundo de eius miſſione temporali. Tertio de figura viſibili in qua ſemel miſſus eſt, & de inuiſibili, in qua ſemper aut ſæpe mittitur, & circa iſta de tempore, die, hora, loco miſſionis eiuſdem. De primo ſciendum quod Spiritus ſanctus proceſſione æternali procedat à patre & Filio, iuxta illud; *Paracletus quem ego mittam vobis à patre ſpiritum veritatis, qui à patre procedit*. Item Apoſtolus. *Miſit Deus ſpiritum filij ſui*, & in multis locis ſcripturæ. Et hoc probatur quadruplici exemplo. Primum eſt, quia ſicut mundus fuit creatus à patre & filio & Spiritu ſancto, ita per

Æterna Spiritus S. proceſſio.

Ioan. 14.

per eandem voluntatem pater & filius ſpirãt Spiritum ſanctum. Quod eſt tantum dicere ſecundum Auguſtinum lib. de trinitate, quia ſicut generatio filij eſt ratio productionis in eſſe earum naturali, ita proceſſio Spiritus ſancti æterna procedentis vt amor patris in filium, & è conuerſo, eſt cauſa & ratio omnis liberalis donationis & omnis effectus cauſati in creaturis. Secundum exemplum eſt de mẽte noſtra, in qua notitia generatur à ratione, & à notitia & ratione procedit amor, quia nullus diligit niſi qui cognoſcit ſecundum Aug. ita & Spiritus ſanctus à patre & filio. Tertiũ exemplum eſt de ſole, quia generat radiũ, ſicut pater verbum, & radius cum ſole producit ardorem; Sic filius cum patre ſpiritũ ſanctum. Quartum exemplum eſt Damaſceni qui dicit, quod ſicut Eua fuit producta ex ſubſtantia Adæ, ita filius ex ſubſtantia patris, & ſicut fœtus de ſubſtantia vtriuſq; ita Spiritus ſanctus de patre & filio. Sed in quem procedebat Spiritus ſanctus ab ęterno à patre & filio, cum nulla creatura fuit in quam procederet? Reſpondeo quod procedebat ſicut & nunc procedit a Patre in ipſummet Patrem, quia quicquid habet Spiritus ſanctus, à Patre habet, & ideò habet eſſe in Patre ſecundum Auguſtinum. Secũdò procedebat ſicut & procedit nunc à filio in ipſummet filium, quia in ipſo habet eſſe, ſicut verbum in Patre ſecundum Ambroſium. Tertiò procedebat ſicut nunc procedit à Patre in filium, quia quod ſit in filio, habet à Patre. Quartò procedebat & procedit à filio in Patrem, quia habet eſſe in Patre, & è conuerſo. Et ideò dicitur amor mortuus. Et illa duo ſecundum Richardum requiruntur ad hoc, vt ſit iucundus amor, qui dicitur charitas, quaſi chara vnitas duorum. hoc eſt cõtra Grecos & Ruthenos, ruſticanos & rurales ribaldos, qui negant procedere Spiritum ſanctũ à filio in Patrem, ſicut à Patre procedit in filium, non attendentes quod magnam iniuriam faciant Dei filio in hoc. Nam per hoc aſſerunt implicitè, quod Dei filius non diligat Patrem, quod eſt abſurdiſſimum. quod patet ſic. Quia ſi Spiritus ſanctus, qui eſt amor, procedit à Patre in filium, & non è conuerſo à filio in Patrem, tunc Pater amat filium, ſed filius nõ redamat ipſum, & ſic valdè eſſet degener filius, quod eſt ſtultiſſimum cogitare, cum & bruta ament parentes ſuos.

Lib. 4. de Trinit.

De ſecundo ſciendum eſt, quod, licet Spiritus ſanctus ęternaliter procedat à Patre & filio, vt dicitur in verbis noſtri thematis. *Quem mittet Pater in nomine meo.* Nec ſint duæ proceſſiones Spiritus ſancti, ſed tantum vna, ſecundum Thomam. Nec per iſtam miſſionem temporalem facta ſit aliqua mutatio in Spiritu ſancto, ſed benè in creatura, ſcilicet in homine, in quo eſt mutatio ſecundum rem. In Spiritu ſancto autem ſolum ſecũdum rationem. Vnde proceſſio temporalis Spiritus ſancti non eſt aliud quam exitus perſonæ à perſona, ſcilicet nouo modo inhabitantis creaturam, & conferentis illi dona aliqua & virtutes. Iſtud autem conuenit Spiritui ſancto, qui eſt radix omnis boni, eò quod eſt amor. Vnde ex quo dona non procedunt liberaliter, niſi ex amore alicuius ad alterum; idcircò Spiritui ſancto meritò attribuitur virtus liberalis dandi dona Dei; quod cum fit, dicitur Spiritus ſanctus procedere temporaliter in creaturas, ſeu homines. Probatur autem iſta miſſio temporalis multipliciter. Primò per illud Ioelis: *Effundã de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Item Dauid; *Emitte ſpiritũ tuum.* Item Iſaiæ; *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Et Petrus ait; *Diſcipuli euãgelizaue runt Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quẽ deſiderant Angeli proſpicere*, quæ omnia ſonant miſſionem temporalem. Fuit autem miſſus temporaliter à Patre & filio. Quod patet primo ex eo, quia ideò dicitur Pater expectaſſe filij aſcenſionem in cœlum, vt ambo mitterent eum ad ſignificandum, quod haberent ambo poteſtatem mittendi ipſum. Vnde Chriſtus; *Niſi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Secundò, quia ſicut Pater & Filius concorditer ſpirant Spiritum ſanctum, ita concorditer miſerunt, & ideò appellatur ſpiritus concordię, & pacis, & vinculum charitatis ſecundum Apoſtolum. Ex his infero, quod ſicut à duabus perſonis, videlicet Patre & filio vinculo charitatis colligatis miſſus eſt, ita non poſſit niſi inter duos haberi ſecundum Gregorium. Vnde Dominus; *Vbi duo vel tres congregati.*

Temporalis Spiritus S. miſſio.

1. Sent. diſt. 14.

Ioel 2.
Pſal. 103.
Iſa 11.

Spiritus S. mittitur à Patre & filio.

Ioan. 16.

gregati fuerint in nomine meo, in medio eorũ *Matt.* 18. *ſum.* Ideo Chriſtus Apoſtolis congregatis, binos & binos miſit ad prædicandum, ad ſignificandum, quod Spiritus ſanctus in congregatione charitatiua conſiſtit. Ex hoc vlterius patet, quod tantum duo ſunt præcepta charitatis, ſcilic. Dei & proximi; vt ſicut à duob' miſſus eſt, ſic reſpectu duorum eſſet miſſus ſemel in terris, vt dicitur apud Ioannem. *Accipite Spiritum ſanctum,* *Ioan.* 20. & ſemel in cœlis, iuxta illud, Act. 2. de quo habetur in epiſtola hodierna.

Viſibilis S. ſancti miſſio in quinq; figuris. Circa tertium; Spiritus ſanctus miſſus eſt in quintuplici ſpecie ſeu figura, videlicet in ſpecie ignis ardentis; linguæ loquentis; & columbæ volantis, ſicut ſuper Chriſtum baptizatum; tonitrui tonantis, quia factus eſt repentè de cœlo ſonus ſuper Apoſtolos; & nubis rorantis ſuper Chriſtum transfiguratum. In ſpecie ignis ardentis, & linguæ, & tonitrui ideò ſuper Apoſtolos deſcendit, quatenus eos potentes faceret & claros. Inter omnia elementa enim nullum eſt ita actiuum, & hoc habet per calorem; nullum ita clarum, & hoc per ſplendorem habet; ideò, vt dicit Holcoth ſuper librum ſapientiæ cap. 9. Apoſtoli potuerunt dicere Chriſto cum eos miſit ad prædicandum in aſcenſione; Domine quomodo nos relinquis, & ad Iudæos tranſmittis? ſi verba tua falſa dixerunt; ſi miracula tua dæmonibus adſcripſerunt; ſi tuæ ſanctitatis apparentiam in ſcandalum peruerterunt; quid inter eos facere poterimus nos ignari, qui habemus paruam ſcientiam; nos infirmi, qui habemus paruam potentiam; nos realiter peccatores, qui habemus læſam cõſcientiam; nos non reputati, qui nullam habemus in mundo audientiam; & nos aridi, qui nullam habemus cœleſtis roris abundantiam. Et ideo Spiritus ſanctus miſſus eſt pro omnibus iſtis, vt reformator defectuum, in linguis datus eſt, quantum ad omnium ſcientiarum notitiam, per quod deſignatur eloquentia vocis, quæ multum eſt prędicatori neceſſaria. Non ſolum enim Doctor & Prædicator debet docere eleganter, ſed etiam ſuauiter & delectabiliter, ſecundum Auguſtinum. *Lib. 4. de Doct. chriſ. c. 2.* Secundò in igne datus eſt, quantum ad relucentiam claritatis, quantum ad operum & miraculorum operationem. Vnde Apoſtoli claruerunt miraculis & ſignis, ſicut & linguis. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa.* *Act.* 2. Per primum autem habuerunt magnam ſcientiam; per ſecundum magnam potentiam. Spiritualiter ignis iſte in nobis ſignificat charitatem; de quo apud Lucam. *Luc.* 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat.* Vnde Spiritus ſanctus, qui eſt charitas Patris & Filij, ideò in igne miſſ' eſt, quia inter omnia elemẽta ignis maioris eſt actiuitatis; ſecundò maximè tendit ſurſum; tertiò, quia creſcit in infinitum per appoſitionem combuſtibilium; quartò, quia eſt forma omnium aliorum elementorum, *2. De anima.* ſecundum Holcoth ſuper librum Sapient. cap. 16. Inter omnes virtutes charitas eſt magis actiua. Amor enim Dei ſecundum Greg. operatur magna, ſi eſt. Secundò tendit ſurſum, nam incipit à Deo, & omnia ordinat in Deum; & ſicut ignis maximè calefacit ad ſuperius, minus ad latus, & minimè deorſum; ita habens charitatem maximè in Deum, minus in ſeipſum & proximum, minimum habet ad corpus ſuum & mundum. Tertiò charitas creſcit in infinitum. Nam bonis operibus augetur, nec finem habet augmenti in præſenti vita, quia hic incipit, & in futuro nunquam terminatur. Quartò, eſt forma omnium virtutum, quia ſine charitate nullus actus virtutis eſt meritorius. Sed certè mirabile eſt, quod *Charitatis ignis hodiè ferè extinctus.* hodiè ignis iſte ferè extinctus eſt, ita vt impleatur illud dictum Chriſti; *Refrigeſcet charitas multorum.* *Matt.* 24. Vnde hodiè poteſt dici illud Sap. *Ignis*, ſcilic. Spiritus ſancti & charitatis, *virtutis ſuæ,* id eſt, potentiæ ſuæ & & actionis, *oblitus eſt.* *Sap.* 16. nec mirum eſt, quia modo ignis peccatorum tantum eſt incenſus, vt ignis Spiritus ſancti omninò non poſſit habere virtutem ſuam. Sicut enim dicit Salomon. ſecundum ligna ſiluæ exardeſcet ignis. Vnde quantò ignis habet materiam lignorum magis ſiccam, tantò facilius exercet virtutem & actionem ſuam, & per oppoſitum de materia cruda & humida, quæ reſiſtit actioni ignis, interdũ tantum, quod etiam eum totaliter extinguit. Sic eſt hodiè in mundo. Ignis Spiritus ſancti habet materiam crudam, quia corda hominum humore voluptatis & carna-

ditatis

Pſal. 68. litatis madidata, Pſalm. *Intrauerunt aquæ*
vſq; ad animam meam; & ideò ignis Spiri-
tus ſancti refrigeſcit & extinguitur. Ignis
autem peccati & culpæ inuenit corda hu
mana ſibi benè aptata, areſacta, & exiccata
Pſal. 21. ta ab omni humore gratiæ, *quia aruit tan-*
Luc. 8 *quam teſta virtus mea.* Et *ſemen natum in*
corde aruit, quia non habuit humorem gra-
tiæ. Ideò benè incenſus ardet & conſumit
Iob 31. corda peccatorum. *Ignis eſt vſque ad con-*
Eccl. 9. *ſummationem deuorans.* Et Eccl. *Concupiſ-*
centia quaſi ignis exardeſcet. Ad tantum au-
Ioel 1. tem inflammatus eſt, *vt etiam conſumat iã*
ſpecioſa deſerti, hoc eſt, non ſolum ardet ig-
nis carnalis concupiſcentiæ, aut auaritiæ
in ſimplicibus; ſed etiam in Doctis & Prę-
Pſal. 57. latis maioribus, eò quod *ſupercecidit ignis*
auaritiæ, *& non viderunt ſolem.* Omnes e-
nim à maiore vſque ad minorem ſtudent
auaritiæ; indè eſt quod hodiè non apparet
ignis diuinus in ſpecie linguę loquentis ve-
ritatem efficaciter, quia omnes canes mu-
ti facti ſunt, non valentes latrare, linguæ
namque Apoſtolorum claues cœli factæ
Ioan. 20. ſunt; ſed noſtræ factæ ſunt portæ inferni;
quia linguæ noſtræ tranſierunt in terram,
non cœleſtia, ſed terrena cogitantes; nec
apparet hodiè ignis diuinus in ſpecie ignis
lucentis; propter quod non lucet lumen
noſtrum coram hominibus per exempli
boni oſtenſionem; ſed potius deſcendit
fax ticioſa & fumans fumum ſcandali per-
Matth. 3. nitioſum & fœtidum. Tertio deſcendit
Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ volan-
Matt. 10. tis propter ſimplicitatem, innocentiam &
patientiam. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes,*
& ſimplices ſicut columbæ. Et iſta tria data
ſunt Apoſtolis contra tres defectus. Nam
Apoſtoli prędicare debuerunt Principibus,
qui fidem impugnabant per potentiam. I-
tem Philoſophis, qui impugnabant per ſa-
pientiam. Tertiò populis rudibus & diuer-
ſis, qui Apoſtolos non intelligebant prop-
ter idiomatis differentiã. Dedit ergò Chri-
ſtus Spiritum ſanctum Apoſtolis ſecundũ
Holcoth ſuper librum Sapientiæ capit. 10
in ſpecie columbæ, vt vincerẽt per patiẽtiã;
dedit in ſpecie linguæ, vt informarent per
ſapientiam, & idiomatis differentiam; in
ſpecie ignis, vt lucerent per miraculorum
euidentiam, & vt purgarent mentes homi-
num, ſicut ignis aurum per fidei potenti-
am, Actuum decimo. *Fide purificans corda* Act. 15.
eorum. Quartò datus eſt in ſpecie tonitrui
tonantis, *factus eſt repentè de cœlo ſonus*, ad
ſignificandum, quod Spiritus ſanctus dat
virtutem implendi præcepta; quia ſonus
facit audire, & per conſequens obedire prę-
ceptis, quod benè apparuit in Apoſtolis.
Vnde dicitur de Petro, quod tantam habu-
it virtutem in prædicatione, vt vna die tria
millia ad ipſius vocem tanquam tonitrui
magni conuerterentur. Dicit autem Al- Act. 2.
bertus decimo libro de proprietatibus re- Lib. 10. de
rum, quod tonitruum cum deſcendit in rerum p-
fulmine, tunc magis lædit, & multum ob- prietati-
eſt, ſed ſi cum coruſcatione & ſine fulmi- bus.
ne, tunc benè prodeſt. Sic eſt de modernis
Prædicatoribus & Prælatis. Si enim tona-
rent, id eſt, prædicarent cum coruſcatio-
ne, id eſt, cum luce bonæ vitæ, verè mul-
tũ prodeſſent ſicut Apoſtoli; ſed quia tonãt
cum fulmine tantum increpationis duræ,
& ſine coruſcatione bonæ vitæ, ideò ma-
gis nocent. De quibus verum eſt illud Mat-
thæi vigeſimo tertio. *Dicunt enim & non* Matt. 23.
faciunt, quaſi dicat, fulminant & non co-
ruſcant, imò quod deterius eſt, aliqui eſſe
chorizant. Quinto datus eſt Spiritus ſan-
ctus in ſpecie nubis rorantis, ad oſtenden-
dum quod mentes Spiritu ſancto afflatę ir- Matt. 17.
rigantur rore supernæ benedictionis. Ge-
neſis vigeſimo ſeptimo. *Det tibi Deus de*
rore cœli, & de pinguedine terræ abundanti- Gen. 27.
am.

Ex his colligo breuiter iſtud documen-
tum, quamuis homo non poſſit certitudi-
naliter experiri ſe habere Spiritum ſanctũ,
ſicut nec poteſt ſcire ſe habere charitatem;
Neſcit homo vtrum gratia an odio dignus ſit, Eccl. 9.
quinque tamen ſigna poteſt habere, ſe-
cundum quæ veriſimiliter poteſt conie- Signa
cturare Spiritum ſanctum ſe habere per gra probabi-
tiam, & accipiuntur iſta quinque ſigna ſe- lia Spi. S.
cundum ſupradictas figuras, in quibus ap præſentiæ.
paruit Spiritus ſanctus. Apparuit in ſpecie
nubis ſuper Chriſtum transfiguratum, &
ſignificat abundantiam lachrymarũ de nu-
be cordis deſcendentem. In ſignum huius

Spiri-

Gen. 1. *Spiritus ſanctus ferebatur ſuper aquas.* Pſal. Pſal. 147. *Flauit ſpiritus tuus & fluent aquæ.* Qui ergò libenter plorat pro peccatis, ſignum eſt doni Spiritus ſancti in eo manentis. Secundũ ſignũ eſt dimiſſio iniuriarum, quod ſignificatur per columbam, quæ felle caret, & ideò ira caret, quando ergò ſe homo promptum inuenit & benignum ad remittendũ iniuriam ſibi factam, euidens eſt ſignum quod habeat Spiritum ſanctum, cum quo nullum odium ſtare poteſt, cum ſit amor. Tertium ſignum eſt deſiderium ſupernorum, ideò Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie ignis. Sicut n. ignis naturaliter tẽdit ſurſum, & ſe cœlo coniungit, ita Spiritus ſanctus corda illorum, quos accendit, ſurſum eleuat, vt terrrena faſtidiant, & cœ- Ezech. 8. leſtia deſiderent. *Eleuauit me ſpiritus inter cœlum & terram.* Et benè dicit *inter cœlum*, non in cœlum, *& inter terram*, non in terram, quia in cœlo ſunt omninò beati, in terra auari, ideò medium debent tenere electi, nunc cœlum cpntemplando per deſiderium, nunc in terra proximorum vtilitati ſeruiendo per pietatis officium. Sicut Moyſes nũc aſcendebat in montem ad loquendum cũ Domino, nunc deſcendebat populũ gubernaturus ſub monte vt dicitur in Exodo. Et Chriſtus nunc aſcẽdit cum di- Matth. 5. ſcipulis in montem, nunc deſcendebat ad turbas ſub monte. Ex his infero quod deſeruiens vitæ contemplatiuæ & actiuæ, magnũ habeat donũ Spiritus ſancti. Quartum ſignum eſt obedientia præceptorum, quod ſignificatur per ſonum tonitrui, qui obedire facit. de hoc ſæpè dictum eſt hic. Quintum, refrigerium tribulationum, vnde quando homo in tribulationibus gaudet, ſignum eſt quod habet Spiritum ſanctum, quia habet quaſi roris refrigerium, Eccl. 18. nè ſterilitate tribulationum terra cordis ſui conſumatur; *Nonne ardorem refrigerabit ros?* Vnde petit Eccleſia. Sancti ſpiritus corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcunpet. In ſignum huius datus apparuit in nube. An autem iſtæ figuræ & ſpecies ſpiritus ignis, columba, & alia fuerint res, vel tantum apparentiæ, dicit D. Thom. p. 3. q. 49. art. 7. Thomas. Quod fuerunt verè res miniſterio Angelorum factæ, quæ expleto officio ſuo redierint in priorem materiam, ſecundum Auguſt. in libr. de agone Chriſtiano, quia non decet Spiritum ſanctum fallaciter apparere. Sed an eis fuit vnitus Spiritus ſanctus in vnitate perſonæ ſicut natura humana coniuncta eſt filio Dei. Dicendum quod non, ſed tantum per illas figuras viſibiles monſtrata eſt ſpiritualis & interior miſſio ſeu donatio Spiritus ſancti. Vnde nec illæ res, ſcilicet columba & aliæ fuerunt beatificatæ, ſicut humana natura in Chriſto, ſecundum magiſtrum in primo ſententiarũ diſt. 16. Sed quare hodiè non fiunt huiuſmodi viſibiles apparitiones. Reſpondeo, quia iam ducti ſumus ad fidem. Vnde ſicut ceſſauerunt miracula, ita & miſſio viſibilis. Vnde dicit Thom. ſuper 1. ſentent. diſt. 16. Quod ad talem miſſionem viſibilem requirantur tria. Primò, temporis opportunitas, quæ non fuit in veteri teſtamento, quia nondum venerat plenitudo temporis. Secundò, requiritur gratiæ plenitudo, quæ non fuit niſi in Chriſto, in ſignum cuius miſit viſibiliter Spiritum ſanctum, ſicut hoſpes, quando habet abundantiam vini pro ſe & alijs, tunc exponit viſibilem circulum, aliàs non. Tertiò requiritur Eccleſiæ neceſſitas, & ideò ſolum debuit fieri in primitiua Eccleſia, ad fidei probationem. Vndè patet ex his, quare noſtris Prælatis non debeat fieri viſibilis miſſio, quia cum fides ſit ſatis confirmata, non indiget tali miſſione viſibili, ſed potius inuiſibili. Mittitur autem inuiſibiliter quatuor perſonis. Primò exiſtentibus in puritate & munditia; quia ſecundum Apoſtolum corda munda templum ſunt Spiritus ſancti. Secundò exiſtentibus in ſtatu libertatis & miſericordiæ, quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Tertiò, exiſtentibus in ſtatu humilitatis & obedientiæ. *Super humilem requieſcet ſpiritus meus.* Quarto exiſtentibus in ſtatu amaritudinis & pœnitentiæ. *Abij amarus in indignatione ſpiritus mei. Spiritus enim Domini mecum erat confortans me.* Fuit etiam miſſus quatuor vicibus poſt Chriſti paſſionem; primò, diſcipulis orantibus, vt hodiè; ſecundò, illis quibus manus imponebant Apoſtoli, vt Actu. 8. tertiò, prædicationem deuotè audientibus. *Cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audierunt verbum.* Quartò ſacramentum baptiſmi ſuſcipientibus. Si-

Tria ad viſibilem miſſionẽ neceſſaria Galat. 4.

Inuiſibilis miſſio ad quos fiat.

Ezech. 3.

Act. 10.

cut patet, cum Apollo eſſet Corinth. De tempore verò miſſionis ſciendum, quod miſſus eſt l. die poſt reſurrectionem Luc. vlt. Sicut enim l. die poſt eductionem Iudæorum de Aegypto deſcendit Dominus in montem Sinai, ita Chriſtus eductis animabus de inferno, miſit Spiritum ſanctum in mentem ipſorum. Dies verò miſſionis fuit Dominica, qua die etiam creditur natus, & reſurrexit, & mundum creauit, ac Angelos in beatitudine confirmauit, ita & Apoſtolos recreauit, & per gratiam confirmauit. Hora verò fuit tertia, vt patet Act. 2. Illa hora Chriſtus eiectus eſt de ciuitate baiulans ſibi crucem. Vnde eadem hora voluit reddere bona pro malis. Secundò ad ſignificandum per hoc legem gratiæ, quæ eſt tertia. Nam prima fuit naturæ; ſecunda ſcripta; tertia gratiæ, quę tunc incepit. Tertiò ad ſignificandum, quod Spiritus ſanctus ſit perſona tertia in Trinitate. Locus miſſionis fuit ciuitas Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis, quia non niſi pacificis datur Spiritus ſanctus. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* *Matth. 5.*

III.

Fructus miſſionis S ſancti.

Docebit vos omnia. Nunquam apparuit Doctor tantus, qui in omni facultate poſſet docere expeditè, eò quod omnium habere memoriam & notitiam, & in nullo deficere, potius eſt diuinitatis, quam humanitatis, vt dicitur Codice de veteri Iure enucleando, lege prima. & etiam, quia omnia nemo habere poteſt, inquit ibidem. *Sed Spiritus ſanctus diſponit omnia ſuauiter.* Etetiam *Repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Ideò docebit vos omnia. Eſt ergò ſufficientiſſimus Doctor. *Vnctio docet vos de omnibus.* Interlinearis, de omnibus tenendis. Dicitur autem Spiritus ſanctus vnctio in Gloſ. ord. quia ſacramentum eius conſiſtit in vnctione viſibili, vel dicitur vnctio charitatis, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, quæ ad obſeruanda mandata cor, quod implet, inflammat. Hæc Gloſſa. Hic eſt Doctor, qui mentes hominum illuminat, & veritatem oſtendit, inquit Linconienſis ſuper primo Poſteriorum. Vnde dicit Gloſſa ord. ſuper locum 1. Ioannis 2. primò allegatum. Nemo docenti tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia niſi intus ſit qui doceat, lingua Doctoris exterius in vanum laborat. De generali doctrina huius magiſtri dicit Sapiens *Ipſe enim dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationē & medietatē tēporū. viciſſitudinum permutationes & conſummationes temporum, morum imitationes, & diuiſionem temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentiam virgultorum & virtutes radicum, & quæcunq; ſunt abſconſa & improuiſa, didici. Omnium enim artifex docuit me ſapientiam.* Docet autem Spiritus ſanctus homines ſcire tria, quæ ſunt multum ad ſalutem neceſſaria; videlicet flagitiorum turpitudinem, quæ perpetrauimus; beneficiorum multitudinem, quæ reportauimus; ſuppliciorum magnitudinem, quæ meruimus. Prima igitur ſcientia, quam docet Spiritus ſanctus hominem, & quæ nobis eſt neceſſaria ad ſalutem, eſt flagitiorum turpitudo quę perpetrauimus, vt illa diſcutiamus, noſmetipſos parui pendamus, & non ſuperbiamus. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te Scito & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Sed certè multi habent defectum ſcientiæ huius, qui ſunt prudentes in defectibus aliorum ponderandis, & circa ſeipſos negligentes. Contra hos Bern. in libr. ſuarum meditationum. Multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt. Alios inſpiciunt, & ſeipſos deſerunt. Ideò ſignanter dicit Spiritus ſanctus per Apoſtolum. *Sciat vnuſquiſq; vas ſuum, nō alienum poſſidere in ſanctificatione & honore.* Secūdò Spiritus S docet conſiderationem beneficiorum, quæ reportauimus, inter quæ primum eſt creatio; ſecundum omnium creaturarū ſub poteſtate noſtra ſubiectio; tertium redemptio, in qua ſe nobis quodammodo filius Dei ſubiecit. *Filius erit ſubiectus ei, qui ſubiecit ei omnia.* Tertiò Spiritus ſanctus docet conſiderationem ſuppliciorum, quæ meruimus. Et certè multa ſunt ſupplicia pœnalia in inferno, quæ ſi

Sap. 8. *Ibid 1.* *1. Ioan. 2.* *Sap. 7.* *S. ſanctus tria docet.* *Ierem. 2.* *1. Theſſ. 4.* *1. Cor. 15.*

conſideraremus, à multis peccatis caueremus. Ponuntur autem breuiter in his his verſibus.

Eſuries, frigus, ſitis, ignis, fœtor & horror.
Deſperant vincti tenebræ, vermeſq; rodẽtes.

Pſal. 9. De iſta ſcientia dicitur in Pſal. *Conuertantur peccatores in infernum*, ſcilicet per conſiderationem, *omnes gentes*, id eſt, gentiliter viuentes, *quæ obliuiſcuntur Deum*, ſcilicet iuſtum vltorem in inferno. Et ſequitur. *Sciant gentes, quoniam homines ſunt*, ſcilicet mortales & puniendi, ſi delinquunt. Sed certè multi ſunt, qui hanc ſcientiam tanti Doctoris non aduertunt admittentes potius ſcientiam ſpiritus immundi pro ſcientia Spiritus ſancti; & pro conſilio Spiritus benigni accipiunt conſilium Spiritus maligni; pro conſilio ſpiritus veritatis recipiunt conſilium ſpiritus erroris; pro doctrina Spiritus conſolationis accipiunt doctrinã ſpiritus deſperationis & perpetuæ deſolationis. Sed væ talibus diſcipulis talem Magiſtrum ſpiritum malum habentibus, qui agitat eos continuè ſicut Saul, trahendo de peccato in peccatum, & tandem impellendo in infernum. *1. Reg. 16.* Ideò ſequamur diligenter doctrinam Doctoris boni Spiritus ſancti, qui nos ducet per viam rectam in vita præſenti, & tandem in vitam æternam.

IN SOLEMNITATE PENTECOSTES.

SERMO III.

Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Ioannis 14.

Propoſit. IN verbis iſtis tria tanguntur. Primò Chriſtus animat diſcipulos ad patiendum viriliter mundi tribulationes, dicens; *Non turbetur*. Secundò monet eoſdem ad credendum veraciter Dei reuelationes. *Quia creditis in Deum, & in me credite.* Tertiò promittit eiſdem fideliter dandas æternas retributiones in domo Patris.

I.

2. Cor. 7.

Non turbetur cor veſtrum, ſcilicet per turbationes ſæculi, quæ mortem operantur; *Non turbetur*, de præſentibus malis, *neque formidet*, de futuris, ſcilicet de morte eis imminente futura, & Chriſto paſſuro pro præſenti. Circa quod ſciendum, quod ſecundum Robertum. Holcoth ſuper illud Sapient. Doctrix eſt diſciplinæ Dei. Diſciplina Dei eſt nobis in hac vita neceſſaria, iuxta illud. *Sap. 3.* *Sapientiam & diſciplinam, qui abijcit, infœlix eſt*; ideò potiùs eſt gaudendum de huiuſmodi diſciplina, quàm turbãdum; quantumcunque enim diſciplina Dei, quæ conſiſtit in tribulationibus huius mũdi, ſit dura, nihilominus eſt patienter ſuſtinenda ſecundum ipſum; idque propter tres rationes. *Cur tribulationes patienter ſuſtinendæ.* Primò propter caſtigantis dilectionem. Secundò propter peccantis correctionem. Tertiò propter tentantis deiectionem. Primò propter caſtigantis dilectionem. *1. Cauſſa. Caſtigans diligit.* Ille enim qui caſtigat, Pater noſter eſt, amicus & redemptor. *Hebr. 12.* *Quis eſt filius, quem non corripit Pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes*, ſcilicet amici Dei, *ergò adulteri & nõ filij eſtis.* Hoc patet in matre Chriſti & in diſcipulis ſuis, qui filij Dei dicuntur. Non eſſet magnum, ſi homo reciperet ictum pro amore amici, qui pro eo fuiſſet acerrimè vulneratus, Chriſtus aũt non ſolum vulneratus eſt pro nobis, ſed & crucifixus & occiſus; *Iſa. 53.* *Vulneratus eſt ꝓpter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*: ergò nos pro amore eius diſciplinari debemus. *Hebr. 12.* *Fili mi noli negligere diſciplinam Domini tui, neq; fatigeris dũ ab eo.*

ab eo argueris. Dicit Marbotus lib. ſuo de lapidibus cap. 19. Si maritus ponat ſub capite vxoris dormientis magnetem, experiri poterit, an ſit adultera vel fidelis, quia ſi adultera, cadit ſtatim ex lecto, ac ſi manu hominis excuſſa. *Oſee 2.* Si fidelis conuerſa ad maritũ amplexatur eũ. Sic & anima humana ſponſa Dei. *Sponſabo te mihi in fide*, poſtquã habet ſub capite ſuæ duræ ceruicis magnetem tribulationis, ſi eſt fidelis, conuertetur ad Dominum per gratiarum actionem, & *Rom. 8.* humiliationẽ, orationẽ & deuotionẽ, dicẽs illud; *Quis nos ſeparabit &c.* Si adultera, cadet de lecto conſcientiæ, per impatientiã & murmurationem contra Deum. Supponitur aũt iſte lapis in dormiendo, id eſt, quando homo ad maiorẽ & tranquilliorem ſtatum & conuerſationem ſe diſponit, tũc *Iob 33.* Deus illi tribulationes & diſciplinã immittit iniuriæ. *Quando ſopor irruit ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tũc aperit aures virorũ, & erudiens eos inſtruit diſciplina.* Quod exponit Gregor. 26. moralium. Aures cordis ſæpè tribulatio aperit, quas mundi proſperitas claudit. Ex quo infero, quod ſignum diuinæ dilectionis alicuius hominis, ſit patiens perpeſſio tribulationis. Vnde Aug. in quodam ſer. Nullus ſeruus Chriſti ſine tribulatione eſt. Si putas te non habere perſecutiones, nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus. Vnde Hieron. ſuper illud in Gloſ. ord. Iob. Nunquid homo Dei comparatione iuſtificabitur aut factore ſuo purior erit vir? dicit. Puriorẽ ſe factore ſuo vir æſtimat, ſi contra flagellum querelam portat. Et debet ſcire, *Iob. 3.* quia impiè non affligit, qui ex nihilo fecit, & conditor naturæ non eſt iniquus iudex culpæ. Hæc ille. Hieron. ſuper illud Iob *Venit ſuper me indignatio tua.* in Gloſ. interlineari. Quamuis in loco quolibet poſiti cogitando, loquendo, & agendo peccemus, tunc tamen per tria hæc animus effrænatius rapitur, cum mundi proſperitate ſubleuatur; ſancti autem viri cor ad conſiderandum gloriam ſuam reprimunt, linguam ab immoderata locutione reſtringunt, opus ab iniquitatis captione cuſtodiunt, & tamen ſuper hæc omnia flagella ſuſtinent in hac vita. Cuius ratio ſecundum Gregorium in Gloſſa ordin. redditur. Si hæc, ſcilicet bona agentes flagellat Pater vt purget, quia noſtra perfectio culpa non caret. Vnde additur; *Et venit ſuper me indignatio.* Conſideret ergo quiſque, quæ pœna manet iniquos, ſi ita hic caſtigat iuſtos. Hæc ille. Et *Iob 2.* Gregorius ſuper illud in Gloſſ. ordinar. *Teſta ſaniem radebat.* Ideò premitur iuſtus, vt glorioſius remuneretur. Et oſtendatur quid expectet iniquus, cũ ſic prematur qui audire laudatur. Hæc ille.

2 Cauſſa. Tribulatio corrigit.

Secundò, tribulationes ſunt patienter ſuſtinendæ propter peccantis correctionem. Pſalm. *Diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit.* *Pſal 17.* Vnde; Petrus Rauennas in quadam epiſtola; Ideò te fortè punit temporaliter Deus, vt æternæ mortis ardores pœna temporalis redimat. In ædificatione templi prius omnes lapides malleis tundebantur, ne in illorum poſitione ſonus mallei audiretur, nec in horreo Dei reponitur granum, donec flagellis trituratum aut pedibus ſit ex- *Heb. 12.* cuſſum. Vnde Apoſtolus ad Hebræos duodecimo dicit; *Omnis diſciplina in præſenti nõ videtur gaudij eſſe, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* Et Gregorius. Ideò Dominus quibuſdam hic parcit, vt eos in perpetuum puniat, ideò autem hic ferit, vt in æternum parcat. Multum debet nos armare ad tolerandum tribulationes & tentationes diuinæ pietatis diſpenſatio, quæ hoſtem permittit & retinet, laxat & reſignat, alia ad tentandum dat, ſed ab alijs relegat. Mala n. cum multis eueniunt, miſericordia conditoris ex ſpeciali gratia diſpenſat, vt quæ coaceruata perimerent, poſſint diuiſa tolerari. Gloſſa interlinear. ſuper illud *Iob. 1.* Iob. *Ecce vniuerſa quæ habet, in manu tua ſunt, tantum in eum, nè extendas manum* *Idem 6.* *tuam.* Item Hieronymus ſuper illud Iob. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum,* id eſt, deſtruit Spiritus ſanctus conſolationem. Sagittæ Dei ſpiritum hominis ebibunt, cum ſententiæ ſupernę animaduerſiones mentem ab elatione compeſcunt: Iuſtorum enim mens non ſolum perpendit quod tolerat, ſed etiã pauet quod reſtat; videt qualia in hac vita patiatur, metuit nè poſt hanc

vitam grauiora patiatur. Iam ergò ſententiam tolerat in pœna, ſed minas adhuc venturi iudicis formidat ex culpa. Hæc ille.
Idem. Idem ſuper illud Iob. *Quæ prius tangere nolebat anima mea, conſiderans quæ perdidit, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Interlinearis, id eſt, præ deſiderio æternitatis. Vbi Gregorius. Aucto deſiderio cœleſtium anguſtiatur, & pro illis amara ſæculi non metuit, quaſi dicat, id eſt, mala ſæculi iam ſunt dulces cibi præ amore cœli. Et cũ hæc ſint dulcia quis det vt veniat petitio mea, vt qui cœpit, ipſe me conterat. Qui per flagella Deo appropinquare deſiderat, dicit. Qui cœpit, ipſe me conterat, quia aliquãdo Deus incipit contritionem vitiorum, & in ipſo initio homo extollitur, & ſic hoſtis excuſſus grauior aſſumptis ſpiritibus alijs ſurripit, & virtutes conterit. Ideò ſubdit; *Soluat manum ſuam,* id eſt, exerceat effectum. Dum enim inflatis longa proſperitate ſuperbis, amorem ſuum per flagella exercet, quaſi manum ſuam ad ferienda vitia ligatã tenet, *Et ſuccidat me;* Cum enim dolor vel tentatio nos percutit, elatio mentis ſucciſa cadit, vt iam quærat manum leuantis; vnde ſubdit. *Et hæc ſit mihi conſolatio, vt affligens me dolore non parcat,* quaſi dicat. Quibuſdã hic parcit, vt in æternum feriat, ſed me hic feriat, non parcens, quod eſt mihi conſolatio. Timet enim hic ſibi parci &c. Adidem Hieronymus ibidem. Electi dum ſe perpetraſſe illicita nouerint, ſi perſeuerantes inueniunt, quia pro illicitis nulla aduerſa perpeſsi ſunt, in formidine tabeſcunt, pauore æſtuant, ſuſpicionibus malis agitari laborant. Ac ſic apertè diceretur. Hic quidem parcit, vt in perpetuum feriat, & non parcendo in perpetuum ſaluet. Ex afflictione enim conſolor, qui ad ſpem ſalutis ex vulnere certus reddor. Hæc ille. Ibidem Hieronymus. Aliquando aduerſarius, aliquando nos conterit Deus. Ex contritione aduerſarij, à virtute deficimus. Ex contritione Dei, in virtute laboramus. Item Gregorius; vbi ſupra. Sagittæ, id eſt, percuſſio Dei, quæ non me, vt multos inemendatos dimittit, ſed ebibit ſpiritum, id eſt, elationem compeſcit, vt dicam, defecit ſpiritus meus, & non ſolum gemo quæ patior, ſed timeo quod minaris, & hoc eſt, quod dicitur. Terrores Domini militant contra me, nè poſt hæc mors æterna ſequatur. Hæc Gregorius. Item Hieronymus ſuper illud Iob. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea eſt, nec caro mea ænea eſt.* *Iob. 6.* Interlinearis. Ære ac lapidibus, inſenſibilium hominum corda ſignificantur, quæ ſæpè & ſuper nos ictus accipiunt, & tamen nulla percuſſione molleſcunt. Quos contra de electis per Prophetam dicitur; *Tollã vobis cor lapideum, & dabo carneum.* *Ezech. 11. & 36.* Gregor. in Gloſſa ordinaria. Lapides percuſſi clarũ ſonum non reddunt, quod facit æs. Sed quia lapis vita caret, ſenſum in ſonitu non habet; ſic aliqui ſunt ita duri, vt etiam percuſſi, ſonitum non reddant humilis confeſſionis. Alij verò reddunt, ſed non ex corde, & ita non ſentiunt bona, quæ loquuntur. Itẽ Hieronymus ibidem. Reproborum mens quia ſolum præſentia diligit, plerumque aliena, tantò longius exiſtit à verbere, quantò poſt exteriora remanet durabilitate. Ex quibus omnibus infero, quod tribulationes temporales non ſolum ſint patienter ſuſtinendæ, ſed etiam amanter perferendæ; quia totaliter cedunt ad noſtrum commodum & vtilitatem ſalutis, quæ eſt nobis deſideratiſſima. Ex quibus vlterius ſequitur, quod hi, per quos Deus nos tribulat, ſint à nobis amandi. *Diligite inimicos veſtros,* quaſi dicat. Diligite eos, per quos ſaluamini. *Matth. 5.*

3. Cauſſa. Tribulatio deijcit hoſtes animæ. Tertiò, tribulationes ſunt ſuſtinendæ propter deiectionem tentantis. Proſternitur namque caro, mundus, & dæmon per eas. Vnde contra tentationem carnis ſolent ſancti ſibiipſis diſciplinam infligere, ſicut Gregorius dicit de beato Benedicto, *2. Dialog. cap. 2.* quod cum de quadam muliere quam prius viderat, tentaretur, exutus indumento, nudum ſe ſpinarum aculeis & vrticarum incendijs proiecerit. Mundus etiam deuincitur per hoc, quod quantò homini magis aduerſa ſuccedunt in eo, tanto minus curetur ab eo. Vnde Auguſtinus in libro Confeſſionum regratiatur Deo, quod omnes delectationes ſuas multis amaritudinibus reſperſerit. Dæmon deuincitur, quando eius proſpera ſpernuntur, quibus ſpretis, laqueos eius & tendiculas euadimus. Item nota, quod turbatio ſit multiplex. Prima laudabilis, quæ eſt pro peccato proprio. *Turbatio multiplex*

Obſtu-

Iſa.32. *Obſtupeſcite opulentæ, & conturbemini.* Secunda ex proximorum compaſſione. *Deus* Iob 33. *molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me* Sic Helizæus turbatus erat & fleuit 4 Reg 8. videns mala quæ facturus erat Aſael. Tertio ex gratiæ ſubtractione, vt ille qui prius Pſal. 29. dixerat; *Ego autem dixi in abundantia mea nō mouebor in æternum* ſtatim dicat; *Auertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus.* Secunda turbatio eſt permiſſibilis, ſicut eſt Luc. 10. turbatio ſollitudinis in vita actiua. *Martha turbata eſt erga plurima.* Iere. 49. *Turbati ſunt præ ſollicitudine, quieſcere non potuerunt.* Vnde & Maria turbata eſt in ſermone Angeli audiens quod puerum generaret. Tertia turbatio eſt prohibitionis, quæ eſt im- Luca. 1. patientiæ, de qua hic monemur. *Non turbetur cor veſtrum.* Et hoc propter plura; Primo Domini exemplo. Secundo propter gratiam intus confortantem, ſicut olla plena ad ignem non crepat. Tertio ſacram Pſal. 22. ſcripturam. Pſalm. *Paraſti in conſpectu meo &c.* Quarto Deo obedientiam, quia ſic præ- Matt. 24. cepit. *Videte ne turbemini.* Quinto contem- 2. Cor. 1. plationem ſupernorum. *Sicut abundant paſſiones, ſic & conſolationes.* Item turbatio prouenit ex multis cauſis. Primo ex indiſcreta prælatorum præceptione, ſicut de Saule, qui interpretatur abutens. *Turbauit* 1. Reg. 14. *pater meus terram* Sed Apoſtolus dicit *Po-* 2. Cor. vlt. *teſtatem dedit mihi Deus ædificare non deſtruere. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios.* Col 3. Secundo ex ſubiectorum deordinatione. Sunt enim quidam verboſi, de quibus Eccl. Eccl. 28. *Homo iracundus incendit litem, & vir peccator conturbabit amicos.* Alij nobe dientes. Vnde Achab ad Heliam; 3. Reg. 18. *Tu ne es qui conturbas Iſraelē Reſpondit Helias: Non ego ſed tu & domus patris tui qui dereliquiſtis mandata Dei, & ſecuti eſtis Baalim.* Tertij 1. Paral. 2. ſunt proprietarij. Vnde dicitur de Achor; *Turbauit Iſrael & peccauit in furto anathematis* Quarti ſunt diſcordes, ſeditioſi, ſicut Gen. 34. dixit Iacob ad Simeonem & Leui; *Turbaſtis me & odioſum feciſtis chananeis.* Non ergo turbetur cor veſtrum, quia tribulationes leues & breues. Et tantum de primo.

Cur non turbandum. *Turbatio ex varijs cauſſis prouenit.*

II.

Creditis in Deum, ſcilicet patrem, *& in me credite,* ſcilicet ex conſequenti, ſecundum Auguſtinum. Et benè poſt exhortationem ad tribulationes patienter perferendas, ſubdit de fide, quæ eſt quaſi remedium tribulationum. Per fidem namque illuminatur & purgatur oculus mentis, vt clarè aſpiciat fructus tribulationum, quo facto libenter tolerabuntur. *Fide purificans corda eorum.* Vnde dicit Hiero. Fides clarificat pericula, vt appareant, quæ in tribulatione latebant. Circa quod ſciendum, ꝙ tres ſunt virtutes, quibus remediantur amaritudines turbationum. Prima eſt ſpes; ſecunda fides; tertia charitas. De ſpe patet tripliciter. Nam ipſa eſt remedium triplicis periculi. Primo imminente tempeſtate temporalis tribulationis; accidente neceſſitate corporalis diſſolutionis; & ſuperueniente prolixitate criminalis deſperationis. Primo ſiquidem eſt remedium imminente tempeſtate temporalis tribulationis, tunc enim maximè debemus ſperare de Dei miſericordia affutura. Pſalm. *Quoniam in me ſperauit liberabo eum.* Exemplum de hoc in vita ſancti Martini, qui nunquam fuit ſecurior niſi quando incidit in latrones inter alpes, vnde tunc vnus latro ſecurim ſupra caput eius vibrabat, ſciens miſericordem Deum in tentationibus affuturum. Summa cautela militum antiquorum fuit omnia, quæ videbantur terribilia & bonæ ſpei contraria, ad confidentiam interpretari, ſicut narrat Sextus Iulius ſtragematum li. 1. c. 1. Vnde cum Scipio Africanus ex Italia in Africam exercitum traduxit, & ipſe de naui deberet deſcendere, cecidit ſuper terram. Conſiderans igitur milites attonitos de caſu, ipſum lapſum materiā ſpei fert. Audite inquit milites, Africam oppreſſi. Conſimili modo Cæſar Iulius cum nauem aſcendere deberet, cecidit in terram, & militibus conſternatis dixit, Teneo, inquit, te terra & mare, quaſi dicat, nec ſic recedo, quin ad te redibo; & ſic verbo illo milites ſperare fecit ſe in terram propriam rediturum. Item Strictorius dux quidam militum cum equitum ſcuta equorumque pectora cruenta ſubito prodigia apparuiſſent, & milites inde conſternerentur; victoria, inquit, nobis promittitur, iſtæ partes non proprio ſed hoſtili cruore ſolent aſpergi. Item Garri-

mundus Thebanus, cum fax de cœlo nocte fuiſſet delapſa, & eos qui tunc ſecum erant terruiſſet, metum conceptum fugauit dicens, Lumina lumina oſtendunt, quaſi dicat. Dij nobis mittunt lumen, vt animent. Iſto modo viri ſancti & iuſti omnia terribilia, quæ eis accidunt, vel malorum perſecutione, ſeu mundana mutatione. vel corporis infirmitate interpretantur in bonum. Et quanto maior materia timoris incutitur, tanto feruentior eorum ſpes erigitur, iuxta illud Iob. [*Etiamſi occiderit me in eum ſperabo*. Secundo ſperare debemus confidenter accidente neceſſitate corporalis diſſolutionis. *Sperat iuſtus in morte ſua*. Et ſicut docet Ariſtot. in lib. de pomo & morte. Non eſt philoſophi timere mortem, ſed magis gaudere & bonæ ſpei eſſe imminente morte. Et hoc declarat duabus rationibus. Primo quærendo ab eis: Creditis, inquit, quod eſt differentia inter hominem & beſtiam. Credimus, inquiunt. Et an qui inquirit veritatem & rectitudinē mereatur gradus altiſſimos. Et reſponderunt, credimus quibus ille. Si ſic, ergo ex quo non in præſenti veniunt illa præmia, quæ rectis dantur, oportet quod in alia vita, quod ſi ſic, igitur anima non debet timere mortē. Secunda ratio. Creditis, inquit, ꝙ mors nō eſt niſi ſeparatio animæ à corpore, & reſponderunt quod ſic. Quibus ille. Ex quo ſic, cum corpus ſit ſemper contrarium animæ, igitur non debemus dolere de receſſu animæ à corpore, quod eſt contrarium ſuę perfectioni & delectationi. Sic deberet facere quilibet Chriſtianus, vt non turbetur ſed gaudeat exire de carcere huius corporis dicens cum Apoſtolo *Infœlix ego homo quis me liberabit*. In ſignum huius legitur de Ariſt. quod facie læta mortuus eſt. Tertio ſperare debemus ſuperueniente perplexitate criminalis deſperationis. *Scitote quia nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt*. Dicit Hippocr. in aphoriſmis. Deſperatæ cum riſu factæ ſecuriores ſunt, quam cum triſtitia factæ, quia de primis eſt ſpes curæ, ſed non de ſecundis. Sic & peccator cum ad huc ſperat de Deo, facile pęnitebit, iuxta illud.

Iob. 13.

Sperandum in morte.

Prou. 14.

Rom. 7.

Speret qui metuit, morituros viuere vidi.
Spe duce, victuros ſpe moriente mori.

Vnde Bern. in ſermone. Tu es Domine ſpes mea; Quicquid agēdum, quicquid declinandū, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Hæc vero vna omnium promiſſionum cauſa.

Secundo fide remediantur tribulationes. *Sancti per fidem vicerunt regna, obturauerunt ora leonum fortes facti in bello, probati ſunt, tentati ſunt &c.* Regna dicit tam carnis mundi & diaboli ideo Chriſtus dicit; *Creditis in Deum, & in me credite*, quaſi dicat. Si vincere tribulationes cupitis, neceſſe eſt, vt in me fidem rectam habeatis. Et notanter dicit *In me credite*, nō me, nec de me Nā Dæmones etiam credunt Deū & Deo, quia credunt eum eſſe punitorem malorum. Sed credite in me, ſcilicet amando me, & bonis operibus eundo in me, quę eſt fides informata charitate. Talis autem fides vtilis eſt ad quinque Primo ad peccatorum remiſſionem. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius.* Secundo fides eſt vtilis ad dæmonum cōfuſionem. *Signa eos qui crediderint hæc ſequuntur. In nomine meo dæmonia eijcient.* Vnde eſt, quod Paulus vocat fidem ſcutum, quo vincuntur tela diaboli. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei*. Refert Papias in expoſitione ſuper Iuuenalem ſatyra. 2. & idem habetur in gloſſ. quod Numa Pompili ſacrificante cecidit quoddam ſcutum de cœlo, quod ancille dictum fuit, datumque eſt reſponſum, quod illic foret Romanum imperiū, vbi illud foret ſeruatum. Numa ii. alia ſcuta fecit vt eſſent. 12. numero, vt illud, quod de cœlo datum fuit maneret occultum Sic ſcutum fidei de cœlo datū eſt per Chriſtū quæ vbicunq; fuerit, dæmonum virtus extirpabitur & imperium Chriſti perſeuerabit. Sunt autem illa ſcuta. 12. propter. 12. articulos fidei. Tali ſcuto fuit munitus Daniel, qui credens Deo ſuo liberatus eſt. Tertio fides confert optatorum conſecutionem. *Quodcunque orantes petitis, credite quia accipietis.* Narrat Magiſter in hiſtorijs, quod cum Alexander veniſſet ad montes Caſpios, miſerunt ad eum filij captiuitatis. 10. tribuum, egrediendi licentiam poſtulantes; cumque quęſiſſet cauſam captiuitatis, accepit eos receſſiſſe à Deo Iſrael, vitulis

Fides remedium contra tribulationes.
Heb. 11.

Fidei formatæ vtilitas.
Act. 10.

Marc. 16.

Epheſ. 6.

Dan. 6.

Marc. 11.

tulis aureis immolando, & per Prophetas Dei prædictum eſſe ideo à captiuitate non redituros. Tunc reſpondit Alexander, quod arctius eos includeret. Cumque infinitis molibus vias præcluderet, videns humanum laborem deficere, rogauit Deum vt hoc perficeret, quod & factum eſt. Vnde dicit Ioſephus. Deus quid facturus eſt pro fidelibus, ſi tanta fecit pro infidelibus. Eodem ſpectat illud de regulo,

Ioan. 4. qui fidem diminutam adhuc habebat, cuius filium ſanauit Chriſtus. Idem de Cen-

Matt. 8. turione, cuius ſeruum Chriſtus ſanauit. Quarto fides confert electorum benedi-

Ioan. 20. ctionem. *Beati qui non viderunt* Vbi ſecundum Gregorium nos etiam ſumus ſignati, qui eum, quem carne non vidimus, mente retinemus.

Tertio charitate remediantur tribulationes, eo quod amanti nihil eſt difficile;

1. Cor. 13. Vnde dicit Apoſtolus *quod charitas omnia ſuffert*. Videmus in ſæcularibus auaris, quod multa patiantur propter impetum cupiditatis & feruorem auaritiæ. Incomparabiliter autem charitas eſt feruentior, quam ſi quis habet, omnia libēter patitur.

Pſal 118. Dicit enim Auguſtinus ſuper illud; *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum*: quod charitas magis diligat Deum, quam aurum cupiditas. Ex quo infero, quod ſignum dilectionis eſt magnæ ad Deum, ſi quis magna patitur; & maioris, ſi maiora,

I. I.

Domus Dei triplex. *In domo patris mei.* Circa quod ſciendum quod domus Dei eſt triplex. Prima Eccleſia

1. Tim 3, militans. *Scias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari* In hac domo ſunt multi homines tanquam māſiones, in quibus Deus

Epheſ. 3. manet iam per fidem. *Habitare Chriſtū per*

1. Cor. 15. *fidem in cordibus veſtris*, in aliquibus per fruitionem charitatis. *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Secunda domus triumphans eccleſia. Pſalm. *Replebimur in bonis domus tua*, in qua tot manſiones, quot ſancti, in quib⁹ Deus manet per gloriam. Tertia domus eſt

2. Cor. 5 ipſe Deus. *Habemus domū non manufactam in cœlis.* In qua domo manet voluntas ho-

1. Ioan. 4. minis per fruitionē charitatis. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet. &c* In hac domo, quæ eſt Deus, multæ ſunt manſiones, id eſt, diuerſæ participationes beatitudinis ipſius; quia qui plus diligit, & plus cognoſcit, maiorem locū habebit; & ita vnus eſt alio beatior, ſecundū quod eſt melius diſpoſitus. Exemplū de fonte omnibus communi, de quo tamen plus accipitur maiori vaſe quā minori, licet vnū ſit obiectum veritatis vnus denarius diurnus. Eandem ſententiā proſequitur Lyran. Pſal. 149.

in gloſſ. ſuper illud, *Exultabūt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, ſcil. diuerſis gradibus ſeu manſionibus, vbi dicit notanter, quod dicat Pſalm. de gloria ſanctorum pluraliter *cubilibus* propter diuerſitatem graduū ſeu præmiorū ipſorū ſanctorū, quia licet ſit beatitudo eadem omnium obiectiuè, nō tamen formaliter, quia licet oēs ſācti videant Deum & eo fruantur, tamen vnus ipſum videt clarius altero, & dulcius fruitur ipſo. Hæc Lyra. Ex hoc infero duo; Primo quod quantum eſt ex parte diuinæ eſſentiæ in ſe, vnus alio non magis videat quā omnes, quia omnes eandē vident, licet non totaliter. Secundo quantū eſt ex parte videntis, vnus alio clarius videt. ſecundum quod magis eſt diſpoſitus lumine gloriæ ad recipiendū diuinā eſſentiā. Ex quo tertio infero, quod licet omnes beati videāt diuinā eſſentiā æqualiter quantum ad eius eſſentiā in ſe, tamen non æqualiter videāt in eo omnia, ſed quanto quis clarius videt, tanto plura in ea videre poteſt. Sicut quanto clarius nouerit quis prima principia, tanto plures concluſiones ex eis poteſt elicere. Hæc Thom. ſuper. 4. Sed quare iſta

beatitudo vocatur manſio. Reſpōdet Tho. quod manſio dicatur reſpectu motus; & in Deo beatitudo quæ terminat motum appetitus tendentis in Deum poteſt dici māſio, & ita diuerſi gradus beatitudinis diuerſæ manſiones dicuntur. Beatitudo cur vocetur manſio 4. diſt. 49.

Sed quomodo attenduntur iſti gradus diuerſi manſionum. Reſpondeo ſecundum diuerſos gradus meritorum. Meritum autem attenditur ſecundum gradum charitatis informantis operationes, quibus meremur. Et ideo diuerſi gradus beatitudinis attenduntur ſecundū diuerſos gradus charitatis. Ex hoc infero, quod licet martyrium, doctoratus, & virginitas recipiant vnam & eandem aureolā, tamen & inter martyres non omnes æqualem habent, licet eandem, ſed

ille:

ille qui fuit fortior in pugna contra mundum, habet maiorem. Similiter inter virgines, non omnes æqualem, quia illæ maiorem quæ plus cauebant occaſiones corruptionis, quam aliæ. Similiter inter doctores non omnes æqualem, ſed ille maiorem, qui ſua doctina magis fugauit vitia de cordibus quam alius &c.

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

SERMO. I.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuũ vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioan. 3.

Aug lib. ſupputationum ſupp. 4.

IVſtum eſt, inquit Auguſtinus, vt creatura laudet creatorem. Ipſe enim ad laudandũ ſe nos creauit, qui noſtris non indiget laudibus, eo quod ipſe eſt virtus incomprehenſibilis, nullis indigens, ipſe ſibi ſufficiens. Licet autem ad laudandum Deum homo obligetur multipliciter, maximè tamen pro miſericordia eius & inenarrabili charitate, qua nos ſic indignos amauit & ſaluauit per vnicum & dilectum filium ſuum. *Sic enim dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret;*]*vt viuamus per eum.* De qua tam ineffabili diuina erga nos miſericordia idem Auguſtinus gratias agens dicit; Gratias ago Deus pietati tuæ, quia per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, cum perditi fuiſſemus culpa noſtra, mirabiliter recuperaſti nos. Gratias ago pietati, & multas tibi gratias refero ex totis præcordijs meis, qui per tuam inenarrabilem dilectionem qua miſeros & indignos mirabili bonitate amare dignatus es, miſiſti eundem vnigenitum tuum de ſinu tuo ad publicum noſtrum ſaluare nos peccatores & filios perditionis. Et quibuſdam interpoſitis, penſans huius diuinæ pietatis magnitudinem exclamat; O immenſa pietas! o ineffabilis charitas! vt liberares ſeruum, filium tradidiſti; Deus factus eſt homo, vt perditus homo de poteſtate dæmonum erueretur. Hæc Auguſtinus.

Ibidem ſupput. 2.

Quapropter volens ſancta mater Eccleſia inducere nos ad laudandum & diligendum Deum pro tanto beneficio redẽptionis noſtræ recolit hoc beneficium magnum. Quod quia inter dona Dei, quæ hodie per Spiritum ſanctum fidelibus collata ſunt, præcipuum & maximum videtur, vt tanto maiori affectu homo ad diligendum Deum per charitatem, quæ hodie diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis, moueatur, & ſi alia dona paruo ponderant homines precio, & pauca gratiarum actione refundant, iſtud ſaltem tanquam euidentiſſimum, tanquam vtiliſſimum mundo, & tanquam diuinæ miſericordiæ & liberalitatis immenſiſſimum donum, quo maius excogitari non poteſt, pijs laudibus hodie veneremur. Quod quidem beneficium breuibus & efficaciſſimis verbis proponit ſaluator dicens; *Sic Deus dilexit mundum, &c.* In quibus verbis tria nobis de diuina dilectione proponuntur. *Propoſit.* Primo nanque deſcribitur diuinæ dilectionis pietas gratioſa, cũ dicitur; *Sic Deus dilexit mundum.* Secundo ſubditur eiuſdem dilectionis immenſitas copioſa, quia *vt filium ſuũ daret.* Tertio ſubinfertur dictæ pietatis vtilitas efficax & dulcoroſa, cum dicitur, *vt viuamus per eum.*

I.

Sic Deus dilexit mundum. Magna eſt dilectionis pietas eum amare, qui etiam rea-

damat,

Prou. 8. damat, iuxta illud: *Ego diligentes me diligo.* Et Poeta. Si vis amari ama. Sed certè maior eſt dilectionis pietas amare eum, qui nondum amat, nec redamare cupit. Taliter factum eſt de Dei dilectione. Ipſe enim amauit mundum, cum tamen mundus eũ non redamaret, imò odiſſet. Iuxta illud Pſalm. *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Circa quod ſciendum, quod Deus dilectionem ſuam magnificauit ad hominem pluribus modis, propter quos meritò à nobis eſt diligendus, laudandus, & glorificandus. Et primò dilectio eius magnificatur, id eſt, magna à nobis dicitur & prædicatur, ex præuentione tarditatis noſtræ beneuolentię. Secundò ex oſtenſione ſuæ potentiſſimæ virtutis. Tertiò ex prouidentia ſuæ ordinatiſſimæ ſapientiæ. Quartò ex copioſa & clementiſſima charitate ſuæ miſericordiæ. 5. Ex benignitate ſuæ patientiſſimæ tolerantiæ. Sextò ex mãſuetiſſima æquitate ſuæ iuſtitiæ. Septimò ex largiſſima liberalitate ſuæ remuneratiſſimæ lætitiæ. Quæ ſeptem faciunt meritò in nobis ſeptuplicem diuinæ laudis materiam, cui omnia, quæ laudem Dei ſonãt, poſſunt includi. Iſta enim ſunt principalia Dei opera, ad quæ omnia alia reducuntur. Ita dicit Hugo lib. de profectibus nouitiorum. Primum igitur, quod magnificat & commendat diuinam dilectionem erga nos, eſt præuentio tarditatis noſtræ beneuolentiæ, iuxta illud Ioann. *In hoc eſt charitas, non quoniam nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Super quo dicit gloſſ. interlinearis. Nõ prius diléximus Deum, vt merito dilectionis ipſe diligeret nos, ſed ipſe dilexit nos, vt præueniente gratia omnes poſt ipſum Deum amaremus. Et in hoc Deus fecit contra conſuetudinem mundanam; nam ſæculares non diligunt, niſi prius diligantur. Vnde Bern. Hæc eſt iuſtitia filiorum hominum; Ama me, qui amo te, id eſt, ideò me debes amare, qui te amo. Et ſic prius volunt homines diligi ab alijs, vt ſic poſtea diligant alios. Sed certè Deus pater non ſic dilexit nos, quaſi nos eum prius dilexerimus, ſed ipſe nos præuenit, propter quod Bernar. dicit, vbi ſupra. Rarus eſt, qui poſſit dicere; Amo te, vt ames me, id eſt, præuenio te amore prius, vt tu poſt hoc me redames, pauci ſunt qui hoc facerent, ſed hoc Deus fecit. Vnde ſubdit Bernardus. Sic Domine ſic amaſti nos prior, vt amaremus te, non quod egeres amari à nobis. Sed quia quod feciſti nos eſſe, non poteramus niſi amando te. Hæc ille. Si ergò meritum quæritur, quare aut quo merito ſit Deus diligẽdus; illa cauſa præcipua, illud meritum præcipuum eſt, quia ipſe prior dilexit nos, dignus planè, qui readametur, præſertim ſi aduertatur, quis, quos, quantumq́ue amauerit. Quis enim ſecundum Bernardum: niſi is, cui omnis ſpiritus confitetur, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et reuera huius charitas, maieſtatis quippe non quærentis, quæ ſunt ſua. Quibus autem tanta pietas; vel charitas exhibetur? certè indignis. *cum adhuc inimici eſſemus; reconciliati ſumus Deo.* Duplex cauſa, quia dilexit Deus gratis, & inimicos, quantum verò dilexerit, patebit infra. Secundò commendatur diuina dilectio ad hominem ex oſtenſiõe ſuæ potentiſſimę virtutis in creatione, ſcilicet quod ita magna, tam varia, tam ſolida nobis virtute plena potuit facere, ſic facilè, ſic ſubitò, ſic decenter ex nihilo producere, & ſuper nihil locare, cum extra mundum nihil ſit, ſuper quod moles mundi quaſi ſuper baſim, id eſt, fundamtum collocaretur. *Si virtutem & opera earum inuiſibilium rerum & factorum mirati ſunt, intelligant ab eis, quoniam qui hæc conſtituit, fortior eſt illis.* In quo quidem opere creationis magnalia Dei homini collata ſunt, & vſui præſtita, & ſenſui manifeſta. Neque enim quis alius adminiſtrat cibum omni veſcenti, cernenti lucem, & ſpiranti flatum, vt inquit S. Bernar. loco citato. Et licet alia innumerabilia Deus in creatione homini contulerit beneficia, iſta tamen ſunt præcipua, non quia excellentiora, ſed quia neceſſaria corpori ſunt. Hæc Bernard. Quod ſi ad ſuperiora reſpiciamus, inueniemus maiora beneficia in creatione homini collata, quantũ videlicet ad animã Nam in anima inuenies tria iſta, ſcilicet dignitatem, ſcientiam, & virtutem. Dignitatem

Pſal. 73.

Dilectio Dei multis modis erga nos oſtenditur

Deus amore præuenit nos.

Libr. de amore Dei cap. 6.

Lib. de diligendo Deum cap. 2.

Pſal. 15.

Amor Dei in creatione.

Sap. 13.

tatem in homine arbitriū dicit Ber. in quo ei nimirum datum eſt non ſolum cæteris præeminere, ſed & cæteris præſidere animantibus: ſcientiam verò, qua eandem in ſe dignitatem agnoſcat, non à ſe tamen: item virtutem, qua ſcilicet ipſum à quo datur, & inquirat non ſegniter, & teneat fortiter, cum inuenerit; & quodlibet iſtorum duplex beneficium ſecundum Bernardum vbi ſupra: nam dignitatem demonſtrat humanam non ſolum naturæ prærogatiua, ſed & potentiæ dominatus, eò quod terror hominis ſuper cuncta animantia terræ imminere decernitur. Scientiaque duplex erit, ſcilicet ſi hanc ipſam dignitatem vel aliud quodcunque bonum & nobis ineſſe, & à nobis non eſſe nouerimus. Virtus etiam duplex erit, ſcilicet ſi auctorem conſequi inquiramus, inuentoque inſeparabiliter adhæremus. Et iſta beneficia ſunt ita generaliter omnibus collata, vt non ſolum catholici, ſed etiam pagani ex his Deum laudare meritò debeant. Nam dicit Bernardus vbi ſupra. Quis fidelis ignorat ſuo corpori non ab alio in hac mortali vita ſupradicta illa neceſſaria miniſtrari, vnde videlicet ſubſiſtat, vnde videat, vnde ſpiret, quam ab illo, qui dat eſcam omni carni, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos? Item quis etiam impius putet alium eius, qui in anima ſplendet, humanæ dignitatis auctorem, præter illum qui in Geneſi loquitur; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram?* Quis alium ſcientiæ largitorem exiſtimet, niſi iſtum qui docet hominem ſciētiam? Quis etiam donum virtutis, aut putet datum aut ſperet dandum, quam de manu Domini virtutum? Ex quibus infero ſecundum Bernard. quod propter prædicta Deus meretur amari etiam ab infideli & pagano. Ratio huius ſecundum eum, quia etſi neſciat rationem, ſcit tamen ſeipſum. Ex quo ſecundo infero quod inexcuſabilis eſt omnis infidelis, ſi nō diligit Dominum Deum ſuū tota anima, & tota virtute ſua. Ratio huius ſecundum Bern. quia clamat ei intus innata & non ignota rationi iuſtitia, quæ ex toto ſe illū diligere debeat, cui ſe totum ſe debere non ignorat. Tertiò magnificatur Dei miſericordia erga hominem ex prouidentia ordinatiſſimæ ſuæ ſapiētiæ. Omnia enim gubernat & regit ſapiēter & ſuauiter. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter.* vbi Salomon duo dicit de Deo; Primò quod omnia ſubduntur ipſius gubernationi; ſecundo quod omnia diſponit miſericorditer.

Gen 9. *Gen. 1.* *Amor Dei in gubernatione.* *Sap. 8.*

Obiectio. Sed diceres quomodo omnia gubernat, cum videamus multa mala fieri in mūdo? Vnde ergo iſta procedunt, ex quo Deus ſummè bonus & ſūmè potens omnia regit? Ad quod reſp. ſecundum Holcoth ſuper litera prædicta Sap. 8. quod Deus gubernat omnia, cum ſit cauſa efficiens omnium, & finis omnium, vnde omnia efficit propter ſe. Et ſicut ad honorem ſuum congruit, omnia in ſe dirigit ſicut in finem. Hoc autē eſt gubernare, ſcilicet dirigere res in finem aliquem intentum. Eſt tamen ſic gubernator omnium, quod gubernat mediātibus cauſis ſecundis, vnde corpora groſſiora & corruptibilia gubernat per corpora cœleſtia, per angelos ſiue intelligentias. Huius ratio eſt, quia maioris bonitatis communicatio eſt, ſi gubernās & efficiens cauſalitatē efficiēdi & gubernandi alijs ſub ſe ordinatè cōmunicet, quam ſi ſuperiora priuarentur ab inferiorum gubernatione, & omnia per ſeipſum gubernaret. Et ideo ad oſtēdendum ſuam perfectionem in cauſando & communicando perfectionem ſuam creaturæ, ſic communicat quibuſdam gubernationem aliorū. Ex quo iam patet, quod ſi Deus per ſe in mente ſingula gubernaret & ageret, nihil malè fieret modo, quia idem effectus fit à Deo benè & ab homine malè, iuſtè à Deo & iniuſtè ab homine, & ideò malè accidit ex parte hominis, non ex parte Dei. De quo ponit Holcoth ibidem exemplum Si Dominus dicat ſeruo, trahamus leuiter chordam iſtam, ſic quod eam non frangamus, & ſeruus trahens ruditer frangit eam. Iſta fractio eſt à Domino & à ſeruo, & tamen ſeruus peccat & malè facit, & non dominus. Sic Deus ſtatuit, quod creaturæ rationali vult cooperari in ſuis operationibus, vt curſus naturæ maneat, quam inſtituit, ſine qua nulla res poteſt aliquid agere, immò nec eſſe per momentum. Quoniam igitur creatura rationalis facit contra legē *Reſponſ.*

Dei

Dei ſibi à Deo præfinitam, quamuis à Deo gubernetur & conſeruetur, & Deus eidem generaliter cooperetur, ſicut cooperatur igni comburendo, ſoli lucendo, tamē creatura malè facit legē tranſgrediēdos nō aūt Deus, qui ſic facit ſicut lex ſua ſtatuit. Dices, Quomodo Deus diſponit omnia ſuauiter & miſericorditer, cum videamus paruulos non baptizatos puniri æternaliter ꝓ peccato originali? Vnde videtur, quod in iſtos nullā exerceat miſericordiam. Item apud Iac. dicitur ꝙ *quibuſdā fiet iudiciū ſine miſericordia.* Ad primū dico ſecundum Robertum Holcoth l. c. quod, cum non baptizatis poſſet infligere non ſolum carentiam diuinæ viſiōis, ſed & oēs anihilare, ſi vellet, in hoc agat cum eis miſericorditer, quia eſſe humanum habebunt, & viuent ſine pœna. *Miſericordia domini, ꝙ nō ſumus conſumpti.* Ad illud Iac. dicendum, quod licet immiſericordes non cōſequuntur miſericordiam eos à pœna totaliter liberantem conſequuntur tamen miſericordiam aliquid de pæna debita relaxantem, quia citra cōdignum punientur, ſicut alij omnes pro demeritis ſuis damnabunt.

Obiect.

Iaco. 2.

Thren. 3.

Quartò commendatur Dei dilectio erga hominem ex copioſa & clementiſſima charitate ſuæ miſericordiæ. Tanta .n. eſt miſericordia diuina ad hominē, vt nō ſolū miſericors dicatur, ſed etiā ipſa miſericordia appelletur, iuxta Pſal. *Deus meus miſericordia mea*; nunquā aūt dicitur Deus meus, iuſtitia mea, quāuis iuſtiſſimus ſit. vnde Salomon vocat eum ſpecialiter Dominū miſericordiæ. *Deus patrum meorum & domine miſericordia.* Et Paulus: *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum.* Et iterū: *Deus diues in miſericordia.* In quo aūt apparet hæc miſericordia? certè in multis: nam quicquid eſt in mūdo, totum eſt miſericordia. Pſalm. *Miſericordia Domini plena eſt terra, eo ꝙ miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Reuera ſic eſt: nam omnes creaturæ licet ex potētia ꝓductæ ſūt potēter, tamē cōſeruantur ex clemētia miſericorditer. Vnde Sap. *Quomodo aliquid permanere poſſet, niſi tu voluiſſes? aut ꝙ à te vocatum non eſſet, conſeruaretur. Parcis aūt omnibus, quoniā tua ſunt Domine, qui amas animas.* Hinc Aug. dicit, ꝙ ſi Deus ſubtrahat

Dilectio Dei in miſerendo.

Sap. 9.
2. Cor. 1.
Epheſ. 2.

Pſal. 32.
Idem 144.

Sap. 11.

Aug. 22. de ciu. Dei c. 13.

rebus ſuā potentiam & miſericordiam, nec progredi poterunt, & ſuis diuerſis motibus peragere tempora, nec prorſus in eo, quod creatæ ſunt, permanebūt. Quod expreſſius idem Aug. alibi Deus per ſummā ſapientiā omnia fecit, & ꝑ sūmā benignitatē omnia cōſeruat. Et alibi in eandē ſententiā plura. Sed aduerte quia quamuis ſic generaliter conſeruet, quæ produxit, ſpecialiter tamen homines gubernat per clementiam. Et notanter dicit Salomon; *Parcis autē omnibus, quoniam tua ſunt Domine. Parcis,* inquit, *Domine omnib.* ſecundum Holcoth, & peccantibus qui digni forent, ſi placeret tibi, ſtatim in infernū detrudi: ſed parcis eis tu, *qui omnes homines vis ſaluos fieri.* Ratio eſt, *quia tua ſunt Domine. Etiāſi peccauerimus, tui ſumus, qui animas amas.* Hoc ideò ponit non quod Deus ſimpliciter amet animas tantū, & nō corpora, ſed priuilegialiter qa ſeipſum eis in perpetuū fruendū præparauit, quaſi ergo diceret; ideò primò miſericors es, *quia tua ſunt.* contra malos Dominos, qui ideò non parcūt ſubditis, quia eorum non ſunt. Secundò ideò es miſericors, quia *amas animas*, cōtra malos prælatos amantes decimas & oblationes. Aliā etiam aſſignat rationē diuinæ miſericordiæ Sap. dicens: *Miſereris omnium, quoniā omnia potes.* Et Eccl. *Secundum magnitudinem illius, ſic & miſericordia eius cum ipſo eſt.* Tales debent eſſe noſtri prælati imitatores Dei, vt quanto ſunt potentiores, tantò ſint & clementiores. Sicut Alexander Magnus deuictos populos plus clementia, quam potentia conſtrinxit. vnde 3. Reg. 20. dicitur, *Reges Iſrael clementes ſunt.* Iſta tria conſiderans ſpecialiter Salomon à Deo facta circa hominem dicit. *Feciſti omnia verbo tuo. Ecce potentia, Et ſapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creatura tua, qua à te facta eſt, vt diſponat orbem terrarum in æquitate & in iuſtitia, & in directione cordis iudicium iudicet.* Quintò dilectio Dei attenditur ad hominem ex benignitate ſuæ potentiſſimæ tolerātiæ, quæ non ſolum peccatores ſuſtinet, ſed etiam iuſtificat & à peccato defendit, & gratiā merendi donat, & occaſiones merēdi prouidet, ſacramēta quaſi vaſa gratiæ inſtituit, vt per ea infundatur gratia iuſtificans à peccato. Dat etiā

Idem li de vera religione c 24
Idem ſup. 1. & 2 ca. Gen. & in lib de Trinitate & alibi.

1. Tim. 2.
Sap. 15.

Sap. 11.
Eccl. 2.

Sap. 9.

Dilectio Dei in tolerādis & iuſtificandis peccatoribus.

Spiritum ſanctum fidelibus ad compunctionem, ad eruditionem, ad conſolationẽ, & ad varias virtutes, & gratiarum actiones faciendas, faciens de inimicis Dei amicos, filios, & hæredes, & liberum arbitrium ad bonum promouens, nec tamen libertatem auferens, de inuoluntarijs faciens voluntarios non cogendo ſed inſpirando & occaſiones procurando. Ita dicit Hugo, lib. de profectibus nouitiorum. Iſta benignitas circa peccatores maximè apparet in hoc,

Sap. 12. *quod diſſimulet eorum peccata propter pœnitentiam*, id eſt, expectans ſub diſſimulatione non fictionis ſed bonæ affectionis, propter pœnitentiam, id eſt, vt ipſi pœniteant interdum, dum ſic eos clementer expectat.

Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Gloſſa dicit, hic patientia Dei bonitate plena opus ſuũ propter peccata non deſpicit, ſed per pœnitentiam abluit & piè fouet & nutrit. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ fecerit vita viuet, & ſic omnium iniquitatum ſuarũ non recordabor.*

Dilectio Dei in tẽperanda iuſtitia. Sextò dilectio Dei commẽdatur erga hominem ex manſuetiſſima æquitate ſuæ temperatiſſimæ iuſtitiæ. Nam quamuis ſit iuſtus, eſt tamen in tali iuſtitia multum manſuetus, eo quod temperet rigorem iuſtitiæ pietate clementię. Vnde vehementiſſimè miſeretur, ſed tardiſſimè punit; & ſi punit, citra condignum punit, eò quod inferno pœnam infinitam quantum ad intenſionem facit finitã, vt tolerari poſſit, & etiam quia non totaliter conſumit damnatos, quod fieret, ſi eſſet in infinitum intenſa. Vnde dicunt damnati;

Thren. 3. *Miſericordia Domini quod non ſumus conſumpti.* Vnde & ipſe dedignatur iraſci & quaſi inuitus iuſtitiam exercet, iuxta illud Pſal.

Pſal. 29. *Quoniam ira in indignatione eius*, vbi dicit Innoc. quartus, exponens literam, id eſt, ipſe indignatur iraſci, quia inuitus punit. *Adhuc paululum modicumque, & conſumabitur indignatio mea.* Quaſi dicat, nolo punire ſtatim, ideò expecto te paululum & modicum adhuc. Vnde Hieronym. Quicquid mali patimur, vitij noſtri eſt, qui dulcem Deum vertimus in amarum, & cogimus ſæuire nolentem.

Thren. 3. *Non enim humiliauit ex corde ſuo, & abiecit filios hominum*, id eſt, non fuit voluntatis eius vt abijceret homines à ſe. Vnde de eo ſicut de clementi principe & manſueto iudice dicitur per Poetam.

Eſt piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox.
Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Et ideo dicit Pſalm. de eo, *quod vita in voluntate eius*, id eſt, ipſe vult vitam hominum, non mortem. Vnde in Collecta. *Pſal. 29.* Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Vnde de his duobus Ezechielis. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit Dominus*, quaſi dicat non. In ſignum autem, quod cum diſplicentia puniat, dicit per Iſai. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis*, quaſi dicat, cum dolore & diſplicentia cõſolabor. *Iſaiæ 1.* Vnde ſicut nulla res poteſt perdere ſuam propriam operationem totaliter quamdiu manet, licet valeat impediri vel retardari ad tempus, ita *nullo modo obliuiſcetur miſereri Deus, nec continebit in ira miſericordias ſuas*, imò *cum iratus fuerit miſericordiæ recordabitur.* *Pſal. 76.* *Abac. 3.* Vnde Gregor. dicit; quod quando Deus iraſcitur, non omninò iraſcitur, ſed ineffabili modo, cum culpas perſequitur, ipſos protegat peccatores. *Grego ho. 1. ſuper Ezech.* Veruntamen licet ita iuſtitiam cum pietate in præſenti temperet, veniet tamen tempus poſt diem iudicij, quando diſtrictiſſimè puniet eos, qui modo contemnunt benignitatem & patientiam eius. Ideo dicit Pſalm. vbi ſupra. *Ad veſperam demorabitur fletus*, quod ſecundum Innoc. *Pſal. 29.* quartum intelligitur de veſpera finis mundi, quando proijcientur mali in tenebras exteriores. *Tunc enim iuſtitias iudicabit.*

Idem 74. *Dilectio in liberalitate retributionis.* Septimò dilectio Dei commendatur erga hominem ex largiſſima liberalitate ſuæ lætitiæ, quam cunctis fidelibus reddet. Et verè largiſſima liberalitas, quia pro paruo & breui merito æternam & ineffabilem ſanctis in cœlo dat gloriam, lætitiam & fęlicitatem, & omnia eis ordinat in bonum, tam bona quam mala etiam aliena, & non ſolũ mala pœnæ ſed etiã culpæ; vt de bonis proprijs glorientur, & de alienis congaudẽdo delectentur, & de malis proprijs gaudeant quia euaſerunt, de alienis quia ſimilia non incurrerunt, vt inquit Hugo in libro de profectibus nouitiorum. Patet autem largiſſima liberalitas retributionis diuinæ, quia ſupra merita præmiat & coronat.

Nam

Rom. 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis*
1.Cor. 2. *ad futuram gloriam* Et reuera non ſunt, quia
nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor
hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligē-
tibus ſe. Ex his patet quantum Deus dilexit
mundum dando & exhibendo illi tot & tā-
ta beneficia. Quæ conſiderans Pſalmiſta
Pſal. 8. miratur dicens; *Quid eſt homo, quod memor*
es eius, aut filius hominis quoniam viſitas e-
Gen. 6. *um?* quaſi dicat ſecundum Innoc. Quid eſt
homo tam fragilis? *Non permanebit ſpiritus*
Iac. 4. *meus in homine, quia caro eſt.* Item tam bre-
Pſal. 13. uis vitæ; *Quid eſt vita veſtra? vapor ad mo-*
dicum parens. Pſalm. *Quaſi olera herbarum*
Iob. 25. *cito decident.* Item putridus per internam
corruptionem. *Homo putredo & filius homi-*
nis vermis. Item fœtidius per peccatum.
Ioan. 11. *Quadriduanus enim eſt & fœtet.* Item imbe-
Pſal. cillis ad ſurgendum. Pſalm. *Spiritus vadens*
& non rediens. Item vanus in opere, vanior
in ſermone; vaniſſimus in cogitatione.
Pſalm. *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens*
Ierem. 16. Item ſeruus diaboli per peccatum. *Seruie-*
Ioan. 8. *tis dijs alienis. Qui facit peccatum, ſeruus eſt*
peccati. Et hoc benè & notanter exprimit
in verbo vltimo noſtræ principalis parti-
culæ, cum dicitur. *Sic Deus dilexit mundū.*
q.d. Mundum malignum, quia totus in
maligno poſitus erat; mundum immundū,
mundum fœtidum, turpem & abiectum, &
quod plus, inimicum Dei.

I I.

Vt filium ſuum daret. Magna reuera &
copioſa pietas, quia non ſolum Deus pa-
ter mundum dilexit qualecunque munus
1. Ioan. 4. dando aut donum, ſed etiam dedit filium
ſuum vnigenitum. Vnde Ioan. *In hoc appa-*
ruit charitas Dei, quoniam Deus miſit filium
ſuum vnigenitum in mundū vt viuamus per
eum. Vbi dicit Gloſſ. ordina. In hoc dilectio
patris probata eſt, quia miſit filiū; dilectio
filij, quia venit ſicut Deus nō expectauit vt
eum diligeremus. Ex quibus verbis patet,
quod copioſa ſit multum dilectio diuina
erga hominem, quia vt hic dicit Gloſſ. di-
lectio patris probata eſt quia miſit filium;
& dilectio filij in hoc, quia venit. Vnde De-
us pater miſit filium, non quia indigebat,
ſed ex ſola charitate, & cum haberet vni-
cum & vnigenitum, noluit habere vnum,
id eſt, ſolitarium, ſed vt fratres haberet, ad-
optauit illi, qui cum illo poſſiderent vitam
æternam. Hæc Gloſſ. ordina, vbi ſupra. Fi-
lius etiam Dei miſit ſe ex maxima charita-
te, quam habuit ad hominem. Vnde dicit
August. Quoniam benignus amator om- Lib. ſup.
nium filius tuus Deus noſter loquitur ad put. cap. 2.
Deum patrem, cuius pijs viſceribus non
ſatis viſum eſt, vt ſe inclinaret homo fact⁹
ex virgine Maria, niſi etiam ſubiret crucis
patibulum effuſo ſanguine propter nos, in
noſtram ſalutem venit pius Deus, & venit
pietate & bonitate ſua, venit quærere &
ſaluum facere quod perierat, quæſiuit ouē
perditam, inuenit & eam in humeris ſuis
reportauit ad caulas gregis pius Deus, &
vere multum pius paſtor. O charitas! ô pie-
tas! quis audiuit talia? quis ſuper tanta mi-
ſericordiæ viſcera non obſtupeſcat? quis
non miretur propter nimiam charitatem
tuam, qua nos dilexiſti? Hæc Auguſt. Licet
igitur illa magna charitas fuit & dilectio,
quam Deus pater omnibus generaliter ex-
hibuit in illis beneficijs aut ſaltem exhibe-
re paratus: Iſta tamen charitas, quam filius
aut pater per filium ſingulariter ſuis electis
exhibuit, multo maior eſt & copioſior, iux-
ta illud Pſalm. *Apud eum copioſa redemptio.* Pſal. 129.
Vnde dicit Bernar. Iudæus ſanè ſiue paga- Bern. l. de
nus nequaquam talibus aculeis incitatur diligendo
amoris quales Eccleſia experitur, quæ ait; Deū c. 2.
vulnerata charitate ego ſum Et rurſum. *Ful-* Cant.
cite me floribus, ſtipate me malis, quia amore
langueo. Cernit *Regem Salomonem in diade-* Ibid. 3.
mate, quo coronauit eum mater ſua. Cernit
regem vnicum patris ſui ſibi crucem baiu-
lantem; cernit caſum & conſputum Do-
minum maieſtatis; cernit auctorem vitæ &
gloriæ confixum clauis, percuſſum lancea,
opprobrijs ſaturatum, tandem illam dile-
ctam animam ſuam ponere pro amicis
ſuis. Et poſt pauca. Videt deinde mortem
mortuam & mortis auctorem triumphan-
tem, videt de inferis ad terras, de terris ad
ſuperos captiuam duci captiuitatem. Hæc
Bern. Quæ omnia verè ſunt magnæ chari-
tatis & dilectionis filij Dei ſigna erga ho-
minem.

Circa quod breuiter ſciendum, quod ſi-
cut Deus pater multipliciter oſtendit di-

 lectionem

Filius Dei dilectionẽ ſuã quatuor præcipuè modis oſtendit.

lectionem ſuam erga hominem, ita Dei filius etiam eam oſtendit, & præcipuè quatuor modis ſecundum Holcoth ſuper librum Sap. cap. 16. Primo enim dilexit nos ſicut pater ſummus præueniendo tarditatem noſtræ beneuolentiæ. Secundo abluit fœditatem noſtræ ingratæ conſcientiæ. Tertio ſuperat quantitatem noſtræ ſufficientiæ. Quarto præparat ad voluptatem delitias affluētiæ. *De primo*, ſcilicet de præuentione noſtræ tarditatis, Bern. Dulcis Ieſus primus eſt in acceſſu & vltimus in receſſu: & ideo comparatur cordi, quod eſt primum viuens & vltimum moriens. In ſignum huius petit ſibi dari cor. *Præbe mihi cor tuum.* (*Prou.23.*) Vnde dicit Holcoth. Quod prius homo recedit à Deo per peccatum, quam Deus eum relinquit ſubtrahendo illi gratiam. *Secundo* abluit fœditatem noſtræ ingratæ cõſciētiæ; deleuit.n. peccatum per propriam ſanguinis effuſionem: delet etiam peccatum actuale per ſacramentalem pœnitentiæ lotionem. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* (*Apoc. 1.*) Sanguis deſignat & cauſat amorem. Vnde ſanguineæ complexiones ſunt naturaliter amatiuæ & amantes. Et iuuenes ſunt magis amatiui quam ſenes, propter ſanguinis abundantiam ampliorem. Hieronymus contra Iouinianum lib.1.allegans Xenophontem hoc ſcripſiſſe de infantia Titi maioris. Scribit inquit Hieron. Xenophon occiſo Abradago & viro, quem Pantheon vxor miro amore dilexerat, collocaſſe ſe iuxta corpus lacerum, & confoſſo pectore ſanguinem ſui mariti vulneribus infudiſſe. Iſto modo animæ noſtræ fideles deberent corpori Chriſti lacerato pro nobis facere, vt pro eius vulneribus ſanguinem compaſſionis infunderent, & cum ita feruenter diligerent, ſicut ipſe dilexit eas. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis.* (*Epheſ.5.*) *Tertio* dilectio Chriſti ſuperat quantitatem noſtræ ſufficientiæ. Plura enim nobis tribuit, quam perfectè intelligere vel deſiderare ſciamus, vel ſufficiamus ſuum amorem recompenſare. Vnde Apoſtolus vocat charitatem Chriſti nimiam. (*Ibid.2.*) Nemo amicorũ carnaliũ, inquit S. Chryſ. (*Chryſ. de reparatione lapſi.*) etiamſi ſit in hoc ſupra modum inſaniēs, ita exardeſcere poteſt in amorem dilectæ ſuæ, ſicut Deus effunditur in amorem animarum noſtrarum. Quatuor defectus in dilectione noſtra contingũt, à quib⁹ amor Chriſti eſt alienus. (*Dilectionis noſtræ defectus.4*) Sunt enim aliqui, qui licet amentur, non tamen redamant amatores ſuos, ſicut ſunt ingrati contra Deus dic. *Ego diligentes me diligo.* (*Prou.8.*) Secundi sũt qui diligunt, ſed propter propriam vtilitatem, indigent enim beneficijs amicorum. Cõtra quos Seneca in quadam Epiſtola. Negotiatio eſt amicitia, quæ ad commodum attēdit, ſecundũ Ariſt.8. Ethicorum. Cum ſit amicitia propter vtile, ſunt nummi amici inter oēs. Et hoc etiam plangit Ouidius dic. (*Ouidius 2. de põte.*)

Turpe quidem dictu, ſed ſi modo vera fatemur, Vulgus amicitias vtilitate probat.

Per oppoſitum Chriſtus non diligit nos propter ſuam vtilitatem, quia noſtris non indiget ad fructum ſuum, ſed nos ad fructũ noſtrum. *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo,* (*Epheſ.1.*) id eſt, gratos nos fecit. *Sanabo contritiones eorum & diligam eos ſpontaneè.* (*Oſea 14.*) Sunt tertij qui diligunt hominem, ſed non niſi in proſperitate & fœlicitate ſua iuxta illud Boëtij. (*Boët. 3. de conſol.*) Fœlicitas amicum, infortunium inimicum facit. Vnde dixit quidam;

Exemplo dicidi quod proſperitatis amici. Res amplectuntur non nos ſed noſtra ſequuntur.

Et iterum alter metriſta. *Non ſunt perſonæ ſed proſperitatis amici, Quos fortuna tenet dulcis, acerba fugat.* Per oppoſitum Chriſtus, qui tunc maximè diligit hominem, quando à mundo deſeritur & à malis hominibus agitatur. Vnde ipſe dicit in Pſa. (*Pſal. 90.*) *Cũ ipſo ſum in tribulatione.* Et iterum. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* Quarto in mundanis amicis inuenitur defectus, quia multi diligunt viuentem, ſed mortuũ perſequuntur & odiunt; cuiuſmodi ſunt nonnunquam fratres, filij, & vxores, ſeruus & executor. Cum enim fuerit homo defunctus, tunc iſti qui de bonis ſuis eum magis iuuare debuerant, ſpoliant & prædantur. Vnnde metrice dicitur. *Poſt mortis morſum, vertit dilectio dorſum. Finita vita finitur amoris ſcintilla.* Per oppoſitum Chriſtus diligit viatorem dum viuit, ſed longe amplius poſt mortem. *Cum dilexiſſet ſuos, vſque in finem dilexit eos,* (*Ioan.13.*) hoc eſt in perpetuum, *In chari-* (*Ierem. 31.*)

charitate perpetua dilexi te. Quarto oſtendit Chriſtus ſuam dilectionem ad nos voluptatem delitiarum affluentem præparando. 2. Theſſ. 2. Vnde Apoſt. *Dilexit nos, & dedit conſolationem æternam*, quæ quanta ſit ſancti nitũtur exprimere & non poſſunt. Vnde Aug. Tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tanta eſt iucunditas lucis æternæ. Hæc eſt immutabilis veritas atque ſapientia, vt ſi etiam non liceret in ea amplius manere, quam vnius diei hora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni diuitijs & circumfluentia bonorum temporalium, rectè meritoque contemnerẽtur. Et Chryſoſt. de reparatione lapſi; Si quotidie oporteret tormenta perferre, ſi ipſam gehennam paruo tamen tempore tolerare pro eo vt Chriſtũ poſſemus videre in gloria viuentem, eius ſanctorum numero ſociari, non eſſet dignum pati omne quod triſte eſt, modo vt tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur. Hæc ille.

Aug de moribus Eccleſiæ. Delitiarũ cœleſtium affluẽtia.

III.

Vtilitas dilectionis Dei.

Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Certè magna vtilitas ex dilectione diuina, qua factum eſt, vt omnis credens non pereat, ſed æternaliter conſequatur vitam æternam. Circa quod ſciendum, quod (ſicut hic patet) vita æterna non detur, niſi credentibus in Chriſtũ. Notanter autem dicit; *Omnis qui credit in ipſum*. non dicit, qui credit ei, aut qui credit ipſũ. Nã ſecũdũ Gloſſ. ordi. Iac. 2. Aliud eſt credere Deo, aliud credere in Deum. Credere Deum eſt credere quod ſit; Credere illi, eſt credere vera eſſe, quæ dicit ipſe. Credere in illum, eſt diligere illum. Primum & ſecundum eſt multorum malorũ, ſed tertiũ tantum bonorum. Eſt ergo fides Chriſtianorum credere in Chriſtum, id eſt, bene operando per dilectionem in ipſum intendere. Vnde hæc eſt fides formata, quæ ſola iuſtificat. Alias autem fides informis ſine operibus dicitur mortua. Hinc eſt quod Iacob. arguens contra philoſophos & fictos Chriſtianos dicit; *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides ſaluare eum?* Et poſt pauca. *Sic fides, ſi non habet opera*, ſcilicet quibus reuiuiſcat ſecundum Interlinearem. *mortua eſt in ſemetipſa.* q. d. Sicut animal mortuum dicitur, quod non vllo modo percipitur moueri, ſic anima quæ dicit ſe fidem tenere & opera non oſtendit, non eſt viua eo quod ſigna vitæ animæ fidelis ſunt motus operum bonorũ. Et ideo Iacob. ibidem ſubdit dicens; *Sed dicet quis. Tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendã tibi ex operibus fidẽ meã. Tu credis quoniam vnus eſt Deus, bene facis, & dæmones credunt & contremiſcunt.* Et ſequitur. *Vis ô homo ſcire maius, quoniam fides ſine operibus mortua eſt. Abraham pater noſter, nõne ex operibus iuſtificatus eſt offerens filium ſuum Iſaac ſuper altare. Vides ergo quoniam fides cooperabatur operibus ſuis. Et ex operibus fides conſummata eſt, & impleta eſt ſcriptura, dicens; Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.* Ex quibus concludit Iacobus dicens; *Videtis quod ex operibus iuſtificatur homo, nõ ex fide tantum. Similiter autẽ & Raab meretrix, nonne ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios, & alia via eijciens?* Ex quo conſequenter concludit per exemplum Iacobus. *Sicut enim corpus ſine ſpiritu eſt mortuum, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Hæc Iacob. Super quibus verbis dicit Gloſſ. ordinari. Ideo debetis bene agere, quia fallũtur qui ſolam fidem ſufficere credunt. Sed diceret quis. Tamen apud S. Marcum dicitur; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Soluit hoc Gloſſ. ibidem dicens, quod hoc intelligitur de fide perfecta, quæ per dilectionem operatur. Inducit autem duo exempla ad hoc probandum, ſcilicet de Abraham, & Raab. Vnde dicit Gloſſa. ordina. quod Abraham, licet per fidem quam habebat, eſſet iuſtus, tamen per opera, quæ addidit amplius eſt iuſtificatus, quæ niſi feciſſet, meritum præcedentis fidei amiſiſſet. Vnde ſecundum Gloſſa ordinat. Licet Apoſtolus ad Romanos dicat Abraham fuiſſe iuſtificatum per fidem ſine operibus, hoc intelligendum eſt de operibus, quæ præcedebant, quia per opera, quæ feciſſet ante fidem

Quæ Chriſtianorũ fides.

Iacob. 2.

Gen. 22.

Ioſue 2.

Marc. 16.

fidem, iuſtus non fuit ſed ſola fide. Hic autem dicit Iacob⁹, ꝙ Abrahā per opera iuſtificatus ſit, quod intelligitur de operibus ſequentibus fidem, per quæ amplius iuſtificabatur, cum iam per fidem iuſtus fuiſſe[t]. Vnde Paulus laudat fidei conſtantiam. Iacobus autem operum magnificentiam. Hæc Gloſſa. Iſta tractans latius Iſido. dicit; Inter fidem & opus hoc diſtat, quod ex fide poſſibilitas nobis operis inchoatur, ex opere ipſa fides perficitur. Opus enim fide præuenitur, fides operibus conſummatur. Opera autem ſine ſine nequaquam prodeſſe poſſunt, quia non valet à malo declinare & agere, quod pertinet ad ſalutem, quippe qui ipſum ſalutis vel neſcit vel negat auctorem. Item fides ſine operibus nequaquam prodeſt, quia non poteſt per fidem Deo placere, qui Deum contemnit in opere. Ob hoc & fides ſine ooperibus mortua eſt, iuxta Iacobum, & opus abſq; fide vacuum eſt iuxta Paulum. Paulus prædicat ante fidem nullo modo eſſe opus bonum. Iacobus narrat nihil valere ſine opere bono, ac per hoc iuxta primum opera fidem præcedentia nihil proſunt, iuxta alterum ſubſequentia multum proſunt. Iacobus dicit, Abraham pater noſter ex operibus iuſtificatus eſt. Paulus dicit, Credidit Abraham Deo& reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Quid? ergo vterque ſe deſtruunt? Abſit, ſed vtique nos inſtruunt. Nam ſecundum Paulum Abraham ex fide iuſtificari meruit, quando credidit, ſecundum Iacobū ex operibus placuit, quoniam tentatus immolandum filium ſuum non recuſabat. Hæc Iſidorus. Eſt ergo immutabilis ſententia, ineffabilis veritas, & indubitata patrum auctoritas, neminem ſaluari poſſe ſine fide formata, hoc eſt bonis operibus adornata; quod etiam hoc ipſum vocabulum & nomen oſtendit. Nam fides dicitur à facio & dico. Vnde qui facit, quod dicit hic fidelis eſt, inquit Auguſtin. in ſermone. 22. Talis fides fides vbicunque fuerit, omnia poteſt, omnia impetrat Marc. 11. *Omnia quacunque orantes petitis credite & accipietis*. hac fide nihil pretioſus, nihil honorabilius. Vnde Auguſtin. de verbis Domini. Nullæ maiores diuitiæ, nulli honores, nulla huius mundi maior eſt ſubſtantia quam eſt fides Catholica, quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat & infirmos curat, cathecumenos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martyres coronat virgines & viduas & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, ſacerdotes conſecrat, in æterna hæredirate cum ſanctis Angelis collocat, & breuiter beatitudinem confert ſempiternam. Quia *beati qui non viderunt & crediderunt*. Ioan. 20. eo quod *qui ex fide ſunt benedicentur*. Galat. 2. Ad quam beatitudinem nos perducat, qui ſine fine viuit & regnat. Amen.

Iſid. li. defi nitionum.

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

SERMO. II.

Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim opera eorum mala. Ioan. 3.

INter alia quibus homines delectantur in hac vita, eſt claritas lucis ſolalis, iuxta illud Eccl. *Dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem*. Vnde Tobias cæcus effectus Angelo ſibi annuncianti gaudium reſpondit; *Quale mihi gaudium eſt, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Et licet omnis lux ſtellarum omnium ſit hominibus delectabilis, tamen maximè homines diligunt ſolem, præſertim quia, vt dicit Macro-

Eccl. 11. *Tob. 5.*

Macrob. l. 1. ſup. ſomnium Scipionis. Macrobius, inter omnia viſibilia eſt Deo ſimilior, prout etiam dixit Plato. Tum ratione quantitatis, quia nullus planetarum eo maior, & ipſe excedit terram centies ſexageſies ſepties, vt dicit Alfraganus differentia. 22. Tum ratione poteſtatis, quia omnibus influit, & omnes ſtellas quaſi dux poteſtate præcedit & princeps, vt dicit Plotinus. Tũ ratione claritatis, quia plenus eſt luce ſine omni macula, & ideo dicitur quaſi ſolus perfectè lucens. Moraliter loquendo Chriſtus eſt verus ſol iuſtitiæ. De quo dicitur Malach 4. Qui in infinitum eſt ſimilimus Deo patri, quam iſte ſol materialis. Et ratione quantitatis, quia in infinitũ omnia excedit.

Sap. 8. *Attingit enim à fine vſq; ad finem.* *Iob. 11.* *Et ipſe altior eſt cælo profundior abyſſo,* Item ratione poteſtatis, quia ipſe cum Deo

Philip. 2. patre æqualem habet poteſtatem, & ei obediunt cœleſtia, terreſtria & infernalia. Item tertio ratione claritatis, ipſe enim habet æternam claritatem cum patre.

Ioan. 7. *Pater clarifica me claritate quam habui priuſquam mundus fieret.* Quæ quidem claritas excedit omnem claritatẽ creatam quantamcũque. Vnde Sap.

Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis & imago bonitatis illi⁹.* Et ſequitur. *Eſt ſpecioſior ſole & ſuper omnẽ ſtellarum diſpoſitionẽ luci cõparata inuenitur prior.* Et Eccl.

Eccl. 23. *Oculi Domini lucidiores ſole* Et ideo concludit Boëtius. Quod Deus poteſt dici ſol quaſi ſolus lucens. Idem dicit Hom. in lib. de laude ſolis. Sed quamuis diuinæ lucis radius ipſe Dei filius ſe nobis tam multipliciter manifeſtauit in mundo, nunc ſe panem vocans in famelicorum ſatiationem; nunc vitem in deſolatorum conſolationem; nunc lucem in cæcorum illuminationem, vt dicit Hugo de ſancto Victore ſuper primũ capitulum cœleſtis hierarchiæ; Mirum tamen eſt, ꝙ mundus tanta ipſius beneficia paruipendens magis vanitati labenti adhæſit, & pro luce tenebras dilexit. Hinc eſt quod filius merito dicit mundum eſſe arguendum ex hoc, quod *cum ipſe venit vt lux*, qui per ſe & per Spiritum ſanctum mundum illuminare diſpoſuit, *tamẽ mundus plus dilexit tenebras quam lucem.*

Propoſit. In quibus verbis tria deſcribuntur. Primo diuinæ bonitatis magnitudo & excellentia, quia *lux venit in mũdum.* Secundo humanæ iniquitatis ingratitudo & maleuolentia in eo, quod *dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Tertio ſubiungitur huius ingratitudinis origo & cauſa, cum additur; *Erant enim opera eorum mala.*

I.

Lux venit in mundum. Verè magna bonitas Dei, quæ videns totum mundum tenebroſum multiplicibus tenebris, dignatus eſt mittere filium ſuũ, *qui eſt ſplendor paternæ gloriæ.* Qui ad hoc venit, vt illuminaret omnem hominem venientem in hũc mundum. *Bonitatis Dei magnitudo.* *Heb. 1.* *Chriſtus lux.*

Erat ergo Chriſtus lux arguens malos. *Omnia quæ arguuntur à lumine manifeſtantur.* *Ephes. 5.* Erat lux dirigens bonos. *Ambulate dum lucem habetis.* *Ioan. 11.* Erat lux delectãs iuſtos. Vnde Eccleſ. 11. *Dulce lumen & delectabile eſt oculis,* ſcilicet iuſtorum, *videre ſolem.* Iſta lux lucet tripliciter. In ſignis per potentiam; iuxta illud Pſal. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ.* *Pſal.* In verbis per ſapientiam. *Splendor eius vt lux erit.* *Abac 3.* In exemplis eius bonitas; *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* *Ioan. 8.* Sequitur ſcilicet per imitationem operum. Iſta lux non minus hodiè lucet per gratiam Spiritus ſancti in mundo, primo lumine ſcientiæ: Vnde in Pſal. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* *Pſal.* Montes æterni ſunt Apoſtoli, qui dicũtur æterni, quia ab æterno præordinati & præelecti, iuxta illud. *Elegit nos in ipſo ante mũdi conſtitutionem.* *Ephes. 1.* Et: *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra ſed ſecundum propoſitum ſuum,* *2. Tim. 1.* id eſt, ſecundum ſuam æternam præordinationem. Exponit Gorra. ibidem iuxta illud. *Secundum propoſitum vocati ſunt ſancti;* *Rom. 8.* Hi montes hodie ſunt illuminati à Chriſto per Spiritũ ſanctum, qui deſcendit ſuper eos in flamma & luce ignis, quos ita illuminauit lumine ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, vt haberent ſcientiam omnium linguarum & omniũ pertinentium ad ſalutem, etiam ſuper omnes ſanctos veteris teſtamẽti patres. Vnde quilibet eorum potuit dicere illud Pſalmiſtæ; *Pſal. 118.* *Super ſenes intellexi.* quod exponit Lyra. ad literam de Apoſtolis, qui, ſecundum ipsũ, intellexerũt ſuper ſanctos patres. Ab his ergo mon-

go montibus ſic illuminatis hodie & nos illuminamur per eorum doctrinam, per illuminationem ſaluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui illuminat nos per Euangelium vt dicitur 2. Thim. 1. Secudo illuminat nos lumine lætitiæ ſpiritualis, ita quod homines poſt miſſionem Spiritus ſancti multo libentius & ardentius ſeruiunt Deo, quam ante; ſicut artifices libentius operātur in luce diei, quam noctis tenebris. Vnde; *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* (Rom. 13.) Et ideo quilibet Chriſtianus dicere poteſt illud; *Dediſti lætitiam in corde meo.* (Pſal. 4.) Et præmittitur *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Tertio illuminat nos Chriſtus ſemper per gratiam Spiritus ſancti lumine gratiæ. *Eramus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (Epheſ. 5) Et hoc prophetabat Iſaias. *Orietur in tenebris lux tua.* (Iſa. 58.) Et ideo vnicuique dicitur hodie; *Surge illuminare Hieruſalem quia venit lux tua,* (Ibid. 60.) lux vtique gratiæ, quæ nos facit filios lucis. *Vt filij lucis ambulate &c.* (Epheſ. 5.) Eſt tamen aduertendum, quod Chriſtus illuminat diuerſimodè pro loco & tempore. Nam illuminat in mundo valdè vtiliter; in cœlo valdè delectabiliter; & in futuro iudicio valdè terribiliter. De prima illuminatione dicitur apud Ioan. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Ioan. 1.) Et ipſe de ſe dicit: *Ego ſum lux mūdi.* (Ibid. 8.) Iſta autem illuminatio eſt valdè vtilis, maximè ad duo, vel contra malum, vel propter bonū. Contra malum tria genera hominum illuminat. Et primo peccantes ad cognitionem peccati, ſic ſole illuminante videntur atomi. Hanc illuminationem petebat Pſalmiſta; Petamus & nos cum eo dicentes; *Domine qui illuminas lucernam meam, illumina tenebras meas.* (Pſal.) Et iſtud eſt primum donum Spiritus ſancti in conuerſione peccatoris, quo cognoſcit vilitatem & grauitatem peccati, ex quo ſurgit ad contritionem. Secundo illuminat Chriſtus pœnitētes ad expulſionem cogniti peccati. Sicut ſole oriente repelluntur nebulæ, & ſicut illuceſcente die purgantur ſordes domeſticæ. Vnde Zacharias apud Lucam; *Viſitauit nos oriens ex alto.* (Luc. 1.) Et ſequitur. *Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent,* vmbra mortis eſt peccatum, quia eſt quaſi figura & imago mortis æternæ: Tertio illuminat pugnantes ad cautelam recidiui, ſic illuminato malo paſſū fugiunt hoſtes & vitatur caſus. Ideo Pſalm petijt. *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eum.* (Pſal. 12.) Quia ergo hæc tria paratus eſt nobis facere Chriſtus; Ideo vnicuique hodie dicendum eſt illud; *Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus.* Præterea ad bonum illuminat Chriſtu per Spiritum ſanctum tria genera hominum, ſcilicet prædicantes ad cognitionem dicendorum. Sic enim luna illuminata à ſole illuminat nos. vnde in Pſal. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* (Pſal. 118.) Sicut enim oculus non videt coloratum ſine lumine, ſic nec verum poteſt intelligere intellectus ſine Spiritus ſancti illuminatione, vnde Pſalm. *Præceptum Domini lucidum,* id eſt, luce decoratum per Spiritum ſanctum. (Idem. 18.) Hinc clamat Eccleſia. *Accende lumen ſenſibus.* Et verè neceſſe eſt iſtud lumen ſenſibus noſtris, nam niſi adſit intus qui doceat, Doctoris lingua in vanū laborat extra, inquit Greg. in hom. ſuper Ioā. Vnde Lincon. dicit, quod vnus eſt doctor, qui mentes hominum illūminat & veritatē oſtendit. (Lincon. ſup. 1 poſt.) Secundo illuminat obediētes ad honeſtatē morū. Sic ſcriptor illuminat librū, vt pulchrior & pretioſior habeatur. Ideo dictū eſt; *Surge illuminare,* ſc. obediendo, *ſurge & illuminare,* ſc. honeſtè cōuerſando, *quia venit lumen tuum,* ſ. Chriſtus. (Iſa 60.) Sic mulier honeſtius ſe gerit, quātò nobiliori deſponſatur. Tertio illuminat perſeuerantes ad perueniendum in regnū. Sic in die candela illuminante peruenit viator ad terminum. Pſal *Deduxit eos in nube tota die, & tota nocte in illuminatione ignis.* (Pſal.) Ecce quam vtiliter omnibus ſtatibus hominum iſta lux illuminat in mundo. Secūdo Chriſtus illuminat in empyreo cœlo delectabiliter. De qua illuminatione in Apoc. *Claritas Dei illuminabit eam,* ſcilicet ciuitatem ſupernam, *& lucerna eius eſt agnus.* (Apoc. 21.) Iſta autem illuminatio erit etiam nobis vtilis ad tria, videlicet ſecuritatem ſine metu; ſic illuminatio aſſecurat timidū, qui in tenebris horret. Ideò Pſal. dixit. *Dominus illuminatio mea.* (Pſal. 26.) Et ſequitur; *à quo trepidabo?* Si

bo? Si candela illuminans aſſecurat, quanto magis Deus? Secundo illuminatio iſta cauſabit in nobis iocunditatem ſine fletu. Sic illuminatio delectat oculum. Sic lux mitigat morbum, qui de nocte magis grauat.
Eccl. 34. *Illuminans oculos, dans ſanitatem & vitam* Tertio cauſabit in nobis æternitatem ſine defectu. Lux enim facit ad conuerſatione inferiorum, ſic lux ſuperna ad perpetuitatem verorum. *Dominus Deus illuminabit e-*
Apoc. 22. *os, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.* De tertia illuminatione, quæ erit terribilis in
1. Cor. 4. iudicio dicit Apoſt. *Illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cor-*
Amos 5. *dium.* Et Amos. *Reuelabit quaſi aqua iudicium, & iuſtitia quaſi torrens fortis.* Quaſi aqua dicit propter nimiam abundantiã pęnarum, quas Deus tunc reuelabit quaſi impetum aquæ torrentis. Hæc hodie ſunt
Deut. 32. clauſa vt dicitur in Deut. *Nonne hæc abſcondita ſunt apud me & ſignata &c.* Interlinearis, in futuro iudicio reuelanda. Sed tamen bonis iſta illuminatio erit delectabilis,
Pſ. 30. quia in Pſal. dicitur *quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam abſcondiſti timentibus te?* Quam abſcondiſti ſcilicet nunc, ſed tũc reuelabis illuminando vultum tuum ſuper nos, & oſtendendo clarè, iuxta illud; *Oculo*
Iob. 28. *ad oculũ videbunt.* Abſcondita producet in lucem. Sicque patet primum, ſc. diuinæ bonitatis magnitudo & excellentia, in eo *quia lux venit in mundum.*

II.

Ingratitudinis perverſitas. *Et dilexerunt magis homines tenebras, quã lucem.* Quis dubitat maximam eſſe peruerſitatis ingratitudinem, quando ille qui habitat lucem inacceſſibilem, ad nos veniens dignatus eſt nobiſcum conuerſari, vt nos filios lucis efficeret; Et tamen nos plus diligimus tenebras peccatorũ, quam lucem bonorum operum? plus tenebras culpæ, quam lucem gratiæ? plus tenebras miſeriæ præſentis, quam lucem gloriæ futuræ? Et ideo multum ſumus ingrati. Sicut autem dictum eſt, quia Chriſtus venit nos efficere filios gratiæ, ſed nos tendimus ſemper ad

Culpa ſtatus excæcat tripliciter. ſtatum culpæ; Ideo dicitur nobis; *Dilexerũt homines magis tenebras quam lucem.* Dicitur ergo ſtatus culpæ merito tenebræ. Primo quia obſcurat intelligentiam; Secundo quia excæcat cõſcientiã; Tertio quia tenebras q̃rit & ad tenebras tẽdit. *Primo* obſcurat intelligẽtiam. Videmus. n., quod quidã quãtocumq; labore & ſtudio acquiſierunt ſcientiam, ſi ad ſtatum culpæ mortalis declinauerint, non niſi ea quæ carnis ſunt ſapiunt, nec mentis oculum vnquam ad ſpiritualia & ad cæleſtia contemplanda ſubleuant, iuxta illud; *Hoc dico & teſtificor in* *Ephes. 4.* *Domino, vt non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum.* Hęc ibi. Dicit ibi Lyra. Obſcuratum habentes intellectum, quia vitia & maximè carnis cauſant hebetudinem mentis. Simile habetur ad Roma. *Rom. 1.* vbi dicitur; *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes*, ſc. in tẽporalibus. *ſtulti facti ſunt*, in ſpiritualibus. Exponit Lyra. & huius exemplum habemus expreſſum in Salomone, cuius cor deprauatum eſt propter mulieres, ita quod ad idololatriam lapſus eſt. Ecce magna cęcitas. *Secundo* ſtatus culpæ excæcat conſcientiam, vt, in quanto malo & periculo homo poſitus ſit, non agnoſcat. *Qui odit fra-* *1. Ioan. 2.* *trem ſuum, in tenebris eſt vſq; adhuc.* Et infra. *Et in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quoniam tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Ideo dicitur apud Luc. *Luc. 11.* *Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint*, id eſt, ne intentio tua mala ſit. Ex qua cõſcientia obſcuratur etiam, ſi illud quod agitur aliquando bonum videtur. *Tertio* ſtatus culpæ tenebras materiales quærit. *Væ qui profundi eſtis cor-* *Iſa. 29.* *de, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt; Quis videt nos? & quis nouit nos?* Et ſequitur. *Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio.* Et in Euangelio præſenti dicitur. *Omnis qui malè agit o-* *Ioan. 3.* *dit lucem.* Et Apoſt. *Nolite communicare o-* *Ephes. 5.* *peribus infructuoſis tenebrarum, magis autẽ redarguite.* Et talibus reducendum eſt illud poëtę.

Cũ quid turpe facis, quod me ſpectante rubeſcis,
Cur ſpectante Deo non magis ipſe rubes?

Et illud; *quia veniet Dominus, qui illuminabit abſcõdita tenebrarũ & manifeſtabit*

 conſilia

1.Cor.4. *conſilia cordium. Quarto* ſtatus culpæ ad te-
Matt.22. nebras ducit; *Ligatis manibus & pedibus*
Ibid.25. *mittite eum in tenebras exteriores.* Et: *Filij*
Ibid.8. *aũt regni mittentur in tenebras exteriores,* id
eſt, a facie Domini. Dicit interlinearis, in
æternam noctem, qui hic ſponte ceciderunt in tenebras exteriores, id eſt, in cæcitatem mentis. Quis ergo non videat aut intelligat magnam eſſe ingratitudinem, neglecta illa claritate lucis gratiæ? Ideo merito arguitur humanæ peruerſitatis ingratitudo.

III.

Ingratitudinis origo. *Erant enim opera eorum mala.* Sciendum quod ſicut opera in gratia Dei facta ſunt meritoria & bona, ita extra gratiam facta ſunt demeritoria & mala, quantum ad vitam æternam, licet in genere ſuo ſint bona. Et ratio; quia gratia dat operi noſtro for-
1.Cor.13. mam, iuxta illud: *Si linguis hominum loquar charitatem autem non habeam &c.* Et ideo quodlibet opus extra gratiam & charitatẽ Dei factum eſt malum, eo quod non tendit finaliter in Deum. Eſt autem regula, quod opus denominatur a fine, & cuius finis bonus, ipſum quoque bonum, & econuerſo. Ideoque, quia illi, qui ſpreuerant fidem Chriſti, malè ordinabant opera ſua in ma-
Heb.11. lum finem, *cum ſine fide impoſſibile ſit placere Deo;* concludit eis merito Chriſtus, quod erant eorum opera mala.

Peccatorũ opera mala ex triplici cauſa. Sunt autem opera peccatorum mala ex triplici cauſa. Primo quia multum vilia; Secundo quia multum vana; Tertio quia multum nociua. Eſt ergo primo opus peccati malum, quia vi-
Sap 15. le. Dicitur enim de peccatore; *Luto vilior eſt vita eius.* Et verè valdè vile eſt, quia in die nouiſſimo quilibet nominabit opus ſuum; & faber & ſutor. Sed peccator non audebit nominare opus ſuum. Quomodo enim audebit nominare opus ſuum, cum
Rom.1. *omnis qui taliter agit, dignus eſt morte. Nec ſolum qui agunt ſed etiam qui talibus conſentiunt;* cuiuſmodi ſunt nouem alienis peccatis laborantes. De quibus habetur verſus.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Secundo peccatum eſt opus malũ, quia vanum, vnde Pſal. *Vt quid diligitis vanitatẽ.* Vanum eſt quod eſt infructuoſum. Si eſſet vile, ſed tamen fructuoſum, adhuc non eſſet ita vanum, ſi aliquis id operaretur. Sed certè peccatum non ſolum eſt vile, ſed infru- Rom. 6.
ctuoſum. Vnde Apoſtolus. *Quem fructum* Luc.5.
habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis? Hi poſſunt dicere illud Luc. *Per totam noctem la-* Sap.3.
borantes nihil capimus. Vacua eſt ſpes eorum & labores eorum ſine fructu & inutilia opera Iſa. 56.
eorum. Telas aranearum texuerunt Ecce vanum opus. Tertio opus peccati dicitur
malum quia nociuum, iuxta illud Eccl.14 Eccl. 14.
Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui operatur illud, peribit cum illo Et ſi quis vult
ſcire in particulari nocumenta peccati, Ibid. 20.
attendat primo quia aufert gratiam. *Gratia fatuorum,* id eſt, peccatorum, *effunden-*
tur. Cor fatui quaſi vas confractum, omnem Ibid. 21.
ſapientiam, id eſt, gratiam, *non tenebit.* Secũdo quia debilitat naturam, vt patet, quia propter peccatum eſurimus & ſitimus, vt dicit Greg. 5. diſt. Ad eius vero. Et tandem morte morimur. Hinc pſal. dic. confitendo
pœnam peccati. *Miſerere mei Domine, quo* Pſal 6.
niam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniã conturbata ſunt omnia oſſa mea. Tertio quia
peccatum elongat gloriam. Pſalm *Longe à* Ibid.
peccatoribus ſalus. Peccata noſtra diuiſerũt in- Iſa. 59.
ter nos & Deum noſtrum. Vltimo quia obli-
gat ad pœnam. *Miſeros facit homines pecca-* Prou. 14.
tum, miſeria æterna vtique; *Stipendia pecca-* Rom. 6.
ti mors. Ecce quomodo opera peccatorum
mala ſunt. Inde eſt, quod Pſalmiſta horta- Pſal 69.
tur dicẽs; *Qui diligitis Dominũ, odite malũ.* Exponit Innoc. id eſt, diabolum vel quod-
libet peccatum. Et Apoſtolus ad Roma. *O-* Rom. 12.
dientes malum. Multum ergo homo debet timere, ne recedat à gratia Chriſti, ſine qua veniunt omnia mala, ſicut cum ea veniunt
omnia bona. Et certè valdè fatuus eſt ho- Sap. 7.
mo, qui non attendit opera ſua, dum ſunt in gratia Dei facta. Nam tunc ſunt valdè honeſta contra vilitatem. Vnde Prou. vlti. *Laudent eum in portis opera eius,* id eſt, laudabilem oſtendant, & Roman. 13. *Induamur arma lucis.* Secunda quia tunc ſunt valdè breuia Eccleſiaſt. 6. *In opere illius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius.* Tertia quia tunc ſunt valdè vtilia, quia ſunt opera noſtræ ſalutis, vt
dicitur

vt dicitur Philip.2. Nos ergo fratres ſimus grati de gratia, quę modo lucet nobis tempore gratiæ, facientes nobis opera lucis, vt tandem mercedem recipiamus in luce æterna. Quam nobis concedat &c.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

SERMO I.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, hic eſt fur & latro, qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium, huic oſtiarius aperit. Iohan.10.

OMNIA habemus in Chriſto, & omnia inuenimus, inquit S. Ambroſius in quodā ſermone. Si grauaris iniquitate, iuſtitia eſt; Si vulnera curare deſideras, medicus eſt. Si febribus æſtuas, fons eſt; ſi indiges auxilio, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cœlum deſideras, vita eſt; ſi quæris alimētum, cibus eſt. Hęc Ambroſ. Ex quibus verbis patet multiplex noſtri redemptoris erga nos pietas, qui omnibus omnia factus eſt. Vnde quia hominibus cœlum vſque ad ſuum aduentū clauſum erat, omneſque errauerunt ſicut oues errantes, & defecerant laſſati in via iniquitatis & perditionis, ita vt non poſſent por-
*Pſal.*118. tam & oſtium ingredi paradiſi, carentes
.1.*Pet*.2. introductore, tanquam cæci errantes in
Sap 5. plateis. Ideoque Chriſtus veniens in mun-
Thren. 4. di nobis factus eſt via ſalutis. *Ego ſum via*,
Ioan 14. nec ſolum via, quæ ducit nos ad regnum, ſed etiam factus eſt oſtium regni, quo intrantes ad regnum [illegible] oſtium, ſed etiam paſtorem ſe fecit ouium, qui introducit oues, & ante illas vadit prior, ſcilicet aſcendendo in cœlum. Inſuper dignatus eſt ordinare piiſſimum oſtiarium Spiritum ſanctum, qui omnibus per oſtium, hoc eſt, per fidem Chriſti intrantibus aperit benigniter. De quibus omnibus loquitur præ-
Propoſit. ſens Euangelium. *Qui non intrat &c.* In quibus verbis tria proponuntur ſecundum tres ſtatus trium perſonarum. Primò deſcribitur implicitè conditio mali paſtoris ibi; *Qui autem intrat per oſtium*. Tertiò deſcribitur conditio ouium, reſpectu quarum tales bonus & malus paſtor dicuntur, cum ſubiungitur; *Ouile ouium.* Et: *paſtor eſt ouium &c.*

I.

Licet prius deſcribatur conditio mali quam boni paſtoris, prius tamen dicēdum eſt de bono paſtore, ſecundo de malo, eò quod naturaliter prius eſt bonum quam malum, & tempore & dignitate. Conditio igitur boni paſtoris deſcribitur. Cum dicitur primò, *quia intrat per oſtium*; ſecundò, *quia oſtiarius ei aperit*. Et quis eſt iſte paſtor melior quam Chriſtus, qui ſecundum Gregor. paſcit nos, quos condidit. Nos enim ſumus oues paſcuæ eius, qui intrauit per oſtium, id eſt, per teſtimonium Sacræ Scripturę omnium prophetarum in Eccleſiam, non temeritate propria aut vſurpata ambitione, ſed Dei patris conſtitutione.
Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent. *Act.*10.
Ipſe etiam *non aſſumpſit ſibi honorem*, *ſed* *Heb.*5.
vocatus eſt à Deo tanquam Aaron. Vnde de
ſe dicit, *Ego autem rex conſtitutus ſum ab eo* *Pſal.* 2.
ſcilicet Deo patre. Hunc ergo oſtiarius, ſcilicet Spiritusſanctus aperuit portas iuſtitiæ quas ingreſſus eſt Chriſtus. Circa *Paſtor o-*
quod ſciendum quod Chriſtus meritò di- *ues paſ-*
citur paſtor, quia paſcit ſuos, iuxta illud *cit.*
Pſal. *Dominus regit me* [illegible] *Pſal.* 22.

Alia littera habet ſecundum Innoc. quar-
tum. Dominus paſcit me. Paſcit auté qua
druplici cibo, quo nihil eſt melius, & ideò
non ſolum meretur dici paſtor bonus, ſed
etiam optimus. Primus cibus eſt ſacramẽ-
Ioan. 6. talis ſcilicet corporis Chriſti. *Caro mea*
verè eſt cibus. Sed quos paſcit iſto cibo di-
Pſalm. citur in Pſalm. *Edent pauperes & ſaturabũ-*
tur. Pauperes dico ſpiritu, id eſt, humiles &
Matth. 5. non inflati. Secundus cibus eſt doctrina-
Ierem. 3. lis. *Dabo vobis paſtorem iuxta cor meum &*
paſcent vos ſcientia & doctrina. Tertius ci-
Matth. 5. bus eſt gratiæ æternalis. *Beati qui eſuriunt*
& ſitiunt iuſtitiam. Quartus cibus eſt glo-
riæ æternalis. *Ego diſpono vobis, ſicut*
Luc. 22. *diſpoſuit mihi pater, vt edatis & bibatis ſuper*
menſam meam in regno meo. Quis ergò du-
bitabit, niſi inſanus, de paſtu & cibo tanti
paſtoris, qui ſic affluenter & multipliciter
& ita precioſe paſcit ſuos? Vnde benè di-
citur. *Domin⁹ paſcit me & nihil mihi deerit*
Pſal. 22. Gloſſ. Innocent. ſcilicet in via præſenti.
Matth. 6. Propter quod Dominus dicit illos modicæ
fidei, qui ſub eius cura exiſtentes ſoliciti
ſunt, quid comedant aut bibant. Et reuera
modica fides eſt ſecundum Rabanum, quæ
nec de minimis certa eſt, cuiuſmodi eſt pa-
ſtus & cibus humanus. Vnde Auguſt. Paſ-
cit contemnentem ſe, & non paſcet ſequen-
tem ſe: quaſi dicat, non. Et benè dicit quod
nihil deerit homini ſub iſto paſtore, nam
non ſolum paſcit cibis vberrimis, iuxta il-
Ezec. 34. lud Ezech. *In paſcuis vberrimis paſcam eas,*
ſed etiam potat aqua refectionis, propter
quod Pſal. clamat hæc duo confitendo di-
Pſal. 22. cens; *In loco paſcuæ ibi me collocauit* Et ſe-
quitur. *Super aquam refectionis educauit me.*
Benè dicit refectionis, quia Chriſtus aquã
baptiſmi nobis miniſtrat, quæ nos reficit
& reformat & ſatiat. Reformat ſimilitudi-
nem Dei in homine, quam diabolus defor-
mauerat per peccatum. Vnde dicit omni-
Iſaiæ 1. bus Chriſtus; *Lauamini & mundi eſtote.*
Gloſſa. Lauamini aqua baptiſmi. *Erit fons*
Zach. 13. *patens domui Dauid in ablutionem peccato-*
rum. Reficit etiam, id eſt, ſatiat baptiſ-
mus, quia in baptiſmo datur Spiritus ſan-
ctus, qui replet & ſatiat. Quod autem
datur Spiritus ſanctus in baptiſmo habet
Matth. 3. apud Matth. *Ipſe baptizabit vos in Spiritu*
ſancto. Quod autem Spiritus ſanctus re-
pleat, habetur Acto. 2. *Repleti ſunt omnes*
Spiritu ſancto. De hac duplici refectione
habetur in Acti. vbi Petrus dixit, *Pœniten-*
tiam agite & baptiſetur vnuſquiſque veſtrum
in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in remiſ-
ſionem peccatorum, & accipietis donum Spi-
ritus ſancti in remiſſionem peccatorum. Su-
per hac ergò aqua educauit nos Chriſtus
ſicut puerum nutrimento fidei, quo rece-
pto paulatim alia ſacramenta recipimus,
quæ nutriunt animam. Sed mirum eſt,
quod nos malè reficimur tot & tantis cibis
iſtius paſtoris, & continuè exiſtentes ſuper
aquam refectionis, vnde ſumus ſimiles
vaccis fœtis, quæ exibant de flumine quæ
in paſtu paludis vireta carpebant. Secun-
dò Chriſtus eſt paſtor, quia introducit oues
per oſtium, per quod ſolus intrauit.

Sunt autem ſeptem portæ ſeu decem o-
ſtia, per quæ quilibet iuſtus debet intrare *Paſtor o-*
ſupernam Hieruſalẽ, quæ ſignificatur per *ues per o-*
ſeptem portas ciuitatis Hieruſalem. De *ſtium in-*
quibus Neemiæ 3. Prima porta fuit gregis; *troducit.*
hæc eſt cõuerſio peccatorum per quam ſe-
cundum Innocent grex Domini diſperſus
reducitur ad ouile Domini. Pſal. *Introite*
portas in confeſſione. Et: *Eratis ſicut oues er-*
rantes, ſed conuerſi eſtis ad paſtorem, & eadem *1. Pet. 2.*
porta dicta fuit probatica piſcina. Secun-
da porta dicta fuit porta piſcium. Hæc eſt
porta mortificationis carnis amaritudo, in
qua viget anima ſicut piſcis in aqua maris,
& eadem porta dicta eſt porta Dauid, qui
interpretatur manu fortis. Tertia porta
fuit porta vetus, quæ dicta eſt etiam iudi-
ciaria, per quam ſignificatur contemptus
mundi & egreſſus a mundo, qui habet du-
plicem vetuſtatem, quæ cognoſcitur ab
illo, qui cognoſcit mundum. *Qui viderit te* *Naum. 2.*
reſiliet à te. Quarta eſt porta vallis, per
quam intelliguntur defectus terrenorum.
Et hæc porta dicitur Gyon, id eſt, vallis
pietatis vel porta Ioſaphat, id eſt, Domini
iudicium, quia de ſolis operibus pietatis
fiet iudicium. Matth. 25. Quinta porta eſt
ſterquilinij, per quam ſignificatur humi-
litas ex cõſideratione propriæ fragilitatis.
Sexta porta eſt porta fontis, per quam ſi-
gnificatur compunctio deuotæ orationis,

quæ debet procedere ex duobus fontibus, ſcilicet contritionis & charitatis. Per has portas Dominus noſter introducit ſuas oues in ſupernam Hieruſalem. Vnde Chriſtus eſt bonus paſtor, quia educit, deducit & adducit. Educit de Aegypto; deducit per deſertum, adducit ad terram promiſſionis. Primum fit per fidem; ſecundum per charitatem; tertium per ſpem. Et non ſolum educit, deducit, & adducit, ſed etiam ducit, circumducit, & introducit. Iſti modi habentur hic in Euangelio in parte, reliqui alibi. Dicitur enim hic, quod cum emittit oues ante eas vadit; poſtea ingredientur oues & egredientur, & ſic de alijs. Videamus ergo breuiter de his. Primò ergo Chriſtus educit a culpa. *Eduxit illum à delicto ſuo.* Secundò ab amore proprio. *Eduxit illum de limo terræ.* Tertiò de mala cõſuetudine inolita per peccatum. *Eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis liberaui te.* Sicut enim Ægyptij violenter faciebant filios Iſrael ſeruire ſibi, ſic conſuetudo. Quartò educit ad difficultatem benè operandi, Pſalmiſt. *Eduxit me in latitudinẽ. Petrus narrabat, quomodò eduxit eum Dominus de carcere.* Quintò de ſui cuſtodia ad exercitium ſpiritualis prælij. 1. Paralip. 11 *Tu eras qui ducebas & reducebas Iſrael*, ſcilicet ad prælium. Sextò ab actiua vita ad contemplatiuam Ezech 37. *Facta eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in Spiritu Domini.* Septimò educit à ſtatu meriti ad præmium. *Educet me in lucem, & videbo iuſtitiam eius.* Octauo educit animas de corpore. *Placita erat illi anima illius, propterea properauit illam educere de medio iniquitatum.* Item ducit Chriſtus primò viatorem per viam mandatorum. Prouerb. 4. *Ducam te per ſemitas æquitatis.* Item deducit de bono in melius proficientem. Et hoc multis modis, quia adducit per viam timoris ad inferiora, ſcilicet oſtendendo pœnas inferni, per viam ſpei ad ſuperiora, ſcilicet oſtendẽdo prẽmia regni. Sap. 16. *Tu domine ducis ad portas mortis & reducis.* Secundò deducit ad humilitatem per propriam ſuiipſius dijudicationem. *Deducam eos in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.* Vallis ſignificat humilitatem, Ioſaphat iudicium ſignificat. Tertiò deducit per operum moderationem *Deducet me in operibus meis ſobriè.* Quartò deducit per intentionis rectitudinem. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas.* Item circumducit infirmos quaſi per viam planam & magis tutam. Exod. 13 Non eduxit Dominus populum per viam terræ Philiſtinorum quæ vicina eſt, nè forte pœniteret ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere & reuerteretur in Ægyptum, ſed circumduxit per viam deſerti quæ eſt iuxta mare rubrum. Et in Deutero. *Circumduxit eum & docuit & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.* Item Chriſtus adducit ad viam rectam vocando per gratiam inſpirationis & ſignum boni exempli. *Vocaui eum & adduxi eum & directa eſt via eius.* Et hic dicitur in euangelio; *Cùm emiſerit oues ante eas vadit*, ſcilicet per oſtenſionem boni exempli. Item introducit, primò ad videndum ſuggeſtiones malorum, vt caueantur. *Introduxit me per oſtium domus Dei, quod reſpiciebat ad aquilonem, & ecce ibi ſedebant mulieres plangentes Adonidem*, id eſt, amaſium Veneris. Secundò ad videndum ortum gratiæ in pœnitentibus. *Eleuauit me ſpiritus & introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ reſpicit ſolis ortum.* Tertiò in feruens deſiderium charitatis. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Quartò in patriam. *Introducam vos in Syon.* Tertiò Chriſtus eſt bonus paſtor, quia defendit oues ab inſidiis inimicorum. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* quaſi dicat ſecundum Innocent. à nullo. Et poteſt eſſe ſenſus, à quo homine vel, à qua re? Vnde ſenſus eſt, q̃ quẽ Dominus protexit nec hominem nec aliud timere poteſt *Fugit impius nemine perſequente, iuſtus autem quaſi leo abſque timore erit*, vnde benè dicit, *à quo trepidabo?* quaſi dicat, neque timebo intus in corde, neque trepidabo exterius in corpore. *Ego protector tuus ſum. Protector potentiæ firmamentum virtutis.* Qui ergò habet talẽ protectorem à quo trepidabit? certè à nullo. Eccleſ. 34 *Qui timet Dominum, non trepidabit.* Hoc eſt quod ſaluator de ſe dicit, *Pater quos dediſti mihi non perdidi ex eis quenquam.* Protexit autem Chriſtus à tribus inimicis, ſcilicet à mũdo, quaſi

Sap. 10. Ibidem. Mich. 6. Act. 12. Sap. 4. Ioel. 3. Sap. 10. Deut. 32. Iſaia 48. Ezech. 8. Ibid. 11. Cant. 1. Ierem. 3. Paſtor oues defendere debet Pſal. 26. Prou. 28. Gen. 15. Eccl. 34. Ibidem, Ioan. 18.

Matth. 10 quaſi à lupo. *Ecce ego mitto vos in medio luporum.* A carne tanquam ab vrſo. *Vrſus*
Thren. 3. *inſidians factus eſt mihi.* A diabolo tan-
1. Pet. 5. quam a leone. *Circuit quærens quem deuoret quaſi leo rugiens.* Lupus eſt animal rapaciſſimum, & ſignificat tyrannos mundi rapientes pauperes Chriſti. Vnde Ioan. 10.
Ioan. 10. *Lupus rapit & diſpergit oues.* Vrſus eſt animal diligens mel, & ſignificat carnales de-
Iob 20. lectationes. *Cum dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.* Leo eſt animal ſuperbum, & ſignificat diabolum, qui eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Aliter poſſunt intelligi iſta animalia inſidiantia homini. De quibus dicit Amos. *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis & occurrat ei*
Amos 5. *vrſus, & ingrediatur domum & innitatur manu ſuper parietem & mordeat eum coluber.* Per leonem ſecundum Innocent. intelligitur tyrannica perſecutio, quia ſuperbus eſt & ferox. Per vrſum, qui infirmus eſt capite, & duriſſima pelle tegitur, ſignificantur hæretici qui infirmitatem capitis, id eſt, mentis infidelitatem patiuntur &
Prou. 28. duri & incorrigibiles. *Leo rugiens & vrſus eſuriens princeps impius ſuper populum pauperem.* Per colubrum mordentem in domo, domeſticus inimicus intelligitur, ſcilicet falſus frater. Ab iſtis omnibus protegit & defendit ſuos Chriſtus dando ſcu-
Pſal. 30. tum patientiæ. Vnde petit Pſalm. *Eſto mihi in Deum protectorem & in locum refugij.* Et bene petit non ſolum protectionis auxilium, ſed etiam refugij ſuffragium. Homo enim protegitur in bello, ſed refugium habet in caſtrum vel in turrim, vbi iam non pugnat, ſed laſſus de pugna reficitur & quieſcit. Similiter ſecundum Innocent. ſuper Pſalm. 30. Dominus nos protegit in pugna, cum in actiua vita laborantes corroborat, vt ieiunio & oratione & operibus miſericordiæ omne genus dæmoniorum à nobis effugemus. *Hoc genus dæmoniorum*
Matt. 17. *non eijcitur niſi per orationem & ieiunium.*
Tob. 12. Et: *Bona eſt oratio cum eleemoſyna & ieiunio, quoniam eleemoſyna à morte liberat,* & ipſa eſt quæ purgat peccata. Domus autem refugij eſt domus viro iuſto in contemplatione, vbi non pugnat, ſed conſolatione Dei reficitur & ſecurus quieſcit poſt laborem. De iſto caſtro refugij habetur in Prouerb. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſam curru iuſtus & exaltabitur.* Dominus Prou. 1[?] eſt fortitudo reſiſtentibus in bello, *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis.* Sed eſt refugium Iacob. [?] laſſis & fugientibus. *Venite ad me omnes, qui laboratis,* Pſalm. *Dominus firmamentum* Matth. 1[?] *meum & refugium meum.* Et iterum idem Pſalm. *Dominus fortitudo plebis ſuæ.* Contra iſtos omnes inimicos armat nos Apo- Pſal. 17. ſtolus dicens; *Sobriè & piè & iuſte viuamus.* Sobriè contra carnem; iuſtè contra mundum, piè contra diabolum.

I I.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, hic fur eſt & latro. Sciendum quod paſtor malus ſcilicet prælatus tam ſpiritualis quam ſecularis cognoſcitur a multis. Et primo ab ingreſſu in prælationem Debet enim ingredi iuſtè & ſanctè tanquam Aaron vocatus à Domino. Talis fuit Salomon qui de ſe ait; *Tu autem elegiſti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum & filiarum tuarum*, quaſi dicat, ſecundum Robertum Holcoth. Non me ingeſſi per præſumptionem, nec me intruſi per violentam occupationem. Ex qua auctoritate informatur princeps & quilibet prælatus circa ſtatum ſuum quatuor conſiderare; videlicet quod non ſit immiſſus per intruſionem; quod non ſit remiſſus per diſſimulationem; quod non ſit neglector culparum; quod non ſit acceptor perſonarum. Primò ergo conſideret prælatus vel princeps, quod non ſit immiſſus per intruſionem, ſed vt verè poſſit dicere verbum prædictum; *Tu me elegiſti*, & vt poſſit dicere illud Pſalm. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Syon montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Et notanter dicit primo; *Ego* ſcilicet alijs præſtantior, ſecundum Innocent. Sicut dicitur de Saul, quando debuit conſtitui rex. *Non eſt vir de filiis Iſrael melior illo.* Secundo dicit *conſtitutus*, id eſt, communi conſenſu ſtatutus *ab eo*, ſcilicet Deo, vt etiam in illo conſenſu propter Deum & inſpirationem Sancti ſpiritus conueniant non per violentiam, ſicut Ozias, qui voluit ſibi vſurpare ſacerdotium & percuſſus eſt lepra. Et ſicut Alchimus,

Malus paſtor ſiue prælatus vnde cognoſcatur
Hebr. 5.
Sap. 9.
Per canonicam electione ingrediendũ ad curã.
Pſal. 2.
1. Reg. 9.
2. Pa[?]

chimus, qui in congregato exercitu venit in Hieruſalem, & mortuus eſt inteſtatus. Item nec per ſanguinem, ſicut Abimelech, *Mach. 9* de quo dicitur, quod fratres matris eius abierunt de eis ad omnes viros Sichen, & inclinauerunt cor eorum poſt Abimelech dicentes, *Iud. 9.* frater noſter eſt. Item nec per ineptum ſeruitium, vt legitur in Ioſepho, quod poſtquam Romani eſſent adepti ſacerdotium, vendiderunt illud. Et dico notanter ineptum ſeruitium. Nam pro honeſto ſeruitio licitè datur beneficium. Vnde notat Archidiaco. 1. q. 1. Ordinationes. quod Epiſcopus poteſt dare præbendam pro remuneratione ſeruitij, ita vt illud, Pro, notet, non cauſam finalem ſed excitatiuam, id eſt, non debet eam dare finaliter, vt eum remuneret beneficio tali pro ſeruitio. Sed quia excitatur tali ſeruitio ad dandum tali perſonæ tanquam valenti & idoneæ, ideò dat beneficium. Vnde obſequium non debet eſſe cauſa finalis ſed excitatiua. Sed diceres; ſic pecunia poteſt dari Epiſcopo, vt ſit cauſa excitatiua. Reſpondeo ſecundum Archidiac. vbi ſupra, quod tale obſequium non debet eſſe cauſa excitatiua ad dandum, ſed ad cognoſcendum merita præſtantis obſequium, quibus cognitis danda eſt præbenda pro ipſis non ꝓ ipſo ſeruitio. Vnde dixit quidam. Curiæ prælatorum probatoriæ ſunt clericorum. Si autem daretur pecunia, per hoc non probaretur fidelitas aut aliquod meritum honeſtum. Hæc ille. Contra omnes modos illicitos ſupradictos dicitur in Canone 8. quæſt. 1. Moyſes amicus Dei fuit, cui facie ad faciem locutus eſt Deus, potuit itaque ſucceſſores principatus ſui filios facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem, ſed extraneus de alia tribu elegitur Ieſus, id eſt, Ioſue, vt ſciremus principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio habere, vt non quærant eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus agnoſcãt eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequio deliniti, vel pro quibus quiſpiam maiorum rogauerit, &, vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent muneribus impetrant. Hæc Hierony. vbi gloſſa dicit, quod conſueuit dici, quod ſi præces ſunt pro digno, non inducunt ſimoniam, 1. q. 1. Quibuſdam. hoc verum eſt, ſi non ſunt conſanguinei ſui, vt de ætate & qualitate. Brixenſis tamen nõ credit, quod preces conſanguineorum inducant ſimoniam, ſi fiant pro digno, vt 1. qũ. 1. latorem. Maximè cũ quis poſſit pro ſe etiam rogare, ſi dignus eſt, vt de ſimonia, Tua. Sed hoc verum eſt de non curatis beneficijs; nam curatum beneficium nullus quantumcunque ſit idoneus poteſt per ſe petere, quia eo ipſo redditur indignus ſecundum S. Tho. 2. 2. q. 100.

Eſt tamen notandum, quod qui ſe credit dignum & prælaturam ſibi oblatam non recipit, mortaliter peccat, 8. q. 1. Olim. & c. *Paſtor ſiue prælatus ad regendũ conſtituitur.* Qui Epiſcopatum. & de hoc 2. 2. q. 185. art. 2. Hoc expreſſe in gloſ. habes 8. q. 1. in ſcripturis, ſuper verbo minimè, ergo. Ad quid autem debet paſtor & prælatus intrare, ſubditur in Pſal. *Conſtitutus ſum rex ab eo*, à regendo. *Pſal. 2.* *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos regere eccleſiã.* *Actor. 20.* Sed hoc multi non faciunt, de quibus conquiretur Dominus apud Ezech. *Ezec. 34.* *Non quæſierunt paſtores gregem meum.* Hoc idem addit in eo, quod dicit *ſuper Syon*, quod interpretatur ſpecula vt ſpeculetur, hoc eſt officium prælati, vt ſpeculetur & denunciet aduentum hoſtium. *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans, & ſuper cuſtodiam meam totis noctibus.* *Iſa. 21.* Et: *Speculatorem dedi te domui Iſrael.* *Ezech. 33.* Addit & tertium, *prædicans præceptum eius*, hoc requiritur in prælato apud Aggæum. *Agg. 2.* *Interroga ſacerdotes legem*; nec ſola ſcientia, ſed ipſe actus prædicandi requiritur. Vnde non dicit ſciens prædicare, ſed *prædicans. Si dicente me ad impium morte morieris,* *Ezech. 33.* *non annunciaueris ei, ipſe impius in iniquitate ſua morietur. Sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Et notanter dicit *prædicans*, vt non prius curam recipiat, quã prædicare ſciat, ſicut multi faciunt, qui curas recipiunt, & tunc ad ſtudium veniũt, ſimiles ſtulto medico, qui in periculum ſuum curam reciperet ægrotantis ad mortẽ, & tunc primò veniret audire phyſicam, & ægrotum relinqueret incuratum, propter *Prou. 6.* hoc dicitur in Prouerb. *Si ſpoponderis pro a-*

mico tuo, ſcilicet curam recipiendo, *defixiſti apud extraneum manum tuam*; ſcilicet apud Deum, qui extraneus eſt in exigẽdo rationem. *Fac ergo quod dico tibi, fili mi, & te ipſum libera, diſcurre, feſtina*, non ad ſtudiũ, & propter hoc dicit, *feſtina, ſuſcita amicum tuum*, id eſt ſubditum in peccato mortuũ, & quid debeat prędicare ſubditur; *preceptũ eius*, vt ſit ſermo non de trufis, ſed de diuinis. Vnde auctoritas dicit; Felix lingua quæ neſcit niſi de diuinis componere ſermonem. Hæc omnia Jnnoc. quartus ſuper Pſalm. ſecundum. De alijs non proſequar membris, quia iſtud poteſt ſufficere pro p̃ſenti. Verè ergo beatus erit talis paſtor, qui ſic per oſtium canonicæ electionis ingredietur in ouile prædicationis. Alias ſi per impreſſionem, vel potentiam ſęcularẽ, vel per conſanguinitatem, vel preces, vel pretium, vel ſeruitium intrauerit, verè non paſtor ſed fur & latro eſt appellandus. Pro quo ſciendum quod prælatus malus multipliciter vituperatur in ſcripturis. *Primò* enim, vt dicit Ægidius in Gerapigra, dicitur inutile lignum, & muto dœmone plenus, qui cum vacat, ora loquelæ non laxat. Et benè comparatur ligno putrido, quod de nocte lucem habet apparentem & non exiſtentem. *Secundò* comparatur lixiuio, quod alios lauat & ſeipſum maculat. *Tertiò* comparatur ſecundum Auguſt. in lib. contra hæreticos canali lapideo 1. q. 1 Si fuerit, per quod aqua defluit ad hortulos, ſeipsũ autem non irrigat. *Quartò* ſecundum Nicolaum Papam comparatur faci accenſæ, quæ ſibi detrimentum præſtat, & alijs lumen in tenebris. *Quintò* ſecundum Auguſtin. comparatur cani impudico, qui nec regiminis in ſe rationem habet, nec ſua crimina deterſit. *Sextò* comparatur coruo, quia de morte hominum gaudet, ſicut de cadauere coruus, dicens illud;

Prælatus malus ſæpe vituperatur.

Cõparatur ligno putrido.

Lixiuio.

Canali.

Faci accenſæ.

Cani.

Coruo.

O mors morde meos meliores parochianos.
Per plateas vadas, meliores ſex mihi tradas.

Septimò cõparatur fonti ſine aqua, quia nullam ſitim peccatorum refrigerant nec aquam ſapientiæ, qua potarent ſubditos habent. *Octauò* comparatur ſali infatuato quod ad nihilum valet, niſi vt cõculcetur &c. *Nonò* comparatur porco propter fœtorem in quo verſatur 19. diſt. Secundum. *Decimò* comparatur leoni rugienti & lupo rapaci propter ſuperbiam & tyrannidem, guloſitatem & rapacitatem. 83. diſ. *Vndecimò* comparatur ruſtico à ruſticitate 46. diſt. in prin. *Duodecimò* comparatur gallo gallinaceo, qui ductor eſt pullorum, ſed non generator, & habet modum gallinæ, quia non cantat ſicut gallus, id eſt, non prædicat vt prælatus, ſed raucеſcit & raucè murmurat. Item nõ pugnat vt gallus ſtrenuus pro ſubditis. 43. diſt. nulli. Item ſicut ille ſe impinguat, ſic iſte intendit epulis & rubentibus buccis Chriſtum pauperem prædicat. 36. diſt. Eccleſiæ princeps. *Tredecimò* dicitur mercenarius. 43. diſt. ſit rector, & habetur in paſtorali Grego. c. 15. quia propria lucra & non animarum quærit. 8. q. 1. Sunt quidam. *Decimoquartò* dicitur fur & latro, vt hic in Euangelio. Primò quia aliundè aſcendit ad ouile Chriſti. Secundò mactat & perdit homines malo exemplo. Tertiò quia furatur animas Deo & portat & adducit diabolo. Sed quid accidit furi? certè capitis ſuſpenſio, & latroni capitis decollatio, ita malo prælato *cõuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet*. Vbi ſecundum Innoc. quartum notatur pœna damnationis mali prælati, *quia conuertetur dolor eius in caput eius*, ſc. ſi malè præeſt, *& in verticẽ ipſius iniquitas eius deſcendet*. Prælatus enim caput & vertex eſt Eccleſiæ & ob hoc non ſolum pro ſuis, ſed pro peccatis aliorũ punietur. Vnde in lib. Num. *Fornicatus eſt populus, & iratus Dominus dixit ad Moyſen; Tolle cunctos principes populi & ſuſpende eos ad ſolem*. Vndè bene dicit; *In verticem ipſius iniquitas eius deſcendet*, quia tunc mali pręlati, qui modo ſunt ſuper alios in honorib. tunc erũt infimi in cruciatibus. Vnde apud Oſeam. *Congregabuntur ſuper eos populi*. Ecce quod infimi erunt, quando corripientur & punientur propter duas iniquitates ſuas. Duas enim iniquitates habet malus prælatus, propter quas punietur, propriam ſcilicet quam geſſit, & ſubditorum, quam non correxit. Et hic modus damnationis corum

Fonti ſine aqua.

Sali infatuato.

Porco.

Leoni & lupo.

Ruſtico.

Gallo gallinaceo.

Mercenario.

Ioan. 10.

Furi & latroni.

Pſal. 7.

Nume. 25.

Oſea 10.

eorum habetur à Domino dicente per Iſa- *Iſaiæ 22.* iam. *Vade & dic ad Sobnam præpoſitum templi. Ecce Dominus aſportari te faciet ſicut aſportatur gallus gallinacius*, ſcilicet pedes ſurſum & caput deorſum, ſecundum illud *Idem 14.* Iſaiæ *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Hieron. Vnde incipit peccatum, inde ſupplicium: qui fuerunt primi in populis, primi punientur in pœnis. Vnde *Sap. 6.* Sap. dicit; *Potentes potenter tormẽta patientur.* Attendite ergo pauperes paſtores difficultatem ſtatus veſtri, & nolite præcipitare ad faſtigium prælationis propter tantum periculum. Quod ſi vos præeſſe contingat, non præeſſe ſed prodeſſe ſtudeatis, & tantum de ſecundo.

III.

Ouile ouium, & paſtor eſt ouium. Sciendum quod fideles Chriſtiani dicuntur oues, iuxta illud Pſalm. *Pſal. 43.* *Dediſti nos tanquam oues eſcarum in gentibus.* Sunt autem proprietates ouis in his verſibus, quos ponit Innocent. quartus ſuper Pſalm. prædicto. *Ouis proprietates.*

Fœta, bidens, dormit veſtita, lupum timet,
imbres.
Carne iuuat, pelle, vellere, lacte, fimo.
Cernit humum, balans, edit herbas, hoſtia
velox.
Paſtorem ſequitur, in grege, ſola dolet.
Ruminat, innocuo cornu, pede, vertice
duro.
Tonſa tacet, maculat morbida peſte gregẽ.

Pſal. 143. Primò igitur ouis eſt *fœta*, id eſt, fructuoſa, *Iſa. 40.* Pſalm *Oues eorum fœtoſæ.* Et: *Fœtas ipſe portabit.* Sic fideles ſunt fructuoſi per opera pietatis. Secundò dicitur *bidens*, quia duos habet dentes inciſiuos, quibus carpit herbam, & paſcitur in hortis, vbi magna animalia non poſſunt paſci. Sed fidelis debet habere duo, ſcilicet munditiam conſcientiæ & humilitatem cordis. Vireta, quibus *Matt. 11.* paſcitur, eſt Sacra ſcriptura, quæ paruulos paſcit & philoſophos dimittit inanes. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus.* Tertiò *dormit veſtita.* Hoc ſpecialiter intelligitur ad litterã *Neemiæ 4* de religioſis, qui in veſtibus dormiunt. *Ego & fratres mei non deponemus veſtimenta noſtra.* Quartò *lupum timet* infernalem. *Lupus rapit &c.* Quintò *fugit imbres*, id eſt, *Ioan. 10.* conſcientiæ remorſiones. Prouer. 19. & 27. *Prou. 19. & 27.* *Tecta iugiter perſtillantia litigioſa mulier*, id eſt, cõſcientia mala. Sextò *carne iuuat*, quia carnalia præſidia pauperibus Chriſti miniſtrat. Iob 31. *Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* Septimò *pelle iuuat*, id eſt, carnis maceratione ſuæ proſunt alijs. Pſal. 103 *Extendens cœlum ſicut pellem*, id eſt, hominem ſanctum. Octauò *iuuat vellere*, id eſt, exteriore conuerſatione. Iob 31 *De velleribus ouium mearum calefactus eſt pauper.* Nono, *iuuat lacte*, id eſt, conſolatione. Cant. 4. *Mel & lac ſub lingua tua.* *Iuuat* etiam *fimo*, id eſt, increpatione. Eccl. 22. *De ſtercore boum lapidatus eſt piger.* Decimò *cernit humũ.* Ecce humilitas. Luc. 18. *Nec audebat oculos ad cœlum leuare.* Benè cernebat humum Abraham, qui dixit, Gen. 18. *Loquar ad Dominum, cum ſim puluis?* Vndecimo *balat*, non vlulat vt lupus, qui reſpicit cœlum & ſitit ſanguinem & carnes. Matth. 26. *Loquela tua manifeſtum te facit.* Duodecimò *edit herbas*, id eſt, auctoritates ſcripturę ſpiritualiter intelligit. Tredecimò fuit in lege *hoſtia*, ita fideles mactant ſua corpora in pręceptorum obſeruatione. Pſal. *Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* *Pſal. 43.* Decimoquartò eſt *velox.* Eccl. 23. *Hora ſurgendi, non te trices*, id eſt, non tardes. Et; *Non tardes conuerti ad Dominum* *Idem 5.* Decimoquinto *paſtorem ſequitur.* Ioan. 10. *Sequũtur me, & ego vitam æternam do eis.* Decimoſextò libẽter eſt. Act. 2. *Erant omnes pariter in eodem loco*, id eſt, in vnitate charitatis. Decimoſeptimo *ſola dolet*, propter illud Eccleſ. 4. *Væ ſoli, quia ſi ceciderit non habet ſubleuantem ſe.* Ideò apud Luc. 10. dicitur. *Miſit Dominus binos & binos.* Decimooctauo *ruminat* orationes. Deuteron. 14. *Sus quæ diuidit vngulam, non ruminat, immunda erit.* Decimonono *innocuo cornu*, quia nulli nocet per tyrannidem. Matth. 3. *Neminem concutiatis.* Viceſimo *pede duro* ad ſuſtinendas perſecutiones. Ieremiæ 13. *Nunquid offendant pedes veſtri ad locum caliginoſum.* Viceſimo primo, *vertice duro* ad ſuſtinend opprobria. Ezechiel. 3. *Dedi faciem & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Viceſimo ſecundo, *Tonſa tacet*, ſicut Chriſtus. Iſai. 53. *Coram tondente ſe obmu-*

obmuteſcet, quod fit cùm pro temporalibus non litigat iniuſtè. Viceſimotertio, *morbida inficit gregem*. Eccleſ.13. *Qui tangit picem coinquinabitur ab ea*. Et hæc de bonis ouibus.

Malæ oues comparā- tur iumē- tis inſip. Sunt autem aliæ oues malæ, ſcilicet homines peccatores, qui comparantur animalibus mutis & inſipientibus. Pſal. *Comparatus eſt iumentis inſipiētibus.* Sicut enim iumenta inclinant ſe ad terrena, ſic peccatores ad terrena deſideria. Pſal. (*Pſal.48.*) *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Secūdò, quia (*Ibid.16.*) tantum quæ carnis ſunt, quærunt. (*Phil.3.*) *Quorum Deus venter eſt.* Et: (*Rom.8.*) *Qui ſecundum carnem viuunt, quæ carnis ſunt ſapiunt.* (*Ezech.34.*) Tertiò quia vnus alium indiſcretè impetit, *Lateribus & humeris veſtris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerentur foras.* Comparatur autem peccator diuerſis animalibus propter diuerſa peccata. (*Peccatores comparantur porcis.*) Aſſimilatur enim porcis per detractionem. Porcus enim ſtercora comedit, ſic detractores peccata aliorum & turpitudines. (*Pſal.13.*) Pſalm. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Secundò comparatur equo per luxuriam. (*Equis.*) (*Ierem.5.*) *In domo meretricis luxuriabantur equi amatores in fœminas.* (*Aſino.*) Tertiò aſino per ſtoliditatem & pigritiam. Quartò bo- (*Boui.*) ui per ſolicitudinem temporalium, quia quotidie terram verſant ſicut boues. (*Iob 1.*) *Boues arabant & aſinæ paſcebātur iuxta eos.* (*Vitulo.*) Quintò vitulo per caſtrimargiam. (*Ier.50.*) *Effuſi eſtis ſicut vitulus ſuper herbam.* (*Simeæ.*) Item ſimeæ per curioſam conuerſationem. (*Rom.12.*) *Nolite conformari huic ſæculo.* (*Leoni.*) Septimò leoni per inconſideratā audaciam. (*Prou vlt.*) *Leo fortiſſimus animalium, ad nullius pauebit occurſum.* (*Vrſo.*) Octauò vrſo per crudelitatem. (*Thren. 3.*) *Vrſus inſidians factus eſt mihi.* (*Pardo.*) Nono pardo per varietatem. (*Ierem.13.*) *Nūquid poteſt Æthiops mutare pellem ſuam? aut pardus varietatem ſuam?* (*Vulpi.*) Decimò vulpi per doloſitatem. (*Matth. 6.*) *Vulpes foueas habent.* Iſtę ſunt oues infernales & animalia gregis infernalis, quas mors finaliter depaſcet. (*Pſal.48.*) *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Malus paſtor diabolus & mors, mala paſcua ignis perpetuus. Nos igitur tantum periculum attendentes ſimus oues paſcuæ Dei per gratiam, vt mereamur duci ad paſcua gloriæ æternæ. Quam nobis præſtare dignetur paſtor bonus Chriſtus Dominus &c.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

SERMO II.

Ego ſum oſtium. Ioann. 10.

HOmo de paradiſo expulſus venit ab æternis ad temporalia, à copioſis ad egena, à firmitate ad infirma, factaq; ipſi eſt abūdantia laborioſa, &, ſi dici poteſt, copioſa egeſtas. Quæ omnia prouenerunt ex clauſura paradiſi & cœleſtis regni. Ad quod licet homo deſideraſſet peruenire, eò quod (*3. De conſol.*) ſecundum Boëtium omnes homines naturaliter ad vnum finem beatitudinis nituntur peruenire, tamen quia prohibente Deo & exigēte peccato humano nullus poterat iſtud mereri ex debito aut condigno, eò (*Rom.8.*) *quod non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* ideò neceſſarius fuit talis ac tantus ductor qui humanum genus potenti virtute perduceret ad regnum cœlorum, et ſi non ex iuſtitia, tamen ex miſericordia. Iſte autem ductor, & oſtiarius eſt Spiritus S. in quo eſt ſumma benignitas, ſancta & iuſta. Qui quidem non ex indigētia, ſed ex beneficentia veniens vt amor in opera ſua, factus eſt eis ianua paradiſi, ita

ita vt de ſe veraciter dicere poſſet : *Ego ſum oſtium*. Omiſſa curioſitate diuiſionis thematis præſentis breuiter ad vtilitatem Chriſti fidelium duo hic tanguntur de Spiritu ſancto, qui dicitur oſtium. Nam oſtium habet duplex officium, videlicet excludere ſeu prohibere malos, & includere bonos. Ideo de his duobus eſt practicandũ pro præſenti. Verum quia dignius officiũ & principale oſtij eſt includere bonos, quam excludere malos, ideò primo Spiritus ſanctus deſcribitur vt benignus amator & cõſeruator bonorum & iuſtorum, cum dicitur; *Ego ſum oſtium*, ſcilicet aperiendo talibus regnum cœlorum. Secundo deſcribitur vt expulſor & prohibitor reproborum, cum dicitur ibidem; *Ego ſum oſtium*, ſcilicet excludendo malos à præmio beatorum.

Propoſit.

I.

Nullum ſignum amoris maius eſſe poteſt inter amicos & dilectos, quam benignus reſpectus & gratioſa munera. Sic eſt de Spiritu ſancto, qui benignè reſpicit humiles amicos ſuos, iuxta illud Sap. 4. *Reſpectus illius in electos illius*. Et Iſa. *Ad quem reſpiciã, niſi ad humilem*. Non ſolum autem reſpicit benigniter, ſed etiam donat eos gratioſè & copioſè, eo quod *ab ipſo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum*. Pro quo ſciendum, quod Spiritus ſanctus donat ſuos dilectos amatores ſeptem donis, quibus ipſi merentur peruenire ad præmium regni cœleſtis, ita vt verum ſit, quod mediantibus donis prædictis Spiritus ſanctus ſit velut oſtium paradiſi omnibus ſuis electis. Sunt autem ſeptem dona Spiritus ſancti, de quibus apud Iſa. dicitur; *Spiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis & timoris*, quæ dona ſunt quaſi ſeptem oſtia paradiſi. Verum quia timor eſt initium ſapientiæ, ideo de ipſo tanquam de principali oſtio eſt dicendum. De quo tria ſunt videnda. Primo quid ſit; ſecundò qualis ſit; tertio quantus ſit. De primo dicit Auguſt. quod timor non eſt aliud, niſi fuga mali. De ſecundo, qualis ſit, dicit Beatus Thomas, quod ſex ſunt ſpecies eius, ſcilicet naturalis, mundanus, humanus, ſeruilis, initialis, & finalis. *Naturalis* eſt, quando homo timet mortem, & omne nociuũ naturæ. Iſte timor non eſt meritorius, nec demeritorius, quia non ſubeſt animæ arbitrio. Hoc timore Chriſtus timuit mortem. Et dicitur naturalis non à natura inſtituta, ſed deſtituta, quia eſt pęna pro peccato primorũ parentum inflicta. Iſte eſt cum Spiritu S. ſed nõ à Spiritu ſancto. *Secundus timor* mundanus, quando ſcilicet aliquis nimis timet de rebus ſuis tranſitorijs, mundanis, & temporalibus. Et naſcitur ex nimio amore rerum temporalium. Iſto timore peccauerunt Iudęi in Chriſtum, occidendo eum ne perderent locum & gentem. Iſte nec à Spiritu nec cum Spiritu ſancto. *Tertius timor* eſt humanus, qui naſcitur ex nimio amore præſentis vitæ, de quo Chriſtus; *Noli te timere eos, qui occidunt corpus*. Iſte quandoque eſt mortalis, quando ſcilicet quis potius committeret peccatum mortale quam amitteret vitam ſuam. Talis fuit in Petro, quando negauit Chriſtum ne perderet corpus; quandoque venialis, vt cum potius quis faceret veniale, quam permitteret ſe occidi. Iſte nec eſt à Spiritu, nec cum Spiritu S. quia gratiam Spiritus S. ſecum non compatitur, nec à Spiritu S. datur, ſicut nec mundanus. *Quartus timor* ſeruilis, quo ſcilicet quis timet peccare propter gehennam principaliter, tamen habet voluntatem peccandi ſi peccatum poſſet tranſire impunitum, & quantum in ſe eſt, vellet iuſtitiam Dei non eſſe vt poſſet perpetrare culpam. De quo dicit Apoſtolus. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore*. Et licet iſte timor ſit donum Spiritus ſancti, non tamen Spiritus cum S. ſicut aurora eſt à ſole, non tamen eſt cum ſole. Veruntamen præparat locum Spiritui sãcto, ſicut ſeta filo, & ratione huius eſt bonus, ſed ratione primi malus. Iſte eſt à Spiritu ſancto, ſed non cum Spiritu ſancto. *Quintus* eſt initialis. De quo in Pſalm. *Initium ſapientiæ timor Domini*. Iſte timor duo facit. Timet enim puniri & timet à Deo ſeparari, ſed principaliter à Deo ſeparari. Iſte licet timeat malum incurrere, tamen plus timet Deum perdere, & ita quodammodo incipit amare, & ſic introducit charitatẽ. Iſte eſt à Spiritu ſancto & cum Spiritu sãcto, ſecundum Thom. *Sextus* filialis. Nam ſicut

Iſa. vlt. *Iac. 1.* *Septem dona à Spiritu S. dantur.* *Iſa. 11.* *Pſal. 110.* *Timoris ſex ſpecies.* *Matt. 10.* *Rom. 8.* *Pſal. 110.*

ſicut filius ante omnia timet offenſam patris, etiamſi pater non intenderet eum percutere; ſic homo iuſtus non peccat, etiamſi nihil mali ſibi ſciret ex eo accidere. Vnde propriè timet offendere Deum, etiamſi propter peccatum non ſepararetur ab eo, & in hoc differt ab initiali, quia ille timet ſeparari, iſte vero tantum offendere. Vnde initialis eſt imperfectorum. Iſti ambo ſunt à Spiritu ſancto & cum Spiritu ſancto. Eſt etiam alius timor, qui erit in patria ſcilicet reuerentiæ. De quo dicitur in Pſalm. *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.* Reuerentia vero eſt reſilitio conſiderata magnitudine Dei in propria paruitate. De tertio quantus eſt ille timor, id eſt, cuius & quantæ vtilitatis. Sciendum quod comparatur tribus. Primo oſtiario cuſtodienti ingreſſum. Secundo iuſtitiario punienti maleficum. Tertio ſpeculatori euigilanti exercitum. De primo patet quomodo timor cuſtodit oſtium cordis, ne veniat inimicus tenendo baculum vel gladium, pœnitentiæ videlicet & pœnæ æternæ. Dicit enim peccatori volenti peccare. Timete eum, qui poteſt occidere corpus, & poteſtatem habet animam mittere in gehennam. De ſecundo quomodo punit, vt iuſtitiarius patet. Nam ſicut iuſtitiarius ponit in loco eminenti furcas vel ſuſpendium propter metum tranſeuntium; ſic timor nititur ſemper crucifigere & ſuſpendere à delectationibus ſæculi corpus hominis tanquam latronis. Pſalm. *Confige timore tuo carnes meas.* De tertio quomodo euigilat ſicut ſpeculator patet. Nam ſicut ſpeculator tempore belli non ſinit homines dormire denunciando pericula; ſic timor Domini tempore huius vitæ mortalis ſemper hominem monere non ceſſat, iuxta illud Prouerbiorum 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Et notanter dicit *ſemper*, quia bonus homo tam in malis timet ne in ea incidat, quam in bonis, quia neſcit an ſint Deo grata; iuxta illud Eccl. *Neſcit homo, an odio vel amore ſit dignus.* Vnde Iob. *Verebar omnia opera mea ſciens quia non parces delinquenti.* Et ſicut ſpeculator tempore guerræ maximè mandat cuſtodiri portas ciuitatis; ſic timor portas ſenſuum quaſi ibi ſit totum periculum. Vnde Hiere. *Mors intrauit per feneſtras noſtras.*

Timor cœleſtis. *Pſal.* 18. *Timoris vtilitas.* *Timor cõparatur cuſtodi.* *Iuſtitiario.* *Pſal.* 118. *Speculatori,* *Eccl.* 9. *Iob.* 9. *Ierem.* 9.

Secundum donum, ſcilicet pietatis, cõſiſtit in tribus, ſcilicet in cultu Dei; in veneratione ſacræ ſcripturæ; & in honore proximi. Requirit ergo pietas, vt Dei maieſtatem veneremur & profiteamur. Requirit ſecundo, vt credamus verbis ſacræ ſcripturæ firmiter, & cuſtodiamus ea ſolicitè, & fideliter diſpenſemus ea. Requirit tertio, vt reuereamur ſeniores, conformemur æqualibus & ſubueniamus inferioribus. Tria autem homo conſequitur per pietatem. Primo decentem conuerſationem; Secundo prudentem negotiationem; Tertio abundantem remunerationem. De primo patet. Nam vir pius benedicetur à Deo, placet proximo, & vacat a malo. A Deo benedicetur per gratiæ ſpiritualis infuſionem placet proximo per iuſtam conuerſationem, vacat à malo per internam deuotionem. De ſecundo quomodo prudenter negotietur patet; quia de ſordibus aliorum lauatur; de malis melioratur; de paupertate ditatur; de infirmitate ſanatur; de onere alleuiatur. Vere benè mercatur, qui Deo tribuit ſimplum vt recipiat centuplum. *Date & dabitur vobis.* Et ſequitur; *menſuram bonam confertam & coagitatam dabũt in ſinum veſtrum.* Et apud Matth. dicitur; *centuplum accipietis &c.* Nam *pro calice aqua frigida recipit cœlum.* Vnde Aug. Præbe tectum, accipe cœlum. Et ideo Deus poteſt dicere homini illud Oſee 11. *Circumuenit me in negotiatione ſua Ephraim.* Tertio remunerat abundanter: de quo ſciendum, quod duæ virtutes venient ad iudicium, quæ recipient ſolarium copioſum, ſcilicet charitas & miſericordia. Charitas enim aliena bona facit ſua, iuxta illud; *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Miſericordia ſeu pietas ſua facit aliorum. *Sicut fuiſtis ſocij paſſionum ſic & conſolationum.* Hæc enim eſt lex iuſtorum mercatorum, vt ſint ſocij in damno & lucro. Quis autem poteſt cogitare aut dubitare quantæ conſolationes iuſtorum dabuntur

Donum pietatis in tribus conſiſtit. *Pietas tria largitur.* *Luc.* 6. *Matt.* 19. *Ibid.* 10. *Pſal.* 11. 2. *Cor.* 1.

dabuntur vni pio homini pro vno obolo, quem aliquando dedit in vſum vniuerſitatis centum pauperum. Sicut patet de his qui tribuunt pro hoſpitali. Tertij doni, ſcilicet ſcientiæ actus eſt docere, recte conuerſari in medio nationis prauæ & peruerſæ. Tria vero ad hoc requiruntur, vt aliquis bene conuerſetur. Primum eſt, vt habeat rationes, quibus ſe defendat ab impugnantibus fidem ſuam; Secundum eſt, quod à malo abſtineat; Tertium eſt, quod benè & prudenter bona temporalia adminiſtret. Item per iſtud donum ſcitur, ne ſub ſpecie boni malum lateat. Item per hoc donum ſcit homo, quid ſit, à quo ſit, & ad quid ſit. Differt autem ſcientia à prudentia; quia prudentia procedit ex principijs fidei. Vnde eius actus eſt circa electionem boni & dimiſſionem mali.

Scientiæ actus quis.

Cõuerſationi tria neceſſaria.

Quartum donum eſt fortitudo. Eſt autem fortitudo firmitas contra moleſtias. Vnde comparatur triplici generi ſcilicet fornaci, quæ aurum probat; radici quæ lignum portat; & loricæ, quæ ictum portat. De primo patet. Nam ſicut fornax facit aurum decorum; ſic fortitudo hominem reddit honeſtum Prouerbiorum 31. *Fortitudo & decor indumentum eius* De ſecundo patet Nam ſicut radix portat pondus arboris, frondes, fructus, flores, folia; ſic virtus fortitudinis ſuſtentat omnia merita & opera noſtra. Vnde Ioſue. 1. *Confortare & eſto robuſtus.* De tertio patet. Nam fortitudo ſicut lorica protegit ab ictibus diaboli, carnis & mundi. Sicut patet de Barbara, Catharina, Dorothea, Margaretha, & alijs, quæ in fragili ſexu deuicerunt hoſtes. Vnde. 1. Machabæor. 3. dicitur. *De cœlo eſt fortitudo.*

Fortitudo quid ſit.

Comparatur fornaci.

Prou. 31.

Radici.

Lorica.

Quintum donum eſt cõſilij. Differt autem conſilium à prudentia, quia conſilium oſtendit vtrum aliquid ſit agendum, prudentia vero quo fine & quibus medijs vel circumſtantijs adhibitis, quo tempore & qualiter aliquid ſit agendum. Vnde cõſilium, vt eſt donum, non eſt aliud niſi prudens vel exercitata in medio contemplatiuorum & actiuorum bonorum deliberatio de operibus arduis, ſiue mereamur ab ea, ſiue non. Et ſicut ad ſcientiam pertinet eligere bonum & reprobare malum, ſic ad conſilium pertinet cauere pericula, quę ſunt in hoc conſilio. Sicut autem donum ſcientiæ habet regere pietatem ita donum conſilij habet regere fortitudinem. Differt autem ſcientia à conſilio, quia conſilium eſt circa arduum & difficile, ſcientia vero circa bonum & malum.

Conſilij & prudentiæ differentia.

Cõſilij & ſcientiæ differẽtia.

Sequitur de ſexto dono intellectus: Circa quod ſciendum, quod donum prudentiæ & conſilij differt à dono intellectus & ſapientiæ, quia conſilium & prudentia ad actiuam pertinent vitam, & ſunt de actiuis: Intellectus & ſcientia ptinẽt ad cõtẽplatiuã. Vnde intellectꝰ eſt cognitio ſpeculatiua, & quaſi per viſum; qua cognoſcimus Deũ in cõparatione ad creaturas: Sapientia vero eſt cognitio Dei abſoluta & quaſi per guſtum. Vnde ſapientia dicit delectationem quandam ſupra cognitionem intellectus. De vtroque dicitur in Pſalmis. *Guſtate & videte,* vnde videre pertinet ad intellectum, guſtare ad ſapientiam, quia quod intellectus acute inuenit, hoc ſapientia maturè diſponit. Valet autem intellectus ad tria, quia per ipſum cognoſcimus ſuperiora, æqualia, & inferiora. Superiora iuxta illud; *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Æqualia iuxta illud Eccleſiaſt. *Ex teipſo intellige quæ ſunt proximi.* Nam in frigore, ſiti, nuditate, debeo intelligere alterius miſeriam. Pſalmiſt. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Inferiora etiam cognoſcimus, quæ ſunt infra nos, ſcilicet animam & corpus noſtrum. Vnde intellectus eſt ſicut oculus dirigens affectum in omni motu interiori, quia animam informat & tranquillat; corpus autem quietat: liberum vero arbitrium ſtabilitat & conſeruat. Vnde de eo dicitur; *Intellectus bonus omnibus facientibus eum;* quia non faciens quod intellectus & ſcientia dictat, non meretur dici homo, ſed beſtia, iuxta illud; *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus &c* Sequitur de vltimo dono ſapientiæ. Eſt autem ſapientia donũ Dei, quo dulcedinem guſtamus; vnde ſapientia dicitur quaſi cum ſapore virtutum

Intellectus donũ ad quid proſit.

Rom. 11.

Eccl. 31.

Pſal. 40.

Pſal. 110.

Ibid. 48.

Sapientia quid ſit.

ſapida ſcientia. Circa quod ſciendum, quod ſapientia habet triplicem effectum. Eſt autem donum ſplendidiſſimum, ſapidiſſimū, & profundiſſimum. Primo ſplendidiſſimū ſupra ſolem & ſtellas, quia ſol ſolum oſtendit nobis ea quæ ſunt ſupra nos & infra cęlum; ſapientia autem oſtendit omnia; videlicet infernum vt timeamus; mundum vt contemnamus; cœlum vt appetamus; Deū vt laudemus. Vnde de Sap. *Sapientia eſt ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionē ſtellarum.* Secundo eſt donum ſapidiſſimum ad inſtar mellis, immo ſupra mel. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Et ſicut poſt guſtum mellis non ſapit vinum, ita poſt conſiderationem diuinorum vileſcunt temporalia. Greg. Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro. Tertio eſt donum profundiſſimum ad inſtar maris, immo profundior omni mari, quia nullum habet profundum. propterea dicit Apoſt. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Iſtud donum ideo dicitur donum, quia nūquam per ſtudium acquiritur niſi per inſpirationem habeatur. Ideo dicit Iacob. *Si quis indiget ſapientia poſtulet eam à Deo.* Hæc ergo dona quiſquis habuerit illi oſtium cœli patebit; & tantum de primo.

Sapientiæ donum præſtantiſſimum. *Sap. 7.* *Eccl. 24.* *Rom. 11.* *Iacob. 1.*

II.

Spiritus S. malos à præmio beatorum excludit, & hoc quia oſtium dicitur. Nam oſtij eſt arcere malos à conſortio bonorū, propter hoc enim facta eſt clauſura oſtij, vt arceantur ſtulti à ſapientibus, improbi à probis, inhoneſti ab honeſtis, nullus autē ſtultior, improbior, aut inhoneſtior peccatore, & præſertim peccante in ſpiritū ſanctum, eo quod talis eſt blaſphemus. Vnde licet omnes peccatores mereantur excludi à conſortio beatorum, vt dicitur in Apocal. *Foris canes & venefici*; tamen peccantes in ſpiritum ſanctum ſpecialiter merentur excludi, ſex autem ſunt peccata in Spiritū ſanctum, ſcilicet deſperatio, præſumptio, obſtinatio, finalis impœnitentia, inuidentia fraternæ gratiæ, & impugnatio veritatis agnitæ. Quæ peccata dicuntur ad tantum grauia, quod appellantur irremiſſibilia, ſaluatore teſte; *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; Qui autem peccat in Spiritum ſanctum, nec hic, nec in futuro remittetur ei.* Pro quo latius intelligendo ſciendum eſt, quod tripliciter homines peccant. Quidam ex infirmitate, iſti peccant contra Patrem. Quidam ex ignorantia, iſti contra filium. Quidam ex malicia, iſti contra Spiritum ſanctum. Ille peccat ex infirmitate, quando propter impetum paſſionis vel illatæ vel innatæ iudicium rationis obruitur. Ille peccat ex ignorantia, quādo ignoratur aliquid eorum, quorum ſcientia retraxiſſet à peccato. Ille peccat ex malitia, quando ex certa deliberatione ſine tētatione vincente propter ſe placet peccatum. Sed dic. quomodo iſtud peccatum eſt irremiſſibile, ex quo, quamdiu homo eſt in hac vita, poteſt conſequi veniam peccatorum!, cum ſit adhuc viator, in via & nondum in termino viæ. Ex hoc enim videtur pœnitentia eſſe fruſtra vel inſufficiens remedium peccatorum. Reſpondeo quod non dicitur ideo irremiſſibile, quod Deus non poſſit illud remittere, nec ſic quod eſt impoſſibile ad remittendū, quia ſic peccatum ſolius diaboli eſt irremiſſibile; ſed dicitur irremiſſibile quantum ad peccatorem indiſpoſitum, qui non eſt paratus in aliquo ſuſcipere remiſſionem eius, cum ſit priuatus omni facilitate & diſpoſitione ad remiſſionem ſuſcipiendam. Vnde peccatum tale tollit omnem rationem excuſationis, & ponit rebellionem voluntatis ad Deum vocantem, vnde taliū conuerſio eſt quaſi miraculoſa & ex gratia. Primo per abiectionem miſericordiæ, ſicut peccant deſperati, qui nolunt confidere de miſericordia, ſicut Cain. Secundo per abiectionem timoris Dei & eius iuſtitiæ. Sic peccant præſumptuoſi non timentes Deum. Tertio per abiectionem veritatis cognitæ. Sic peccant veritatis impugnatores, qui ſcienter viam veritatis repellunt. Quarto per abiectionem diuinæ gratiæ alicui collatæ. Sic peccant inuidi fraternæ gratiæ. Et non accipitur hic inuidia prout aliquis inuidet fratri vel ſingulari perſonæ, ſed quando in eo eſt tanta malitia, quod diſplicet ſibi de gratia Dei creſcēte in mūdo. Quinto per abiectionem turpitudinis commiſſæ, Sic peccauit finaliter im-

Apoc. 22. *Peccantes in Spiritū S. maximè excluduntur à præmio.* *Matt. 12.* *Peccatum in Spiritū S. cur irremiſſibile dicatur.* *Gen. 4.*

mpœnitentes, qui nolunt habere diſplicentiam, immo ſi Deus daret eis gratiam pœnitendi nollent pœnitere, tanta eſt in eis malitia. Sexto per radicationem in peccato, quando firmant propoſitum omnino in peccato, & ſic eſt obſtinatio. Ex his patet vnde dicitur peccatum in Spiritum irremiſſibile, quia videlicet obuiat directè principio, per quod ſit remiſſio peccatorũ. Iſta enim ſex, quæ abijcit à ſe peccator, ſũt principia conuerſionis ad Deum, quibus repulſis non eſt via ad conuerſionem. Vnde dicitur hoc peccatum ex malitia, quia homo ſcit & poteſt reſiſtere, ſed ex certa malitia eligit peccare &c.

DE SANCTA TRINITATE.

SERMO. I.

Quod ſcimus loquimur. Ioan.3.

QVamuis humanę naturæ conditio ad conoſcendum Deũ naturaliter ſit inclinata, ipſiuſque ſecretorum multum ſit auida, eò nimirum quia in cognitione & fruitione ipſius tota ſua beatitudo conſiſtit, tã ſecundum philoſophicam inueſtigationẽ quam ſecundum ſanctorum patrum determinationem. Et ob hoc non immerito ad cognitionem Dei naturali appetitu ſtimulatur & cogitur conſcendere, vt quis, qualis, aut quantus ſit ille, qui ſuum eſt principium & finis, ſua beatitudo & æterna fœlicitas, contempletur & cognoſcat. Verum quia infirmitate conditionis ſuæ præpedita multipliciter retrahitur, idcirco ab huiuſmodi cognitione diuerſimode abſtrahitur & impeditur. Quo fit vt maius ſit periculũ circa huiuſmodi inquiſitionem quàm lucrum. Nec immerito, quia ſcrutatores maieſtatis, quanto plus ſe circa eam occupant, tanto plus opprimuntur à gloria. *Prou.25.* Propter quod proprietatem ineffabilis Trinitatis periculoſum eſt deſcribere, *Trinitatẽ deſcribere periculoſum.* præſertim ex tribus cauſis; Primo propter altitudinem myſterij; ſecundo propter magnitudinem periculi; tertio propter penuriam verbi & hebetudinem intellectus. De altitudine myſterij exclamat Apoſtolus; *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* *Rom.11.* Vnde Aug. vocat eam excellentiſſimã rem. *Aug.l.1.de trinitate.* Voluit.n. Deus ſecretum iſtud ſibiipſi tantum ſeruare; *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* *Iſa.24.* Vnde cùm poſuerit Deus tenebras latibulum ſuum; Pſal. *Et ſumma ſapientia, quæ* Deus eſt, *abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium,* vt dicitur Iob; *Iob 28.* *non immeritò non eſt qui nouit ſenſum* Domini. *Rom.11.* Solus enim ipſe ſe tantum perfectè nouit, cuius ſcientiæ comparatione omnis ſcientia humana de ipſo imperfecta eſt, Ait magiſter in li. ſententiarum diſt.35.c.1. De magnitudine periculi dicit Auguſt. *Vbi ſupra.* Nullibi laborioſius quæritur, & periculoſius erratur. De penuria verbi & hebetudine intellectus humani dicit Aug lib.7.de ciuit.ca. 8. Excedit ſupereminentia diuinitatis vſitati eloquij facultatem, quia verius cogitatur quam dicitur, & verius eſt quam cogitatur, nec mirum *cum Deus habitet lucem inacceſſibilem.* *1.Tim. 6.* Ad quam intellectus humanus non poteſt aſcendere, eò quod habet ſe ad eam ſicut oculus noctuæ ad lumen ſolis. 2. Methaphyſ. Et Auguſtin dicit, quod humanæ mentis acies in tam excellenti luce non figitur. *Aug. 1. de Trinitate.* *Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.* Sapient.7. propter quod à narratione ipſius linguæ deficiunt; vt dicit magiſter de cauſis propoſitione. 6. nec mirum, cum ſit ſuper omnem narrationem, vt dicit magiſter ibidem; & ipſum intelli-

intelligere eſt impoſſibile, vt dicit Dionyſius lib. de diuinis nominibus. *Non enim humano aut ſæculi ſenſu loquendum eſt de ipſo*, dicit Iob. *Multa namque dicimus de eo & deficimus*; fatetur Eccl. quia *altior eſt cœlo*. Imperfectum igitur meum videntes oculi mei clamant cum Apoſtolo; *O altitudo diuitiarum*. Defectumque proprium pronunciantes labia mea polluta clamant. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt & non potero ad eam*, ſcilicet attingere. Nempè ſi illuſtris Hilarius, doctor excellentiſſimus, quo nemo altius de Trinitatis ſummæ ſcripſit arcano, coactus eſt finaliter dicere; Mihi in ſenſu labes eſt, in intelligentia ſtupor, in ſermone vero non iã infirmitatem ſed ſilentium confiteor; habentur verba lib. 1. ſententiarum diſt. 33. c. 5. Et Auguſt. confitetur ſe non poſſe quicquam perfectè de ea cognoſcere. Alanus etiam de ſe loquens in lib. de planctu naturæ, proprium confitendo defectum dicit; Ad hanc, videlicet Trinitatis excellentiam, mei intellectus hebet ingenium, meæque rationis confunditur lumen. Intelligentia vero non intellecta miratur, inſenſibilitas ſenſus obtunditur, & cũ in his omnibus naturalium omnium ratio langueat, ſola fidei firmitate tantæ rei veneremur arcanũ. Hæc Alanus. Ex cuius verbis patet quod tam excelſa maieſtas credi poteſt, inquiri non poteſt. hoc mirabile de Trinitate & vnitate, de vnitatis deifica Trinitate ſacramentum, magis eſt credendum quam exponendum; inquit S. Auguſt. Quid ergo mihi reſtat niſi ſilere, cum videam tot patres immo prophetas obmutuiſſe. Nam Hieremias puer eſt & neſcit loqui quicquam. Iſaias vir polluti labij cẽſetur. Moyſes nullum ſe reputat dicẽs. *Quis ego ſum vt dicam verbum*. Paulus & ſi vſque in tertium cœlum raptus fuiſſet, & vidiſſet gloriam Dei, narrare tamen non vult hominibus. Quid itaque mirum, ſi ego qui ſum vir pauper & tenuis? Homo vtique exigui temporis ac minimus ad intellectum iudicij & legis. ponam cuſtodiam ori meo & tacebo, corde duntaxat credens ad iuſtitiam, ore autem humiliter humilia confitens, quę fidem Catholicam poſſint roborare & confirmare in cordibus fidelium, ac ipſos incredulos ad eandem inuitare. Vt autem hoc facere poſſim, competentius ad illum recurro, qui habet altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ, in cuius manu & ſumus nos, & ſermones noſtri. A quo omnis ſapientia deſcendit. Qui etiam eſt conſummatio omnium noſtrorum ſermonum. Dicam ego ad Deum, Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare me laudare te, da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea cantet tota die laudes tuas. Sed quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir polluti labij ego ſum, munda obſecro cor meum ab omni inquinamento. Verba sũt Auguſtini in libro ſupputationum parte. 3. quæ omnia vt facilius aſſequi valeamus, pro impetranda Spiritus ſancti gratia matrem gratiæ ſalutemus dicentes; Aue Maria &c. *Quod ſcimus loquimur*. Quoniam vt ait Auguſt. in libr. ſupputationum parte 3. Sanctiſſimæ Trinitatis immenſam profunditatem mens humana concipere non poteſt, nec oratoria lingua narrare, nec diffuſi ſermones, nec bibliothecarum volumina queunt explicare. Nam vt dicit idem; Si totum mundum repleant libri, tua ſcientia Domine inenarrabilis non poteſt enarrari, quoniam verè indicibilis es, nullo modo ſcribi poteris nec concludi. Ideoque ego non aliud quam quod ſcio loquar de tanta excellentia ſummæ Trinitatis. Si enim filius Dei non aliud loqui voluit, niſi quod ſciuit, quid ego loquar amplius niſi quod ſcio, & vtinam ſcirem me ſcire, & ſcirem loqui illud quod geſtio, non pudebit me tamen ſuper errore depræhendi & repræhendi ſicubi me errare contingat, cum & Nicodemus legis doctor & princeps Iudæorum meruit audire à Chriſto; *Tu es magiſter in Iſrael & hæc ignoras?* Sed nimirum audiuit, in nocte enim venerat & noctis preſſus tenebris in ænigmate per ſpeculum Deum ſpeculabatur. Ego verò filius gratiæ & luminis reuelata facie Deum ſpeculando lucidius abſcondita fidei producam in lucem, vt ſic ego cum omnibus Chriſtianis de fide ſanctæ Trinitatis dicamus certitudinaliter omnibus infidelibus, *quia quod ſcimus loquimur*. Simile

[Marginal notes: Iob. 32. Eccl. 47. Iob 11. Rom. 11. Pſal. 138. Hilarius. Aug. ſer. 18 ad Eremitas. Alanus. Ser. 2. de viſit. infirm. Ierem. 1. Iſa. 6. Exod. 3. 2. Cor. 12. 1. Reg. 18. Sap. 9. Rom. 10. Ibid. 11. Sap. 7. Eccl. 1. Iacob. 1. Eccl. 43. Ioan. 3.]

Ioan.4. mile alibi habetur. *Nos ſcimus quod adoramus, vos neſcitis quod adoratis*. In quibus verbis ad honorem ſanctæ Trinitatis tria ſunt conſideranda, quæ fidem Catholicam & Apoſtolicam roborant & confirmant. Et quia tria ſunt verba noſtri thematis, ideo triplex eſt conſideratio. Primo conſiderandum eſt de hoc, quod Deus eſt; Secundo quod Deūs vnus eſt; Tertio quod Deus in perſonis trinus eſt. Primum probat vniuerſalis & ſumma perfectio, quia eſt, quod præſupponitur omnibus. Secundum probat eſſentialis coniunctio, quia vnus eſt. vnde in themate ſingulariter dicitur. *Quod.* Tertium probat numeralis perſonarum diſcretio, cum dicitur, *ſcimus & loquimur* pluraliter, non eſt ergo dictū, Quę, ſed, Quod, ſingulariter, vt oſtendatur vna eſſe ſcientia, vna potentia, vna bonitas patris & filij & Spiritus ſancti; vnde quod ſcit pater, ſcit & filius & ſpiritus ſanctus, non ergo plura ille quam iſte ſcit, aut poteſt, aut vult; ideo non, quæ, ſed quod, dictū eſt, ad ſignificandum vnitatem eſſentiæ, quia ſicut vnum eſt omnium ſcire, poſſe, & velle, ſic & eſſe. nec dictum eſt ſcio, aut loquor ſingulariter, ſed ſcimus & loquimur pluraliter, ad ſignificandum pluralitatem perſonarum diſtinctiuam, quia licet ſit vna eſſentia omnium, eſt tamen diuerſa proprietas relationum & pluralitas perſonarum.

I.

Deum eſſe probatur

I. Ex ſcripturis.

Quod Deus eſt, triplex probat teſtimonium. Nam illud teſtantur ſcripturæ, clamant creaturæ, dictat ratio naturæ. *Primo* teſtantur ſcripturæ. Nam Geneſ. 1. dicitur *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Item Pſalm. *Ab æterno & vſque in ſæculum tu es Deus.* Et idem. *Deus noſter rex ante ſæcula*, & ipſe vocatur Deus Deorum, per excellentiam. vnde Pſam. *Deus Deorum Dominus*. quod exponit Innoc. 4. id eſt, Deus ſanctorum Deorum vel excellentiſſimus Deorum. Nam ſecundum Apoſtolum ſunt Dij multi & Domini multi, nobis tamen vnus eſt iſte Deus Deorum, Dominus ſcilicet dominantium. *Rex regum & Dominus dominantium.* Hoc idem confitetur Plato in Thimæo dicens eum Deum Deorum, id eſt, Angelorum Et quia infinita ſunt teſtimonia ſcripturæ, teſtantia Deum eſſe, quæ inducere eſſet nimis prolixum, ideo de ipſis ſuperſedeo, præſertim cum Catholicis non paganis loquar, qui huiuſmodi ſcripturas fideliter credunt tanquam fideles & veras *Secundo* creaturæ clamant Deum eſſe. Omnia enim ſuo modo clamant, *quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Vnde Auguſtinus; Interrogaui de Deo meo cœlum, nunquid tu es Deus meus? & dixit; non ſum. Interrogaui terram, & ea quæ in ipſa ſunt, & vnumquodque reſpondit, nō ſum ego Deus. Sed ipſe, ſcilicet Deus, fecit nos, & non ipſi, ſupple noſmet fecimus nos. Creatura namque eſt quaſi quoddam ſpeculum in hoc mundo, in quo Deus conſpicitur. Et ſicut in cœlo in creatore creatura, ſic in hac vita creator eſt in creatura, iuxta illud; *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate.* Et ad Roman. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi*, id eſt ab homine, *per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas.* Hinc dicit Ambroſius. Quod Deus, qui inuiſibilis eſt, vt à viſibilibus poſſet ſciri, opus fecit, quod opificem viſibilitate ſui manifeſtaret, vt per certum incertum poſſet ſciri. Et ille Deus omnium crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impoſſibile eſt fieri. Et Bernard. ſuper Pſalm. Qui habitat, dando rationem conſimilem dicit, quod hæc viſibilia ideò facta ſunt, vt quaſi quodam vehiculo creaturæ ad cognitionem creatoris aſſurgant. Vnde Deus iſtum mundum viſibilem fecit, vt in eo ſapientiam Dei legat quicunque voluerit. Et notanter dixit Apoſtolus; *Inuiſibilia Dei* pluraliter, quia pluribus modis cognoſcitur veritas Dei per ea, quæ facta ſunt. Ex perpetuitate namque creaturarum intelligitur conditor æternus; Ex magnitudine omnipotens; Ex ordine & diſpoſitione ſapiens; Ex gubernatione bonus. Vnde Iſa. *Leuate oculos veſtros & videte, quis creauit hæc? qui educit in numero militiam eorum.* Et Iob. 12. dicitur. *Interroga iumenta & do-*

Margin notes: *Pſal 49.* *I. Cor. 8.* *I. Tim. 6.* *Plato.* *2. Ex creaturis.* *Pſal. 99.* *Aug. 10. Confeſſio.* *I. Cor. 13.* *Rom. 1.* *Iſa. 40.*

& docebunt te, & volatilia cœli & dicent tibi. Loquere terræ & reſpondebit tibi & narrabunt piſces maris; Tertio Deum eſſe dictat ratio ſeu diſcurſus naturæ. Nam ſecundum diſcurſum rationis ex notitia effectus deuenimus ad cognitionem cauſæ. Vnde licet vnus effectus habeat multas cauſas ſecundarias, tamen deueniendum eſt ad primam cauſam, alias eſſet proceſſus in infinitum, verbi gratia, video productum eſſe animal, vnde ſyllogizo quod productum iſtud eſt ab alio ex ſemine naturali, coagente cœlo & influxu ſtellarum. Sed tamē nec illud animal per influxum ſtellarum produxiſſet illud, niſi illam virtutem habuiſſet ab alio, quod dat omnibus, & non recipit ab aliquo, & hoc eſt Deus. Iſto modo philoſophus per viam motus probauit Deum eſſe tanquam primum motorem. Item ratio naturalis dictat, quod creatura mundi non eſt ab alia creatura, cum opus totius creaturæ excedat potentiam creatam; propter quod oportet ponere Deum, qui eſt tantę potentiæ, vt producat talem creaturam, & faciat tale cœlum & talem terram. Vnde Auguſtin. Accedat quæcunque vis creata, & faciat tale cœlum & talem terram, & dicam quia Deus eſt. Sed quia nulla creatura talis eſt, nec talia facere valet, conſtat ſuper omnem creaturam eſſe illum, qui fecit hæc; ac per hoc illum eſſe Deum humana mens cognoſcere potuit. Ex hoc dicit Auguſtin. quod poſtquam ſummi philoſophi viderunt nullum corpus eſſe Deum, viderunt etiam quia quicquid eſt mutabile non eſſe Deum omniumque principium, & ideò omnem animam mutabileſque ſpiritus tranſcenderunt; deinde viderunt quod mutabile eſt, non poteſt eſſe niſi ab illo qui incommutabiliter & ſimpliciter eſt. Intellexerunt igitur eum & omnia iſta feciſſe & à nullo fieri potuiſſe. Vnde hæc eſt tota ratio quare gentiles ab ignorantia ſua de Deo ſunt inexcuſabiles, cum, vt dicit Sapient. 13. *à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterat creator horum videri.* Itē in omni natura corporea, quantumcunque ſit modici valoris, poteſt ratio humana videre infinitam Dei potentiam, infinitam ſapientiam, infinitam Dei bonitatem, & per conſequens Deum eſſe. Verbi gratia, vt de atomo fiat exemplum; Satis enim approbat humana ratio & acceptat, quod menſura potentiæ agentis ſumatur ſecundum proportionem facti ad illud, de quo fit. Hoc eſt tantum dicere breuiter, tanta eſt potentia facientis, quantum ipſum factum excedit illud, de quo fit. Cum ergo ratio inuenerit atomum eſſe aliquid ex nihilo, & ſi ſciat quod atomus excedat nihil in infinitum, concludet quod potentia educens atomum de nihilo ad eſſe, eſt infinita. Secundo inueniet ratio, quod cum atomus ſit corpus, habet in ſe tres lineas interſecantes ſe ad angulos rectos, in qua ſectione poſito circulo circūſcribi poteſt ſphæra infra atomū; quo facto videbit in ſphęra infinitos circulos poſſe deſcribi, immo infinita corpora infra ſphæram eſſe imaginanda, & vltra infra circulos omnes figuras fore inſcriptibiles, quæ ſunt infinitæ, ſuper quas infinitæ poſſunt erigi demonſtrationes, tam de magnitudinibus quam de minimis Igitur videbit ratio humana in atomo vel in flore infinitam ſcientiam obiectiue deſcriptam. Infinitā verò ſcientiā non potuit deſcripſiſſe quodcunque agens, niſi ſapientiæ infinitæ, igitur humana ratio inueniet in vno atomo infinitam ſapientiam conditoris. Tertio videbit ratio humana, quod in aſſecutione huius infinitæ ſcientiæ, quæ eſt in atomo, eſt magna vtilitas ſiue delectatio animæ admirabilis. Et ſi forent infiniti intellectus, infinitas haberent delectationes; immo vnus intellectus in infinitum poteſt delectari in acquirendo notitiam iſtius atomi, ergo poteſt ratio concludere, quod ille, qui atomum creauit, eſt infinitæ bonitatis, quia ratione infinitæ vtilitatis de ſua bonitate creauit. Sic igitur ex minimo atomo poteſt homo concludere Deum eſſe infinitæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis. Et per iſtum modum veteres philoſophi gentilium concluſerunt Deum eſſe. Veruntamen

Auguſti-

3 à ratione naturali.

8. Phyſic.

Aug. de ciuit. Dei.

Sap. 13.

Aug.18.de Ciuit Dei cap.38. Auguſtinus dicit, quod ipſi Philoſophi notitiam Dei acceperunt à Prophetis, qui omnes Philoſophos tam Græcos quam Barbaros præceſſerunt, & tam verbo quam ſcripto Dei notitiam docuerunt. Et ideò Deum eſſe ſtatim à principio mundi per Adam & filios ſuos extitit probatum. Cui dicto quidam aſſenſerunt, quidam diſſenſerunt, ſicut modo de alijs articulis videmus. Iſti ergo Philoſophi audientes Deum eſſe & fuiſſe à Dei cultoribus probatum, poterant ex regimine mundi & rerum vniformi gubernatione totaliter aſſenſiſſe. Et quia per reuelationem antiquam diuulgatum eſt apud omnes gentes legibus vtentes Deum eſſe, & quod eſt omnibus notũ, videtur eſſe ab ipſa natura notum. Ideò Robertus Holcoth ſuper librũ Sapientiæ cap.13. (Holgot.) exiſtimat Damaſcenum 2. ſententiarum cap.3. dixiſſe, quod cognitio exiſtendi Deum naturaliter nobis inſerta eſt, quamuis non ingenij naturalis inueſtigatione, ſed diuina potius reuelatione Dei notitia omnibus fuerit communicata. Vnde dico ſecundum Robertum, vbi ſupra, quod multo facilius eſt Deum, id eſt fidem de Deo inuenire, quàm ſæculum æſtimare; quia benè vtentibus naturali ingenio Deus ſeipſum aliquo modo reuelat, vel per extrinſecam informationem, vel per intrinſecam inſpirationem. Vnde narrat magiſter in hiſtorijs ſcholaſticis ſuper Geneſim, de diſperſione filiorum, Noe habuiſſe quendam filium nomine Ionicum, qui accepit à Deo donum ſapientiæ, & inuenit Aſtronomiam. Sicut igitur potuerunt addiſcere ad menſurandum quantitatem ſolis & lunæ & terræ, ita potuerunt didiciſſe colere vnum Deũ. Hæc Holcoth. Iſta ideò ſic latè & aliqualiter naturalibus rationibus deduxi & probaui, vt oſtenderẽ nobilitatem humani ingenij, quo ſi homines rectè vterentur pro multa parte etiam circumſcripta fide in notitiam Dei deuenirent. Tu tamen prædicator huiuſmodi rationes ſimplicibus ne prædices, vel ſi prædicare cupis, facilem ex his tibi & breuem collige ſententiam, lector tamen ſtudioſus per ſe poterit ex his non paruum elicere profectum, & ſpecialem inuenire in eis delectationem & conſolationem de notitia diuina. Et tantum de iſto.

II.

Vnum eſſe Deum, id probat eſſentialis communicatio: vnde dicitur in themate, *quod ſcimus*, ad innuendum vnitatem ſingularem, non pluralem. Iſtud autem probatur (*Deũ eſſe vnum probatur.*) auctoritate ſcripturæ prophetalis, & ratione diſcurſus naturalis. De primò patet, Dicit enim. *Audi Iſrael Deus tuus vnus eſt.* Item; *Ego ſum Deus tuus, non erunt* (1.Script.) *tibi alij dij præter me.* (Deut.6.) In quo nomine ſecundum Ambroſium lib. 1. de trinitate, nomen naturæ & poteſtatis diuinæ inſinuatur. Item loquens Moyſi dicit; *Ego ſum qui ſum*, nòn dicit, qui ſumus. *Et ſi* (Exod.3.) *quæſierint nomen meum, vade & dic eis, qui eſt miſit me ad vos.* Quod tractans Magiſter ſententiarum, dicit dicens; *Ego ſum*, (Lib.1.d.2. c.4.) non nos ſumus, & *qui eſt*, non qui ſumus, aptiſſimè declarat vnum ſolum Deum eſſe. Jn cantico etiam Exodi legitur, *Dominus omnipotens nomen eius*, non ait Domini, vnitatem volens ſignificare. Item Pſalm. *Tu es Deus ſolus*, vt excludat pluralitatem eſſentiæ, non perſonarum. Item Eccleſiaſt. *Vnus eſt altiſſimus creator omnium omnipotens.* Et Malach. *Nũquid non v-* (Eccl.1.) *nus Deus creauit nos?* Deut. *Videte quoniam* (Mal.2.) *ego ſum ſolus & non eſt alius Deus præter me.* (Deut.32.) Item Sapient. *Non eſt alius Deus præter te,* (Sap.12.) *cui cura eſt de omnibus.* Item Iſaiæ. *Ego Do-* (Iſaia 44.) *minus formans cœlos & ſtabiliens terram & nullus mecum*: Et Ibidem. *Abſque me non eſt Deus.* Et alibi. *Ego Dominus & non* (Ibid.45.) *eſt alter* Baruch 3. *Qui fecit ſtellas hic eſt Dominus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus iſtum.* Item Thobiæ. *Non eſt alius* (Thob.13.) *Deus omnipotens præter eum.* Item. *Nullus Deus niſi vnus.* Item ad Galat. *Deus autem* (1.Cor.8.) *vnus eſt.* (Gal.3.) Item ad Tim. *Solus potens eſt rex regum & Dominus dominantium.* (1.Tim.6.) Item Matt. *Vnus eſt Deus bonus*, (Matt.19.) ergo præter iſtum vnũ Deum omnes Dij gentium dæmonia; certè ipſi non ſunt dij, vt dicitur apud Iere. (Ierem.2.) cum ſint ſolum ſimilitudines animalium aut lapidum. Os habent & non loquentur; eo ꝙ ſunt opera manuũ hominũ. Confundãtur (Sap.14.) ergo omnes qui adorant ſculptilia.

Berna de parẽtinis in tracta- tu de offi- cio Miſſæ. *Deorum pluralitas venit ex quatuor cauſſis.*

Sed vnde venit hominibus pluralitas Deorum? Reſpondeo ſecũdum Bern. quod ex quatuor cauſis; *Primò* ex imbecillitate humani intellectus, qui ad tantum debilitatus fuit ex peccato, quod non potuit ſuũ cognoſcere creatorem. Vnde homines inquirentes creatorem, & ipſum non cognoſcentes regere iſta ſenſualia, totum regimen attribuebant aſtris pulchrioribus & dignioribus. Ideò aliqui colebant ſolem, aliqui lunam, aliqui aerem, aliqui ignem, aut ſpiritum concitatum orbis terrarũ Deos putauerunt. Chaldæi coluerunt ignem, & apud gentiles dicebatur Vulcanus ſecũdum Remigium. Iſte fingebatur quaſi faber claudus, & dicebatur fabricare fulmina Ioui, quia Iouem ſuperiorem partem aëris dixerunt. Sed Vulcanum mediã partẽ aëris, de qua procedunt fulmina. Hoc autem Chaldæi fecerunt colentes ignem, propter nimiam & fortiſſimam actionem ignis. Vnde dicebant Deum ipſorum eſſe potentiorem omnibus alijs Dijs, & propter hoc ſæpius pugnabant cum alijs nationibus, probãtes ſuum Deum eſſe potentiorẽ. Vndè quadam vice obligauerunt ſe cum Ægyptijs, quod cuius Deus eſſet potentior illi adhærerẽt. Sed Ægyptij ponẽtes quoddam vas plenum aqua ſuper caput Beli ſui Dei, factis in eo multis foraminibus obturauerunt cum cera, poſtquam autem impoſuerunt illud idolum igni, reſoluta cera effluxit aqua de vaſe & extinxit ignem, & ita fuerunt ſuperati & confuſi ab Aegyptijs. Alij coluerunt Neptunum Deum maris. Alij Plutonem, dicentes eum Deum inferni. Alij Iouem, dicentes eum Deum cœli. Alij Cærerem, dicentes Deam terræ. Alij Bacchum, dicentes Deum vinearum, vnde Chaldæi coluerunt figuras ſolis & lunæ & ſtellarum. Sed Græci figuras hominum tam maſculorum quam fœminarum. Aegyptij autem animalia bruta, terrena, & aquatilia, arbores & germinantia coluerunt, vnde colebant Deam Iſim & ouem, bouem & hyrcum, & vitulum & porcum. Alij autem coruum. Alij accipitrem, picum & vulturem, & crocodilum & aquilam, cattum & canem, lupum, ſimeam & draconem. Alij cæpe & allium & ſpinas pro Dijs coluerunt. Sed vnde omnia iſta niſi ex inordinata dilectione ad creaturam? Vnde dicit Origenes. Vnuſquiſque quod præ cæteris colit, quod ſuper omnia veneratur & diligit, hoc ſibi Deus eſt; ſi quid illud eſt, quod præponderat dilectioni tuæ, hoc tibi Deus eſt. Ex his patet quod prædicti gentiles pluralitatem & diuerſitatem delectationum in creaturis, ad quas erant affecti. *Secundò* pluralitas prouenit ex adulatione hominum. Nam aliqui volentes placere Dominis, ipſis ſe ad tantum ſubijciebant, quod honores diuinos eis attribuebant. Sicut dicitur Iudith. 6. *Sciant omnes gentes, quod non eſt Deus in terra, niſi Nabuchodonoſor.* *Tertiò* pluralitas Deorum prouenit ex cordiali affectione. Nam aliqui patres tantum afficiebantur ad filios, vel econuerſo filij ad patres nimio amore, quod poſt mortem eorum fecerunt imagines, quibus cultum idolorum fecerunt impendere. Vnde Sapient. *Acerbo enim luctu dolens pater ſibi cito rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia; deinde interueniente tempore conualeſcente iniqua conſuetudine hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Hæc ibi. Iſtam hiſtoriam de origine idolorum narrat Fulgentius in libro 1. mithologiarum, id eſt, fabularum in principio. Et Alexander nequam in ſcintillatio Poeſis cap. 1. de Sirophone viro ditiſſimo in Ægypto, qui poſt mortem, quem nimium dilexerat, filij ſui fecerat ſtatuam ad ſimilitudinem eius, & eam adorari fecit. Serui autem adulatoriè in fauorem Domini flores offerebãt illi imagini, & coronas ſeu crinalia plectebant, ad quam imaginem confugientes, veniam ſunt adepti, veneratique ſunt illud timoris potius affectu quam amoris. Vnde Petronius. *Primus in orbe deos fecit ineſſe timor.* Huius hiſtoriæ narrator antiquiſſimus eſt Dyaphantes Lacedæmoniorum auctor ſecundum Fulgentium. Magiſter tamen in hi-

Orig. ho. 2 ſup libr. Iudic.

Iudith. 6.

Sap. 14.

in hiſtorijs ſcholaſticis ſuper 11. cap. Geneſ. aliam narrat hiſtoriam de ortu Idololatriæ, dicens, quod Ninus rex Aſſyriorum mortuo Belo patre ſuo, in ſolatium doloris ſui imaginem patris ſui fecit, & confugientibus ad eam veniam conceſſit, propter quod homines cœperunt illi idolo diuinos honores exhibere, & huius exemplo alij caris ſuis faciebant ſimulachra. Et Lactantius dicit, quod optimi quique virorum Deorum honore conſecrabantur. Hinc Romani ſuos conſecrauerunt Cæſares, & Æthiopes ſuos reges. Vnde apud AEgyptum Iſis, apud Cretam Iuba; apud Latinos Faunus; apud Romanos Quirinus. Et iſtos idololatras luculenter deriſit Didymus rex Bragmanorum, vt patet in Epiſtola ad Alexandrum magnum, vbi poſt multa dicit; O vos feliciſſimos dixerim, quorum & religio crimen eſt, & vita ſupplicium, magna mala pacem appellatis. quod pro tanto dixit; quia ridiculum eſt tot habere Deos, quorum vnus trahit ad bellum & contentiones; alter ad luxuriam; alter ad lucrum; alter ad ebrietatem; & ſic de alijs. *Quartò* pluralitas

Iſa. 14.

Deorum prouenit ex dœmoniorum ſagacitate, qui à principio conabantur ſimiles eſſe altiſſimo. Vnde vſque ad diem iudicij hoc ſemper intendunt, vt homines ad idololatriam pertrahant, ad quod ... eos alliciant, reſponſa in ſtatuis dabant. nonnunquam etiam ſatisfaciebant deſiderio hominum offerentium eis ſanguinem aut ſimilia, quia dœmones dicuntur delectari humano ſanguine. Patet autem omnium iſtorum fatuitas, qui petunt auxilia à dœmonibus, qui nihil poſſunt niſi quod

Sap. 13.

Dominus præceperit vel permiſerit. Sicut dicitur apud Sapient. *pro ſanitate infirmum deprecatur, pro vita mortuum rogat, & in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non poteſt; & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo qui in omnibus eſt inutilis.*

Obſeruationes ſuperſtitioſæ cauendæ.

Augu. de doct. Chriſtian. c. 2.

Ex quibus patet ſtultitia malorum Chriſtianorum, qui & pro auxilio ad ſortilegia confugiunt, & futurorum euentuum ſigna obſeruant, quæ omnia ſunt contra cultum vnius Dei. Vnde dicit Auguſt. quod tales obſeruationes ſunt ſuperſtitiones, ſicut cum aliquis videt veſtes in ſomno à ſoricibus rodi, timet aliquid infortuitii euenire. Vnde legitur Cato quendam deriſiſſe, qui ſibi pro mirabili infortuito ſigno nunciauit caligas eſſe per ſorices corroſas. Ecce, inquit, non eſt mirabile, ſed mirabile fuiſſet ſi caligæ ſorices corroſiſſent. Item ſuperſtitioſum eſt, ſi aliquis ſurgens de lecto ad lectum redeat, quia ſternutauit antequam ſe potuit calceare. Item cum huiuſmodi ſingultanti dicitur, teneas manu dextra pollicem manus ſiniſtræ. Item cum pro malo accipitur, ſi duobus amicis ſimul ambulantibus puer medius occurrat & intercurrat inter eos, ſimiliter aliud animal, æſtimatur enim quod hæc amicitia ſit diuidenda. Simile eſt, redire domum ſi homo ſtatim procedens offenderit, & plura alia recitat ibidem Auguſt. Tale eſt hodie, ſi monachum quis videat non eſſe proſperum iter. Sed diceres, tamen multi ita eſſe probauerunt, quod talia ſigna ſunt vera, vel etiam quod cartulæ ligaturæ perſonis infirmis factæ & alligatæ proſunt, quomodo ergo non eſt eis credendum? nam ſæpius compertum eſt non eſſe proſperum iter, ſi auis in ſilua in ſiniſtra manu clamauerit; vel ſi lupus per viam tranſierit, aut ſimilia. Item multi experti ſunt labores inchoare feria ſexta non eſſe bonum, vel iter arripere. Ad quæ reſpondeo ſecundum Auguſtin. quod illę ſignificationes, quæ ſunt cauſæ futurorum euentuum, bene poſſunt obſeruari, vt quia eſt tempus nebuloſum, ſignum eſt pluuiæ. Sed ſi nulla eſt in eis cauſalitas, ſed tantum dicitur, quod interdum ſignificat talem euentum, ſicut cum picæ garriunt, ſignificatur aduentus hoſpitum, ex quo talis ſignificatio non eſt a Deo inſtituta. Dicunt Doctores omnes tales obſeruationes ſignorum introductas ab humana vanitate cooperante dęmonum malitia, qui nituntur homines pertrahere in errorē. Et poteſt fieri, ꝙ aliquãdo ſic accidit operatione dæmonũ, nõ tamen ſic ſemper accidit, & ſi ſequitur, hoc eſt ꝑ ludificationē dæmonũ, qui hoc facit, ideo, vt homines ſibi in maiorib. credant. Vnde cũ nulla ratio poſſit eſſe, quare occurſus ſãctorũ hominũ, vt monachi, vel pręſbyteri, venationem vel piſcaturã impediat, mani-

Aug. in li. de doct. Chriſt.

manifeſtum eſt iſtud eſſe ſuperſtitioſum & erroneum, & hoc etiam oſtenditur ex frequenti falſitate ſigni. Dico ergo talibus, qui dicunt ſæpius probaſſe tanquam verum, quod hoc fit de tentatione dæmonum, propter eorum falſam credulitatem præcedentem, quam adhibent dęmonibus. Et ideò, vt dicit Holcoth ſuper lib. Sapient. cap. 13. obſeruatores talium multa incommoda recipiunt propter eorum falſam fidem quæ alij nullatenus patiuntur, qui de *Li.2.c.1.* talibus non curant. Et Policratus dicit, Ruſticanum, & forte aſelli prouerbium eſt, qui ſomnijs aut augurijs credit, nunquam eſſe ſecurum. Ego ſententiam veriſſimam & fideliſſimam puto. Hæc ille. Vnde quandoque talibus dæmones procurant dolorem capitis aut oculorum, vt ad eos recurrant ſæpius, & eis offerant ſuperſtitioſa facta, vt muſcas aut carbones aut crines mortuorum, quæ cum appenſa fuerint collo patientis, videntur curari, cum tamen in rei veritate non curantur, eo quod ille dolor non fuit naturalis complexionis, ſed ſolum vexatio diaboli, qui ad tempus illum hominem vexauit in capite turbando ſibi membra & cruciando. Similiter oculos, aut nares, aut aures, aut ventrem commouendo, ſeu etiam conturbando, & cum ad eum recurrit patiens verbis vel aliquibus factis vel ligaturis, tunc ceſſat à tali vexatione, & videtur curare. Sed dices, tamen aliquando alligantur verba Euangelij vel pſalterij in collo. Reſpondeo, quod ſi illa verba cum deuotione alligentur intentione bona, vt Deus ad eorum appenſionem curet patientem, non eſt aliquid mali; ſed quando credit quis, quod illa verba ex virtute propria curent febres & prohibeāt morbum caducum, & quādo eis admiſcentur characteres ignoti ſeu nomina aliqua extranea, vel quādo nō permittitur, ꝙ perſona portās ſciat qđ ibi cōtinetur, non eſt dubiū, quod hoc totum ſit ſuperſtitioſum. Et tales redarguit Chryſoſtom. ſuper Matth. dicens. Nonne Euangelium ſemper in Eccleſia legitur, ab omnibus auditur. Cum igitur Euangelium in auribus poſitum nihil prodeſt, quomodo verba eius circa collum poſita prodeſſe poſſunt? vbi virtus eſt Euangelij, in figuris litterarum aut in intellectu ſenſuum? ſi in figuris, benè & circa collum ſuſpenduntur. Si in intellectu, igitur melius in corde poſita proſunt, quam circa collum ſuſpenſa. Poſſunt autem quattuor modi prædicti idololatriæ reprobari ſic moraliter; Primò enim illi non credunt Deum vnum, qui omnia aſſcribunt aſtris & ſtellis, & ſecundum hoc proſperari ſe credunt. Contra quos Hiere. *A ſignis cœli nolite metuere.* Alij qui plus hominibus quam Deo obediunt, contra illud Actu. *Magis oportet obedire Deo quam hominibus.* Alij qui plus diligunt parentes quam Deum. Contra quos Saluator. *Si quis plus diligit patrem aut matrem non eſt me dignus.* Alij qui pro ſanitate vel proſperitate conſulunt ſortilegos. Quibus omnibus dicitur; *Non habebitis deos alienos.*

Secundò Deum eſſe vnum probatur ratione diſcurſus naturalis. Nā ſimplex for- *2. Deum* ma Deitatis, ſi non eſſet vna & eadem nu- *eſſe vnum* mero ſed communicabilis pluribus, con *probatur* traheretur aliquo addito ad eſſe ſingulare, *ratione.* & ita adponeretur alteri, nec eſſet ſimpliciſſima, quod eſt falſum. Item ſi eſſent plures Dij, aut omnes æquè potentes eſſent regere mundum & creare creaturas, aut non. Si ſic, tunc cum vnus æque potens eſt omnibus, ipſo ſufficiente alij ſuperfluerent, cum peccatum ſit fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora. Si autem non eſſent æquè potentes, tunc non eſſent dij veri, cū Deo attribuitur omnipotētia. Item aut eſſent æque concordes aut diſcordes. Si diſcordes, ſequitur deordinatio creaturarum quæ nolunt malè diſponi. Si concordes, igitur dato vno ſuperfluunt alij. Item ſicut eſt in naturalibus, ſic eſt in diuinis. Sed hic omnis pluralitas tendit ad vnum, ergo in diuinis ſimiliter. Nam hic in naturalibus omnes homines reducuntur ad vnum ſc. ad Adam. Omnes cœli reducuntur & continētur ſub octaua ſphæra, omnia tempora cōtinentur ſub vno æuo. Vnde ſex dies faciūt vnam ſeptimanam, quatuor ſeptimanæ vnum menſem, 12. menſes faciunt vnum annum, quinq; autē anni faciūt vnum luſtrū, & ſic de alijs, & ſic omnia reducuntur ad vnum. Ita etiam erit in diuinis, quod omnia reducuntur ad vnum creatorem.

III Deum

III.

Deum eſſe trinum probat numeralis perſonarum diſtinctio, cum ſubditur, *ſcimus & loquimur*, pluraliter, ad ſignificandum tres perſonas, Patris & Filij & Spiritus S. Hæc autem Trinitas perſonarum probatur tripliciter. Ipſa enim patet in ſcripturis; oſtēditur in figuris; relucet in creaturis. De primo dicitur in Geneſ. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrā*. Quod exponit Magiſter ſententiarum lib. 1. diſt. 2. cap. 4. Dicens enim, *faciamus ad noſtram*, pluralitatem perſonarum oſtendit. Dicens verò *ad imaginem*, vnitatem oſtendit eſſentiæ. Vt enim dicit Auguſt. in lib. de fide ad Petrum. Si in illa natura patris & filij & Spiritus S. vna eſſet tantum perſona, non diceretur; *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*. Cum enim dicit ad imaginem, vnam eſſe naturam oſtendit, ad cuius imaginem homo fieret. Cum verò dicit noſtram, oſtēdit eundem Deum, nō vnam ſed plures eſſe perſonas. Vnde dicit Hilarius quod his verbis ſignificatur, quod in Trinitate nec diuerſitas eſt, nec ſingularitas, nec ſolitudo, ſed ſimilitudo & pluralitas ſeu diſtinctio. Et idem alibi. Per hoc quod dicit ad imaginem & ſimilitudinem non excluditur pluralitas perſonarum, per hoc quod dicit faciamus ad noſtram, non excludit eſſentiæ vnitatē. Item hæc Trinitas exprimitur ibi. cum dicitur Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, vbi per Deum ſignificatur pater, per principium filius, qui ait apud Ioan. *Ego principium qui & loquor*. Item Spiritus S. denotatur, cum dicitur ibidem; *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ferebatur intellige non localiter, ſed potentialiter; ſecundum Aug. ad Oroſium. Item Pſal. dicit. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*. *Verbo*, ecce filius; *Domini*, ecce pater; *& Spiritu oris eius*, ecce Spiritus ſancti. Item idē Pſal. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, & benedicat nos Deus*, vbi dicit ter Deus. Item apud Iſaiā dicitur, quod Seraphin clamabant ter Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, ad ſignificandum perſonarum pluralitatem, per hoc autem quod dicit Dominus & non Domini, ſignificat vnitatem ſubſtātiæ. Itē Marc. dicit Saluator Apoſtolis. *Ite in orbem vniuerſum prædicate euāgelium omni creaturæ, baptizātes eos in nomine Patris & filij & Spiritus S.*. *In nomine* dicit, nō in nominibus, ad ſignificandum eſſentiæ vnitatem, ſecundum Ambr. li. 1. de Trinit. Tria autem nomina tres perſonas oſtendunt. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, pater, verbum, & Spiritus S. Et hi tres vnum ſunt.* Item Apoſtolus ad Gal. *Miſit Deus ſpiritum filij ſui.* Ecce tres perſonæ. Item ad Rom. *Quoniam ex ipſo*, ſcilicet Deo patre, *& per ipſum*, ſcilicet filium, *& in ipſo* ſcilicet Spirituſancto, *ſunt omnia* ſecundum Augu. li. de Trinitate. Secundò trinitas perſonarū oſtenditur in figuris. Significatur enim primò per tres angelos, quos Abraham vidit & vnum adorauit, Secundò ſignificatur per tres digitos, quibus æqualiter appenditur moles terræ. Tertiò per tres ciuitates refugij æqualiter à ſe diſtātes. Quartò per tres digitos æqualiter in pariete ſcribentes. Quintò per tres propagines in vna vite fixas. Sextò per tres portas ciuitatis, quas vidit Ezech. vt habetur Ezech.

Tertiò hęc trinitas perſonarum relucet in creaturis, in quibus eſt veſtigium trinitatis. De quo dicit Meldenſ. ſuper illud Pſal. *In factis manuum tuarum meditabar.* Veſtigium Trinitatis relucet in creaturis. Nam potentiam Dei manifeſtat creaturarum immenſitas, Ecce Pater, cui appropriatur potentia. Sapientiam oſtendit creaturarum decor. Ecce filius, cui appropriatur ſapientia. Benignitatem oſtendit creaturarum vtilitas. Ecce Spiritusſanctus. Cōſideremus ergo in quibus hæc tria conſiſtunt. Immenſitas eſt in duobus, ſcilicet magnitudine & multitudine. Multitudo eſt in tribus, ſcil. viſibilibus, inuiſibilibus & permixtis. Magnitudo in mole & ſpatio. Moles in maſſa & pondere. Spatium in longo, lato, & profundo, & alto. Decor in quattuor, in ſitu, motu, ſpecie, & qualitate. Situs in compoſitione, & ordine, in loco & tempore. Tempus in proprietate, loci naturalis, animalis, & rationalis; locus ante, retro, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, ſurſum & deorſum. Naturalis in incremento & decremento; Animalis in ſenſibus & affectibus. Rationalis in factis & conſilijs. Per

HH hæc

Gen. 1. *Trinitas oſtenditur Scripturis* *Hilarius 3. de trinitate.* *Ioan. 8.* *Pſal. 32.* *Iſai. 6.* *Marc. vlt.* *1. Ioa. 5.* *Gal. 4.* *Rom. 11.* *2. Trinitas oſtenditur in figuris.* *Gen. 18.* *Iſa 40.* *Deut. 4.* *Dan. 5.* *Gen. 40.* *3. Oſtenditur Trinitas in creaturis.* *Creaturarum immenſitas.* *Creatur decor.*

hæc philoſophi ad cognitionem veritatis ſummæ peruenerunt. Sed omiſſa iſta curioſitate veniamus ad ſimplicem veritatē. Relucet enim Trinitas perſonarum in ſuperiorib. creaturis, vt in ſole, ſcilicet quod mouetur, lucet, & calet. Sicut ergo ibi illa tria ſunt, ſed tamen indiuiſibilia, ita tres perſonæ in vna indiuiſibili natura, inquit Auguſt. Secundò in creaturis inferioribus, ſicut in aqua fons generat riuum, Riuus ſtagnum, & tamen vna eſt aqua. Item in ligno, eadem eſt radix quaſi parens, ſtipes quaſi filius, & ramus quaſi Spiritusſanctus. Tertiò relucet in creaturis medijs, ſcilicet in hominibus, in quibus ſunt tres ordines electorum; ſcilicet ordo coniugalis quaſi pater qui generat alium, & à nullo alio ordine procedit; clericalis quaſi genit⁹ in coniugali tanquam filius à patre; & religioſorum ab vtroq; ſcilicet à coniugali & clericali; qui tres ordines ſunt diſtincti proprietatibus, non tamē ſunt tria corpora myſtica, ſed vnū corpus in Chriſto. Sed quia hoc expreſſius apparet in homine, ideò de homine ſumamus exemplū. Dicit enim quod homo creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinē Dei. De quo dicitur in Pſal. *Signatū eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, vbi *vultus Dei* dicitur eſſentia vnitatis & Trinitatis perſonarum; iuxta quæ ſumus ſimiles Deo. Sumus enim ſimiles ei quātum ad eſſentiam, quia ſicut Deus æternus eſt, ita & nos perpetui; & quantum ad Trinitatem perſonarum, quia ſimiles ſumus Patri per memoriam, Filio per intelligentiam; Spirituiſancto per dilectionem ſeu voluntatem. Hæc Innoc. Cui concordans Bernar. dicit, quod ſicut ex Patre gignit Filius, & ab vtroque Spiritus ſanct. ſic ex memoria & ratione voluntas procedit. Vt ergò Deo inhæreret creata in homine rationalis anima, memoriā ſibi vendicat Pater; rationem Filius; voluntatem ab vtroque Spiritus ſanctus. Sed vt iſta facilius & latius intelligas, & in imagine & ſimilitudine creatoris tui, ad quam creatus es, delecteris, nobilitatem tuam attendens aduerte, quod duo in auctoritate præmiſſa innuuntur. Primò dicitur, quod homo creatus eſt ad imaginem Dei: Secundò quod ad ſimilitudinem Dei.

Augu. de verb Domini.

Trinitas apparet expreſſè in homine

Pſal 4.

Bern. de amore Dei cap. 12.

Imago non eſt exterius, ſed interius conſideranda ſecundum Auguſt. Attenditur autem imago in hoc, primò quia ſicut Deus eſt vbique totus & omnia viuificans, mouens & gubernans, ſicut dicit Apoſtolus. *In eo viuimus, mouemur, & ſumus*; ſic anima in ſuo corpore tota vbiq; viget, viuificans illud, mouens & gubernans; nec in maioribus membris maior, nec in minoribus minor, ſed in minimis tota ſicut in maximis, & ſicut Deus eſt in ſuo mundo, ſic anima in ſuo corpore exterius, ſuperius, inferius, regendo, portando, replendo. Et ſicut Deus nec creſcentibus creaturis creſcit, nec decreſcentibus decreſcit; ſic anima nec minuitur membris minutis, nec augetur auctis. Hæc eſt imago Dei optima in anima. Item ſecundum Auguſt. ibidem c. 20. Sicut Deus viuit & ſapit, ita anima viuit & ſapit ſecundum ſuum modum. Item licet anima ſit vnius naturæ, tamen tres vires in ſe habet, id eſt, intellectum, memoriam, & voluntatem. Nam ſicut ex Patre generatur Filius, ex Patre Filioque procedit Spiritus ſanct. ita ex intellectu generatur voluntas, & extunc ex his duobus procedit memoria; non tamen tres animæ ſed vna anima & tres vires. In his ergo interior homo diuinam gerit imaginē, & ex his quaſi excellentioribus animæ viribus iubemur diligere conditorem noſtrum, vt quantum intelligitur diligatur, & quantum diligitur ſemper in mente habeatur. Nec ſufficit de eo intellectus, niſi adſit in amore eius volūtas; nec hæc duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, quod ſemper in mente intelligētis & diligentis maneat Deus, vt ſic nullum ſit momentum, quo præſentem non habeat eum in memoria. Sed videamus de ſimilitudine. Auguſt. in lib prædicto cap. 21. dicit, quod in hoc homo creatus eſt ad ſimilitudinem Dei, quia ſicut Deus eſt charitas, bonus, iuſtus, & patiens, atque mitis, mundus & miſericors, & cætera ſanctarum virtutū inſignia, quæ de eo dicūtur; ita homo creatus eſt, vt charitatem haberet, vt bonus eſſet & iuſtus, patiens, atque mitis, mundus & miſericors, quas virtutes quanto plus quiſque in ſe habet, tanto propinquior eſt Deo, & maiorem conditoris ſui gerit ſimi-

Aug. li. de Spiritu & anima c. 19. in pri.

Actor. 17.

ſimilitudinem. Si verò quod abſit aliquis per deuia vitiorum & diuerticula malorum ab hac nobiliſſima ſui conditoris ſimilitudine degenerans oberret, tunc fiet
Pſal. 48. de eo quod ſcriptum eſt; *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.* Quis maior homini honor potuit fieri, quam vt ad ſimilitudinem ſui conditoris conderetur, vt eiſdem virtutum veſtimẽtis ornaretur, quibus cõ-
Ibi. 92. ditor? De quo legitur; *Dominus regnauit decorem indutus eſt*, id eſt, omnium virtutum ſplendore & totius bonitatis decore ornatus, vel quod maius homini poteſt eſſe dedecus, aut infelicior miſeria, quam vt hac ſimilitudinis gloria ſui conditoris amiſſa ad informem & irrationalem brutorum & iumentorum ſimilitudinem dilabatur? Quapropter ſecundum Auguſt. vnuſquiſque diligentius attendat primæ conditionis ſuæ excellentiam & venerandam ſanctæ Trinitatis in ſe imaginem agnoſcat, honoremq; ſimilitudinis diuinæ, ad quem creatus eſt, nobilitate morum, exercitatione virtutum, dignitate meritorum, attendat; vt cum apparebit qualis ſit, tunc ſimilis ei appareat. Qui enim mirabiliter ipſum ad ſimilitudinem ſuam in primo homine cõdidit, mirabiliter quoq; in ſecũdo, id eſt, in ſeipſo reformauit. Cuius Trinitatis ſanctiſſimæ conſequi claram gloriam & & facie ad faciem intueri nos faciat Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DE CORPORE CHRISTI.

SERMO I.

Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Ioann. 6.

NIhil in ſacrificijs maius eſſe poteſt quam corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſſe poteſt inquit S. Alexander Papa 5. poſt B. Petrum. Hæc omnes præcellit, quæ pura conſcientia domino offerenda eſt, & pura mente ſumenda, atq; ab omnibus veneranda; & ſicut eſt potior cæteris, ita potius excoli & venerari debet. Nec immerito; in hoc ſacramento non figura ſed res, non creatura ſed creator, non quicquam terrenum ſed totũ cœleſte cõtinetur; eò quod hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, hic eſt caro vera data pro mundi vita, nõ alia plane caro quam quæ nata eſt de virgine Maria, & paſſa in cruce, & reſur-
Aug. in li. de verbis Domini. rexit de ſepulchro. Hæc caro eſt, ait Auguſt. in qua Dei Patris filius ſacerdos ſecundum humanitatem ſe pro nobis acceptabile fecit ſacrificium & obtulit Deo, vt ipſe idem ſit ſacerdos & ſacrificium, per quod quidem ſacrificium nos cum Chriſto vnum efficimur, quia Pater in illo eſt, & ille in nobis. Quis igitur tanti doni dignè poterit enarrare magnalia? quis effari & eloqui myſteria, aut pronũciare ſufficiat fructuoſiſſima humano generi miſericorditer in ipſo collata oblectamenta? Hic eſt enim *panis præſtitus de cœlo* homini, *habens in ſe omne delectamentum & omnem ſaporem ſuauitatis.* Panis iſte panis vitæ eſt, datus nobis in memoriam illius, qui nos *eſurientes impleuit bonis.* Et mortuos morte ſua Luc. 2.
ad vitam reduxit æternam, quem qui manducat panem, viuet in æternum. Vnde iſtud ſacramentum merito dicitur ſacramentum pietatis, vel quia eſt ſacramentum ſanctæ religionis & diuinæ culturæ, vel quia Deus ex pietate hoc inſtituit. Magna reuera pietas diuina in hoc apparuit, quæ videns mundum languidum medicinam ſui corporis & ſanguinis re-

parauit, dicente beato Auguſtino; Verè magnus Deus & magna miſericordia eius, qui nobis dedit manducare corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt. Hæc Auguſtin. Magnæ igitur debet eſſe memoriæ apud nos, immò iugis & continuæ recordatio. nis tantæ pietatis beneficium, & nunquam obliuiſcenda tantæ clementiæ miſeratio Propter quod ſancta mater Eccleſia Spirituſancto afflata, mellifluam dulcedinem tantæ benignitatis nolens obliuiſci, qua Deus omnipotens per viſcera miſericordiæ ſuæ eam viſitauit, & quaſi eſurientem & inanem animam eius repleuit bonis & ſatiauit, etſi continuè ipſius tam viſceralis pietatis memoriam congruo recordio ageret, tam in miſſarum celebrationibus, quam in populorum procurationibus & manducationibus, dignum tamen duxit ſolenniori nihilominus & honore & gratiarum actione clariori, memoriale dilectiſſimum inſtitutionis tanti ſacramenti, necnon mortis pariter & paſſionis Chriſti, cuius illud memoriale exiſtit, ſemel in anno deuotiſſimè & honorificentiſſimè celebrare. Nam, vt dicit Auguſtinus. Licet Chriſtus ſemel mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis, & ſcimus, & certum habemus, & ſpe immobili retinemus, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, ſicut dicit Apoſtolus, tamen ne obliuiſcamur, quod ſemel factum eſt, in memoriam omni anno fit, quotiens Paſcha celebratur, nunquid totiens Chriſtus moritur & occiditur? Abſit. Sed tamen anniuerſaria recordatio repræſentat, quod olim factum eſt, & ſic nos facit moueri tanquam videamus præſentem Chriſtum in cruce. habentur verba de conſecratione diſt. 2. Semel Chriſtus. Quia igitur memoria tanti ſacramenti congruè feria quinta in cæna Domini locum habere non potuit propter aliorum officiorum eccleſiaſticorum occupationem; ideoque viſum eſt Eccleſiæ, Spirituſancto afflatæ, vt expeditis feſtiuitatũ, ſcilicet Paſchæ, Aſcenſionis, & Pentecoſtes, necnon ſanctæ Trinitatis ſolennijs, hodierna die recolatur memoria iſtius ſacramenti & cibi dulciſſimi, cuius recordium mentem delectat, quia *eſca angelorum*, virtutem roborat, quia panis cor hominis confirmat, & vitam gratiæ ad vitam gloriẹ continuat. Vnde *qui manducat hunc panem viuet in æternum*, In quibus verbis tria deſcribuntur de tam ineffabili ſacramento. Primò namque deſcribitur huius ſacramenti proprietas glorioſa ſeu gratioſa, per quam iſtud ſacramentum eſt nobis factum tanquam ferculum alitiuum in hoc, quod appellatur *panis*. Secundò proponitur ſumentium ipſum ſuauitas ſaporoſa, per quam iſtud ſacramentum eſt à nobis accipiendum tanquam mentis noſtræ præparatiuum, cum dicitur; *Qui manducat.* Tertiò ſubiungitur dignè ſumentis vtilitas fructuoſa, per quam iſtud ſacramentum nobis eſt gloriæ collatiuum in hoc, quod dicitur, *viuet in æternum.*

Hom. 2. in Pſal. 33.

Aug. ſup. Pſal. 60.

II.

Saluator noſter loquens de proprietate ſui corporis ſanctiſſimi, appellat eum panem. In hoc tamen ſacramento aliud eſt quod cernitur, & aliud eſt quod creditur. Illud enim quod cernitur eſt ſpecies panis in hoſtia, & ſpecies vini in calice; illud autem quod creditur, eſt veritas carnis & ſanguinis Chriſti. Et propter hoc Saluator præmittit in Euangelio dicens de veritate, quæ creditur in hoc ſacramento, *Caro mea verè eſt cibus.* Et tandem ſubiungit id quod cernitur, *hic eſt panis viuus qui de cœlo deſcendit.* Cum ergo dicitur hic, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, eſt ſenſus, qui manducat verum corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus panis, viuet in æternum. Ex quo elicitur illa Catholicæ fidei veritas, quod facta conſecratione per ſacerdotẽ amplius nõ manet ibi ſubſtãtia panis in ſacramẽto corporis Chriſti, ſed eſt ibi verũ corpus Chriſti principaliter, & ſanguis eius ex cõcomitãtia immediata, quia ſãguis immediatè diſponit corpus ad vitã. Tertiò eſt ibi anima ex cõcomitãtia ꝓpinqua, q̃a licet anima nõ viuificet corpꝰ niſi mediãte ſanguine, tñ pertinet ad eandem naturam, & ideo concomitatur ipſũ appropin-

pinquè. Quartò eſt ibi diuinitas verbi ex concomitantia remota; quia licet diuinitas cum tribus præcedentibus faciat vnũ ſuppoſitum, tamen non pertinet ad candẽ naturam, & ideo concomitatur ex concomitantia remota. Et propter hoc dicit Ambroſ. quod illa quæ fuerunt in vtero virginis inueniuntur in hoc ſacramento. Iſta autem quatuor fuerunt in vtero virginis, ſcilicet caro, ſanguis, anima & diuinitas, & iſta quatuor tangens ſaluator hic dicit; *Hic eſt panis viuus*, id eſt, caro viua, & ſic corpus animatum, *& ſanguis meus verè eſt potus*. Et quod addit, *qui de cœlo deſcẽdit* deitatẽ ſignificat. Ex his conuincitur error Huſſitarum, dicentium poſt conſecrationem factã remanere ſubſtantiam panis in hoc ſacramento, quod tamen eſt falſiſſimum, cum ibi ſtatim amplius deficit eſſe ſubſtantia panis, & remanet verum corpus Chriſti. Vnde Ambroſ. Panis eſt vſitatus in altari ante verba ſacramentorum, vbi acceſſit cõſecratio, de pane fit caro Chriſti. Et poſt pauca: Antequam conſecretur, panis eſt, vt autem verba Chriſti acceſſerint, corpus Chriſti eſt, ante verba Chriſti calix eſt vino & aqua plenus, vt autem verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Hæc ille. Et pro iſta veritate ſunt omnes Catholici Doctores, ſicut Hieron. Auguſtin. Ambroſ. Gregor. & omnes moderni, nullo penitus diſcrepante. Secundo ex his elicitur, quod rationabilis eſt inſtitutio Eccleſiæ moderna, quæ tantum ſub vna ſpecie ſcilicet panis corpus miniſtrat fidelibus; quia cum circa ſpecies vini & calicis multa pericula acciderunt fidelibus, ſcilicet periculum effuſionis & infidelitatis, inſtitutum eſt ſub ſpecie panis tantum, ad euitandum periculum effuſionis, & etiam ad ſignificandum quod ibi eſt ſanguis Chriſti ex concomitantia, vt fide creditur. Sed omiſſa curioſitate ſubtiliori circa iſtud ſacramentum digniſſimum, de ipſius veritate eſt inquirendum.

Ambr. li. de ſacramentis.

Vbi ſupra.

Circa quod ſciendum, quod licet hic dicatur panis, eſt tamen veriſſimum corpus Chriſti, quod natum eſt de Maria virgine, quod paſſum eſt & reſurrexit, vt dicit Ambroſ. Et tale ac tantum corpus, glorioſum, & immortale, & impaſſibile, ſicut modo ſedet ad dextrã Patris. Quam quidem veritatem probat auctoritas ſacræ ſcripturæ; ſimilitudo naturæ; exemplatio figuræ; miraculoſa effectio; & naturalis diſcurſus rationis. De primo patet, quomodo ſcriptura clamat per prophetam in Pſalm. *Memoriã fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Item Sap. 16. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore.* Et quod dicitur, *nutriuiſti*, ponitur præteritum pro futuro & præſenti, ſicut ſæpius in ſcriptura dicitur, & licet illud intelligatur de mana ad litteram, tamen quantum ad proprietatem ſignificationis, debet intelligi de corpore Chriſti, cum manna non poteſt propriè intelligi panis Angelorum, eò quod nullum habẽt ex eo delectamentum aut nutrimentum, ſed benè ex corpore Chriſti, ex quo ſumũt nouum gaudium, vt dictum eſt in ſermone aſcenſionis. Item Ioan. 6. per totum clamat ipſa veritas, quod *hic eſt panis viuus; hic eſt caro pro mundi vita.* Et Matth. 26. Et Lucæ 22. *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.* Item. 1 Corinth. 11. ſimilem ponit ſententiam, & in multis alijs locis ſacræ ſcripturæ. Secundo veritatem iſtius ſacramenti probat ſimilitudo naturæ. Nam videmus, quod actione naturę grana conuertuntur in gramina; nucleus in arborem; poligrana in piſces; ligna in lapides; cinis in vitrum; terra in aurum. Item per diuinam potentiam virga verſa eſt in colubrũ. Item aquæ Marath amariſſimæ ſubitò ad præceptum Moyſi prophetæ dulcoratæ ſunt. Item flumina in ſanguinem conuerſa ſunt, & econuerſo miniſterio Moyſi. Item mare dedit iter ſiccis pedibus hebræis. Itẽ petra dedit aquas. Item ferrum cecidit in aquam, & ad mandatum prophetæ ſupernatauit. Item ſermo Eliæ traxit ignem de cœlo. Quæ omnia concludunt poſſibilem veritatem huius ſacramenti. Si enim natura tantum poteſt, vt omnino vnam rem vnius ſpeciei mutet in aliam alterius ſpeciei, & ſi diuina potentia in patribus veteris teſtamenti tantæ fuit efficaciæ, vt omnino res impoſſibiles faceret miniſterio prophetarum, quãtò magis per miniſtros noui teſtamenti,

Verum corpus eſſe ſub ſpecie panis probatur.

1. Scriptura prob.

Pſal. 110.

2. Similitudo naturæ.

Exod. 7.

Ibid. 15.

Ibid. 7. & 8.

4. *Reg.* 4.

4. *Reg.* 1.

ſtamenti, vbi ſuperabundat gratia, hoc poteſt facere, vt ſubſtantiam panis cõuertat in ſubſtantiam corporis Chriſti, cum etiam per longam tranſmutationem faciat natura de cibo panis corpus, & de vini potu ſanguinem in homine? *3. Exẽpla figurarũ.* Tertio veritatem huius ſacramenti probat exemplatio figuræ. Licet autem ſunt quaſi infinitæ figuræ huius ſacramenti, tamen paucas cõmemoraſſe ſufficiat. *Oblatio Melchiſedech. Gen. 14.* Prima igitur figura fuit in oblatione Melchiſedech, qui fuit rex & ſacerdos offerens panẽ & vinum, ſignificans oblationem Chriſti & inſtitutionem huius ſacramenti ſub ſpeciebus panis & vini; & ideo dicit propheta; *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* *Pſal. 109.* *Agnus paſchalis.* Secunda figura fuit in immolatione agni paſchalis, qui fuit immolatus pro ſalute populi Iſrael. Sic Chriſtus, quem Ioannes prædicabat & demonſtrabat digito agnum veniſſe Chriſtum, propter innocentiam & manſuetudinem immolatus eſt pro ſalute totius generis humani. Vnde ſicut poſt eſum illius agni ſecuta eſt liberatio Iudæorum de ſeruitute AEgyptiaca; ſic poſt inſtitutionem huius ſacramenti, quæ facta eſt feria quinta magna, facta eſt die ſequẽti liberatio generis humani à ſeruitute diabolica. *Ioan. 8. 1. Ioan. 2.* Nam *qui ſeruit peccato ſeruus eſt peccati. Et qui ſeruit peccato manet in morte.* Et ideo hoc ſacramentum vtramque deſtruit ſeruitutem, quia ſi filius vos liberauerit, verè liberi eritis. *Ioan. 8. Galat 4.* *Qua libertate liberauit nos Chriſtus.* Et mortem mortificauit, quia *qui manducat me, ipſe viuet propter me.* *Ioan. 6.* *Manna.* Tertia figura, quæ probat veritatem huius ſacramenti, eſt Manna, de quo dicit Sap. 16 *Panem de cœlo paratum præſtitiſti eis*, cuius guſtus erit quaſi ſimilæ cum melle. vnicuique ſapiebat ſecundum ſuam propriam voluntatem, inquit Auguſt. ſecundum Robertum Holcoth in diuerſis perſonis, & in eadem perſona diuerſis temporibus diuerſos ſapores habebat. *lib. retractat. c. 2. Holcoth ſuper li. Sap. c. 16.* Et hoc intellige, quãdo cogitabant actualiter de ſapore alicuius alterius cibi, ſed ſi non, tunc habebat ſaporem ſibi connaturalem quaſi ſimilæ oleo conſperſæ. Per quod Manna ſignificatur ſacramentum Euchariſtiæ ſecundũ Holcoth vbi ſupra. Sicut enim filij Iſrael per deſertum tranſeuntes verſus terram eis à Domino repromiſſam tali refocillabantur alimento, ita nos per mundum ad cœlum pergentes corporis & sãguinis Chriſti quotidiano viatico recreamur. *Euchariſtia cur panis angelorum.* Vocatur autem panis angelorum, primo ſecundum Holcoth propter conficientes Euchariſtiam, ſcilicet ſacerdotes, qui puri debent eſſe vt Angeli. Malach. 2. *Angelus Domini exercituum eſt.* ſcilicet ſacerdos. Et Apoſtolus dicit; *Mulier debet habere velamen in Eccleſia propter angelos.* Gloſſ. id eſt, ſacerdotes. *1. Cor. 11.* Dicitur etiam panis angelorum propter veſcentes, quia debent eſſe puri communicantes vt angeli, quia *in maleuolam animã non intrabit ſapientia.* *Sap. 2.* Secundo ſicut illud Manna colligentes non habuerunt plus quam illi, qui minus collegerant, ita capientes maiorem hoſtiam non plus ſumunt quam illi qui minorem, aut qui vnam micam quæ vix videri poſſit, cum vtrobique ſit idem Chriſtus æquè magnus. Sicut patet de ſpeculo integro & confracto, in quo videtur tota imago, & in qualibet eius parte. Tertio ſicut illud Manna ad modicum radium ſolis liqueſcebat; ab igne dureſcebat; ſic iſtud ſacramentum ſumentes à deuotione liqueſcunt in lachrymas compũctionis; ſed ab igne cõcupiſcentię indurãtur & obdurantur. Quarto ſicut illud Mãna bonis erat dulce, malis autem vertebatur in nauſeam; ſic iſtud ſacramentum eſt bonis ad meritum, malis verò ad ſupplicium, iuxta illud, quod canitur in ſequentia Eccleſiaſtica; Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali Patet de Iuda, in quẽ poſt buccellam introiuit Sathanas. *Panes propoſitionis.* Quarto iſtud ſacramentum figuratum eſt in panibus propoſitionis, quia ſicut illi panes non miniſtrabantur niſi à ſacerdotibus, & non dabantur laicis & ſecularibus niſi pręrequiſita puritate; *1. Reg. 11.* Sicut patet de Dauid, cui Abimelech non prius dedit, niſi de continentia requiſiſſet; Sic iſtud ſacramentũ non niſi à ſacerdotibus miniſtratur, & cõtinentibus datur. Quarto iſtius ſacramenti veritatem probant miraculoſa oſtenſio.

4. Miracula. Sunt autem plura mirabilia. Primũ eſt quod accidit tempore beati Gregorii, vbi propter dubitationem cuiuſdam fœminæ hoſtia verſa eſt in cruentã carnem. Secũdũ eſt de quodam ruſtico, qui de conſilio Pythoniſſæ

thoniſſæ hoſtiam conſeruauit in vaſe, qui cũ poſt hoc veniſſet, inuenit matrem puerum tenentem. Tertium eſt, cum quidam ſacerdos rogaſſet in fide confirmari, vidit poſt conſecrationem matrem cum puero in hoſtia dicentem ſibi; Ecce habes quẽ deſideraſti. Item cum quidam dæmoniacus adiuratus eſſet quid eſſet in hoſtia, reſpondit panis; poſtea fortius adiuratus dixit; panis vitę; panis angelorum; vltimo dixit; Deus & homo, in cuius nomine exiuit. Quintum miraculum de ſacerdote AEgidio, qui cum poſtulaſſet ſibi reuelari naturam ſacramenti, vidit puerum ex hoſtia factum & angelum dicentem ſibi; Si Chriſtum videre placet, deeſt tibi quomodo illi pectori cõiũgeris, deoſculatus eſt & tãdẽ petiuit conuerti in priorem formam, quod & factum eſt. Item venerabilis Hugo infirmabatur ad mortem, cum propter vomitum fratres illi corpus Chriſti dare negabant, & hoſtiã non conſecratam dare vellent, dicebat, nõ eſt iſte Deus meus. Item quidam Iudæus vidit in Eccleſia communicando populum quaſi puerum diuidi Chriſtianis. Item duo præſbyteri venerunt ad domum cuiuſdam dubitantis de veritate ſacramenti, contigit autem, quod puer illius cucurrit poſt vnum ad Eccleſiam, & eo celebrante vidit puer ſacerdotem quaſi vnum puerum comediſſe; Currens igitur in domum, ſub lecto ſe abſcondit; Requiſitus autem à patre cur hoc faceret, reſpondit, vidi illum ſacerdotem, qui hic nos viſitat, in Eccleſia puerum comediſſe, vnde timeo, ne me ſimiliter comedat. Et hæc ad præſens ſufficiant.

5 *Naturalis ratio.* Quinto veritatem huius ſacramenti probat naturalis diſcurſus rationis. Dicit enim ſubtilis Doctor, quod naturalis diſcurſus dictabat talem mutationem, quæ eſt in ſacramento, de perfectione mũdi eſſe neceſſariam. Nam ſicut fuit mutatio accidentis ſine ſubiecto, ſicut in aquis Marath multum amaris, ſed in dulcedinẽ conuerſis, remanente nihilominus aquæ ſubſtantia. Item fuit mutatio ſubſtantiæ in ſubſtantiam cum mutatione accidentis, vt aquæ in vinum in Cana Galilææ. Ideo neceſſe fuit eſſe mutationem ſubſtantiæ ſine mutatione accidentis, eo quod hic ſubſtantia panis mutatur in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed remanent accidentia, ſcilicet ſapor idem, color, & ſic de alijs. Item dictat ratio naturalis prius hominem eſſe alendum cibo ſubtili & leui, quam forti & valido. Sicut etiam dicit Apoſtolus. Lac vobis potum dedi, non eſcam, ita debuit nobis Chriſtus prius dari in hoc ſacramento ſicut paruulis & infantibus, vt quaſi ſugendo ipſius carnem ſumeremus, & tandem in patria fortiorem & immenſum caperemus. Vnde dicit Iſidorus. Sicut cibum fortem infans inualidus capere non poteſt niſi à matre prius editus in lactis ſuccum vertatur, vt quod in cibo non potuit vti, ſugendo potet in lactę per carnem; Ita & nos dum eſſemus infirmi ad conſpiciendam verbi æternitatem, factum eſt verbum ipſum caro, vt enutriti per carnem fortiores que effecti, cibum ſolidum, id eſt, verbum diuinum patri coæternum contemplando, vt Angeli ſatiemur. Hæc Iſidorus. *libr. 1. de ſummo bono c. 15.*

I L

Qui manducat. Ante aduentum mediatoris inquit S. Bernard. omnes ſenſus noſtri languebant corpore emortuo propter vnius ſenſus defectum, ſcilicet propter guſtus abſentiam, ſine cuius adminiculo nec viuere corpus, nec ſenſus vim viuacitatis exercere potuerunt. Quicquid enim ad totius corporis ſpectat alimentum, cunctis ſenſibus & vniuerſo corpori appone, ſuppone, circumpone, ſi ſolus guſtus decrit, quid proderit? infunde auribus, intrude naribus per quamuis aliam partem, obeſſe poterit, non prodeſſe. Guſtum autem quędam ſequitur ſaporis dulcedo, quam in interiori ſuo ſentiens anima, modo quodam ſingulari & cæteris ſenſibus incommunicabili, quæ ſuſcipit cuncta diiudicat, diſcernit, ſicque omnes ſenſus vegetat & confirmat. Hæc ille. Vt ergo Chriſtus guſtum noſtrum reformare valeret, & vt homini ſe ſuauẽ oſtenderet, ac per hoc ad maiorẽ ſui dilectionẽ prouocaret, carnẽ aſſũptam propoſuit in eduliũ, vt per cibũ carnis ad guſtum inuitaremur Deitatis. Nihil eſt quod tam gratam mentibus præſtet refectionẽ, ſicut panis ſuperſubſtãtialis. Hęc *Bern. in l. de amore Dei.*

enim

enim refectio non fit per ſpeculum, ſed per diuinæ dulcedinis experientiam. Iuxta quod guſtus & tactus non exercetur per ſpeculum ſicut viſus. Sed quamuis ſit tantæ ſuauitatis, tamen palato non ſano, id eſt homini malè diſpoſito, pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis. Quia igitur non omnes æqualiter manducant aut guſtant hunc cibum: ideò de diuerſis modis manducandi breuiter eſt ſciendum, quod iſtud ſacramentum poteſt ſumi & manducari quatuor modis. *Primo* non ſacramentaliter nec ſpiritualiter, ſicut illi qui ſpeciebus iſtis vtuntur, ſicut communibus cibis ad ſatietatem & ebrietatem. De quibus dicit Apoſtolus; *Alius quidem eſurit, alius ebrius eſt.* *Secundo*, modo non ſpiritualiter ſed ſacramentaliter, ſicut qui ſumunt cum peccato mortali. De quibus dicit Apoſtolus ibidē. *Qui manducat & bibit indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Vbi dicit Ambr. *Reus erit*, id eſt, ac ſi Chriſtum occidiſſet punietur. Et de his dicitur. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram.* & eſt ſenſus ſecundum Innoc. *Omnes pingues terræ*, id eſt, terrena diligentes & & ſuperbi manducauerunt corpus Chriſti ſacramentaliter, & adorauerunt exterius genua flectendo, ſed nec manducatio eis profuit, nec adoratio Deo placuit. De manducatione dicit Apoſtolus; *Qui manducat indignè.* De adoratione Iſa. *Cum veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris?* Et ſequitur. *Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine*, id eſt, peccato, ideo addit. *In conſpectu eius cadent*, id eſt, peccabunt, *omnes qui deſcendunt in terram*, ſcilicet terrena diligendo. Vnde eo ipſo, quod tales præſumunt accedere ad ſacramentū, peccabunt. *Tertio* modo manducāt quidam ſpiritualiter non ſacramentaliter, ſicut illi qui fide & deuotione ad iſtud ſacramentum deſiderant accedere, exiſtentes in gratia, ſed propter aliquod impedimentum non poſſunt ipſum recipere. Quibus dicit Auguſt. Crede & manducaſti. Et de his dicit Pſal. *Edent pauperes & ſaturabuntur.* Quod exponit Innoc. quartus de manducatione ſpirituali. Vnde ſenſus eſt; *Edēt*, id eſt, ſpiritualiter comedent. Et quid edēt, determinat Ioan. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Benè autem dicit, *edent pauperes*, quia non comedunt eum ſpiritualiter niſi pauperes, id eſt, contemptores diuitiarum & humiles. Qui enim plus diligunt ſæculum quam Deum, non comedunt eum ſpiritualiter ad ſalutem, licet comedant ſacramentaliter ad damnationem ſuam. Vnde dicit Aug. Quid eſt mādučare? non hoc ſolū ſcil. in ſacramento corpus Chriſti accipere, multi enim indignè accipiunt, ſed hoc eſt manducare, in ipſo manere, & ipſū in ſe manentem habere, ſecundum quod ipſemet dicit; *Qui manducat carnem meam &c. in me manet & ego in eo.* Quem modum manducandi clarius deducens beatus Bernard dicit; Manducare ſpiritualiter corpus Chriſti eſt paſſionis & redemptionis eius ſacramentum attentius colere, ad ſumendum ſuauiter in conſcientia, & ad recolendum fideliter in memoria. *Quarto* modo quidā manducant ſacramentaliter & ſpiritualiter, ſicut illi qui cum debita præparatione ipſum de facto accipiunt. De quibus dicit Apoſtolus. *Probet autem ſeipſum homo, &c.*

Euchariſtia ſumi poteſt modis quatuor.

1. Cor. 11.

Pſal. 21.

Iſa. 1.

Pſal. 21.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

Bern.

Sciendum autem, quod ad iſtud ſacramentum fideles obligantur ſecundū quadruplicem gradum. Quia aliqui primo obligantur ſolum ad credendum & amandum, ſicut illi qui ſunt inter infideles, vbi nullo modo poſſunt habere copiam, & tales ſic ſaluantur. Quia nemo ad impoſſibile obligatur. Vnde dicit Auguſtin. Deus ſeruum pigrum non damnaret, ſi ea, quæ nullo modo fieri poterant, imperaret. Secundò aliqui non ſolum ad credendum & diligendum, ſed etiam venerandum obligantur, ſicut inter fideles quilibet non legitimè impeditus tenetur in diebus dominicis ad minus, vt audiat miſſam. Nā præceptum de ſabbati obſeruatione ad iſtum cultum eſt translatum. Tertio aliqui non ſolum ad venerandum, ſed etiam ad ſumēdum iſtud ſacramentum obligantur, ſicut omnes perfectæ ætatis ad minus ſemel in anno, vt circa feſtum paſchæ, quia tunc iſtud ſacramentum fuit inſtitutum. Quarto aliqui tenentur non ſolum ad venerandum & ſumendum, ſed etiam ad conficiendum ſicut omnes ſacerdotes, & præſertim

curati

curati,& tanto frequentius, quanto pro pluribus obligantur. Vnde Greg. Debemus Deo quotidiana lachrymarum ſacrificia quotidianis carnis & ſanguinis eius hoſtijs immolare.

Greg. 4. dialog.

Euchariſtia an quotidie ſumenda.

Nota ſecundum Aug. in libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus. De conſec. diſt. 2. Quotidie. Singulis autem diebus dominicis &c. Thomas ſuper 4. diſt. 7. Si quis ex quotidiana ſumptione noſcit feruorem augeri ad Deum,& reuerentiam ad ſacramentum non minui, talis poteſt quotidie celebrare. Si autem ſentit reuerentiam minui, feruorem non multum augeri, debet abſtinere, vt cum maiori deuotione poſtea accedat;& ſic quilibet eſt ſuo iudicio relinquẽdus. Aug. ad Ianuariũ,& Ambr. l. 1. de ſacramẽtis. Qui quotidie peccat, quotidie debet ſumere medicinam. de cõſe. diſt. 2. Si quotieſcunque. Item de conſecr. diſt. 2. Non iſte. vbi dicitur. Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit Reſpondeo. Omnia iſta intelliguntur ad præparationem animi. in quo debet eſſe Chriſtianus. de conſec. diſt. 2. Vt quid. Ex quo dicto patet ſecundum Scotum, quod exiſtens in gratia indeuotus, laudabiliter abſtinet, nec eſt conſilium ſanctorum per hoc ſacramentum excitare deuotionem, ſed per alia ſcilicet eleemoſynas.

An ſacrificandum quotidie ſacerdoti.

Sed nota an ſacerdos peccat non ſacrificando quotidie, videtur quod ſic, quia per ſacramentum tolluntur peccata. 1. q. 1. Ipſi ſacerdotes peccata populi comedunt, & eis iniungitur vt ſemper aſſint ad altare. 31. diſt. ſacerdotibus. Et quia quotidie peccamus ſaltem peccatis, ſine quibus humana fragilitas non poteſt conſiſtere, debemus quotidiana celebratione purgare. de conſe. diſt 2. iteratur. Reſp. Si ex humilitate deſiſtat, non peccat, ſi propter grauitatem peccati præteriti facit. diſt 5. ad eius. Si ex pigritia vel leuitate, licet ſentit ſe dignum,& ſic haberet conſcientiam, peccaret contra Deum & proximum.

Quomodo hoſpitium præparetur Chriſto. Hugo in l. de præpar. cordis c. 1. Eccl. 1.

Qualiter vero hoſpitium cordis ſit præparandum tanto hoſpiti, vt dignè poſſit manducare ſpiritualiter docet Hugo; Et hæc præparatio in tribus conſiſtit. *Primo* vt hoſpitium cordis mundetur, quod fit per timorem Domini. *Timor Domini expellit peccatum*, & hoc fit mediante cõfeſſione. Anima enim ſua peccata cognoſcens pertimeſcit diuinum iudicium,& inde confitetur. Et hæc confeſſio debet eſſe præmeditata, ad ſimilitudinem purgantis domum, qui prius immunditias omnes in vnum cumulum congregat, antequam eas extra eijciat. Item debet eſſe præmeditata ad ſimilitudinem diſpenſatoris, qui per lapillos prius computat, quã Domino rationem reddat. Debet enim attendere omnia bona naturæ, gratiæ, fortunæ, quibus vſus eſt. Item debet eſſe præmeditata ad ſimilitudinem illius, qui ingreditur iudicium, qui prius præmeditatur, antequam loquatur coram iudice. Sed ſunt quidam qui impræmeditati & indeliberati confitentur, narrantes ſuperficialiter. Sicut ancilla pigra lauat extra ollam & intus non aduertit pinguedinem aduſtam, & ſicut ancilla purgans domum colligit ſordes in vnum locum,& abſcondit ſub ſcamno. Tales ſunt, qui boni apparere volunt, vel bona agunt, ſed peccare non ceſſant,& peccata abſcondunt tacentes circumſtantias. *Secundo* præparatur cordis hoſpitium ornando domum cordis. Quod fit per veram pacificationem conſcientię. Pſalm *In pace factus eſt locus eius*, & hoc cum homo pacem habet cum vitijs. *Tertio* præparatur cuſtodiendo atrium cordis, ne fur diabolus ingrediatur ſuis machinationibus & furetur virtutes quas homo collegit. Vnde Salomon; *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum.* Benè dicit *omni*, non vna, ſcilicet vt omnes ſenſus tuos benè cuſtodias. Qui ſic præparauerit domum conſcientiæ, dignus erit tanto hoſpite,& hic eſt, qui dignè manducat hunc panem.

III.

Viuet in æternum. Hoc ſacramentum eſt panis viuus, vt dicitur apud Ioan. vnde confert vitam gloriæ; licet non conferat vitam gratiæ, eo quod requirit hominem exiſtentem in gratia. Vnde gratiam primo non donat, ſed eam augmentat. Et ideo dicitur Euchariſtia quaſi bona gratia, quia perficit gratiam collatam. Vnde ſicut cibus corporalis habet vitam conſeruare in corpore, ita iſtud ſacramentum, cum ſit cibus animæ, habet conſeruare gratiam, quæ eſt vita animæ. *Niſi manducaueritis*

Ioan 6.

Fructus & vtilitas ſumptionis Euchariſtiæ.

Ioan. 6.

vitis &c. non habebitis vitam in vobis. Conſeruat ergo in vita gratiæ & perducit ad vitam gloriæ, quia *ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vnde hic eſt panis vitæ ad intelligentiam præſentis dignatio-nis; lignum vitæ ad prouidentiam futuræ tentationis, liber vitæ ad memoriam exhibitæ dilectionis. In eo quod eſt cibus vitæ reficit conditionis humanæ naturæ amaritudinem; quia lignum vitæ, perpetuat contra breuitatem; quia liber vitæ erudit & fit remedium contra iniquitatem. De primo dicit Eccl. *Eccl.15.* *Cibauit illum pane vitæ & intellectus.* Benè dicit *& intellectus,* eo quod homo debet intelligere ſpiritualiter ea, quæ dicuntur de hoc ſacramento. Sic quod per iſtud ſacramentum habemus vitam *Ioan.6.* ſpiritualem. vnde ſaluator; *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* De ſecundo de ligno vitæ dicitur. *Prou.3.* *Fructus iuſti lignum vitæ.* vnde ſicut mors intrauit per lignum, ita vita inuenta eſt per lignum crucis, in quo corpus Chriſti pependit & vitam nobis reparauit. De tertio ſcilicet de ligno vitæ. *Apoc.20.* Apertus eſt lib. vitæ. Certè hodiè aperitur & quotidie omnibus, in quo quilibet docetur, quantum Chriſtus nos dilexit, qui nobis ſic ſeipſum dedit in cibũ temporaliter, & ſeruat in præmium æternaliter. *Dignè mãducantes vtilitates conſequũtur.* Sunt autem plures vtilitates conſequentes dignè manducantibus; *Prima* eſt ſpiritualis mentis repletio. *Prou.13.* *Iuſtus comedit & replet animam ſuam.* *Secunda* eſt familiaris Dei inhabitatio. *Ioan.6.* *Qui manducat meam carnem in me manet & ego in eo.* *Tertia* eſt glorioſa corporis reſurrectio. *Ibid.* *Qui manducat meam carnem &c. & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* *Quarta* eſt vitæ æternæ adeptio, vt hic dicitur: *viuet in æternum.* Et per oppoſitum eſt de indignè ſumẽtibus, quos *Indignè manducantes magnum patiuntur damnum.* ſequitur multiplex damnum. *Primum* eſt periculum mortalis culpæ. *Homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit de populo.* *Leuit.22.* *Secundum* eſt crimen læſæ maieſtatis. *Qui manducat indignè, reus erit corporis & ſang. &c.* *1.Cor.11.* *Tertium* eſt ſpiritualis ſatietatis carentia. *Comediſtis & non eſtis ſaturati.* *Aggai.1.* *Comedes & non ſaturaberis.* *Mich.6.* *Quartum* eſt damnatio æternæ mortis. *Iudicium ſibi manducat &c.* *1.Cor.11.* Vt igitur hæc damna caueantur & vtilitates cõſequentur, plura ſunt neceſſaria. *Neceſſaria ad fructuoſam communionem.* Primo fides cum qua accedendum eſt. *Omnis alienigena non comedet ex agno.* *Exod.12.* Secundo cum charitate. *Comedite & bibite amici.* *Cant.1.* Tertio cum humilitatis ſimplicitate. *Si quis eſt paruulus veniat ad me, & inſipientibus locutus eſt. Comedite panem meum & bibite vinum, quod miſcui vobis.* *Prou.9.* Quarto cum metu & terrore. *Panem ſuum cum luctu & tremore comedebat.* *Tob.2.* Quinto cum prauorum motuũ reſtrictione. *Renes veſtros accingetis.* *Exod.12.* Sexto cum conſcientiæ diſcuſſione. *Probet autem ſeipſum homo.* *1.Cor.11.* Septimo cum amaritudine contritionis. *Cum lactucis agreſtibus.* *Exod.12.* Octauo cum amotione concupiſcentiæ carnalis. *Seruus omnis empticius circuncidetur, & ſic comedet.* *Ibidem.* Nono cum ſuſpirijs clamoris. *Antequam comedam ſuſpiro.* *Iob.3.* Decimo cum vitæ ſanctitate. *Sanctificamini cras comedetis carnes.* *Num.11.* Vndecimo cum gratiarum actione. Pſalm. *Comedent & ſaturabuntur & laudabunt Dominum.* *Pſal.21.* Duodecimo cum mandatorum diuinorum obſeruatione. *Audite audientes me & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* *Iſa.55.* Beatus, qui ſic manducat hunc panem. Nam talis viuet vita gratiæ in præſenti, & vitæ gloriæ in futuro; Ad quam nos perducat auctor vitæ Chriſtus Dominus noſter, qui eſt per ſæcula benedictus. Amen.

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST TRINITATIS.

SERMO I.

Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Luc.16.

SI diligenter conſiderare velimus fratres chariſſimi, mundanæ gloriæ vanam excellentiam, necnon opulentiarum, quibus diuites peccatores & abundantes in ſæculo, affluunt, miſerabilem in ſeipſo copiam; reuera nihil eſt, de quo eis electi Dei exiſtentes tam pauperes, tam viles, tam abiecti, quam deſpecti inuideant, eo quod tota illorum gloria in ignominiã & abundantia in defectum perpetuum, & iſtorum paupertas & vilitas in perpetuum gaudium & conſolationem æternam conuerti non dubitatur. Sicut patet hîc in duobus hominibus diuite & Lazaro. Illam enim gloriam

Eccl. 1.

& copiam diuitiarum non niſi *labor & afflictio ſpiritus* in præſenti, & in futuro dolor acerbiſſimus & perpetuus cruciatus comitatur, ſicut patet in diuite iſto. Verè ergò & bene dixit quod *vanitas vanitatum & omnia vanitas, quæ ſub ſole ſunt.* Et quomodo rogo non vanitas, cum vt dicitur in Pſalm. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Vnde damnati hodiè conqueruntur contra ſeipſos, dicentes illud Sap. *Quid profuit nobis ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Et certè facilis eſt reſponſio, quod nihil profuit ſed obfuit. Cuius ratio ibidem ſequitur; *Tranſierunt omnia velut vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire neque ſemitam carinæ illius in fluctibus.* Vbi patet quomodo damnati cõparant temporalem fœlicitatem vmbræ propter eius breuitatem, quia moto homine ſtatim vmbra mouetur & annihilatur, ſic fœlicitas humano mortuo homine ſtatim deſinit. Iob. 27. *Diues cum dormierit nihil ſecum afferet.* Secundo comparatur nuncio præcurrenti; licet enim omnis nuncius habeat feſtinare, ille tamen maximè, qui prçcedit Dominum ſuum pro hoſpitio ſuo & cibo præparando, & ideo fœlicitas mundana non comparatur cuique nuncio, ſed curſori velociſſimo, qui præcedit Dominum ſuum Iob. 9. *Dies mei velociores curſore tranſierunt, & non viderunt bonum,* ſcilicet æternum, licet temporalia bona viderunt ad tempus, vnde dicitur iſti diuiti; *Recepiſti bona.* Tertiè comparatur naui tranſeunti per mare, & quo ad hoc, dicitur tanquam nauis, quç pertranſit fluctuantem aquam, cuius, cum pertranſierit, non eſt ſemitam inuenire neque veſtigium in fluctibus. Sic eſt de vita hominum mundialium, quæ nullam relinquit memoriam tranſactis paucis annis. Et hoc eſt verum. Plures enim nobiles tranſierunt & perierunt, quam habeantur in memoria, ſiue per ſcripturam, ſiue per memorialia quæcunque. Vnde & iſte diues, licet fuit famoſiſſimus in ſæculo, tam ex prædijs & poſſeſſionibus quia diues in cenſibus, tam ex operimentis & veſtibus, quia *induebatur purpura & byſſo*; quam etiam ex ferculis & victualibus, quia *epulabatur quotidie ſplendidè,* tamen nulla ipſius habetur memoria, eo quod nec nomen ſuum hic dicitur, nec genealogia parentum deſcribitur, nec quod omnium potiſſimum eſt, prçmium virtutis

Ibidem. *Sap. 5.*

Fœlicitas temporalis comparatur vmbra.

Nuncio præcurrenti.

Naui tranſeunti.

 &pro-

& probitatis, ſed potius vitiorum demeritum pœna & tormentorum recitatur. Vera ergo eſt illa ſententia Pſalmiſtæ, *in memoria erit iuſtus*, vt patet hic de Lazaro; Reproborum vero memoria peribit cum ſonitu, ſicut patet hic de diuite, cuius memoria in peſſimo recordio ſingulis annis recolitur, vita ipſius enormis & mors peſſima recitatur. *Homo quidam erat diues*. In quibus verbis tria de iſtius diuitis vita reproba & nefanda proponuntur, ſecundum quod triplici vitio tota illius ætas deformata oſtenditur, & nobis in exemplum & cautelam fugiendi declaratur. Primo itaque deſcribitur ſtatus huius diuitis tanquam ſuperbus & inflatus, quia ſuperfluus in cenſibus, Cum dicitur, *diues erat quidā*. Secundo vt vane glorioſus & pompaticus, quia vanus & curioſus in veſtibus, cum additur; *Et induebatur purpura & byſſo*. Tertio vt guloſus & repletus, quia vorax & epuloſus, cum ſubditur; *Et epulabatur quotidie ſplendidè*. Et in his omnibus tacitè repræhenditur, vt impius & immiſericors reſpectu proximi, cum dicitur quod erat ſibiipſi tantum diues, induebatur & non induebat aliquem; epulabatur & non reficiebat pauperem, ſcilicet Lazarum.

Pſal.111. — *Propoſit.*

I.

Diues. Sciendum, quod, ſecundum beatum Bernard. aurum & argentum & cætera huiuſmodi, quæ diuites habent pro cēſibus quantum ad animi bonum ſpectant, nec bona ſunt nec mala, vſus tamen horū bonus, abuſio mala, ſolicitudo peior, quæſtus turpior. Hæc Bernard. Hinc dicit Ambroſ. Diuites crimen habent, non in facultatibus, ſed in his, quia vti neſciunt. Et ſubdit; Nam diuitiæ vt impedimenta ſunt improbis, ita bonis ſunt adiuuamenta. Hæc ille. Nihil ergo in diuite repræhenditur plus, niſi diuitiarum abuſus, qui maximè fit per ſuperbiam Propter quod dicit Auguſtin. quod diuites intelliguntur ſuperbi in ſcripturis. Nam qui habet multas facultates pecuniarum, ſi in eis non extollitur pauper eſt. Et modo ſi non habeat aliquid, & cupiat & infletur, inter diuites reprobos eum computat Deus, quia diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca aut in domo. Hæc Auguſtin. Ex quibus omnibus infero primo, quod poſſeſſio diuitiarum ſecundum ſe illicita non eſt, ſi ordo rationis ſeruetur. Ad quod ſecundum Thomam primo requiritur, quod iuſte poſſideat, quæ habet. Secundo quod in eis finem non conſtituat. Tertio quod ipſis debito modo vtatur, ſcilicet ad ſuam & ad aliorum vtilitatem. Vnde Apoſtolus diuites non condemnat, ſed eis certam regulam vtendi diuitijs tradidit, dicens. 1. Timoth. 6. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, bene agere, facilè tribuere, communicare & theſaurizare ſibi fundamētum bonum in futurum*. Vnde patet quod diuitiæ ſtant cum beatitudine viæ, quia nec ſpem, nec charitatem, nec fidem excludunt. Ideo dicit Eccl. 31. *Beatus diues ſine macula qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in theſauris pecuniæ*; immo dico quod diuitiæ ſunt neceſſariæ ad beatitudinem. Nam ſecundum Thomam, tam virtutes vitæ actiuæ quam contemplatiuæ diuitijs indigent, ſed differenter; quia contemplatiuæ ad ſolam ſuſtentationem naturæ, ſed virtutes actiuæ ad hoc, & ad ſubueniendum alijs cum quibus conueniendum eſt, veruntamen contemplatiua in hoc perfectior eſt, quia paucioribus indiget. 1. Thimoth 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Sed vt habeamus materiæ huius latiorem tractatum ad inueniendum veras diuitias, videamus de multiplici genere diuitiarum. Eſt igitur triplex genus diuitiarum, nam quædam ſunt diuitiæ temporales & periculoſæ; aliæ ſpirituales & virtuoſæ; tertiæ æternales & glorioſæ. Primæ ſunt rationabiliter paruipendendæ; Secundæ laudabiliter exercendæ; Tertiæ ineffabiliter appetendæ. Primæ diuitiæ ſunt periculoſæ, quia repellunt veritatem à cognitione; ſecuritatē ab æſtimatione; tertiò vnitatem ab affectione. Primo repellunt veritatem à cognitione. Diuites enim nec poſſunt habere veram cognitionem Dei, nec ſui, nec proximi.

Bern li. de cōſideratione. — *Ambr l. 8. ſuper Lucam.* — *Diuitiarū abuſus, maximè reprehenditur in diuite.* — *Aug. ſup Pſal. 68.* — *In diuitijs ordo rationis ſeruandus. lib. 3. cont. gent. c. 125* — *Vbi ſup. cap. 31.* — *Diuitiarū genus triplex.* — *Diuitiæ temporales periculoſæ.*

ximi. Primò non habent cognitionem Dei. Quia fallacia diuitiarum *ſuffocat verbum,* & ſine fructu efficitur. In cuius figura Regibus diuitibus Angelus Domini apparuit in ſomnis, ſed pauperibus paſtoribus in vigilia perfectè ſe oſtendit; in ſignum, quod pauperes de eo clariorem habēt notitiam, quam diuites. Vnde Zachæus, qui fuit princeps publicanorum & diues, & tamen ſtatura puſillus erat, & non poterat præ turba videre Jeſum, donec in arborem aſcendit. Sic diuitijs conſtipati & familia multa circumdati ſunt paruuli in ſtatura virtutum, & comprimuntur ſolicitudinibus & preſſuris negotiorum & officiorum, ita quod eis non vacat tempus ad cogitandum de Deo niſi valdè rarò; forte ſemel vix in anno, in quadrageſima, vel in paſcha arborem pœnitentiæ conſcendunt, vt Ieſum videant aut deuotè inuitent in domum ſuam. Et ideò diuitiæ ſunt pulueres excæcantes oculos ſpirituales. Vnde cuidam diuiti dicitur in Apocal *dicis quod diues ſum & nullius egeo, & neſcis quia miſer es & miſerabilis & pauper, cæcus & nudus.* Itē ſecundo non habent notitiam ſui, propter duo impedimenta; propter vera dicentium raritatem, & propter adulatiuam falſitatem. De primo dicit Seneca, Monſtrabo tibi quid omnia poſſidentibus deſit. Deeſt enim eis, qui dicat veritatem. De ſecundò patet, quia tot ſunt adulatores diuitum de familijs, de amicis, de vicinis, de extraneis, quod proprios defectus non poſſunt aduertere. *Diuiti decepto multi recuperatores, locutus eſt ſuperba, & iuſtificauerunt illum. Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent.* Tertiò non habent cognitionem de proximo, quia neſciunt qui ſunt eorum amici, qui hoſtes. Vnde Seneca, Iſte quem tu dominum pecuniæ æſtimas, loculos habet, ignoras an auarus an prodigus ſit. Si prodigus, non habebit; ſi auarus non habet. Iſte quem tu admirantibus cunctis fœlicem credis, ſæpe dolet, ſæpe ſuſpirat; multi illum comitantur, mel muſcæ ſequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam ſequitur iſta turba non hominem. Et ideò benè deducit

Diuites non habēt cognitionē Dei.
Matt. 13.
Luc. 19.
Apoc. 3.
Nō habēt cognitionem ſui.
Eccl. 13.
Nō habēt cognitionem proximi.
Seneca de remed. for tuitorum.

Boëtius quod aduerſa fortuna plus prodeſt quam proſpera. Illa ſemper ſpē felicitatis cum videtur blanda mentitur, hæc ſemper vera eſt, cum ſe inſtabilem mutatione demonſtrat. Illa fallit, hæc inſtruit. Sic ergò diuitiæ repellunt veritatem à cognitione; ſecuritatem ab æſtimatione. diuites enim ſunt ſemper in timore perdendi pecuniam, terras & theſaurum, & cum ſunt, ſine ſecuritate ſunt, & per conſequens ſine intrinſeca iucunditate. Vnde Auguſtinus narrat, quod tranſiens per quendam vicum, vidit pauperem mendicūm iocantem, & innuit loquens ad ſocios; Omnibus, inquit, conatibus quibus laboramus, nihil aliud vellemus, niſi ad ſecuram lætitiam peruenire, quo nos iſte mendicus præceſſit. Et ſequitur. Jſte lætabatur, ego anxius eram; ille ſecurus, ego trepidus. Et ideò notanter in ſuo cantico dixit Beata Virgo. *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Iſtud enim eſt quod apparet eſſe repletum, & tamen eſt vacuum, ita diuites videntur exterius ſine ſolicitudine, & tamen interius ſunt pleni triſtitia & timore. Tertiò repellunt vnitatem ab affectione, cauſant enim inuidias & turbationes & bella brigas & diſcordias morum. Vnde Iacob. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs veſtris?* vbi dicit Gloſſa ordina. Qui enim cupit præferri & temporalibus abundare, odit, inuidet, occidit. Iſtud benè patet de Abraham, & *Loth* conſanguineo ſuo, de quibus dicitur; *Erat eorum ſubſtantia multa & non poterant habitare communiter.* Ecce diuiſio fraternæ vnitatis & charitatis, vnde propter meum & tuū fit bellum, dicit Seneca.

Secundæ diuitiæ ſunt ſpirituales & virtuoſæ, & hæ ſunt gratiæ & operationes virtutum, & boni mores. Vnde dicit Grego. Homelia 12. ſuper illud, Exijt qui ſeminat; ſolæ diuitiæ veræ ſunt, quæ nos virtutibus diuites efficiunt. Et ſequitur; ſi ergo fratres diuites eſſe cupitis, veras diuitias adamate. De his diuitijs dicitur Iſaiæ 33. *Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia.* Et Prouerb. 10. *Benedictio Domini diuites facit.* Et Sapient. 8. *Etſi diuitiæ appetantur in vita,* quid

Aug. 6. confeſſ.
Luc. 2.
Gen. 13.
Diuitiæ ſpirituales virtutum veræ.
Gregor.

quid ſapientia locupletius. Sunt autem iſtæ diuitiæ multiformes. Primæ rectæ credulitatis Iacob. 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide & hæredes regni, quod repromiſit diligentibus ſe. Secundę ſunt bonæ operationis 1. Thi. vlt. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, bene agere, diuites fieri in bonis operibus.* Tertiæ ſunt diuitiæ ſanctæ contemplationis. Iſaiæ 33. *Diuitiæ ſalutis ſapientia,* id eſt ſapida ſcientia, quæ habetur in illis, *qui guſtant* quotidie, *quoniam ſuauis eſt dominus.* Et iſtæ ſunt nobiliſſimæ diuitiæ. Vnde de anima contemplatiua dicitur. *Multæ filiæ* regum *congregauerunt diuitias,* ſcilicet in vita actiua, *tu ſupergreſſa eſt vniuerſas.*

Diuitiæ æternæ. Tertiæ diuitiæ ſunt æternales & glorioſæ. In iſtis eſt perpetuitas ſine tranſitione; ſecuritas ſine fatigatione; iucunditas ſine defectione. De quibus in Pſalm. *Pſal. 111.* *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Et iterum. *Spera in Domino & fac bonitatem, & paſceris in diuitiis eius.* *Idem 36.* Iſtæ diuitiæ ſunt incorruptibiles. Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo nec tinea demolitur.* Sunt etiam iſtæ diuitiæ multum glorioſæ Prouerbiorum 8 *Mecum ſunt diuitiæ & gloria.* Sunt inſuper delitioſæ, quia benedictio Domini diuites facit, & non ſociabitur illis afflictio. Quia ergo diues iſte, de quo hic, non aduertebat diuitias ſpirituales & æternales, ideò tranſiuit ad inopias & afflictiones infernales. Sic enim accidet omnibus diuitias ſpirituales & æternales non curantibus & diuitias temporales amantibus. Prouerb. 11. *Qui confidit in diuitiis, corruet in eis.* Propter quod Salomon paruipendens huiuſmodi diuitias de ſe dicit Sapient. 8. *Diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius,* ſcilicet vitæ æternæ. *Diuitiæ, appell. Nihil.* Et benè appellat diuitias, *nihil* ſecundum Holcoth, quia pro eis ſe homines annihilant irritando & inſidiando, machinando & bellando, vt dictum eſt. Secundò quia in maxima neceſſitate non iuuant, ſcilicet in morte & in iudicio, quando homo maximè indiget, quia tunc ſuum dominum derelinquent. Iob 27. *Diues cum dormierit nihil ſecum affert, aperiet oculos ſuos & nihil inueniet.* Tertiò quia nunquam ſatiant animam: nec mirum, quia omnia terrena vacua. Ierem. 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat & nihil.* Vnde ſtultiſſimus eſt diues huius ſeculi, qui pro nihilo habet terram deſiderabilem regni cœleſtis, & adhæret huic vacuo & nihili. Propter quod Propheta vocat diuitias ciſternas diſſipatas, Jerem. 2. *Foderunt ſibi ciſternas diſſipatas quæ continere non valent aquas,* quaſi dicat: Laborauerunt pro diuitijs & voluptatibus, quæ tempore mortis quaſi tempore æſtatis, cum eſſent magis neceſſariæ, exiccatæ ſunt & anihilatæ. Iſtam ciſternam perdiderat iſte diues in æſtate, quam copioſam habuit in hyeme huius vitæ, qui poſitus in igne infernali non potuit vnam guttam aquæ impetrare. Ex hoc conuincitur, quod diuitiæ nihil ſunt; quia pro omnibus precioſiſſimis rebus totius mundi quas iſte habuit in auro & argento, gemmis & lapidibus, equis, veſtibus, ædificijs & poſſeſſionibus, non potuit emere vnam guttam aquæ in vita futura.

I I.

Induebatur purpura & byſſo. In hoc notatur iſtius diuitis laſciuia; delicatus enim ornatus indicat mentis laſciuiam. Eccleſiaſtici 19. *Amictus hominis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis ſatis nunciant de illo.* Vnde Seneca epiſtola 89. Omnium rerum ſi obſeruentur indicia, ſic enim argumentum morum ex minimis ſolet capi. Et ſequitur; Impudicum hominem & inceſſus oſtendit & manus mota, & interdum vnum reſponſum. Hæc ille.

Circa quod ſciendum, quod iſte diues reprehenditur de duobus, ſcilicet de abuſu veſtium quo ad exteriorem oſtentationem, quæ erat pompatica, quod denotat *purpura,* qui eſt color regij apparatus, vt dicit Beda. Secundò quo ad interiorem delectationem, quæ erat laſciuia, quod denotat *byſſus,* quo vtebatur propter mollitiem carnis in camiſijs: quorum vtrum-

vtrumque damnabile eſt, eò quod veſtimenta hominis debent eſſe ſic temperata, vt nihil deſit honeſtati & neceſſitati, nihil accidat nitori, ait Ambroſius libro primo de officijs. Vnde in ſignum huius, primis parentibus fecit Deus perizomata poſt peccatum. Superbus igitur eſt homo, vt dicit Innocentius libro 3. de vilitate humanæ conditionis, qui vt magnificus videatur, ſatagit veſtiri duplicibus, indui mollibus, pretioſis ornari. Sed quid eſt homo pretioſis ornatus, niſi ſepulchrum foris dealbatum, intus autem plenum ſpurcitia? Hyacintus & purpura, coccus & byſſus in luto putreſcunt, aurum & argentum & gemmæ in luto ſordeſcunt, dignitas & poteſtas malè iacent in puluere, honor & gloria malè ſedent in cinere. Quid ergo ſuperbe philateria tua dilatas, & magnificas fimbrias? diues ille qui induebatur purpura & byſſo, ſepultus eſt in inferno. Dyna filia Iacob patri archæ antequam egrederetur, vt ait Ioſephus, vt emeret ornamenta mulierum comprouincialium, virgo permanſit: cum autem exiuit Sichen, filius regis, eam violenter oppreſſit. Holofernes qui ſedebat in canopæo, id eſt, linteamine ſeu velo, quod ex purpura, auro & ſmaragdo & lapidibus prætioſis intextum erat, iugulatus eſt à Iudith, quæ cum prius vteretur cilicio, tunc ornamentum iucunditatis aſſumpſit, vt habetur Iudith. Audi ergo ſuper hoc conſilium ſapientis dicentis; *In veſtitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inuiſa opera illius.*

Gen. 34.

Eccl. 11.

Huiuſce rei ratio eſt luculentiſſima, quia talis gloria eſt vaniſſima, eo quod eſt diuinæ operationi contraria, præſertim in illis, qui corpus ſuum figmentis colorum colorant, vel potius decolorant, cum tamen naturalis color eis ſufficiat. vnde iſti videntur contemnere Dei creaturam naturalem, & propriam ſuperducere quaſi meliorem. Contra quos dicit Innocentius vbi ſupra. Artificialis ſpecies ſuperducitur & facies obducitur naturalis, tanquam hominis artificium artem ſuperet Creatoris. Non ſic, non ſic; *Conſiderate*, inquit, *lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant neque nent; dico autem vobis, quoniam neque Salomon in omni gloria ſua fuit coopertus, ſicut vnum ex iſtis.* Abſit vt adulterinus color comparabilis ſit natiuo, quoniam cum facies adulterina fucatur, os ab horribili fœtore corrumpitur; vniuerſa vanitas omnis homo. Quid enim vanius quam pectere crines, planare Cæſariem, pingere genas, vngere faciem, producere ſupercilia? quandoquidem vana eſt gloria & vana pulchritudo. Prouerbiorum vltimo. *Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria quaſi flos fœni*; quoniam tanquam flos velociter areſcent, & ſicut olera herbarum cito decident. Hæc Innocentius. Contra eoſdem loquitur Dominus per Prophetam. Iſaiæ 3. *Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Syon, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant: ambulabant & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Syon & crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, ornamenta armorum, & mitras,* ſcilicet capitum, *diſcriminalia*, ornamenta crinium, *& periſcelidas & murenulas* quæ auri, & argenti, texuntur virgis, *& olfactoriola, & in aures, & anulos & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria*, id eſt, veſtimenta feſtiualia; *& palliola & linteamina & acus & ſpecula* (Alij libri habent & ſpicula; Et ſunt inſtrumenta, quibus purgantur dentes vel vngues,) *& ſindones*, id eſt, linteamina *& vittas* id eſt pepla, *& teriſtra* id eſt pallia, quæ fiunt ex ſubtili lino. Et ſequitur *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Et ita, ſecundum Innocentium, pro culpa reddetur ſimilis pœna, *vt in eo puniantur, in quo peccauerunt.* Sed quid proſunt hæc omnia, cum homines aduenientes excuſationes in peccatis liberrime peccant in delitijs veſtimen-

Iſai. 3.

ſtimentorum & ornatu adulterino? Quidam enim dicunt excuſantes eorum pompam; Domine reuerende & pater dilecte; Ego non libenter ita incederem, ſed propter homines ita facio, ne contemptibilior cæteris ſim. Scitis enim, quia mundus iſta requirit. Nonne legiſtis de quodam philoſopho, qui in habitu contemptibili veniens ad aulam principis fuit repulſus, poſtquam autem aſſumpto ſolenni habitu redijt, fuit honorifice ſuſceptus. Sic timeo ne mihi accidat ſimiliter. Sed, O pauper homo, quiſquis ita cogitas, nonne audis quid Apoſtolus de ſe loquitur? ſi adhuc hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem.

Excuſatio nes in pō-pa veſtiū.

Nonne hos quos deſpicit mundus, in futuro iudicio præclaros facere promittit & nobiles Chriſtus? vt dicit gloſſa ſuper illud Iacobi 2. *Pauperes elegit Deus.* Quid ergo fauore hominum veſtimenta tibi pretioſiſſimè comparas? & vtinam non de vſuris aut malis lucris, de falſis menſuris, ponderibus iniuſtis & fraudibus iniquis, in emptione & venditione. O Chriſtiane, quid dicis? oportet me ſimilem eſſe alijs vicinis in ciuitate in veſtimentis. Certè benè dicis, dum vis eſſe ſimilis proximo; vtinam ſolum in bono; vtinam iuſtè & licitè acquireres bona, & pro eis comparares veſtimenta, vt ſimilis proximo fieres; vtinam non excederes vicinum tuum abundantiorem & ditiorem te, qui plus habet de iuſto labore ſuo aut de patrimonio proprio. Certè vidi, quod ſine lachrymis non eſt dicendum, miſeram quandoque fœminam ſutoris aut fabri vxorem, & quod peius eſt, peneſticam melius & ditius & præcioſius incedere, quam Burgenſem proconſulis vxorem, vbi ergo eſt verbum eorum, qui dicunt, volo eſſe ſimilis vicino. O verbum mendax! Tales confundit Beatus Petrus dicens; *Non ſit exterius mulierum capillatura aut circundatio auri aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt homo cordis in incorruptibilitate, & quieti & modeſti ſpiritus qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando*, ſcilicet ante tempus gratiæ, ſecundum interlinearem, *ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe*, interlinearis, non ornatu veſtium, *ſubiectæ proprijs viris*, vbi dicit Cyprianus in gloſſa ordinar. Serico & purpura indutæ Chriſtum induere non poſſunt. Auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta cordis & pectoris perdiderunt. Hæc ibi. Quod dictum intellige de illis, qui cauſa faſtus, pompæ, ſuperbiæ, aut vanæ gloriæ ſe ornant, aut vt alijs placeant & ad peccatum trahant.

1. Pet. 3.

Ex quo infero, quod mulieres aut viri ornantes ſe vltra proprium ſtatum, ſcilicet quia nec eorum ſtatus, puta officium aut dignitas iſta requirit; nec ſubſtantia iuſta ſufficit ornantes ſe, ſunt in ſtatu damnationis, patet; quia iſta procedunt de vana gloria. Certè magnum ſignum vanæ gloriæ exiſtentem in ſtatu ſubiectionis aut ſeruitutis, aut alias in artificio vel officio deſpecto & contemptibili aut ſordido velle apparere ſimilem digniori, honeſtiori, ditiori, potentiori, aut in officio ſeu dignitate prælationis conſtituto, cum dicat Apoſtolus, *Ambulate vocatione qua vocati eſtis. Seruus vocatus es, non ſit tibi cura.* 1. Corinth. 7. quaſi dicat, non cures velle apparere aliter quam ſeruus. Sunt alij qui dicunt; Domine mi, ex quo nobilitas mea aut dignitas hoc requirit, oportet me veſtem pretioſam deferre. Ego enim ſum princeps, Ego ſum miles aut baro; oportet me deferre aurum & argentum & purpuram. Ego ſum talis dignitarius, iudex, capitaneus, vel officialis principis. Ego ciuis, conſul, oportet me vltra ſimplicem ribaldum incedere. Ego nobilis, oportet me vltra ſimplicem ciuem veſtiri. Quiſquis iſta dicis, benè dicis, dummodo ſuperbiam in veſtitu non quæras, & proprium tuum officiū, in quo es, exequeris iuſtè. Si enim princeps es, ſicut vis, apparere princeps in veſtimento, ſic appareas in tuo iuſto iudicio; ſentiant principatum tuum malefactores, rebelles, viduarum oppreſſores, calumniatores, prædones viarum, latrones & ſpoliatores. Tunc enim melius apparebis, melius clareſces; ſi quæ ſunt principis

pis cogitabis adimplere, tunc remotius fama tua volabit quam veſtis reſplendere poſſit. Deferas in nomine Domini veſtem tuo ſtatui congruam, ſed facias iuſtitiam & iudicium iniuriam patientibus, quæ te præclariſſimum faciet. non es intitulatus in merito tuo à præclaritate veſtium, ſed iuſtitiæ & virtutum. Similiter ſi es miles, deferas aurum in nomine Chriſti & veſtem tuo ſtatui congruam, ſed recorderis officij tui, vt illud debitè exequaris, ne aurum in confuſionem tuam deferas & perditionem. Nam ſicut dicit Ioannes Galenſis, conſuetudo fuit antiqua vt ipſa die qua quis militari cingulo decorabatur Eccleſiam ſolenniter adire debuit, gladioque ſuper altari poſito & oblato quaſi celebri profeſſione & voto, ſeipſum obſequio altaris deuouebat, & gladij ſui, id eſt, officij ſui continui Deo ſpondebat famulatum. Ex quo igitur gladium ſuum obtulit altari & de altari recepit, vouitque ſeruire Eccleſiæ protegendo eam, certè non debet militari niſi ad Eccleſiæ Catholicæ & populi Chriſtiani vtilitatem & honorem. Vnde dicit idem Iohannes Galenſis ibidem diſtinct. 10. partis primæ cap. 7. Vſus militiæ ordinatæ eſt tueri Eccleſiam, perfidiam impugnare, ſacerdotium venerari, & pauperum propulſare inopiam, pacare prouinciam, pro fratribus fundere ſanguinem, & ſi opus eſt ponere animam, vt de his verificetur illud, *Gladij ancipites in manibus eorum*, & hoc non ad rapiendum & prædandum, vel ad iniuſtum bellum inferendum, ſed ad defendendum. Vnde, ſecundum ipſum, antiquorum militum mos fuit ſpolia hoſtium conſecrare Dijs ſuis. Et Valerius libro 3. capitulo 2. ponit exempla multa. Primò de Iulio, qui prohibuit ſpoliare templa, & exercitus Birennij principis, manſit inuictus donec auſus eſt inſurgere in Deos, Delphicum inuadens templum, prout Apollo quoddam idolum reuelauit, vt dicit Policratus libro 6. cap. 17. Alexander etiam magnus pepercit templo ditiſſimo in Ieruſalem, vt dicitur in hiſtorijs. Multò igitur magis milites Chriſtiani debent Eccleſias honorare, ſi volunt aurum portare dignè. Sed ecce res verſa eſt in contrarium noſtris temporibus, quibus milites euntes ad bella pro defenſione patriæ, Primum bona Eccleſiarum ſuæ patriæ deuaſtant & conſumunt ſicut hoſtes, dicentes eis hoc licere, eò quod pugnant pro patria & Eccleſia. Sed quiſquis es, certè te decipis, & diſtrictam redditurus es rationem in futuro ad nouiſſimum quadrantem de omnibus quæ Eccleſiæ & ſacerdotibus rapuiſti. Nam ſcriptum eſt; ſemel Deo dicatum, amplius ad humanos vſus non debet conuerti. vt dicitur de regulis iuris. Semel. Sunt alij qui ſe excuſant dicentes; Domine ego me ideò ſic pulchrè veſtio, vt marito meo complacerem, ne aliam præter me quærat. Verè benè dicis bona Domina, ſed ſi ſic ornaris, ſi tantum iſta intentione veſtiris, quare hoc tantum non facis in domo tua, vbi te ſolus maritus videret? Sed procedis ad Eccleſiam, & in via eundo & redeundo, & in Eccleſia ſtando multorum te aſpectui oſtendis, & ſcandalizas corda plurimorum, & vulneras conſcientiam interdum ſacerdotum? Cum tamen dicat Apoſtolus; Mulier debet habere velatum caput in Eccleſia, ſcilicet humiliter coopertum, non ornatum, propter angelos, Gloſſa, id eſt, propter ſacerdotes, qui dicuntur angeli. Et verè, vt dicit Hieronymus in quadam epiſtola. Sunt quidam viri qui carius vident vxores naturali colore coloratas, quam fictitio colore ornatas, niſi forte illis hoc placeat, qui modo adulterino diligunt vxores, & delectantur illicitè in earum pulchritudine. Non ergo tibi, bona domina, prohibeo ornari ſecundum veniam marito tuo ad complacendum, ſed prohibeo ne fortè ſcandalum facias in populo.

Ioan. Gal. in ſuo cõmuni loquio, d. ſt. 9. part. medi. c. 3.

Pſal. 149.

Excuſatio fœminarum.

Mala. 2.

Sed fortè tu diceres; Ego non intendo ſcandalizare quenquam, ſed ſolum marito meo complacere. Adhuc tibi dico, non te decipias; dicit enim Hieronymus in quadam epiſtola. Si vir vel mulier ſe ornauerit, & vultus hominis ad ſe prouocauerit, etſi nullum inde ſequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, ſi fuiſſet qui biberet.

Hiero. epi. ad Euſtoc.

Tangam hic deſuper fratres meos ſpirituales de abuſu veſtium, qui in ſuperbia & abuſione ſeculi ornamenta conquirunt, quibus cura eſt, vt veſtes benè oleant, & pes laxa pelle non folleat, id eſt, non inflectur vt follis, ſed ſit arctus vndique, & benè adhæreat pedi, quibus ſtudium eſt vt crines calamiſtro rotentur, vt digiti annulis radient, & ſi via humidior fiat, vix in eam pedum veſtigia imprimant. Verba ſunt non mea, ſed illius cœleſtis doctoris Hieronymi in epiſtola ad Euſtochium. Tales, vt dicit Bernardus, incedunt viridi ornati, circumamicti varietatibus, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. vnde non humanæ illis exuberare putas rerum affluxionem, veſtium ſplendorem, vaſorum congeriem, niſi de bonis ſponſæ. Inde eſt quod illa pauper, inops & nuda relinquitur facie miſeranda & inclita & hiſpida & exanguis. Et ſequitur. Non ſunt amici ſponſi, ſed æmuli. Tales vt dicit idem Bernardus, dupliciter peccant; Primo quia aliena, ſcilicet bona pauperum, quibus debuerunt ſubuenire diripiunt. Secundò quia in vanitatibus & turpitudinibus ſuis abutuntur. Sed diceres fortè. Prælatus ſum, plebanus ſum, Epiſcopus ſum, canonicus ſum, oportet me ſolennius incedere quam ſimplicem ſacerdotem. Verum dicis, oportet te melius incedere in ornatu morum, non veſtimentorum, non pellium; hoc enim ſignificant veſtimenta & indumenta prælatorum. Nam ſuperpellicium album ſignificat caſtitatem; Dalmutium humilitatem, & ſic de alijs. Si ergo oportet ratione ſtatus prælationis tuæ incedere, & veſtiri pretioſius; fiat illud ratione ædificationis aliorum ſubditorum, fiat ratione huiuſmodi ſignificationis; veſtimenta tua vt ſignificent te eſſe caſtum & humilem, tu autem in omnibus iſtis precioſiſſimis ornamentis habe humilitatem, dicens cum Heſter; *Tu ſcis Domine neceſſitatem meam; quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud, quaſi pannum menſtruatæ.*

Ber. ſerm. 73. ſuper cant.

Ibid. ſer. 23.

Excuſatio prælatorū & aliorū Eccleſiaſt.

Eſter. 4.

Sed vt regulariter de hac materia inſtruaris, ſciendum eſt, quod quinque modis excedunt homines in veſtibus. *Primò* in ſumptuoſitate, quando nimis pretioſa comparant, ſicut aliqui vendentes patrimonia emunt tunicas ſubductas. Vnde dicit Gregorius. Si cultus pretioſarum veſtium culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquetur apud inferos byſſo & purpura induebatur. *Secundò* excedunt in ſuperfluitate, vnde dicitur Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti.* Propter hoc Iacob diuites reprehendens in hoc, dicit; *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis quæ aduenient vobis; diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra comeſta ſunt à tineis.* Interlinearis, id eſt, diuitię veſtrę in quibus confiditis, & quæ ſuperflue congregaſtis, & veſtimenta veſtra, quæ ad ornamentum corporis feciſtis, quibus indigentes veſtire potuiſtis, comeſta ſunt à tineis, non vſu neceſſario attrita. *aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum erit in teſtimonium vobis,* quaſi dicat; ſecundum Interlinearem; Talia ſuperflua congregata quæ non erant neceſſaria, putreſiebant, propter quod ſequitur; *& ærugo eorum erit in teſtimonium,* id eſt, erit cauſa, quare caro veſtra cruciabitur. Hæc gloſſa. *Tertiò* excedunt in delectatione. Matth. 11. *Ecce qui mollibus veſtiuntur,* quod fit quando homo quærit ſubtilia & mollia, vt melius incedat, aut dormiat, aut requieſcat, ſicut iſte diues habuit byſſinas camiſias & linteamina. Contra quæ de Ioanne Matth. 3. dicit, quod habebat veſtimenta de pilis camelorum. Gloſſa ibidem. Seruus Dei non debet habere ad decorem, vel ad delectationem veſtimenta, ſed ad neceſſitatem, & ad tegendum nuditatem. Sed diceres, Domine, certè delicatæ complexionis ſum, non poſſum durè iacere, nam nec poſſem obdormire. Certè dico tibi cum Bernardo, in epiſtola ad Robertum nepotem ſuum Fletus æternus & ſtridor dentium ante oculos cordis reductus, pares tibi reddet mattam lecti & culcitram vel plumaticam. vnde ſi delicatus es, tanto plus timeas, quia dolebis & cruciaberis; ſi, quod abſit

Exceſſus in veſtib. quintuplex.

Iacob. 5.

Ber. ep. ad Robert. nepotem.

abſit, veneris ad lectum inferni, tantò plus dolebis, quantò delicatæ magis complexionis es. *Quartò* excedunt in curioſitate vel ſingularitate, quæ conſiſtit in texturis, in foderaturis, in inciſionibus, in coloribus, & nouis adinuentionibus, quæ omnia fiunt propter vanam gloriam. Sed timeat pauper iſte, qui excogitat tales nouas ſarturas aut foderaturas, quia ſicut nouis modis gaudet in culpa, ſic nouis adinuentis vltra cæteros ſupplicijs cruciabitur in pœna. Verba ſunt Gregorij in moralibus, vnde illud; Iuxta fructum adinuentionum ſuarum ſic ſuſtinebunt. *Quintò* excedunt in deformitate, quæ reſpicit ſtatum, ordinem, vel ſexum. Vnde dicit Auguſt. de doctrina Chriſtiana. Quiſquis ſic vtitur exterioribus rebus, vt in decentia metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedat, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt. Vnde ſi quis aſſumit habitum ſuperioris ſtatus, vel ordinis, vel alterius ſexus, vt mulier virilem, & econuerſo, præter caſum neceſſitatis peccat. Sit ergo vnuſquiſque contentus habitu ſtatus ſui, magiſque curet de ornatu mentis quam corporis. Ornamenta autem mentis ſunt charitas, fides, humilitas, benignitas. Vnde Auguſtinus ad matrem ſuam capit. 7. Indecentia omnium motuum excuſatur propter conſuetudinem, ſecundò propter dignitatem; tertiò propter neceſſitatem. Quartò propter cautelam, & tantum de ſecundo.

III.

Epulabatur quotidie ſplendidè. Epulatio propriè eſt comeſtio lætitiæ ſociata; quæ reprehenditur apud Iac. *Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra*, vbi gloſſa interlinearis dicit; Omni voluptate vſi eſtis, & nullam de pauperum nutrimento curam habetis. Et gloſ. Epulati eſtis, ſcilicet neglectis gaudijs cœleſtibus, ad quæ per ieiunium & afflictiones venire oportet; carnales epulas diligitis, quas tãta fames & ſitis in futuro iudicio ſequetur, vt nec gutta aquæ inueniri poſſit, per quam ardens lingua poſſit refrigerari. Reprehenſibiles igitur epulæ quæ ex gula procedunt, quæ ſobrietatem perdunt & caſtitatem, multaq; pericula & incommoda corporis & animæ inducũt, tam in præſenti quam in futuro. Et primo reprahenſibiles ſunt epulæ, quia ſunt contra naturã. *1. Epulæ ſunt natura contraria.*
Nam ſicut dicit Salomon. *Initium vitæ hominis eſt aqua & panis*, nunc autem guloſis non ſufficiunt fructus arborum, non grana leguminum, non radices herbarum, non piſces maris, non beſtiæ terræ, non aues cæli; ſed ſecundum Innocent. lib. de vilitate humanæ conditionis quærunt pigmenta, comparantur aromata, nutriuntur altilia, quæ ſtudiosè arte cocorum parantur. Alius cõtundit & colat; Alius infũdit & conficit, & ſubſtantiam vertit in accidens, naturam mutat in artem, vt ſaturitas tranſeat in eſuriem, & faſtidium vocet appetitum, ad irritandam gulam non ſuſtentandam naturam; non ad neceſſitatem ſupplendam, ſed ad auiditatem explendam. Hæc Innocent. Hugo in ſuo libello clauſtrali de honeſtate morum dicit, Superſti- *Hugo.*
tioſum quidem in ſumendis cibis ſtudium homines adhibent, infinita decoctione frixorum & condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo aſſa, modo pipere, modo oleo, modò cimino, modo ſale condita ſecundum cõſuetudinem prægnantium mulierum deſiderantes, ita quod ibi deſudant cocorum artes, & fiunt variæ quæſtiones, vtrum fieri debeant aſſa vel frixa vel elixa; & tanta ſolicitudine fiunt, vt deuoratis quatuor aut quinque ferculis, prima nõ impediant nouiſſima. Propter quod Seneca deridens huiuſmodi multiplicitatem ferculorum dicit; Vna ſilua pluribus elephantibus *Seneca ep. 8.*
ſufficit, homo vero paſcitur terra & mari. Et libro 10. declamationum dicit; quicquid auium volitat, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus, quæ omnia in rei veritate ſunt contra naturam & artem, quia ars & natura prohibent, ne contraria miſceantur ſimul, quod tamen hic ſæpius fit. Secundo repræhenſibilis eſt guloſa epuloſitas, quia quodammodo ad idololatriam perducit guloſos. *Epulæ ad idololatriam perducunt.*

ſos. De quibus Apoſtolus; *Multi ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.* Vnde ſuper illum locum, *Eſto mihi in Deum protectorem*, dicit Innocentius; Non in Deum vaſtatorem, qualis eſt venter. *Nonne tibi videtur Bel Deus viuens? an non vides quanta comedat & bibat?* Bel interpretatur deuorator. Habet autem iſte Deus omnia, quæ ad eum pertinent. Nam habet tabernam pro templo, quod templum à mane vſque ad veſperam plenum eſt guloſis. *Templum luxuria & commeſſationibus plenum erat.* De hoc verificatur illud Apocalipſis. *Seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Iſtud eſt templum inſolentię non quietis aut pacis, in quo rixæ & homicidia & odia committuntur. Secundò habet iſte nefandiſſimus Deus altare affluentiæ, ſcilicet menſam, de qua Pſalm. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.* Vnde ibi diabolus ſpargit delitias ſicut auceps triticum auibus, vt laqueũ poſtea inijciat. *Sicut comprehenduntur aues laqueo, ſic capiuntur homines.* Aliqui ibi capiuntur per guttur, qui loqui non poſſunt; Aliqui per pedes, qui ambulare non poſſunt; Tertiò iſte Deus habet ſuum feſtum ſcilicet quietem ſomnolentiæ. Nam fatigati in taberna dormiunt cras tota die, & ita quaſi feſtiuant, quia nullum laborem peragunt. Quartò iſte Deus habet ſacrificia ſuperfluitatis, ſcilicet diuerſitatem ferculorum, quæ interdum tanta ſunt, quod etiam in faſtidium vertuntur. neſcio an veri Chriſtiani tanta Deo omnipotenti offerunt, quanta iſti ventri. Refert Policratus ſe interfuiſſe in Apulia cuiuſdam diuitis cœnæ, quæ ab hora diei nona, quæ eſt hora prandij, ferè vſque ad duodecimam, quæ eſt hora mediæ noctis, fuit protenſa. Et certè ego etiam interfui ſimili cœnæ apud regem Poloniæ, in qua fuerunt ferè ducenta fercula, in qua multi diuerſas infirmitates incurrerunt. In talibus prolixis prandijs venter poteſt dicere ſaturatus illud Iſa. *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra*, ſcilicet, quia iam continere non poſſum. Quintò habet iſte Deus oblationes iniquitatis, quæ ſunt ſcortationes & ſymboliſationes in eccleſia. Sextò habet incenſum voluptatis, hoc eſt ſpecies confectionis, electuaria odorifera palatum inflammantia. De quo Iſaias. *Incenſum abominatio eſt mihi.* Septimò habet ſacerdotes laborioſos. Hi ſunt piſcatores, venatores, piſtores, coci. Pſalm. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus.* Moyſes interpretatur aſſumptus de aquis, & ſignificat piſcatores, qui ſumunt de aquis piſces. Aaron fuit ſacerdos qui iugulauit vitulos, & ſignificat macellarium & carnificem. Inter iſtos Epiſcopus eſt tabernator, qui potum quaſi chriſma cum balſamo conficit, vt faciat cruces multas; quod ſæpius contingit, quia ebrietatem ſequitur percuſſio & cruciatus, & interdum occiſio, vbi in loco ponitur crux iuxta viam. Vnde ad ſignificandum hoc appendit tabernator crucem ante domum, cum propinat medonem, quaſi dicat. Quicunque intrauerit, ex hoc medone oportet eum crucifigi, id eſt, in omnibus membris cruciatum pati. Octauo habet cãtores luxurioſos, qui cantilenas laſciuas vocibus effęminatis & geſtu meretriceo cum muſicis inſtrumentis decantant. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandã, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara, & Lira, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs veſtris, & opus Domini non reſpicitis.* Nonò habet lectores, hiſtriones, ioculatores, adulatores & mendaces, qui legunt guloſis tam ad menſam quam ad collationem. De quibus Pſalm. *Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium.* Tertiò reprehenſibilis eſt guloſa epuloſitas, quia generat infirmitates diuerſas, immo quandoque mortem, iuxta illud Eccleſiaſtic. 37. *In multis eſcis non deerit infirmitas.* Et ſequitur *Propter crapulam multi perierunt.* Vnde Seneca. Ideò ſubitò morimur, quia de mortibus viuimus. Et ad Lucillum. Multos morbos multa fercula fecerunt. Propter quod dicit Policratus ꝙ intemperantia cibi mores ſubuertit, & totius hominis ſaluti præiudicat. Et allegat Hypocratem, qui dicit craſſa & obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram excreuerunt, niſi cito oblatione ſanguinis minuantur, in paralyſim & peſſima morborum

Marginalia (left): Phil. 3. — Guloſorũ Deus eſt venter. — Dan 14. — 2. Mac. 6. — Apoc. 7. — Eccl. 9. — Policrat. li. 8. c. 7. — Iſai. 1.

Marginalia (right): Iſai. 1. — Iſai. 5. — Sen. 10. Rhetor. Epiſt. 9. — Polic. l. 8. c. 6.

borum genera erumpunt. Habentur verba
de conſec.diſt.5. Ne tales. Chryſoſto. dicit,
quod exceſſus ciborum conſumit & putre-
facere facit corpus humanum, & macerat
ægritudine diuturna, & vltimo morte cru-
deli conſumit. de conſec. diſt.5. Nihil. Ga-
lienus quoque interpres Hypocratis do-
ctiſſimus, dicit in exhortatione medicinæ,
illos homines, quorum vita nimis pinguis
eſt, nec viuere poſſe diu, nec diu eſſe ſanos,
animaſque eorum ita nimio ſanguine &
adipibus quaſi luto inuolutas, nihil tenue,
nihil cœleſte, ſed ſemper de carnibus & vi-
ctu cogitare. Refert etiam Policratus vbi
ſupra, quod teterrimus Siciliæ tyrannus
Dyoniſius, dum gulæ & edacitati deditus
erat, oculorum lumen amiſit. Nihil enim
eſt, quod citiorem inducat oculorum cali-
ginem, quam ingluuies; quia, vt ait Portu-
manus, edacitas cibos terit, ſed oculos vo-
rat. Quid ergo mirum ſi dixit Salomon. *O-*
mnis potentatus breuis vita, cum, ad literã,
Eccl.10. malum regimen corporis, & exceſſus deli-
Potentũ tiarum in cibis & potibus vitæ huius ſem-
vita cur per agit ad eorum breuitatem. Et quidam
breuis. medicorum dicit, quod diuites corrumpũt
totum mundum, ſed primo ſeipſos ex diu
Macrob.2 turna ſeſſione in menſa. Diſputat Macrob.
Saturnal. vtrum difficilioris digeſtionis ſit cibus ſim-
plex & vniformis, quam multiplex & dif-
formis Et reſpondet ad hoc Roſarius phi-
loſophus, quod difformis & multiplex eſt
difficilioris digeſtionis. Quod primò patet
Cibus ſim in brutis, quæ quia ſimplici alimento veſ-
plex & v- cuntur ſaniſſima ſunt. Æt ſi qua infirman-
niformis tur, illa potiſſimè, quæ hominum voluptas
ſanior. per varietates ciborum nititur ſaginare.
Secundo quia omnis cibus ſimplex facili-
us digeritur, in ſignum huius omnis me-
dicus infirmum ſimplici cibo reficit, vt na-
tura facilius ſimplicem cibum conuertat
in ſe. Tertio quia ſicut plus nocet varietas
vin', quam idem vinum in eadem quantita-
te, ita diuerſitas ciborum. Quarto quia quí
ſimplicem cibum ſumit, facilius cauſã ſuæ
infirmitatis perpendit, ſi poſtea infirmetur
& per conſequens poteſt faciliter cauere à
tali cibo; quia ſi varijs vteretur, neſciret cui
de multis poſſet imputare. Quinto quia
diuerſorum ciborum in ſtomacho diuerſa
eſt natura, ideo agente natura vniformiter
ex parte ſui quædam citius digeruntur ali-
js manentibus adhuc crudis; & per conſe-
quens putreſit, quod eſt poſtea digerendũ.
Quia igitur potentes diuerſis ferculis vtũ-
tur, ideo eorum vita abbreuiatur. Vnde Ec- *Eccl.37.*
cl. *Qui abſtinens eſt, adijciet vitam*. Et ſicut
gula generat infirmitates corporales, ita
ſpirituales, eo quod eſt via ad omnia gene-
ra peccatorum. Eſt enim infirmitas, quæ
nunquam ſola venit. Inter omnia autẽ ma-
gis generat peccatum luxuriæ. Dicit enim *Caſſian.*
Ioan Caſſianus de inſtitutione monacho-
rum; Venter eſcis refectus, ſeminaria luxu-
riæ parit. Et iſte in tribus excellit, ideo iſti-
us diuitis voracitas exprimitur, cum dici-
tur; *Epulabatur*. Secundo aſſiduitas, *quia*
quotidie. Tertio artificialitas, *quia ſpledide.*
Quomodo autem excedunt homines in ci- *Greg 30.*
borũ ſumptione docet Greg & dicit, quod *mor.c.26.*
quinque modis; Primo præueniendo tem- *Gula*
pus indigentiæ, ſicut Ionathas, qui præue- *quinque*
nit horam comedendi à patre ſtatutam. *modi.*
Secundo cum non præuenit horam, ſed ci- 1.
bos lautiores petat, ſicut Iudæi in eremo, *1. Reg. 14.*
appetentes ollas carnium. Tertio quando 2.
quæ ſumẽda ſunt accuratius expendit; hoc *Num. 11.*
eſt cum non ſolum quæritur guſtus ſatia- 3.
tio, ſed & aliorum ſenſuum delectatio, ſi-
cut patet de illis, qui habent cithariſtas in
menſa & vaſa argentea, vt delectẽtur tam
in viſu, quam in auditu. Talis fuit Baltha- *Dan. 5.*
ſar, qui in conuiuio interfectus eſt. Quar- 4.
to & ſi tempus & æqualitas ciborum con-
gruit, tamen menſura non ſeruatur. Sicut *Gen.17.*
Eſau peccauit in lente, quia nimis ardenter 5.
& guloſe comedit. Quinto quando nimis
ſtudioſè præparat. Sicut dicitur de Phinees *1.Reg.2.*
& Ophni, qui ſtudioſè tridente eripiebant
carnes de ollis, vt eas per ſe coquerent. Nos
ergo ſtudeamus vitare gulam & epulas
cum diuite, & ſeruare temperantiam cum
Chriſto, vt cum eo epulari poſſimus
in perpetuum in patria cœle-
ſti. Ad quas epulas
&c.

KK 3 DOME

DOMINICA PRIMA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris. Luc. 16.

Ingratitudo maximè hominem damnat.

INter omnia, quæ hominem ducunt in perditionem, magis videtur ducere ingratitudo, per quam homo obliuiſcitur creatoris ſui & ſuorum beneficiorum, iuxta illud; Incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum, & oblitus eſt creatoris ſui. Et ſequitur pœna, ad quam talis obliuio deducit. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Vnde Dominus de multis hodiè conqueritur, dicens illud Pſalm. *Obliuione datus ſum tanquam mortuus à corde.* quaſi dicat, non eſt qui cordialiter recordetur beneficiorum meorum. De tali dicit Eccleſiaſt 29. *Ingratus ſenſu derelinquit Dominum liberantem ſe.* Et benè dicitur *ingratus ſenſu* ille, qui memoriam perdidit illius, quod ſemper ſenſiſſe debuit. Cum igitur homo continuè bonis Dei vtatur, nec eſt momentum aliquod, quo non vtatur, multum videtur eſſe arguendus, ſi gratias Deo non agit de ipſius donis ac datis, cum, vt dicit Auguſtin. nihil dicere poſſimus melius, quam Deo gratias agere. Et Hermes Trimegiſtus dicit, quod non eſt Deo conueniens thus vel mirrham incendere, & ſic eum adorare, ſed nos, inquit, gratias agendo adoremus eum; Hæ ſunt enim ſummæ incenſiones, cum gratiæ Deo aguntur à mortalibus. Hæc ille. [illegible]a igitur diues iſte in vita ſua de bonis [illegible] Deo collatis ingratus fuit, nec Deo gratias egit, nec recordatus eſt bonorum quæ recepit à Deo ad ſuam ſalutem & proximorum ſubuẽtionem, vt per opera miſericordiæ proximis impenſa Deo gratum ſe redderet, & per eleemoſynas gratias Deo offerret, iuxta illud Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia;* Ideo bona per cũ hic accepta illi reducuntur in inferno in memoriam, quatenus ex memoria ipſorum creſcat ei cumulus pœnarum, & augmentũ doloris, iuxta illud Maximini; *Dura eſt miſeris memoratio priſtina bonorum, Nam grauius ſummo culmina vincta iacent.* Et Gloſſa ſuper illud Iacob. 5 *Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus,* dicit; Non ſolum immiſericordes diuites ignis viſibilis gehennæ cruciabit, ſed etiam memoria inanium diuitiarum, quibus ſuas culpas redimere potuerunt, & ante iudicium animas eorum, & poſt reſurrectionem corporum etiam carnes exuret, vnde iraſci incipient, quare culpas eleemoſynis non redemerũt. Vnde dicitur diuiti; *Fili recordare quia &c.* Hęc Gloſſa. In quibus verbis tria proponuntur. Primo diuitis miſerabilis ad memoriam reductio beneficiorum quæ recepit, cum dicitur. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua.* Secundo Lazari patientiſſima malorum tolleratio, cum dicitur; *Et Lazarus ſimiliter mala.* Tertio vtriuſque æquiſſima & iuſtiſſima remuneratio, cum ſubditur; *Nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris.*

Deut. 32. *Eccl. 29.* *Epiſt ad Marcellinum.* *In fine li. logiſtileos.* *Propoſit.*

I.

Memoria ſalutis habenda.

Fili recordare. Per hoc verbum quilibet noſtrum admonetur, vt memoriam habeat ſuę ſalutis, ne tunc recordari incipiat, cũ nihil facere poſſit, ſicut iſte diues. Sciendũ aũt ꝙ quilibet debet recordari tria. Primo pertinentia ad Dominum; Secundo ad ſeipſum; Tertio ad proximum. Ad Dominũ, vt offerat ſacrificium gratum & acceptum. Sunt autem tria pertinentia ad Dominum, quæ homo debet recordari, videlicet mandata poteſtatis, iudicia æquitatis, & beneficia bonitatis. De primo dicitur. *Præcipe filiis Iſraël, vt faciant fimbrias in quatuor angulis palliorum, ponentes in eis vittas hyacintinas; Quas cum viderint, recordentur omnium*

Tria reſpectu Domini recordanda. *Num. 15.*

mnium mandatorum Domini. Pallium ſub quo viuimus eſt vita præſens; quatuor anguli ſunt quatuor nouiſſima noſtra, ſcilicet mors, iudicium, gehenna, & gloria. Habeamus fimbrias iſtas præ oculis noſtris, & facilè vitabimus peccatum. Recordare ergò mortis incertæ, iudicij diſtricti, & gehennæ horribilis, & gloriæ ineffabilis, & vix peccabis. *Memorare nouiſſima tua.* *Eccl. 7.* Iſta ſunt quatuor nouiſſima, quæ cuilibet finaliter occurrent. Secundo debet recordari homo iudicia diuinę equitatis, vt ſciat quoniam de ſimilibus ſimile fiet iudiciū. Cornicula viuens videns corniculam mortuā ſuſpēſam in agro ſeminato, timet ne ſibi ſimiliter fiat, & non audet accedere. Sic homo deberet attendere iſtum diuitem damnatum cui dicitur; *Fili recordare.* Tertio debet recordari beneficia diuinæ bonitatis. Et hoc quantum ad tria, ſcilicet quantum ad beneficium iuſtificationis, redemptionis, & glorificationis. De beneficio iuſtificationis dicitur. *Deut. 16.* *Recordaberis quòniam ſeruus fuiſti in Ægypto*, id eſt, in peccato, *& eduxi te. Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas,* *Iſa. 43.* *nō recordabor peccatorum tuorum. Deduc me in memoriam tuam*, id eſt, bona quæ tibi feci, ſecundum Gloſſ. creando & redimendo & beatitudinem præparando. Ecce illa tria ſimul. Sed iſtā memoriā tria impediunt. ſc. proſperitas, curioſitas, & voluptas. Proſperitas facit ingratos obliuiſci amicorū, qui eos in anguſtijs adiuuerunt, ſicut Præpoſitus Pharaonis pincerna ſuccedentibus proſperis oblitus eſt ſancti Ioſeph interpretis ſui, qui illi liberationem interpretatus eſt in carcere.

Memoriā Dei tria impediūt.

Gen. 40.

Vincent. l. 3. hiſt. ſuæ.

Narrat Vincentius quod ſemel in AEthiopia tanta cōtigit peſtilentia quod ad memoriam hominum, quod homines obliuiſcebantur patrum nomina & ſuorū filiorum, & etiam propria. Et oriebatur iſta peſtilentia ex fœtore & putrefactione quorundam cadauerū interfectorum in bello; Sic hodiè prohdolor vrget peſtilentia, ꝙ multi non recordantur nominis patris ſui Dei, nec grati ſunt amicis, nec animabus defunctorum, nec prudētes ſunt ad ſeipſos. *Obliuioni tradita eſt memoria ipſorū.* *Eccl 9.* Ideo Seneca cōparat legē gratitudinis & beneficētię mutuo ludo pilæ; quādo. n. duo ludūt & ea alternatim recipiunt inter ſe, tādiu durat & continuatur ludus inter eos, quā diu cōuenienter reproijcitur & iactatur; Si verò vnus recipiat & retineat, vel inconueniēter reproijciat, deſinit ludus, qui deſinere non poteſt, vt dicit Seneca, niſi vel ex mittentis vel recipientis defectu. Iſto modo imaginatur Seneca, ꝙ debet eſſe de beneficētia mutua inter amicos. Si. n. à te beneficium recipio, & poſtea pro virib⁹ tibi poſſibiliter retribuo iuxta leges gratitudinis, aptè ludo; Si vero beneficiū acceptū obliuioni cōmēdo, nec tibi, vbi poſsū, recōpenſo, ludendi finem facio. Si ergo ſic nos debemus habere ad homines, multo magis ad Deum nos conuenit eſſe gratos. Vnde Hugo; Sicut nullum eſt momentum, quo homo non vtatur Dei bonitate & miſericordia, ita nullum debet eſſe momentum quo eum præſentem non habeat in memoria. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* *Thren. 3.* Secundo iſtam memoriam impedit curioſitas & ſolicitudo nimia circa mundum, dicitur communiter; *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* Vnde in Pſalmo. *Obliti ſunt beneficiorum & mirabilium eius.* *pſal. 77.* Vnde Saluator dicit, quod ſolicitudo ſæculi ſuffocat verbum Dei, eo quod ſpinæ diuitiarū ſuffocant ſemen verbi Dei in corde. *Luc. 8.* Tertio iſtam memoriam, impedit voluptas carnis, Vnde Boëtius vocat corpus, ſecundum imitationem Platonicorum, obliuioſum. Fuit. n. opinio Platonis, ꝙ anima habet noticiam omnium rerum ſibi inditam a Deo, ſed tamen cum infunditur corpori terreno, tunc tradit obliuioni illam noticiam, nec poſtea poteſt ea vti, donec per ſenſus exercitetur. Ita moraliter quiſquis corporalibus voluptatibus fuerit immerſus, neceſſe eſt vt Domini obliuiſcatur. Sicut ipſe diues in purpura & byſſo, in epulis ſplendidis oblitus eſt Dei. Vnde dicitur in inferno; *Recordare quia recepiſti &c.* De ſecundo, ſcilicet beneficio redemptionis dicitur. *Recordare paupertatis meæ, abſinthij & fellis.* Hæc recordando contemne diuitias, honores & pompas, carnis delitias & voluptates. Sed certè de multis dicitur in Pſalmo. *Non ſunt recordati manus eius, de qua redemit eos.* *pſal. 77.* De tertio ſcilicet beneficio glorificationis dicitur per Pſalmiſtam. *Adhæreat lingua* *Idem. 136.*

Sen. l. 2. de beneſic.

Gratitudo & beneficentia ſimilis ludo pilæ.

Hugo de clauſtro animæ.

Boëtius 3. de con. ol. metre 2.

Ariſt. 1. poſter.

mea

mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Si nõ propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ. Principium lætitiæ noſtræ eſt gloria æterna. Et dicitur principium tantum, quia sẽper eſt principium & nunquam finem habebit. Secundo debet homo recordari tria, quæ pertinent ad ſeipſum. Et primo iniquitatis propriæ ad dolendum; Secundo fragilitatis humanæ ad malum præcauendum; Tertio mortis incertæ ad ſe præparandum. De primo dicitur in Leuitico. *Propter peccata ſua & ſuorum affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas & recordentur malorum in quibus præuaricati ſunt contra me.* De ſecundo ſcilicet de fragilitate dicitur in Pſalmo; *Recordatus eſt*, ſcilicet Dominus, *quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum dies eius, tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.* Cõparatur ergo homo pulueri propter vilitatem materiæ. *Memento homo quia cinis es &c* Fœno propter breuitatem vitæ, quia fœnum hodiè eſt, & cras in clibanum mittitur. Et flori agri propter mutabilitatem fortunę. Flos primo floreſcit & creſcit, poſtea areſcit & putreſcit in puluere. De tertio, ſcilicet de mortis incertitudine dicitur. *Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ*, ſcilicet dierum ſenectutis & mortis & iudicij ſui. Recordari debet homo quomodo ſenes affliguntur languore, morientes vexantur labore, peccatores concutiũtur in iudicio timore. Tertio homo debet recordari trium quæ pertinent ad proximum, ſcilicet bonorum operum ad imitãdum & beneficiorum; Secundo iniuriarum ad emendandum; Tertio eleemoſynarum ad largiendum. Primò bona opera proximorum debemus habere in memoria ad imitandum. Nam recordari debemus humilitatis Beatæ Virginis, & fugere ſuperbiam. Quæ cum eſſet Regina cœli, Domina mundi, vocauit ſe ancillam Domini. Recordari debemus charitatis Stephani, qui pro inimicis orauit. Recordemur caſtitatis beatæ Agnetis, quæ nullis tormentis potuit tradi ad lupanar. Recordemur ſobrietatem beati Nicolai, qui in infantia ieiunauit. Manſuetudinis Moyſi, pietatis Abrahæ, miſericordiæ Dauid, largitatis ſancti Martini &c. De ſecundo, ſcilicet de memoria iniuriarum ad emendandum, dicitur in Euangelio; *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo*, Vbi dicit Chryſoſt. Hic ergo perpendite fratres, quam malum ſit diſcordiæ crimen, quia per hãc id abijcitur, per quod peccatum remittitur. De tertio, ſcilicet de memoria eleemoſynarum ad largiendum, dicitur *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Quaſi dicat. Recordamini miſericordiæ Dei Patris, & ſtatim habebitis viſcera compaſſionis de defectu proximi. Sicut enim Deus fecit memoriam mirabilium ſuorum, dando eſcam timentibus ſe; Ita homo debet habere memoriã defectuum proximi ſui. Vnde hodie dicitur à Deo Patre; *Recordare fili quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Quaſi diceret, ſi filium te meum nominas, eſto miſericors in proximum tuum, ſicut ego in te *Nonne & te oportuit miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* Ad hoc enim recepiſti bona in vita præſenti, & pauper mala, vt tu per bona tua releues mala ipſius, & conſequaris pariter bona cœleſtia. Ad hoc ipſe patitur mala, ne tu patiaris. Ad hoc tua bona recepiſti in vita tua, vt euadas mala in vita futura. Sed quia iſta minimè curauit diues epulo, qui nullam memoriam habuit de malis Lazari pauperis in vita præſenti; Ideo in vita futura nullam eius memoriã Lazarus habere voluit, nolẽs guttam aquę miniſtrare in refrigerium linguæ. Sed potius audire meruit ab Abraham: *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua.*

Tria recordanda reſpectu ſuiipſius. *1. Peccata.* *Leuit. 26.* *2. Fragilitas.* *Gen. 3.* *Matt. 6.* *3. Mors incerta.* *Thren. 1.* *Tria recordanda reſpectu proximi.* 1. 2. *Matt. 5.* 3. *Luc. 6.* *pſal. 110.* *Matt. 18.*

I I.

Lazarus ſimiliter mala. In hoc apparet verum eſſe illud verbum. *Patientia pauperũ non peribit in finem.* Et certè non peribit ſed permanebit, quia *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Vnde non laudatur iſte Lazarus, quia mala recepit tantum, ſed quia mala patienter tollerauit. Sine patiẽtia enim mala præſentia ſunt damnabilia & infructuoſa. Ideo opus eſt multa & perfecta

pſal. 9. *Luc 21.*

fecta patientia in malis præſentis vitæ; De
Bernard. qua dicit Bernardus; Cum cunctæ virtutes
currant ad brauium, ſola patientia coro-
natur. Patientia, ſecundum Gregorium,
Greg. l. 11. moral. ſolum in aduerſis non in proſperis conſi-
deratur. Nam patientiæ virtus nunquã eſt
in proſperis. Ille verò patiens eſt, qui & ad
uerſis atteritur, & tamen a ſpecie rectitudi-
Patientia gradus 12. nis non curuatur. Huius vero patientiæ sũt
duodecim gradus, Primus eſt, malo nõ re-
1. ſiſtere. *Noli reſiſtere malo.* Secundo malum
Matt. 5. pro malo nõ reddere. *Nulli malum pro ma*
2. *lo reddentes.* Vnde Gloſſa Matth. 16. Patiẽ-
Rom. 12. tia eſt æquanimiter mala aliena tolerare,
& contra eum, qui irrogat mala, nullo ani
mi dolore moueri, ſic enim tela hoſtium
in cor eorum retundit, iuxta illud; *Gladius*
eorum intret in corda ipſorum. Tertius gra-
3. dus eſt malo non reſpondere. *Non reſpon-*
deas ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ef-
ficiaris ſimilis illi. Vnde Ambr. Quando ali-
quis nobis conuiciatur & ad iurgium pro-
uocat, tunc ſilentio muti fieri non erubeſ-
camus. Peccator enim eſt, qui nos prouo-
cat & nos ſimiles ſui fieri deſiderat. Deniq;
ſi taceas, ſi diſſimules, ſolet dicere, quid ta-
ces, loquere ſi audes, ſi non audes, mutus
es, elinguem feci te. Si ergo taceas, plus rũ-
pitur, victum ſe omnino putat & illuſum.
Si reſpondeas, ſuperiorem ſe factum arbi-
Pſal. 38. tratur, quia parem inuenit. Talis erat Pſal.
qui dicit; *Obmutui & humiliatus ſum &*
4. *ſilui.* Quartus eſt inimicum diligere. *Dili-*
Matth. 5. *gite inimicos veſtros* Quia, ſecundum Greg.
Greg. Ho. 7 ſuper Ezech. vera patientia eſt, quæ etiam ipſum amat,
quem tollerat. Nam toleraſſe & odiſſe nõ
virtus manſuetudinis, ſed velamentum fu-
5. roris eſt. Quintus eſt malè facienti benè
Matth. 5. facere. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Et in-
fra. *Orate pro perſequentibus vos.* Vnde pati
ens eſt, ſicut aſinus, qui ſe pungenti deſer-
6. uit. Sextus eſt contra flagella non murmu-
1. Cor. 10. rare. *Neque murmuraueritis ſicut quidam ex*
illis. Non autem ſemper hoc fiat, ſed inter-
dum inſtruendi ſunt iniuriam inferentes,
ſicut Chriſtus percutienti dixit; *Cur me cæ-*
dis? Nam in animo debet eſſe patientia ad
plura ſuſtinenda, ſed in voce inſtructio in-
7. iuriantis. Septimus eſt, quælibet & aduerſa
ſuſtinere libenter, ſicut Salamandra liben-
ter in igne viuit. Et dicitur quod Alexander
papa habuit ſubducturam de pellibus e-
ius, quæ dum ablui debuit, proijciebatur
in ignem & fuit pulchrior. Sic ſancti, ſicut
de Laurentio & alijs qui in igne delectabã-
tur. Sicut etiam tres pueri, qui cantabant Dan. 3.
in camino ignis. Octauus eſt de flagellis 8.
gaudere. *Libenter gloriabor in infirmitatibus* 2. Cor. 12.
meis. Vnde Greg. ſuper illud Iob. 30 *Frater* Greg. l. 20 moral.
fui draconum & ſocius ſtruthionum, dicit; ſi-
cut in tritura paleæ grana premuntur, ſi-
cut ſpinæ inter flores prodeunt, & roſa,
quæ redolet, creſcit cum ſpina, quæ pũgit;
ſic neceſſe eſt, vt aduerſitate premaris, &
ſpinarum aculeis pungaris, vt maiorẽ Deo
offeras ſuauitatem odoris. Et ſequitur. A-
bel eſſe renuit, quem Cain malitia non ex-
ercet. Nonus gradus eſt tribulationem ſa- 9.
lutem reputare. Medicina enim, etſi ama-
ra eſt, tamen quia cauſa eſt ſalutis, dulcis
reputatur. Si mens in Deum forti intenti-
one figitur, quicquid in hac vita amarum
eſt exiſtimat ibi dulce, & omnẽ quod affli-
git, requiem putat. Decimus eſt de tribula- 10.
tionibus gratias agere. *In omnibus gratias* 1. Theſſ. 5.
agite. Nam ſecundum Greg. ſine ferro mar-
tyres eſſe poſſumus, ſi veraciter patientiã
in animo conſeruamus. Si in te fuerit cha-
ritas Dei cõmunicabis paſſionibus Chriſti
& verus martyr eris, inquit Auguſt. Vnde- ſerm 15. de verbis Apoſt.
cimus gradus eſt ad alia ſuſtinenda ſe præ-
parare. *Qui vult tecum contendere iudicio,*
& tunicam tollere, dimitte ei & pallium. Vn 11.
de Aug. Præcepta patientiæ ſemper in cor- Matth. 5.
dis præparatione ſunt retinenda, ipſaque Epiſt ad Marcell.
beneuolentia, ne reddatur malum pro ma-
lo, ſemper in voluntate implenda ſunt.
Duodecimus gradus eſt in flagellis dolo- 12.
rem non ſentire, ſicut dicebat Tiburtius
ſuper prunas ardentes incedens; Videtur
mihi quod ſuper roſeos flores incedam, in
nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Iſtos
gradus optimè ſeruauit Lazarus. Nec .n.
malo reſtitit; non pro malo malũ reddidit;
imo bonum pro malo reſtituit; & malè fa-
cienti benè fecit. Nam cum diues ei micas
negaret, ipſe canes diuitis vlceribus ſatu-
rabat, vt dicit Euangelium. Credendum e-
tiam eſt quod pro diuite orabat, ſed quia
diues non ſe diſponere curauit ad veniam
obtinendam, ideo damnatus eſt, non ob-
ſtantibus orationibus Lazari. Non etiam

murmurabat in flagellis infirmitatis, ſed gaudenter ſuſtinuit. Ideo per patientiam adeptus eſt patriam, & pro malis recepit bona in futura vita.

III.

Nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris. *pſal.93.* Poterat Lazarus dicere illud Pſal. *Sec[illegible] multitudinem dolorum meorũ in corde meo, co[illegible] [illegible]am* Poterat [illegible] *tiones cordis mei multi[illegible]* Poterat *pſal.65.* dicere Lazarus; *Tranſiui per ignem & aquã* ſcilicet tribulationis & miſeriæ, *& eduxiſti* *Apocal.* *me in refrigerium.* Poterat dicere diues. *Quã tum magnificaui me in delitijs, tantum dediſti mihi tormentum & luctum.* Ecce magna ſed diuerſa retributio meritorum. Circa *Iuſtus & impius differunt. 1. viuẽdo.* quod aduertendum, quod inter iuſtum & impium quadruplex eſt differentia; Differunt enim viuendo, moriendo, patiendo, & puniendo. Viuendo, quia iuſti viuunt in pace & tranquillitate, impij in diſcordia & *pſal.118.* contrarietate. De iuſtis dicitur; *Pax multa diligentibus legem tuam.* De impijs dicitur; *Iſa.48.* *Non eſt pax impijs dicit Dominus.* Iuſtis dici- *Eccl.45.* tur. *Pacem relinquo vobis.* Et Eccl.5. *Statuit illi teſtamentum pacis.* Impijs dicitur; *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiẽ die ac nocte.* In ſignum huius hic de impio diuite dicitur, quod erat diues. Diuitiæ au- *Luc. 8.* tem ſemper inquietant, eò quod ſunt ſpinæ pungentes. De Lazaro verò dicitur, *2 moriendo.* quod quieſcebat in pace, quia iacebat ante portam diuitis quieſcendo. Secundo differunt moriendo, quia mors iuſti eſt ſpes & *Prou.14* conſolatio eius; Mors iniuſti eſt deſperatio *Ibid.11.* & deſolatio. *In malitia ſua expelletur impius, ſperat autem iuſtus in morte ſua.* Et: *Mortuo homine impio nulla erit vltra ſpes.* Si omnes ſacerdotes iuſti in mundo celebrarent vſque ad diem iudicij pro anima iſtius diuitis, & omnes ſancti rogarent, fruſtra rogarent, quia non plus quam pro dia- *lib. 7. de Trinit.c.2* bolo orarent, ſecundum Auguſt. In ſignum huius dicitur de diuite, *quod ſepultus eſt in inferno.* Quaſi dicat Ita profunde eſt immerſus pœnis inferni, quod non eſt ſpes aliqua de eo, ſicut de mortuo ſepulto Lazaro quatriduano deſperauerat Martha dicens; *Domine iam fœtet in ſepulchro.* Quaſi *2.* dicat. Non eſt poſſibile, vt reſurgat. De Lazaro dicitur; *Portatus eſt in ſinum Abrahæ.* Qui locus ſecundum Aug. fuit requies ſan- *lib. 12. ſuper Gen.* ctorum. Et erat locus ſpei & conſolationis, eò quod ſancti Patres ibi exiſtentes habuerunt ſpem perueniendi ad cœlum, ſicut modo animæ in purgatorio. Tertio dif- *3.patiẽdo.* ferunt iuſtus & impius in patiendo, quia ſuſtinendo aduerſa iuſtus ſe exhilarat, impius autem murmurat & reijcit à ſe aduerſa, & ſequitur proſpera. De iuſto dicitur. *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit.* *Prou.12.* Et: *Labia iuſtorum conſiderant placita* ſcilicet Deo, *& os impiorum peruerſa.* *Idem. 10.* In ſignum huius Lazarus hic patienter tulit vlcera. Nec ſtultum quid contra Deum aut diuitem locutus eſt, ſed cupiebat ſolum micis ſaturari. De diuite dicitur, quod nihil aduerſitatis ferre voluit, ſed *induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie,* id eſt, ſingulis diebus, ita quod nec vnam diem in ſeptimana ieiunabat. Quia ergo ita diffe- *4.premijs.* runt in meritis, igitur etiam differre meritò debent in præmijs. vnde ne diues ſit melior Chriſto, *quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam.* Et ſancti non niſi per multas *Luc.24.* tribulationes intrauerunt regnum, iuſtè de delicijs vadit ad ſupplicium. Quia ſecundum Gamfredum, non itur ad aſtra delicijs. Ne verò Lazarus ſit deterior inter eos, *qui ſuffrunt tentationes, & cum probati fuerint accipient coronam vitæ, quam repromiſit* *Iacob.1.* *eis Deus,* ideo de tribulationibus vadit ad conſolationem, vt ſic vtrobique ſecundum diuinam iuſtiſſimam æquitatem nullum malum maneat impunitum, & nullum bonum irremuneratum, & impleatur illud Mariæ dictum. *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.* Nos ergò &c.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA POST TRINITATIS.

SERMO I.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Lucæ 14.

DEVS omnia fecit propter ſemetipsũ, ad hoc videlicet, vt factura ſeſe quandoque conformaret creatori ſuo, vnde omnia Deus fecit & creauit propter hominem ei deditq; in dominium, iuxta illud pſa. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Ad hoc videlicet, vt per iſta Deum amaret, & eum conſequeretur. Sed ecce homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, quæ in honore ſuo oblita nunquam cœleſtia recordantur, ſed ſemper de terrenis cogitant, vt carnis curã tantum faciant in deſiderijs. Vnde factum eſt quod ex deprauatione peruerſæ voluntatis homo neglecta dulcedine diuinæ bonitatis totum ſe amaritudini huius ſæculi immerſit, concupiſcentiam carnis & oculorum aut ſuperbiam vitę præſentis inquirendo, vt quamuis multis & varijs Dei internuncijs, iam videlicet inſtinctu naturalis rationis, quæ ſemper ad optima depræcatur; iam creaturarum ſpecioſitate; iam prophetico clamore ad ſeipſum reuocare conatus eſt, vt omiſſis huius ſæculi oblectamentis fallacibus, ad cœnam ſibi diuinitus præparatam omnium delectatione ſuauitatum refertam rediret, nihilominus mala malis cumulans multipliciter homo ipſe miſerabilis renitebatur, confingendo excuſationes in peccatis. Sed ne tanta creatura finaliter à tantis delitijs deficeret, vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum in mundum ad vocandum inuitatos. Verum quia ipſe Dei filius regreſſurus erat ad patrem, ideò miſit ſeruos ſuos hora cœnæ, vt vocarent multos, vt dicit Euangelium. Tria proponuntur, quæ cęnam magnam magni Dei commendãt & attollunt. Primo deſcribitur facientis hãc cęnam excellentiſſima & ſingularis dignitas, quia *homo quidam.* Secundo ſubiungitur eiuſdem liberaliſſima curialis largitas, quia *fecit cœnam magnam.* Tertio ſubinfertur conuiuarum multiplicitas generalis, quia *vocauit multos.*

Pſal. 8.

Nuncij Dei varij.

Propoſit.

I.

Cœnam hanc commendat excellentiſſima & ſingularis dignitas facientis Quis.n. facit eam, niſi Deus Deorũ Dominus? Qui licet dicitur hic homo, eſt tamen Dominus Dominantiũ, & rex regum. Et licet ſit Deus, tamen ſe appellat hominem; & licet ſit homo, non eſt tamen homo communis & contemptibilis vt alij, ſed ſingularis & venerabilis, quia *quidam.* Vnus.n. eſt & ſecũdum non habet ſibi ſimilem. Omnia manſuetiſſimè & gratioſiſſimè facit, ſicut homo cum homine, ideo dicitur homo. Circa quod ſciendum, quod in præſenti vitã habemus Deum multum nobis propicium, tanquam homini hominẽ. Cuius ratio eſt, quia omnia dulciter diſponit. Quod Pſal. confitens ait; *Quam magna multitudo dulcedinis tua.* Certè magna multitudo dulcedinis Dei eſt, ſecundum Caſſiodor. ibidem, quia multis modis indicatur ſuauitas eius. Nam dulcis eſt & pius cum corrigit; dulcis dum parcit, dulcis dum credentibus præmia æterna repromittit, ita Caſſiodor. Nos aũt poſſumus oſtẽdere multos adhuc effectus dulcedinis. Quorũ 1. eſt, quia omnes generaliter recipit. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Hic eſt enim verus Dauid, ad quem conuenerunt omnes, qui erant

Sap. 8. pſal. 30.

Dulcedinis diuinæ effectus. 1. Matt. 11.

1.Reg.22. in anguſtia conſtituti & oppreſſi ære alie-
no, id eſt, peccatis obligati, ſed tamē ſi ſint
amari animo, id eſt, ſi ſint contriti de pec-
2. cato, fit eorum princeps. Secundus effectus
diuinæ dulcedinis eſt, quia inimicos ſuos
cuſtodit. Vnde in perſona pœnitentium di-
xerunt filij Iſraëlis ad Dauid, per quem ſig-
nificatur Chriſtus. Heri & nudiuſtertius
dum eſſet Saul, id eſt, diabolus rex ſuper
2.Reg.5. nos, tu eras educens & reducens nos. q. d.
Cum eſſemus in peccatis protegebas nos,
ergo multo fortius cum pœnitentes volu-
mus ſeruire tibi, vt dicit Apoſt. *Cum inimi-*
Rom.5. *ci eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem*
filij eius, multo magis reconciliati ſalui eri-
3. *mus in vita ipſius.* Tertius effectus diuinæ
pietatis, quia dat dulcedinem ſuam ad præ-
pſal.33. guſtandum. Vnde in pſal. *Guſtate & videte*
Prou.31. *quoniam ſuauis eſt Dominus. Guſtauit & vi-*
4. *dit, quoniam bona eſt negotiatio eius.* Quar-
tus effectus diuinæ dulcedinis eſt, quia ita
Pſal.31. cito dimittit peccata. Vnde Ezech. 18. *In*
quacunque hora ingemuerit peccator, &c. Et:
Dixi confitebor, & tu remiſiſti. Nec ſolum di-
mittit ſemel aut bis, ſed quotieſcunq; pec-
Matt.18. cauerit homo & pœnituerit *Non dico ſepti-*
es, ſed ſeptuagies ſepties, nec ſolum dimittit
ſed perfectè dimittit. Vnde Ezech.18 *Om-*
nium iniquitatum eius non recordabor am-
plius. In his ergo multis effectibus innui-
tur multitudo dulcedinis Dei, ſed magni-
tudo eius ex ſeipſa exprimi non poteſt. Vn-
dè non dicit ſimpliciter *magna*, ſed *quam*
magna, quaſi dicat inæſtimabilis. Et verè;
1.Cor.2. *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor*
Iſa.64. *hominis aſcendit, quæ præparauit Deus dili-*
gentibus ſe. Sed cui præparauit? certè pau-
pſal.67. peribus. Pſalm. *Paraſti in dulcedine tua pau-*
peri Deus. Ex quo igitur habemus Dominū
tam propitium, tam dulcem, & tam benig-
niſſimum, meritò properare debemus ad
cœnam ipſius tāquam amici patris ſui, tan-
quam benefactoris dulciſſimi.

II.

Cœna triplex.
Fecit cœnam magnam. Sciendum quod
triplex eſt cœna. Prima eſt culpæ quæ eſt a-
nimarum infectiua. Secunda eſt gratiæ, quæ
eſt animarum refectiua. Tertia eſt gloriæ,
quæ eſt omnium electorum ſatiatiua. Pri-
ma eſt fugienda vt venenoſa; ſecūda ample-
ctenda vt gratioſa; tertia deſideranda vt æ-
ternaliter glorioſa. De prima cœna ſeu cō- *Cœna diaboli fugienda.*
uiuio ſciendum, quod diabolus, mundus,
& caro faciunt cœnam magnam peccato-
ribus, inuitando eos ad diuerſa peccata, ad
diuitias, delitias, & honores. Cœna diaboli
ſignificatur per cœnam Abſalon. *Fecit Ab-* 3.Reg.13.
ſolon conuiuium quaſi conuiuium regis. Ab-
ſolon interpretatur patris mei amaricatio,
& ſignificat diabolum, qui quantum in ſe
eſt, nititur nobis patrem cœleſtem amari-
care per peccatum. Iſte facit cōuiuiū quaſi
regis propter nobilitatem ferculorum &
ſocietatem inuitatorum. *Ipſe eſt rex ſuper o-* Iob.41.
mnes filios ſuperbiæ. Sed iſtud conuiuium eſt
periculoſum, quia nō fit cauſa refectionis,
ſed cauſa perditionis. Vnde Abſolon fecit
illud grande conuiuium, vt in eo poſſet oc-
cidere Amon fratrem ſuum. Sic diabolus
ad conuiuium nos inuitat per peccatum, vt
nos inebriatos intoxicatos occidat. *Filij* Iob.1.
Iob, dum conuiuarent in domo fratris ſui pri-
mogeniti, repente ventus vehemens irruit à
regione deſerti, & concuſſit angulos domus &
oppreſſit omnes. Dat autem diabolus in iſto
conuiuio perdices iniuſtitiæ. Perdix ſecun-
dum naturales, quando propria oua per-
dit, furatur oua aliena, vt ſuorum ouorum
numerum reſtauret. Ita mali Domini, cum
bona ſua per inutiles & vanas conſumpti-
ones perdiderint, bona pauperum auferūt
per iniuſtas extorſiones. Iſto ferculo pa-
ſcuntur communiter negotiatores quidā,
qui cum in vna re perdiderint, reſtaurant
duplum in alia, carius quam valuiſſet ven-
dendo eam. Iſtud etiam non nulli multū
nobiles, nomine non re, ferculum come-
dunt, qui eundo ad bellum conſumunt
bona Eccleſiarum, quaſi non poſſent ſuſtē-
tari proprijs. Et fortè ſic eſt quia propria
in vanitatibus ſæculi & pompa ſuperbiæ
conſumpſerunt. Sed quid accidit in Bohe-
mia, vbi laici nobiles poſtquam conſump-
tis proprijs inuaſerunt Eccleſias, tandem
Ribaldi ipſorum inuaſerunt eorum bona
& tenent ea. Iſti faciunt contra illud conſi-
lium Ioannis baptiſtæ Lucæ 3. *Neminem*
concutiatis, ſed contenti eſtote ſtipendijs ve-
ſtris. Vbi dicit Lira quod ſtipendia mi-
litum ſunt homines eorum ſubditi
dati

dati eis à principibus. Contra iſtos dicitur in Canone.12.q.2. Nulli licet ignorare. Omne quod Domino conſecratur ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quicquid fuerit ſemel conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & ad ius pertinebit ſacerdotum, propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui a Domino & eccleſia, cui competit, aufert, vaſtat, inuadit, vel eripit, & vſque ad emendationem eccleſiæque ſatisfactionem, vt ſacrilegus, iudicetur. Et ſi emendare noluerit, excommunicetur. Hæc Canon. Ad idē dicitur.23.q.8. Conuenior. Vbi dicit Amb. Noli gaudere Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale ius aliquod habere; Noli te extollere peccator, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubiectus. Scriptum eſt. Quæ ſunt Dei Deo quæ cæſaris cæſari. Secundo dat fercula de venatione; vult enim, quod frater fratrem

Mich.7.

venetur in mortem, *Frater fratrem venabitur vſque ad mortem.* Dat etiam pauones ſuperbiæ. de ciuit. Dei c. 2. Caro pauonis bene cocta iterum deuenit cruda, inquit S. Auguſt. ſicut ipſe expertus eſt poſt anni ſpacium tranſactum. Sic moraliter ſuperbia quantumcumque vincatur, ſemper recrudeſcit. Vnde Auguſtinus: Cętera vicia in

De natura & gratia.

malè factis præualent, ſuperbia etiam in rectè factis eſt cauenda. Iſta fercula quamuis videantur dulcia, ſunt tamen nimis amara, eo quod & hic & in futuro amaritudinem poſt ſe relinquunt. Nam peccatum poſt ſui perpetrationem nihil habet niſi

Confeſſio.

remorſum conſcientiæ. De quo Auguſtinus. Juſſiſti Domine & ſic eſt, vt pœna ſit ſibi inordinatus animus. Et idem. Nullæ pęnæ grauiores ſunt, quam conſcientiæ, in qua non habetur Deus, conſolatio non inuenitur. Botius etiam dicit quod ſicut probitas probis eſt ſolacium, ita improbis nequicia eſt ſupplicium. Ex quibus infero, quod circumſcripta prohibitione legis

lib.9.de vera innocent. cap.19.

4.de conſ. proſ.3.

Ezech.18.

diuinæ ſcriptæ; quæ peccatum vetat propter pœnam æternam, iuxta illud; *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur:* Adhuc homo peccare non deberet propter pœnam temporalem, quæ eſt remorſus conſcientiæ, qua pœna, ſecundum Auguſtinum, nihil eſt grauius in pręſenti, eo quod cuncti dies peccatoris mali. *Secura verò mens quaſi iuge conuiuium.* Si ergo cuncti dies mali ſunt, ergo nulla eſt ibi requies, nulla alleuiatio doloris, quod non eſt inuenire in alijs doloribus naturalibus, vbi interpolatis temporibus cruciatur homo. Et ex hoc infero conſequenter, quod remorſus cōſcientię ex peccato eſt quodāmodo homini pœna naturaliter conſequēs peccatum. Vnde ſi non eſſet lex diuina ſcripta, adhuc remorſus conſcientiæ ſequeretur ex peccato propter legem naturæ. Iſtud patet per illud Iuuenalis.

Prou.15.

Exemplo quodcunque malum committitur, ipſi diſplicet auctori. Per quem autem modum hoc fiat, dicit Salomon. *Semper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Sap.17. *Præſumit.* Præconcipit ſibi euentura mala pœnalia, & crudelia. Vnde dicat ſibi, quod tale peccatum debet puniri, & illa præconceptio cauſat timorem. Et hoc eſt verum non ſolum de lege ſcripta, vbi determinata eſt certa pœna vnicuique peccato, ſed etiam ex iuſtitia naturali, ſecundum quam cuilibet dictat conſcientia omne malum eſſe puniendum: quod ſit aut contra ſuperiorem, aut contra parem, aut contra commodum proprium, cuiuſmodi eſt peccatum carnis. Ideo Seneca legitur dixiſſe; ſi ſcirem homines ignoraturos & Deos ignoſcituros, nollem peccare, ſcilicet propter turpitudinem actus quo deformatur naturalis iuſtitia, & propter remorſum quo cruciatur perturbata conſcientia.

Seneca.

Cœna.

Secundum conuiuium facit mundus & caro, & apponunt tria fercula ſuauiſſima, delitias, diuitias, & honores. In quo conuiuio fuerunt iſti tres, de quibus hic dicitur in euangelio. Sed iſtud conuiuium eſt periculoſum, quia plenum veneno. Vnde Bern. Periclitatur caſtitas in delicijs, veritas in diuitijs, humilitas in honoribus. Malum eſt ferculum quod non poteſt retineri diu in ventre ad ſanitatem, ſed cito euomitur. Tales ſunt diuitiæ, deliciæ, & honores. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet illas Deus.* Secūdum conuiuium, quod eſt appetendum tanquam refectiuum, eſt conuiuium ſeu cœna gratiæ, quam facit Deus ſuis dilectis

Iob.20.

Cœna gratia appetenda.

amicis,& ſignificatur per cœnam ſeu conuiuium Aſſueri regis, de quo Eſther.1.dicitur; *Fecit Aſſuerus rex grande conuiuium cunctis principibus & pueris ſuis.* Facit autem iſtud conuiuium ſicut Matthæus per contritionem & conuerſionem; Magdalena per dolorem & dilectionem; Zachæus per ſatisfactionem. Vnde Grego.21.moral. Dei refectio eſt conuerſio peccatorum. Sed videamus quod ſit hoc magnum conuiuium, ſeu potius prandium, vt dicitur Matth.22. *Ecce prandium meum paraui.* Attendamus ergo magnitudinem prandij huius, & inueniemus liberaliſſimam largitatem Dei. Prandium hoc intelligitur incarnatio filij Dei. Vnde vocantur nuptię quas Deus Pater fecit filio ſuo, quando naturam humanam copulauit diuinæ in vno ſuppoſito, quæ celebratæ ſunt in vtero virginali, de quo proceſſit Chriſtus tamquam ſponſus de thalamo ſuo. Et ex his nuptijs proceſſerunt aliæ, ſcilicet coniunctio Chriſti cum eccleſia fidelium, quæ celebrantur continuo vſque ad conſumationem ſæculi. Matt.28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Sunt autem iſtæ nuptiæ magnæ, ſeu hoc prandium magnum, quod facit nobis Dei filius continuè in vita gratiæ; Primo propter ſponſi magnitudinem, quia filius Dei eſt ſponſus, qui per fidem & amorem nos deſponſauit. Ozeæ 2. *Sponſabo te mihi in fide &c.* Sponſus iſte eſt nobiliſſimus, ditiſſimus, *quia hæres vniuerſorum*; ſapientiſſimus, *per quem Deus fecit ſæcula*; ſpecioſiſſimus, *quia ſplendor gloriæ Dei Patris*; honorabiliſſimus, *quia ſedet ad dexteram Dei Patris in excelſis.* Secundo iſtud prandium eſt magnum, propter ſponſæ pulchritudinem. Apocal.9. *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe & datum eſt ei, vt operat ſe byſſino, id eſt, iuſtificatione virtutum.* Canticor.4. *Tota pulchra es*, ſcilicet tam in veſtibus quam in membris. Caput ſponſæ prælati; oculi prouiſores & doctores; aures confeſſores & pœnitentiarij & iudices; nares ſponſæ malorum & bonorum diſcretiones; collum clerici & cantores & laudantes Deum; pectus & brachia potentes & nobiles; manus operarij & artifices; crura famuli & ſeruitores; pedes qui portant totum corpus ſuum agricolæ & ruſtici. Sed licet Chriſtus fecerit iſtam ſponſam pulchram, tamen prohdolor hodie deformata eſt in multis membris, iuxta illud; *Egreſſus eſt à filia Syon omnis decor.* Threnor.3. *Omnis* dicit, quia de omnibus membris aliqui deformati ſunt. Tertio iſtud prandium Chriſti eſt magnum propter eius plenitudinem. Vnde Eſther 1. dicitur, quod Aſſuerus iuſſit præparari conuiuium, vbi poſitum eſt vinum magnificentia regia dignum; ad quod bibendum nemo compellebatur; Dedit etiam dona multa. Sic in conuiuio Chriſti gratiæ eſt panis & vinum corpus & ſanguis eius, multa fercula, quia multæ ſunt conſolationes ſpirituales. Vnde ſecundum diuerſitatum donorum, grstiarum, & chariſſimatum Spiritusſancti ita dantur & dona, quia diuiſiones gratiarum ſunt. Sed notabile eſt, quod ad bibendum illud vinum in conuiuio nemo cogebatur, ſed prout quis volebat, bibebat. Diceres tamen, quare non ſic eſt in Eccleſia Chriſti, vbi Sacerdotes compellunt per excommunicationem nolentes communicare. Reſpondeo, quod non cogunt inuitos communicare, ſic excitant eos, vt de nolentibus fiant volentes, ſicut etiam Bernard dicit de Deo, tractans illud: Trahe me poſt te. Auguſtin.23.contra Petilianum, q.5. ad fidem. dicit, quod nemo cogitur bene facere, verum eſt, cum coactione abſoluta, ſed bene conditionata. Vnde dicitur quod multa beneficia præſtantur inuitis, quod intellige de ſpiritualibus bonis. Item glo.23.q.4. Nimium inſuper inquieti dicit; Nemo ab initio cogendus eſt ad bonum, ſed cogitur aliquis perſeuerare in eo quod incepit. Quarto iſtud prandium eſt magnum propter vocatorum multitudinem, *quia congregauerunt omnes*, Matth.22. *bonos & malos.* Vnde ſecundum Gregorium iſta vita dicitur medium inter cœlum & in-

Cur nuptiæ filij Dei magnæ.

Heb.1.

2.

Sponſa deſcriptio.

3.

Bern.

4.

& infernum; quia in inferno tantum mali; in cœlo tantum boni; in mundo boni & mali. Sunt autem mali non vita aut merito in Eccleſia, ſed tantum numero, *Ioan. 6.* ſicut Iudas vnus de duodecim diſcipulis. *Conuiuia Chriſti.* Sed quomodo cognoſcitur, qui ſunt veri conuiuæ Chriſti per gratiam. Reſpondeo *Luc. 14.* per humilitatem: *Cum inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco; ſed in nouiſſimo.* Secundo per charitatem. *Matt. 25.* *Quæ paratæ erant cum lampadibus, & oleo charitatis intrauerunt ad nuptias.* Tertiò per opera ſanctitatis, quæ ſunt, temperantia, caſtitas, prudentia; & ſic de alijs, quæ *Ibid. 22.* intelliguntur per veſtem nuptialem. Ex quo patet quod triplices homines excluduntur ab hoc prandio, ſcilicet ſuperbi, *Cœna gloriæ deſideranda* immundi, & accedioſi. *Tertium* conuiuium facit Chriſtus in gloria æterna, quod eſt animæ ſatiatiuum, & illud eſt liberaliſſimum, quod patet ex pluribus, ſcilicet ex multiplici notificatione; ex magnitudine cœnæ & temporis diuturnitate; conuiuarum dignitate, ferculorum diuerſitate; miniſtrorum nobilitate; vocatorum multitudine; ex iræ magnitudine; ex compulſionis ſeueritate. De primo, ſcilicet de multiplici notificatione patet, quod auarus cùm facit cœnam occultat eam, Deus autem vult omnibus notam fieri, & ideò *Iſa. 25.* præmittit multos notificantes hanc cœ- *Ibid. 64.* nam: Talis fuit Iſaias. *Qui clamans ait longe ante: Faciet Dominus conuiuium vindemiæ defæcatæ.* Item. *Oculus non vidit, & cæt.* *Luc. 22.* Item filius Dei clamat. *Ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis.* De diuturnitate *Iſa. 15.* temporis huius cœnæ, dicit Iſaias. *Gau-* *Idem 51* *debitis & exultabitis in ſempiternum.* Et: *Lætitia ſempiterna ſuper capita ipſorum.* De conuiuarum dignitate dicitur. *Præbebit* *Apoc. 5.* *delicias regibus.* Omnes ergò ibi erunt re- *Ioan. 10.* ges. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & regnabimus.* De ferculorum diuerſitate dicitur. *Ingredietur*, ſcilicet in contemplatione diuinitatis, *& egredietur*, ſcilicet ad viſionem humanitatis Chriſti. Certè magna fercula, quorum vnum ſufficeret mille *Ioan. 14.* mundis. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit no-* *Exod. 33.* *bis.* Vnde Exod. dicitur, *Ego oſtendam tibi omne bonum.* De nobilitate miniſtrantium dicitur; *Angeli ſunt omnes adminiſtratorij* *Hebr. 1.* *ſpiritus*, qui honorificè ducent homines ad illam cœnam. Sed miniſtrans ipſe Chriſtus erit ſicut promiſit. *Tranſiens miniſtrabit illis.* Ille non ſolum miniſtrabit, ſed vnumquemque hortabitur affectuosè dicens; *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Quod verbum tractans Ber- *Bern. de dilig. Deũ cap. 6.* nardus dicit; *Comedite* ante mortem, *bibite* poſt mortem, *inebriamini* poſt reſurrectionem. Meritò iam chariſſimi, qui caritate inebriantur. Meritò inebriati, qui ad nuptias agni introduci merentur, edentes & bibentes ſuper menſam illius in regno eius, quando iam ſibi exhibebit glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, tunc prorſus inebriabit cariſſimos ſuos; tunc torrente voluptatis ſuæ eos potabit. quandoquidem amplexu ſuo arctiſſimo & chariſſimo ſponſi & ſponſæ fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, quod non aliud arbitror, quam Dei filium, qui tranſiens miniſtrabit. quemadmodum ipſe promiſit, vt ex hoc iam iuſti epulentur & exultent. Hinc illa ſatietas ſine faſtidio; hinc inſatiabilis illa ſine inquietudine curioſitas; hinc æternum atque inexplebile deſiderium neſciens egeſtatem; hinc illa ſobria ebrietas non mœrore ingurgitans, non madens vino, ſed ardens Deo. Hæc Bernardus. De vocatorum multitudine huius cœnæ patet, quia dicitur, quod *vocauit multos.* Matth. 22. *Multi enim ſunt vocati, & cæt.* imò omnes. Matthæi vndecimo. *Venite ad me omnes.* Quare? quia *vult omnes homines ſaluos fieri.* 1. Timot 2. Nec ſolum multi, ſed etiam multis modis, vt infra patebit, De magnitudine iræ, qua iratus eſt contra nolentes venire. Prouerb. 1. *Vocaui & renuiſtis.* Et ſequitur; *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Signum magnæ iræ in patre eſt, quando ridet de malo filij. Vnde licet Deus cum amaritudine punit peccatores alios. Iſaiæ primo. *Heu conſolabor de inimicis meis*, tamen ingratos & negligentes lætanter punit. Pſalm. 57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* De compulſionis magnitudine patet ibi;

ibi; *Compelle intrare, pauperes, cœcos, claudos, debiles,* & vnde? de diuerſis locis, quia *exi cito in vicos & plateas*. Sic compulit intrare Paulum. Sic filium prodigum &c.

Act. 9. *Luc. 15.*

Quod fit quando Deus nolentibus per proſpera ad eum conuerti infert aduerſa, vt fiant volentes. Hoc eſt enim trahi ad iſtã cœnam, ſicut dicit Bernardus. Trahimur in tribulationibus, & aduerſitatibus exercemur. Multos Deus trahit per infirmitates, per damna, per diuerſas tribulationes, & præcludit eis viam dãnationis. *Sepiã viam tuam ſpinis, &c.*

Oſeæ 2.

II.

Vocauit multos. Circa quod ſciendum primo, quæ ſunt diuinæ vocationes; Secundo quæ ſunt humanæ excuſationes; Tertio quæ ſunt excuſantium punitiones. De primo ſciendum, quod Deus vocauit nos dupliciter, ſcilicet generaliter & ſpecialiter. Generaliter vocat nos tripliciter; per verbum, per ſignum, per nũcium. Per verbum in filij ſui incarnatione, quando verbum caro factum eſt. Magna foret auſticitas, ſi rex aliquis mitteret filiũ ſuũ ad vocãdũ ad ſe aliquem pauperem, ſi contemneret venire. Et multo maior, ex quo Deus per filium ſuum vocauit. Vnde conqueritur contra eos. *Seruum meum vocaui & non reſpondit mihi, ore proprio deprecabar illum*. Os Dei eſt filius Dei iuxta illud Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui* Secundo vocauit nos Chriſtus ſigno. Signum illud fuit corpus ſuum extenſum in cruce, exaltatum in mõte, & rubricatum proprio ſanguine, ſicut volẽs reuocare falconem ſtat in loco apparẽti cum reclamatorio rubricato. Ita Chriſtus volens reuocare hominem qui euolauerat de paradiſo, aſcendit montẽ Caluariæ cum latere cruentato. Sed nihilominus homines ingratiſſimi nolunt redire. *Vocaui & renuiſtis, extendi manus meas & non fuit qui aſpiceret*. Tertio vocauit nos per nuncium, id eſt, per prædicatorum officium. Vnde dicitur hic, quod miſit ſeruum ſuum. Quem locum exponit Gregorius de prædicatoribus. Specialius autem vocat nos oſtenſionibus exemplorum; promiſſionibus præmiorum; & percuſſionibus flagellorum.

Vocatio Dei generalis. *Ioan. 1.* *Iob. 19.* *Prou. 1.* *Vocatio Dei ſpecialis.*

De oſtenſionibus exemplorum patet Ioan. 13 *Exemplum enim dedi vobis, vt & vos ita faciatis*. Hoc enim fecit per ſanctos martyres, confeſſores, virgines, quorum multa millia propoſuit nobis in exẽplum. Iſtam vocationem attendebat Apoſtolus, qui de ſe dicit; *Ea quæ retro ſunt obliuiſcens, & ad ea quæ priora ſunt extendens meipſum, ad deſtinatum proſequor brauium ſupernæ vocationis.* De promiſſionibus præmiorum patet, quia multa valde promiſit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. Vnde 1. Pet. 3. *In hoc vocati eſtis, vt benedictionem hereditate poſſideatis.* De percuſſionibus flagellorum patet, quotiens enim infirmitatibus fatigamur, totiens à Deo vocamur. Vnde Gregorius dicit *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Sicut aut Deus vocauit hões tripliciter, ita tripliciter ſe excuſãt Superbi ꝓpter ſublimitatẽ dominationis; Auari propter difficultatem terrenæ occupationis; Luxurioſi propter voluptatem carnalis delectationis. Iſtos tres ſignant illi, qui ponuntur in Euangelio, quorum primus dicit; *Villam emi & neceſſe habeo exire & videre illam. Rogo te habe me excuſatum.* Secundus dixit; *Quinque iuga boum emi, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum.* Tertius dixit; *Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Primus deſignat ſuperbos, qui pro ambitionibus terreni dominij & dignitatis terreſtris, gloriam amittunt regni cæleſtis. Iſte in ſua excuſatione bene ſe fatetur fatuum fuiſſe, qui ſe prius dicit villam emiſſe quam vidiſſe, facile enim quilibet fallitur, quando illud emit, quod ab eo abſconditur. Et certe, ſi homo videret & conſideraret, quid eſt in dignitate dominij tẽporalis, illud nõ emeret nimis care, quia videret eius breuitatẽ. *Omnis potentatus breuis vita*, ſic rex hodie eſt & cras non erit Secũdo ſi diligenter conſideraret, videret præcipitij grauitatem, quia quanto ſtatus altior, tanto caſus grauior. Cecidit enim Petrus, ſed ab infimo, ideo cito reſurrexit Cecidit Dauid, ſed de plano, eo quod ſe in altum non erexit, iuxta illud; *Domine nõ eſt exaltatum cor meũ.* Et ideo cito reſurrexit. Cecidit Adam, ſed de alto, quia de Paradiſo, ideò cum difficultate eſt erectus. Cecidit & Lucifer, ſed de cœlo

Philip. 3. *1. Cor. 2.* *Excuſationes ad cœnam venire nolentium.*

de cœlo altiſſimo, ideo nunquam reſurgere potuit. Secundus excuſans ſe ſignat auaros, qui dicit; *Quinque iuga boum emi.* per quinq; iuga boum intelliguntur quinque ſenſus exteriores corporis. Et dicuntur iuga ſecundum Gregorium propter coniunctionem duplicis inſtrumenti cuiuslibet ſenſus. Duo enim ſunt oculi, duæ aures, &c. Sicut igitur boues terram verſant, ſic auari circa terrena continuo delectantur. Delectabilior enim eſt auaro burſa argenti ad videndum, quam corpus Chriſti. Et iſte fatuus eſt ſimiliter vt primus, quia non probauit prius, quam emit. Cum tamen dicitur de Sapiente. *Conſiderauit agrum & emit illum.* Tertius excuſans ſe ſignat luxurioſos, qui dicit; *Vxorem duxi & ideo non poſſum venire.* Non enim coniugati excluduntur a cœna, ſed aliqualiter retardantur. Vnde ille dicitur vxorem duxiſſe, qui tota affectione ſe tradidit voluptati, & talis ad cœnam cœleſtem non poteſt venire nec debet, nec eſt dignus. nō poteſt ire, quia eſt compeditus; non debet, quia eſt fœtidus, non eſt dignus, quia eſt ſordida veſte indutus. Et quia tot ſunt, qui ſe excuſant, ideò licet multi sũt vocati, ſed pauci electi. In figura huius legimus, quod de ſedecim millibus hominum non ceſſerunt in partem Domini niſi triginta duæ animæ. Vltimò punitiones excuſatorum ſunt tres; ſegregatiō a conſortio beatorum. Vnde hoc. *Nemo virorum illorum guſtabit cœnam meam.* Secundò ſubſannatio & improperium peccatorum, quia in iudicio Deus, & Angeli, & homines, & dœmones ſubſannabunt & deridebunt peccatores, qui diuinas vocationes neglexerunt. *Vocaui & renuiſtis, ego quoq; in interitu veſtro ridebo.* Tertio cruciatio perpetua tormentorum. *Eligam illuſiones eorum, & qui timebant adducam eis quia vocaui, & nō erat qui reſponderet.* Non ſic de bonis & iuſtis, qui Deum vocantem audiunt per obedientiā præceptorum, hi in cœlo ponentur lucentes ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. *Stellæ vocatæ ſunt & dixerunt, aſſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Nos ergò fratres chariſſimi non habeamus iſtas excuſationes, ſed ad cœnam perpetuam properemus. Ad quam nos perducat, &c.

Num. 31.
Punitiōes excuſantium.
Prou. 1.
Iſa. 62.

DOMINICA II. POST TRINITATEM.

SERMO II.

Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire. Luc. 14.

BOnum eſt coniugiũ, inquit S. Gregor. ſed mala sũt ea, quæ circa illud ex huiuſmodi cura ſuccreſcunt. Dum ergò tenent illud, quod nō nocet, ex rebus iuxta poſitis committitur plerumque quod nocet, ſicut ſæpè rectum mundumq; iter pergimus, & tamen iuxta iter vepribus per veſtimenta retinemur, in via quidem munda non offendimur, ſed à latere neſcitur, quo pungamur. Hæc ille. Ex quibus verbis patet, quod licet matrimonium in ſe ſit bonum, & a Deo ad bonum finem inſtitutum, tamen ſæpè per abuſum humanum vertitur in perniciem, ita vt quod fuerat inuentum, & prouiſum ad vtilitatem ſalutis, ſi indebitè ſeruatur fiat occaſio damnationis, dum malè & inordinatè in eo viuitur, cum omiſſa dulcedine cœleſti, ad quam ſuſpirare & aſpirare homo debuerat, totum ſe delitijs terrenis & voluptatibus immergit. Ex quo prouenit, vt talis ad cœleſtes diuitias vix perueniat. Iſtud patet in iſto, de quo Euangeliũ

Greg. 22. Moral.

hodiernum refert, qui nimio vxoris amore complexus ad cœnam cœleſtis conſolationis ſe non poſſe venire aſſeruit dicens; *Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* In iſtis verbis diſſuadetur nobis nō coniugium carnale, ſed voluptas carnalis; quæ ſæpius in coniugio contingit. Et ideò nemo putet per Saluatorem noſtrum, hanc parabolam in detractionē aut ſuggillationem matrimonij legitimi fuiſſe propoſitam, ſed potius in confutationem & confuſionem illorū, qui bonis rebus malè vtentes terminos conceſſæ libertatis excedunt. Vnde dicit Greg. quod ſicut ſæpè in alijs locis ſacræ ſcripturæ, ita & hic per rem iuſtam ſignificatur res iniuſta, vt per carnale coniugium

Propoſit.

voluptas carnalis immoderata. Circa cuius repreſſionem tria ſunt cōſideranda. Primò de voluptatis vanitate tranſitoria; ſecundò de ipſius ſagaci cautela; tertiò de ipſius peruerſitate nociua. Primum tangitur in eo quod dicitur *Vxorem.* Secundum in eo cum additur, *duxi.* Tertium in eo, quod adiungitur, *non poſſum venire, &c.*

I.

Voluptas carnalis comparatur vxori.

1\. *Vxorem duxi.* Congruè per vxorem intelligitur carnalis voluptas propter tria. Primò, quia ſicut vxor eſt naturaliter creatura fragilis & debilis, imò quodammodo mortuis ſimilis, iuxta illud. *Vidua in delitiis viuens mortua eſt.* Dicit gloſſa. Non ſobriè viuens vita naturæ, mortua eſt vita gratiæ in anima. Cuius ſepulchrum eſt corpus in delitijs vacans. *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini.*

1.Tim.5. *Rom.8.*

2\. Secūdò quia ſicut pro neceſſitate vxoris multæ impenſæ ſunt neceſſariæ, ſic pro voluptate carnali conſequenda multis opus eſt vanis & ſæcularibus, quantas iſti vigilias, timores, expenſas, ſollicitudines faciunt, vt vitam taliter qualiter delitiosè deducant in peccatis carnalibus? Patet hoc in filio prodigo, qui totam ſuam ſubſtantiam conſumpſit viuēdo luxuriosè.

Luc.15.

3\. Tertiò ſicut enim non eſt aliqua vxor tam bona, in qua non inuenies quod conquereris, vt dicit Diogenes philoſophus; ita non eſt aliqua voluptas ita delicata, quæ non habeat amaritudinem admixtam, & maximè in fine. Vnde dicitur de voluptate; *Nouiſſima illius amara quaſi abſinthium, & ſicut non eſt.* nec fuit aliquis, quem non pœniteret poſt paruum tempus de vxore deducta, vt vulgò dici ſolet, ita non eſt, nec fuit aliquis ita voluptuoſus & delitijs affluens, quem finaliter non pœniteret, aut hic aut in futuro. Vndè de his, qui ſatiati ſunt voluptatibus, quomodo in præſenti pœnitent, dicit Boetius in de conſolatione in hæc verba; quid autem de corporis voluptatibus loquar? quorum appetentia plena eſt anxietatis, ſatietas verò plena pœnitentiæ, & exitus triſtes. Hinc Horatius irridet voluptatem ciborum, qui conſumpti relinquunt pœnam. De his verò, quos talium pœnitet, in futuro, etiam in inferno dicitur, quod *erunt gementes præ anguſtia ſpiritus pœnitentiam intra ſe agentes.* Et poſt pauca. *Quid igitur profuit nobis ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Damnati non ſolum recognoſcent ſe amando iſta tranſitoria fuiſſe deordinatos, ſed etiam peccata ſua cum improperio quodam ſibijpſis obiecto confitebuntur. Vnde non ſolum confitebuntur, ſed etiam ſibijpſis vehementer inſultabunt per ineffabilem remorſum conſcientiæ ſuæ. Sed tarda eſt iſta pœnitentia & inutilis, ideo quia tardè fuit doctus poſt vulnera qui ſibi cauet. Serò medicina paratur, dum mala per longas conualuere moras. Propter iſtas tres cauſas meritò voluptas carnis dicitur eſſe vana; tum quia fragilis & caduca; tum quia ſumptuoſa; tum quia oneroſa. Arguitur eſſe tranſitoria & vana. Hinc Salomon ait. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas:* Exponit Hugo de vanitate mutabilitatis, quæ eſt in rebus iſtis, ſiue quia inanes ſunt, ſiue quia tranſitoriæ; imò in eo vanæ ſunt, quia oſtendunt quod non habent. In iſto vanæ ſunt, quia non permanent in eo, quod habent ibi. Vanæ ſunt, quia ſolum formam habent, eſſentiam non habent. Hic vanæ ſunt, quia ſi aliquam eſſentiam habent, ſed ſubſtantiam nullam habent. Illic vanę ſūt, quia ſine veritate ſpeciem apponunt. Hic vanæ ſunt, quia ſtatim præcedunt & tranſeunt. Hæc Hugo. Ex quibus poteſt trahi deſcri-

Prouer.5. *Boetius.* *Sap.5.* *Voluptas carnalis vana.* *Eccl.1.*

deſcriptio commun[...]. Quod vanum eſt, Vani deſcriptio. quod non præbet fructum famulanti, nec fulcimen innitenti, nec pulchritudinem continenti. Et quia omnia, in quibus mundani quærunt voluptatem, ita caduca & vana & deficientia ſunt, patet quod qui ea diligunt, non ſolum vani, ſed ipſa vanitas facti ſunt, iuxta illud Hieremiæ. Iere. 2. *Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt.* Vnde clamat propheta. *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis* Pſal. 4. *vanitatem & quæritis mendacium?* Imo non ſolum tales dicuntur amare mendacium, ſed etiam dicuntur inſanire. Vnde propheta. *Beatus vir, qui non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Patet igitur quod tota voluptas ſæculi ſiue conſiſtit in opulentijs & diuitijs, ſiue in delitijs & laſciuijs, Eccleſ. non eſt niſi vanitas. Vnde Salomon enumeratis multis talibus, ſcilicet ædificiorum & habitaculorum amplificatione, ſeruientium & famulantium multiplicatione, armentorum numeroſitate, theſaurorum multiplicatione, in quibus omnibus dicit ſe abundaſſe, ſtatim ſubdit; *Cumque conuertiſſem me ad vniuerſa opera, & ad labores in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem.* Ecce natura voluptatis, quæ in ſe eſt vana & tranſitoria. Et tantum de primo.

III.

Iuriſconſultus dicit, quod vbi maius periculum imminet, ibi cautius eſt agendum. Et quia omnia ferè peccata procedunt ex voluptate & delitijs mundi, eo quod ſunt quaſi quædam impedimenta Serm. 33. ſpiritualis exercitij, vt dicit Bernardus. Corpore enim molliori reddito & delicato, neceſſe eſt etiam animam præcipitari ex corporis morbo, inquit Chryſoſtomus ſuper epiſtolam ad Hebræos homilia 29. Et ideò magna cautela opus eſt ad occurrendum eidem. Sunt autem tria præcipua, quæ nos cautos faciunt circa voluptatem carnalem & vanitatem huius mundi. Cautela aduerſus volupt. 1. *Prima cautela* eſt aliqualis ſubtractio, non ſolum illicitorum & prohibitorum, ſed etiam licitorum, neceſſariorum, & conceſſorum. Nam etſi omnia poſſent licere, non omnia tamen expediunt, vt dicit Apoſtolus. Vnde dicit Richardus, in lib. de contemplatione. Nunquam affectus noſter ad deſiderium æternorum perfectè accenditur, nec intellectus ad cœleſtium contemplationem perfectè acuitur, niſi cura carnis etiam in licitis & neceſſarijs frequenter & fortiter repellatur. Hæc ille. Et certè videmus ad ſenſum, quod hi qui temperatè viuunt & moderatè, non de facili poſſunt inclinari aut deduci ad voluptates, quæ in quadam ſuperfluitate reſoluuntur, qui & ipſi de neceſſarijs ſibi & licitis multa ſubtrahunt. *Secunda cautela* eſt repulſio quarumlibet delitiarum in principio. 2. Nam ſicut ait Seneca. Hi qui ſe voluptatibus iungunt, & in conſuetudinem deducunt, non poſſunt eis poſtea carere. Ad hoc enim vſque perueniunt miſerrimi, vt illis, quæ ſuperuacua fuerunt, ſint neceſſaria; ſeruiunt itaque voluptatibus ſuis. Tales non fruuntur, & mala ſua, quod malorum eſt vltimum, amant. Hæc Seneca. Ideò dicit Auguſtinus, libro ſexto de muſica. Quod cõſuetudo eſt quaſi affabricata naturæ. Reſiſtendum ergo eſt principio talibus, nec homo veniat in conſuetudinem dura eſt pugna, inquit Auguſt. in ſuper pſalm 30. Et hæc eſt ratio, quia conſuetudinem; nam poſtea vincere conſuetudo magnam habet violentiam inclinando voluntatem ad ſe. Et ideò, ſicut optimum eſt aſſueſci ad bonas conſuetudines & virtuoſas, ita periculoſum & peſſimum aſſueſci ad vitia. Vnde narrat Valerius lib. 7. cap. 2. Quod Cretenſes, cum acerbiſſima execratione vti voluerunt aduerſus eos, quos vehementer oderunt, optant vt mala conſuetudine delectentur, moleſtoque voto grauem efficaciſſimum vltionis aduentum reperiant. Hæc ille. Et Auguſtinus conqueritur de mala conſuetudine, Lib. 7. conf. c. 5. quæ eum tenebat in errore plurimo tẽpore, ita quod de conſuetudine facta fuit peccandi neceſſitas. Refert Maximus in ſermone de ſancto Ioanne Baptiſta, quendam ſapientem dixiſſe; Bene conſueſcere pudebit diſſueſcere. Et iterũ, Bona loquamur, tranſiet ſermo in effectum. Ecce quã malũ eſt malis cõſueſcere. Vnde metrice dicitur,

Qui non aſueſcit virtuti, dum iuueneſcit,
A vitiis neſcit diſcedere, quando ſeneſcit.
Voluptas diſſuadetur. Tertia cautela eſt conſideratio omnium
indecentium ad hoc cooperantium. Omnia enim hic bene conſiderata diſſuadent
voluptatem. Et primò locus in quo ſu-
1. mus; qui eſt locus miſeriæ & vallis lachrymarum, in quo magis flendum eſt, quanto minus flemus. Secundò tempus, in
2. quo ſumus. Vniuerſum enim tempus præſentis vitæ vigilia quædam eſt ſolemnitatis magnæ & æterni ſabbati, quod præſtolamur. Vigilia enim non eſt tempus delitiarum, ſed feſtum, inquit Vuilhelmus
de lata petra. Tertiò diſſuadet hoc Chri-
3. ſtus cum ſuis ſanctis, qui omnes elegerunt
illud, quod carni eſt moleſtius. Et quiſquis aliud docet, aliud ſuadet, ab eo tanquam à ſeductore eſt cauendum, dicit
4 Bernardus. Quartò diſſuadet hoc earum
breuitas, *quia breues dies hominis ſunt*, in-
5. quit Iob 14. Quintò earum indignitas.
Seneca. Dicit enim Seneca; in voluptate nihil eſt
magnificum, aut quod naturam proximã
Deo deceat. Non eſt animi virilis, ſed
pueriles, voluptates carnis amare, iuxta
Gen. 18. illud. *Poſtquam conſenui, voluptati operam*
6. *dabo*, dixit Sara vxor Abrahæ. Sexto diſſuadet hoc indigentia proximorum dicentium; nobis, inquiunt, fame, ſiti, nuditate
& frigore laborantibus, quid conferunt
tot mutatoria vel extenſa in perticis, vel
plicata in manticis? Noſtrum eſt, quod
effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod
inutiliter expenditur. Ideò inueniunt
curioſi quo delectentur, & non inueniunt
miſeri quo ſuſtententur, inquit beatus Bernardus in quodam ſermone. Septimò
7. diſſuadet hoc voluptatum vanitas. Ecclesiaſtes duodecimo. *Adoleſcentia & voluptas vana ſunt.* Vanum eſt, quod non
confert plenitudinem continenti. Vnde
Hieronymus in quadam epiſtola; ſemper
Idem 1. voluptas famem ſui habet, ac tranſacta
non ſatiat. Hinc dicit Eccleſiaſtes. *Non*
ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu. Vbi
dicit Hugo, quod totus mundus non ſufficit cordi humano, nec cor humanum
ſufficit toti mundo. Omnis enim ſanitas, omnis pulchritudo, omnis iucunditas rerum conditarum afficere poteſt cor
humanum, ſatiare non poteſt, niſi illa dulcedo, ad quam factum eſt, iuxta illud Greg.
in moral. 26. ante finem: quia ad Deum appetendum anima facta eſt, iure ei non ſufficit, quicquid Deus non eſt. Hæc ille. Octauo diſſuadet hoc impuritas voluptatis.
Nam dulcedo humanæ fœlicitatis multis
amaritudinibus reſperſa eſt. Ex quibus omnibus patet, quod quicunque bene conſiderauerit conditiones huius miſerabilis
voluptatis, reſiliet ab eis, iuxta illud Naũ; *Naum* 3.
Omnis qui te viderit, reſiliet à te.

III.

Nocumenta iſtius miſerabilis voluptatis multa ſunt. Eſt enim hoc vitium effœminatiuum potentiæ virilis; Secundò eſt *Voluptas noxia.*
accumulatiuum doloris & diſplicentiæ
ſingularis; tertiò obfuſcatiuum decoris & *1. Effœminat.*
ſapientiæ ſalutaris. Primum patet in Samſone, qui pro eo, quod dormiuit in ſinu
Dalilæ vxoris, per quam ſignificatur voluptas carnalis, excæcatus eſt. Refert Oui *Ouid.* 15. *Metam.*
dius de fonte Salinario, quia talis virtutis
erat quod ſexum abſtulit viro, qui balneauit in illo; iſto modo eſt de voluptate. Nam
ſi homo virilis balneat in delitijs voluptatis, effœminabitur, & mollietur, & animoſitatem amittet. Vnde Cornelius Scipio *Valerius lib.* 1.
miſſus ad Hiſpaniam, eo momento, quo
intrauit caſtra, edixit, vt omnia, quæ cauſa voluptatis comparata erant, aufferrentur & ſubmouerentur, Vnde ſimul & ſemel
duo millia ſcortorum leguntur abijſſe ab
exercitu Romanorum. O quam prudens
princeps, qui ſic prouidit ſuis exercitibus
amouendo voluptatem, quæ milites fortiſſimos effœminat, vt agnos! Idem refert de *Idem li.* 9. *cap.* 1.
Hannibale duce Carthaginenſ. quem mulier quædam proditioſe Romanis tradidit
occidendum, Campana; inquit, luxuria inuictum Hanibalem armis complexa vincendum Romano militi tradidit. Vnde *Ouid. li.* 2. *de arte amandi.*
fingit Ouidius, quod Mars, qui Deus
eſt bellantium, cum Venere captus fuit Vulcani inuiſibilibus cathenis, & omnibus Dijs cœleſtibus in deriſionem oſtenſus. Cui hiſtoriæ alludens Hierony-

ronymus ad Ruffum de vxore non ducēda, dicit; Mars, qui bellantium Deus dici meruit propter eius maximam ſtrenuitatem, nihil ſibi metuens, à Vulcano ligatus eſt cum Venere inuiſibilibus cathenis, ſenſibilibus tamen. Hoc autem ad applauſum fœminarum & cœleſtium curiæ deriſum vult dicere, quod Vulcanus fecit cathenas occultas, quas non præuidit vxor eius, & poſuit eas in lecto, in quibus, cum Mars intraſſet lectum, captus eſt & detentus, donec tota cęleſtis curia eum conſpexiſſet. Et ideo Iob. *Morietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos*. Iſtud patet expreſſe de Holoferne. Secundo iſtud vitium eſt accumulatiuum doloris vel mœroris & diſplicentiæ. Naturaliter enim poſt voluptatem ſequitur triſtitia. Sicut deducit Boëtius. 3. de conſo. proſa ſeptima. Vnde infra metro ſeptimo ſequenti comparat eam api; quæ primo fundit mel; & poſtea aculeum recedendo infigit. Hoc benè attendit Demoſthenes philoſophus, à quo cum Lays meretrix ſolennis de Corintho centum talenta petijt pro concubitu, ille in cœlum ſuſcipiens ait; Non emo, inquit, tanti pœnitere, quod tamen neceſſarium foret, ſi tua fruerer voluptate. In ſignum huius fingit Ouidius, quod virgo quædam nomine Mirthaponis deſiderauit inceſtum, & deſideratum perpetrauit nutrice adiuuante; tandem cum eſſet perceptum, fugatur à patre, & in tantam triſtitiā incidit, quod à fletu, ſuſpirijs, & gemitibus alterata mortua eſt. Tertio iſtud vitium eſt obfuſcatiuum decoris & ſapientiæ ſalutaris. Huius exemplum habemus in Salomone, qui licet ſapientiſſimus, tamen voluptate carnis deceptus ad hoc perductus eſt, quod per idololatriam, quam ratione amoris concubinarum ſuarum exercuit, totam gloriam ſuam confudit. Vnde dicitur de eo; *Dediſti maculā in gloria tua*. Cui hiſtoriæ alludens Hieronymus ad Ruffum dicit; Sol hominum Salomon, theſaurus delitiarum Domini, ſapientiæ ſingulare domicilium, craſſo tenebrarum fuſcatus atramento lucem animæ ſuæ, odorem famæ, gloriam domus ſuæ, amore mulierum amiſit. Et ſic ex membro Dei mutatus eſt in membrum diaboli. Sunt & alia plura

Iob. 36.
Iudith. 13.
2. Accumulat dolorem.
Boëtius.
Voluptas api ſimilis.
3. Obfuſcat decorē & ſapiētiam.

nocumenta huius vitij, intantum enim nocet hoc vitium, quod homo quodammodo occaſionaliter ex eo moritur, vel ſaltē infirmatur, vt dicit Seneca. Hoc autem fit per conſuetudinem, vt dictum eſt ſupra. Item corpus contra ſpiritum rebellare facit. Qui enim delicatè nutrit ſeruum, ſentiet poſtea ipſum contumacem. Et Bernar. dicit; Si concupiſcentia cœperit habere irritamenta, fiunt duo contra vnum, & ſic perit conſcientia. Item à ſapientia intellectum abducit. *Non inuenitur ſapientia in terra ſuauiter viuentium*. Item incompaſſibilem hominem facit; ſicut patet de diuite epulone, qui affluens delitijs noluit miſereri Lazaro. *Bibentes vinum & vnguento delibuti non compatiebantur ſuper cōtritione Ioſeph*. Vltra omnia prædicta hoc poſtremo malum facit, quia in pœnam æternam cōmutatur. *Quantum glorificauit ſe in delitijs, tantum ei date tormētum & luctum*. Ex quibus patet, quare voluptas carnalis eſt fugienda, quæ tanta mala infert, non ſolum animæ, ſed & corpori, & ex qua omnia mala, ſicut ex fonte procedunt. Hæc ergo eſſent nobis ante oculos mentis propenda. Hæc memoriter retinenda & ſæpius ore recitanda, vel ſcriptis relegenda, pręſertim quando animus noſter ad voluptates corporis inclinatur. Attendentes finaliter, quod ſi centum annos, imo decies centum annos voluptatibus demus, quaſi vnius noctis ſomnum ad æternitatis comparationem videbuntur, inquit Chryſ. de reparatione lapſi. Demus ergo operam delitijs ſpiritualibus, quæ ſunt opera ſancta & mūda. De quibus in pſal. *Et nox illuminatio mea in delitijs meis*. Gloſſa. Per has quidem delitias peruenitur ad delitias ſempiternas. De quibus dicitur; *Præbebit*, inquit, ſcilicet ipſe Chriſtus, *delitias regibus*, id eſt, omnibus electis in regno ſuo habitantibus. Ad quas nos perdúcat ipſe, qui per ſæcula viuit. Amen.

Iob. 28.
Luc. 16.
Amos 6.
Apoc. 18.
Pſal. 138.

DOMINICA TERTIA POST TRINITATIS.

SERMO I.

Hic peccatores recipit. Luc. 15.

CHRISTVS veritatem vt doctor, manſuetudinem vt liberator, iuſtitiam vt cognitor attulit, inquit S. Auguſtin. ſuper Ioannem. Vult dicere Auguſtinus, quod Chriſtus omnibus omnia factus eſt. Ignaris vt doctor veritatis; peccatoribus manſuetudo vt liberator; iuſtis merces vt cognitor, & meritorum inſpector, & ponderator, ſicut de eo ſcriptum eſt; *Spirituum* Prou. 16. *ponderator eſt Dominus.* Cum igitur peccatores cognouiſſent Chriſtum doctorem veritatis, & manſuetum liberatorem, hoc eſt relaxatorem & remiſſorem humanæ iniquitatis, merito appropinquabant ad eum ſcientes illud de eo, quia qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Sic enim hortabatur Dauid diu[illegible] nte dicens; *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Et certè non confundentur appropinquantes ad Chriſtum, quia non repellet Dominus plebem ſuam, ſed recipiet eam per gratiam ſuam quicunque ad eum acceſſerit, ſicut ipſe de ſe dicit; *Eum, qui venit ad me, nõ* Ioan. 6. *eijciam foras,* ſed benignè recipiam & peccata dimittam. Ad hoc enim veni in mundum, vt quærerem & ſaluum facerem, quod perierat. Chriſtũ ad terram non traxerunt merita noſtra, ſed peccata noſtra, inquit Auguſt. & Ambroſius ſuper Lucam dicit; ꝙ Chriſtus iuſt⁹ venit ad nós peccatores, vt ex peccatoribus faceret iuſtos, pius venit ad impios, vt nos faceret pios, humilis ad ſuperbos, vt ex ſuperbis faceret humiles. Hęc ille. Verum licet Chriſtus ad hoc venerit, vt peccatores lapſos repararet, errantes corrigeret, infirmantes adiuuaret; Ac per hoc iuſtè & ſanctè faceret, quia operi, ad quod à Patre miſſus fuerat, inſiſteret, præſertim peccatores ad ſe trahendo, quos vt benignius alliceret ad pœnitentiam, cum eis etiam manducare conſueuerat; tamen Phariſæi zælo ducti inuidiæ, contra Chriſtum molientes inſidias, de omnibus eius ſiue dictis ſiue factis ſcandalizati, omnia ſiniſtrè interpretantes calumniabantur. Vnde non valentes facta benignitatis negare, ſaltem murmurabant contra Chriſtum peccatoribus conuerſantem dicentes; *Hic peccatores recipit.*

Triplex hic notatur perſona; 1. Scribarum & Phariſæorum, qui hæc dixerunt; 2. Chriſti contra quem dicta ſunt; 3. Peccatorum ad Chriſtum venientium, qui iniuriam magnam hinc patiebantur. Et ſic tria hic ſunt conſideranda, quæ fuerunt in iſtis tribus perſonis. In Phariſæis fuit zelus malus. In Chriſto fuit mira patientia, prudentia, & benignitas. In peccatoribus fuit mira & deuota affectio. Quæ tria ſic tãguntur. Nam de Phariſæis dicitur, quod murmurabant; de Chriſto quod recipiebat & reſpondebat; de peccatoribus, quod appropinquabant. *Propoſit.*

I.

Chriſtus habuit in ſe tria elegantiſſima, quæ Iudæi æquanimiter ferre non poterant, cum eſſent peruerſi & iniquitate pleni; ſcilicet ſancta deſideria, ſancta verba, ſanctiſſima opera. Deſideria erant ſancta, ita quod non potuit aliquid aliud deſiderare, quam quod Deum Patrem ſciret velle. Vnde de eo dicitur in Pſalmo; *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei.* Deſiderium autẽ Chriſti non erat aliud, niſi ſalus animarum, quam ipſe in affectu ſuo ſitiuit, & *In Chriſto tria excellentiſſima. 1. Deſideria ſanct. Pſal. 20.*

cum

cum hoc gloriam Dei patris. Ioan. 8. *Ego quæro gloriam patris mei*. Vnde ipſe in oratione ſua quam in figura membrorum ſuorum fecerat, à voluntate paterna nolens diſcedere ſubiunxit; *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Secundo verba ipſius erant ſancta & ſalubria. Vnde Petrus dixit; *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et illi qui miſſi erant appræhendere Chriſtum, miniſtri Iudæorum redeuntes de ſermone eius dixerunt; *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic loquitur.* Ideo magiſter legis ipſorum, licet callidè tentans Chriſtum, confeſſus eſt Chriſtum veracem eſſe in verborum ſuorum doctrina. Matth. 22. *Magiſter ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces.* Tertio facta Chriſti erant excellentiſſima, eo quod ipſe fecit talia, quæ nemo ante ipſum facere potuit neque fecit. Vnde Nicodemus ad Chriſtū. *Nemo poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis.* Phariſæi igitur zelo nequitiæ infecti non valētes omnibus iſtis contrauenire, ſaltem prout poterant Chriſto in omnibus reſiſtebant. Cogitationes enim & deſideria ipſius interpretabantur eſſe diabolica, quaſi Chriſtus omnia in nomine diaboli faceret, & intentione iſta dæmonia eijceret. Vnde dictum eſt Luc. 11. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Quaſi dicant; Iſte non attendit gloriam Dei, ſed vanitatem diaboli. Secundo verba ipſius peruertebant. Vnde cum ipſe diceret; *Si quis ſermonem meum ſeruabit, mortem non videbit*, ipſi ſtatim aſſeruerunt ipſum dixiſſe, *mortem non guſtabit.* Et iterum cum Chriſtus diceret; *Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Illi poſtea ipſum aſſeruerunt dixiſſe, *in triduo reædificabo illud.* Et ſic de pluribus alijs. Tertio opera calumniabantur, dicentes ea eſſe contra mandata Dei. Vnde illud; *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* Ioan. 9. Ex his igitur patet quod Iudæi & phariſæi contra Chriſti ſancta deſideria & cogitationes pacificas grauem habuerunt inuidiam; Contra eius facta & ſalubria verba habuerunt murmurationem; Contra eius ſanctiſſima opera habuerunt detractionem. Et reuera non minus hodiè diabolus iſta facit per modernos phariſæos & malos Chriſtianos, qui etſi fide coniuncti nobis ſunt, operibus tamen valdè diuiſi, iuxta illud Apoſtoli; *Confitentur ſe noſſe Deum*, ſcilicet per fidem, *factis autem negant*. Hi ergo mali phariſæi & hodiè in ſancta Eccleſia hoc triplici vitio contra bonos & electos Dei, ac ſi contra Chriſtum tunc phariſæi laborant. Inuident enim ſancto propoſito electorum. Vnde dicunt illud Sapientiæ; *Grauis eſt nobis ad videndum*. Sed Ioannes dicit conſolando tales. 1. Ioann. 5. *Nolite mirari ſi odit vos mundus.* Quaſi dicat. Nolite mirari ſi mali inuident bonis, cum canis domeſticus inuidet extraneo. & qui miſer eſt & pauper inuidet ditiori. Sic AEgyptij inuidebant filiis Iſraël in Ægypto, videntes eos proſperari. Sic Romanis proſperantibus inuidere cœperunt circumiacentes nationes. Secundo vitio laborant hodiè mali contra bonos murmurando. In figura cuius populus duræ ceruicis murmurabat contra Aaron & Moyſen. Eſt autem murmur quærela cum impatientia in his, quæ homo debet ferre vel ſuſtinere patienter, & committitur quandoque cōtra proximum per inuidentiam; contra Deum per diſplicentiam. Per inobedientiam murmurant omnes propriæ voluntatis, nolentes ſubijci prælato aut Domino temporali. Cum tamen dicat Petrus; *Obedite præpoſitis veſtris, non tantum bonis ſed etiam diſcolis.* 1. Pet. 2. Et Paulus. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, quoniam ſic eſt voluntas Dei.* Et ipſe Chriſtus; *Qui vos audit me audit*. Vnde Moyſi dictum eſt; Non te reiecerunt, ſed me. Quanta autem fatuitas eſt murmurare contra illos, aut reſiſtere illis, qui vices Dei gerunt? vt dicitur Romanorum 13. & quorum præſidio in pace & tranquillitate conquieſcunt? Hos dicit Oroſius libro primo ſimiles Aegyptijs, qui ingrati beneficiorum Ioſeph filios eius ſeruituti addixerunt. Sic iſti aſſerunt ſe operibus eorum grauari, quorum meritis liberantur. Secundi ſunt qui murmurant contra proximum propter inuidentiam, ſicut:

Matt. 26. *2. Verba ſancta.* *Ioan. 6.* *Ibid. 7.* *3. Opera excellentiſſima.* *Ioan. 3.* *Zelus Phariſæorum.* *Ioan. 8.* *Exod. 1.* *Salluſtius li. 1. c. 1.* *Rom. 13.*

1. *Reg.* 18.

ſicut Saul non recto oculo aſpiciebat Dauid dicens & murmurans, mihi dederunt mille, & Dauid decem millia. Sic fratres Ioſeph oderunt eum, nec poterat illi quicquam pacificè loqui. Sic Iudæi Christum per inuidiam Pilato tradiderunt. Tertij ſunt, qui murmurant contra Deum per diſplicentiam, quam habent de adminiſtratione ſeu mundi regimine, quo regit homines; ſed verè hoc fatuum eſt, quia dicit Seneca. Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cũctu proueniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui imperatorem gemens inſequitur; ſubtiles artifices indignantur, cum inſtruuntur ab ignaris & inſcijs artis ſuæ; nos ſumus valdè ignari de gubernatione mundi; ideo debemus patienter tacere. *Vir prudens & diſciplinatus nõ murmurabit.* Murmurant autem homines contra Deum ob quatuor; primo quod tẽperiem aëris eis non tribuat ad nutum; ſecundo quia proſperitatem & aduerſitatem non diſtribuit in hac vita iuxta demerita & merita hominum; tertio quod frequenter mittit tribulationes & aduerſitates in homines; quarto murmurant inuolũtariam paupertatem ſuſtinentes, ob id ꝙ eis non tribuat ſicut alijs diuitibus. Primi faciunt contra ſeipſos, quia impediunt propriam tranquillitatem & pacem, non conformã do ſe diuinæ voluntati; imo ſi ſic eſſet, ſicut ipſi vellent, mundus periret; quia vni placet tale tempus pro agro colendo, alteri non placet pro alio negotio vel artificio conficiendo: nam pro hortulano valet tẽpus pluuioſum, ſed pro ſtrigulo non valet, niſi ſiccum. Narratur de quodam Eremita, qui impetrauit à Deo tempus, quale voluit, & tamen in ipſius horto nihil creuit, credebat ergo, quod ita eſſet in toto mundo; ſed cum veniſſet ad alium Eremitam, inuenit abundantiam olerum: quæſiuit ergo cur ipſe ſimiliter non haberet in horto ſuo, cum haberet tempus ad placitum ſuum. Cui ille reſpondit; ideo, quia te ſapientiorem Deo facere voluiſti; cũ tamẽ Deus ſciat quale tempus ſit nobis opportunum. Vnde in pſalm. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus*, id eſt, iuxta voluntatem tuam donabis, non iuxta noſtram. Fertur de quodam agricola, qui abundabat ſemper fructibus, quod cum quæreretur ab eo cauſa, reſponderit, quia habeo tempus, quale volo, hoc eſt, quale Deus dat. Phaetõ filius Phœbi petijt a patre, vt poſſet vehere ſolem; cui cum fuiſſet conceſſum, ipſe tanquam ignarus quandoque vexit ſolem ita procul a terra, vt omnia infrigidarentur, & quandoque ita propè, vt omnia cõburerẽtur; ideoque a Ioue percuſſus fulmine interijt. Refert Seneca libro de vita. 12. Cæſarum, quod Caius Cæſar fecerit ſolenniſſimum feſtum ſuis militibus; contigerunt autem id temporis maxima fulmina, coruſcationes, & tonitrua; & iratus Cæſar mandauit contra Iouem ſagittas in altum mitti, quæ deſcendentes multos è populo occiderunt. Similiter filij Iſrael, quia murmurauerunt contra Deum, non intrpierũt in terram promiſſionis. Hinc ait Sap. *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt:* Et Apoſt. *Neque murmuraueritis, ſicut quidam ex illis.*

Gen. 37. *Ioan.* 19. *Murmurare contra Deum ſtultum eſt.* *Seneca.* *Eccl.* 10. *Murmurant homines cõtra Deum propter quatuor.* 1 *propter aëris intemperiẽ.* *Pſal.* 67. *Num.* 14. *Sap.* 1. 1. *Cor.* 10.

2. *Propter diuinam diſpoſitionem aduerſorum & proſperorum.*

Secundi ſunt, qui murmurant contra diſtributionem diuinam, tam aduerſitatis, quam proſperitatis, quia vident bonos deprimi, malos proſperari; & quia periuria, mendacia & alia ſcelera nil videntur nocere malis, nec bonis prodeſſe virtutes, vt tãgit Boetius li. primo de conſo. metro quinto. Et Claudianus in maiori volumine in principio. *Boetius.* *Claudia.*

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, aut nullus ineſſet,
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

Eiuſmodi murmur gentilium philoſophorum. Sancti etiam quadam admiratione videbantur de hoc dicere; ſicut Iob. 21. *Quare impij viuunt, ſublimati ſunt, confortatiq; diuitijs?* Et Hierem 12 *Quare impiorũ vita proſperatur? benè eſt omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt?* Item Pſalmiſta; *Vſquequo Domine peccatores gloriabuntur?* Similiter Abacuc. *Taces conculcante impio iuſtiorem ſe.* Sed reſpondetur iſtis illud Gregorij ſuper illud Iob. 31. *Nunquid non eſt perditio iniquo?* Iniuſtus, inquit, ad debitam mortem currens, effrænatis voluptatibus vtitur, quia & vituli, qui mactandi ſunt, in vbe-

Abac. 1. *Greg.* 2. *mor. c.* 4.

vberioribus paſcuis relinquuntur; econtra iuſtus à delectationibus tranſitoriæ iucunditatis reſtringitur, quia vitulus ad laboris vſum deputatus, ſub iugo retinetur;& mal⁹ quaſi ꝑ amœna prata in carcerem peruenit, Hæc ille. Tertio murmurãt quidam inter tribulationes, quibus à Deo flagellantur: quod ſanè facere eſt fatuum, cum frequenter ſint ad profectum animæ, ſicut dixit Paulus; *Cum infirmor, tunc fortior ſum & potens.* Et: *Infirmitas carnis ſobriã facit animam.* Vnde invitis patrum legitur, quod cum quidam peteret à tertiana liberari, reſponderit Ioannes Eremita, Rem tibi neceſſariam cupis abijcere. Quarto murmurant quidam de inuoluntaria paupertate, qui neceſſitate, & non virtute ad paupertatem coguntur: ſed iſtis dicendum eſt, vt de neceſſitate faciant virtutem, ſcientes illud Iacobi 2. *Deus elegit pauperem in hoc mundo, diuitem in fide, & hæredem regni.* Et iterum Pſal. *Ego autem egenus & pauper ſum, Dominus ſollicitus eſt mei.* Si ergo Dominus ſollicitus eſt talium, quare murmurant, cum ſciat, quid eis deficiat. Hinc dicitur in pſal. de malis. *Si non fuerint ſaturati & murmurabunt.* Non ſic nos, non ſic, ſed omnia ſine murmuratione faciamus.

3. Propter tribulationes.

1.Cor.12.

Eccl.31.

4 Propter paupertatem inuolũtariam.

Matt.6.

Philip. 2.

Tertio laborant vitio hodie Chriſtiani mali detrahentes bonis proximi. Iſti figurantur per illam beſtiam, quam vidit Daniel habere tres ordines dentium, cui dictũ eſt; *Surge & comede carnes plurimas.* Tres ordines dentium ſunt tres modi detrahendi. Primus eſt bona, quæ facit homo, diminuere, vel malè exponere, tanquam corrupta intentione ſint facta, vel ex comparatione ad alium oſtendere, quod non ſit ita virtuoſum vel excellens ipſius factum, vt decebat. Secundus modus eſt defectus occultos de lege charitatis celandos publicare & proponere, ſub intentione famam delẽdi. Tertius modus, qui eſt peſſimus, eſt falſa crimina confingere & innocentibus imponere. Hos dẽtes iubet nos deponere beatus Petrus dicens. *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & detractiones, lac concupiſcite.* Et certè facilè & appoſitè ſuadet Apoſtolus lac concupiſcere & detractiones fugere; quia lac dicit verba ſuauia & charitatiua.

3. vitium detractio.

Dan.7.

Detrahẽdi modi tres.

1.

2.

3.

1.Pet.2.

Dicunt naturales, quod pſittacus poſſit doceri ad loquendum, ſed tamen nihil aliud naturaliter nouit loqui, niſi verba ſalutatiua. Vnde legitur, quod cum Carolus rex Franciæ erraret in deſertis, pſittaci eum ſalutauerint dicẽtes. Chære Cæſar onicos. Vnde Martial.

Pſittacus à vobis aliorum nomina diſcam;
Hoc didici per me dicere, Cæſar aue. Eſt .n. naturale officium linguæ amicabilia loqui, & per conſequens innaturale eſt detrahere. Quare nobis contra iſtud vitium triplex remedium eſt adhibendum: primo ne detractionem faciamus; ſecundo, nè libenter audiamus; tertio, ne eam puſillanimiter timeamus. De primo Iacobus ait; *Nolite detrahere alterutrum fratres.* Huius ratio eſt, quia detractor ſimilis eſt ſepulcro fœtido, de quo exit putridus & fœtidus aer & venenoſus. Vnde in pſalmo; *Sepulchrum patens eſt guttur eorum; linguis ſuis doloſe agebant; venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Paret autem, quod hoc ſit valdè abominabile, quia vt Bernard. dicit, detractor primũ oſtendit ſe vacuum eſſe charitate, & charitatem in alijs extinguit; quod eſt officium diaboli. Similis eſt detractor cuidam regi Græcorum, qui dicebatur Cadmus, qui ſecundum Ouidiũ, ſeminauit in terra dentes ſerpentinos, ex quibus ſurrexerunt homines, qui ſe mutuo occiderunt; Ita & detractor non ſeminat niſi peſſimum ſemen, ex quo inter homines oriuntur lites & bella. Vnde dicitur, quod ſeptimum, quod deteſtatur Deus, ſit qui ſeminat diſcordias. Et Ap. ait; *Detractores Deo odibiles.* Ecce detractor ſimilis eſt ſepulchro fœtido & venenato, ſimilis diabolo in officio, & odibilis Deo. Secundo prouidendum eſt nobis, ne detrahentes audiamus, quia Bernard. dicit; Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim. Et certè abominabile loqui cum homine infecto vel fœtidi anhelitus, qualis eſt detractor. iuxta illud: *Abominatio hominum detractor.* Hinc de Aug. legitur, quod voluerit ſurgere à menſa audiens detractorem ſecum ſedentem: vnde & dixit;

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitã;
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Tertio prouidendum eſt, ne detractio- 3.

libr.13. Epigram.

Detractionis remedium triplex.

1.

Iacob.4.

pſal.13.

Bern. ſer. 23. ſuper Cant.

Ouid.3. Metam.

Prou.6.

Rom.2.

Serm. 63. ſuper Cãt.

Prou. 24.

Auguſt.

nem puſillanimiter timeamus: multi enim per verba detractorum à bono propoſito retardantur, quod tamen eſt fatuum, quia potius detractiones hominum deſpiciẽdo & contemnendo ſuperamus; Boëtius primo de conſola. proſa. 3. & Seneca de copia verborum. Veruntamen aduertendum eſt illud, quod dicit Gregor. ſuper Ezech. hom. 9. Sicut noſtro ſtudio non debemus alios excitare, ne ipſi peccent; ita per ſui malitiã excitatos debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum creſcat; aliquando autẽ compeſcere, ne dum mala de nobis diſſeminant, eorum qui audire nos ad bona opera poterant, corda innocentum corrumpant. Hæc ille, Quaſi dicat, quod interdũ etiam talibus ſit obuiandum, ne alij ex eorum verbis ſcandalizentur. Nam ſicut di-

Rom. 12. citur in Gloſſ. *Nobis neceſſaria eſt conſcientia noſtra, ſed proximis noſtris fama noſtra.* Hinc concludit Aug quod qui negligit famam, crudelis eſt. Et quidam philoſophus legitur dixiſſe; Qui famam perdit, non habet amplius, quod perdat. Caueamus igitur à

Sap. 1. detractione, ab inuidia, a murmuratione contra Deum & proximum.

II.

Chriſtus in Euangelio præſenti tres virtutes oſtendit; patientiam, prudentiam & benignitatem. Patientiam, quod cum poſſet vlciſci aduerſarios ſuos, patienter tamẽ iniuriam ſuſtinuit, nullam vindictam de eis expetendo. Patiẽtia enim, ſecundũ Greg.

Hom. 7. ſuper Ezech. vera eſt, quæ & ipſum amat, quem portat; quia toleraſſe & odiſſe, non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris. Hæc

Patientia Chriſti. ille. Chriſtus autem ita patienter tulit iniurias phariſæorum, vt ipſos quoque diligeret, & pro eis oraret. Et quomodo non orauit pro phariſæis, qui pro crucifixoribus exorauit? *Ignoſce illis*, inquit, *pater quia*

Aug. li. ad Probam viduam. Li. de nugis philoſophorũ. *neſciunt quid faciunt.* Hinc Aug. Perfacilè eſt, inquit, veſtem contemptam habere, inclinato capite incedere, velum ſuper oculos dimittere; ſed verum humilem patiẽtia oſtendit iniuriæ. Legitur de Alexandro ꝙ cum Antigonus miles ei dixiſſet, Aetati tuę iam regnare non conuenit, q. d. Indignus es regno ratione ætatis & voluptatis, ipſe hoc patientiſſimè tulerit. Idem narrat in eodẽ libro de patientia Iulij Cæſaris, qui cũ grauiter ferret caluitium, audiens ſibi dici à quodam milite, Facilius eſt te Cæſar caluũ non eſſe, quam me in Romano exercitu timidum fuiſſe, id ipſum patienter tulit. Et idem Cæſar legitur in codice ſic ſtatuiſſe; Si quis nomina noſtra crediderit vel maledicto laceſcenda, eum nolumus pœnæ ſubijcere; quoniam ſi ex leuitate proceſſit, cõtemnendum eſt, ſi ex inſania, miſerandum, id eſt, miſeratione dignum; ſi ab inuidia, remittendum. Sic & Chriſtus fecit, & multo amplius, qui per patientiam interdũ iniuriam inimicorum contempſit; interdum miſertus eſt illis; interdum remiſit eiſdem: vnde de eo ſcriptum eſt in Pſalmo; *Ego tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* *Pſal. 37.*

Secundo habuit Chriſtus prudentiam erga inimicos ſuos in eo, quod eis conuenientia dederit reſponſa, ſicut patet hic de *Prudentiã Chriſti.* drachma & oue, per quæ probat ſe iuſte & legitime conuerſari cum peccatoribus, cũ propter eos lucrandos veniſſet, vt ſicut mulier perditam drachmam, & paſtor ouem quærens non meretur argui, ſed commendari; ita quoque ipſe conuerſans peccatoribus merito deberet excuſari: Iſta eſt vera prudentia, quam philoſophus vocat ſolertiam, quæ eſt promptitudo inueniendi medium, vel aliquam certam rationem *Ariſtot. 1. poſteriorum.* ſubito, & excuſationem probabilem in nõ proſpecto tempore; qualem prudentiam multi leguntur habuiſſe antiquorum. Refert Seneca lib. 3. de irâ, quod cum legati Athenienſium veniſſent ad regem Philippum, ipſe eorum legatione benigniter audita feratur dixiſſe; Dicite mihi, quid poſſim, quod ſit gratum Athenienſibus. Cui reſpondit Democrates vnus ex legatis; Te, inquit, ſuſpendere, ſcilicet eſſet gratum Atheniẽſ. Quo reſpõſo cũ circũſtãtes eſsẽt indignati, & vellẽt in illũ irruere; iuſſit rex illũ columẽ dimittere dicẽs cęteris legatis. Nũciate Atheniẽſ., multo ſuperbiores eſſe, qui illicita ita dicunt, q̃ qui ea impune audiunt. q. d. Dicite Athenienſibus, quod ipſi iam altius ſuſpenſi ſint per ſuperbiam mẽtis, ex quo nobis ita nunciant, quam nos, qui ita humiliter reſpondemus. Ecce prudentia in reſponſis. Conſimile idem narrat de Diogene, cui cum Lentulus attracta pingui ſaliua inſpuiſſet in frontem, quantum poterat, exterſit dicens; Affirmabo, inquit,

omnibus ô Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Idem fertur alteri adoleſcenti ſpuenti in eum reſpondiſſe; Non iraſcor, ſed dubito an iraſci oporteat? De Auguſto etiam Cæſare legitur, quod, cum Tiberius ei loqueretur & diceret, quod multi de eo male loquerentur, reſponderit; Nolumus indignari, ſi de te quiſquam malè loquatur; ſatis eſt, ſi hoc habueris, nè quis nobis malè facere poſſit. Ecce prudens reſponſio ad iniurias, quam Christus legitur inimicis ſuis dediſſe patienter per modum iuſtæ repræhenſionis.

l. de nugis philoſophorum.

Benignitas Chriſti

Tertio Chriſtus habuit benignitatem per modum piæ miſerationis. Vere magna benignitas recipere peccatores ad ſe, & cū eis ita familiariter conuerſari. Conſideremus tria, & inueniemus maximam benignitatem in Chriſto; primo conditiones ſuſcipientis, quia iuſtiſſimus, & nullius egēs; ſecundo conditiones receptorum; quia viliſſimi peccatores, indigni etiam pane, quo veſcerentur; tertio conditiones & modos receptionis, quia celeriter, iugiter, & clementer: nimirum in his omnibus notatur benignitas piæ miſerationis, de qua Apoſt. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Non dicit, maieſtas, ſapiētia, veritas, & æquitas, ſed benignitas. Ratio, quia ſapientia conſiderat culpam iuxta illud; *Ipſe nouit hominum vanitatem*; Maieſtas concitatur ad iram. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt*; & ait; *Abſcondam faciem meam ab eis* Item veritas profert ſententiam. *Veritatem meditabitur guttur meum.* Item æquitas infert vindictam. *Heu conſolabor de hoſtibus meis.* Non eſt ergo peccatori recurſus ad ſapientiam, maieſtatem, veritatem, æquitatem, ſed ad ſolam benignitatem, quæ piè expectat hominem peccatorem ad pœnitentiam. *Peccator centies facit malum, & per patientiam expectatur.* Olim dixit peccator; *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi*; ſed modo Dominus expectat peccatorem. Ecce quanta patientia, prudentia, & benignitas in Chriſto piæ miſerationis, erga peccatores. tantum de ſecundo.

Rom. 2. *Iob. 11.* *Deut. 32.* *Prou. 8.* *Iſa. 1.* *Eccl. 8.* *Pſal. 39.*

III.

In peccatoribus iſtis deuota fuit affectio per modum ſalutiferæ conuerſionis, in eo quod appropinquabant ad Chriſtum. Eſt autem ſciendum, quod anima peccatoris elongatur à Deo per peccatum, iuxta illud. *Quid inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis, quia elongauerunt ſe à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt.* Et quid de talibus dicitur in Pſal. *Longe à peccatoribus ſalus.* Et. *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt.* Cum ergo anima dimiſſo diabolo, cui ſeruiuit, de ſiliquis porcorum in regione longinqua redierit; ſtatim appropinquat ad Chriſtum, ea tamen intentione, vt audiat illum, id eſt, vt ei obediat in omnibus. Vnde Eccleſiaſt 4. *Cuſtodi pedem tuū ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias.* Iſta appropinquatio non fit pedibus corporis, ſed affectibus mentis, vt ait Auguſt. Appropinquamus Deo non ambulando, ſed amando, iter ad Deum non pedibus, ſed moribus. Ideo ipſe clamat apud Eccl. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me.* Sed certè non poteſt quis appropinquare Chriſto, niſi prius recedat à carne, mundo, & diabolo. Iſa. 28. *Quem docebit ſcientiam? &c. Ablactatos à lacte*, ſcilicet carnalis voluptatis. Non ſufficit enim appropinquare Deo qualitercunque, ſed eo fine, vt audiat eum peccator: debet enim peccator libentiſſimè audire omnia præcepta ſalutis, omnia conſilia, omnia etiam dura in pœnitentia ſibi iniuncta per confeſſorem. Hinc dicitur hic; *Erant appropinquātes, vt audirēt.* Et: *Omnis populus ſuſpenſus erat audiens illum.* Exemplo ergò iſtorum & nos audiamus Chriſtum, & primo bona nobis inſpirantem; Pſalm. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; ſecundò in alijs prædicantem. *Qui vos audit, me audit.* In pauperibus clamantem. *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare.* Taliter appropinquans Deo merebitur multa bona: primò gratiæ recuperationem, iuxta illud; *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* ſecundò internæ lætitiæ delectationē. Pſ. *Hymnus omnib. ſanctis eius filijs Iſrael populo appropinquanti ſibi.* tertiò mentis illuminationē; dicit de cæco, qui cū appropinquauit ad Chriſtū, illuminauit eū. Vnde in pſ. *Accedite ad eū, & illuminamini*, ſ. per gratiā hic, & in futura luce per gloriā. Quam nobis concedere dignetur. Amen.

Ierem. 2. *Pſal. 118.* *Pſal. 72.* *Luc. 15.* *Epiſt. 33.* *Eccl. 24.* *Luc. 15.* *Pſal. 84.* *Luc. 10.* *Matt. 25.* *Pſal. 14.* *Pſal. 33.*

DOMI-

DOMINICA TERTIA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: Lucæ 15.

Gen. 1.

LIcet homo pro beneficio ſuæ creationis multum debeat diligere Deum, eò quod omnia propter eum fecerit; tamē pro beneficio recreationis ſuæ plus debet eum diligere, quia ipſum non ita recreauit, vt alia omnia, ſed multo benignius; quia fecit eum talem poſt recreationem & redemptionem, vt ſi laberetur in peccatū, poſſet ſanari per pœnitentiæ ſacramentū.

Recreationis beneficium maximū.

Vnde Sap. *Sanabiles fecit nationes orbis terrarum*, id eſt; homin. s habitantes in orbe terrarum, vel qui naſcūtur de terra; Et hoc eſt ſpeciale beneficium ſolis hominibus collatum: Angeli. n. inſanabiliter peccauerunt; nam ſecundum Damaſcenum quod angelis caſus, hominibus eſt mors; & per cōſequens ſicut homo poſt mortem eſt inſanabilis per naturam, ita angeli poſt caſū.

Damaſc. l. 2. ca. 3.

Sed homini eſt hoc collatum vt licet multotiens infirmetur per peccatum, tamē ſanabilis ſit circa mortem, & hoc per pœnitentiæ ſacramentum. Ideo Pſalmiſta inuitans animam dicit; *Benedic anima mea Domino.* Et ſequitur. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*, quaſi dicat. Non fecit taliter omni nationi, aliarum ſcilicet creaturarum.

Pſal. 102.

Ex quibus patet, quod libenter homo debeat agere pœnitentiam, tanquam ſuæ infirmitatis ſanatiuam, & curatiuam medicinam, idq; maximè ex quo habet loci opportunitatem, iuxta illud Iob. 24. *Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ.* Habet etiā Dei benignitatem ſibi multum propiciam, iuxta illud. *Benignitas Dei ad veniam te adducit.* Super omnia autem maximè debet homo moueri in præſenti ad pœnitentiam agendam propter immenſitatem periculi, iuxta illud. *Niſi pœnitentiam egeritis*, ſcilicet in prēſenti, *omnes ſimul peribitis.*

Rom. 2.

Luc. 13.

Et propter vtilitatem commodi, quod eſt præmium regni cælorum, *Pœnitentiam agite, & appropinquabit vobis regnum cœlorum.* Vnde Aug. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ. Qui, inquit, per pœnitentiā peccata diluit, angelicæ fælicitatis cōſors in æternū erit. Ecce regnum cælorum.

Matt. 4.

Inſuper debet homo moueri ad pœnitentiam in præſenti agendam propter ſpiritualem conſolationem angelorum cœleſtium, quia ſicut angelis infernalibus eſt magnum gaudium de hominibús agentibus pœnitentiam in inferno; ita è conuerſo maximum eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiā agente in præſenti vita, vt teſtantur verba thematis In quibus verbis hominis pœnitentia multum redditur commendabilis ex tribus, quæ hominem debent mouere ad eam faciendam: ſi enim conſideremus pœnitentiæ incitamenta & pœnitentiæ emolumenta, certè ſufficienter moueri poterimus, vt eam citius faciamus & peragamus.

Propoſit.

I.

Pœnitentiæ incitamenta ſunt quatuor, propter quæ moueri debemus, vt eam quam citiſſime peragamus; ſcilicet amor Chriſti, quem offendimus; dolor pro gratia, quam amiſimus; horror pœnæ, quā incurrimus; & timor mortis; ad quam decurrimus. Inter hæc quatuor primum incitamentum ad pœnitendum eſt amor Chriſti; quem offendimus; quia ſi Chriſti beneficia cogitemus, & noſtrā ingratitudinem ponderemus, non eſt dubium, quin, ſi vſum rationis habeamus, occaſionem pœnitentiæ ſentiemus. Scribūt naturales Hiſtorici quod

Ad pœnitentiam incitāt 4.

1 Amor Chriſti.

quod Harpya, auis habẽs faciem quaſi hominis, auis ſit multum crudelis & ferox, in tantum, vt aliquando famæ ſtimulata hominem inuadat & occidat. Hæc, vt aiũt, ſitiens ad aquam volat, vt bibat, vbi faciem ſuam intuens, & ſimilẽ ſe occidiſſe recolens, tanto dolore compatitur vt exindè quandoq; moriatur. Sic & nos recolentes in prædicatione, quaſi in ſpeculo vel in aqua pura conſpicientes, quia Chriſtum, quantum in nobis eſt, crucifiximus & occidimus per peccatum, iuxta illud; *Rurſum crucifigentes filium Dei in vobiſmetipſis*; debemus compati & pœnitentiam agere. Secundum incitamentum pœnitentiæ eſt dolor pro gratia, quam amiſimus: quia efficimur per culpam de filijs Dei filij diaboli, & de familiaribus & amicis Chriſti, hoſtes, proditores & æmuli; & de regni cœleſtis hæredibus ſumus exules & proſcripti. Dicitur in lib. de naturis rerum; quod aui cuidam, (quæ auis paradiſi, propter inſignem pulchritudinem dicta; eſt enim pulcra & amabilis, adeò vt nullus color ei deeſſe credatur;) vox ſit ita dulcis, & pia, vt poſſit in homine deuotionẽ & gaudium excitare. Hæc auis, ſi capta fuerit & illaqueata, irremediabiliter plangit, nec vnquam plangere deſinit, donec reddita fuerit libertati. Moraliter, auis iſta ſignificat animam humanam, quæ quando eſt in gratia, eſt pulcherrima, quia in ea relucet imago ſanctæ Trinitatis naturaliter illi impreſſa, naturaliter decorata virtutibus, & gratia, & nihil ipſi deeſt; quin & Dei filia & patriæ cœleſtis incola eſt gratioſa. Sed iſta auis illaqueatur laqueo peccatorum; quid ergo reſtat illi, niſi dolere & flere, vſquequo ad gratiam reducatur, & de bufone diaboli fiat iterum auis paradiſi. Sic ingemebat Dauid poſt peccatum, de quo in pſalm. *Et gemitus meus à te non eſt abſconditus*; ſic Magdalena; & alij multi, donec in gratiam ſunt reſtituti. Tertium incitamentum pœnitentiæ eſt horror pœnę, quam incurrimus. Iſtum horrorem impreſſerat ſibi Iob, quando dixit; *Dimitte me Domine &c. vt plangam paululum dolorem meum &c.* Et ſequitur: *Sed ſempiternus horror inhabitat:* Et Apoſtolus ait: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Verè horrendum, quia inquit S. Gregor. *Horrendo modo, fit mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia & mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit; & deficere defectus neſcit; mors perimit & non extinguit; dolor cruciat, ſed pauorem non fugat; flamma comburit, ſed tenebras non excutit.* Hæc Gregor. Taliter fuerunt incitati illi ad pænitentiam; quibus dixit Iohannes Baptiſt. *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Vbi dicit Lyra: quod tales fuerunt incitati ad agendum pœnitentiam metu pœnæ æternæ eis comminatæ. Quartum incitamentum pœnitentiæ eſt timor mortis, ad quam tranſcurrimus: hæc enim eſt ratio ſecundum Grego. quare diem mortis noſtræ nobis incertum eſſe voluit Deus, vt dum ſemper ignoratur, ſemper proxima eſſe credatur; Et ideò ſemper parati inueniamur. Vult ergo Dominus, vt ante mortem agamus pœnitentiam, quia in fine vitæ pœnitentia ſera raro vera, vt dicit Auguſt. Vnde ſi vis agere pœnitentiam in morte, quando peccata te dimiſerunt, & quando peccare non potes; non tu dimiſiſti peccata, ſed peccata te; tũc pœnitentia periculoſa eſt & dubia. Ratio: quia tunc homo habet infinita impedimenta: primò enim, ſi ſentit ſe grauari ad mortem, & ponit executores teſtamenti ſui, cum illis habet maximam occupationem; quia & hic conſiderandum, quid dandum ſit amicis, quid famulis, quid reſtituendum malè ablatis, quid faciendum pro ſepultura, quid pro Eccleſia. Eſt etiam ibi ſecundò impedimentum à medicis, qui celant diem & horam mortis, promittentes vitam longiorem & ſanitatis reſtitutionẽ, ita vt quandoque moriatur pauper homo inſperatè & inopinatè, etiam ſine procuratione ſacramentorum, quæ ſtulti medici prohibent, ne terreatur infirmus, cũ tamẽ medicina animę debeat præcedere medicinam corporalem. Tertiò fit impedimentum per vxorem, amicos, & filios conſolantes infirmum, etiam contra conſcientiam mentientes, & ſic miſer non permittitur de peccatis ſuis cogitare, & ſi interdum eiuſmodi doleat de peccatis; tamen ex quo impeditur dolore infirmitatis, & ti-

Hebr. 6. — *2. Dolor propter amiſſam gratiam.* — *Pſal. 37.* — *3. Horror pœnæ.* — *Iob 10.* — *Hebr. 10.* — *Greg. li. 9. moral.* — *Matt. 3.* — *4. Timor mortis.* — *Greg l. 12. moral.* — *Augu. ſer. 25.*

& timore mortis, dubium eſt an ſit dolor pro culpa, vel pro infirmitate. cum tunc cor ſit occupatum dolore & anxietate infirmitatis corporalis. Hinc eſt, quod dicit Auguſtinus, quod talis, quem morbus vrget, & peccata tenent, ad veram vix veniet ſatisfactionem. Nec mirum; quomodo enim tunc poteſt homo debitè confiteri cū circumſtantijs peccatorum ad plenum; cū tunc nō poſſit deliberare & peccata in memoriam reducere; cum tamen deliberatio neceſſaria ſit ante cōfeſſionem, iuxta illud;
Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos.* Et pſalm.
Pſal. 31. *Dixi confitebor aduerſum me.* Gloſſa Innoc. id eſt, prius deliberaui apud me, hoc ſcilic. quod confitebor. Quomodo ergo deliberabit ſufficienter in vna hora infirmus, cui vix ſuffeciſſet deliberare vna ſeptimana? Ea propter quilibet diſponat ſe ante mortem, & expediat pœnitentiam ſuam, vt ſecurus expectet mortem. Narrat Vincent. in ſpeculo naturali de quodam piſce marino, qui dicitur centipes, à multitudine pedū; quod hic piſcis, dum hamum piſcatorum ſentit ſuis viſceribus inhęrere timore mortis imminentis viſcera propria quadam induſtria naturali effundat & hamum euomat, & viſcera ſua reſumit, & ſic mortem euadat. Sic & nos ſentientes nobis mortem imminere, de die in diem non expectemus horā mortis, ſed eijciamus hamū mortis, id eſt, peccatum de viſceribus noſtris per confeſſionē. De hamo iſto dicit Eccl. *Sicut capiuntur piſces hamo, & aues laqueo, ſic comprehendūtur homines in tempore malo.* Eijciamus ergo iſtum hamum per os, iuxta illud pſalm. *Effundite coram illo corda veſtra,* cor lotum & album per pœnitentiam reſumamus. tātum de primo.

II.

Impedimēta pœnitētia 4. Pœnitentiæ impedimenta ſunt 4. quæ mouere nos poſſunt; vt eam quantò citius faciamus & peragamus. Sunt autem hęc, ſc.
Pudor pro palandi. pudor propalandi, timor recidiuandi, ardor delectandi, torpor præſtolandi. Primò igitur volenti pœnitere obijcit ſe pudor propalandi quo homo confunditur alteri reuelare illud, quod ſolum notum eſt Deo, [...]lis ac dęmonibus. Iſte pudor primus eſt armiger, quem diabolus mittit contra volentem ſalubriter pœnitere. Vnde quidā Sanctus vidit diabolum inter pœnitentes incedere, & facientem eos erubeſcere in Eccleſia, dum ſe ad confeſſionem præpararent; qui adiuratus à Sancto, & interrogatus, quid inter pœnitentes faceret, reſpondit; Reddo, quod abſtuli; Verecundiā eis abſtuli, quando peccauerunt; hanc modo eis reſtituo, nè poſſint confiteri. Sicut enim lupus ouem per guttur accipit, & non per pedem, ſicut & vulpis gallinam; ita diabolus hominem ſemper per verecundiam ſtrangulat. Vnde Auguſtinus ſuper Pſal- *Auguſt.*
miſtam. O homo quid times confiteri? Illud quod per confeſſionem ſcio, minus ſcio, quam illud quod neſcio. Cur confiteri erubeſcis peccata tua peccatori homini? &c. Secundum impedimentum eſt timor ſatisfaciendi & recidiuandi. Timet enim *2. Timor ſatisfaciēni & recidiuandi.*
homo onus pœnitentiæ aſſumere, ne ſuccumbat ſub eo: fingit enim ſe debilem vel infirmum ad ſatisfaciendum pro peccatis. Narrat Ambroſ. in Hexameron de operib. ſextæ diei, quod Elephas ſit tantæ fortitudinis, vt ſufficiat turrim ligneā cum multis *Fortitudo Elephātis*
armatis portare; tantæ audaciæ vt nullo clypeorum retardatur obiectu, nec aliqua militum conſtipatione terreatur; mirabiliter tamen timeat murem. Eodē modo cōparati ſunt homines multi, q ad opera mūdi pro lucro vel negotio ſęculi inueniuntur fortiſſimi, ieiunant, vigilant, tranſeunt maria, fatigantur infatigabiles; ſed ad faciendam modicam pœnitentiam pro peccatis ſuis timent; iuxta illud. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Alij verò timentes *Pſal. 13.*
recidiuum peccati eiuſdem nolunt pœnitere, quia dicit diabolus in corde ipſorum. Ad quid vis pœnitentiam agere, cum non poſſis te continere perpetuo à tali peccato ſed forte cras iterum perpetrabis ſimile? melius ergo dimittas adhuc, ne inutiliter pœnitentiam agas. Sed verè fatuus eſt ſic *Matt. 18.*
cogitans, quia ſcriptum eſt. *Septies in die cadet iuſtus, & toties reſurgit.* Et Dominus dedit Petro poteſtatē & eius ſucceſſoribus, non ſolum ſepties in die, ſed ſeptuagies ſepties idem remittendi. Tertium impedimentum eſt ardor delectandi, qui dicit *3. Ardor deteſtādi* homini; Recollige delectationem prohibitam

tam in tali facto; & videbis, quod ſine ea non poteris ducere vitam, nec dignè pœnitere ſtante tali affectione; & ideo expectes, donec te ceſſet talis affectio, & delectatio. Sed ſanè eiuſmodi fatuus eſt, cum non per additionē lignorum, ſed per ſubtractionem ignis ſit extinguendus, eodem modo & delectationes tales, non per moroſam in eis ſtationem, ſed per aſperam pœnitentiam & ſubtractionem occaſionum inducentium ad eas, ſunt extinguendę, iuxta illud Alani.

Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flāmam.

Sic carnis vitiis otia, vina, dapes.

4. *Torpor præſtolādi* Quartum impedimentum eſt torpor præſtolandi, qui oritur ex duplici præſūptione, ſcilicet ex præſūptione prolixæ vitæ, & veniæ finalis diuinitus concedendæ. Fingunt enim peccatores ſibi annos multos, ſicut ille diues qui dixit animæ ſuæ; *Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos.* Sed audiuit; *Stulte hac nocte morieris.* Dicunt etiam, Deus eſt propitius & miſericors; quacunque hora ingemuero, omnium iniquitatum mearum non recordabitur. Sed neſciunt miſeri, quia etiam eſt iuſtus, qui etſi veniam promiſit, diem tamen craſtinam non promiſit; & ita paratus eſt quotidiè punire peccata, ſicut quotidiè eadem verè pœnitenti dimittere non grauatur. Hinc eſt quod Eccl. dicit. *Nè tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Sed vnde prouenit iſta dilatio ſeu procraſtinatio in homine? Reſpōdeo quod ex hoc, quia peccator habet oculum conuerſum tantum ad læta & proſpera, cū potius deberet habere ad triſtia. Vnde dicitur apud Sophoniam, quod Dominus non ingrediatur in domum, vbi eſt habitatio Onocrotali, & Erinacij, & vbi eſt vox cantātis in feneſtra, & coruus in ſuperliminari; per quæ deſignatur ſtatus peccatoris, qui ſicut onocrotalus crocitat, & ſicut coruus procraſtinat, & ſicut erinacius inter poma voluitur. Sed heu miſeri decipiuntur per vocem coruinam, longam vitam promittentem, quia & Dominus, licet promiſerat peccatoribus tempore Noe centum viginti annos ad agendum pœnitentiam, tamen illud tempus abbreuiauit, & diluuio omnes conſumpſit, dum dixit. *Non permanebit ſpiritus meus in homine centum viginti annos*, ſcilicet quos promiſi eis pro agenda pœnitentia, ſed citius eos delebo. Hinc Eccleſiaſt. 29. *Promiſſio nequiſſima multos decipit, & perdit.* Notanter dicit, *Nequiſſima*, quia promiſſio nequam eſt, quia vſurpat ſibi de futuro tempore definitionem, quam Dominus ſolum ſibi reſeruauit, vt dicitur Actorum primo. *Non eſt veſtrum noſſe tempora &c.* Sed nequior eſt, qui præſumit Deum ſibi daturum vlterius & diutius tempus ad peccandum: nequiſſimus verò is, qui non ſolum non dolet de hoc quod inutiliter expenderit tempus, ſed adhuc diſponit in animo in contumeliam ſui creatoris expendere reſiduitatem temporis.

Luc. 12. | Ezech. 18 | Eccl. 5. | Sophon 2. | Eccl. 29. | Acto. 1.

I I I.

Ad pœnitentiam faciendam ſufficienter nos mouent ipſius emolumenta quatuor. Nam per ipſam Chriſtum nobis reconciliamus, animas reformamus, dæmones confutamus, & angelos lætificamus. Primò per pœnitentiam Chriſtum nobis reconciliamus, iuxta Hierem. dicentem. *Si pœnitentiam egerit gens iſta à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam; agam & ego pœnitentiam ſuper malo; quod cogitaui, vt facerem ei.* Ecce mirabilis modus reconciliationis tanti Domini, qui vult quaſi ad paria iudicari cum homine ſeruo ſuo: vnde ad modum hominis loquitur de ſeipſo; ſi homo vult pœnitere; & ipſe vult pœnitere, hoc eſt ad modum pænitentis ſe habere. Sic & nobiles temporales pulchrum vindictæ genus reputauerunt ignoſcere, & noxijs & pœnitentibus concedere veniam poſt reatum. Secundò per pœnitentiam nos reformamus. Sic enim docet Boetius de conſol. phil. homo ſecundum varia vitia, quibus indulget in naturam beſtiarum transformatur; ſicut inquietus in lingua cōparatur cani; inſidiatur callid[us] vulpi, accedioſus aſino, & ſic de alijs. Ratio hui[us] eſt, quia homo eſt ſicut cera mollis.

Vtilitates pœnit. 4. | *1. Chriſti recōciliatio.* | *Ierem. 18.* | *2. Noſtra reformatio.*

Homo ceræ ſimilis. mollis. Cera enim calefacta & mollificata recipit effigiem illius rei, cui applicatur: vnde ſi applicetur ſigillo, cui impreſſa eſt figura leonis, induet effigiem leonis: & ſi applicetur ſigillo, cui inſculpta eſt forma lupi, vel vulpis, cera ſimilē induet formā. Eodem modo & anima noſtra induit effigiem rerum, quibus ſe applicat per amorem, & in illa ſe transformat. Vnde Hugo de arrha animę dicit; ea eſt vis amoris vt talem neceſſe ſit eſſe, quale eſt illud, quod amat; & cui per affectum coniungitur, in ipſius ſimilitudinem dilectionis ſocietate transformatur. *Hugo.* De hoc habetur figura de Nabuchodonoſor, qui propter culpam ſuam ab hominibus eſt eiectus, & fœnum vt bos comedit; ſed poſteà recuperauit pænitens, quod amiſit peccans. *Dan. 4.* Tertium emolumentum pœnitentiæ eſt, quod per eam dæmones confutemus, vehementer enim confundūtur, quando eorū prodimus conſilium, quando eorum euadimus carcerem, & à ſuis principibus grauius affliguntur; ſicut cuſtos carceris pro euaſione latronum punitur. *3. Dæmonum confuſio.* Valde ergò agitantur inuidia, quando vident nos eis prius ſimiles deformatos per peccatum, iterum per ſacramentum pœnitentiæ reſtitutos; quod nullo modo eis conceditur. Vnde de hominibus ſingulariter dicit Petrus. *Non tardat Dominus promiſſionem, ſed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, ſed ad pœnitentiam reuerti. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* *2. Pet. 3.* *Actor. 3.*

4. Angelorum lætificatio. Quartò per pœnitentiam angelos lætificamus. Vnde dicitur hic; *Gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Legitur, quod Salomon fecerit in propitiatorio templi angelos: de quibus ibi quattuor legimus; *3. Reg. 6.* Fuerunt enim illæ imagines de lignis oliuarum; ſecundò habebant alas extenſas; tertiò habebant pedes obliquos & erectos, quaſi ad ambulandum paratos; quartò aduerſis vultibus mutuò ſe reſpiciebant. Primò fuerunt iſti angeli Salomonis de lignis oliuarum: Antiquitus fuerunt ferrei propter incompaſſionem & duritiam; quia hominibus non compatiebantur: nunc autem de lignis oliuarum, quia miſericordes & pij: prius habebant alas demiſſas quia quaſi inuitè & cum difficultate ad homines veniebant, ſed modo ad nos citò veniunt, & ideò alas extenſas habent: olim laudabant Deum ſoli, ſed modo in laudando hominibus ſe aſſociant: olim naturam noſtram quaſi infirmam deſpiciebant: modò videntes ipſam in Chriſto exaltatam, in ſtuporem & admirationem conuertuntur; vnde ſe mutuò dicuntur reſpicere, quaſi de naturæ innouatione ſpiritualiter admirentur. Gaudent ergo angeli de pœnitentia hominum, quia per eam innouatur natura deſtructa. Et nota quod dicit, *Super vno peccatore pœnitentiam agente*; non dicit pœnitentia cogitante, quæ eſt pœnitentia procraſtinantium; nec dicit, pœnitentiam docente, & non faciente, quæ pœnitentia eſt peruerſorum prædicatorum: nec dicit, pœnitentiam oſtendente, quæ eſt pœnitentia hypocritarum & ſimulatorum: Sed dicit pœnitentiam agente, quæ eſt pœnitentia deuotorum.

Pro huius declaratione ſciendū, quod pœnitentia conuerſi peccatoris lætificat Dominum, angelos, & cæteras creaturas. Primò quidem lætificat Deum: amplius enim lætatur Deus de anima deſperata, & aliquando conuerſa, quam de ea, quæ nunquam extitit perdita: ſic patet de prodigo filio, de cuius regreſſu magnum fit gaudium. *Pœnitētia lætificat Deum.* *Iſid. l. 2. de ſum. bon. cap. 15.* *Luc. 15.* Nam copioſius fit gaudium de eo, qui à periculo liberatur, quam de eo, qui nunquam nouit periculum. Quantò enim magis res perdita contriſtat, tantò magis ſi fuerit inuenta, lætificat; ſicut in Euangelio pręſenti paſtor exultat, qui perdidit ouem, & inuentam in humeris ſuis portat. Gregorius in homil. dicit; Maius de peccatoribus conuerſis, quam de centum ſtantibus iuſtis in cœlo fit gaudium, *Gregor.* quia plerumque hi, qui nullis ſe oppreſſos peccatorum molibus ſciunt, ſtant quidem in via iuſtitiæ; ſed tamen ad cœleſtem patriam anxiè non anhelant, & plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, & ſecuri ſibi ſunt, quia nulla commiſerunt mala grauiora; At contra nonnunquam hi, qui ſe aliqua illicita egiſſe meminerint, ex ipſo ſuo dolore compuncti ad amo-

amorem Dei inardeſcunt; & quia à Deo erraſſe ſe conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant. Fit igitur maius gaudium in cœlo; quia & dux in prælio plus illum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortius premit, quam eum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sic & agricola amplius terram illam diligit, quæ poſt ſpinas vberes fruges profert, quã eam, quæ nunquam ſpinas protulit, & nunquam fertilem meſſem dedit. Hæc Gregorius. Sed dices; hoc eſt mirabile, quod Deus plus diligit pœnitentem quam innocentem, cum tamen cæteris paribus innocentes deberent plus diligi propter innocentiæ dignitatem, ad quam non poſſunt pœnitentes peruenire. Reſpondeo ſecundum D. Thomam quod pœnitentes & innocentes ſe habent, vt excedentia, & exceſſa; nam ſiue aliqui ſint pœnitentes ſiue innocentes, illi ſimpliciter ſunt meliores & magis dilecti, qui plus habent de gratia, tamen cæteris paribus innocentes plus diliguntur propter dignitatem innocentiæ, vt dictum eſt. Dicitur tamen Deus plus gaudere de pœnitente, quia licet æquale ſit donum pœnitentis & innocentis conſideratum in ſe, tamen per comparationem ad innocentem, maius eſt donum in vno, quam in alio. Sicut quantò magis homo indiget, tanto maius beneficium ei collatum reputatur. Deus ergo dicitur plus gaudere de pœnitente, quia interdum cautiores & humiliores & feruentiores redduntur pœnitentes poſt caſum. Vnde Ambroſius. Fidelior factus eſt Petrus, poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit; atque ideo maiorem gratiam reperit, quam amiſit. Et Beda dicit; quod multis in aliqua flagitia cecidiſſe profuerit, quia poſt caſum pœnitendo erecti vigilantius Domino ſeruire cœperunt. Hinc etiam Gregorius in paſtorali cap. 51. dicit. Sæpè nonnulli ad Dominum poſt carnis peccata redeuntes tanto ardẽtius ſe in bonis operibus exhibent, quanto damnabiliores ſe de malis vident: ſæpè quidem in carnis integritate perdurantes, cum minus in ſe reſpiciunt quod defleant, plene ſibi innocentiam ſufficere putant, atque ad feruorem ſpiritus nullis ſe ardoris ſtimulis inflammant. Et fit plerumq; diuino amore ardens vita plus poſt culpam, quam ſecuritate torpens innocẽtia. Vnde voce redemptoris dicitur; *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hæc Gregorius. Ex his omnibus patet, quod homo poſt lapſum frequenter ſurgit in maiori charitate, ſicut patet de Petro & Maria Magdalena.

3. Sent. di. 32.

Beda ſup. Eſdram.

Luc. 7.

Peccator conuerſus lætificat angelos.

Secundo peccator conuerſus lætificat angelos: ſicut enim dæmonibus eſt magnum tormentum & interminabile ſupplicium bonitas hominis, eo quod non latet dæmones (vnde omnibus modis elaborant ſanctorum incrementum impedire, quia, donec eorum vltimus finis eis aſſocietur, non includuntur, ſed habent poteſtatem tentandi electos;) ita è conuerſo angelis eſt magnum gaudium; quia illis ſe amicum facit, vt dicit Anſelmus in libro de ſimil. cap. 36 Gaudent ergo angeli omnes, ſed ſpecialiter gaudet angelus ille, qui homini pœnitenti deputatus eſt ad cuſtodiã. Quia ſecundum magiſtrum ſent. lib. 2. d. 11. c. 1. Vnicuique homini aſſignati ſunt duo angeli, ſcilicet bonus & malus; quod intelligendum eſt in exitu hominis de vtero materno ſecundum D. Thom. Bonus autem datur ad cuſtodiam, malus ad exercitium. Licet ergo omnes angeli gaudeant de ſalute hominis, ſpecialiter tamen ille, qui eſt deputatus ad cuſtodiam, qui hortatur ad bonum: & ſimiliter malus lætatur inter omnes magis de damnatione impellens ad malum. Quia igitur bonus videt tam glorioſum fructum ſuæ cuſtodiæ in homine pœnitente, ideò ſpecialiter gaudet: ſicut medicus ſpecialiter gaudet, quando videt hominem ſanitati reſtitutum per ſuam curationem; omnes tamen alij angeli gaudent, quia vident ex peccatoribus conuerſis quandoque adimpleri ſuum numerum: & etiam, quia vident ad laudandum Deum tale ſe habere conſortium.

1. part. q. 114. art. 5.

Peccator conuerſus lætificat omnes creaturas.

Tertiò peccator conuerſus lætificat alias creaturas. Bonitas enim hominis pœnitentis non ſolũ angelis, ſed omnibus creaturis eſt vtilis. Secundum Anſelmum vbi ſupra, primo hominibus eſt vtilis, quia quando quis ex vitæ merito ad æternã beatitudinem peruenerit, numerus electorum in-

crementum accipit; qui quanto amplius creuerit, tanto minus æterna retributio expectanda erit; nam cum numerus ſanctorũ completus fuerit, retributio iuſtorũ mox accipienda erit; tũc quidem in corporibus, quam iam habent in animabus. Bonis etiã qui cum Deo ſunt, eſt vtilis, quia eorum numerum ſua pœnitẽtia auget. Et illis, qui ſunt in patria vel qui futuri ſunt, prodeſt, quia locum in illo cœtu bonorum implent, qui nullo modo in fine vacuus poteſt eſſe. Malis etiã vtilis eſt, quia eorũ malitiã excludit, exẽplo ſuæ bonitatis. Soli & lunæ vtilis cæteriſq; creaturis, quia in conſummatione iuſtorum commutabitur in melius, quicquid eſt omnium creaturarũ: Sol enim ſicut propheta dicit, ſeptupliciter lucebit, ſicut lux ſex dierum, & luna ſicut ſol: Aliæ quoq; creaturæ licet ſint pulchræ, mutabuntur in melius, quia eas mutabit Deus in meliorem ſtatum exinde non commutandum. Hoc eſt, quod dicit Apoſtolus; *Scimus quia omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc; ſed & noſipſi primitias habentes ſpiritus intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri,* quando ſcilicet fiet immortale. *Rom. 8.* quaſi diceret; Omnis creatura mortalis expectat glorificationem hominis in corpore & anima, quæ vtriq; non prius fiet, niſi poſt diem iudicij; & quia fiet maximè per pœnitentiam, per quam appropinquat regnum cœlorum; ideo homo pœnitens lætificat omnes creaturas. Nos igitur dilectiſſimi tam propter noſtri conditoris & ſupernorum angelorum, necnon omnium creaturarum gaudium, quam noſtrum cõmodum ad pœnitẽtiam properemus, quatenus per eam gratiam acquirentes tandẽ gloriam conſequamur: ad quam nos perducere dignetur Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

DOMINICA QVARTA POST TRINITATIS.

SERMO I.

Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Luc. 7.

1. Tim. 4. Sanct. Ambroſ. tractãs illud Apoſtoli; *Pietas ad omnia valet*, inquit, Omnis ſumma Chriſtianæ diſciplinæ in miſericordia & pietate conſiſtit. Nec immerito: nam pro omni ſtatu ſuo homo ſemper indiget miſericordia diuina. Sunt autem tres ſtatus hominis; *Miſericordia neceſſaria.* In mundo, quantum ad progreſſum; in extremo, quantum ad egreſſum; in iudicio, quantum ad ſucceſſum; & in quolibet iſtorum indiget homo miſericordia: propter quod quilibet noſtrum multum debet eſſe miſericors, quia miſericordiam Dei conſequi non poteſt, niſi per miſericordiam proximis exhibitam. *In mundo.* De miſericordia in mundo, quantum ad progreſſum, patet per illud Prouer. *Prou. 3.* *Miſericordia & veritas nõ te deſerant; & inuenies gratiam coram Deo & hominibus.* Vnde miſericordes homines, licet in hac vita multas habeant tentationes, tñ ab eis liberantur per miſericordiam, iuxta illud Ambro. vbi ſup. Miſericors etſi lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, nõ tamen finaliter peribit. *2. In extremo vitæ.* Miſericordia eſt neceſſaria in extremo; *Fiducia enim magna erit coram ſummo Deo.* *Tob 4.* Et præmittit. *Quomodo potes, ita eſto miſericors.* Vnde Hieron. ait. *In epiſ. ad Nepotia.* Non memini me legiſſe mala morte mortuum, qui libenter opera miſericordiæ exercuit; habent enim miſericordes multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorũ preces non exaudiri. *3. In iudicio.* Miſericordia vt eſt neceſſaria in iudicio; exprimitur apud Iacobum. *Iacob. 2.* *Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui denegat miſericordiam patienti.* Cum igitur homo tantũ indigeat miſericordia, meritò debet eſſe miſericors, vt miſericordiã cõſequatur.

quatur. Ad miſericordiam verò hominem multa inducunt; primo natura, quia omnia mēbra ſe diligunt, nutriunt, ſeruiunt, adiuuant ſe, cuſtodiunt ſe, protegunt ſe. Item omnis creatura ſuo modo impēdit miſericordiam; terra ſuſtentat, aqua potat, ignis conſumit & calefacit, & ſic de alijs. Secūdò inducit ſcriptura. *Omnia quacūq; vultis, vt faciant homines vobis, &c. Indicabo tibi homo. Miſericordiam volo.* Tertio exēplum de Cornelio, de Euſtachio: itē exēplum Chriſti de adultera; item Iob, Tobiæ, & S. Martini. Idem etiam in gentilibus inuenitur, ſicut in Antiocho, qui audita morte Oniæ pontificis fleuit: Samaritanus miſericordia motus eſt. Item a brutis ad miſericordiam inducimur: nam leo homini genu flectenti corā ſe parcit. Vnde poeta. Parcere proſtratis, &c. Lupa puerum expoſitum à matre non deuorat, ſed lactat: Crocodylus, poſtquam hominem occiderit, ſuper eum plorat: inuēti ſunt equi poſt mortem dominorum non ſumpſiſſe cibum: ſimiliter canes pro dominis bellauerūt. Romæ canis cum domino carcerem intrauit, cui & mortuo panē ad os deportauit, & tādem vt dominum in flumen præcipitatum ſuſtentaret, ipſe in idem ſe deiecit. Elephas homini in deſerto obuiās viam parat, & oſtendit, &, ne terreatur, de via ſecedit. Bellua ſentiens fluctus, paruulos in ventrem recolligit & ab omni læſione cuſtodit; cōtra matres noſtras, quæ filios occidunt. Itē ſupplicia, iuxta illud: *Ite Maledicti.* Et: *Iudicium ſine miſericordia, &c.* Item Iudas, *pro eo, quod non eſt recordatus facere miſericordiam punitus eſt.* Et: *Serue nequam.* Item præmia. *Beati miſericordes, &c.* Et: *Venite benedicti.* Vnde Auguſt ſup. Pſal. 102. Exercete, fratres, miſericordiam: non eſt aliud vinculum charitatis, nō eſt aliud vehiculum, quo perducamur de hac vita ad cęleſtem patriam. Sciens itaq; Filius Dei neminem poſſe conſequi vitam æternam, niſi per miſericordiam, deſcendit de cœlo, vt miſericordiam prædicaret, miſericordiam exhiberet & miſericordiam doceret, quatenus verbo pariter & exemplo homines ad miſericordiam inuitaret: &, nè quiſquam excuſationes prætenderet, dicens ſe neſcire miſericordiam, & modum miſerandi, Patrem cœleſtem nobis proponit in exemplum dicens; *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt.* In quibus verbis Saluator nos inducit ad miſericordiam tripliciter exhibēdam, ſecundum triplicem gradum beneficentiæ proximo impendendæ. Nam tria magna beneficia ſunt neceſſaria hominibus inter ſe benè & meritoriè viuere volentibus: primum conſiſtit in communicatione rerum, & bonorum tam naturæ, quam fortunæ, quam etiam gratiæ, de quo dicitur; *Date, & dabitur vobis.* Secundum conſiſtit in dimiſſione iniuriarū & quo ad hoc dicitur; *Dimittite, & dimittetur vobis.* Tertium conſiſtit in conſeruatione famæ proximorum, & quo ad hoc dicitur; *Nolite iudicare, &c.* Ex quibus patet, quod ſi liberaliter bona noſtra proximis cōmunicauerimus, ſi iniurias eorum, quas in nos committunt, libenter relaxauerimus, & ſi facta eorum piè & benignè iudicauerimus, verè, vt pater cœleſtis, miſericordes erimus.

Margin notes (left column): 2. *Script.* — *Matth.* 7. — *Mich.* 6. — *Matth.* 9. — *Actor.* 10. — *Ioan.* 8. — 3. *Exēpla.* — 2. *Mac.* 4. — *Luc.* 10. — 4. *Bruta.* — 4. *Supplicia.* — *Matt.* 25. — *Iacob.* 2. — *Matth.* 18 — 5. *Premia.* — *Matth.* 5. — *Idē* 25. — *August.* Right column: *Propoſit.*

I.

Volens miſericordiam exhibere proximo in communicādo bona ſua liberaliter, neceſſariò debet ordinatè, & regulariter procedere, ſi præmium & fructum hic & in futuro vult conſequi & obtinere: & ideò circa hoc duo ſunt conſideranda: primo de modo dandi eleemoſynam, ſecundò de præmio dantis. De primo ſciendum quod duodecim requirantur conditiones diligēter obſeruandæ à quolibet faciente eleemoſynam. Primò requiritur vt homo volens dare eleemoſynam proximo, animam ſuam immaculatam & innocentem Deo exhibeat: non enim eſt acceptum apud Deum, vt quis det ſe diabolo, & res ſuas Deo: ſicut fecit Cain, qui dabat decimas Deo, ſed per peccatum fratricidij ſeipſum dedit diabolo. Vnde dicit Gregorius 19. libro Moralium. Qui vult miſereri proximo, neceſſe eſt, vt à ſe miſerendi trahat originem: ſcriptū namque eſt: Eccl. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Et: *Diliges proximū tuū, ſicut teipſū.* Quomodo ergo miſerē-

Conditiones 12. requiſita in faciente eleemoſynam. — 1. *Anima innocentia.*

alteri pius ſit, qui adhuc iniuſtè viuendo eſt impius ſibiipſi. Hinc dicitur per Salo-
Ibid. 14. monem, *Qui ſibi nequam, cui bonus?* Ad exhibendam quippe miſericordiam, vt indigentibus plenè exterius valeat impendi, duo illi neceſſaria congruunt, ſcilicet, homo cui præbeat; & res quæ præbetur: ſed longe incomparabiliter melior eſt homo, quam res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem præbet ſubſtantiam, ſed vitam ſuam à nequitia non cuſtodit, rem ſuam Deo tribuit, & ſe peccato: hoc, quod minus eſt, obtulit auctori, & hoc quod maius eſt, ſeruat iniquitati. Hæc ille. Cui con-
Lib. 3. de ſum. bono cap. 65. cordant Iſidorus dicens; Tunc fructum eleemoſynarum indulgentius quis conſequi dicitur, quando a ſcelere operum deſinitur. Talis non fuit eleemoſyna phari-
Lib. 3. de Euch. ca. 78. ſæorum, qui ſecundum Auguſtinum, prætereuntes charitatem & iudicium decimabant tantum propter eleemoſynas fructus ſuos, & non dabant eleemoſynas à ſeipſis,
Ibid. cap. 79. ſecum prius eleemoſynas facientes. Eleemoſyna ſecundum eundem fallit & decipit
Luc. 11. homines. Sed dices, tamen Saluator dicit.
4. Sent. di. 15. c 9. *Date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis.* Reſpondeo ſecundum Magiſtrum, quod hoc intelligatur de illis, qui ſunt ſine pec-
Eleemoſyna quomodo redimant peccata. cato, qui per eleemoſynas ſatisfaciunt pro peccatis: & ita ceſſantes à peccatis, poſt confeſſionem faciūt eleemoſynas redimēdo peccata, pro quibus erant puniendi in purgatorio. Vnde Saluator ait. *Primò mun-*
Matt. 23. *date, qui intus ſunt*, quaſi dicat. Immundis
Greg. 2. moral. omnia immunda ſunt. Hinc dicit Gregor. Qui ſemper peccare vult, & quaſi ſemper eleemoſynam largiri, fruſtra pretium tribuit, quia non redimit animam ſuam, quā à vitijs non compeſcit. Propter quod idem in paſtorali conſulit dicens; Qui ſua miſericorditer largiuntur, ſollicitè cuſtodire ſtudeant, nè cum commiſſa peccata eleemoſynâ redimunt, adhuc redimenda committant, nè venalem Dei iuſtitiam, vt ſic pro peccatis curent minima tribuere, ac per hoc arbitrētur ſe poſſe impunè peccare: plus eſt namque anima, quam eſca, & corpus pluſquam veſtimētum. Qui ergo eſcam & veſtimentum pauperibus largitur, ſed tamen animæ ſuæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus eſt, iuſtitiæ obtulit, & quod maius eſt, culpæ admiſit: ſua enim dedit Deo, & ſe obtulit diabolo. Hæc ille. Ex quibus infero; quod eleemoſynarum largitio quantumcunque magna, non ſit Deo accepta, ſi fuerit vnico peccato mortali permixta. Hinc Gregor. tractans illud Iob. *Timens Deum & recedens à malo,* Nōnulli, inquit, ſic bona quędam faciunt, vt tamen à quibuſdam malis minimè ſuſpendantur. Vnde poſtquam timens Deum dicitur, & recedens quoque à malo perhibetur: ſcriptum eſt quippe; *De-* *Pſal. 36.*
clina à malo & fac bonum. Neque enim vota Deo accepta ſunt, quæ ante eius oculos malorum admixtione maculantur.

Sed dices; Quoniam talis eleemoſyna Deo non eſt accepta, quæ fit in mortali peccato; igitur non eſt facienda: quod tamen eſt contra Auguſtinum in lib. de pœn. qui conſulit conſtitutis in peccato etiam *Eleemoſyna in mortali facta ad quid proſint.*
mortali facere opera miſericordiæ & alia. Reſpondeo, licet talibus non proſit eleemoſyna huiuſmodi ad æternum præmium, prodeſt tamē ad alia benè, ſcilicet vt Deus multiplicet tali homini temporalia; ſecun- *Act. 8.*
dò, vt illuſtret cor eius ad pœnitentiam; tertiò, vt citius conuertatur, vt patet de Cornelio, qui propter hoc, quod erat eleemoſynis intentus, ad fidem citius fuit diuinitus vocatus. Quartò valet eadem ad aſſuefactionem bonorum operum; quintò quia diabolus non habet tantam poteſtatem in eo, ſicut in alio peccatore.

Secundò ad fructuoſam eleemoſynarū *2. Dandū de ſubſtantia propria.*
largitionem requiritur, vt homo det de ſua ſubſtantia, non de aliena. *Honora do-* *Prou. 3.*
minum de tua ſubſtantia. Eſt contra multos, qui de vſuris & rapinis, & alijs malè acquiſitis, quæ reſtituere iure tenentur, faciunt eleemoſynas; de quibus dicit Gregorius 12. Moralium. Eleemoſyna ſuperbi diuitis eum redimere non valet, vt quam perpetrata ſimul rapina pauperum ante Dei oculos aſcendere non permittit. Et Augu- *Lib. de vita Chriſtiana.*
ſtinus, Quidam per hoc iuſtificari ſe exiſtimant quod de ſubſtantia pauperum exiguā eleemoſynā faciūt, & de eo, quod plurimis abſtulerunt, paucis largiuntur: cibatur vnus, vnde plures eſuriunt, & de multorum

ſpo-

ſpolijs, vix pauci teguntur. Non talem Deus quærit, nec vult pietatem: illam autem Deus eleemoſynam approbat, quæ de iuſtis laboribus miniſtratur; & illam reprobat, quæ de lachrymis præſtatur alienis. quid enim prodeſt, quod te benedicat vnus, vnde plurimi maledicunt? Reuera times, quod Deus nõ habeat vt pauperes pa-
In paſtorali c. 42. ſcat, niſi aliena diripias. Gregorius tractans illud. *Eſuriui & non dediſtis mihi manduca-*
Mat. 25. *re*, inquit; Hinc intelligendum eſt, quanta damnatione plectendi ſint, qui aliena rapiunt; ſi tanta animaduerſione feriuntur,
Ibid. c. 44. qui ſua indiſcretè tenuerũt. Et rurſus. Cum quanta Deus animaduerſione eos remuneret, qui ſubtrahentes indigentibus Deo largiuntur, per Sapientem Dominus noſter
Eccl. 34. demonſtrat dicens; *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Hinc & Dominus
Iſa. 61. per prophetam ait; *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſtum.* Et alibi;
Prou. 21. *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Patet de Gedeone, qui de præda fecit veſtes ſacerdota-
Iud. 8. les, & factum eſt ei in ſcandalum. Propter quod Dauid ad Ornan legitur dixiſſe, Ne-
1. Paral. 21 que enim tibi auferre debeo, & offerre Domino holocauſta gratuita. Et alibi legitur dixiſſe eidem,
2. Reg. 24. *Emam pretio à te, ſcilicet aream, & offeram Domino holocauſta gratuita.* Legitur quidam ædificaſſe Eccleſiam de vſuris & rapinis, quam cum dedicare vellet Epiſcopus, diabolus apparens in forma pontificis retro altare fertur dixiſſe Epiſcopo; Cur te intromittis de domo mea, quæ mihi ædificata eſt? ſtatimque Epiſcopus territus egreſſus eſt, & Eccleſia funditus corruit.
3. Tertio requiritur intentio re-
Matt. 5. cta. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum.* Et ibidem: *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere*, id eſt, innoteſcere, vt glorificeris in laude tua, ſicut hypocritę faciunt. Ideo benè dixit poëta. *Affectũ dantis penſat cenſura tonantis. Iupiter vt cẽtum taurorum ſanguine fuſo, Sic capitur mi-*
Hieron. *nimi tauri amore Deus.* Et Hieronymus ſuper Amos dicit. Non ſacrificiorum magnitudinem, ſed offerentium merita cauſaſque dijudicat. Vnde & vidua, quæ duo minuta in corbanam miſerat, omnibus à Sal-
uatore præfertur. Quia Dominus non ea, *Luc. 21.*
quæ offeruntur, ſed offerentium requirit voluntatem. Ex quibus patet, quod recta
intentio & bona voluntas plus valet, quã *Matt. 10.*
magna malorum facultas. Sicut dicit Saluator de dante calicem aquæ frigidæ, qui
non perdit mercedem. Quarto requiritur, *4.*
vt det pauperi, & maximè bono. *Benefac iu-* *Eccl. 12.*
ſto, & ne recipias peccatorem. Vnde dicit Thomas, quod ſi conſtaret aliquem abuti eleemoſyna, non debet ei dari niſi in extrema neceſſitate, quia ſic & peccatori datur, non ad fouendam malitiam, ſed naturam.
In quo caſu ita loquitur Gregorius; Qui *Hieron.*
indigenti, etiam peccatori, panem ſuum, non quia eſt peccator, tribuit, ſed quia homo, non peccatorem, ſed pauperem nutrit, quia in illo non culpam, ſed naturam diligit. Et Hieronymus ſuper illud Eccl. 12. Da miſericordi & ne ſuſcipias peccatorem, dicit; Natura recipienda eſt, non perſona. Qui enim dat indigenti peccatori non quia peccator, ſed quia homo, non peccatorem ſed iuſtum nutrit. Ex quo infero duo. Primum quod ſi conſtat aliquos eſſe ſanos & potentes ad laborandum, qui publicas petunt eleemoſynas, & eis abutuntur, vt puta, qui cum mulieribus de ciuitate in ciuitatem vagantur, & in vanitatibus conſumunt eleemoſynas, non eſt eis
danda eleemoſyna, imo ſunt corrigendi, vt *Auguſt.*
à talibus deſiſtant, iuxta illud Auguſtini; Vtilius eſurienti panis ſubtrahitur, ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligat, quam eſurienti panis frangatur & iniuſtè ſeductus viuat. Et quædam gloſſa ſuper Matthęum dicit; Iuſtius feceris, ſi iniuſtè petentes correxeris, quam ſi dederis eis Hinc eſt, quod
in lege ſtatutum eſt, quod ſi is qui labora- *C. de mendicantibus validis l. 1.*
re poteſt, ſe immiſcet eleemoſynæ, redigitur in ſeruitutem Imperatoris. Et notanter dixi, ſi conſtat, quia ſi non conſtat aliquẽ eſſe ſuſpectum, non de facili debet iudica-
ri. Vnde Chryſoſt. Si indifferenter omnibus *Serm. 9. ſuper Matt.*
dederimus, ſemper miſerebimur. Si autem diſcutere cæperimus, nunquam miſericordiam præſtabimus. Secundo infero, quod in extrema neceſſitate indifferenter danda eſt eleemoſyna. Nam tunc eleemoſynam de ſuperfluo dare eſt in præcepto, iuxta il-

lud Ambroſ. Paſce fame morientem, ſi non pauiſti, occidiſti. In hoc enim caſu quæcumcunque ſit peccator, Iudæus aut paganus, paſcendus eſt. Vnde Valerius Epiſcop⁹ in quodam ſermone; Vbi incumbit neceſſitas, non eſt opus, vt perſonam diſcutias, ne, cum indignis miſericordiam degenas, & Dei filium pariter amittas. Et Chryſoſtom. dicit. Quieſcamus ab hac diabolica curioſitate diſcernendi inter pauperem & pauperem; Non enim ex eorum vita, quos recipis, mercedem tibi tributurus eſt Dominus, ſed ex voluntate bona, & miſericordia, & bonitate multa, quam ipſis impendis.

Sed dices; Quæ eſt iſta extrema neceſſitas? Dico quod illa, quando homo conſiderat totum defectum pauperis; quod ſi tuipſe non dederis, ipſe morietur, vt quia ab alijs non de facili inuenietur, quia forte non eſt in loco publico vel nullus ſui miſeretur.
5. Quinto requiritur, vt det ſecundum facultatem ſuam. Tobiæ 4. *Fili ſi multum fuerit tibi, abundanter tribue, ſi modicum, modicum etiam impertiri libenter ſtude.*
D.Thom. 2.2.q.32. Quod intellige ſecundum Thomam iuxta proportionem propriæ facultatis, & ſufficientiam pauperis, cui das. Vnde ſi quis eſt diues & multa habet ſuperflua, & videt multum pauperem, ſi releuet illius defectus ſufficienter, id eſt, quantum illi opus eſt, abundanter dicitur tribuere. Si autem daret vni pauperi ad ſuperfluitatem, non eſt laudabile, ſed vituperabile, quia ſic melius eſſet pluribus indigentibus dare, ſecundum Thomam.

Sed diceres. Quomodo poſſum cognoſcere quod multum habeo. Reſpondeo ſecundum Thomam. 2.2.q.32.c.6. quod tunc homo dicitur multum habere & ſuperfluum, quando habet vltra congruam neceſſitatem proprij ſtatus, ita videlicet, quando multis partibus ſuæ ſubſtantiæ ſubtractis, adhuc conuenienter poteſt ſuſtentari ſecundum proprium ſtatum.
6. Sexto requiritur vt det charitatiuè, quia ſine caritate nihil valet.
1.Cor. 13. *Si diſtribuero omnes facultates meas in vſus pauperum, charitatem ſi non habuero, nihil mihi prodeſt.*
7. Septimo debet diſtribuere continuè.
Eccl. 11. Prou. 21. *Mane ſemina ſemẽ tuum, & veſpere non ceſſet manus tua.* Et iterum. *Iuſtus diſtribuet & non ceſſabit.* Octauo occultè. *Munus occultum extinguit iras.* 8 Ibidem.
Nono diſcretè. *Si bene feceris, ſcito cui feceris.* 9. Eccl. 12. Vnde ſecundum Thomam vbi ſupra. Pauperi ſanctiori melius eſt dare, quantum ad retributionem vitæ æternæ, quia ex merito eius maior eſt profectus danti, pro quo orat. Imo dicit Thomas, quod perſonæ ſanctiori & magis indigenti & magis vtili ad commune bonum, eſt magis eleemoſyna facienda, quam perſonæ propinquiori, maximè coniunctæ, cuius cura ſpecialis imminet, etſi magnã neceſſitatem non patiatur. Hæc Thomas. Vbi ſupra art. 9. Præter iſtum caſum autem perſonæ propinquiori eſt melius facienda eleemoſyna, quia hoc requirit ordo charitatis ſecundũ ipſum. Decimo danda eſt dulciter, iuxta illud Eccl. 8 *Fili in bonis ne des querelam, & in omni dato ne des triſtitiam verbi mali.* 10. Et ibidem. *Stultus acriter improperabit.* Et rurſus. *Non exaſperes pauperem in inopia ſua.* Eccl. 4.
11. Vndecimo danda eſt hilariter quantum ad aſpectum exteriorem & interiorem. *Declina pauperi aurem tuam ſine triſtitia. Qui miſeretur, in hilaritate.* Et *Hilarem datorem diligit Deus.* Eccl. 4. Rom. 12. 2.Cor. 9. Vnde Iſidorus. li. de ſummo bono cap. 65. Tunc benè tribuitur, quando cum mentis alacritate præbetur. Metuendum eſt itaque ne pauper aut cum tædio noſtra oblata recipiat, aut oratione prætermiſſa mœrens triſtiſq; abſcedat.
12. Duodecimo danda eſt velociter. *Cor inopis ne affligas, & non protrahas datũ anguſtianti.* Vnde Sapiens. *Qui cito dat, bis dat.* Sed quia ſubditur in Euangelio, *Date, & dabitur vobis*; Ideo videndum eſt quid dabitur. Dantur autem hominibus pro operibus miſericordiæ duodecim præmia, tam in præſenti quam in futuro.
1. Primo vitam temporalem conſeruat & prolongat; *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Pſal. 40. Et ſequitur. *Dominus conſeruet eum & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra.*
2. Secundo temporalia augmentat. *Retribuẽs eſt Dominus, & ſepties tantum reddet tibi. Alij diuidũt propria & ditiores ſunt.* Eccl. 35. Prou. 11.
3. Tertio reſiſtit tentationi diaboli. *Eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Eccl. 4.
4. Quarto liberat à culpa & à pœna æterna. *Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animas ire ad tenebras.* Tob. 4.
5. Quinto contra diabolum munit

& tue-

Eccl.29. & tuetur. *Concludo eleemoſynam in ſinu pauperis.* Et ſequitur. *Super ſcutum & lanceam potentis aduerſus inimicum tuum pugnabis.*
6. Sexto conſeruabit gratiam, vnde vocatur
Ibidem. ſacculus. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus.* Se-
7. ptimo peccatum debilitat, *Sicut ignem ar-*
Eccl.3. *dentem extinguit aqua, ita eleemoſyna reſi-*
8. *ſtit peccatis.* Octauo interceſſiones ſanctorum multiplicat. Act. 9. *Circumſteterunt eũ viduæ flentes,* vbi loquitur de Thabita, pro cuius ſuſcitatione orabant Petrum. Et a-
Luc.16. pud Lucam. *Facite vobis amicos &c.* Nono
9. illuminat intellectum in agendis. *Frange e-*
Iſa.58. *ſurienti panem tuum.* Et ſequitur; *Tunc erũ-*
10. *pet quaſi mane lumen tuum.* Decimo mun-
Luc.11. dat affectum. *Date eleemoſynam & omnia*
11. *munda ſunt vobis.* Vndecimo confert glo-
Prou.14. riam. *Qui miſeretur pauperi, beatus erit.* Et I-
Matt.25. ſa.58. *Gloria Domini colliget te. Venite bene-*
12. *dicti patris mei, poſſidete regnum.* Duodecimo Deo aſſimilat, vt hic. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Verè magna virtus eſt, quæ ſimilem facit Deo. Et propter hoc Dei filius in quocunque non inueniet ſimilitudinem illam Dei patris; in iudicio finali grauiter puniet, ſicut comminatur apud Matth. *Ite &c.* Vnde licet iudicium finale fiat de præceptis iuſtitiæ, quæ tranſgrediendo reprobi peccauerunt, tamen quaſi principaliter fiet de operibus miſericordiæ per quæ non redeme-
In 5.c. lib Sap. runt peccata ſua. Et ideo dicit Robertus Holcoth, quod quę ad pręceptorum tranſgreſſionem, erit diſcuſſio in iudicio mentali; ſed quo ad opera miſericordiæ, erit diſcuſſio vocalis, ſicut ſonat textus Euangelij.

II.

Non ſolum eleemoſynam dare indigenti; ſed etiam ex corde dimittere debemus
Aug. in Enchrid. ca.36. offendenti, inquit S. Auguſt. In vitis philoſophorum legitur, & idem ſcribit Valerius, quod Simonides philoſophus nauigans per mare littus applicuit, & ibi hominem inhumatum inueniens ſepeliuit. Qui tandem per ſomnium ei apparens eum admonuit, ne die ſequẽti nauigaret, qui ita fecit. Contigit ergo, quod alij nauigauerunt & omnes ſunt ſubmerſi. Item cum apud Scopam cænaret, nunciatum eſt ei duos iuuenes ſtare ad ianuam rogantes, vt ad eos exiret, qui cum exiſſet neminem reperit. Eodem autem momento triclinium corruit, & omnes conuiuas oppreſſit. Ecce quantum valet pietas etiam in paganis. Tria ſunt genera elee- Secundũ Alcuinũ.
moſynarum, Vna corporalis, egenti dare Eleemoſynarum genera qua.
quicquid poteris. De qua datur verſiculus; *Poto, cibo, redimo, tego, colligo, viſito, condo,* Altera ſpiritualis, ſcilicet dimittere, à quibus læſus es. Tertia delinquentes corrigere, & errantes in viam reducere veritatis. De qua datur verſus. *Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.* Secundum Auguſtin. duæ ſunt eleemoſynæ, vna cordis, alia pecuniæ. Eleemoſyna cordis eſt dimittere, à quibus læſus es. Et vocatur cordis, quia ſolo corde poteſt fieri. Nam dare indigenti aliquid aliquando quæris & non habes; Indulgere vero petenti quantum volueris, abundat tibi. Et: Eleemoſyna cordis multò maior eſt quã eleemoſyna corporis, inquit Auguſtinus. Nam charitatis eleemoſyna ſine terrena ſubſtantia ſufficit, ſi deſit facultas. Illa verò quæ corporaliter dantur, ſi ſine lib 3. de ſum. bono ca.65.
benigno corde tribuuntur, omnino non ſufficiunt. Cui concordat illud Iſidori dicentis; Non ſolum qui eſurienti, & nudo beneficiũ largitatis impendit, ſed & qui inimicum diligit, ſcilicet dimittendo iniuriam Et qui lugenti affectum compaſſionis impertitur, aut in quibuslibet neceſſitatibus conſilium adhibet, eleemoſynam proculdubio facit. Nam doctrina bona eleemoſyna eſt; & miſericordiæ corporali eminentior. Et poſt pauca ſubdit, Duæ ſunt ſpecies eleemoſynæ; Vna corporalis, videlicet egenti dare quicquid poteris; Alia ſpiritualis, dimittere à quo læſus es. Prima adhibenda eſt miſeris, ſecunda malis. Erit ergo ſemper, quod imperciaris, etſi non pecuniam, tamen veniæ gratiam. Non ſolum inquit Auguſtinus in Enchrid. cap. 70. qui dat eſurienti potum, nudo veſtem, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ergo vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuentionem, cœco conductio-

nem,

nem, triſti conſolationem, non ſano medelam, erranti viam, deliranti conſilium, & quodcunque neceſſarium indigenti; Verũ etiam, qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat eum verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina, & cum peccatum eius, quo ab illo læſus eſt vel offenſus eſt, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur. Non ſolum in eo, quod dimittit vel orat, verum etiam in eo, quod corripit aliquem emendatoria pœna eleemoſynam dat, quia miſericordiã præſtat. Multa enim bona præſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati non voluntati. Hæc Aug. Ex quibus patet, quod ſicut homo tenetur ad eleemoſynam corporalem faciendam indigenti in caſu neceſſitatis ſub peccato mortali, ita tenetur ad eleemoſynam ſpiritualem, ſcilicet ad rancorem dimittendum ex corde, petenti ipſum.

Offenſam quæ ſequantur. Sciendum quod ſecundum Petrum de Tharanthaſio tria ſequuntur ex offenſa alicui illata; Primo quidem rancor in affectu; Secundo ſignum rancoris in effectu ſc. in exteriori conuerſatione; Tertio actio iuris; id eſt, repetitio ſatisfactionis in iure. Inter quæ talis eſt ordo, primum, ſcilicet rancorem & odium ex corde tenemur dimittere etiam non roganti, vt dicitur de pœn. diſt. 5. Fratres. Vbi dicitur; Falſa pœnitentia eſt illius, qui offenſus offendenti nõ indulget. Et dico notanter, non roganti, quia non licet aliquem odio habere etiam per vnum momentum. Vnde iſtud eſt præcepti, nec tali odio durante poteſt quis dignè pœnitere. Secundum vero, ſcilicet ſignum rancoris in effectu, ſcilicet in exteriori conuerſatione non tenemur dimittere niſi roganti. Quod ſi quis non proficit ad tantum, vt diligat inimicum, ſufficit vt dimittat quando rogatur. Sic debet eſſe intelligendum illud. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus noſtris.* (*Aug. in Enchrid. cap. 74.*) Sed tertium, ſcilicet actionẽ iniuriarum non tenetur homo dimittere etiam rogatus, quia hoc eſt perfectorum. niſi ſatisfactione habita, ſi tamen eam dimitteret perfectus eſſet, iuxta illud; *Tollenti tunicam relinquendum eſt & pallium.* (*Matt. 5.*) Ex his infero quod licet quis non poſſit cogi, vt offenſam dimittat, tamen bene poteſt cogi, vt pro ea ſatisfactionẽ accipiat. Hoc expreſſe habetur in Canone. 90. diſt. Si quis contriſtatus noluerit reconciliari fratri ſuo ſatisfaciente eo qui contriſtauit, acerrimis maceretur inedijs. Quod exponit Gloſſ. id eſt, excommunicatione tamdiu, vſque dum gratanti animo ſatisfactionem accipiat. Pœna autem nolentium ponitur apud Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus.* Ecce præmiũ. *Quod ſi vos non dimiſeritis, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis* (*Marc. 11.*) Ecce pœna. Et apud Matth. (*Matt. 18.*) cõminatur grauiſſimam pœnam non dimittentibus ex corde. Quod tractans Aug. dicit; (*Aug. in Enchrid. c. 76.*) Quiſquis rogatus petenti ex corde non dimittit, nullo modo a Domino exiſtimet ſua peccata dimitti, quia veritas dixit; Si dimiſeritis hominibus peccata, dimittet vobis pater meus & veſter peccata veſtra; Quod ſi non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis. Et ſubdit; Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiſcitur, nõ dormit, ſed mortuus eſt. Cui cõcordans Iſidorus dicit; (*li. de ſummo bono ca. 27.*) Cito eſt ignoſcendum cuiquam, dum veniam poſtulat. Non enim poſſunt ei peccata dimitti, qui in ſe peccanti peccata non dimittit. Formam enim indulgẽtiæ nobis Deus ex merito noſtræ conditionis impoſuit, dum ita nos orare præcepit; Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos &c. Iuſtum enim iudicium Dei exigit tantum peccatori à ſe indulgeri, quantum ad alterum vnuſquiſque in ſe offenſo indulget. Quidam ſuis meritis confidentes pigrè in ſe delinquentibus veniam præſtant. Sed nihil proficit illibatum eſſe à culpa, qui non eſt paratus ad veniam. Et ſequitur. Fruſtra ſibi propiciari Deum quærit, qui cito placari in proximum negligit, Et tantum de ſecundo.

III.

Facta proximorum benignè iudicanda propter tria. Sicut impium eſt peccata, quæ commiſimus, pertinaciter excuſare, ita virtuoſum eſt valdè peccata proximi non faciliter iudicare, ſed compatienter excuſare. Et hoc propter triplicem rationem. Primo propter communis fragilitatis conditionem; Secundo propter ſincer familiaritatis cõ-

munionem; Tertio propter verę pietatis
1. exercitationem. Primo quidem propter
communis fragilitatis conditionem. Om-
nes enim frequenter erramus, vt quod illi
Serm. 41. accidit, poteſt alteri accidere. Et ideò Bern.
ſuper Cāt. ſtruens excuſare benigniter peccata proxi-
morum dicit; Noli iudicare proximum, ſed
magis excuſa intentionem; ſi opus non po-
tes, puta ignorantiam, puta ſurreptionem,
puta caſum. Quod ſi omnem omnino diſ-
ſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade
nihilominus tibi, & dicito apud teipſum,
vehemens fuit tentatio, quid de me illa fe-
2. ciſſet, ſi poteſtatem accepiſſet in me? Secū-
do debemus benignè iudicare proximorū
peccata propter ſinceræ familiaritatis cō-
munionem, vt ſaltem de amicis mala faci-
liter non credamus, nec de prælatis, nec de
In epi. ad ætate prouectis. Vnde Hieron. Non eſt fa-
Ruſticū. cilè iudicandum de perfecta ætate & cre-
dendum, quam vita præterita defendit, &
honorat nobilitas dignitatis. Cum quidā
Platoni retuliſſet de Xenocrate amico ſuo,
quod diceret de Platone malum; Reſpōdit
non eſſe credibile, quod ille, quem tantum
amabat, eum non diligeret. Cumque dictū
ſuum narrans ſe probaturum aſſereret; Reſ-
pondit Plato, Nunquam Xenocratem ta-
3. lia dixiſſe, niſi expedire iudicaſſet. Tertio
debemus iudicare proximorum defectus
propter pietatis exercitationem Nam pie-
tas exigit, vt excuſemus alienos defectus
quantum poſſumus ſine læſione iuſtitiæ, &
famam proximorum illibatam conſerue-
mus. Vnde Orig. ſuper Leuit. c. 23. No vult
te Dominus, ſi fortè videris peccatum fra-
tris tui, continuo reuelare ad publicum &
proclamare paſſim & diuulgare aliena pec-
cata, quod eſſet vtique non corrigentis, ſed
infamantis. Vnde Apoſtoli Simon & Iudas
leguntur dixiſſe. Nos innocentes abſolue-
re licet, nocentes prodere non decet. Et
ſciendum, quod hic prohibetur iudicium
non omne generaliter. Nam in rebus cer-
1. Cor. 2. tis & manifeſtis conceditur omnibus iudi-
Iudicium care. *Spiritualis homo omnia dijudicat.* Sed
temerari- prohibetur iudicium temerarium. Et hoc
um cur propter duo; Primo ratione iudicātis, quia
prohibea- non habet auctoritatem. *Tu quis es, qui iu-*
tur. *dicas ſeruum alienum?* Gloſſa. Iudicium te-
merarium eſt, quando, quibus non eſt cō-
miſſum, iudicant ſiue de manifeſtis ſiue de
occultis. Secundo quia non habet dignita- *Rom. 2.*
tem. *In quo alterum iudicas, teipſum condem-*
nas. Eadem enim agis quæ iudicas. Tertio
quia non habet ſapientiam. *Tuli de tribu-* *Deut. 1.*
bus veſtris ſapientes & conſtitui eos iudices.
Secundo dicitur temerarium iudicium ra-
tione rei iudicatę: Primo quia non eſt verū.
Sic fatui eſtis filij Iſraël, non iudicantes neque
quod verum eſt diſcernentes. Tertio quia nō *Dan. 13.*
eſt certum. Et hoc dupliciter, vel quia neſ-
citur intentio, ſcilicet quo animo fiat. *Qui* *Rom. 14.*
non manducat, manducantem non iudicet. In
vitis patrum legitur de quodam monacho,
qui videns manducantem fratrem feria
ſexta mane, iudicauit eum malè agere, neſ-
ciens eius intentionem; Fortè. n. erat infir-
mus; & ob hoc perdiderat gratiam Dei, ita
quod vix per duas hebdomadas veniam à
Deo impetrauit. Aut quia neſcitur rei euē-
tus. *Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iu-* *Ioan. 7.*
ſtum iudicium iudicate. Prohibetur ergo hic
iudicium temerarium, quod fit, cum de du-
bijs certa fertur ſententia, cum tamen ipſa
in meliorem partem ſint interpretanda.
Nam in dubijs quod certius eſt ęſtimandū
æſtimamus. Vnde illud, A fructibus eorum
cognoſcetis eos. Dicit Aug. intelligendum *Matt. 7.*
eſſe de manifeſtis, quæ non poſſunt bono *li. 2. cōtra*
animo fieri, non autem de illis, quę poſſunt *Manich.*
fieri bono & malo animo. Propterea de il-
lis quæ non poſſunt bono animo fieri, vt
ſunt blaſphemia & ſimilia, nobis benè per-
mittitur iudicare, inquit Aug. Nos igitur
ſic iudicemus aliorum facta benignè ac
piè, ſicut noſtra à Deo volumus iudicari,
vt ſic pro iudicio pio & miſericordi pieta-
tem & miſericordiam Dei in iudicio inue-
niamus, & pro noſtris operibus non iudi-
cium ſed miſericordiam ſentiamus, præ-
ſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto iudice
viuorum & mortuorum pijſſimo, qui
viuit & regnat cum Deo patre in
vnitate Spiritus ſancti.
Amen.

DOMINICA QVARTA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Lucæ 6.

LIcet Deus pater ſit omnia in omnibus, eo quod quicquid eſt perfectionis, virtutis, & bonitatis in creaturis, perfectius inuenitur in Deo; Nihil tamen ſic relucet in eius perfectione quo ad creaturas, ſicut miſericordia. Vnde dicit Beatus Thomas, quod, licet charitas ſit melior quam miſericordia, hoc tamen ſolum eſt in homine, cui, quia habet ſe ſuperiorem, cui cõiungi debet, melior eſt charitas, per quã coniungitur Deo, quam miſericordia, per quam ſupplet defectum inferioris. Quo ad Deum tamen, qui nullum habet ſupra ſe, miſericordia eſt maxima, quia cum ſit ſuperior, ad eum pertinet, quod alijs effundat bonitatem, & ſubleuet defectus eorũ, quod eſt ſuperioris. Propter quod Pſalm. quid magis propriè Deo attribueret, aut quem ipſum appellaret ad miſericordiam recurrens ait; *Deus meus, miſericordia mea.* Vbi dicit Innocentius quartus; Rectè loquitur homo, quæ ex affectu loquitur, qui non valens exprimere quod ſentit, diuerſa verba ad vnum exprimendum inculcat; ita hic propheta poſt multa verba ſub vno nomine miſericordiæ includit quicquid dixerat, & vocat Deum miſericordiam ſuam, quia habet omnia ab ipſo per miſericordiam. Hæc ille. Et Auguſt. ſuper eodẽ verſiculo dicit; Attendens propheta omnia bona ſua eſſe Deum, non inuenit, quid appellaret Deum ſuum niſi miſericordiam ſuam. Et ſubdit. O nomen, ſub quo nemini deſperandum eſt! Si enim interfectio Chriſti dimiſſa eſt pœnitentibus, quis vult deſperare? *Deus meus,* inquit, *miſericordia mea.* Quid eſt miſericordia? ſi dicas, ſalus, intelligo quia dat ſalutem. Si dicas refugium meum, intelligo quia confugis ad me. Si dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem. Miſericordia mea quidem totum eſt, quicquid ſum de miſericordia tua eſt. Hæc Auguſtin. Ex quibus patet, quod licet Deus includat in ſe omnia bona noſtra, nihil tamen miſeris ſic ſapit ſicut miſericordia. Propter quod licet diuerſis bonis, quibus nos dotauit diuerſimode à nobis nominetur, tamen nihil eſt glorioſius illo nomine, quo pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis appellatur. Vnde & Filius Dei eum patrem noſtrum dignatus eſt appellare, cum formam orandi ipſum proponeret. Et patrem miſericordiæ cum nos ad miſericordiam dignatus eſt excitare, cum dicitur; *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt.* In quibus verbis tria tanguntur. Primo ponitur ad miſericordiam inuitatio. *Eſtote miſericordes.* Secundo oſtenditur Dei magna dignatio, cum dicitur, *Sicut pater veſter.* Tertio ſubinfertur diuinæ pietatis oſtẽſio, cum dicitur, *quia miſericors eſt.*

Thom. 2. 2. q. 30. art. 4.

Miſericordia maximè in Deo, quo ad creaturas.

Pſal. 58.

Propoſitio.

I.

Eſtote miſericordes. Miſericordia ſecundũ Aug. non eſt aliud, quam alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua compellimur ſubuenire, ſi poſſumus. Licet autẽ miſericordia conſiſtat in multiplici operatione ſubuentionis ſecundum multiplicem defectum humanæ conditionis, tamen ſolum hic in Euangelio fit mentio de triplici, ſcilicet illa quæ conſiſtit in dando, remitten-

Aug. l. 9. de ciu. c. 5.

mittendo, & iudicando. Et quia de duabus vltimis ſufficienter dictum eſt, igitur reſtat adhuc de prima dicere, quæ conſiſtit in dando. Et quia dare contingit dupliciter, vel quærendo indigentes, & eundo ad eos, & iuxta eorum indigentiam tribuendo. Sicut fecit beatus Laurentius, qui diſperſit & dedit pauperibus; Vel venientes indigentes ſuſcipiendo & eos humanitus reficiendo, vt fecit Abraham, Loth & alij ſancti patres. Et quia dictum eſt de prima, quæ fit in dando per diſpenſionem pauperum; videamus de ſecunda, quæ fit in recipiendo per hoſpitalitatem, cuius hic monemur. *Eſtote miſericordes*. Iſtud ſuadet Apoſtolus di-
1. Pet. 4. cens: *hoſpitales inuicem*. Et iterum Rom. 2. *Hoſpitalitatem ſectantes* Eſt autem ſciendu,
Hoſpitalitatis cõditiones 4 quod hoſpitalitas, vt ſit grata Deo, quatuor debeat habere conditiones; videlicet hilaritatem ſine murmuratione; ſecuritatem ſine turbatione; ſaturitatem ſine diminu-
1. tione; & pietatem ſine negatione. Primo debet habere hilaritatẽ ſine murmuratione, vt hilarem ſe oſtendat. Sicut miles, ſi ad ſuum tugurium deſcenderet rex. Quia quotiens hoſpitem ſuſcipimus, totiens re-
Matt. 25. gem Chriſtum ſuſcipimus. *Hoſpes eram, & collegiſtis me*. Et ſequitur; *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Ideo cum magna hilaritate ſunt ſuſcipiendi hoſpites ex
Gen. 18. emplo Abrahæ. *Qui cum vidiſſet tres viros, occurrit eis & adorauit in terra*. Similiter
Gen. 21. Loth. Et Apoſtoli. *Coëgerunt illum*, ſcilicet
Luc. 24. Chriſtum manere ad cœnam. Vbi Gloſſa dicit; Exemplo eorum docemur, quod peregrini non ſolum ſunt ad hoſpitium vo-
2. candi, ſed etiam trahendi. Secundo debet habere ſecuritatem ſine turbatione. Antiquitus homines defendebant hoſpites ſu-
Policrat. os ſub periculo proprio, ſicut narrat Policratus libro. 8. capit. 19. vbi dicitur quod criminis incurrebant notam. Illud patet in Loth, qui angelos hoſpites ſuos defendebat à Sodomitis, maluitque à conciuibus luxurioſis inſignem recipere iniuriam in ſobole ſua, quam in hoſpitibus ſuis. Refert etiam ibidem de quodam, qui dicebatur Albanus in Britannia, qui ſeipſum ma-
3. luit tyrannorum exponere telis, quam hoſpitem, quem ſuſceperat. Tertio hoſpitalitas debet habere ſaturitatem ſine diminutione, vt omnia neceſſaria ipſis hoſpitibus miniſtrentur. Vnde cum Leuita dixiſſet ſeni; *Nulla re indigemus niſi hoſpitio*; Iud. 19.
Reſpondit ſenex Gabaonita; Ego præbeo omnia, quæ neceſſaria ſunt tibi, tantum quæſo ne in platea maneas. De hoc etiam habetur exemplum in Sunamite. 4. Regum. 4. quæ dixit viro ſuo, *Animaduerto quod vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter, faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum: & cum venerit ad nos manebit ibi*. Sed iſtud eſt contra multos, qui oſtendunt hoſpitibus pulchrum vultum, & de peiori potu, quem habent in domo, miniſtrant. Vnde Ethnicus ſtatuit, vt recitat Policratus, vt ea, quæ intus ſunt, hoſpiti- lib. 8. c. 13.
bus hilari modeſtia apponantur, quodque verſ. fine.
domi non eſt, & habet vicinus, ematur. Propter quod idem Policratus reprehendit ibidem conſuetudinem Ciſtercienſem tanquam ab omni ciuilitate alienam, ſecundum quam nec carnes apponuntur hoſpitibus, nec aliquid propter eos emitur, cum tamen ipſe dicit, etiam ipſa ieiunia propter hoſpitem viri perfecti ſoluant, & in multis de rigore ſuo plurimum indulgeant charitati. Hæc ille. Vnde legitur in vitis patrum, quod Abbas Caſſianus veniens de Palæſtina in Aegyptum ad quendam patrem, & cum ei hoſpitalitatem impendiſſet, interrogauit eum, quare tempore ſuſceptionis fratrum regulam ieiunij non cuſtodiret, quia fortè cum hoſpitibus comedebat. Reſpondit ille, ieiunium mecum ſemper eſt, vos autem ſemper mecum tenere non poſſum. Et ieiunium quamuis vtile eſt & res neceſſaria, in noſtra tamen voluntate eſt; Charitas autem plenitudinem legis exigit à nobis. Vnde ſuſcipiens in vobis Chriſtum, debeo exhibere quæ charitatis ſunt; cum autem dimiſero vos, regulam ieiunij potero obſeruare. Hæc 4.
ille. Quarto debet hoſpitalitas habere pietatem ſine negatione, vt pro diuino amore, non pro nummo vel lucro fiat, Hebræor. 13. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci*.

Hoſpes 4. habeat. Econtrario vero; qui recipitur in hoſpitium quatuor in ſe debet habere. 1. Primo ſit contentus per acceptationē, vt ſcilicet, acceptādo quæ apponūtur ſit cōtentus. *Edētes & bibētes, quæ apud illos ſūt.* Et in hoc apparet bonitas peregrini. Nā ſicut dicit Socrates. *Luc. 10.* Cum hoſpites ſuos ſatis tenui cœna ſuſcipere pararet, & amicus eius hoc vituperaret; Reſpondit; Si boni ſunt, æquanimiter ferent; ſi mali, curabuntur. Hoc eſt contra noſtros viſitatores, qui exquiſita fercula & pabula equorum faciunt parare vltra vires illorum, ad quos deſcendunt. Illud non debet fieri, ne breuis hora victum longi temporis conſumat. Secundo ſit
2. hoſpiti ſuo gratus. Narrat Dares Phrygius de bello Troiano, quod Telephus impediuit ſocium Achillem, ne regem temere occideret, memor quod cum patre ſuo Hercule apud eum olim fuiſſet hoſpitatus. Et Seneca dicit; quod miles ingratus hoſpiti
Sen. l. 4. de benef. ſtigmatibus inſignitur. Et ibi narrat de quodam milite naufrago, qui litori appulſus à quodam fuit hoſpitio per duos dies ſuſceptus & refocillatus. Qui tandem adiens Imperatorem Philippum regem Macedonum prædia illius benefactoris impetrauit. Quo facto ille acceſſit ad Imperatorem & cauſam ingratitudinis illius militis expoſuit; Tum Imperator iuſſit, vt ingratiſſimo militi ſtigmata infligerentur, quæ eius ingratitudinem perpetuo teſtarentur, & hoſpiti iuſſit omnia reddi. Hæc Seneca. Tertio caueat hoſpes nimiam domi-
3. nationem in domo vel familia ſui hoſpitis; quinimo Domino domus obtemperare ſtudeat diligenter. Eſt enim reprehenſibile, ſi ordinatam domum hoſpes præſumpſerit ordinare, vel etiam reprobare, qui tenetur in omnibus modeſtiam obſeruare, iuxta illud metriſtæ; *Cum facis ingreſſum, ſtudeas ſic eſſe modeſtus, Vt poſt egreſſum de te ſit rumor honeſtus.* Quarto caueat ni-
4. miam frequentationem, iuxta illud Prouerbiorum. 25. *Subtrahe pedem de domo proximi tui, ne fortè ſatiatus oderit te.* Et propter eandem cauſam caueat magnam moram, iuxta illud. *Poſt tres ſæpè dies vileſcit piſcis & hoſpes, Niſi ſale conditus, vel ſit ſpecialis amicus.*

Sunt autem quatuor emolumenta hoſpitalitatis. *Emolumenta ſiue vtilitates hoſpitalitatis 4.* Nam diſponit ad Dei cognitionem. *Cognouerunt Dominum in fractione panis.* *Luc. 24.* 1. Quādoque.n. diuina cognitio alicui infunditur occaſione viri in hoſpitio ſuſcepti. Sicut patet cum viri literati vel contemplatiui hoſpitantur, à quibus in collatione multa bona reuelantur. 2. Secundo confert temporalium multiplicationem; *3. Reg. 17.* ſicut patet de vidua quæ Helyam in hoſpitio ſuo ſuſcepit, nec tamen defecit farina nec oleum. Patet hiſtoria de duobus fratribus in quodam monaſterio, ſcilicet date & dabitur vobis. Hiſtoriam narrat Cæſarius libr. 4. capit. 68. & refertur in magno ſpeculo exemplorum verbo, dare. Eſt de talibus, ſicut de quodam lapide, qui dicitur Eneidros, de quo dicit Marbotus in libro de lapidibus capit. 47. quod ſemper emittit aquam in abundantia, & tamen nunquam liqueſcit, nec vnquam minuitur; Sic tales ſemper abundanter dant, ita quod quandoque plures mirantur, quomodo ſufficiant: iuxta illud Prou. 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt; Alij rapiunt nō ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Tertio excludit 3.
diuinam vltionem. Patet de Raab, quæ ſaluata eſt à vindicta Dei, eo quod exploratores ſuſcepiſſet hoſpitio. *Ioſue 6.* Quarto meretur Dei & Angelorum ſuſceptionem. 4. Matthæi 10. *Qui vos recipit me recipit.* Et Hebræorum 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci. Per hanc enim quidam placuerunt angelis hoſpitio receptis.* Sicut Abraham Geneſ. *Gen. 18. & 19.* 18. Loth. 19. & cæt. Refert Robertus Holcoth ſuper libr. Sapient. capit. 19. quod quidam ſenator ſibi caſtrum conſtruxit pulcherrimum, ſuper cuius ianuam ſic metricè inſcripſerat; *Decretum detur ne dormiat aut epuletur, Hic gens villana, ſed Achilles, Plato, Dyana.* Intendens per hoc ordinare, quod nullus ad caſtrum, ad hoſpitium, ad prandium reciperetur, niſi eſſet miles, vel philoſophus, vel Domina. Cui Chriſtus apparuit in ſomnis & ait; Me & meos à tuo caſtro conaris excludere, propter quod te caſtro meo, quod eſt cœlum, debeo non iniu-

ſtè pri-

ſtè priuare. Quo facto cum miles debuit excipere ſententiam, Mater Dei ſe oppoſuit, & obtinuit vt contraria metra ſcriberentur ſub hac forma; *Muta decretum, ſanctorum ſuſcipere cœtum, Nudum, Martinum, Lazarum, Iacobum peregrinum.*

I I.

Deus pater noſter. *Sicut pater veſter*. Verè magna dignatio Dei erga homines, quod ſe patrem fecit. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium* Moyſes, *Deut. 32.* *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſidebit te, fecit te, & creauit te? Creauit* quo ad animam, quæ eſt ex nihilo; *fecit* quantum ad corpus, quod eſt ex aliquo ſimili; *poſſidebit te* quantum ad vtrunque. Vnde Saluator Matt. 23. *Matt. 23.* *Patrem nolite vocare ſuper terram. Vnus eſt enim pater veſter qui eſt in cœlis.* Iſte eſt pater ſanctitatis; *Pater ſancte ſanctifica eos in veritate.* *Ioan. 17.* Secundo eſt pater maximè poteſtatis, quia omnia poteſt. Omnia poſſibilia tibi ſunt. Tertiò eſt pater miſericordiarum. *2. Cor. 1.* *Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis*, quæ omnia ſunt magnæ dignationis & clementiæ reſpectu hominis. Quia igitur eſt pater ſanctitatis, eum deprecari per deuotionem; quia pater poteſtatis, eum venerari per ſubiectionem; quia pater miſericordiæ & pietatis, eum imitari per miſericordiæ aſſimilationem debemus. Primò quia eſt pater ſanctitatis, debemus eum deprecari per deuotionem. *Pater noſter qui es in cœlis &c.* In qua oratione nobis neceſſaria pauciſſimis petitionibus includuntur, quæ omnes orationes alias antecedit vtilitate & compendioſitate. Vnde ſi eam fideliter dixerimus, impetrabimus quicquid eſt neceſſarium ad ſalutem. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Secundò quia pater eſt poteſtatis, debemus eum venerari per ſubiectionem. *Mala. 1.* *Filius honorat patrem & ſeruus Dominum ſuum. Si ergo ſum pater, vbi eſt honor meus? ſi Dominus, vbi eſt timor meus?* *Eccl. 3.* *Magna eſt potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Tertiò quia eſt pater pietatis, debemus eum imitari per aſſimilationem, vt hic. *Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt.* Laudabile eſt & honorabile in filio, bonam proprietatem patris effigiare. Proprietas Dei eſt miſereri; & ideò *Beati miſericordes.* *Matth. 5.* Ex quo igitur tam excellentiſſimum in ſanctitate, tam vigoroſum in poteſtate, tam clementiſſimum in pietate habemus patrem, reuera nobiliſſimum genus ſumus. Vnde Apoſtolus. *Ipſius enim genus ſumus.* *Acto. 17.* Circa quod ſciendum quod genus humanum habet patrem nobiliſſimum, matrem humillimam, germanos ſeu fratres ſtabiles; & ideò filios debet habere vtiles. Pater nobilis eſt Deus, quem nos ſequi debemus in nobilitate morum. *Deus eſt nobiliſſ. pater.* Vnde omnis virtuoſus eſt nobilis & generoſus; & omnis vitioſus eſt degener & ignobilis. Vnde parum prodeſt nobilitas generis ſecundum carnem, ſi non fuerit nobilitas morum ſecundum virtutem. Nam nobilitas generis ſecũdum carnem in hoc eſt defectuoſa, quia eſt ſimilis in origine cũ ignobiliſſimo genere de quo ita Boetius. *Boetius 3. de conſol. phil. metr. 6.*

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu.
Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus cuncta miniſtrat. Et infra:
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.

Quaſi dicat. Omnes naturę ſimiles ſumus, ſed nobiles facit inter nos quoddam germen nobile morum & virtutum. Vnde Iob. *Iob 31.* *Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum?* Et ideò Apuleius de Deo Socratis dicit; in omnibus conſiderandis noli illa æſtimare aliena, quæ parentes pepererunt. Et Hieronymus, *Epiſt. 126.* Nobilitas non eſt imponenda filijs, niſi ſint imitatores parentum; cui cõcordat Chryſoſtomus dicens; *Homil. 16.* Nobilitas cognatorum non valet, niſi fuerimus ipſi boni. Et Idem. *Hom. 89. in Ioan.* Non prodeſt habere patrem Iacob, aut Abraham ſine operibus. Et ſuper Matth. *Hom. 9.* Non prodeſt malis bonitas parentum. Vnde infert quod nobilitas carnalis non valet ſine nobilitate ſpirituali. *Homi. 33. in Ioan.* Ex quibus patet, quod fruſtra ſibi quidam blandiuntur de nobilitate generis non habentes nobilitatem morum, qui potius ſunt monſtra nobilium, quam filij. Si autem quæraт quis, quomodo acquiritur iſta vera nobilitas. Reſpondet Chryſoſtom. ſuper Matth. homil. 14. quod vera

nobilitas eſt Dei voluntatem facere. Vnde Hieronym. in l. de coniugio. Sola libertas eſt nō ſeruire peccato; ſumma autem apud Deum nobilitas clarere virtutibus. Et Ber. Genus Apoſtolorum non aliunde nobile eſt, quam morum ingenuitate & fidei fortitudine. Hæc ille. Ex hoc concludit Henricus de Vrmaria in tractatu de oratione dominica, quod Deus ſolum illorū eſt verè pater per charitatis & gratiæ adoptionem, qui ſecum communicant in eſſe gratiæ, quod eſt eſſe virtuoſum & nobile ſecundum animam. Secundo habemus matrem humillimam, vnde debemus ex parte ipſius ſeruare humilitatem. Terra enim ſecundum Plinium eſt infimum & humillimum elemetū. Refert Valerius lib. 6. cap. 3. quod duo iuuenes Apollinem idolum conſuluerunt quodam tempore, vter ipſorum Romæ regnaturus eſſet. Et reſpondit, quod ille qui primus oſculum matri dediſſet. Tunc Brutus ſe ſtatim ad terram abiecit, terramq; matrem omnium oſculatus eſt, & factus fuit rex Romanorum. Iſto modo quicunq; conſequi regnum patris cæleſtis vult, neceſſe debet humiliari & terram ſe æſtimare Eccleſ. 10. *Quid ſuperbis terra & cinis?* Tertiò habemus fratres ſtabiles, vnde debemus ſeruare ſtabilitatem in bono. Iſti fratres ſunt angeli in bono confirmati, & nobis in adiutorium dàti, Raphael quærenti Tobię legitur dixiſſe; *Ego ſum Azarias Ananiæ Magni filius.* Ananias interpretatur adiutor, *Ipſi enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus.* Et ob hoc ſi ad patrem cœleſtem peruenire volumus, ipſorum auxilia requiramus. Quartò habemus filios vtiles, filij noſtri opera noſtra. Eccl. 11. *In filiis ſuis cognoſcitur vir*, id eſt, in operibus perfectis. Apocal. 20. *Iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera eorum.* Apoc. 14. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* In iſtis ergo filijs ſeruemus vtilitatē vt proſint nobis ad gloriam non ad pœnā. Et tantum de ſecundo.

Ber. de cōſider. ad Eugeniū.

Terra eſt mater humillima.

Fratres noſtri ſc angeli ſunt ſtabiles.

Hebr. 1.

Filij noſtri ſc opera ſint vtilia

I I J.

Miſericors eſt. Licet Saluator tradat hic doctrinam exemplarem de operibus miſericordiæ in patre, vt ad ſimilitudinem eius faciamus miſericordiam; non eſt tamen omnimoda ſimilitudo inter noſtram miſericordiam & Dei patris, quia ſcriptum eſt Eccl. 18. *Miſericordia hominis eſt circa proximum, miſericordia autem Domini eſt ſuper omnem carnem.* Eſt tamen aliqua ſimilitudo inter eos, ſcilicet vt ſicut ille dona ſua largiendo multiplicat, ſic & homo dona ſua debet multiplicare proximis. Vnde notandum quod miſericordia Dei eſt fortis intenſiuè, extenſiuè, & duratiuè; hominis verò debilis, infirma, & breuis. Primò miſericordia Dei eſt fortis intenſiuè, id eſt, maximæ eſt potentiæ quantum ad fortitudinem & potentiam deſtruendi humanā malitiam. Nam non eſt peccatum aliquod ita magnum, ita turpe, ita malitioſum, ita deforme, quin miſericordia Dei ſit maior ad remittendum, & potentior ad deſtruendū, Vnde Iſa. 1. *Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, quod eſt opus maximæ potentiæ. In hoc etiam eius miſericordia apparet fortis, potens, & magna, quia quantumcunq; iratus fuerit Deus, ſēper miſericordia vincit iram eius, quam totus mundus vincere non poſſit, iuxta illud. *Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* Et Iac. 2. *Miſericordia ſuperexaltat iudicium.* Secundò miſericordia Dei eſt fortis extenſiue, *eò quod miſericordia Domini extenditur & dilatatur ſuper omnem carnem.* Vnde in pſal. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Ipſe eſt ſicut fons, à quo recedunt riuuli miſerationum. *Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Tertiò eſt fortis duratione, quia quantumcunq; quis excedit contra eum, expectat vt miſereatur & parcat. Oppoſitum eſt de humana miſericordia, quæ eſt modica intenſiuè, quia vix aliquis mouetur precibus, gemitibus, & lachrymis vt miſereatur. Vnde habet ſe reſpectu diuinæ miſericordiæ ſicut ſcintilla reſpectu magni carbonis. Scintilla enim, quia habet modicum de igne, ideò ſi debet ex ea accēdi candela, oportet quod multum ſuffletur in eam, ſed carbo magnus ignitus ſtatim accendit. Sic eſt de homine, qui non citò miſeretur ſicut Deus. Propter quod Apoſtolus dixit; 2. Tim. 3. *Erunt homines ſeipſos amantes*, non dixit, alios Extenſiuè etiam miſericordia hominis eſt parua & debilis, quia naturaliter extenditur prius ad paren-

Miſericordia Dei fortis eſt.

Miſericordia hominis debilis

parentes, conſanguineos, aut amicos, raro autem ad extraneos, & vix vnquam ad inimicos, ideò ſignanter dicitur. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum.* Eſt etiam breuis duratione, quia non durat diutius, quã homo cernitur oculis. Sicut porcus compatitur ſocio, quamdiu audit eius clamorem. *Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.* Eſt igitur miſericordia Domini magna, maior, & maxima, & per conſequens multiplex. Magna in conferendo temporalia, quia dat eſcam omni carni, etiam pullis coruorum. Et: *facit ſolem ſuum oriri ſuper iuſtos & iniuſtos.* Et in hoc inſtruit nos, vt ſimiliter ſimus miſericordes inimicis noſtris, eis benè faciendo, pro eis orando, ipſos diligendo. Secundò mediocris eſt miſericordia Dei expectãdo ad pœnitentiam. *Miſericordia Domini, quod non ſumus conſumpti.* Si miſericors nõ eſſet Deus, non haberemus de peccatorib. iuſtos. Propter quod Apoſtolus reprehendit Romanos dicens; *An diuitias bonitatis & patientia & longanimitatis eius cõtẽnitis.* Nec ſolum expectat, ſed & reuocat ad pœnitentiam Iſa. 30. *Aures tua audient verba poſt tergum monentis.* Vnde Gregor. Debemus pietatem erubeſcere monentis, ſi iuſtitiam eius nolumus formidare. Sic nos debemus eſſe miſericordes, non ſtatim vlciſcendo iniurias noſtras, ſed aut indulgẽdo, aut expectando, & patientiam habendo, quouſque nobis proximi reconciliẽtur. Matt. 18. *Nonne & te oportuit miſereri cõſerui tui.* Et etiam aliquando reuocare ab errore, vel iam commiſſo, quod pertinet ad vnum; vel committendo, quod pertinet ad omnes. Eccl. 18. *Vnicuiq; Deus mandauit de proximo ſuo, vt eripiat eum.* Mediocris etiã gratia Dei apparet in conferendo gratiam gratis. Tit. 2. *Secundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Rom. 8. *Cum adhuc inimici eſſemus, commendauit Deus miſericordiam ſuam in nobis.* Item protegendo iuſtificatos. *Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi.* Item bona eorum multiplicando. Pſal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* In quo homo deberet etiam Deum imitari, gratiam ſcilicet beneficentiæ gratis dando. Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Contra vſurarios, qui vnicam horam nolunt gratis expectare. Deberet etiam homo protegere proximos, iuxta illud; *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Similiter bona eorum deberet multiplicare vbi poſſet, tam fortunę quam gratiæ. Tertiò maxima Dei miſericordia eſt in remunerãdo ſupra condignũ. Roman. 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam qua reuelabitur in nobis.* Et propter hoc vocatur vita æterna donum. Vnde Sap. 3. *Donum & pax eſt electis eius.* Poſſet aliquis credere, quod iſta remuneratio fiat ſanctis propter valorem ſuorum operum, quaſi opera noſtra ex ſui conditione forent condigna tanta remuneratione, quod non eſt, quia fiunt ex Dei liberalitate & acceptione ideo dicit, *quoniam donum & pax eſt electis eius.* Quaſi dicat. Pax æternæ beatitudinis, quæ eſt futura electis, eſt donum Dei liberaliter cõceſſum & ſupra condignitatem paſſionum præſentium præmiantis.

Eccl. 18. — Oſea 6. — Pſal. 146. — Matth. 5. — Thre. 3. — Rom. 2.

Circa quod breuiter quæro, vtrum homo adiutus gratia poſſit mereri vitã æternam ex condigno? Videtur primò quod nõ quia pro Deo omnia tenemur facere ex debito, etiamſi amplius facere poſſumus. Nã ſecundum Ariſt. 8. Ethic. cap. 9. Dijs non poteſt reddi æqualens. Si ergo ex debito, ergo non meretur *Cum omnia feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus fecimus quod debuimus.* Item quiſquis meretur ab aliquo, cõſtituit illum debitorem ſuum; Sed Deus nulli eſt debitor, ergo non poſſumus apud Deum mereri. Ad oppoſitum eſt illud Ierem 33 *Erit merces operi tuo.* Sed merces, quæ datur operi, correſpondet dignitati operis. 1. Tim. 4. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitia.* Si iuſtè, ergo ex condigno. Ad quod reſpõdeo hominem adiutum gratia mereri ad vitam æternam de condigno, poteſt intelligi dupliciter; vno modo, quod merita hominis tantũ valeant naturaliter, puta quod tanta ſit bonitas in natura & ſubſtãtia meriti, ꝙ ei debeatur vita æterna. Alio modo, ꝙ tãtum valeat legaliter ex inſtitutione legiſlatoris. Sicut parua pecunia cupri ex natura ſui ſine naturali valore non valet tantum, quantum vnus panis, ſed ex inſtitutione principis tantum valet. Iſto modo

Vtrũ homo poſſit mereri vitã æternã.

modo opera noſtra ex ſua naturali bonitate non merentur vitam æternam ex condigno, ſed de congruo tantum; quia congruum eſt, quod homini facienti ſecundum ſuam potentiam finitam detur præmium vitæ æternæ ex gratia, non ex ſubſtantia actus. Statuit enim Deus, quod bene operans in gratia habebit vitam æternam. Et per legem & gratiam principis noſtri Ieſu meremur vitam æternam de condigno. Quando ergo dicit, non ſunt condignæ paſſiones; Verum eſt naturaliter, ſed benè legaliter, vt dictum eſt. Ad illud Lucæ 17. *Fecimus quod debuimus*, Deo Chriſto ſic ſtatuente & ordinante, & non abſolutè ex natura redemptionis. Ad ſecundum quod Deus conſtituitur debitor ex natura ſui promiſſi non ex natura noſtri commiſſi. Sicut dicit Magiſter ſententiarum lib. 1. diſtinct. 13. capit. 4.

DOMINICA QVINTA POST TRINITATEM.

SERMO I.

Sedens de nauicula docebat turbas. Luc. 5.

TOTA vita Chriſti diſciplina morum fuit. Omnia enim bona mundi Chriſtus contempſit, quæ contemnenda docuit. Vnde de eo benè dicitur. *Cœpit Ieſus facere & docere.* Sicut igitur per alia ſua facta Chriſtus exemplum nobis viuendi oſtendit, vt quemadmodum ipſe fecit & nos faciamus; etſi non corporaliter, tamen ſpiritualiter, ita etiam per hoc, quod ſuper mare nauigabat, & de nauicula ſedens docebat turbas, vniuerſaliter totum mundum inſtruebat, vt per mare huius ſeculi in naui pœnitentiæ nauigemus. Ad hoc enim de nauicula ſedens docebat ſupra mare, vt doceret fugere inter pericula huius mundi ad ſecuritatem pœnitentiæ, quæ ſecundum Hieronymum epiſtola 88. eſt ſecunda tabula ſeu nauicula poſt naufragium. Nam ſicut baptiſmus eſt prima nauicula poſt naufragium originalis peccati, ita pœnitentia eſt ſecunda nauicula poſt naufragium actualis culpæ. Vnde ſi quis innocentiam in baptiſmo acquiſitam peccatorum actualium inundatione fœdauit, & de illa naui cadens naufragium paſſus eſt, recurrere neceſſe habet ad iſtam ſecundam nauiculam pœnitentiæ, ſine qua non eſt ſalus. *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis.* Quod ſi Chriſtus potens ſiccis pedibus mare pertranſire, non aliter etiam quam per nauem voluit transfretare, *Aſcendens in nauim, & transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam*. Quantò magis nos fragiles & debiles hoc mare magnum & ſpatioſum pertranſire non licet ſine nauis auxilio, vt ad portum veniamus. Et ſi ille non aliter quam nauis beneficio venit in ciuitatem ſuam, eo quod oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam; Quantò magis nos peccatores, qui culpis omnibus pleni ſumus, pati debemus, vt in eius ciuitatem perueniamus, hoc .n. Chriſtus ſignificat in naui nauigans, hoc eſt verbo & exemplo ſuo ſedens de nauicula docebat turbas. Tria nobis ſunt conſideranda. Primò quid ſignificet mare, in quo Chriſtus dicitur nauigaſſe, ſecundò, quid nauicula, de qua dicitur ſedens docuiſſe, tertiò, quæ fuerit ſapientia & ſcientia, quā turbis legitur prædicaſſe.

Luc. 13. *Matth. 9.* *Luc. 24.* *Propoſit.*

I.

Mare, in quo Chriſtus dicitur nauigaſſe, ſignificat mundum, qui tumultibus cauſarum quaſi quibuſdam vndis & fluctibus concutitur, in quo ſunt pericula & reptilia quorum non eſt numerus. Ita B. Gregorius. Benè etiam ſecundum ipſum, mundus mare dicitur; in quo corda hominum terrena quærentium diuerſis cogitationum fluctibus intumeſcunt, per illud tamen mare neceſſe eſt nos ire ad terram promiſſionis æternæ. Dicitur autem rectè mare mundus iſte, propter tria. Primò propter inquietudinem tempeſtatis; ſecundò propter amaritudinem acerbitatis; Tertiò propter inualetudinē ſanitatis. Primò, propter inquietudinem tempeſtatis; ſemper enim fluctuat, vnde nauigantes ſemper ſunt in periculo. *Qui nauigant mare, enarrāt pericula eius.* Sic in vita præſenti ſemper ſunt procellę & fluctuationes vndarum. Modo homo deprimitur per aduerſitatem, modo eleuatur per proſperitatem, modo languet per infirmitatem, modo gaudet per ſanitatem, modo dolet, modo ridet, modo circumdatur turbis amicorum, modo turbis hoſtium & inimicorum, modo exaltatur ad dignitatē, modo humiliatur ad paupertatem. Vnde Pſal. *Mirabiles elationes maris.* Ideò Auguſt. conſiderans tot pericula clamat; quamdiu miſer iactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te Domine & non exaudis? audi clamantem Domine in hoc mari magno, & redde me ad portum fęlicitatis æternæ. Fęlices, qui de periculo maris huius educti, ad te Deum portum tutiſſimum peruenire meruerunt. Hæc ille. Dicit Rabanus mare à meando dictum, eo quod ſemper meat & redeat. Sic & res huius ſeculi. *Quid eſt quod fuit ipſum quod futurum eſt? quid eſt quod futurum eſt ipſum quod faciendum eſt?* ergo mundus iſte in continuo motu eſt. Vnde homo in eodem ſtatu nunquam permanet & nunquam ſtat, ſed eſt in cōtinua mutatione & inſtabilitate. Iſta aūt inſtabilitas prouenit ex quatuor; vel ex culpa, vel ex ſtultitia, vel ex impatientia, vel ex negligentia. Primum patet. *Peccatum peccauit Ieruſalem, propter ea inſtabilis facta eſt.* Sicut enim pila de vno proijcitur ad alterum, & tandem cadit ad puteum, ita homo de peccato in peccatum, & tandem ad infernum. Vnde Iſai. 22. *Ponam te quaſi pilam in terram latam & ſpatioſam.* Huius autem ratio eſt ſecundum Apoſtolum. Nam quādiu peccator habet velamen ſuper cor ſuū, neceſſe habet tendere de malo in peius. Ideò citò eſt reſurgendum de peccato. Secundum patet, quia ſtultus vt luna mutatur, quæ nunquam videtur in vna nocte in ea figura, in qua videtur in alia. Ita ſtulti mutantur omni hora de vna affectione in aliam. Tertium patet. Prou. 5. *Cur deteſtatus ſum diſciplinam & increpationibus non acquieuit cor meum?* Eſt enim anima, quæ ſine patientia eſt, ſicut nauis ſine gubernaculo. Vnde cum tribulationibus agitatur, ſi defuerit patiētia; collidetur ad rupem. Quartum patet, quia anima eſt ſine timore multum negligens. Vnde timor eſt, ſicut lapides ſuperpoſiti aſſeribus, nè à ventis moueantur. Sic timor Domini cuſtodit hominem. Eccl. 25. *Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* Refert Macrob. 2. Satur. propè finem, quod aqua maris proiecta in ignē eū non tam extinguit, quam accendit. Cuius ratio eſt naturalis pinguedo aquæ marinę, quæ eſt denſa, ſalſa, pinguis & grauis. Aqua maris eſt iucunditas ſæcularis. Hæc iucunditas adiuncta flammæ iuuenilis ardoris eam accendit vltra omnem modum rectæ rationis. Et ideò deberent iuuenes virtuoſi ſe ab iſtis aquis ſubtrahere, & feruorem ſuę iuuentutis in aqua dulci extinguere. Eccl. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua.* Eſt & alia proprietas maris quod ſæpius incipientibus nauigare mare blanditur dulci aura; ſed poſt paruum tempus quātò magis fuerint eleuati, deijcit eos in profundum. Sic facit mundus ſuis amatoribus, quibus primò fauet dando honores & diuitias, ſed poſtquam fuerint melius proſperati & eleuati deijciuntur in infernum. Pſal. *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Sic contigit Nabuchodonoſor regi Chaldæorū, qui poſtquam fuit magis proſperatus in vita ſua, deiectus eſt à ſolio regali & brutis aſſociatus, & ſic pro corona regali cornua ſe habere putauit beſtialia. Vnde mundus eſt ſicut alchimiſta, qui pueros decipit oſtendēdo eis

Homil. 4. Idem l. 17 moral.

Mundus cur mare dicatur. Ratio. Mundus inquietus. Eccl. 43.

In ſoliloq. cap. 35.

Li. 3. de rerum proprietatib.

do eis pomum, quo ludit ante eos, & dãdo fimum ſcrophinum in os eorum ponit loco pomi. Cyrus rex poſtquam tres reges deuiciſſet, ſediſſetq́; in ſolio gaudens, regina Thamaris vxor vnius occiſi regis ſibi caput amputauit, in doliumq́; plenũ ſanguine proiectũ intinxit dicens; ſanguinem ſitiſti, ſanguinem bibe. Alexander cum eſſet in maximo culmine conſtitutus, & iret cõtra Romanos, ſoror ſua Cleopatra eum veneno interemit. Iulius Cęſar in ſummo dominio conſtitutus, cum iret ad capitolium, & ipſi de proditione litteræ præſentarẽtur, nec ipſas dignabatur aſpicere, moxque ab inimicis occiſus eſt, & ſic de alijs.

2. Ratio.

Secundò mundus dicitur mare propter amaritudinem acerbitatis, totum enim gaudium huius vitæ aſperſum eſt amaritudine. Vnde Greg in quadam homel. Vbiq; mors, vbiq; deſolatio, vbiq; luctus, vndiq; percutimur, vndiq; amaritudine replemur, & tamen tota mente carnalis concupiſcẽtię eius amaritudines amamus, fugiẽtem ſequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur, ipſo cadente cadimus. Hæc Gregor. Inter hæc tamen Deus multum clementer nobiſcum agit, quod ita mundi huius conſolationes amaricantur, ne nimis acriter amarentur. Vnde Auguſt. O munde, quomodo non deciperes dulcis, ſi ſic amarus blandimenta mentiris? Et Iſidorus; Seruis Dei cuncta huius mundi contraria ſunt, vt dũ iſta aduerſa ſentiunt, ad cæleſte deſiderium magis excitentur. Hæc ille. Facit Dominus electis ſuis ſicut nutrix puero, quæ volẽs ablactare puerum, linit mamillam ſinapi, ita Deus amaritudines delectationibus huius ſeculi miſcet. Vnde Gregor. reddens rationem huius dicit; Electis ſuis ad ſe pergentibus Dominus huius mundi aſperum iter facit, ne, dum quis præſentis vitæ requie quaſi viæ amœnitate paſcitur, magis eum diu pergere, quã citius peruenire delectet. Ne, dum delectatur in via, obliuiſcatur, quod deſiderabat in patria. Hæc ille. Licet autẽ aqua maris ſit amara, & per conſequẽs inutilis ad portãdum, eſt tamen vtilis ad nauigandum vltra alias aquas, & etiam ad potandum, ſi fuerit artificialiter diſpoſita. De primo dicit Ariſt. aqua ſalſa fortius ſupportat nauem, quam aqua dulcis. Vnde ſi ouum ponatur in aqua ſalſa, ſupernatat; ſi in aqua dulci ſubmergitur. Et ideò ſecurius contingit nauigare in mari quo ad hoc, quam in alijs aquis. Ita eſt de viris iuſtis, qui ſecurius viuunt in tribulationibus & amaritudine aduerſitatum, quam in proſperitate & delitijs. Vnde Iſa. *Ecce in pace amaritudo mea.* Tunc enim eſt pax conſcientię, quando amaricantur ei delectationes ſæculi, à quibus retrahitur. Dicit etiam ibidem Ariſtot. patticula 22. quod plus ſtiptica & amara potus dulcior apparet. Cuius ratio eſt, quia contraria poſita circa ſe magis ſentiuntur; & etiam, quia per tales ſapores pori linguæ melius aperiuntur. Sic poſt præſentes amaritudines melius ſentient electi cœleſtes conſolationes. Sicut exeunti de tenebris eſt lux accepta.

Gregor. Mundus amarus. — *Lib. 3 de ſum bono cap. 16.* — *Lib. 24. Moral.* — *De probl. part. 2. proble 3.* — *Iſa. 38.*

Amaritudines quomodo dulcorentur.

Sed quibus modis dulcorãtur iſtæ amaritudines? certè tribus. *Primò* per ſolis eleuationem. Sicut enim ſol eleuat vapores à mari, qui poſtea congelantur in nubes, de quibus dulciſſima redditur aqua; ſic viri ſancti agitati à tribulationibus, ſi eleuantur per conſiderationem æternorum gaudiorum, dulcia reputant, quæ patiuntur. Vnde Grego. Conſideratio præmij minuit vim flagelli. *Secundò* aquæ fiunt dulces ex conditione terræ, per quam tranſeunt. Vnde aquæ tranſeuntes per terram arenoſam fiunt dulces. Sic nos ſi cogitauerimus nos puluerem & cinerem, dulciter omnia hæc ſuſtinebimus. Vnde Hieronymus ait; facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Et Bernar. Ignis perpetuus inferni ad memoriam reductus, parem tibi reddet mappam & culcitram. *Tertiò* aquæ dulcorantur, ſi vas de cera virginea mittatur in mare, replebitur per poros cerę aqua dulci, quia cera non permittit niſi dulcem aquam penetrare. Iſtud vas eſt Chriſtus cõceptus de virgine, Spirituſancto cooperãte, qui cum ſit dulcis, *Spiritus meus ſuper mel dulcis,* non permittit per poros ſuorum vulnerum aliquid amarum intrare. Vnde ſi cogitemus eius ſancta vulnera, omnia erunt nobis dulcia, iuxta illud ad Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum à peccatoribus contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.*

Gregor. — *Epi. ad Rober. nepotẽ ſuum.* — *Eccl. 24.* — *Hebr. 12.*

Vnde

Vnde Ambroſ. in quodam ſermo. Chriſtus eſt omnia omnibus. Si vulneratus es, medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi indiges auxilio, virtus eſt; Si mortem times, vita eſt; Si tenebras fugis, lux eſt; Si cœlum deſideras, via eſt. Hæc ille. Hinc Iſai. 51. *Poſuiſti profundum maris viam, vt tranſeāt liberati.* Hoc eſt, quantumcunque homo ſit in profundo tentationis & tribulationis in hoc mari magno, viam tamen habet, per quam Chriſtus præceſſit. Tertiò mundus dicitur mare propter inualetudinem ſanitatis. Nō eſt aliquis quantumcūque bonæ complexionis, qui ita poſſit eſſe ſanus in mari, ſicut in terra. Illi qui in terra nutriti ad terrā ſunt aſſueti, quando ad mare veniunt, peſſimè patiuntur, & abominationem tantam habent; vt inter nautas non poſſint capita eleuare, Qui autem ibi nutriti ſunt, nihil ſentiunt. Moraliter non eſt aliquis ita ſanctus, qui ſi in ſæculo moretur, non inficiatur peccatis. Vnde ſæpius viri inconſueti ſæculo, cum veniunt ad ſeculares patiūtur nauſeam, eo quod diſplicent eis opera eorum. Sed qui quotidie nutriuntur in ſæculo, non ſentiunt ipſius fœtorem.

3. Ratio.

Mundus infirmus.

II.

Nauicula, in qua Chriſtus ſedens dicitur docuiſſe, fuit Petri, & ſignificat Eccleſiam militātem, cujus caput & vicarius eſt ipſe Petrus & eius ſucceſſores, in qua qui non fuerit, peribit regnante diluuio, inquit Hieronymus ad Damaſum. Et ponitur. 24. quæſt. 1. Quoniam vetus. Quia in hac Eccleſia ſub obedientia Petri conſtituta, & non in alia inuenitur remiſſio peccatorum per ſacramentum pœnitentiæ. Ideo congruè pœnitentia dicitur nauicula Petri, quia Petro datæ ſunt claues ligandi & ſoluendi in foro pœnitentiæ Matth. 16. Comparatur autem ſtatus pœnitentiæ nauiculæ triplici ratione, propter figuræ qualitatem; propter vecturæ commoditatem; & iacturæ poſſibilitatem. *Primò* propter figuræ qualitatem. Nauis enim figura ſtricta eſt in extremis, ſcilicet in principio & in fine; & lata in medio. Et iſto modo eſt de pœnitentia, in principio difficilis eſt propter defectum aſſuefactionis, & reſiſtentiam carnalis delectationis, iuxta illud Matthæi 7. Arcta eſt via, quæ ducit ad vitā, & pauci ambulant per eam. In fine etiam eſt anguſta, quia diabolus inſidiatur fini iuſti cuiuſcunq;. Vnde dicit gloſſa Iob. 6. Exiuit piſcis immanis ad deuorandum eū &c. Domino in cruce paſſo, diabolus, quo mouente crucifixus erat, aduenit, quærens ſi quid peccati in eo inueniſſet. Vnde mors eſt illa anguſta porta, de qua dicitur Luc. 13. *Contendite intrare per anguſtam portam.* Iſta porta eſt ita ſtricta, quod nullus oneratus diuitijs, nullus impinguatus delitijs, nullus ornatus præcioſis veſtibus poterit tranſire, donec deponat omnia, & nudus vadat. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc*, id eſt, in terram, quæ eſt mater omnium. In medio eſt via pœnitentiæ aliquantulum lata & ſufficienter ampla, quia ſecundum Boetium, paucis minimiſque natura contenta eſt. Vnde Beatus Gregorius. Via Domini non niſi in arcto itinere inchoatur, ſed amoris dulcedine dilatatur. Prou. 4. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Vbi gloſſa dicit: Semitæ æquitatis, dum inchoantur, arctæ videntur & anguſtæ; cum verò profectum capiunt, iam ex conſuetudine ſpacioſæ videntur & latæ. Vnde licet Pſalmiſta prius dixerat; *Ego cuſtodiui vias duras.* Tamen poſtea dixit; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* E conuerſo, mali ingrediuntur latam viam in principio, ſed in fine arctabuntur. *Arctabuntur greſſus virtutis eius.* Eſt ergo vna conditio nauis, quia eſt ſtricta in extremis, & ampla in medio. Alia vero conditio eius eſt, quod eſt clauſa verſus mare & aperta verſus cœlum. Sic anima pœnitēs claudi debet ad mundū & aperiri verſus cælū. Vnde ſicut nauis facta eſt ad calcandum mare; ſic anima pœnitentis debet calcare mundanā gloriam. *Secundò* comparatur pœnitentia naui propter vecturę cōmoditatē. Faciliter n. deportantur merces de terra ad terrā p naues Item exiſtens in inſula nullo modo poteſt exire, niſi per nauē. Iſto modo nos ſumus in in-

Pœnitentia & nauiculæ cōparatio.

1. Propter figuræ qualitatem.

Pſal. 118.

in inſula huius mũdi, nullo ſenſu exire poterimus ad cœlum: niſi per nauem pœnitentiæ. Et ideò iſtam nauiculam Chriſtus & eius diſcipuli primo intrauerũt, vt nos audaces efficerent. Illi qui non ſunt experti, cum timore intrant naues, experti verò & aſſueti ſine difficultate. In cuius figura dicitur Matt 8. *Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Item nauis eſt eſt vas commune, præcioſa & vilia omnia recipit & ſaluat & ad portum perducit. Iſto modo pœnitentia nullum reſpuit peccatorem quantumcunque ſit turpis, dummodo ſe proijciat in nauem pœnitentiæ ſaluabitur. In cuius figura Gen. 8. legimus, quod omnia animalia, quæ non intrauerunt nauem, quæ fuit arcam Noe, mortua ſunt.

3. *Propter iacturæ poſsibilitatem.* Tertiò pœnitentia comparatur naui propter iacturæ poſſibilitatem. Eſt enim nauis quaſi in continuis periculis propter ſcopulos, propter fluctus, propter voragines. Iſta enim ſunt pericula, quæ benè noſcunt nauigantes maria. Eccl. 47. *Qui nauigãt mare enarrãt pericula ei⁹.* Et ideò naui periclitãti quadrupliciter ſuccurritur. Primò per exonerationem; Secundò per foraminum obturationem; Tertiò per aquæ eiectionem; Quartò per anchorę fixionem. Primò prudens nauta, quando venit ad paſſum periculoſum, vbi timet ſubmergi, exonerat nauem ſuam ſicut dicitur Acto. 27. quod illi, qui cum Paulo erant in naui armamenta nauis eiecerunt; iſto modo, qui ſunt onerati diuitijs vel peccatis, antequam veniant ad paſſum periculoſum ſuæ mortis, exonerent ſe per confeſſionem & eleemoſynarum largitionem. *Secundò* ſuccurritur naui contra periculum per foraminum obturationem Senſus ſunt quaſi quædam foramina vel feneſtræ per quos aquæ tentationum ingrediuntur; & ideo iſti debent obturari per cuſtodiam bonam rationis, ad quam quia homo ex ſe non ſufficit, debet inuocare diuinum auxilium, dicens; *Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Debet ergò *tertiò* aqua eijci, ita quod ſi aliqua noxia delectatio intrauerit mentem, debet eijci per confeſſionem: *Quartò* debet figi anchora in re firma, hoc eſt, in Deo, qui non mutatur. Anchora eſt ſpes, Hebr. 6. *Confugiamus ad tenendum propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus tutam & firmam.* ad Romanos 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Naui periclitanti quomodo ſuccurratur.

1. (exoneratio) 2. (foraminum obturatio) *Pſal. 68.* 3. 4.

In maris periculis tria metuenda.

Sed eſt notandum, quod inter pericula maris inſolita, tria ſunt metuenda, ſcilicet Sirenum cantica, Circis pocula, ceti fallax inſula. Sirenes, ſecundum fabulas, fuerunt ex parte virgines, & ex parte volucres habitantes in mari. Et dicebantur Sirenes, quaſi attrahentes. Siren vel ſirene Græcæ, traho dicitur latinè, eo quod per dulciſſimam harmoniam homines auſcultantes ad ſe trahunt, & attractos occidunt. Vna enim canebat voce humana, alia tibijs ſeu fiſtulis, & tertia lyra ſonabat. Sicut refert Alexander Nequam in ſcintillario poetarum. Vlyſſes tranſiturus per eas, tali cautela vſus eſt, aures ſociorum ſuorum obturauit cera, ne aliquid de harmonia audirent, ſemetipſum malo, id eſt, arbori quæ erat in medio nauis alligauit, & ſic euaſit. Moraliter Vlyſſes ſapiens interpretatur, & deſignat mentem, in qua prudentia inhabitare debet. Tres iſtæ Sirenes corporales deſignant illecebras, quæ per diuerſas laſciuias attrahunt ad peccatum nauigantes per mare huius mundi. Sed mens prudens aures ſociorum, id eſt, ſenſuum corporeorum potẽtias obturat cera, id eſt, memoria noſtrę fragilitatis, & alligat ſemetipſum ad lignũ crucis ꝙ eſt malus nauis pœnitẽtiæ, & ſic euadit. *Secundũ periculum* in mari eſt Circis pocula; narrat Boetius. ꝙ Vlyſſes rediens de bello Troiano decennio errauit per mare; vno verò tempore videns quandam inſulam, in qua Circes pulcherrima domina, quæ filia Solis dicebatur habitabat, ad eam applicuit & intrauit. Iſta per incantationes & carmina miſcuit quædam pocula, per quæ omnes bibentes tranſmutauit, ſicut voluit, à natura humana in beſtias. Vnde ſocijs Vlyſſis porrexit de potione ſua, & mutauit vnum in aprum, alium in leonẽ, tertiam in ceruum, & ſic de alijs. Vlyſſi verò dederat Mercurius vnũ florem Moly quo poſſet cõtra tales incãtationes reſiſtere. Vnde nõ patiens tantã iniuriam euaginato gladio magam inſequitur, & eam in reparationem ſociorũ coëgit. Moraliter iſta maga fuit cupiditas ſæculi, quæ per

Lib. 3. de conſ. metr. 4.

per incantationes ſuas homines transformat in beſtias, ſpoliando eos ratione & mãſuetudine. Per quæ duo homo efficitur beſtialis & inhabilis ad conuictum. Vnde ex hoc fiunt quidam quaſi lupi rapaces, vt iniuſti milites; quidam vulpes ſubdoli, ſicut mercatores; quidam canes minaces, ſicut falſi aduocati, qui contra quemlibet latrant, niſi ab eo aliquid recipiant. *Tertium*
3. *periculum* eſt ceti fallax inſula. Eſt enim cete bellua marina, quæ colligens arenam in dorſo apparet exterius; ſupra quod lutũ creſcunt gramina & herbæ vireſcunt. Vnde quaſi monticulus virens nauigantibus apparere dicitur, qui decepti applicant vela, & ſoluunt, & ibi figunt. Cum autem æſtimantes ſe in terra, ignem accendunt pro neceſſarijs coquendis, beſtia ignem ſentiẽs ſe in mari ſubtrahit & ſubmergit, cum quo omnes pariter feruntur. Hæc beſtia ſtatum nobilium & honoratorum ſignificat. Nam multi ſimplices in ſæculo deſiderant dignitates æſtimantes in eis ſecuritates. Vnde vnus deſiderat Epiſcopatum, alter prælaturam, alter parochialem curam, alter palatinatum, alter iudicatum, & ſic de alijs, putantes ſe fælices ſi ſtatus huius mũdi aſſequantur. Sed poſtquam ſe credunt ſecuriores, tunc ſubmerguntur, & multo velocius deſcendunt ad infernum, quã prius aſcendebant ad talem gradum. Et tantum de ſecundo.

I I I.

Quænam eſt ſapientia & ſcientia, quã Chriſtus legitur ſedens turbis prædicaſſe? Duo dicuntur de Chriſto. Primo quod prędicabat; Secundo quod prædicabat ſedens, & vtrumque ſuæ dignitati conuenit. Eſt enim magiſter verus. *Vocatis me magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim.* Et ideò meritò ſedens docebat. *Et cum ſediſſet, aperiens os ſuum docebat Apoſtolos.* Vbi Beda;
Matt. 5. Sedens docet, quod ad magiſterij pertinet dignitatem. Eſt etiam iudex æquiſſimus, & ideo ſedens ſentẽtiam fert de operibus ſingulorum. Nam ſententia non eſt ferenda niſi ſedendo. Eſt inſuper remunerator largiſſimus, & ideo naturæ vnicuique deliberat reddere iuxta opus ſuum. Primo eſt magiſter doctiſſimus, ideo ſedens docet de nauicula, quietus docet, quia ſedens, vt quietos eſſe doceat, qui docentur. Nullus enim doceri poteſt ab hoc magiſto melius, niſi ſedeat, id eſt, quieſcat à peccato, iuxta illud; *Quieſcite agere peruersè, diſcite bene facere.* Docentur autem ab iſto magiſtro Iſa. 1.
diuerſimodè; Nam reges & principes & omnes iudices terræ docentur iuſtè iudicare *Diligite iuſtitiam, qui præeſtis populis.* Et Pſal. 57. Luc 6.
Pſalmiſta. *Rectè iudicate filij hominum.* Et ratio eſt; *In qua enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Sed *heu iuſtitia & veritas corruit in plateis* Docet mercatores, vt non habeant diuerſa pondera. Deut. 25. *Non habebis in ſacculo tuo diuerſa pondera*, ſcilicet maius quo ad te, & minus, quo ad proximum. *Nec erit in domo tua maior & minor modius.* Docet agricolas & mechanicos, ne vile pro bono vẽdãt, ne fraudẽ faciant, ne Iſa. 59.
contra proximum falsè iurent, ne ad vſuram mutuent. De quibus Pſalmiſta. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et ſequitur: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit malum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum &c.* Docet mulieres eſſe obedientes ſuis ſoceris, diligentes maritos, ſicut parentes docuerunt Saram vxorem Tobiæ minoris. *Apprehendentes enim parẽtes filiam ſuam monuerunt eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.* Secundo ſedet Chriſtus vt iudex æquiſſimus & ſecretiſſimus. Vnde in Pſal. 14. Tob. 3.
pſalm. dicitur; *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis virga regni tui.* Virgam vocat gladium bis acutum, quo pręſcindet corpus ab anima in iudicio. Vnde Pſal. 44.
in Pſalm. *Reges eos in virga ferrea.* Hæc virga corriget illos, qui hodie ſe non corrigunt. *Quod ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Vnde, Qui ſe corrigit, Pſal. 1.
non eſt corrigendus. Tertio Chriſtus ſedet vt remunerator largiſſimus. Iſtud erit quãdo vocabit operarios reddere illis mercedẽ 1. Cor. 11.
ſuam. Tunc enim non qualitercumque euadet, ſed maturè, deliberatè, & ſucceſſiuè reddet vnicuique ſecundum opera ſua. & cæt. Matt. 20.

DOMINICA QVINTA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

INter cætera mala pœnalia, quæ homini acciderunt ex peccato primorum parentum, est vnum præcipuum, difficultas ad bonu operandum, ita quod non potest homo expedite ſecundum ſua naturalia in operatione boni procedere. Si primus homo in ſtatu innocentiæ perſtitiſſet, omnes eius poſteri meruiſſent ſine labore. Cuius ratio eſt, quia perfecta fuiſſet obedientia carnis ad ſpiritum. Sicut enim mouetur cælum ſine fatigatione & labore, eo quod ſuo motori non reſiſtit, ita corpus tunc ab anima ſine labore fuiſſet motum. Iã vero nec cogitare Deum, nec de eo loqui poſſumus ſine labore corporis, & multò minus operari meritoriè ex nobis ſine magno labore, Vnde in pſalm. *Exiſtimabam, vt cognoſcerem, hoc labor eſt ante me.* In tantum verſa eſt in contrarium noſtra conditio, vt qui nati fuiſſemus ad quietem, ſi peccatum non eſſet, generaliter & quaſi naturaliter naſcimur ad laborem, dicente Iob. 5. *Homo ad laborem naſcitur.* Sicut autem peregrinus veniens ad concurſum viarum, eligere poterit per quam viam voluerit ambulare, nullam tamen ibit ſine labore. Ita homo poſitus in hac vita multas vias viuendi inuenit, in diuitijs, in paupertate, in honore, in ſeruitute, in delitijs, in miſerijs, ſed nullam arripiet, in qua nullum laborem non inueniret. Si diues eſſet voluerit, in diuitijs congregandis, ſeruandis, & diſpenſandis neceſſario laborabit. Eccl. *Laborabit diues in congregatione ſubſtantiæ ſuæ.* Et ſtatim ſequitur. *Laborabit pauper in diminutione victus.* Et ſic vbique diſcurrendo ſemper laborem inuenit, quoniam hæc eſt maledictio toti generi humano inflicta Geneſ. 3. *Maledicta terra in opere tuo in laboribus comedes ex eo omnibus diebus vitæ tuæ.* Propter quod Salomõ attendens tantam anxietatem, dixit Eccl. 1. *Vidi omnia quæcunque ſub ſole erant, & ecce labor & afflictio ſpiritus.* Ex quo neceſſario concluditur, quod homines ſecundum ſua naturalia, quantumcunque laborauerint ſine auxilio gratiæ diuinæ, non poſſunt aliquid meritoriè agere, ſeu mereri quantum ad vitam æternam. Vnde laborare poſſunt, fatigari poſſunt, ſed vltimo ſine gratiæ diuinæ auxilio nihil poſsũt capere, eò ꝙ *gratia Dei vita æterna.* Rom 6. Et ob hoc poſt omnẽ corporis fatigationem, poſt totalem virium conſumptionem, nihil inuenientes vtilitatis, vltimo habent clamare & profiteri coram Deo ſuum defectum, dicentes; *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* In verbis iſtis tria deſcribuntur Primo humanæ vitæ deformitas, quia *per totam noctem.* Secundo mundanæ calamitatis pœnalitas, *quia laborantes* Tertio huiuſmodi laborioſæ pœnalitatis vanitas, quia *nihil cepimus.* Et ita tanguntur hic tres defectus hominis, obſcuritas ex parte temporis, quia *per noctem.* Secundo pœnalitas ex parte oneris, quia *laborantes* Tertio vanitas ex parte operis, *quia nihil cepim⁹.* Cõtra quos tres defectus ponuntur conſequenter tres profectus gratiæ in ſtatu gratiæ & gloriæ, ſcilicet luciditas & præclaritatis pulchritudo, quia *in verbo tuo.* Facilitas amœnitatis, *quia laxabo*; ſatietas & capacitatis plenitudo, quia rete &c.

Difficultas bona operandi magna pœna.

Pſal. 72.

Eccl. 31.

Propoſit.

I.

Per totam noctem. Status vitæ humanæ

comparatur nocti propter tenebras culpabiles. Vnde peccata, quibus iſta vita plena eſt, deſignantur per tenebras in ſcripturis; iuxta quod dicitur de AEgyptijs peccatoribus, Sapient. 17. quod ipſis fuit ſuppoſita grauis nox & imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat. Ipſi igitur grauiores ſibi erant tenebræ. Deſignātur autem peccata per noctem & tenebras quadruplici ratione. *Peccata cōparantur nocti* Sunt enim corporales cauſa erroris & deceptionis; cauſa horroris & ſtupefactionis; cauſa languoris & deſolationis; cauſſa timoris & dormitionis. Sic etiam peccata. Primò ſunt cauſa erroris & deceptionis. Vnde qui ambulant in nocte faciliter deuiant, faciliter ceſpitant, & faciliter cadunt. Ioan. 12. *Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadit.* Et generaliter nullus artifex, nullus operarius, poteſt in tenebris artem ſuam ſine erroris periculo exercere. Apud Martialem *li. 1 Epigram.* Cum pictor quidam redargutus fuit à quodam paraſito, quare pulcherrimas imagines pingeret, & turpiſſimos filios generaret; reſpondit ipſe; quia generaui in tenebris & pinxi in luce. Vnde metricè dicitur; *Galba bonus pictor homines pinxiſſe decoros, Fertur, & indecoros progenuiſſe natos.* In tantum etiam mortis tenebræ decipiunt hominem, vt omnis, qui vult malè facere, vt aptius faciat, odit lucem, quia per tenebras malefactor ſe protegit & alios improuiſos circumuenit; & ideo omnia vitia communiter fiunt de nocte. Patet de Loth peccante cum filiabus Geneſ. 19. Et de duabus mulieribus, quarum altera ſub traxit alteri filium viuum. 3. Reg. 3. Et Chriſtus de nocte fuit captus, vt patet per omnes Euangeliſtas. Vnde Luc. 22. dixit eis Chriſtus; *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* In tenebris noctis capta fuit Troia, ſicut narrat Dares phrygius. In tenebris furantur fures. Iob. 24. Perfodiunt in tenebris domos. Sicut igitur iſtæ tenebræ corporales multis ſunt occaſio peccati, ita & tenebræ ſpirituales, quæ ſunt ſubtractio gratiæ diuinæ ab anima, ſunt occaſio homini ad peccandum. Nam quam citò auffertur lumen ſeu ſol diſcretionis à ratione in homine, ſtatim cadit in tenebras peccati, iuxta illud pſal. *Neſcierunt neque intellexerunt.* *Pſal. 81.* Ecce defectus veræ diſcretionis in cognoſcendo. Et ſequitur. *in tenebris ambulant.* Iſtæ tenebræ morū plus ſūt metuendæ quam oculorum. Auguſtin. *In ſent. Proſperi cap. 34.* Fingunt poëtæ quod omnes peſtes infernales, quæ dicuntur eſſe vitia & ſupplicia, natæ fuerunt de nocte & Achironte. Eſt autem Achiron fluuius infernalis. Et dicitur ab, à, quod eſt ſine, & chiron gaudium, quaſi ſine gaudio. Vel, à, quod eſt ſine, & cheron quod eſt ſalutatio, quaſi ſine ſalutatione. Eodem modo moraliter omnia vita generata ſunt per noctem, id eſt, Diabolum, & Euam, quæ non fuit ſalutata à diabolo gaudio, ſed decepta & maledicta. *Gen. 3.*

Sed diceres; Ex quo, vt ſupra dictum, nox & tenebræ culpæ cauſantur in homine per ſubtractionem luminis diuinæ gratiæ, videtur quod homo ſit excuſabilis, qui tales tenebras incurrit, cum Deus ſubtraxit ipſi eas ſine voluntate. Ad quod reſpondeo; quod aliter cauſatur nox iſta materiali quam ſpiritualis. Nam materialis cauſatur per receſſū luminis à noſtro hemiſphærio ſeu aſpectu. Quoniā poſtquam ſol incipit ſub terra moueri & à noſtro aſpectu [illegible], ſtatim cauſatur nox, & ſic ſubtractio ſolis & receſſus eius à nobis cauſat noctem. Sed ſic non eſt de nocte ſpirituali, quæ non fit per receſſum gratiæ diuinæ à nobis, ſed per receſſum noſtrum ab ea. Ipſa enim gratia quantum ad ſe, ſemper præſto eſt adeſſe homini, & illuminare continuè animam eius. Sic quod poſtquam ſe voluntas noſtra ſubtrahit ab ea per inclinationem & conuerſionem à bono incommutabili ad bonum commutabile, tunc recedit ab eo gratia diuina. Propter quod Innocentius quartus dicit, Chriſtus eſt fidelis ſocius, quia non dimittit hominem niſi prius dimittatur. Et Auguſtinus li. 3. Sup pur. cap. 3. dicit; Deus, à quo auerti cadere eſt, ad quem cōuerti ſurgere eſt, in quo manere conſiſtere eſt. Deus quem nemo amittit niſi deceptus; nemo quærit niſi admonitus;

nitus; Nemo inuenit niſi purgatus. Dicit etiam Robertus Holcoth, quod Cain recedendo à ſapientia incurrit homicidium, & ex hoc dicit, quia prius ordine naturæ homo dimittit Deum & recedit ab eo. Prius enim ordine naturæ homo peccat, quam priuatur gratia, licet ſimul tempore. Vnde Bernardus; Dulcis Ieſus primus eſt in acceſſu, vltimus in receſſu. Vnde peccatores dicunt Deo; *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Et Gloſſa ordinaria ſuper illud. Miſericordiæ Domini, quod nõ ſumus conſumpti, dicit, Fons miſericordię non exſiccatur, niſi tu prius fueris exſiccatus. Vnde imaginandum eſt, quod ſicut ſuſpenſio nubis condenſat tenebras hic inferius; ſic quando in anima eſt ira & rancor, vel inflatio ſuperbiæ, vel obnubilatio carnalis concupiſcentiæ; tunc ex recordatione rancoris vel delectatione ſuperbiæ, vel carnalitatis cauſatur nebula tenebroſa obſcurans animam, quæ à ſe excludit gratiã diuinam. Et iſta vocatur macula ſeu tenebræ interiores. Non ergo ſubtractio gratię diuinæ eſt in cauſa huius noctis & maculæ tenebroſæ effectiuè, ſed ipſa voluntas liberi arbitrij, quæ principaliter remouet ſe & ſubtrahit ab hac luce, & obturat feneſtram cordis, ne intret lumen ſolis diuinæ gratiæ. Vnde ſicut obſcuritas cauſata in camera per clauſuram ſolis, non eſt effectiuè à ſole, ſed à claudente feneſtram, ita & hic. Benè tamen concedi poteſt ſecundũ quoſdam, quod gratia diuina eſt cauſa permiſſiua huius obſcuritatis hominis, quia permittit obſcurari animam per peccatum, ſed cum operante libero arbitrio, cui totũ hoc imputatur. Vnde licet opus meritorium non eſt ſoli arbitrio deputandum, ſed magis gratiæ, ita econuerſo opus culpabile & demeritorium totaliter eſt attribuendum libero arbitrio. Eſt ergo dicendum, quod hæc nox culpæ cauſatur per auerſionem liberi arbitrij à Deo, cui meritò ſubtrahitur gratia, quia non eſt conuentio lucis ad tenebras. Vnde ſicut rectè poſt pluuiæ inundationem relinquuntur vapores, ex quibus cauſantur nebulæ tenebroſæ & obſcuræ, ita poſt pluuiam carnalis concupiſcentiæ, vel alterius peccati, relinquitur tenebroſitas, quæ prohibet ne homo clare Deum videat, & quod plus eſt, ne lucem à tenebris diſcernat. Intantum enim obtenebrantur carnales homines, vt illecebroſum amorem & fœtidum verum factum eſſe dicant. Vnde Iob.24. *Perfodiunt in tenebris,* ſcilicet carnalis amoris, *domos, & ignorant lucem* ſcilicet ſpiritualis amoris. *Secundo* tenebræ corporales ſunt cauſa horroris & ſtupefactionis. Iſa.21. *Tenebræ ſtupefecerunt me.* Et Geneſ.15. *Horror magnus & tenebroſus inuaſit Abrahãm.* Eodem modo peccata in præſenti vita reddunt hominem ſtupidum & timidum, dictante conſcientia propria puniendum à Deo iuxta illud; *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Et Sap.17. *Semper enim præſumit,* id eſt, pręcogitat ſibi pœnam futuram, *ſaua & perturbata conſcientia.* Vnde poteſt peccator dicere illud Pſalm. *Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* *Tertio* tenebræ corporales ſunt cauſa languoris & deſolationis. Omnis enim infirmitas, vt communiter plus de nocte quam de die affligit infirmum, & magis patiuntur languidi in nocte quam in luce. Vnde Tob.5. *Quale gaudium mihi eſt, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Propter quod dixerunt antiqui quidam, quod anima intellectiua coniungitur corpori mediante quadam luce. Et iterum, quod omnis ſenſus operatur quadam luce. Et Ariſtoteles dicit, quod intellectus agens eſt habitus velut lumen quoddam. Et Auguſt. in diuerſis locis; Veritas non videtur niſi in quadam luce ſui generis, quæ omnia lucis nobilitatem oſtendunt. Et ideo ſicut in luce eſt vera hominis ſalus & ſolatium, ita in tenebris eſt deſolatio & omnis languoris augmentatio. Sicut autem gratia lux eſt, ita abſentia gratiæ tenebræ ſunt, vt dictum eſt, quæ hominem ad languorem deſperationis inducunt. Vnde omnes dies peccatoris ſunt triſtes & deſolati. Iuſti autem ſolatioſi & læti, iuxta illud; *Cuncti dies peccatoris mali. Secura mens quaſi iuge conuiuium.* Hinc dicitur de peccatore; *Cunctis diebus vitæ ſuæ comedet in tenebris, & in curis multis, & in ærumna & triſtitia.* *Quarto* tenebrę corporales ſunt cauſſa torporis & dormitionis. Nec mirum; Abſentia enim gratiæ diuinæ reddit potentias ſenſitiuas ligatas, & præ-

Margin notes: ſuper 10. li. Sap. 6 — Bernard. — Iob.21. — Thren. 3. — 2. — Rom.2. — 3. — 2. de anima. — Eccl.5. — 4.

& præcipuè potentiam motiuam vt nihil bonum & meritorium ad præmium vitæ æternæ poſſit interim operari. 1. Regum 1. *Impij in tenebris conticeſcent*. Et vero *conticeſcent*; quia nō eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Pſalm. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas*. Vnde quam citò diabolus peccauit, factum eſt ſilentium in cęlo. Apoc. 12. Qui mox, vt peccauit, à laude Dei conticuit, vt dicit Hugo. Vnde ei dicitur; *Vbi eras cum laudarent me aſtra matutina?* Additur autem. 1. Reg. 1. in auctoritate prædicta. *Quia non in fortitudine ſua roborabitur vir*. Hoc eſt dicere ſecundum Robertum Holcoth ſuper lib. Sap. Quia naturalia non ſufficiunt ad merendum vitam æternam ſine lumine gratiæ diuinæ cooperante, iuxta illud Apoſtoli; *Non ego operor ſolus bonum, ſed gratia Dei mecum*. Vnde gratia Dei vita æterna. Sicut ergo peccatū dicitur nox & tenebræ, ita gratia dicitur mane & diluculum propter multas cauſas quas ponit Innocentius quartus ſuper illud pſal. *Mane aſtabo tibi*. *pſal*. 5. *Primo*, quia ſicut mane latrones fugiunt, ſic & in infuſione gratiæ fugiunt dæmones. Exod. 14. *Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce Dominus reſpexit ſuper caſtra Ægyptiorum, & interfecit exercitus eorum*. Iob. 24. *Si ſubito apparuerit aurora, arbitratur umbram mortis*. Ioan. 3. *Qui malè agit, odit lucem*. *Secunda ratio*, quia ferè tunc abſconduntur, id eſt, prauæ cogitationes. Pſal. 103. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſibūt omnes beſtiæ ſiluæ*. Et ſequitur. *Ortus eſt ſol & congregati ſunt* ſcilicet ad cubile. *Tertia ratio*, quia ſicut mane alleuiantur infirmitates, ſic in ortu gratiæ tentationes mitigantur. Iſa. 38. *Sperabam vſque ad mane*. Iob. 8. *Si diluculo conſurrexeris ad Deum & omnipotentem fueris deprecatus, ſi mundus & rectus inceſſeris ſtatim euigilabit ad te & pacatum reddet habitaculū iuſtitiæ tuæ*. *Quarta ratio*. Sicut mane cantant aues, ſic in aduentu gratiæ cantat turtur contritionis. Cant. 2. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*. Item philomena lætitiæ Iob. 38. *Vbi eras cum me laudabant aſtra matutina?* *Quinta ratio*, quia mane excitantur homines à ſomnis. Cant. 7. *Mane ſurgamus ad vineas* Hoc ſignificatum eſt. 3. Regum. 19. Vbi angelus Domini excitauit Helyam dormientem. *Sexta ratio*, quia tunc homo præparat ſe ad bene operandum. Pſal. 103. *Exibit homo ad opus ſuum*. Rom. 13. *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*. *Septima*, quia tunc homines ſurgunt de ſuis lectulis, id eſt, à carnalibus deſiderijs. Cant. 3. *In lectulo meo per noctem quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui & non inueni*. *Octaua*, quia tunc homines expellunt tenebras ignorantię *Rurſus poſt tenebras ſpero lucē*. *Nona*, quia tūc homines ad prandium incipiunt præparare. Vnde Exod. 16. filij Iſraël mane colligebāt manna. In hoc ergo *mane*, id eſt, in ortu gratiæ, dicit pſalm. *aſtabo tibi*, præparatus ſcilicet ad ſeruitium. Et in iſto mane quicunque laxat retia ſua multum capit.

[Margin notes: Pſal. 49. — Iob. 38. — Rom. 6. — Gratia vocatur mane ſiue aurora. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — 6. — 7. — 8. — 9.]

II.

Laborantes. Totus occurſus præſentis vitæ, quantumcunque delectabilis appareat, non eſt aliud in rei veritate, niſi pœnalis labyrinthus & onus grauiſſimum. De quo conqueruntur tam iuſti dicentes; Matth. 20. *Portauimus pondus diei & æſtus*; quam etiam reprobi, dicentes Sapient. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis*. Vnde non eſt differentia in hoc inter iuſtum & impium, omnis homo indifferenter ad laborem naſcitur. Iob. 5. Non eſt quicquam ſine labore ſub ſole, non eſt ſine defectu ſub luna, non eſt ſine vanitate ſub tempore, inquit Innocentius. O quam vana, ſecundum ipſum, ſunt ſtudia hominum; quam diuerſa ſunt exercitia! vnus eſt tamen finis omnium, & idem affectus & afflictio ſpiritus. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, in diem ſepulturæ in matrem omnium*. Et ibi deducit de diuerſis laboribus diuerſorum ſtatuum. Nam omnes ſtatus hominum ſunt in continuo labore & afflictione. Veruntamen licet indifferenter tam iuſti quam peruerſi & reprobi laborare non ceſſant, ſicut probat inductiue, diuerſimodè tamen procedunt. Vnde diuerſi ſunt eorum labores. Eſt enim labor quidam

[Margin notes: Onus huius vitæ grauiſſimum. — Innoc 4. de vilitate conditionis humanæ. c. 10. — Eccl. 40.]

dam communis tam bonorum quam malorum; Alter eſt labor tantum malorum, & tertius labor tantum bonorum. Primus labor habet vtilitatis temporalis fructum; Secundus habet luctum pœnæ gehennalis; 1. Tertius habet fructum mercedis æternalis. *De primo labore* ſcilicet communi omnium patet, quia tam ſapientes quam inſipientes, tam diuites quam pauperes, tam ſerui quam Domini, iuſti & iniuſti ſubduntur graui labori iuxta conditionem ſtatus ſui. Nam ſapientes indifferenter tam iuſti quam iniuſti habent magnam difficultatē in cognoſcendo veritatem, requirendo ſapientiam, & acquirendo. Ita deducit Innocentius quartus lib. de vilitate humanæ conditionis, cap. 11. Vbi ponit exemplum de Salomone qui de ſe dicit; *Dedi cor meũ, vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam, & agnoui, quod in his eſſet labor & afflictio ſpiritus, eo quod in multa ſapientia multa indignatio, & qui addit ſcientiam addit laborem. propter quod dicit idem cunctæ res difficiles, nemo eas poteſt explicare ſermone* Et iterum; *Eſt homo, qui diebus & noctibus ſomnum non capiet oculis ſuis, nulla opera Dei poteſt indagare ratione, & quanto magis laborabit ad inquirendum, tāto minus inueniet.* Hæc Innocentius. Cum ergo nullus ſit ſapiens à natura, vt dicit philoſophus. certè tam iuſtus quam iniuſtus oportet eam acquirere, non tamen ſine labore & difficultate. Dicit enim Aug. Sapientia ſi non totis viribus concupiſcatur, inueniri non poteſt Propter quod narrat Hugo. Quod lectum ſapientiæ quatuor iuuenes portabant, duo adoleſcentes, & duæ puellæ, ſcilicet amor & labor, cura & vigilia, quæ omnia plena ſunt difficultate. & Iohannes in Policraton libr. 4. narrat, quod ſapientia apud gentiles ſcribebatur præ foribus in imagine principis, cum his verſibus; *Vſus me genuit, memoria peperit, Sophiam me vocāt Græci, Latini ſapientiam.* Hinc Salomon ponens modum acquirendi eam dicit quod ſit quærenda & effodienda cum labore graui, ſicut effodiuntur theſauri de terra. Patet iſte labor in antiquis philoſophis, qui pro acquirenda ſapientia multa ſuſtinuerunt. Nam quanta

Innocent.

Eccl. 1.

Ibid. 8.

6. Eth. c. 8

libr. 1. De moribus Eccl. & Manich. cap. 9.

Hugo in l. didaſcali part. 2.

Sapientia cum labore quærēda.

Prou. 2.

ſuſtinuit Plato peregrinando Aegyptum & magnam Græciam vt ſapientiam acquireret. Similiter refert Valerius quod Carneades laborioſiſſimus ac diuturnus philoſophus fuit, qui vſque ad nonaginta annos ſtuduit. Socrates vſque centum quatuor annos ſtuduit. Chryſippus vſq; ad octaginta annos ſtuduit. Sophocles propè cētū vnum annos. Si ergo iſti tantum ſtuduerunt in acquirenda veritate & ſapientia humana, & cum tanta difficultate & labore inquiſierunt eam, quanto magis Chriſtiani deberent ſubire labores acquirendo ſcientiam ſalutarem audiendo verbum Dei, in quo conſiſtit tota ſapientia audientis. Dico non tantum in iuuentute, ſed etiam quouſque ad ſenium nunquam deſiſtentes, ſicut audire & ſic bene facere. *Fili accipe in iuuentute tua doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam.* Sic fecerunt ſancti, qui longo tempore deſiderabant pro ſapientia diuina. Nam Hieronym. Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, & Bernardus, & ſic de alijs, qui etiam eam nobis in ſcripturis reliquerunt. Sed ecce hodie cōtrarium inuenitur in Chriſtianis, qui negligentes ſunt in addiſcendo modo benè viuendi, & morum ſanctitate, ſed ſunt diligentiſſimi in acquirendo iura ciuilia propter temporalium vtilitatem; artem bellandi propter rapacitatem; artem negotiandi propter paupertatem, & ſic de alijs, Quæ acquiſierunt propter vitæ præſentis promotionem, & adminiſtrationem. Cum tamen dicit Seneca paganus Epiſtola. 18. Vel ſecundum communes libros. 36. quod omnia alia negligenda ſunt, vt ſtudio benè viuendi aſſideamus, cui nullum temporis ſatis magnum eſt, etſi à pueritia vſq; ad humani æui terminos vita producatur, non ſolum autem in acquirendo ſapientiā, ſed etiam victus neceſſaria, multi ſunt labores omnium mortalium, eo quod omnes in ſudore veſcuntur pane. Vnde omnes currunt & diſcurrunt per ſepes, per ſemitas, aſcendunt montes, tranſcendunt colles, tranſuolant rupes, peruolant alpes, tranſgrediuntur cauernas, rimantur viſcera terræ, profunda maris, incerta fluminis, opaca nemorum, inuia ſolitudinis, exponunt ſe ven-

lib. 8.

Eccl. 6.

Gen. 3.

& ventis & imbribus,tonitruis & fulminibus,fluctibus,procellis,ruinis, & præcipitijs,metallum cudunt & conflant, lapides ſculpunt, ligna ſcindunt & dolant,telas ordiuntur & texunt,veſtes incidunt &conſumũt, ædificant domos,plantãt vineas & hortos,excolunt agros, ſuccendunt clibanos,extruunt molendina,piſcantur,venãtur,& occupantur,meditantur, & cogitãt, conſiliant,& ordinant.Et hæc omnia ſecũdum Innocentium faciunt homines vt nutriantur. Non ſolum autem hoc faciunt iniuſti, ſed etiam iuſti & ſancti, *qui labores* Pſal. 127. *manuum ſuarum manducant*, vt dicitur in pſal. Magis iſtis laboribus iuſtis & licitis inuigilant, vt habeant, vnde neceſſitatem propriam ſuſtentent,& vnde neceſſitatem tribuant patienti,vt dicit Apoſtolus. Iniuſti verò, qui de mendacio viuunt, licet aliquando laborare videntur, tamen magis, ſecundum Innocentium furantur, mercãtur,contendunt, præliantur, & innumerabilia talia vt opes congerant & quæſtus multiplicent, ſectantur lucra vt dignitate excellant,vt poteſtate excedant. Et hoc quoq; labor &mentis afflictio eſt, vt probat Salomon Eccleſiaſtes. Quid de pauperibus qui inedia præmuntur? fame cruciãtur?ærumna,fame,ſiti,frigore, & nuditate frigeſcunt;tabeſcunt,ſpernuntur, & confunduntur?O miſerabilis conditio mendicantis!ſi petit,pudore confunditur, ſi non petit,egeſtate conſumitur,ſed vt mendicet, neceſſitate compellitur.De afflictione dominorum & ſeruorum quid attineat dicere?ſeruus minis terretur, angarijs fatigatur,plagis percutitur; Dominus ſi eſt crudelis,oportet eum timere; propter nequitiam ſubditorum, oportet eſſe vndique ſemper munitum,vndique eſſe paratum,vt poſſit malignantium inſidias præcauere, impugnantium iniurias propulſare,hoſtes atterere,ciues tueri Nec ſufficit diei malitia ſua;ſed dies diei labores eructat, & nox nocti ſollicitudinem indicat.Dies ergo laborioſi ducuntur, & noctes inſomnes impenduntur. Hæc Innocentius vbi ſupra capitulo 14. Et iſte eſt labor communis bonorum & malorum, quia quo ad hoc, qua eſt vtriuſque conditio. *Secundus labor* 2. eſt malorum tantum,qui dicunt, *Laſſati ſumus in via iniquitatis.* Sap. 5. Hic labor eſt difficilimus & cum maiori labore perfici poteſt. Peccator autem ſeruit mundo, diabolo,& carni, Hierem. 9. *vt iniquè agerent,laborauerunt*. Sed certe quamuis ſit labor ille difficilis, tamen a peccatoribus non ſentitur,quia ipſi libentius ſuſcipiunt laborem pro deſiderio voluptatis q̃ pro amore virtutis,inquit Leo Papa. Et Gregorius ſuper Ezechielem; Quibuſdam prauis mentibus nihil eſt laborioſius, quam ſi eis præcipiatur,vt huius mundi actibus nõ laborent, & quantus eſt labor ſuſtinere haſtiludia,torneamenta militibus,quãtus labor tranſire maria, periculoſos paſſus ſpaciari mercatoribus,ſeruire in curijs regum vel principum,adulari cum obiurgationibus dominorum, cum remorſu cõſcientiæ,cum inuidia ſociorum,cum omni infortunio corporali,pro præbendis & dignitatibus pro Epiſcopatibus & prælaturis. *Tertius labor* eſt bonorum tantum ſeu 3. pœnitentium & contritorum, per quem dimittuntur peccata & acquiritur conſolatio æterna. De remiſſione peccatorum dicitur in Pſal. *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata* Matt. 11. *mea.* De conſolatione æterna dicitur. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Sextus Iulius narrat, li.1 Stratagemat. ca 51. quod Cyrus rex Perſarum volẽs milites ſuos concitare contra Medos,duxit eos ad quandam ſyluam, & ibi eos tota die fecit laborare ſuccidendo ligna,in craſtino autem eis fecit optimã cœnam cum gaudio & lætitia,& demum interrogauit,quis dies eis magis placuiſſet,primus an ſecundus; Qui reſponderunt quod ſecundus. Quibus ille ſubiunxit; Sicut per laborem heſternum ad hodiernum conuiuium perueniſtis; ſic fœlices beatique non poteſtis eſſe,niſi prius Medos viceritis. Sic poſſet dici pœnitentibus laborantibus, quia fœlices eſſe non poſſunt, niſi prius laborauerint. Formam autem laboris ponit pſal. Pſal. 6. dicens; *Laboraui in gemitu meo,lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis*

meis ſtratum meum rigabo. Iſte labor licet ſit durus & difficilis, tamen facilis poteſt eſſe tripliciter. Primo per occupationũ variationem; Secundo per collaborantium conſiderationem; Tertio per magnæ mercedis expectationem. *Primò* labor bonorum ſit facilis per occupationum variationem; Nam ſi homo nunc orat, nunc legit, nunc ſcribit, nunc laborat, facilia videbũtur omnia; iuxta illud; *Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora, Sic erit hora breuis, & labor ipſe leuis.* Et hoc etiam eſt quod docet Auguſtin. Diuerſis, inquit, ſeminibus pectoris tui colles ſere, nunc ieiunijs mediocribus, nunc parcioribus, lectione, opere, prece, vt mutatio laboris induciæ ſint quietis *Secundo* facilitat laborem collaborantium conſideratio. Si enim conſideramus Chriſtum ducem, qui de ſe dicit per Pſalmiſtam. *Pauper ego ſum, & in laboribus à iuuentute mea.* Item Apoſtolus; 1. Cor 4. *Vſque in hanc horam eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus & laboramus.* Vnde Apoſtolus commendat non ſolum viros ſed & mulieres, quæ multum laborauerant in Domino. Propter quod dicit Gregor. Subleuatio laboris eſt viſio collaborantis. Et Iacobus. Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini. *Tertio* laborem ſanctũ facilitat in præſenti magnæ mercedis expectatio Athletis currentibus proponitur brauium in fine ſtadij. Nullus ergo labor durus eſt ſecundum Hieronymum, quo gloria æternitatis acquiritur. Sapient. 3. *Bonorum operum glorioſus eſt fructus.* Et iterum; *Reddet Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum.*

Labor bonorũ quomodo facilis reddatur. — 1. — *li. de virginitate.* — 2. — *Philip. 4.* — *li. 5. mor.* — 3. — *Sap. 10.*

III.

Nihil cepimus. Iſte defectus eſt ex parte operis De qua quidem vanitate dicit Sap. 3. *Vacua eſt ſpes illorum, & labores eorum ſine fructu*; intellige ſine fructu ſalutis, licet nõ ſine fructu temporali. Nam *receperunt hic mercedem ſuam.* Matth 5. Sed ſunt ſine fructu æternæ remunerationis. Sapient. 4. *Fructus eorum inutiles & acerbi ad manducandum.* Et reuera laborantium malè in hac vita fructus acerbus erit, quia perpetua confuſio. Roman. 6. *Quem fructum habuiſtis, in quibus nunc erub ſcitis?* Eſt autem ſciedum, quod tota vita mundialium, quã quaſi in quadam nocte ducunt, eo quod non lucet eis lumen intelligentiæ ſupernę, non eſt aliud niſi vanitas, inutilitas, & finalis infructuoſitas, ita quod tales in fine nihil aliud dicere poterunt, niſi illud verbum; *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Hoc patet, quia auarus quantumcunque congregat hic diuitias, nihil capiet in futuro ex eis, cum eas ſecum capere non poſſit. Pſalm. 48. *Cum dormierit diues, non ſumet ſecum omnia.* Vnde meritò dicet; *Nihil cepi; quia relinquet alienis diuitias ſuas* Similiter ſuperbi, quantumcunque ſe glorificauerunt in hac vita, tamen finaliter dicent; *Nihil* de gloria noſtra *cepimus*, eo quod gloriam eorum in confuſionem mutabit Deus, vt dicit per prophetam. Et Pſalmiſta dicit; *non deſcendet cum eo gloria domus eius in ſepulchrum.* Vnde ipſi ſuperbi dicunt in inferno. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia quaſi vmbra.* Sap. 5. Et certè facilis eſt reſponſio, quia nihil profuit ſed obfuit, quia *ſuperbis Deus reſiſtit.* Iacob. 4 Et benè coniungit ſuperbiam diuitis. Quia vermis diuitum ſuperbia, inquit Auguſtinus ſermone 31. Vnde eundem fructum habent, ſcilicet vanitatem finalem; quia tam diues, quam ſuperbus cum dormierit nihil ſecum afferet. Iob. 27. Et Boëtius. *Defunctumque leues non comitantur opes.* Et hoc eſt quod dicit Iob 27. *Diues aut ſuperbus aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet.* Pſalmiſta. *Dormierunt ſomnum ſuum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* Patet in diuite purpurato, qui nec guttam aquæ inuenire potuit ex omnibus diuitijs ſuis. Nec mirum. Omnia enim terrena nihil ſunt in hac vita, iuxta illud; *Aſpexi terram, & ecce erat vacua & nihil* Hierem. 4. Et ideò meritò poſt hanc vitam reuertuntur in nihilum iuxta illud poëtę. *Et redit in nihilum quod fuit ante nihil.* Eadem enim sũt principia reſolutionis & compoſitionis, Nam omnis res, per quas cauſas naſcitur; per

Labor impiorum vanus. — *3. de cõſol.* — *Pſal.* — *1. Phiſ. & 1. de gener.*

per eaſdem diſſoluitur. Econtrario verò erit de iuſtis laborantibus in luce; & de die gratiæ præſentis, quibus *Deus reddet mercedem laborum ſuorum.* Sap.10. Reddet autem eis fructus claros & lucidos contra obſcuritatem noctis, fructus leues & delectabiles contra fatigationem laboris, & fructus plenos contra vanitatem inutilitatis, vt dicant illud Apoſtoli. *Reformaſti corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis tuæ:* (*Phil.* 3.) Tunc enim *fulgebunt iuſti ſicut ſol, & tanquam ſcintillæ diſcurrent.* Nec mirum, quia hic fulgebant claritate famæ, vitæ, & doctrinæ. Vnde meritò tunc fulgebunt luce ſplendidi. De ipſis enim dicitur in vita præſenti & de quolibet ipſorum illud; (*Tob.* 13.) *Quaſi ſol fulgens.* Et iterum. *Quaſi ſol refulgens, ſic ille refulſit in templo Dei.* Propter quod ipſi meritò in vita futura & beata fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum, prout eis promittit Dominus Matth.13 *Fulgebunt ſancti ſicut ſol in regno patris eorum.* Hi pro certò dicent in gloria; *Portauimus pondus diei;* pœnitentiæ (*Idem* 20.) videlicet ſanctæ, & *æſtus* ſcilicet tribulationum; per totam diem *tranſiuimus per ignem & aquam; & ideò eduxiſti nos ad refrigerium.* (*Pſal.* 65.) Vnde quia in die laborauimus, meritò multum cepimus, & plenum gaudium reportauimus. Ioan. 16. *Gaudium veſtrum plenum ſit, quod nemo auferet à vobis.*

Cuius gaudij participes nos faciat Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

DOMINICA QVINTA POST TRINITATEM.

SERMO I.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matth.5.

Lex naturæ innouata fuit.

QVIA lex naturalis homini in ſua creatione indita, per abuſum peccandi iam fuit obruta, & quaſi obliuioni tradita; ideò neceſſarium fuit eam per legem ſcriptam poſteris innouare. Quia verò antiqui patres ſub lege veteri degentes non fuerunt capaces legis euangelicæ, quam magiſter perfectus dedit, & eam in ſeipſo perfectiſſimè adimpleuit, in eo quod nondum poterant audire illud perfectionis conſilium; (*Matth.* 5.) *Qui te percuſſerit ad vnam maxillam, præbe ei alteram.* Qui talionis lege non contenti pro vna alapa telorum vulnera mortalia rependebant. Nec etiam illis dici poterat; *Diligite inimicos veſtros,* quibus propter ſui cordis duritiam cõceſſum fuit inimicos odiſſe, ne amicum pariter odiſſent. *At vbi venit plenitudo temporis,* (*Gal.* 4.) *poſtquam videlicet Deus pater miſit filium ſuum in mũdum, ille veniens fecit ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* (*Tit.* 2.) Itaque huic populo tanquam ad legem perfectæ iuſtitiæ benè diſpoſito tanquam dulcis & rectus Dominus legem dedit perfectam delinquentibus in via iuſtitiæ imperfectæ, ſcilicet legis antiquæ, prout promiſerat; (*Iere.* 31.) *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Per quam quidem legem rectificauit deuia, complanauit aſpera, leuigauit difficilia, purgauit immũda, ab-

da, abſterſit fœda, & reliquit perfecta. Lex namque Moyſi erat imperfecta, eo *quod neminem ad perfectum adduxit*. Et ideo Chriſtus venit, vt daret legem perfectæ libertatis. *Qui*, inquit, *perſpexerit in lege perfectæ libertatis*. Gloſſa ordinaria ibidem legem perfectæ libertatis dicit gratiam Euangelij, quæ perfecte liberos facit a ſeruitute timoris. Qui enim legem tenebant, in timore ſeruiebant. Quiſquis enim eam transgrediebatur, ſine miſeratione lapidabatur. Sed hæc lex neminem ad perfectum perduxit, quia etſi timore cogebat ſeruire, non tamen dabat gratiam, vt complerent amore, & a pœnis inferni non potuit liberare. Sed charitas, quæ datur in Euangelio, foras mittit timorem, & ducit ad vitam. Hæc Gloſſa. Erat etiam lex illa in ſua iuſtitia quodãmodo immunda, quia perfectè mundare non poterat a pœna & à culpa, in eo quod nihilominus neceſſe fuit ſuos obſeruatores deſcendere ad limbum, vbi etſi non fuit pœna ſenſus, tamen erat pœna damni tẽporalis quæ eſt grauiſſima. Et ideò Iſaias vocat omnes iuſtitias veteris legis pannum menſtruatæ. Iſai. 64. Erat etiam quodammodo obliqua. Vnde Ioannes veniens diſponebat ad rectificandum viam Domini. *Dirigite*, inquit, *viã Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri*. Sed iuſtitia Chriſti immaculata eſt lex, quia mundat vtrumq́;, ſcilicet corpus & animam. Ioan. 15. *Iam vos mũdi eſtis propter ſermonem meum, quem locutus ſum vobis*. Et in Pſalmo; *Lex Domini immaculata*. Similiter eſt lex recta. *Iuſtitia Domini recta*. Et notanter dicit *Domini*, id eſt, Chriſti, cuius propriè eſt lex noua, quia per ipſum immediate data, & promulgata, & executa, quod de veteri lege non poteſt dici. Quia etſi fuit auctore Deo imperata & dictata, tamen non fuit per ipſum Deũ immediatè promulgata, ſed per Moyſen, & executa per populũ. Ioan. 1. *Lex per Moyſen data eſt, gratia verò per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Et Apoſtolus dicit, quod Moyſi lex ordinata eſt per angelos in manu mediatoris, ſcilicet Moyſi. Volens igitur Dei filius ab imperfecto ad perfectum, ab immundo ad mundum, ab obliquo ad rectum trahere, venit in hunc mundum, legemq́ue nouam, legem gratiæ, & gratioſæ ac perfectæ iuſtitiæ dedit & condidit, & vt eam tanto gratioſius commendaret & perfectã oſtenderet, per ſeipſum eam docuit, publicauit, & promulgauit. Sed ne adhuc in aliquo deficere videatur, volens amplius eius perfectionem declarare, eam ipſemet obſeruauit, & ei ſe ſubiecit. *Cœpit enim facere & docere*. Act. 1. Itaque iam recte clamat ad nos, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*.

In quibus verbis tangitur Saluatoris noſtri duriſſima comminatio timorem incutiens iuſtitiam perfectam non obſeruantibus. Circa quod tria ſunt conſideranda. Primò Chriſtianæ iuſtitiæ copioſa perfectio, cum dicitur; *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*; ſecundò Iudaicæ iuſtitiæ defectio, cum dicitur, *pluſquam ſcribarum & phariſæorum*; Tertiò, pœnæ formidabilis comminatio, cum dicitur, *non intrabitis in regnum cœlorum*.

I.

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra. Sciendum, quod Chriſtiana iuſtitia & eius perfectio conſiſtit in duobus, ſcilicet in opere & modo operandi. Nam dicitur in Deut. 18 *Iuſte, quod iuſtum eſt, exequaris*. Vbi duo præcipit, ſcilicet iuſtitiam facere, & iuſtè facere ſeu exequi. De primo igitur videndum eſt, quod ſicut duo ſunt ſtatus Chriſtianæ religionis, ſcilicet prælatorũ & ſubditorũ; ſic eſt duplex iuſtitia perfecta differenter neceſſaria vtriſque. Prælatorum iuſtitia debet eſſe abundans ſupra vitam aliorum tripliciter. Primò quãtum ad proximum, quia debet eſſe exemplum ad aliorum ædificationem; ſecundò quantum ad Deum, quia debet fulgere hominibus ad Dei gloriam & honorem; Tertiò quantum ad ſeipſum, vt perfectè impleat prædicationem ſuam. Quantum ad proximum debet prelatus ſe habere exemplariter, vt eius exemplo alij meliorentur. Et ideò comparatur ſali. Matt. 5. *Vos eſtis ſal terræ*, quia eorũ exemplo ſubditi ſicut cibus ſale condiuntur. Quantum ad Deum debet fulgere hominibus. Ideò comparatur luci. Ibidem. *Vos eſtis lux mundi*. Quantum ad ſeipſum debet

Duo ad iuſtitiam Chriſtianam neceſſaria.

debet prælatus opere quod docet adimplere. *Vnde docens & non faciens minimus vocabitur in regno cœlorum* Ibidem. Secunda iuſtitia perfecta ſiue ſufficiens, quæ pertinet ad omnes, conſiſtit in inchoatione, non ſolum operis, ſed etiam cognitionis. Vnde Chriſtus dicit; *Dictum eſt antiquis; Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam,* id eſt, ea intentione & animo, vt concupiſcat eam, *iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Dictum eſt antiquis*, Reddes Domino *iuramenta tua, Ego autem dico vobis, non iurare omnino*, id eſt, iurare, ſed non omnino, id eſt, in omni caſu, quia in aliquo caſu iurandum eſt, & in aliquo non. Et iſta erant quo ad moralia. Deinde deſcendit ad iudicialia, oſtendens quomodo deberent ſe habere Chriſtiani. Dictum eſt, & non dicit antiquis ſicut ſupra; Quia moralia ſunt iuris antiquæ legis, ſed naturalis ab initio impreſſa mentibus hominum. Non ſic autem de iudicialibus. Vnde dicit; *Audiſtis quia dictum eſt, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo*, ſcilicet pœnæ. *Sed ſi quis percuſſerit te ad dexteram maxillam, præbe ei aliam*, id eſt, paratus ſis ad ampliora patienter ſuſtinenda. Et in hoc eſt conſummatio Euangelij. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis.* Leuit. 19. *Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum.* Iſtud vltimum non eſt ſcriptum in lege, ſed eſt traditio ſcribarum. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Tum propter Deum, quia omnia dilecti diligenda ſunt, non tantum filij, ſed etiam canes; non tantum agri, ſed etiam ſegetes & ſpinæ & ſepes. Tum propter ſe, quia filij ſunt Dei, licet inſani, quia fratres tui, licet infirmi. Ideò magis indigent diligi, tum propter nos. O ſi Deus faber & ipſi lima ſiue mallei. Vnde illi remouent rubiginem & ſoluunt debita peccatorum. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Tum propter naturæ conformitatem, quia homines ſunt Iſa. 58. *Carnem tuam ne deſpexeris.* Tum propter vtilitatem propriam. Chryſoſtom. Si benè feceris inimico tuo, amplius feciſti propter diuinam imitationem inquit Chryſoſtom. Noli negare quod Deus nulli negat, & orate pro perſequentibus vos, ſcilicet propter manifeſtam iniuriam; & calumniantibus vos, propter apparentem iuſtitiam, ſed tamen occultè fraudulentiam; vel pro perſequentibus facto, calumniãtibus verbo. Vel perſequentibus in perſona, calumniantibus in rebus vel fama falsè criminantibus. Actor. 7. *Ne ſtatuas illis hoc peccatum*, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, ſcilicet per imitationem nobilitatis paternæ. *Qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.*

Inimici diligendi & quare.

Secundò de modo operandi prædictam iuſtitiam eſt videndum. Eſt autem modus operãdi Chriſtianam iuſtitiam multiplex. Primò, vt quicquid facit Chriſtianus, faciat ſimpliciter in operando, id eſt, intentione debita, non ratione vanæ gloriæ, ſed ratione ſalutis propriæ & honoris Dei. Matth. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, id eſt, propter gloriam & fauorem mundi, non propter laudem Dei, non propter ædificationem proximi. Vnde *cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ſicut hypocritæ faciunt, qui mercedem ſuam hic receperunt.* Secundò, vt quicquid facit Chriſtianus, faciat prudenter in diſcernendo, Matt. 10. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.* Et Matt. 7. *Attendite à falſis prophetis*, Et quia innumerabiles ſunt circumſtantiæ ad hoc, vt aliquid fiat iuſtè; ideò Chriſtus reducit omnes ad vnum modum, ſcilicet ad debitam intentionem dicens: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, id eſt, propter gloriam & fauorem mundi, non propter laudem Dei, nec propter ædificationem proximi. Gal. 1. *Si adhuc hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem* Vnde ſequitur: *Alioquin mercedem nõ habebitis apud patrem veſtrũ qui in cœlis eſt*, cuius amore non feciſtis *Cũ ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te*, id eſt, innoteſcere, ne glorieris in laude tua, & forte tuba canebant conuocando populum, vt oẽs conuenirent quaſi ad ſpectaculũ, qñ eleemoſynã dabãt, ſicut hypocritæ faciunt. Hypocrita eſt, qui ſimulat illud, ꝙ non eſt, repræſentator alicuius perſonæ. Et dicitur ab ὑπὸ ꝙ eſt ſub, & κρισις aurũ, quaſi latens ſub

2. Modus operandi iuſtitiam Chriſtianam.

ſub auro. Non eſt Deo ingrata eleemoſyna, quæ videtur, ſed quæ ideò fit, vt videatur, quia tales principaliter intendunt honorem vanum & tranſitorium, ideò amittunt verum & æternum. Ex quibus omnibus patet perfectio iuſtitiæ legis Chriſtianæ, quę excellit antiquam, imo quamcunque aliam legem, ſiue humanam ſiue diuinam. Legis eſt proprium vitia extirpare;

Lex quid faciat.

mores aut actus hominum ordinare; inducere ad fœlicitatem; & planè & lucidè tradere veritatem. Hoc autem facit lex

Lex Chriſti perfectiſſima.

Chriſti melius, quam quæcunque alia lex. Ideò eius iuſtitia eſt perfectiſſima. Nam primò vitia perfectiſſimè extirpauit,

1. Prohibet omnia mala perfectiſſime.

quia omnia mala prohibuit & nulla permiſit. Vnde in hoc leges humanæ ſunt defectuoſę, quia permittunt minora mala, ne veniant maiora. Sicut permittuntur meretrices in ciuitate, ne veniant adulteria. Veruntamen iſta mala, quæ bono modo punire non poteſt, relinquit diuino iudicio punienda. Talis fuit lex Moſayca,

Deut. 24.

quæ permiſit dare libellum repudij, ne vxores interficerentur. & tradere ad vſuras extraneis, ne fratres proprios grauarent. Quę omnia data fuerunt populo rudi ad e-

Ibid. 23.

uitandum maiora mala. Ideò dicit Saluator. *Quod ad duritiam cordis eorum fuerunt*

Matt. 19.

permiſſa. Non ſic autem lex euangelica, quę prohibet omnia mala, quia etiam ver-

Ibid. 12.

bum otioſum. Si de otioſo, multo magis de nociuo. Si de verbo, multo magis de facto. *Secundò* excellit in ordinatione mo-

2. Ordinat mores perfectiſſime.

rum. Quia ſecundum philoſophum: intentio legis eſt ciues facere bonos. In hoc autem deficit lex humana, quia de ſecretis cordium non poteſt iudicare, ſed tantum

2. Ethic.
1. Reg. 16.

de exterioribus actibus. 1. Reg 16. *Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor.* Similiter lex vetus in hoc fuit defectiua, quod illa prohibet manum, non animum. Sed hoc malè intelligunt Iudæi, videlicet quod mala voluntas non eſt peccatum niſi exeat in actum, vt patet per Ioſephum. Et

Ioſeph 13. antiq.

quando arguitur contra eos. *Non concupiſces vxorem proximi tui.* Reſpondent, quod

Exod. 20.

ibi non prohibetur concupiſcentia interior, ſed manifeſta exterior, id eſt, ſigna cōcupiſcentiæ non facias, vt amplexus & oſcula. Sed hoc eſt falſum, quia actus exterior non habet malitiam vel bonitatem niſi in quantum procedit ab actu interiori, quia peccatum non eſt niſi voluntarium. Poteſt tamen intelligi ſic verè, quod lex vetus prohibet manum non animum ſeu concupiſcentiam interiorem, videlicet in vitio mœchiæ & auaritiæ tantum. Et adhuc licet prohibeat talem concupiſcentiam, non tamē transgreſſoribus infligebat pœnam aliquam. Et ideò in talibus inuenitur imperfectio. Lex autem euangelica prohibet generaliter concupiſcentiam malam, & concupiſcentibus indicit pœnam infligendam. Vnde hic dicitur; *Audiſti quia dictum eſt antiquis; Non occides; Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* Et eodem modo in alijs præceptis. Ex quo patet, quod iſta lex noua non ſolum ordinat actus exteriores, ſed etiam interiores. *Tertiò* excellit lex

3. Ordinat perfectiſſime ad fœlicitatem.

noua omnem aliam, quia perfectius ordinat homines ad fœlicitatem. Nam lex humana in hoc eſt defectiua, quia ordinat homines ſolum ad felicitatem politicam & terrenam, quæ eſt tranquillus ſtatus & pacificus ciuitatis in iſta vita. Non autem ordinat immortale; & ideò neceſſaria eſt lex diuina, quæ hoc facit. Verum tamen lex Moſaica in hoc defectiua eſt, quia beatitudo non habetur ſupernaturalis, niſi per gratiam. *Gratia Dei vita æterna.* Hanc

Rom. 6.

gratiam lex Moſaica non dabat, ſed tamen ad eam diſponebat. Propter hoc dicitur; quod neminem ad perfectum adduxit, ſed hanc à Chriſto dandam expectabat, per

Hebr. 7.

quem gratia & veritas facta eſt. Iohan. 1. *Quartò* excellit in hoc omnes leges, quia lucidius & planius veritatem oſtendit, in

4. Planiſſimè veritatem oſtendit.

quo deficit humana lex, quæ obſcurè & prolixe poſita eſt, cum tamen in multiplicatione populi plures ſunt rudes & groſſi quam ſtabiles. Similiter lex Moſaica, quia in velaminibus & figuris tradit veritatem de agibilibus & credendis. In cuius

Exod. 34.

figura Moyſes velata facie loquebatur ad populū. Propter quod Apoſtolus. 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Sed lex Euāgelica in hoc eſt perfecta, quia omnia,

quæ

quæ in veteri teſtamento erant ſub figuris velata, in ipſa ſunt per euidentiam facti manifeſtata. In cuius ſignum in paſſione Domini, quando myſteria nouæ legis fuerunt impleta, velum templi ſciſſum eſt. Luc. 23. Propter quod Saluator dicit. *Venit hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de patre meo annunciabo vobis.*

J. J.

Iuſtitia quadruplex. *Pluſquam ſcribarum & Phariſæorum.* Eſt autem quadruplex genus iuſtitiæ. Prima eſt deficiens; ſecunda ſufficiens; tertia abundans; & quarta ſupererogans. *Prima* fuit ſcribarum & phariſæorum, quia fuit in oſtentatione operis ſine rectitudine intentionis. *Iuſtitia ſcribarũ deficiens.* Matt. 23. *Omnia enim faciebant, vt viderentur ab hominibus.* Item fuit in munditia exteriori ſine interiori. Ibidem. *Væ vobis qui mundatis quod foris eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina.* Fuit in iudicio alieno, relicto proprio. Matth. 7. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras.* Rom. 2. *In quo alium iudicas, teipſum condemnas.* Fuit in affectu, & non in effectu. Quia habebant Dei cognitionem, & non amorem. Luc. 11. *Væ vobis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ*, id eſt, cognitionis diuinæ, *& non introiſtis*, ſcilicet per amorem. Fuit in doctrina, quæ erat eis in ore, & non in opere. Matt 23 *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & phariſæi, omnia quæcunq; vobis dixerint facite, ſed opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Et Matt. 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Fuit in ſuperſtitione traditionum, & tranſgreſſione mandatorum. Ibid. 15. *Quare vos tranſgredimini mandata Dei propter traditionem veſtram.* Fuit in diſcurſu ſine fructu. Idem 23. *Væ vobis ſcribæ qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnũ proſelitum, & cum feceritis facitis eum filium gehennæ duplo maiorem quam vos*, attrahebant enim gentiles ad ritum proprium. Et cum attracti fuerant propter eorum mala exempla, quæ viderunt, iterum ad gentilitatem reuertebantur, & ita præuaricabant legem, & ſic grauius peccabant quam prius, ſecundum Hieronymum. Iſtis autem ſunt ſimiles aliqui clauſtrales, qui libenter attrahunt paruulos ad religionem, qui poſtea malis eorum exemplis ſcandalizati, fiunt magni nequã. Contra quos dicit Hieronymus. Non eo ſtudio ſeruamus quæſita, quo quærimus. Fuit iuſtitia eorum in alligando & non portando. Matth. 23. *Alligant enim aliis onera grauia & importabilia; Ipſi autem ea digito mouere nolunt.* Contra prælatos & prædicatores ac confeſſores, multa de abſtinentia & continentia & de alijs virtutibus prędicantes, ipſi autem voluptuoſe & incontinenter viuentes. Fuit iuſtitia eorum in præſumptione cordis. Sicut patet de illo miſero Phariſæo, qui iactitando ſe de bonis præſumptuosè dicebat; *Ieiuno bis in ſabbato.* Luc. 18. Fuit iuſtitia eorum in exercitatione corporis & non pietatis, quia multa patiebantur, ſed non ex pietate, id eſt, non bona intentione Mat. 9. *Quare nos & Phariſæi ieiunamus, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Per hæc ergo decẽ vana & ſuperſtitioſa ipſorum opera tranſgrediebantur Dei mandata. Et ideò iuſtitia eorum erat imperfecta, & per conſequens defectuoſa. *Secunda iuſtitia* eſt ſufficiens, & eſt impletio mandatorum decalogi in charitate non ficta, quantum ad actus exteriores, ſicut fuit in veteri lege. *Iuſtitia ſufficiens eſt impletio mandatorum.* Patribus ſufficiebat decalogus impletus ex charitate per actus exteriores, per quod ſufficienter euadebant pœnam damnationis inferni perpetui, licet quo ad ingreſſum regni non erat ſufficiens ex ſe, quia ianua nondum fuit aperta. Similiter gratia Dei cum innocentia vitæ eſt ſufficiens iuſtitia, *Tertia iuſtitia* eſt ſuperabundans. *Iuſtitia abundans quæ pluribus modis fit.* Quæ habet fieri pluribus modis. *Primò* vt fiat ex charitate, vt iam dictum eſt, & ſic ad eam omnes tenentur ſecundum Auguſtinum. *Tertiò* vt non ſolum impleatur corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter intellecta. Vnde non ſolum debet Chriſtianus non adorare Deum alienum faciendo idolum, & offerendo ei, vel flectendo coram eo, ſed etiam non debet amore indebito adhærere creaturæ cuicunque, vt in ea finaliter ſiſtat, quia hoc eſt idololatria ſpiritualis.

Vnde nõ ſolũ nõ debet aſſumere nomẽDei in vanum,ſed etiam nec dicere verbum o tioſum.Item non ſolum non debet laborare in die ſolẽni corporaliter, ſed etiam abſtinere ab omni inquetudine mentis, quæ cõtemplationem eius turbare poſſet.Item non ſolum debet honorare parentes corporales, ſed etiam ſpirituales.Item non ſolum non debet occidere,ſed nec iraſci, nec maledicere,nec contumeliam inferre.Item non ſolum non debet mœchari, ſed nec concupiſcere vxorem proximi. Item non ſolum nõ debet furari res proximi, ſed nec concupiſcere Item non ſolum falſum teſtimonium non dicere, ſed nec verum ſubticere nec celare. *Quarta iuſtitia* eſt ſupererogans,ſicut diligere inimicos, orare pro eis. Et hæc eſt perfectorum,licet in certo caſu,etiam ſit præceptum omnibus, ſcilicet vt nullis noceamus,nec optemus malũ per ſe,& eis benefaciamus,quoad bona ſpiritualia, & in articulo neceſſitatis bona temporalia miniſtremus etiam inimicis,alias præter iſtos caſus non eſt præceptum ſed conſilium,& hoc eſt de inimicis perſonæ,quia de inimicis Eccleſiæ nec eſt præceptum nec conſilium Eccleſiæ. Et tantum de ſecundo.

Iuſtitia ſupererogãs perfectorũ eſt.

I I I.

Non intrabitis in regnum cælorum. Noua lex ſecundum S.Dionyſ.eſt media inter veterem & cæleſtem,quod patet,quia in cælò dabuntur apertè bona æterna; in veteri autem ſolum promittebantur occultè.*Vmbram habens lex futurorum bonorum.* Ideò neceſſe fuit ponere vitam gratiæ, in qua lex promittit cœleſtia apertè. Sicut ergo lex vetus promittebat ſuis obſeruatoribus temporalia manifeſte,Deut.7.*Cuſtodi præcepta & cerimonias atque iudicia,quæ ego præcipio tibi.* inquit Deus per Moyſen.Et ſequ. *Benedicet Deus fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, & frumento tuo atque vindemiæ, oleo,& armentis,gregibus ouium tuarum ſuper terram* Vbi apparet benedictio temporalis in bonis terræ. Sic econuerſo tranſgreſſoribus præceptorum eadem lex maledictionem temporalem prædicebat; *Quod ſi nolueris audire vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias omnia mandata eius, maledictus eris in ciuitate,& in agro, & maledictum horreum tuum,& maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus vẽtris tui, & fructus terræ tuæ.* & ſic de alijs, quæ omnia ſonant pœnam temporalem. Quia verò lex noua promittit ſuis operarijs vitam æternam pro mercede. Matt.19.*Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Igitur è conuerſo ſuis tranſgreſſoribus comminatur repulſam ab eadem, vt patet hic; *Non intrabitis in regnũ cœlorũ.* Ex quibus patet, quod ſicut iuſtitiæ legis Chriſti obſeruationis eſt maximus fructus, ſic & tranſgreſſionis eſt maximum damnũ. Sed quia Deo propitio intendimus euitare damnum & conſequi fructum, ideò breuiter videndum eſt de eius fructu. Eſt autẽ eius fructus tam in vita præſenti, quam in futura. Nam ipſa iuſtitia eſt munimentum præliantis,inſtrumentum iudicantis,&ornamentum triumphantis.*Primò* iuſtitia eſt munimentum præliantis; comparatur enim loricæ, iuxta illud Epheſ.5.*State induti lorica.* Eſt lorica genus armorum defenſiuorum & inuaſiuorum, & diſponit hominem ad ſuſtinendum inuaſiones aliorũ ſine læſione vulnerum.Iſto modo iuſtitia munit hominem inter perſecutiones, ita vt nihil ei noceant,ſi iuſtitiam habeat. Matt.5.*Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* 1.Pet.3.*Et,quis eſt,qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Iſta lorica debet indui homo, vt omne opus ipſius iuſtitia reguletur. Iuſtitiam hic intellige virtutem generalem ad omne opus bonum,ſecundũ Chryſoſtomum.Vnde ſicut lorica valet ad caput,brachia,manus &corpus,ita iuſtitia ad omnes virtutes. Vnde de viro iuſto dicitur; Iſa.59.*Indutus iuſtitia vt lorica,& galea ſalutis in capite eius.* Hinc Gregor.moral.c. 12. exponens illud Iob. 29. *Indutus ſum iuſtitia,& veſtiui me ſicut indumento*; Dicit ſic:Ille iuſtitia ſicut indumento veſtitur, qui ſe vndique bono opere protegit, &nullam partem actionis ſuæ peccato nudam relinquit. *Secundò* iuſtitia eſt inſtrumentum iudicantis. Vnde comparatur regulæ ſeu menſuræ, vel lineæ qua regulatur opus. Sine iuſtitia enim nullus benè iudicat, nec diſpo-

Dionyſ. de cæleſt. hiera.c 4.
Differẽtia legis nouæ, veteris,& cæleſtis.

Fructus iuſtitiæ legis Chriſti.
1.Eſt munimentũ præliãtis.
2.Eſt inſtrumẽtũ iudicãtis.

diſponit. Latomus, qui cedit & planat lapidem, duo ſemper facit in prompto, ſcilicet regulam & martellum. Cum martello percutit, & cum regula dirigit & examinat planitiem. Ita bonus iudex vel prælatus, duo debet habere in manibus. Malleum ad corrigendum delicta, & regulam legis & iuſtitiæ, ne fiat exceſſus in vindicta. Iſa. 28 *Ponam iudicium in pondere, & iuſtitiam in menſura.* Vnde Auguſtinus de doctrina Chriſtiana; Peruerſe plus amas mortem quam viuere, amas tunicam tuam quia bona eſt, villam quia bona eſt, filium tuum quia bonus eſt, domum tuam quia bona eſt, bonam vis habere mortem, & tamen non vis habere bonam vitam. Plus amas mortem tuam quam vitam. Malè mori times, & malè viuere non times. Corrige malè viuere, time malè viuere, ſed noli timere, quia non poteſt malè mori, qui benè vixerit. Hæc Auguſtinus. Ecce quantum valet iuſta vita. *Tertiò* iuſtitia eſt ornamentum triumphantis. Vnde comparatur coronæ in ludis agoniſtarum. Sicut in paleſtra vel curſu brauium proponitur in fine ſtadii, & illud eſt præmium certantis. Stadium in quo certamus & currimus eſt vita præſens, cuius terminus eſt mors. In iſto termino reponitur merces noſtra finalis iuſtitia. Eccl. 4. *Vſque ad mortem certare pro iuſtitia.* Sed certè contingit quibuſdam in currendo, quod deficiunt in via à triumpho. Sicut cōtigit Achiletæ virgini, de qua narrat Ouidius, quę tantæ agilitatis extitit in currendo, quod nullo vincente vinci potuit, nec aliquem virum dignabatur accipere, niſi qui eam curſu viciſſet. Et ſimul fuit tantæ venuſtatis & pulchritudinis, quod ab omnibus nobilibus hominibus amabatur. Currunt multi omnes nuptias affectantes, ſed deficiunt omnes & capitibus plectuntur. Tandem iuuenis quidam Hippomeneus infōrmatus à Venere nuptias Achilitæ offert ſe certari. Cui Venus tria aurea poma dederat, vt ea iuxta ſtadium proijceret, & ſic à curſu ſuo faceret virginem retardare, currunt agillimè hinc & inde. Incipit Hippomeneus fatigari, proijcit pomum aureum. Illa videns pomum, diuertit ſe à ſtadio, & ille eam præterijt & præcucurrit. Illa deuiationem velocitatē compenſans celeriter eum attigit. Ille proiecit ſecundum pomum, de quo conſimiliter illa fecit, tandem cum prope eſſet metam, fortiter proiecit tertium, & longius à ſtadio quam prius. Illa cupiditate illecta cucurrit etiam ad pomum, & interim Hippomeneus terram contigit & metam, & ſic de virgine triumphauit. Sic in curſu vitæ præſentis animæ noſtræ tanquam pulchræ virgini ad imaginem Dei creatæ, curſor diabolus, qui non poteſt eam virtute & velocitate vincere, vincit eam arte, proijciens tria poma, ſcilicet laſciuiæ iuuenibus, ſuperbiæ viris, auaritiæ ſenibus. Et ſi contingat, quod quis non capiatur duobus pomis primis, difficile tamen euadit tertium, & ſic à triumpho retardabitur. Ideò neceſſe eſt ab iſtis pomis abſtinere, iuxta illud. 1. Cor. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Eccleſiaſt. 15. *Qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet eam.* Sic certauit Paulus. 2. Thim. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Quæ eſt quadruplex. Nam iuſtitia coronat corona de ſpina; corona de oliua; corona laurea; & corona aurea. Corona ſpinea datur peccatoribus propter remorſum conſcientiæ ex peccato. Iſa. 22. *Coronans coronabit te Dominus tribulatione.* Narrat Plinius in hiſtor. lib. vlt. Quod corona, qua coronabatur Cæſar Romæ olim fuit ſpinea, in ſignum, quod difficile eſt in honore eſſe ſine punctione. *Secundam* coronam dat de oliua pœnitentibus, quibus iuſtitia imponit opera pietatis & eleemoſynæ. Dan. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Narrat Valer. lib. 2. c. 1. de inſt. Athen. Quod Athenieſes primo coronauerūt Perichilem de duobus ramis oliuæ contextis adinuicē; poſtea ſtatuerunt, vt quilibet bonus ciuis ſic coronaretur. Et nos ſumus ciues Eccleſiæ. *Eſtis ciues ſanctorū & domeſtici Dei.* Hi debent coronari operibus pietatis. 1. Timot 4. *Pietas ad omnia valet. Ornamentum gratiæ accipies coronam.* *Tertiam* coronam dat lauream viris perfectis, ſcilicet coronā ſapientiæ, qua virtuosè ſe gerant in aduerſitatibus, & vincant vndique.

Auguſt. — *3. Ornamentum triumphantis.* — *1. Cor 9.* — *Ouid. 10. meta prope finem.* — *Corona quadruplex.* — *1. Spinea.* — *2. de Olea.* — *Eccl. 32.* — *3. Laurea.*

Narrat Suetonius quod ſupra modum expauit tonitrua; vnde ſemper geſtabat coronam de lauro, quia illa arbor prohibet fulmina. Sic nos portemus coronam ſapientiæ & iuſtitiæ; ne feriamur fulmine diuinæ ſententiæ. Luc. 17. *Sicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, in ea quæ ſub cœlo ſunt fulget; Ita erit aduentus filij hominis in die ſuo.* Eccl. 1. *Corona ſapientiæ timor Domini.* Quartam coronam dabit iuſtitia auream in vita futura, videlicet coronam gloriæ. Eccl. 45. *Corona aurea ſuper mitram eius.* Iſai. 48. *In die illa erit Dominus corona gloriæ & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.* Quam nobis concedere dignetur pater & filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMINICA SEXTA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Matt. 5.

Ira elongatur homo à Deo.

INter cætera, quæ hominem elongant à Deo, vnum eſt fraternum odium, quod ex ira ſæpius generatur, per quod charitas Dei & proximi faciliter amittitur, & in homicidium vel corporale vel ſpirituale peruenitur. Iſtud patet de impijſſimo Cain, qui factus iniuſtus per iram receſſit à Deo, & fratricidium commiſit occidendo Abel fratrem ſuum. Vnde Sapient. 10. de eo dicitur; *Ab hac*, ſcilicet ſapientia diuina, *vt receſſit iniuſtus in ira ſua homicidij*, id eſt, per iram ſuam, *fraternitas deperijt*, id eſt, ceſſauit eſſe fraternitas; *vel per iram homicidij frater deperijt*, id eſt, amor & gratitudo, quæ inter fratres debet inueniri. Propter quod *Cain factus eſt vagus & profugus à facie Domini ſuper terram*, vt dicitur Geneſ. 4. Ad figurandum quod homines iracundi elongantur à Deo per iracundiam. Nec mirum. Nam cum Deo ſit connata pietas & manſuetudo, profecto quiſquis ab hac degenerat per iracundiam vel furorem, à diuinæ ſimilitudinis participatione elõgatur. Propter quod Auguſt. exhortans in ſermon. 8. ad hoc Eremitas, dicit; Diſcite, fratres mei, ab illo, qui dixit ſe humilem eſſe & mitem, diſcite opere, quod ſæpè legiſtis ore. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Si enim frater tuus in te peccauerit, vade ad eum, & inuita eum ad pacem. Da ei oſculum, & lucratus es fratrem tuum. Tu verò, qui offendiſti, non differas pergere, non differas fratrem reconciliari, vade ad eum, pete veniam. Et ſi verbo offendiſti, verbo reconcilia; ſi facto, quod Deus auertat, placa eum facto. Sic enim decet ſeruos Dei facere, ſic eos decet dæmones expellere, & ſanctos angelos introducere. Nam vbi ira regnauerit, ibi omninò princeps diabolus erit, nec inde aliquid boni exire poterit. Fugiamus igitur, fratres, iram, quæ rationem ſuffocat, menſuram iuſtitiæ ignorat, ſolem iuſtitiæ neſcit, amicitias rumpit, de facili aufert pacem mentis, ſapientiam calcat, ſapientes infatuat, monachos deuincit, ſacerdotes ſuffocat, caſtitatem euacuat, grauitatem in paſtoribus dilacerat. Nec ira repletus conſilij poteſt eſſe efficax. Hæc Auguſtinus. Cum igitur tot & tanta damna ex iracundiæ vitio proueniant, & præſertim quia iracundus in corde ſuo diabolo principi locum parat, qui quidem tanquam *princeps mundi iam iudicatus eſt*, non immerito quilibet iracundus tanquã membrũ ipſius conforme & adhærens, cũ ipſo conſimili, ſicut dignus eſt ſupplicio, ſic & cõſimili plectẽdus eſt iudicio. Hinc igit̃ rectè p̃ ſaluatorẽ dicitur; *Omnis q̃ iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.* In quibus ver-

Propoſit. Triplex ira eſt. verbis Saluator deteſtatur iracundiæ vitiũ oſtendens immineus periculum. Circa quod conſiderare debemus triplex genus iræ. Eſt enim ira impiorum culpabilis & nociua, & per conſequens deteſtabilis & fugienda. Secunda eſt iuſtorum ira commendabilis & proficua, & per conſequens amplexabilis & proſequenda. Tertia eſt ira diuinorum iudiciorũ formidabilis & ardua, & per conſequens vitabilis & timenda.

I.

Ira impiorum. Ira impiorum eſt culpabilis & nociua, & per conſequens deteſtabilis & fugienda. Ita ira, vt dicit Auguſtinus, non eſt aliud niſi appetitus vlciſcendi. Quæ quidem eo ipſo deordinat hominem, & quantum ad Deum; & quantum ad proximum; quia vult expetere vindictam ex ſe, quam à ſolo Deo debet expetere, vel etiam a iudice ſub Deo conſtituto. *In collat. Patrum. Ira mala tria genera.* Cuius tria ſunt genera ſecundum Serapionem; *Primum* quidem per commotionem animæ ſolum intrinſecus exardeſcit, & fit ex cauſa leui & ſubita; vel ex leui, vel ex facili facto vel verbo; vel ex
1. ſola vacua ſuſpicione, ſecundum quam, vt *Hugo de profectibus nouitiorum.* dicit Hugo, etiam contra inſenſata commouemur, & iraſcimur brutis & lapidibus & ligno. Hæc autem generatur, (dicit Auguſtin.) ex affectu turbulento auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. *Aug in Epiſt. ad Nebridiũ.* Idcirco non hominibus plerumque, ſed etiam calamis iraſcimur ſcribendo, & eos conſtringimus & collidimus, & aleatores teſſeras, & pictores penicillos, & quilibet illud, ex quo difficultatem facti arbitratur. Ex huius autem iræ aſſiduitate dicunt medici fel creſcere, ex cuius cremento facilè homo etiam ſine omni cauſa iraſcitur. *Aug. ſer. 8 ad Erem.* Hæc ille. Et hanc dicit Auguſtinus iram humanam, quia humanum eſt turbari & iraſci Et iram incurrere bonorum & malorum conditio eſt communis, ſed in ira per-
2. ſeuerare vel odio, diabolicum eſt. *Secundum* genus iræ eſt, quod extrinſecus in verbum vel opus prorumpit. Vel eſt vehemens *Hugo.* inflammatio cordis, ex qua quandoque facies inflammatur, ſecundum Hugonem. Aliquando etiam geſtus & mores mobilitate quadam notabili agitantur, ex qua interioris animi commotio demonſtratur, vt ſternutatio narium, pallor, rubor vultus, depreſſio palpebrarum, tremor labiorum, & inquietudo totius corporis. Aliquando per verba erumpit in clamores vel in conuitia, contumelias, maledictiones, & minas, & periuria, & blaſphemias. Aliquando quaſi febris concutit corpus, quaſi freneſis mentem in furorem vertit. Aliquando manus leuat ad lædendũ alium; Aliquando ſemetipſum, ita vt ſibi quandoque inimicatur, & ea, quæ parauerat abijciat & deſtruat. Aliquando non ſinit audire, quæ Dei ſunt & ſibi vtilia, vt cibum, & huiuſmodi, & multa alia ira operatur; pacem cordis turbat, rationem obnubilat, & memoriam confundit, & ſicut fumus hominem de domo expellit, ita ira Spiritum ſanctum, qui tantummodo ſuper quietum requieſcere quærit, de cordis habitaculo excludit. Hęc 3.
Hugo. *Tertium* genus eſt pernicioſum, quia non vt illa duo ad horam digeritur, ſed per plures dies & tempora diutius reſeruatur. Et hæc ſecundum Hugonem eſt diuturna commotio, quæ aliquando rancorem fouet. Hanc Auguſtinus vocat odium, quod ſequitur ex inueterata ira. *Aug. ſuper pſa. 54.* Vnde ira eſt quaſi feſtuca, ſed odiũ trabes, quod tunc fit quando iuſti doloris admixta dulcedo diutius eam in vaſe detinet, donec totum aceſcat, vaſque corrumpat, vt Auguſt. ad Dyoſcorum. De iſtis generibus quidam habent primum, quidam ſecundum, quidam tertium Et iſti ſunt peſſimi ſecundum Hugonem. Quamuis autem prima ſpecies non ſit interdum ita nociua & culpabilis, quia vt frequenter eſt venialis, tamen eſt cum alijs duabus fugienda, quia eſt periculoſa. Eſt autem ira, ſic culpabilis, periculoſa homini ex tribus. *Ira periculoſa p. pter tria.* Primo, quia facit iniuriam Deo, proximo, & proprio ſubiecto. Subtrahit enim Deo effectum ſuæ potentiæ; proximo affectum beneuolentiæ debitæ; & proprio ſubiecto aſpectum rationis & intelligentiæ. Primo enim conuenit Deo ratione potentiæ culpas iudicialiter vindicare, bonos ſpiritualiter inhabitare, & eis liberaliter bona ſua legare. Sed contra iſta iniuriatur Deo iracundus in omnibus.

1. *Prima* aufert à Deo vindictam, quia ira eſt
Rom. 13. deordinatus appetitus vindictæ. Et Deus
Deut. 32. dicit; *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Et: *Mea eſt vltio, & ego retribuam*. Deus enim duo ſibi reſeruauit, gloriam, & vindictam. Alterum aufert ſuperbus, alterum iracũdus. Iſa. 48. *Gloriam meam alteri non dabo.*
2. *Secundo* iracundus Deo iniuriatur, quia expellit eum à quiete ſuæ habitationis. Vnde in pſalmo; *In pace factus eſt locus eius.* Ira autem turbat pacem & deſtruit. Prou. 15. *Vir iracundus prouocat rixas.* Domum, quæ tota die moueretur & tremeret, nullus libenter inhabitaret. *Tertio* Deo iniuriatur impediendo, ne legatum Dei ſtare poſſit. Legauit enim Deus pacem hominibus Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Et ideo iracundus tanquam excommunicatus eſt vitandus. Prouerbiorum. 22. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo.*

2. Secundo principaliter ira ſubtrahit proximo affectum debitæ beneuolentiæ. Tenemur enim proximi ſeruare ſubſtantiam, famam, & perſonam. Et contra iſta ira cõpellit ad nocendum proximo, in ſubſtantia deprædando; in fama diffamando in perſona trucidando. Eccl. 27. *Ira & furor vtraque execrabilia.* Et Eccl. 21. *Obiurgatio & ira annihilant ſubſtantiam.* Apis (vt dicit Ariſtoteles) cũ eijcit aculeum, moritur; Ita eſt moraliter de iracundo & appetitiuo vindictæ. Dum enim exercet malitiam ſuam cõtra proximũ verbo vel opere, lędẽdo in ſubſtantia, perſona, vel fama, prius interficit ſpiritualiter ſemetipſum. Iob. . *Virum ſtultum interficit iracundia.* Tertio ira propro ſubiecto ſubtrahit, & deſtruit tria bona. Deſtruit enim honeſtatem corporalis diſpoſitionis, impedit poteſtatem naturalis rationis, & minuit quantitatem vitalis durationis. *Primo* igitur deſtruit honeſtatem corporalis diſpoſitionis, quantumcũque perſona ſit pulchra, ſubuertit oculos, vel genæ ſunt minus rubeæ, vel nimis pallidæ; geſtus tremulus, lingua ceſpitatur, & totus homo dehoneſtatur. De iſto ita loquitur Seneca. Nihil æquè profuit iratis, ſicut intueri deformitatem rei ſcilicet iræ. Nam in ea facies turbationum ora pulcherrima fœdat, toruos vultus ex tranquilliſſimis reddit, linquit decor omnis iratos. Et ſequitur. Qualem putas eſſe animum, cum imago tam fœda. Ideo dixit quidam philoſophus, quod ideo iratus profuit aſpexiſſe ſpeculum, vt imago repercuſſa oſtenderet homini ſuam deformitatem. Hæc Seneca. Idem in eodem libr. Nulla facies terræ quantumcunque agitur, eſt ita turpis, ſicut hominis ira flagrantis. Narrant fabulæ quod Minerua aliquando eſt delectata in muſica tibiarum, cum ergo ſemel inflaret tibias iuxta quendam fluuium, vidit buccas ſuas turpiter tumeſcentes, ſtatim fiſtulas ſuas proiecit. Minerua eſt Dea ſapientiæ, & ſapientes ſunt interdum indignantis naturæ Eccl. 1. *In multa ſapientia eſt multa indignatio*: Contingit ergo quod aliquis ſapiens per motũ iracundiæ quandoque tangitur, ſed ſtatim ſicut ſapiens conſiderat indecentiam ſui ſtatus, & alias ſibi cauet. *Secundo* impedit poteſtatem naturalis rationis, iuxta illud Catonis; Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum Et ideò diabolus facit ſicut aſtutus piſcator, qui quando faciliter vult decipere piſces, turbat aquam, & tunc eſt ſecurus, quod non poterint præuidere rete ſuum. Eodem modo diabolus facit in congregatione, quantumcunque poteſt, immittit turbationem per aliquem iratum in totam congregationem, & tunc ducit eos ad peccata, & ad malitias excogitandas, ſicut ſibi placet, & totam congregationem reddit fatuam. Dicit Ariſtot. . Topicorũ, quod iraſcibilis nõ imperat rationali, niſi cũ fuerit peruerſa anima hominis. Et ita, quando peruerſa fuerit anima, dominatur, & nunquam alias. Dicit autem Ariſtoteles. 1 Elenchorum, quod iſta eſt cautela ſpecialis Sophiſtæ, vt videlicet prouocet ſocium ad iram, quia impedit eum. &c. Iſte Sophiſta eſt diabolus Eccl. 37. *Qui Sophiſticè loquitur, odibilis eſt.* Item Ariſtoteles 1. de animalibus cap. 2. dicit, quod iſta tria coniunguntur; ira, inſipientia, & indocilitas. Et ponit exemplum de apro agreſti. Et ita eſt moraliter Iracundus nunquam benè docebitur. Ideo bene Eccl. 7. *Ne velox ſis ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* *Tertio* ira minuit quantitatem vitalis durationis

Marginalia: 3. de animalibus. — 3. — 1. — Sen de ira ca. 2. & 3. — 2. — 3.

rationis: Animalia enim exceſſiuè cholerica, ſunt naturaliter breuis vitæ. Sicut maximè patet de cane. Eccl. 30. *Zelus & iracundia minuent dies, & ante tempus ſenectam adducent.* Vnde antiqui dixerunt iram eſſe breuem inſaniam, ſecundum Senecam. 3. de ira. Aequè enim impotens ſui eſt decoris oblita. Hæc eſt igitur ira præcipuè cauenda, quæ iuſtum canem facit, & quemlibet, cum inuadit, facit iniuſtum, iuxta illud Iacobi. *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.* Vnde ira meritò comparatur cuidam gemmæ quæ vocatur onyx, cui malæ proprietates attribuuntur in lapidario, capitulo. 9. Ad collum ſuſpenſus onyx in magicam verſus ligat in ſomno lemures, & triſtia cuncta figurat, multiplicat lites, & cõmouet vndique rixas. Hæc gemma venit de India & Arabia, & nullam bonam virtutẽ dicitur habere. Et meritò deſignat iracundiam, quæ ad nihil vtile valet. Sed ſapere facit lemures, id eſt, diabolicas imaginationes, ſeu imagines, quæ irruunt in hominẽ & turbant cerebrum, & commouent lites & rixas. Prouerb. 27. *Graue eſt ſaxum & onerosa arena, ſed ira ſtulti vtroque eſt grauior.*

Ira peſti ſimilis.

Vnde Seneca de ira. 3. aſſimilat iram peſtilentiæ. Et dicit; Sicut contra peſtilentiam nulla bona diſpoſitio valet, ita nec contra iram aliqua compoſitio morum. Sed tam bonos mores quam malos corrumpit & laceſſit. Sed tamen ſicut in lapidario dicitur, contra malitiam prædictæ gemmæ inuenitur virtus alterius quæ vocatur Sardius, in cuius præſentia non poteſt onyx nocere. Moraliter autem iſta ſecunda gemma deſignat patientiam. Prouerbiorum. 15. *Reſponſio mollis frangit iram.* Seneca. 3. de ira. Si amicus eſt qui offendit, fecit quod noluit; Si inimicus, fecit vt debuit. Propter hæc damna & pericula ira a ſapientibus eſt fugienda.

Ira febri ſimilis.

Nec mirum. Eſt enim ira ſicut febris acuta, quam omnes fugiunt, cuius accidentia ſunt, quod homo habet continuum calorem & ſitim maximam, ſecundum Conſtantinum libro. 7. viatici, capitulo de cauſis. Et iſto modo eſt de iracundo homine, qui ad quodlibet verbum ſtatim calorem ſuum exurit geſtu, verbis, & vultu, habens ſitim maximam vindicandi, & talis incendit omnes vicinos ſuos pro nihilo. Nec ſolum quemlibet incendit, ſed, quod deterius eſt, intoxicat. Nam ſimilis eſt cuidam animali, quod dicitur Abbane. De quo dicit philoſophus quod eſt animal magnitudine quaſi cerui, quod contra conſuetudinem omnium animalium habet fel in aure. Sic iracundus quantumcunque ei manſuetè dicatur, omnia accipit cum amaritudine, & ſemper amarè reſpõdet. Vnde ei poteſt dici illud Actuum. 8. *In felle amaritudinis video te eſſe.* Et tantum de primo.

Ariſt. 2. de animalibus.

II.

Ira iuſtorum.

Ira iuſtorum commendabilis eſt & proficua, & per conſequens amplexabilis & proſequenda. Iſta ira vocatur ira per zelum. Hæc eſt ira, de qua dicitur; *Iraſcimini & nolite peccare.* Pro quo ſciendum, quod iuſti & electi in præſenti, ſicut imitantur Chriſtum patrem ſuum in miſericordia, & pietate, & manſuetudine, ita etiam in ſeueritate & ira. Chriſtus enim in proprijs iniurijs fuit pius & manſuetus, ſed in Dei iniurijs fuit multum ſeuerus & quaſi iratus. Sicut patet de ipſo, quando diabolum ipſũ tentantem & ſibi iniuriantem in propria perſona non increpauit; Quando autem ventum eſt ad Dei iniuriam, ſcilicet cum ſe fecit adorari, ipſum ſerio repulit dicens; *Vade ſathana.* Ibi enim erat iniuria Dei, transferre honorem Dei ad diabolum. Et ideò quaſi iratus, & zelo concitatus diuino dixit; Vade retro ſathanas. Similiter Petrũ increpauit, quando gloriam eius æternam impedire voluit dicens; Faciamus hic tria tabernacula, id audiuit; Vade retro ſathanas. Quotiens ergo Chriſtus in perſona propria conuitiabatur iniquè, patienter ſuſtinuit; Quando autem honor Dei minuebatur, nullo modo tolerauit. Et hæc propriè dicitur ira per zelum, non autem ira ſimpliciter. Exemplo igitur iſtius magiſtri optimi iniurias noſtras patienter ferre debemus; Iniurias verò Dei nequaquam ſuſtineamus. Dupliciter autem homini iuſto permittitur iraſci, licet impropriè tunc iraſci dicatur, quia non eſt ira per vitium, quæ nullo caſu permittitur;

Pſal. 4.

titur, ſed per zelum, quæ non ſolum permittitur, ſed etiam præcipitur & multipliciter commendatur. Iuſtus enim contra duo debet iraſci, quæ ipſe contra Deum vel proximum committit, ſcilicet contra vitia propria & proximi, quæ in Deum cõmittuntur. De prima dicitur; *Iraſcimini & nolite peccare.* Iraſcimini ſecundum Innocẽtium, vobiſmetipſis propter peccata veſtra, & amplius nolite peccare. Et ita ſecundum Innocentium præceptio eſt de hac ira. Vnde Henricus de Vrimaria dicit, quod in his verbis oſtenditur qualiter & quibus modis nobis vtile ſit iraſci, quia contra noſmetipſos & contra paſſiones vitioſas in nobis ſurgentes, nobis ſalubriter conceditur iraſci, cum dicitur; *Iraſcimini & nolite peccare.* Inuenitur itaque iraſci ſalubriter, ſed nobiſmetipſis & noſtris ſuggeſtionibus prauis, & iubemur non peccare, ipſas paſſiones reſtringendo, & eas ad effectum noxium non perducendo. Et ideò cum Apoſtolus dixiſſet; *Iraſcimini & nolite peccare.* ſubiunxit; *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, & nolite locum dare diabolo.* Hæc ille. De ſecunda ira, ſcilicet qua debemus iraſci contra vitia proximorum, quæ committuntur in Deum. Et dico notanter, quæ committuntur in Deum, non in noſmetipſos, quia iniurias noſtras patienter tolerare debemus, iuxta illud Matthæi. 5. *Ego dico, nolite reſiſtere malo.* Et Apoſtolus. *Non voſmetipſos defendentes fratres chariſſimi.*

l. 1. de perfectione interioris hominis cap. 4.

Sed diceres, ergo non eſt iniuria proſequenda coram iudice, ſed patienter toleranda. Reſpondeo quod Chriſtus & Apoſtolus prohibent reſiſtentiam temerariam & defenſionem, quæ fit per illos, qui defendendi aut reſiſtendi non habent poteſtatem. Vnde ſimplex perſona non debet propria auctoritate mouere bellum pro rebus ſuis repetendis, ſed debet implorare auxilium ſuperioris. Non ergo prohibetur nobis defenſio iuris quælibet, ſed ſolum illa, quæ fit propria temeritate. Nam licet homini præcipiatur, vt dimittat rancorem, ſtatim quam primum contra ipſum quis peccat, etiamſi non ſit rogatus; & etiam ſignum rancoris in exteriori conuerſatione, ſi fuerit petitus; non autem ei præcipitur, vt cedat actioni iuris, & ſuam iniuriam non proſequatur in iudicio, quia hoc eſt ſolum perfectorum, iuxta illud Matthæi. 5. *Tollenti tunicam relinquendum eſt ei & pallium.*

Sed diceres, quare Deus voluit prohibere nobis vindictam noſtrarum iniuriarũ, cum ita malus homo iniuriãs nobis, peccat contra charitatem proximi, ſicut iniurians Deo peccat contra charitatem Dei, cum vtrobique peccat contra Deum, quia proximus in Deo eſt diligendus. Reſpondeo quod hoc eſt ideò, quia nullus eſt bonus iudex in propria cauſa durante offenſa fraterna, ſicut dicit Tullius; Hoc autem fit propter impeditum iudicium rationis in homine, quod in propria iniuria maximè turbatur. Propter quod non ſolum ſancti, ſed etiam philoſophi gentiles leguntur à propriarum iniuriarum vindicta abſtinuiſſe durante ira. Sicut legitur in vitis philoſophorum de Archita Tharentino, cuius Pythagoras & Plato diſcipuli fuerũt. Qui iratus villico propter quendam exceſſum, legitur dixiſſe; Sumerem à te ſupplicium, niſi iratus eſſem. Maluit enim impunitum relinquere ſeruum, quam in ira iuſtè punire. Idem legitur de Platone cum ſeruum verberare voluiſſet & iratus fuiſſet; Interroganti Speuſippo amico ſuo quid faceret, dixit; Exigere volo plagas ab homine, ſed quia iracundus ſum, timeo excedere modum. Tu ergo Speuſippe exige. Idem legitur de Plutarcho, qui cum ſeruum verberare iuſſiſſet, & ſeruus dixiſſet; Ex hoc te iã non habeo, vt ſapientem & philoſophum, quia iratus es; Reſpondit, nunquid quia te vapulo, iraſci tibi videor? Eſt ne ira in me, quia à me debitum accipis? Non ſic autem eſt in iniurijs Dei, pro quibus nos contingit moueri zelo amoris & diuinæ dilectionis. Et dico notanter zelo dilectionis diuinæ. Nam plures ſunt, qui etiam iniurias diuinas vindicant animo furibundo & non caritatiuo. Quales fuerunt duo Apoſtoli, ſcilicet Iacobus & Ioannes. De quibus dicit; quod, cum Samaritani Chriſtum nollent ſuſcipere hoſpitio, ipſi petebant ignẽ deſcendere de cœlo ad conſumendum illos. Qui licet dixerunt bono zelo, ſecundũ Bedam, tamen indiſcrete, quia tanquam *Luc. 9.*

impa-

impatientes, & ſicut adhuc carnales volentes vindicari. Et ideò repræhenduntur à Chriſto de indiſcretione, ſecundum Ambr. & de impatientia ſecundum Bedam. Vnde eis dicitur; *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, quia ſecundum Liran. in nouo teſtamento, quod eſt lex amoris, non timoris ſicut vetus, procedendum eſt ſuauiter & benignè. Vnde ſubditur ibidem; *Filius hominis non venit homines perdere*, ſtatim ſcilicet inferendo pœnam mortis ſicut vultis, *ſed ſaluare*. In hoc datur exemplum prælatis, vt non ſtatim cum impetu peccata puniant, ſed tempus & locum expectent. Hoc eſt quod dicit Bernhardus ad prælatos. Et ſi correctione eſt opus, paterna ſit non tyrānica. Talis ergo ira, quæ fit de iniuria Dei, laudabilis eſt, dummodo ſit diſcreta & bono zelo facta. Vnde in hoc caſu, qui iraſcitur tali modo, ſcilicet ex cauſa iniuriæ diuinæ, non fratri iraſcitur, ſed vitio fratris. Sine tali enim ira nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. Itaque qui cum cauſa non iraſcitur; peccat. Patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non ſolum malos, ſed etiam bonos inuitat ad malum, inquit Chryſoſtomus ſuper verbum thematis. Sed certè ſunt nonnulli qui ſub ſpecie virtutis & zeli vltionis diuinæ iniuriæ palliant peccatum iræ. In quibus ira ſub triplici ſpecie virtutis ſe occultat. *Primo* quidem ſub ſpecie zeli iuſtitiæ & rectitudinis. De quibus dicit Gregorius. 25. Moralium. Plerumque mentem ſub obtentu iuſtitiæ iræ immanitas vaſtat, & dum ſæuit ex zelo rectitudinis, rabiem explet furoris; Iuſteque ſe facere exiſtimat quicquid ira nequiter dictat. *Secundo* ſe occultat ſub ſpecie charitatis & vtilitatis proximi. Quod maximè apparet in illis, qui dicunt ſe non iraſci proximo, ſed eius vitijs, quia res geſta per eum vergit contra ipſius ſalutem. Sed in hoc plerumque homines decipiuntur, quia talis indignatio nonnūquam procedit ab eodem fomite, quæ non à charitate creditur emanare. Nec mirum ſi in hoc homines decipiuntur. Quia ſicut in aqua turbata vera rei imago non apparet; ſic in mente turbata veræ rei iudicium non apparet. *Tertio* occultat ſe ſub colore manſuetudinis & patientiæ. Quod maximè contingit in illis, qui ſe grauius vlciſcuntur tacendo & nihil reſpondendo. Quia fortè ex hoc vel intendunt animum proximi magis irritare, vel intendunt gratiam affabilitatis aut veritatem ſibi vtilem ſubtrahere, vt ex hoc proximus maius poſſit nocumentum incurrere. Quæ omnia ſunt vitioſa. Et ideò ſi debet eſſe ira per zelum, oportet quod fiat *primo* zelo iuſto, vt ſcilicet amore iuſtitiæ hoc faciat, vt puta quia libenter videret, quod iuſtitia Dei locum haberet. *Secundo* vt ſit animo recto, ſcilicet non intentione vlciſcendi ſe, ſed vt ille corrigatur. *Tertio*, vt ſit modo diſcreto, ne ſcilicet ille ſcandalizetur, aut plus prouocetur, ſed vt inducatur bono modo ad ſuſtinendum hic pro peccato ſuo, ne puniatur à Deo perpetuo. Qui ergo ſic iraſcitur multum eſt commendabilis. Et tantum de ſecundo.

Ira triplici ſpecie virtutis ſe occultat — 1. — 2. — 3.

Ira iuſtorum ſiue per zelum quomodo debeat fieri.

I I I.

Ira diuinorum iudiciorum formidabilis eſt & ardua, & per conſequens vitabilis & timenda. Ira autem Dei non eſt aliud, niſi vindicta, ſecundum Auguſtinum. Quę quidem meritò eſt formidabilis & timenda propter quatuor; *Primo*, quia non declinatur virium poteſtate. *Secundo*, quia non debilitatur temporis tarditate. *Tertio*, quia in plures excitatur vnius prauitate. *Quarto*, quia nullatenus mitigatur ſine humilitate. *Prima* igitur conditio iræ Dei eſt, quod non declinatur virium poteſtate. Ab ira enim hominis poteſt ſe aliquis fortè abſcōdere vel ſubterfugere, ſed ira Dei nec loco metitur, nec tempore finitur, nec virtute tranſcenditur. Pſalm. *Quis nouit poteſtatem iræ Dei, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Probat Boëtius de conſolat. metro. 4. quod ſapiens non habet timere cuiuſcunque tyranni iram quantumcunque ſæuiat contra eum. Nam in poteſtate ſua eſt iram eius facere inermem, quia ſapiens nihil timet perdere, quod tyrannus potuit auferre. Nec aliquid ſperat ab eo recipere, quod potuit ei conferre. Reddit ergo iram eius totaliter impotentem, &

Ira diuinorū iudiciorū formidabilis. li. 13. de ciuit. Dei cap. 4.

Ira diuinæ conditiones. 1.

priuat

priuat eum penitus armis ſuis. Vnde ipſe exemplificat, quod ſi quis appetit immoderate honores & diuitias hu9 vitæ &c. timet puſillanimiter aduerſitates fortunæ, talis de ſuis poſſeſſionibus & affectionibus facit magnam cathenam, qua hac & illac per amorem & iram alterius poſſit trahi. Non ſic autem eſt de Deo, quia non poſſumus eum facere impotentem, ſcilicet non appetendo quod poteſt conferre, aut non pertimeſcendo quod poteſt inferre. Nam beatitudinem, quam poteſt conferre, omnes naturaliter appetimus; & miſeriam quã poteſt inferre, omnes pertimeſcimus. Omnes enim homines beati eſſe volunt, idque vno ardentiſſimo amore appetunt. Sicut dicit Auguſt. 13. de ciuitate Dei. capitulo. 5. Neceſſe eſt ergo Deum timere, tum propter amorem boni, tum propter terrorem mali. *Secunda conditio* iræ Dei, quod nõ debilitatur tẽporis tarditate. Vnde Valerius. Lento quidem gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, tarditatemque vindictæ ſupplicij grauitate compenſat. Eccl. 16. *In gente incredibili exardeſcet ira.* Fertur de quadam ciuitate, quod bellis fatigata miſit ad quendam principem pro ſuccurſu habendo, & vt eius animum citius inclinaret, expoſuit ipſi fortitudinem ciuitatis in muris, turribus, & foſſatis, quibus ille remiſit. Eſtnè, inquit, ciuitas veſtra ſuperius cooperta, ita quod ira Dei ſuper illam deſcendere nequeat. Quod ſi eſt, libenter veniam & defendam vos; Si autem propter peccata veſtra expugnamini, contra iram Dei pugnare non audeo. In quadam etiam patria in Anglia quæ Merchiſolia dicitur, fertur contigiſſe quod blada in æſtate pulcherrimè creuerant; Et ecce appropinquante tempore meſſium venit genus muſcæ in maxima multitudine, quæ totum illud bladum pulcherrimum intantum conſumpſit, quod vix infra quinque miliaria vnum quartarium inueniretur. Homines vero illius patriæ quaſdam de muſcis illis ceperant, & diligenter inſpicientes inuenerunt eas habentes litteras depictas in alis ſuis. In vna ala ſcribebatur ira, & in alia Dei, vt manifeſtum eſſet propter demerita populi vindictam diuinam fuiſſe, iuxta illud Hieremiæ 12. *Seminauerunt triticum & meſſuerunt ſpinas, hæreditatem acceperunt; & non eis proderit. Confundamini à fructibus veſtris propter iram furoris Domini. Tertia conditio* iræ Dei eſt, quod in plures concitatur vnius prauitate, propter quod ob vnius perſonæ malitiam Deus aliquando flagellat totam patriam. Tota domus Abimelech ſterilis fuit propter demeritum Abimelech. Et totus populus propter peccatum Achor punitus eſt. Non poteris, inquit, ſtare contra inimicos tuos, donec deleatur qui contaminatur ſcelere, dixit Dominus ad Ioſue. capitulo 7. Subtraxerat enim iſte Achor contra prohibitionem Ioſue regulam auream, id eſt, quoddam ornamentum virgineum, fortè crinale. Hinc eſt, quod Ioſue dixit filijs Iſrael. Ioſu. 22. *Vos hodie reliquiſtis Dominum, & cras in vniuerſum Iſrael ira eius deſæuiet. Nonne Achor filius Zara præterijt mandatum Domini & ſuper omnem populum ira eius incubuit.* Deus enim aliquando punit hominem pro peccato alterius temporaliter, ſed nunquam æternaliter, quia pœna æterna non punitur filius pro patre, nec econuerſo, ſed *anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Ezech. 18. Sed bene punitur filius pro peccato patris temporaliter, vt in crimine læſæ maieſtatis, & in hæreſi, vbi bona paterna confiſcantur principi, & à filijs auferuntur, vt dicitur de hæreticis, Vergentis. et c. Cum ſecundum, libro 6. Ratio autem quare temporaliter punitur filius pro peccato patris in iſtis criminibus, quia timetur, ne imitetur patrem in crimine. Et etiam propter horrorem criminis. Et etiam quia cum filius ſecundum corpus & ſecundum temporalia ſit quædam res patris, vt pater tanto ſeuerius puniatur, punitur in filio ſecundum corpus, & in temporalibus, non autem in anima, quia animam non habet à patre ſed à Deo. Et ideo punitur in corpore tantum, quod à patre habet per generationem. Nec æternaliter, quia ibi pœna non eſt ſatisfactoria, ſed peremptoria, & ideò non punitur ibi, vbi ſatisfacere non poteſt. *Quarta conditio* iræ Dei eſt, quod non mitigatur niſi humilitate, patet de Niniuitis, patet etiam de Ezechia; patet de Dauid; qui ad vocem prophetarum humiliati iram Dei euaſerunt. Natura leo-

nis

nis eſt non iraſci, niſi lædatur. Vnde proſtratis etiam parcere dicitur, iuxta illud; *Parcere proſtratis ſcit nobilis ira leonis.* Eodem modo Chriſtus non iraſcitur niſi læſus. Iſaiæ 64. *Ne iraſcaris Domine ſatis, & ne vltrà memineris iniquitatis noſtræ.* Imò quantumcunque offenſo humilitas occurrit eundem placatura. Vnde 2. Paral. 12. *Qua humiliati ſunt, auerſa eſt ira Dei.* Nos igitur ſi volumus iram Dei fugere, ſtudeamus humiliter coram eo procedere plorantes coram Domino, qui fecit nos, qui iram conuertet in miſericordiã, & propitius erit peccatis noſtris, propter nomen ſanctum ſuum, dabitque tempus pœnitendi ad remittendum culpam, & ſatisfaciendi pro pœna, & poſt hoc perducet nos ad gloriam. Ad quam nos perducat Dominus miſericordiæ & pietatis, qui ſine fine viuit & regnat, &c.

DOMINICA VII POST TRINITATIS.

SERMO I.

Conuocatis Ieſus duodecim diſcipulis ait illis; Miſereor ſuper turbam, quia iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Marci. 7. & Matth. 15.

IVcunda res eſt inquit Policratus cum poteſtas publica ſtudet ſic præeſſe, vt in vniuerſitate ſua triſtem aliquem non eſſe patiatur. Hæc ille. Ad principem namque, & ad quemlibet prælatum maximè pertinet compaſſio ſuper defectibus ſubditorum. Hinc Iob de ſe dicit; *Cum ſederem quaſi rex circumſtante me exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* Vnde etſi omnibus dicitur à Chriſto; *Eſtote miſericordes.* Tamen ſpecialiter conuenit principi, vt clemens ſit, eò quod princeps vel quicunque prælatus, aut ſenior in aliqua dignitate, eſt quaſi pater. Antiqui reges & principes leguntur fuiſſe multum pij & miſericordes & compaſſiui ſuper defectus ſubditorum. De Alexandro Magno narrat Valerius & Ioannes Gallenſis, Et Policratus libro 5. cap. 7. quod tantæ fuit compaſſionis ſuper miſeria ſuorum militum, quod cũ quadã hieme ducens exercitũ ad ignẽ reſideret. Videns militem confectum ſenio, & exanimatum frigore, miſit eum ſedere in ſolio ſuo dicens; Si in Perſis natus eſſes, in regia ſella reſidere capitale eſſet, ſed in Macedonia nato conceditur. Narrat ſimiliter Policratus de Traiano imperatore, quod tantæ compaſſionis fuit, quod etiam milites ſuos ægrotantes viſitabat. Et quod mirabilius eſt, non ſolum ſuper defectibus amicorum & ſuorum fidelium; ſed etiam inimicorum antiqui principes compatiebantur. Narrat Valerius lib. 5. de Marco Marcello, quod captis Syracuſis cernens caſum lugubrem ciuitatis inimicorum ſuorum, à lachrymis ſe continere non potuit. Idem narrat de Põpeio, qui regem Armeniæ à ſe victum ſupplicem in conſpectu ſuo iacere non eſt paſſus. Similiter de quodam Paulo cõſule Romano, qui captum à ſe regem volentẽ procumbere ad genua, dextera ſua leuauit, cũque ad mẽſã ſecũ locauit. Si igitur ſic cõpatiebãtur principes terreni, quãto magis filius Dei, cui propriũ eſt miſereri. Cum igitur fuiſſet rex regũ & Domin⁹ Dominãtiũ, qui

Polic. l. 5. cap. 6.

Iob. 29.

Luc. 6.

Clementia maximè conuenit principi.

Gall. in breuil. ca. 82.

Polic. l. 5. c. 8.

venerat per viſcera miſericordiæ viſitare peccatores, merito debuit eſſe miſericors, & compaſſiuus ſuper miſerijs hominum, non ſolum iuſtorum, ſed etiam peccatorum. Cuiuſmodi tunc erant turbæ ſequentes eum, in quibus erant multi peccatores, quibus multa compaſſionis & miſericordiæ opera impendit; videlicet languores curando, in tribulationibus conſolando, & famelicos ac deficientes recreando & reficiendo. Vnde in perſona ipſius dicitur; *Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea.* Quaſi dicat, non. Cuius rationem ſubdens ait, *Quia ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Non igitur mirum, ſi miſerebatur Chriſtus ſuper turbas, qui miſerationes ſuas diffudit ſuper omnia opera ſua. Veruntamen mirum erat, quod miſerebatur ſuper turbas inimicorum. Roman. 5. *Cum adhuc inimici eſſemus, commendauit Deus miſericordiam ſuam. &c.* Quas non ſolum docebat & ad viam reducebat veritatis & ſalutis, ſed etiam infirmitates corū adiuuans, ne deficerent in via, reficiebat pane vitæ & intellectus. Vnde compatiens defectibus turbæ prius quam beneficium eis impendit, affectum compaſſionis diſcipulorum collegio voluit intimare. Quibus congregatis dixit; *Miſereor ſuper turbam, quia iam triduo ſuſtinent me,* &c.

Iob. 31.

Propoſit. Tria tanguntur circa miraculum per Chriſtum faciendum. *Primo* diſcipulorum Chriſti congregatio ad conſulendum prudenter, cum dicitur, *Conuocatis. Secundo.* Saluatoris noſtri compaſſio ad miſerandū vtiliter; *Quia miſereor. Tertio* humanæ naturæ defectio ad miſericordiam implorādam inclinans faciliter, *quia iam triduo ſuſtinent me.* In diſcipulis fuit diſcretio matura; In Chriſto compaſſio vera; In turbis fames miſeria plena.

I.

Conuocatis. Conuocat diſcipulos, ſecundum Gorran. vt exemplum miſerandi accipiant, & ex collocutione ſigni magnitudinem colligant, & vt inſtruat nos, quod conſulere inuicem debemus, quando aliquid magnum facere proponimus. Item vt doceat maiores interdum conſilium habere cum minoribus. Huic concordat Haymo dicens; Quare conuocat diſcipulos ſuos? nunquid ſine illorum conſilio non poterat hoc agere? Sed ideò conuocauit, vt daret exemplum regibus, comitibus, Epiſcopis, & cæteris potentibus huius ſæculi, ne deſpiciant ſubiectos ſuos in conſilio ſuo, quia ſæpè reuelat Deus minoribus ſuis, quod melius eſt. Hæc ille. Gloſſa autem ordinaria ſuper hunc locum dicit, quod Dominus diſcipulos conuocauit, vt doceat maiores conſilia ſua communicare minoribus. Circa quod notandum eſt de tribus; *Primo* quærere conſilium eſt neceſſarium, *Secundo* quales debent eſſe conſiliarij; *Tertio* qualia debent eſſe conſilia. *Primo* quomodo quærere conſilium eſt neceſſarium, dicit Salomon Prouerb. 11 & 24. *Vbi multa conſilia, ibi multa ſalus.* Vnde rectores reipublicæ antiquitus dicebantur conſules à conſulendo, prout ait Auguſtinus. Sunt autem conſilia neceſſaria intantum, vt etiam arma bellica quæcunque foris nihil valeant, ſi non fuerint domi conſilia, vt ait Tullius. Et Auguſtinus vbi ſupra. propter quod Seneca concludit, quod conſiliarij non minus ſunt vtiles patriæ in conſulendo, quam milites in protegendo. Nam etſi morantur in priuato, publicum tamen gerunt officium. Imo, vt dicit Tullius libr. de ſenect. ca. 3. Dantes conſilium in republica plus agunt quam alij. Nam ſunt ſicut gubernator in naui, qui licet ſedet quietus, tenet tamen clauum, quo tota nauis gubernatur. Propter quod ſubdit, quod licet multi in republica diſcurrant huc atque illuc, & viribus ſuis multa efficiant, tamen conſiliarij ſunt vtiliores, quia non viribus aut velocitate, aut celeritate corporis res magnæ geruntur, ſed conſilio & auctoritate & ſententia. Hæc illè. *Secundo* conſiliarij debent eſſe *primo* ſenes & maturi. Nam in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia, Iob duodecimo. Vnde & Roboam, qui dereliquit conſilium ſenum, & adhæſit conſilijs iuuenum, amiſit regnum. 3. Reg. duodecimo. Narrat Augu-

l. 5. de ciu. Dei ca. 12.

li. 1. de offic. ca. 20.

Sen. lib. de tranquill. animi poſt princip.

2.

1. Senes & maturi.

Epiſt. 58. Auguſtinus de Themiſtocle Philoſopho ad Dioſcorum, qui cum in quodam conuiuio reputatus eſſet cæteris indoctior, eò quod neſciret cantare cum alijs; Requiſitus eſt, quid ergò ſciret, cum hoc neſciret, Reſpondit, rempublicam magnam ex parua facere, ſi ſuis conſilijs acquieſceret. Et. *Valerius lib. 6. ca. 5.* Valerius narrat de quodam, qui alteri minabatur, quod haberet contra eum multos gladios, Cui ille reſpondit, & ego multos alios. Quaſi dicat. Tu habes gladios ferreos, & ego conſiliarios diſcretos *Secundò* debent eſſe conſiliarij vita ſancti & probati, prout ait Ambroſius libro ſecundo de officijs diuinis. *2. Vita ſancti & probati.* In acquirendis conſilijs plurimum requiritur vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, facilitatis gratia. Et ponit exempla. Quis in cœno fontem requirat? Quis ex turbida aqua potum quærat? vbi luxuria, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio, quis non horrendùm exiſtimet? quis non deſipiat morum cauillationes? Quis vtilem cauſæ alienæ iudicet, quem videt inutilem ſuæ vitæ? Hæc ille. Ex quo concludit Ambroſius, quod præſtantior debet eſſe, à quo cõſilium petitur, quam ille, qui petit. *3. Veridici* *Tertiò* conſiliarij debent eſſe veritate prædíti ſiue veridici, vt in veritate conſulant illis, quorum ſunt conſiliarij, vt ſcilicet non ad placitum Dominorum, ſed ſecundum veritatem conſulant. Hoc eſt contra adulatores in conſilio, qui quam citò cognouerint voluntatem dominorum, conſulunt omnia ad eorum placitum, quod eſt multum dãnoſum. Narrat Iuuenalis de Xerxe rege Medorum, qui cum bellum Græcis indixiſſet, & quidam ex conſiliariis dicebant Græcos initium belli non expectare, ſed ad primam vocem & aduentus famam terga verſuros. Alius autem dicebat Græciã non ſolum vinci, ſed obrui. Alius dicebat timẽdùm eſſe, ne vrbes vacuas inuenirent. Alius dicebat illis vix naturam rerum ſufficere, & ſic de alijs. Surgens Damarathus fidelis conſiliarius dixit regi; Multitudo iſta exercitus tui tibi timenda eſt, verùm eſt enim, immodica, id eſt, magna nunquam poſſe regi; nihil tam magnum, quod perire non poſſit. Acciderunt autem, quę dixit Damarathus. Fuit enim iſte rex confuſè deuictus, vt narrat Trogus Pompeius libro quinto & Vegetius libro quinto. Vnde licet habuiſſet quadraginta millia armatorum propriorum, & trecenta millia auxiliatorum, & centum millia nauium, tamen omnes cum eo fuerunt in fugam conuerſi timore aduerſariorum. Valerius libro primo, capitulo 4. narrat, quod in eius exercitu equa peperit leporem, qui eſt fugax animal, ad ſignificandum eius fugam cũ ſuis. *Quartò* debent eſſe conſiliarij multiplici experientia induſtrij, & perſpicui. *4. Experti* Ideò enim præcepit Deus Moyſi ſeniores ad conſilium recipere. *Exod 3. Num. 11.* Quia ſecundùm Ambroſium. *Hom. 1. in Hexameron.* Senectus in conſilijs eſt vtilior, iuxta illud Eccl. *Quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſis intellectus & conſilium.* *Eccl. 25.* Narrat Papias, quod in principio Romanorum Romulus condita vrbe centum ex ſenioribus elegit, quorum conſilio omnia ageret. Similiter narrat Auguſtinus de Athenis, *Lib. 18 de ciuit. Dei cap. 10.* quod in ſpeciali platea, quæ dicebatur Ariopagus, ſapientes ſenes fuerunt conſtituti, ad conſulendùm. *Quintò* debent eſſe ſtabilitate ſolidi, vt non moueantur timore, *5. Stabiles* vel amore, vel cupiditate in conſilijs dandis. Eccl. 37. *Ante omnem actum conſilium ſtabile.* Maxime autem requiritur, vt ſint ſtabiles in iuſtitia diuina. Narratur de Cõſtantino, cum Eccleſiæ paterentur perſecutiones, conceſſit licentialiter Chriſtianis *Lib. 1. tripart. hiſt. cap. 7* in ſua religione conſiſtere. Volens autem probare quoſdam de palatio ſuo Chriſtianos, ſi eſſent ſtabiles, præcepit quod ſi qui venirent ad ſacrificandum dijs ſuis, hi eſſent cum eo in palatio ſuo; Si qui autem nollent ſacrificare, de palatio exirent. Et tandem aliqui penſantes fauorem regis, obtulerunt ſe paratos ad ſacrificandum Dijs; Alij verò, qui erant in fide Chriſti benè firmati, exierunt de palatio nolentes ſacrificare. Quod videns Conſtantinus iſtos vltimos, qui Deo fuerunt ſuo ita fideles, in cõſiliarios acceptauit prioribus illis refutatis, qui fuerunt Dei ſui proditores. Non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo eſt infidelis. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* *Eccl. 32.* Tales ergò conſiliarij ſunt vitandi, qui præponunt commodum proprium vtilitati cõmuni, quia ſunt ſemper inſtabiles & variabiles ſecundum

dum varietatem commodorum. A talibus conſulit abſtinere Salomon. *A conſiliario malo conſerua animam tuam.* Vnde conſiliũ non eſt quærendum ab illis, qui diligunt bona hominis non hominem. *A zelantibus te abſconde conſilium.* Vnde Gregor. Nullus tibi fidelior eſſe poteſt ad conſilium, quam ille, qui non tua, ſed te diligit. Hæc ille. Tertiò qualia debent eſſe conſilia, dicit Albertanus Brixienſis in libello de cõſilijs, quod plura ſunt vitanda in conſilio. *Primò* namque vitanda eſt ira, quia iratus plus putat ſe poſſe facere quam poſſit. Et ideò quaſi poſſe ſuum ſuperat; iuxta illud. *Qui plus poſſe putat ſua, quam natura miniſtrat; Poſſe ſuum ſuperans, ſe minus ipſe poteſt. Secundò* quia iratus nihil niſi crimina loquitur. *Tertiò* quia impedit ira animum ne poſſit cernere verum. Vnde dixit Seneca, lex videt iratum, ſed iratus non videt legem. Et Tullius quod cum ira nil rectè fieri, vel conſiderari poteſt. *Secundò* in cõſilio vitanda eſt feſtinantia. Socrates dixit duo iſta eſſe vitãda, ſcilicet iram & præcipitationem. Velox enim conſilium ſequitur pœna, ſecundum ipſum. Vnde Ambroſ. 22. quæſt. 2. dicit: quod non omne, quod differtur, aufertur, ſed ſæpè maturiori cõſilio perficitur. Vnde dici ſolet; Optimum exiſtimo iudicem, qui citò intelligit & tardè iudicat. *Tertiò* vitanda eſt reuelatio vel publicatio conſilij. Eccleſ. 8. *Nõ omni homini cor tuum manifeſtes, nè forte inferat tibi gratiam falſam, & conuitietur tibi.* Vnde quidam; Quod ſecretum eſſe vis, nemini dicas. Eſt autem cautela circa hoc ſecundum Albertanũ ſeruãda, quia ſi homo non credit conditionem ſuam facere meliorem per conſilium alterius, melius eſt non reuelare ſecretum cordis ſui. Nam vt Petrus Alphinius, Conſilium abſconditũ quaſi in carcere tuo eſt, Reuelatũ verò te in carcere ſuo tenet ligatũ. Quare idem dicit; Qui conſilium in corde ſuo retinet, ſui iuris eſt. Nã tutius eſt tacere, q̃ vt taceret, alium rogare. Vnde Seneca; ſi tibi ipſi non imperaſti vt taceres, quomodo ab alio ſilentium quæres? *Quartò* vitandum eſt, ne ſuper conſilio petendo voluntatem ſuam quis prius conſiliarijs oſtendat. Nam adulatores, ſtatim vt cognoſcunt voluntatem Domini, conſulunt, quod ei placere credunt. *Quintò* vitandum eſt conſilium illorum, qui aliquid occultè conſulunt, ſed tamen illud non defenderent publicè. Dicit enim Caſſiodorus. Læſionis genus eſt, occulte aliquid dicere, & aliud velle monſtrare. *Sexto* vitandum eſt conſilium imprudentium & ſtultorum. Eſt autem ſtultus & imprudens, qui non attendit ad finem negotij, ſed tantum ad principium vel medium. Vnde Pamphilus: *Principium finemque ſimul prudentia ſpectat.* Et Boetius de conſolatione; non quod ante oculos eſt, ſufficit intueri, rerum exitus prudentia metitur. Et Seneca de forma humanæ vitæ; ſi prudens eſt animus tuus, tribus diſpenſetur temporibus; præſentia ordina, futura prouide, præterita recordare. Finis autem omnium conſiliorum noſtrorum debet eſſe honor Dei, & vtilitas ſalutis noſtræ. Vnde quæcunque ſunt contra honorem Dei & noſtram ſalutem, non ſunt conſilia ſed proditiones. Conſilium igitur Chriſti fuit ſaluberrimum, quia habuit conſiliarios ſenes & maturos; vita ſanctos & probatos; veritate præditos; expertos & ſtabiles. Et ideò bene fuit concluſum, quia ad honorem Dei patris fuit ordinatum iſtud miraculum, & ad fidem confirmandã in cordibus turbarum. Docemur autem ſpecialiter à Chriſto in hoc, quod licet fuerit ipſe ſapientiſſimus & nullius conſilio indigens, ſicut ipſe de ſe dicit. Prou. 8. *Meum eſt conſilium & mea eſt ſapientia,* tamen ex humilitate conuocauit ad ſuum conſilium diſcipulos, vt doceret quemlibet quantumcunq; ſapientem, ab inferiori ſuo non dedignari conſiliũ. Nã & Moyſes ſapiẽtiſſimus audiuit conſiliũ Jetro, qui erat eo inferior dignitate. Vnde Hieronymus ſuper illud Iſaiæ, Et cõſiliarius non eſt tibi, dicit, quod Græci poëtæ laudabilis fuit ſentẽtia; Primum illum eſſe beatum, qui pro ſe ſapiebat; Secundum qui ſapiẽtem audiebat. Qui autem vtroq; caret, inutilis eſt talis tam ſibi quã alijs. Hinc Seneca in ep. ad Elbinam dicit. Sapientibus viris me tradidi nondum validus in auxilium meum. Et tãtum de primo.

[Margin notes: Eccl. 37. — Ibidem. — Lib. 1. Regiſtri. — 3. Conſilia qualia debeant eſſe. — 1. Abſq; ira. — 2. Abſq; feſtinantia. — 3. Secreta abſq; reuelatione. — 4. Abſque voluntatis ſuæ manifeſtatione.]

VI.

Miſereor ſuper turbam. &c. Competit miſereri Chriſto ex aſſumpta humanitate. Vnde gloſſa dicit; Hic cõpatitur vt homo, paſcit vt Deus. Et hæc eſt naturæ diuinæ proprietas, miſereri ſemper & parcere. Nõ ſolum autem miſeretur huic aut illi particulariter, ſed omnibus bonis & malis, electis & reprobis generaliter, iuxta illud. Pſal. 35. *Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.* Vbi dicit Innocentius quartus; *Homines*, id eſt, electos ratione vtentes, *& iumenta*, id eſt, reprobos irrationabiliter viuentes, *ſaluabis Domine*, temporali ſalute & corporali. De qua ſalute dicitur; *Salua me Domine, mi Rex.* Qui ait; *Non, te ſaluet Dominus.* Et hoc, *quemadmodũ multiplicaſti*, id eſt, multiplicem oſtendiſti, *miſericordiam tuam Deus. Homines* autem dicuntur electi iuxta illud Ezech. 34 *Vos autem greges mei & greges paſcuæ meæ eſtis homines.* Et *iumenta* dicuntur peccatores. Ioel. 1. *Cõputruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Vel ad litteram, *Homines & iumenta*, quia non ſolum hominibus dat eſcam Deus, ſed etiam brutis animalibus. Pſal. 146. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum.* Matth. 6. *Reſpicite volatilia cœli, quomodo nõ ſerunt neq; metũt, neque congregant in horrea, & tamen pater veſter cœleſtis paſcit ea.* Quemadmodũ multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Verè ab initio mundi magis & magis multiplicatur miſericordia Dei. Noë enim promiſit Deus, vt ſaluaretur a diluuio; poſtmodũ Abrahæ promiſit ſemen; tandem nobis dedit filium ſuum, & cum eo omnia. Rom. 8. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Homines ergo & iumenta ſaluat Deus per miſericordiam, quia bonos & malos paſcit in præſenti, quæ eſt magna miſericordia. Vnde licet, ſecundum Innocentium, ex iuſto Dei iudicio, tamen occulto, malis hominibus Deus non det bona gratuita, tamen de ſua miſericordia dat eis bona tẽporalia Ad quod ſignificandũ Chriſtus voluit hic paſcere nõ tantũ electos Apoſtolos, ſed etiã turbã, in qua ſunt mali permixti bonis. Sunt autem octo effectus, in quibus apparet diuina miſericordia omnibus generaliter exhibita, dummodo non ponant obicem. *Primus* eſt tam nobilis & excelſa plaſmatio. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Secundus* creaturarum omnium vniuerſalis ſubiectio. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. Tertius*, poſt peccatum longanimis exſpectatio. *Miſereris omnium diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Quartus* lapſi frequens & pia reuocatio. *Aures tuæ audiant verbum poſt tergum monentis. Reuertere reuertere Sunamitis. Quintus* redeuntis libens & benigna ſuſceptio. *Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ſuus & miſericordia motus eſt. Sextus* poſt reditum clemens & paterna correctio. *Viſitabo in virga iniquitates eorũ miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo. Septimus* captiui ſeu perditi copioſa redemptio. *Empti eſtis precio magno. Non corruptibilibus auro & argento empti eſtis. Copioſa apud eum redemptio. Octauus* in fine ſuperabundans remuneratio. *Euge ſerue bone & fidelis.* Vltra iſtos autem adhuc ſeptem effectus oſtendit peccatoribus ſecundum Bernardum; Septem, inquit, in me video miſericordias Domini, quas & vos ipſi facile inuenietis in vobis. *Prima* eſt, quod à multis peccatis adhuc in ſeculo poſitum cuſtodiuit. Nam in multa cecidi, & in alia potueram cecidiſſe peccata, niſi omnipotentis pietas ſeruaſſet. Fateor & fatebor, niſi quia Dominus adiuuiſſet me, paulominus cecidiſſet in omne peccatum anima mea. *Secunda* miſeratio, quæ non poteſt explicari ſermone, quam benigna, quam libera, quam gratuita Ego peccabam & tu diſſimulabas; non continebam me à ſceleribus, & tu abſtinebas à verberibus; prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam non abſtuliſti. *Tertia* quia viſitauit cor meum, & immutauit, vt amara fierent, quæ malè dulcia prius erant. *Quarta*, quod me pœnitentem miſericorditer ſuſcepiſti; vt in numero eorum inuenirer. De quibus Pſalmiſta dicit; *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. Quinta*, per quam mihi continendi deinceps & emendatius

Marginalia: *Miſereri Chriſto propriũ.* — *Gen. 1.* — *Pſal. 8.* — *Sap. 11.* — *Iſa. 30.* — *Cant. 6.* — *Luc. 15.* — *1. Cor. 6.* — *1 Pet. 1.* — *Pſal. 129.* — *Matt. 25.* — *Bernard. ſer. 88 ſu. Cantica.* — *Miſericordia Dei peccatoribus exhibita ex ſeptẽ apparet.*

datius viuendi præſtitiſti virtutem, ne reci-diuum paterer, & eſſet nouiſſimus error peior priore. Poſtquam autē in iſtis quin que miſerationibus à malis liberabis, in duabus alijs bona largiris. Hæ duæ ſunt *gratia promerendi*, quam videlicet donans munus bonæ conuerſationis indulges; *Et ſpes obtinendi*, quam donas homini indigno peccatori de tua totiens experto bonitate, vſque ad cœleſtia ſperādа præſumere. Hæc Bernardus. Hæ ſunt igitur miſerationes, quibus Chriſtus miſeretur, vti pater filiorum. Et hoc non vni tantum aut duobus, ſed toti turbæ peccatorum famelicæ, eſurienti & ſitienti ipſius miſericordiam. Et tantum de ſecundo.

III.

Quia iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Nihil ſic Deum inclinat ad miſericordiam, ſicut perſeuerantia & ſuſtinentia in tribulationibus. Nam taliter perſeuerantibus celerius & promptius Deus miſeretur, quam alijs, & eos adiuuat & protegit ſpecialius. Vnde Pſalmiſta *Anima mea ſuſtinet Dominum*, ſcilicet vel præmia differentem, vel flagellantem, vel ſuſtinet flagella propter Deum. Et ſequitur; *quia adiutor & protector noſter eſt*. Et alibi: *Cum ipſo ſum in tribulatione*. Et iterum; *Adiutor in tribulationibus*. Sunt autem ſuſtinēda tria præcipua, ſi volumus à Domino adiuuari & ſatiari pane cœleſtis conſolationis, ſcilicet onera præceptorum diuinorū; flagella Domini; & moleſtias illatas ab inimicis. De primo dicit Gregorius; Qui ad cœleſtem patriam venire deſiderant, mandatorum onera libenter portent. Ad hæc portanda & ſuſtinenda hortatur nos Dominus dicens; *Tollite iugum meum ſuper vos, &c.* Et ſequitur; *Iugum enim meū ſuaue eſt & onus meum leue*. De flagellis diuinis dicit ibidem; Tanto ferramentum libētius tolerat, quanto putridum videt quod ſecat. Vnde Pſalmiſta dicit de ſe; *Quoniam ego in flagella paratus ſum*. Id eſt, bene merui flagellari ſecundum Innocentium. *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus*. Ecce grauia flagella. Ad iſta flagella debet homo eſſe paratus, propter multas cauſas ſecundum Innocentium. *Primò* propter magnitudinem præmij. Auguſtinus. Labor te terret, vide mercedem. *Illi quidem corruptibilem coronam accipiunt, nos autem incorruptam. Idem enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*. *Secundò*, quia per illa ſcit ſe æternam pœnam euadere. Vnde Gregorius. Sancti temporalem pœnam lucrum putant, quia per hanc euadere æternam pœnam non ignorant. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis*. *Tertiò* quia videt ſe meruiſſe illa. Vnde Mich. *Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Hæc infirmitas mea, portabo illam*. *Quartò* neceſſe eſt, vt patiatur illa, quia aut homo punit in præſenti, aut Deus puniet in futuro, vel etiam in præſenti. Vnde debet facere de neceſſitate virtutem. *Ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes biberunt, & tu quaſi innocens relinqueris*. *Quintò* quia per hæc diſcipulus Chriſti eſſe probaris. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Vnde Bernardus; Totus debet eſſe in diſciplinis diſcipulus Chriſti, vt humilietur ad timorem, erudiatur ad ſcientiam, exerceatur ad pœnitentiam, coronetur ad gloriam. *Sextò*, quia quanto homo pronior eſt ad ſuſtinendum flagella, tanto Deus eſt pronior ad miſerandum ei. *Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi; Vertatur obſecro manus tua contra me*, & Dominus miſertus eſt ei & ipſius populi. *Septimò*, quia ſunt ſigna ad habendam æternam beatitudinem. *Flagellat omnem filium quem recipit*. Vbi dicit Auguſtinus. Si es exceptus à numero flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Hæc Innocentius. *Tertiò* debet homo ſuſtinere moleſtias illatas ab inimicis. De quo dicit Saluator. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Vbi dicit Gregorius. Per patiētiam animas noſtras poſſidemus, quia dum nobiſipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere quod ſumus. *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram*. *Exemplum accipite fratres mei exi-*

tus

Perſeuerantia & ſuſtinētia in tribulationib⁹ inclinat Deum ad miſericordiam.
Pſal. 32.
Idem 90.
Tria ſuſtinenda.
1. Onus præceptorum Dei.
Matt. 11.
2. Flagella.
Prou. 19.
Ad flagella homò debet eſſe paratus.
1. Cor. 9.
2. Cor. 4.
Rom. 8.
Abac. 3.
Mich. vlt.
Ierem. 10.
Idem 49.
Matt. 16.
Bernard.
2. Reg. vlt.
Heb. 12.
3. Moleſtiæ ab inimicis illatæ.
Luc 21.
Matt. 5.
Iacob 5.

tus mali & longanimitatis & patientiæ prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Suſtinere autem debet tam in proſperis, quã in aduerſis: *Isai. 26.* *Anima mea deſiderauit te nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te:* Debet ergo anima ſuſtinere Dominum ſicut domus habitatorem ſuũ; aut ſicut ſponſa ſponſum; aut ſicut familia dominum. *Luc. 12.* *Vos ſimiles hominibus exſpectantibus dominum ſuum.* *Matt. 25.* Et. *Moram autem faciente ſponſo.*

Mali bonis vtiles. Sunt autem mali homines & inimici vtiles bonis propter plura. *Primò*, quia ſunt virga & baculus, quibus corrigũtur à Domino, quando delinquunt. Vnde Iſaias: *Isa 10.* *Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus meus ipſe eſt.* *Secundò*, quia ſunt malleus & inſtrumẽtum, quo Dominus eos fabricat in vaſa gloriæ. *Ierem. 50.* *Quomodo fractus eſt malleus vniuerſæ terræ.* *Tertiò*, quia ſunt ſtimuli, quibus Dominus ſtimulat bonos. *Idem 46.* *Vitula elegans atque formoſa Ægyptus, ſtimulator ab Aquilone veniet ei.* Gregorius; Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. *Exod. 12.* *Vrgebantq; Aegyptij populum Iſrael de terra ſua exire.* *Quartò*, quia ſunt probatorium, quo Dominus probat iuſtos, qui ſunt recipiendi ab eo in patriam, & qui non. *Eccl. 2.* *In igne probatur aurum & argentum: homines verò receptibiles in camino tribulationis.* Dominus enim facit, ſicut ille qui emit vaſa figuli. percurrit vt videat ſi eſt ibi aliqua fractura latens, & cum groſſum ſonum reddit dimittit illud; Sic Dominus eos qui groſſe reſpondent per impatientiam, non approbat. Gregorius. Qualis quiſque apud ſe lateat, contumelia illata probat. Non ſolum autem Chriſtum ad miſericordiam inclinat iſtarum turbarum patiens tolleratio, & ſuſtinentia tridui, ſed etiam defectus victualium. *Defectus victualiũ inclinat Chriſtum ad miſericordiam.* Vnde additur quaſi ſecunda cauſa miſerationis. *Nec habent quod manducẽt.* Permiſit Chriſtus, vt turbæ conſumerent quæ habebant, & deficerẽt in victualibus, vt oportunius eis miſereretur, quod facit & hodie, cum Dominus exponit iuſtos tribulationibus, & ſubtrahit eis temporalia, *Cur iuſti exponantur tribulationib⁹, & temporalia ijs ſubtrahãtur.* propter plures rationes ſecundum Innocẽtium ſuper Pſalm. 42. *Prima* eſt ne temporalibus adhæreant, & Dominum derelinquant, ſicut coruus non redijt ad Noë in arcam. *Gen. 8.* Et dicitur, quod à cadauere alicubi allectus fuit. Gregorius. Qui in præſẽti felicitate quæſitum inuenit, auctorem qui eam tribuit nõ requirit. *Secunda* eſt, vt homo ſe exerceat. *Rom. 5.* *Tribulatio patientiam operatur.* Gregorius. Tribulatio tentationis, cui non conſentitur, non eſt vorago vitiorum ſed exercitium virtutum. *Tertia* ratio eſt, vt eum attentius quæramus. *Psal. 82.* *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine.* Vnde per contrarium dicitur. *Isa. 57.* *Vitã manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti.* Et in Geneſ. *Gen. 40.* *Succedentibus proſperis oblitus eſt pincerna interpretis ſui.* *Quarta eſt*, vt eam ardentius diligamus. *Psal. 9.* *Dum ſuperbit impius incenditur pauper.* *Dan. 3.* *Non ceſſabant miniſtri regis ſuccendere fornacem:* *Quinta*, vt ſciamus bona noſtra non habere à nobis. *Isa. 45.* *Accinxi te & non cognouiſti me.* *Sexta*, vt exemplo eorum ad patientiam infirmi roborentur. Gregorius. Facta præcedentium recolamus & grauia non erunt, quæ ſuſtinemus. *Iacob. 5.* *Exemplum accipite fratres mei exitus mali & longanimitatis laboris & patientiæ prophetas.* Et ſequitur; *ſufferentiam Iob audiſtis.* *Septima*, vt mali terreantur. *Prou. 11.* *Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator.* *Luc. 23.* *Si in viridi hoc faciunt, quid in arido fiet.* Taliter ergo ſuſtinentes & deficientes in præſẽti Dominus reficiet & ſatiabit in futuro; vbi ſatiabitur iuſtus cum apparuerit gloria Dei. Tunc enim ſecundum dolorum multitudinem in corde eius, cõſolationes Dei lætificabunt animam eius; tunc videbit & affluet æternis delicijs. Quas nobis concedat Dominus deliciarum, & Deus totius conſolationis, qui viuit & regnat per ſecula benedictus.

Amen.

DOMINICA SEPTIMA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Accipiens ſeptem panes gratias agens fregit & dedit diſcipulis ſuis, vt apponerent turbæ. Matt.15.& Marc.8.

Duo genera famulorũ.

IN præſenti vita duo ſunt genera famulantium & ſeruorũ. Quidam ſunt, qui receptis victualibus recedunt à Dominis ad labores exteriores, ad ſiluas & nemora, quibus Dominus non adeſt præſentialiter. Sed hi sũt frequenter in periculo, quia ſi deficiunt in victualibus famem patiuntur, & cum difficultate ſupportantur per inimicos. Quidã ſunt, qui continuè in præſentia Domini laborant, quorum indigentiam Dominus reuelat & ſupplet, prout viderit expedire. Et iſti non ſunt in periculo, quia ſi oculus Domini impinguat equum vt dicit Sapiẽs, multò magis ſeruum. Sic etiam ſpiritualiter loquendo de genere humano, in quo eſt duplex familia. Vna quæ à Deo elongatur per laborem perditionis & vanitatem
Sap. 5. ſeculi. *Laſſati ſumus in via perditionis.* Et hæc eſt in periculo, quia conſumptis bonis naturæ, & fortunæ finaliter deficit & famem patitur vt canis, & tunc circuit ci-
Luc. 15. uitatem. Quorum figuram expreſſit filius prodigus, qui abiens in regionem longinquam, conſumptis omnibus bonis paternis cupiebat ſaturari de ſiliquis porcorũ, & iam fame peribat. Alia autem familia eſt Chriſti, quæ continuè adhæret Deo, & eſt mens iuſtorum, quæ in tempore quantumcunque malo non eſt ſollicita de refectio-
Pſal. 36. ne ſua. Vnde Pſalmiſta de talibus dicit; *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur.* Hoc enim promittit
Matt. 6. eis Saluator dicens: *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducemus &c. Scit enim pater*
Iob 4. *veſter cœleſtis, quia his omnibus indigetis.* Vnde Iob. *Recordare obſecro quis vnquam innocens perijt, aut quando recti deleti ſunt.* Quaſi dicat nunquam Pſal. 36. *Nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panẽ.* Propter quod Pſalmiſta dicit; *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino* *Idem 72.*
Deo ſpem meam. Et certè bonum quia Dominus prouidet de talibus. Iuxta illud Petri. *Omnem ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quia ipſi cura eſt de vobis.* *1. Petr. 5.* Iſtud bene & expreſſe figuratum eſt in hodierno euangelio, vbi cum turbæ defeciſſent in proprijs victualibus in ſolitudine, quia tamen Chriſto adhærebant, & ſub eius cura tunc erant, ipſe videns eorum defectum, accipiens ſeptem panes gratias agens fregit & dedit diſcipulis ſuis, vt apponerent turbæ. In quibus verbis tria tanguntur. *Propoſitio* *Primò* deſcribitur materia refectionis, per quam Chriſtus turbam ſatiauit, quia *accipiens ſeptem panes.* *Secundo* gratiarum actionis doctrina, per quam Chriſtus nos informat: *gratias agens fregit.* *Tertiò* ſubditur, excellentia apoſtolicæ auctoritatis, per quam eos Chriſtus deſignauit, quia *dedit diſcipulis ſuis vt apponerent turbæ.*

I.

Septuplici pane ſuos reficit Dominus.

Accipiens ſeptem panes. Aliter reficit ſuos Deus, & aliter diabolus ſuos. Dominus reficit ſuos ſeptuplici pane. *Primus* eſt naturalis, qui datus eſt ad ſuſtentationem cõr-
1. Panis naturalis. poris *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* *Gen. 3.* Bene dicit; *In ſudore vultus tui.* Non enim debet comedi panis ex illicitis laboribus, vel potius ex illicito otio, ſicut ipſum comedunt vſurarij, qui non in ſudore, ſed in otio comedunt, & conſumunt omnem ſub-

ſubſtantiam proximorũ. Contra quos dicitur. Matt. 5 *Volenti mutuare à te, non auertaris*, ſcilicet non mutuando vel mutuum differendo vel diminuendo. Deut. 23 *Fratri tuo abſque vſura id quod indiget accommodabis*. Et Luc. 6. *Mutuum dantes & nihil inde ſperantes*. Ezech. 18 *Si ad vſuram non accommodauerit, & amplius non acceperit, vita viuet*. Vnde Pſalmiſta poſtquam requiſit Dominum; *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* audiuit à Deo, *Qui pecuniã ſuam non dedit ad vſuram*. Vbi dicit Innocentius, quod vſuram deteſtatur Dominus propter multas cauſas. *Prima eſt*, quia vſura directè opponitur charitati. 1. Corint. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non quærit quæ ſua ſunt*. Ioſue 1. *Omnem locum, quemcunque calcauerit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam*. Per pedem ſignificatur charitas, quæ facit ſuum quicquid calcat. Vnde omnia facit communia caritas, vſura autẽ omnia appropriat. *Secunda cauſa eſt*, quia vſura eſt homicidium. Eccl. 34. *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt*. *Tertiò*, quia furtũ, licet curiale. Exod. 20. *Non facies furtũ*. Vbi Auguſtinus. Furtum eſt attractio rei alienæ inuito domino. *Quarta cauſa eſt*, quia vſurarius comparatur inferno. Abac. 2. *Dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non implebitur*. Et ſicut in inferno nulla eſt redemptio, ſic in iſtis. Imò peiores ſunt inferno & diabolo; quia quãdo Dominus deſcendit ad infernum, infernus & diabolus reddiderunt ea, quę iniuſtè detinebant, ſcilicet animas iuſtorum; Sed vſurarius quãdo viſitat eum Dominus per infirmitatẽ, vel prædicationẽ vel huiuſmodi, nihil vult reddere Iſa. 5. *Tenebit prædam & amplexabitur, & nõ erit qui eruat*. *Quinta eſt*, quia nunquam dormit, ſicut diabolus 1. Pet. 5. *Vigilate in orationibus, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*. Iſai. 5. *Non dormitabit, neq; dormiet*. Iob 30. *Et qui me comedunt non dormiunt*, ſcilicet vſurarij, *dicit pauper*. *Sexta*, quia nunquam habet treugas cum Domino, licet alia peccata aliquando habent requiem. 1. Mach. 2. de Antiocho dicitur, quod conſtituit aduerſus eos prælium in die ſabbathorum. Crudeliores etiam ſunt Herode, qui Dominum natiuitatis ſuæ hora non eſt perſecutus; Sed ipſi ipſa hora natiuitatis ſuæ perſequuntur eum. *Septima* eſt, quia eſt contraria omni iuri. Eſt enim contraria iuri diuino. Luc. 5. *Date & dabitur vobis*. Item eſt contraria iuri vniuerſali, de quo Auguſtinus. Iudicium diuinæ poteſtatis eſt, quod quælibet creatura cogitur ſe ipſam dare. Item contraria eſt iuri naturali, de quo Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*. *Octaua*, quia fœnus interficit miſericordiam, vnde & fœnerator miſericordiam non habebit. *Nona ratio eſt*, quia contraria naturæ eſt, facit enim vt granum non ſeminatum creſcat; & non mortificatum reuiuiſcat, dando duos modios frumenti pro tribus, & vel huiuſmodi. Cõtra illud Ioan. 12. *Niſi granũ frumenti cadens &c*. *Decima, eſt*, quia fœneratores ſunt incantatores. Faciunt .n. tranſmutationes metallorum, ſine aliqua percuſſione malleorum. Faciunt enim de polonica moneta bohemicam, hi ſunt magi Pharaonis. Exod. 7. qui virgas conuerterunt in colubros; virga enim ſuſtentatur homo, ita mutuo ſuſtentantur pauperes & pupilli. Sed vſurarij conuertunt illud in ſerpentem vſuræ, quæ eos deuorat & interficit. Vnde Chryſoſtomus ſuper Matth. Similis eſt pecunia vſuraria morſui aſpidis, percuſſus ab aſpide delectatus inuadit in ſomnum, & per ſuauitatem ſoporis moritur, venenum latẽs per omnia membra diſcurrit. Sic qui ſub vſura accipit, ſuo tempore quaſi beneficium ſentit. Sed vſura per omnes eius facultates diſcurrit; & totum in debitum cõuertit, & ſic totam maſſam corrumpit. Imò Luc. 6. *Mutuum dantes nihil inde ſperãtes*. *Vndecima ratio eſt*, quia illas perſonas perſequuntur, quæ Deo familiarius ſunt aſſcriptæ, ſcilicet pupillos & viduas. Iob 22. *Viduas dimiſiſti vacuas, & lacertos pupillorũ comminuiſti* *Duodecima eſt*, quia fœnus cõtrarium eſt pœnitentiæ, quam Dominus iniunxit primo homini. Geneſ. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Ipſi autem fœneratores non comedunt niſi de ſudore alieno. Vnde de eis conquæritur Dominus; Pſalmo decimotertio. *Deuorant plebem meam ſicut eſcam panis*. Mich. 3. *Qui violenter*

Marginal notes (left): *Vſura cur Deo deteſtabilis.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. — (right): 7. 8. 9. 10. 11. 12.

lenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper oſſibus eorum, qui comedunt carnem populi mei. Iſta eſt refectio diaboli, qui tales iſto pane reficit, vt eos perpetuo ſtrangulet & interficiat. *Mors depaſcet eos. Panis eius vertetur in vtero illius in fel aſpidum.*

Pſal 48. Iob 20.

2. Panis S. Scripturæ. *Secundus panis* eſt ſacræ ſcripturæ reficiens intellectum. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Quod eſt cōtra negligentes prælatos & rectores parochiales, qui ſuis plebibus aut neſciunt aut nolunt prædicare verbum Dei. Sed attende quia dicit, *non erat qui frangeret.* Non autē dicit, qui daret. Nam & ſi inueniuntur aliqui qui prædicant, tamē pauci qui vtiliter & diſcretè prędicant. Duo enim ſunt genera prædicantium. Quidam prædicant ſubtilia & non vtilia, & hi apponunt integrum panem paruulis, qui potius iugulantur, quam reficiuntur. Alij ſunt qui prædicant vtilia faciliter & planè. Et hi frangunt panem in partes, iuxta vniuſcuiuſque opportunitatem. Contra illos, qui non lucidè, neque clarè, ſed obſcurè & implicitè prædicant, dicitur; *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Iſte panis verbi Domini multum eſt neceſſarius, quia *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Eſt autem mirabile quoddam circa iſtum panem, quia panis materialis cum diſtribuitur, deficit & diminuitur; Iſte autem, quanto plus diſtribuitur, tanto plus augetur. Et ideò prædicator libenter debet prædicare verbum Dei, ſciens quia ex frequenti prædicatione augetur in eo intellectus ſacrarum ſcripturarum, Sicut dicit Auguſtinus. Et patet in præſenti Euangelio vbi de ſeptem panibus ſuperfuerunt ſeptem ſportæ fragmentorū. Apud S. Ioannem de quinque panibus ſuperfuerunt duodecim cophini fragmētorum. Et per hæc duo ſecundum Robertum Holcoth ſuper lib. Sap. ca. 7. ſignificat duo genera docentium, ſcilicet prædicatorum. Quidam enim docent & prædicant ſimplicibus & deuotis. Et iſti quaſi quinque panibus reficiūt turbam popularem. De quibus dicitur per Apoſtolum; *Volo in Eccleſia quinque verba loqui ſenſu meo, vt alios inſtruam.* Iſta quinque verba ſunt quinq; panes, ſcilicet quid faciendum, quid cauēdū, quid timendum, quid credēdū, quid appetendum. Quid faciendum? decem præcepta Dei. Quid cauendum? ſeptem peccata mortalia. Quid timendum? inferni ſupplicia. Quid credendum? duodecim articuli fidei. Quid appetendum? gaudia paradiſi. Alij autem docent populum ſubtilius & perfectius, & hi ſignificantur per refectionem ſeptem panum, quia ſeptē eſt numerus vniuerſalis. Et hi ſunt ſubtiles doctores in vniuerſis inſtructi, Et in libro miſtico, qui eſt ſcriptus intus & foris, & ſignatus ſeptem ſigillis ſufficienter eruditi. *Tertius panis* eſt gratiæ ſpiritualis reficiens affectū. *Quare appenditis argentum veſtrum non in panibus, & labores veſtros non in ſaturitate?* Sed attende, quia ſicut Chriſtus non reficit turbam niſi eſurientem & panes deſiderantem; Ita & panem gratiæ non dat homini, niſi eſurienti & optanti; Hoc eſt, per affectum voluntatis diſpoſito. Iſta enim eſt diuinæ liberalitatis conſuetudo, vt non niſi volentibus det gratiam. Vnde Hugo; Ordinatiſſimum eſt de noſtra reperatione diſpenſationis conſilium, vt qui ſpontè cecidit, non coactus, ſed ſpōte reſurgat. Et qui per liberum arbitrium infirmatus eſt, ſanitatem non accipiet, donec per liberum arbitrium ſanari velit. Hæc ille. *Quartus panis* eſt pœnitentiæ, reſtaurans per culpam deperditum. *Quia cinerem tanquam panem manducabam.* Et iterum. Cibabis nos pane lacrymarū. Iſte eſt panis durus & hordeaceus. *Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos.* Quinq; dicit propter quinque partes pœnitentiæ, quę ſunt contritio, cōfeſſio, ſatisfactio, vitatio de cætero mali, & perſeuerantia in bono. Et quia iſta ſūt dura in conſuetis, ideò hordeacei dicuntur panes. 3. Regū 18. appellatur ſubcinericius. *Quintus panis* eſt Euchariſtiæ, confortans per concupiſcentiam debilitatum. Iuxta illud pſal. *Panis cor hominis confirmet, Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit; Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Nō ſolum autem iſto pane Chriſtus reficit homines viuentes in mundo, ſed etiam defunctorum animas in purgatorio. Et in hoc mirabile, quod defuncti poſſunt refici. Figura huius habetur Danielis vltimo, vbi cum

Marginalia (left): Threm. 4. — Prædicātium duo genera. — Matt. 4. — Aug. li. 1. de doctr. Chriſt. c. 5 — Ioan. 6. — 1. Cor. 14.

Marginalia (right): Apocal. 5. — 3. Panis gratiæ. — Iſa. 55. — Hugo l. 4. de arca Noe ca. 3. — 4. Panis pœnitētiæ. — Pſal. 101. — Ioan. 6. — 5. Panis Euchariſtiæ. — Pſal. 103. — Ioan. 6.

eum Abacuc intricaſſet panes in alueolo, volens eos deferre meſſoribus, de præcepto Domini iuſſus fuit, vt deferret eoſdem Danieli in lacu leonũ poſito. Ita Chriſtus in hoc ſacramento, qui fuit attritus panis.
Iſa.53. *Attritus eſt propter ſcelera noſtra*, mittitur quotidie animabus in lacu purgatorij exiſtentibus, vbi non eſt aqua conſolationis, propter ſpem aliquando euadendi. Vnde canit Eccleſia. Libera eas de ore leonis,
6. Panis deuotionis. & de profundo lacu. *Sextus panis eſt* deuotionis, impinguãs & ſatians in oratione.
Iſa.58. *Cibabo te hæreditate patris. Dabit ei Domi-*
Idem 30. *nus panem artum & aquam breuem*. Quod tunc fit, quando anima deuota poſt contemplationem omnibus huius ſæculi oblectamentis dimiſſis in vno vero æterno
Luc.10. bono delectatur. *Optimã partem elegit, &c.* Et præmittitur, vnum eſt neceſſarium. Et bene dicitur artus panis, qui quanto magis tribulationibus ſæculi premitur, tanto plus ſpirituali gaudio impinguatur. Pſal.
7. Panis conſolationis cæleſtis. *In tribulatione dilataſti mihi. Septimus panis* eſt cœleſtis conſolationis ſatians perfectè appetitum. *Satiabor cum apparuerit gloria*
Pſal.16. *tua.* Tunc enim panem Angelorum mãducabit homo habentẽ omnem delectamen-
Luc.14. tum. Sap.16. *Beatus qui manducat panem in regno cœlorum*, & non ſolum tunc erit Deus panis noſter in cibum nobis datus, ſed etiam nos quodammodo eius cibus erimus.
Hugo l.3. de arca Noe c pen. Qũia, vt dicit Hugo Complacebit Deo in nobis, & ipſe cibus noſter erit; quia delectabimur in ipſo, facie ad faciem gloriam eius contemplantes. Hæc Hugo. Iſtis ergo ſeptem panibus Chriſtus ſuos reficit in vita præſenti, ne deficiant in futura, vt ſemper ſufficiant & affluant. Sed econuerſo
Septuplici pane diabolus ſuos inficit. diabolus reficit ſuos, imò inficit alijs ſeptẽ panibus. Quorum *primus panis* eſt erroris.
1. Panis erroris. *Prouerbior.9. Panis abſconditus ſuauior.* In iſto pane reficit hæreticos, qui occultè docent & docentur. *Secundus* panis eſt menda-
2. Panis mendacij. cij. *Prouerb.20. Suauis eſt homini panis mendacij, ſed poſt implebitur os eius calculo*, id eſt, lapide ignito. Iſto reficit falſos procuratores. *Tertius eſt* delectationis carnalis. *Iob*
3. Panis delectationis carnalis. *vig.* [illegible] *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum* [illegible] reficit homines lu-
[illegible]
4. P[illegible] [illegible] *Pani* [illegible]

ſumpſimus. Quintus eſt hypocriſis. Oſeæ 7. *5. Panis hypocriſis.*
Effraim factus eſt panis ſub cinericius, qui non reuerſatur. Luc.12. *Attendite à fermẽto phariſæorum, quod eſt hypocriſis: Sextus* eſt panis rapinæ & oppreſſionis pauperum. Eccleſ. 34. *Panis egentium vita eorum, qui defraudat eum, homo ſanguinis eſt.* Iſto pane cibantur tyranni. *Septimus* eſt panis damnationis infernalis. Pſalm. 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Et tantum de primo.

I I.

Gratias agens fregit. In hoc Chriſtus nos inſtruebat ad reddendum gratiarum actiones Deo pro bonis nobis collatis, oſtendens nos differre à beſtijs, vt cognoſcentes à quo, aut quid datur nobis, gratias patri luminum referamus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Jacobi 1. Duo autem ſunt, quæ poſſunt mo- *Ad gratias agendas duo mouent.*
uere hominem ad agendum gratias Deo. Primum eſt, cum cognoſcat eum eſſe ſapientiæ largitorem. Secundum cum recognoſcit eum gratiarum omnium continuũ gubernatorem. Iſta duo ſapiens recognoſcens dicebat. *Mihi autem Deus dedit dicere ex ſententia*, id eſt, ex certa ſcientia, *& præſumere digna horum*, id eſt, prę alijs ad dicẽdum & docendum digna horum, *quæ mihi dantur, quoniam ipſe dux eſt ſapientiæ & ſapientum emendator. In manu enim illius, & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia, & ſapiens diſciplina.* In quibus verbis ponit ſapiens ſufficientem cauſam, quare debemus gratias agere Deo, quia in eo profitetur eſſe noſtram ſubſiſtentiam, eloquentiam, & operum efficaciam. Vnde 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Vnde ſicut omnia flumina intrant mare, vt iterum fluant; Ita omnes gratiæ quas habemus à Deo, procedunt per largitionem, & ad Deum redire debent per gratiarum actionem. Hinc Bernardus. Origo fontium & *Bern.*
fluminum omnium mare eſt; virtutum & *ſerm.13.*
ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus, con- *ſuper*
tinentia carnis, cordis induſtria, volunta- *Cant.*
[illegible] caſta conſilia, iuſta iudicia,

ſancta deſideria ex illo manant. Si quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo; ad locum vnde exeunt, reuertuntur flumina gratiarum, vnde iterum fluant. Quare dicit Apoſtolus; In omnibus gratias agentes quicquid ſapientiæ, quicquid virtutis te habere conſideres, Dei virtuti & Dei ſapientiæ deputa Chriſto. Sic quidem fluens aqua, ſi ſtare ceperit, computreſcit. Sic plane, ſi gratiarum ceſſet decurſus, vbi recurſus non fuerit, nullo modo augetur in ingrato; ſed & hoc quod recepit, vertitur ei in perniciem. Hæc Bernardus. Vnde Hermes trimegiſtus narrat, quomodo poſt longam diſcuſſionem diuinarum rerum & humanarum, cum adueſperaſceret, Trimegiſtus & Aſclepius & Statius parauerunt ſe ad cœnam, prius tamen volebant Deum adorare ſecundum modum prophetarum. Exeuntes igitur ſole occidente ad auſtrum reſpexerunt & preces dixerunt. Sicut enim ſole oriente ad locum, qui dicitur ſubſolanus ſeu oriens ſe conuertebant ad orandum; Sic ſole occidente ſe conuertebant ad auſtrum ſecundum eorum antiquam ſuperſtitionem. Dixit ergo Aſclepius ad Statium quod rogarent Trimegiſtum, vt dignaretur apponere thura & pigmenta ad preces eorum. Quem intuens Trimegiſtus commotus ait, quod iſtud eſſet ſimile ſacrilegio, ſcilicet incendere thus aut animalia offerre, cum ſibi nihil deeſſet, quia ipſe eſt omnia, & in eo ſunt omnia, ſed gratias nos agentes adoremus. Hæc enim ſunt ſummæ incenſiones, cum gratiæ aguntur Deo à mortalibus. Hæc Hermes. Hoc autem, quod ait, Thus Deo incendere ſimile eſſe ſacrilegio, intellexit ipſe ſi fiat ſuperſtitioſè, ſcilicet cum æſtimatione, quod Deus in corporalibus odoribus delectetur. Ad quem ſenſum dicit propheta in Pſalmo in perſona Dei; *Si eſuriero non dicam tibi.* Et ſequitur; *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo.* Et ſubdit: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.* Et tamen de ſecundo.

Hermes Trimegiſtus lib. de natura Deorum.

(∴)

III.

Dedit eis vt apponerent turbæ. Dominus per Apoſtolos volebat cibaria vitæ diſtribuere, & etiam ſoluere mortuos, vt dicitur apud Ioannem vndecimo. *Soluite eum & ſinite abire.* Similiter adducere aſinam ad ſe; Matth. vigeſimoprimo. *Soluite & adducite mihi.* Eorum enim miniſterio fit adductio ad fidem & reſolutio ad conciliationem; & diſtributio ad refectionem. Ierem. primo *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Concordat Beda in homilia dicens; Spiritualia dona ſcire dedit Apoſtolis Deus, & per eorum miniſterium voluit Deus Eccleſiæ ſuæ neceſſaria diſtribui. Ex quo patet, quod ſcripturarum intelligentia, quæ eſt cibus animæ, à ſolis Apoſtolorum ſucceſſoribus eſt requirenda. Cuiuſmodi eſt Papa cum ſuis Epiſcopis Catholicis, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. Alij verò ſimplices ſacerdotes ſunt ſucceſſores ſeptuaginta duorum diſcipulorum, vt dicit Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 183, artic. 6. Magiſter in quarto ſententiarum diſtinctione 24. Inter quos omnes Papa eſt plenitudo poteſtatis, vt dicitur de vſu pallij. Ad honorem. Quotiens ergo fidei quæſtio ventilatur, quotiens dubia occurrunt & perplexa circa fidem credendorum, ad ipſum eſt recurrendum 24. quæſtione prima. Quotiens. Contra cuius auctoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis doctorum ſapientiſſimus ſuam ſententiam defendit. Non igitur prædicanda ſunt, nec etiam à prædicatoribus audienda quæcunque dogmata, ſed ſolum ea, quæ à Catholicis Doctoribus & ſanctis Patribus, & præſertim, quæ ab Eccleſia vniuerſali prædicantur, & approbantur, vt dicit Auguſtinus ad Vincentium. Et habetur in capitulo; Noli frater. nona diſtinctione. Et in epiſtola ad Fortunatum ibidem in capitulo Neque. Et latius de hoc 24. quæſtione prima. per totum. Vbi expreſsè Hieronymus ſcribens Damaſo Papæ, dicit, ſe nolle aliquid ſentire de fide ſummæ veritatis, quod foret determinationi ſedis Apoſtolicæ aduerſum, à quo petit emendari

tanquam

tanquam ab eo, qui fidem & ſedem Petri tenet. Si igitur tantus vir, quem Auguſtinus in epiſtola ad Cyrillum Ioanni baptiſtæ, Samueli & Heliæ prophetis adæquat, ſcripta & dicta ſua Papæ ſubiecit correctioni, qua temeritate, qua fatuitate viles hæretici Hus & VVicleph, bohemicæ perfidiæ auctores, dicunt non eſſe obediendum Papæ, nec eius ſtandum determinationi in his, quæ ſpectant ad fidem. Vnde patet quod eorum ſequaces multum errant. Qui dimiſſo fonte veritatis, ſcilicet ſede Romanæ Eccleſiæ, quærunt ſibi ciſternas & riuulos, id eſt, prauos doctores, vel potius ſeductores, cum quibus pariter damnabuntur. Dicit enim Hugo libro tertio de profectibus capite vltimo. Non eſt recipiendum, quod ab Eccleſiaſticorum doctrina, magiſtrorum & approbatorum theologorum traditione diſcordat, nec reuocandum in dubium, quod ab eis vniuerſaliter cum teſtimonijs ſanctorum patrum fuerit rationabiliter diffinitum. Quia veritate comperta, qui coram ſe per ſuperuacuam ſubtilitatem altius perſcrutando fodere nititur, profunda ſcripturarum quaſi nouiter aliquid eructans, quod ab alijs non eſt inuentum vanitatem diligens mendacium quærit. Hæc ille. Et Bernardus in libro de diſpenſatione & præcepto dicit, quod melius eſt obedire Deo, quam hominibus, & melius eſt magiſtris quam diſcipulis, & ipſis magiſtris noſtris, melius quam extraneis. Hæc Bernardus. Notanter autem Hugo dicit, vbi ſupra; Illud eſſe recipiendum a doctoribus, quod fuerit ab eis vniuerſaliter per omnium conſenſum & approbationem rationabiliter diffinitum. Non autem quod eſt particulariter per vnam vniuerſalitatem vel duas, ſed per totam Eccleſiam Romanam approbatum, illud eſt tenendum. Det ergo Deus, vt ſic panem ſanctæ doctrinæ de manibus ſucceſſorum Apoſtolicorum hic in vita recipiamus, quatenus poſt hanc vitam in patria, à Domino noſtro Ieſu Chriſto pane æternæ conſolationis refici mereamur. Ad quod nos perducat pater & filius & ſpiritusſanctus Amen.

DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Matth. 7.

Facilior eſt cõgreſſus, vbi manifeſtus eſt inimicus; inquit Sanctus Cyprianus in quadam Epiſtola. plus timendus & cauẽdus eſt cũ latenter ſurripit, cum per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit. Hæc ille. In vita ſpirituali diabolus eſt poſitus ſicut leo in abſcondito. vt dicitur Threnorũ, 3. Qui non apertè aut manifeſtè contra hominem procedit, ſed circuit ſicut leo quærens, quem deuoret. 1. Pet. 5. Et ſecundum Gregorium ſuper Matthæum in Homilia de theſauro abſcondito in agro. Nos in hac vita ſumus quaſi in via, qua ad patriam pergimus; Dæmones verò quaſi quidam latrunculi iter noſtrum obſident in occulto, vt nos bonis ſpolient. Vnde ipſe diabolus non habet efficacius machinamentum ad nocendum nobis quam ſi efficere poſſit, vt in hac vita incautè & non cum ratione ambulemus. Inquit Bernard. ſermone 19. ſuper cantic. Propter quod in cunctis nobis debet eſſe diſcretio, & quaſi moderando ſingulas diſcernere volun-

voluntates: ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne quod bonum eſt malum, & malum bonum eſſe credatur. Saluator igitur volens nos edocere diſcretè ambulare, & cautè incedere in via ſalutis, docet nos præcauere à falſis prophetis, qui nos decipere conantur, ſub ſpecie amicitiæ & ſanctitatis, facientes ſicut venefici & hominum intoxicatores, qui venena melle circumlinita offerunt, ne caueantur. Sic Diabolus facit, qui per vitia ſub vmbra virtutum palliata Christifideles decepit. Ideò nobis cautè prouidendũ eſt, ne per eos ſeducamur, qui veniunt ad nos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. In quibus verbis monemur ad cauendum à falſis prophetis tanquam ſaluti noſtræ aduerſis. Sunt autẽ tres falſi prophetæ, à quibus nobis eſt cauendum: *Primi* ſunt hæretici veritatis ſubuerſores. *Secundi* ſunt hypocritæ ſanctitatis ſimulatores. *Tertij* ſunt ficti Chriſtiani charitatis deſtructores, qui omnes veniunt in veſtimentis ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. Ideò cautè vitandi ſunt, &cæt.

Propoſitio Falſi prophetæ tres

I.

Hæretici ſunt falſi prophetæ, ex eo quia prætendunt vitæ ſanctitatem, vt poſſint falſam doctrinam ingerere, prout ait Auguſtinus contra Fauſtum; Alias enim non poſſent ſimplices decipere, & ſub bonitate vitæ lupinam doctrinam ſeminare. Tria autem ſunt circa hoc conſideranda *Primò*, quid ſit hæreticus. *Secundo*, quibus ſignis cognoſcitur. *Tertio* quomodo punitur. De primo ſciendum, quod hæreticus eſt, qui falſam opinionem de fide inuenit, vel inuentam ſequitur. *Secundò*, qui eſt in fide dubius; hoc eſt, qui in dubietate fidei perſiſtit. *Tertiò*, qui malè ſentit de Sacramentis Eccleſię. *Quartò*, qui malè ſẽtit de veritate ſacræ ſcripturæ. *Quintò*, qui aduerſus Romanã Eccleſiam agit, & eius dignitatẽ à Domino traditam auferre conatur. *Sextò* qui ſe ſcindit ab vnitate Eccleſiæ. Duo autem requiruntur ad hoc, quod propriè quis dicatur hæreticus. Vnum eſt hæreſis initium, ſcilicet error in ratione. Alterum hæreſis complementum, ſcilicet pertinacia in voluntate. Vnde Hieronymus. Hæreſis græcè dicitur ab electione, eo quod ſibi eam vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Quicunque igitur aliter ſcripturam intelligit, quam Spiritusſanctus efflagitat, à quo ſcriptura eſt, licet ab Eccleſia non receſſit, tamen hæreticus appellari poteſt, quia de carnis operibus eſt eligens quæ peiora ſunt. Hæc ille. Vbi Hieronymus tangit illa duo: ſcilicet errorem in intellectu, cum dicit; aliter ſcripturam intelligit, quàm Spiritus Sanctus efflagitat; & pertinaciam in voluntate, cum dicit, eligit ſibi diſciplinam, quam meliorem putat. Contra iſtos loquitur Leo papa 24. quæſtione 3. Quid iniquius eſt quam impia ſapere, & ſapientioribus doctoribus non credere? Quaſi dicat. Nihil damnatur in talibus niſi pertinacia. Vnde autem hæc prouenit, ſubdit dicens; Sed in hanc inſipientiam cadunt quicumque ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad propheticas voces, non ad apoſtolicas litteras, non ad Euangelicas authoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt, & ideò magiſtri erroris fiunt, quia diſcipuli veritatis non fuerunt. Hæc Leo Papa. Ex quibus patet, quod nihil ad errorem ſic hominem perducit, ſicut confidentia proprij ingenij. Vnde dicit Clemens Papa, trigeſimaſeptima diſtinctione. Relatum. Diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei, cum legitur, non ſecundum propriam ingenij virtutem vel intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt retrahi ad eundem ſenſum, quem ſibi quiſque ſponte præſumpſerit, ſed non oportet. Non enim ſecundum ſenſum extrinſecum, & alienum debetis quærere, vt quoque ipſum ex ſcripturarum auctoritate confirmetis, ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis oportet. Hæc ille. Cui concordans Diuus Hieronymus ſuper Leuiti, dicit trigeſimaſexta diſtinctione. Si quis. Quod illa quiſque debet docere, quæ ipſe à Deo didicit, non ex proprio corde

Hæreticus quid.

Ad hæreſim duo requiruntur.

Hieron. ſuper ep. ad Galat.

Leo.

Clemens.

corde vel etiam ex humano ſenſu, ſed quæ Spiritusſanctus docet. Hæc Hieronymus.

Iſidor. li. 1. de ſum. bono cap. 16. Sed quæres, quare hæretici ſic errant in expoſitione ſcripturarum. Reſpōdeo ſecūdum Iſidor. Quod cauſa hæreſis, ob quam fit, eſt exercitatio fidei. Vis vero, per quam fit, eſt obſcuritas diuinarum ſcripturarum, in qua caligantes hæretici aliud quam ſe habeat intelligūt. Ex quibus verbis duplex habetur cauſa hæreſis, ſcilicet exercitatio fidei, & obſcuritas diuinarum ſcripturarū. *August.* De prima dicit Auguſt. 24. q. 3. cap. vlt. Ideò diuina prouidentia multos diuerſi generis hæreticos eſſe permittit, vt cum interrogāt nos ea, quæ neſcimus, ſic diſcutiamus pigritiam noſtrā & diuinas ſcripturas capiam⁹. Propterea Apoſtol. ait. *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſtifiant.* Hi autē probati ſunt qui bene poſſunt docere. *Bernard.* Et Bernard. ſup. Pſal. Qui habitat. dicit, quod hoc ideo fit, vt tota ſollicitudine meminerimus aduerſus quos nobis ſit colluctatio, nequando aut ignari hoſtilis inuidiæ, aut protectione diuina inueniamur ingrati. *Auguſt.* Quod expreſſius tractans Auguſtin. ſuper Pſal. 54. dicit, Ideò ex hæreticis affecta eſt Eccleſia, vt ex his qui malè ſentiunt, probati ſint qui benè ſentiunt. Multa enim in ſcripturis latebant, & cum præciſi eſſent hæretici quæſtionibus agitabant Eccleſiam Dei, & ſic aperta ſunt quæ latebant, & intellecta voluntas Dei, multi qui optimè poſſunt ſcripturas dignoſcere & pertractare latebant in populo Dei, nec aſſerebant ſolutionem quęſtionum difficilē, cum calumniator nullus inſtaret. Nūquid enim perfectè tractatum eſt de trinitate antequam oblatrarent Arriani? Nūquid perfectè tractatum eſt de pœnitentia, antequā obſtiterant Nouatiani? Sic nec perfectè de baptiſmate tractatum eſt, donec contradicerent foras poſiti rebaptiſatores. Hæc ille. *Iſidorus.* De ſecundo ſcilicet de obſcuratione diuinarum dicit Iſidorus libro 3. de ſummo bono. cap. 11. in hæc verba. Pleriq; ſcientia accepta ſcripturarum non ad Dei gloriam ſed ad ſuam laudem vtuntur, dum ex ſua ſcientia extolluntur, & ibi peccant vbi peccata mundare debuerunt, nunquam conſequuntur legendo perfectam ſcientiam arrogantes. Nam quamuis ſapientes in ſuperficie videantur, medullitus tamen arcana veritatis non tangunt, quia ſuperbiæ nube impediuntur. Semper enim ſuperbi legunt, quærunt, & nunquā inueniunt diuinæ legis penetralia, humilibus & benè ad Deum intrantibus patent, prauis autem atque ſuperbis clauduntur. Nam quamuis diuina eloquia in lectione arrogantibus ſint aperta, in myſterio tamen clauſa ſunt & occulta, dum ſermo Dei fidelibus lux fit, reprobis autem & ſuperbis quodammodo tenebræ ſint, & vnde illi illuminantur, iſti excæcātur. Hæc ille. Ex quibus patet quod cauſa erroris in hæreticis propter quam ſcripturas ſanè non intelligunt, eſt ſuperbia. iuxta illud Grego. Tumor mentis eſt obſtaculum veritatis Hæc autem ſuperbia oritur in eis ex præſumptione & inani gloria, per quam nolunt ſubijcere humanum intellectum ſuum regulis fidei & ſano intellectui Patrum. Hinc Grego. 37. lib. Moral. dicit generalem cauſam omnium nouitatum eſſe inanem gloriam. Et Auguſt. in libro de vtilitate credēdi dicit cauſam eſſe, commodum temporale proueniens ex huiuſmodi gloria inani, ſcilicet principatum ſuper alios. Vnde Bernardus ſuper Cantica ſerm. 65. dicit; Omnibus intentio vna hæreticis ſemper fuit captare gloriam de ſingularitate ſcientiæ.

Hæretici cognoſcūtur doctrina & vita. De ſecundò, ſcilicet quibus ſignis hæretici cognoſcuntur, ſciendum, quod cognoſcuntur doctrina & vita. *Primò* doctrina, quia ſcripturas ſacras, vt communiter ad litteram iuxta primum ſenſum exponunt, *1. Doctrin.* ſicut dicit Iſidorus libro 3. de ſummo bono cap. 12. Patet de Huſſitis hæreticis, qui omiſſa expoſitione ſpirituali beati Auguſtini & aliorum Doctorum de manducatione ſpirituali corporis & ſanguinis Chriſti, ſimpliciter dicunt illum textum intelligendum. Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Cum tamen Saluator ibidem dicit; *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*, id eſt, ſpiritualiter intelligenda ſunt. *Secundò* cognoſcuntur per hoc, quia ſuis

ſuperioribus vt communiter ſunt rebelles, & eos confundunt vbi poſſunt, vt dicit Auguſtinus, in libro de vtilitate credēdi, cum
August.
tamen Dominus honorauit parentes, tam corporales eis obediendo, Luc. 2. *Erat ſubditus illis*; quam etiam ſpirituales, ſcilicet ſacerdotibus, eos honorando in hoc, quod ad eos leproſos per ſe curatos mittebat, & eis offerri præcipiebat. *Tertiò* cognoſcuntur in hoc, quia non ſimpliciter iurare docent, cum tamen ſoli contra veritatem coniurantes & conſpirantes, etiam ſæpius & ſæpius in erroribus reprehenſi iurant & periurant, nec tamen verum fatentur. Iuxta illud quod de eis allegat
Bernard.
Bernardus ſuper Cantica ſermone 65. *Iura periura, ſecretum prodere noli.* Alios etiam nullatenus iurare acquieſcunt, iuxta illud. *Non iurare omnino, neque per cœlum neque per terram.* Cum tamen illud intelligendum eſt vt homo non iuret in omni cauſa indifferenter, ſed ex cauſa neceſſaria benè. Nam & Chriſtus iurauit dicens; *Amen amen dico vobis.* Non ergo prohibet iuramentum in cauſa licita, ſed prohibetur periurium & iurandi facilitas, & conſuetudo, per quam & ad periurium deuenitur, vt dicit Auguſtinus in libro contra mendaciũ. Permittitur ergo iuramentum licitum. Deut. 6. *Per nomen Domini iurabis.* Et alibi: *Iurabunt viuit Dominus in veritate & in iudicio, & in iuſtitia.* Sic iurauit Paulus.
Ierem. 4.
Teſtem inuoco Deum in animam meam. Sic Dauid iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Sic & Dominus iurauit & non pœnitebit eum Pſal. 109. *Quartò* cognoſcuntur in hoc, quod tantum ſeipſos dicunt Eccleſiam Dei, omnes verò alios dicunt eſſe canes & porcos, ac etiam extra Eccleſiam & veniam, vt dicit Bernardus ſuper Cantica ſermone 65. Tales vt dicit idem ibidem ſermone 66. Tanquam detractores irrident nos, tanquam canes quod baptiſamus, ſcilicet cum ſolennitate infantes, quod oramus pro mortuis, quod ſanctorum ſuffragia poſtulamus, in omni genere hominum, atque in vtroque ſexu feſti nam proſcribere Chriſtum in adultis, in paruulis, in viuis & mortuis. Sed contra eos eſt, ſecundum ipſum, aperta ſcriptura, quia licet infans non reſpōdeat pro ſe, tamen pro eo reſpondet Eccleſia, & ipſe infans videtur clamare ſuis vagitibus dicens, vim patior, ſcilicet à natura. Similiter quod oramus pro mortuis exemplum habemus in Chananæa, ad cuius fidem & preces liberata eſt filia à dœmonio. Similiter de paralytico, quem amici miſerunt per tegulas de domo. *Quintò* cognoſcuntur in hoc, quia ordinibus Eccleſiæ detrahunt in ſuis ſermonibus. Nam ideò ſacramenta contemnunt, prælatis non obediunt, inſtituta non capiunt, quia Papam, Epiſcopos, presbyteros, peccatores dicunt, qui nec dandis nec percipiendis idonei ſunt ſacramentis, dicentes: Nunquid iſta duo conueniũt, Epiſcopus & peccator. Contra quos Bernardus ſuper cantica ſermo 66. Falſum eſt, inquit, Epiſcopus erat Cayphas, & tamen quamuis peccator in dominum ſententiam mortis dictabat. Apoſtolus erat Iudas, & licet auariſſimus & ſceleratiſſimus, electus tamen à Domino. Audis eum Apoſtolum
Matth. 23.
fuiſſe & diabolum. Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi, & qui non obedierunt eis tanquam epiſcopis inobedientiæ rei fuerunt. Multa & alia huic populo ſtulto & inſipienti mala perſuaſa ſunt, ſed non eſt reſpondere ad omnia. Quis enim omnia nouit. Deinde labor infinitus eſſet & minimè neceſſarius. Nam quantum ad iſtos nec rationibus vincũtur, quia non intelligunt, nec autoritatibus corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ſunt. Hæc Bernardus. *Sexto* cognoſcuntur ex vita, quia vitam habent hypocriticam. Nam vt dicit
2. Vita cognoſcũtur hæretici.
Bernardus vbi ſupra: Non ſufficit eis hæreticos eſſe, niſi & hypocritæ ſint, vt ſint ſupra modum peccantes peccatum. Hi ſunt qui veniunt in veſtimentis ouium ad mandendas oues, & ſpoliandos arietes, an non tibi videtur vtraque res impleta, vbi & fide plebes, & plebibus ſacerdotes deprædati inueniuntur? quoniam iſti prædones, hi ſunt oues habitu, actu vulpes, & crudelitate lupi. Hi ſunt, qui boni videri non eſſe, mali non videri ſed eſſe volunt. Mali ſunt & boni videri volunt, ne ſoli ſint mali.

Mali

Mali videri timent, ne parum ſint mali. Hæc ille.

Hæretici puniuntur quadrupliciter.

De tertiò ſciendum eſt, ſcilicet quomodò punitur hæreticus. Punitur autem quadrupliciter. *Primò* excommunicatione, quia ſiue occultus ſiue manifeſtus, eſt ipſo iure excommunicatus. 24. quæſtione 1. cap. 1. & 2. de hæreticis. Ad abolendam. *Secundò* punitur depoſitione ab omni dignitate, ſiue Papa, ſiue Imperator 40. diſtinct. Si papa. & ab omni beneficio priuatur. *Tertiò* punitur rerum ablatione, quia bona eorum ipſo iure confiſcata ſunt. De hæreticis, Cum ſecundum leges. libro ſexto. *Quartò* punitur militari perſecutione, quia ſi aliter fieri non poteſt, manu armata ſunt ab eis bona auferenda. Non ſolum autem ipſi hæretici, ſed etiam credentes eis, receptatores eorum, defenſores & fautores ſunt excommunicati. Et ſi non ſatisfecerint infra annum, extunc ipſo iure ſunt infames, nec ad teſtimonia admittuntur. Vt de hęreticis, excommunicamus. Primò quia credentes propter hæc pericula & damna tam ſpiritualia quam corporalia prohibet Apoſtolus cum eis conuerſari ad Titum 3. dicens. *Hæreticum hominem poſt vnam* ſcilicet ſecretam, *& ſecundam*, ſcilicet publicam, *correctionem*, id id eſt, poſtquam bis correctus fuerit tunc ſi ſe noluerit corrigere, vitandus eſt. Cuius ratio eſt, quia non eſt illi communicandum, qui ſe communione fidei Catholicæ, id eſt, communicatione ſeparat.

Cur vitādi hæret.

Sunt autem vitandi propter ſeptem rationes. *Primò* quia habent crudelitatem erroneam. 2. Timoth. 3. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Sic ſolet vitari canis rabidus. *Secundò* quia habent conſcientiam cauteriatam, id eſt, corruptam, tam errore doctrinæ, quam culpæ, quam etiam igne concupiſcentiæ. Vnde iſti ſunt ſignati cauterio diaboli. Apocal. 13. licet exterius ſic in corpore videntur ſtygmata portare Domini noſtri Ieſu Chriſti. Galat. vlt. *Tertiò* quia habent familiaritatem deceptoriam. Rom. 16. *Per dulces ſermones ſeducunt corda innocentum.* Sic ſolent vitari Syrenes. *Quartò* quia habent vitam ſimulatam. 2. Timoth. 3 *Habentes ſpeciem pietatis.* id eſt, Chriſtianæ religionis exteriori ſimulatione, quia ſacramenta Chriſti, quæ ſunt religionis Chriſtianæ participant cum bonis, virtutem autem eius abnegantes; id eſt, rem ipſius pietatis, ſcilicet dilectionem Dei & proximi abnegantes, ſcilicet corde & opere, ad Tit. 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* *Quintò* habent doctrinam peſtiferam. 1. Cor. 15. *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* *Sextò* quia habent intentionem peruerſam. Vnde hic dicitur; *Veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* *Septimo* habent mentem obſtinatam. 2. Tim. 3. *Quemadmodum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi,* ſic iſti reſiſtunt veritati. Iſti fuerunt duo magi Pharaonis. Quorum Apoſtolus nomina non inuenit in diuinis libris, ſed in apocryphis. Et ſic iſti reſtiterunt Moyſi donec victi fuerunt, ita hæretici reſiſtunt pertinaciter veritati, etiam vſque ad ſanguinem & ignē. Job. 24. *Ipſi rebelles fuerunt lumini.* Et in hoc ſimiles ſunt catto, qui lumen diei abhorret, eò quod in lumine modicum vel nihil venatur, ſed potius in nocte. Sic hæretici in occulto docent, non in aperto. Et ſicut cattus bufones & ranas lambit, quandoque vſque ad ſanguinem & venenum, in quo eſt quædam dulcedo, quò fit nimis ſitibundus, & ſi potum non inuenit, aret, ſed ſi inuenit, extunc in vas ſternutat, & venenum immittit, & qui ex hoc biberit, moritur vel grauiter infirmatur. Sic hæreticus venenum quod errore ſcripturarum hauſit, in vaſa ſeu in corda humana infundit, vt homines intoxicet. Cattus etiam libenter conuerſatur homini, & quandoque inſidet ori hominis in ſomno, & ſuffocat puerum obſtruendo reſpirationem & anhelitum. Sic hæretici inſident hominibus & opprimunt eos falſitate, per quod homines ſuffocant in ſe Spiritum ſanctum & ſpiritualiter moriuntur.

I. I.

Hypocritæ falſi prophetæ. Falſi prophetæ ſunt hypocritæ ſanctitatis ſimulatores, eò quod prætendunt foris ſanctitatem, ſed occultant in cordibus iniquitatem, & per hoc decipiunt homines, ſicut ſerpens vel ſcorpio, qui lingit ore blandiendo, ſed cauda pungit occidendo. Vnde Auguſt. ſuper Pſal. 139. Ille difficile vitatur, qui in labijs bona portat, & in corde occultat mala. Acuerunt, inquit, linguas ſuas ſicut ſerpentes, quia nec pedes habent, vt eorum veſtigia cum venerint audiantur, leniter ſerpit, ſed non rectè, habens occultum venenum ſub leni tractu. Hæc ille. Sic faciunt hæretici & hypocritæ qui abſcondunt & contegunt veſtigia ſuarum operationum, ne cognoſcantur. Nam ſæpius orant, vt videantur deuoti erga Deum, ſed cor eorum longè eſt ab eo. Oſtendunt ſe facere opera miſericordiæ vt eleemoſynam dantes, vt videantur pij erga proximum, ſed in corde appetunt vanam gloriam, vt videantur ab hominibus, fingunt ſe macerare carnem ſuam per ieiunia, vnde exterminant faciem ſuam, vt alliciant matronas & fœminas ad dandum eis tanquam bonis vltra cæteros. Sicut dicit Apoſtolus; *Captiuas circumducunt mulierculas oneratas peccatis.* Et Saluator Matth. Exhaurientes, inquit, burſas matronarum ſub prætextu longæ orationis, vnde Iob comparat eos ſcirpo ſeu carecto exterius florido & viridi, intus autem arido & ſine fructu. Iob 8. *Nunquid poteſt virere ſcirpus abſque humore.* Super quo dicit Gregor. in gloſſa ordinar. Hypocrita non eſt ſine aqua, quia gratiam accipit vt prophetet, dæmones eijciat, languores ſanet, ſed & colore viridis; dum laudes extra quærit, ſuperbus in altum creſcit, ſed à fructu marceſcit. Et Hieronymus ibidem dicit; Scirpi vel carecti nomine hypocritæ deſignantur, qui ſpeciem veritatis prætendentes fructum vtilitatis non habent, ſed aridi ſterilitate operis, ſolo ſanctitatis colore virideſcunt. Quia hypocrita ad bona opera infuſionē ſuperni muneris percipit, ſed in cunctis, quæ agit, exteriorem laudē appetens à fructu perceptę infuſionis marceſcit, & cum adhuc ſit in flore, ne capiatur manu, ante omnes herbas marceſcit, per quod ſignificatur, quod hypocrita corripi nō patitur ab aliquo; immò aſperitate ſua vitam corripientis ſecat; depræhenſum ſe in prauitate iraſcitur; loqui ſibi redarguētem prohibet; & quod deterius eſt, etiam vt dicit Gregor. ſe innocentem non ſuis actibus ſed alienis criminibus oſtendere nititur. Ex quibus patet eorum ſtultitia, quia gratias à Deo receptas, quas ad ſalutis fructum conuertere debuerunt, ad inanem gloriam conuertunt. Vnde Hieronymus ſuper illud Iob. Non ei placebit vecordia ſua, dicit. Magna vecordia eſt laborioſe agere & vanæ laudi inhiare, præceptis cœleſtibus inſeruire & terrenam retributionem quærere. Quia qui hic pro veritate quam agit humanum fauorem deſiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Vnde benè opera eorum telæ araneæ comparantur. Cum ſubditur: Et ſicut telæ aranearum fiducia eius. Interlinearis dicit; Benè hypocritarum fiducia telæ aranearū ſimilis dicitur, quia tela illa per ordinem & ſtudioſè texitur, ſed flatu diſſipatur, quia quicquid hypocrita cum labore peragit, aura humani fauoris tollit. Hæc gloſſa. Propter huiuſmodi duplicitatem & infructuoſitatem ac inutilem eorum operationem Deus ſpernit hypocritas & odit eos; iuxta illud Pſal. 149. *Nunquid manducabo carnes taurorum*, id eſt, nunquid delectabor in maceratione ſuperborum, qui per tauros ſignificantur, *aut ſanguinē hircorum*, id eſt hypocritarum *potabo*, ſecundum Innoc. quartum. Et in eo præmittitur; *Non accipiā de gregibus tuis hircos:* Per hircum ſecūdum Innocent. qui habet exterius aſperitatē in pelle, ſignificatur hypocriſis, de quibus dicitur: *Non accipiam de gregibus tuis*, id eſt, de congregationibus tuis, *hircos*, id eſt, hypocritas.

Comparatur autem hypocrita tribus peſſimis animalibus, ſcilicet hirco, vulpi, & lupo. *Primò* comparatur hirco propter eius ꝓprietates quę ponūtur in hoc metro. *Hypocritæ cōparatur hirco.*

Lana, cibus, viſus, ſanguis, caro, cornua, fœtus,
Haſtia, mons, vitis, dentes, vox, pes, barba, li-

ba, libido. *Cauda breuis, corrigium ſotularibus vtribus aptum. Lacte caret, fœtet emiſſus ruminat hircus.* Hæc omnia conueniunt hypocritæ. Ipſe enim *primo* extra portat lanam caprinam, id eſt, ſignum pœnitentiæ. Leuit. 26. dicitur, quod tabernaculum tegebatur ſagis extra, ſed intra erant res prçcioſæ, ſcilicet aurum, manna, vrna, virga, thus, aromata redolentia. Sed ſub ſagis hypocritarum non ſunt niſi ſtercora. *Secundo* cibus hircorum eſt amaræ frondes, & hypocritarum detractiones. Iob. 30. *Qui rodebant in ſolitudine, & mandebant herbas & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.* *Tertio* acutè vident. Sic hypocritæ mala aliorum conſiderant Eccl. 14. *Oculus malus ad mala.* *Quarto* ſanguis hirci frangit adamantem, & lingua hypocritæ virum conſtantem Prou. 15. *Lingua placabilis lignum vitæ quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum.* *Quinto* caro eius eſt dura,
Ierem. 30. id eſt, carnalitas obſtinata. *Dura facta ſunt*
Dan. 8. *peccata tua.* *Sexto* habet cornua excelſa, id eſt, ſuperbiam elatam. *Hircus habebat cornu inſigne.* *Septimo* fœtus eius eſt bonus. Et hypocritæ quandoque bona docent, quia licet ipſi vadant in infernum, alios tamen docent ire in cælum. Et eſt miraculum ſecūdū quod dicitur: *Spectaculũ; eſt grāde*
Num. 16. *& miraculũ, vt Chore pereunte filij eius nō perirent.* *Octauo* quia ex hirco fit hoſtia. Sic de hypocrita Leuit. 10. *Hircum qui oblatus fuerat pro peccato; cũ quæreret Moyſes reperit exuſtũm.* *Nono* quod libenter aſcendit montes,
Ierem. 49. ſic hypocrita ad dignitates. Hierm. *Habitas in cauernis petræ & apprehendere niteris altitudinem collis.* *Decimo* vites lædit, ſic hypocrita famam iuſtorum. Ioan. 15. *Ego ſum vitis, vos palmites.* *Vndecimo* dentes non habet hircus in ſuperiori mandibula; Sic hypocrita non habet charitatis verba ad reprehendendum, ſed verba timoris. Thren. 3. *Confregit ad numerum dentes meos.* *Duodecimo* pes eius non eſt integer, ſic affectus
Eccl. 21. hypocritæ in plura diuiſus eſt. *Cor fatui quaſi vas confractum.* Oſeç 10. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* *Tredecimo* vocē balantem habet ſicut ouis, ſic hypocrita
Gen. 27. verba ſimplicia. *Vox quidem vox Iacob, manus autem Eſau.* *Quartodecimo* barbam habet prolixam ſi[illegible] ita ad litteram in ſignum ſanctitatis. *Miphiboſeth venit illotis pedib⁹ & intonſa barba.* 2. Reg. 19.
Et interpretatur os cōfuſionis, vel os ignominiç vel verecūdū. *Quintodecimo* libidinoſus eſt hircus, ſic hypocrita Zach. 10. *Super hircos viſitabo.* *Sedecimo* cauda eius eſt breuis, ſic finis hypocritæ velox. Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* *Decimoſeptimo* corrigium eſt aptum ſotularibus & vtribus. Corrigium hypocritæ eſt exterior conuerſatio, quæ vtilis eſt alijs, & munit pedes, id eſt, affectus eorum. Et ſi eſſet munditia interius cordis, poſſent recipere vinum nouum in vtres veteres Matt. 9. *Non mittunt vinum nouum in vtres veteres.* *Decimooctauo* lacte caret, ſic hypocrita dulcedine conſolationis, etſi increpationes habeat quod prophetatum eſt Oſeç 9. *Da eis Domine vbera arentia, id eſt, ſine lacte cōſolationis.* *Decimonono*, fœtet, ſic hypocrita Matt. 23. *Væ vobis hypocritæ qui eſtis ſicut ſepulchra plena oſſibus.* *Viceſimo* hircus emittebatur in deſertum deferens ſcripta populi peccata. Leuit. 16. Sic hypocrita qui attenuat peccata populi aſſumit ſuper ſe & mittitur in deſertum inferni *Viceſimoprimo* ruminat, ſic hypocrita multos pſalm. ruminat in ore. *Putant in*
multiloquio exaudiri, ſed in multiloquio non Matt. 6.
deeſt peccatum. Prou. 10.

Secundo hypocrita comparatur vulpi. de 2.
quo in Pſal. 52. *partes vulpium erunt.* Per vulpes ergo intelliguntur hypocritæ, propter plures proprietates quæ habentur in his metris. Fœtor, auis, lar, vox, via, cauda, color. Caro, pes, fraus, taxo, pulex, pellis, proles, pilus, vnda, canis, lux. *Primo* ergo hypocrita comparatur vulpi propter fœtorem, quia fœtet coram Deo quaſi mortuus. Iſa. 30. *De cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* *Secundo* quia inſidiatur auibus, per quas ſignificantur viri ſpirituales. Vnde Herodes inſidiabatur Chriſto, propter quod appellatur à Chriſto vulpes. Luc. 13. *Dicite vulpi illi.* *Tertio* habet foueam Matth. 8. *Vulpes foueas habent*, ſic hypocritæ
meretrices. *Fouea profunda eſt meretrix.* Prou. 23.
Quarto voce gannit & fingit ſe latrare. Iſa. Iſa. 10.
10. *Non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.* *Quinto* quia via non vadit recta, ſed per anfractus. Prou. 2. *Quorum via peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.*

Sexto cauda magna & piloſa. Sic diabolum patrem hypocritarum ſequuntur magni & diuites mundi. Iſa. 9. *Propheta docens mendacium ipſe eſt cauda. Septimo* colorem rufum habet, quia angelus ſathanæ trãsfigurat ſe in hypocritis in angelum lucis. 2. Cor. 11. *Octauo* carnem habet mali ſaporis, & comeditur pro podogra & artetica. Infirmas iuncturas habent, qui charitate carent, quę eſt vinculum. Et hi cum maſticant & ſentiunt amaritudinem diaboli curantur. Pſal. *Dediſti eum eſcam populis æthiopum. Nono* habet pedem tortuoſum & tibiam curtã. Econtra iuſti habent rectos. *Pedes eorum pedes recti. Fracto pede non offerat. Decimo* eſt fraudulentia. *Fraudulenti vaſa peſſima ſunt. Vndecimo,* quia cum taxus illud animal facit ſibi foueam, vulpes eo abſente ſtercorizat ibi, & taxus propter immunditiam recedit. Sic hypocrita expellit per immunditiam detractionis virum iuſtum, infamando eum interdum de ciuitate, vt ſolus honoretur. *Duodecimo* quia vulpes tenet lanã in ore, & paulatim ſe mergit in aquam aperta cauda, donec pulices fugiant ad lanam, & tunc deſerit eam in aqua. Pulex ſignificat mordacitatem repræhenſionis. Sicut ergo vulpes pulices mergit, ſic hypocrita repræhenſorem ſuum, ne eum corrigat perſequitur. 1. Reg. 24. *Canem mortuum perſequeris & pulicem vnum,* id eſt, repræhenſorem mordacem. *Tredecimo* pellis ſola eſt cara venatoribus; ſic exterior conuerſatio hypocritarum, quæ eſt in mortificatione, quam debent ſibi boni aſſumere & cadauer proijcere, quod ſub pelle abſconditur. Matt. 3. *Zona pellicea ad lumbos eius. Quartodecimo,* habet prolem multam & patriſantem. *Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum Quintodecimo,* habet pilum lõgum & denſum, id eſt, temporalia multa. *Erit pro criſpanti crine caluitium. Sedecimo* quia quando eam inſequuntur canes, tunc totum præter naſum ſe ſuſpendit in flumine per ramum, & ſic latet. Sic hæretici & hypocritæ abſcondunt ſe à canibus, id eſt, à prædicatoribus, ſed tamen naſus emittit ſpiritum malæ ſuggeſtionis. Sed eis dicitur. *Et ſi celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti & mordebit eos. Decimoſeptimo* quia videtur eſſe quaſi canis in anteriori parte, ſed non in poſteriori, vbi cauda maior. Sic illi videntur ſimiles prædicatoribus in primis verbis, ſed in fine mordent vt coluber, & quaſi regulus venena diffundunt. *Decimooctauo* luce oculorum micant de nocte. *Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt, & ita in nocte vident,* ſed in die non vident.

[Ezech. 1. Leu. 21. Iſa. 32. Iob. 21. Iſa. 3. Amos 9. Prou. 11. 23. Ierem. 4.]

Tertio hypocrita comparatur lupo Lupus eſt maximæ rapacitatis. Et dicitur lupus, quaſi leoni pos, id eſt, ſimilis, quia ſimilis eſt ei in rapacitate. Rapit enim nõ in aperto, ſed furtim & in abſcondito. Sicut hypocritæ in aperto nolunt capere, vt videantur ſancti, ſed occultè exhauriũt burſas matronarum. *Secundo,* ratione fortitudinis pedum, eo quia ſicut lupus magnam virtutem habet in pedibus, vnde quicquid præſſerit pede, non viuit. Sic hypocritæ magnam virtutem habent ſimulationis in affectibus, & quemcunque ſua ſimulatione decipiunt, mortificant in vita gratiæ. *Tertio,* quia ſicut lupus, quem prius viderit, raueſcere facit. Sic hypocrita omnes ſpecies ſanctitatis ſuæ quaſi in raucitatem conuertit, quia nullus audet de eo verbum dicere malum, ſed ſemper opinari bonum. *Quarto,* non pluries quam 12. diebus in anno coit, ſic hypocrita ne depræhendatur rarò fornicatur. *Quinto,* quia lupus famẽ diu tolerat, & poſt multa ieiunia multa deuorat, ſic hypocrita interdũ ieiunat tota die, ſed grauiter vorat in ſero. *Sexto,* quia lupus præuiſus deponit audaciam; Sic hypocrita cognitus talis ab alijs non audet ſe ſimulare ſanctum, ne derideatur. Et tantũ de ſecundo.

[*3. Hypocrita cõparatur lupo.*]

III.

Falſi prophetæ ſunt falſi Chriſtiani, charitatis deſtructores; De quibus dicitur in Pſal. *Loquuntur pacem cum proximo, mala autem in cordibus eorum.* Non ſolum autem patitur Eccleſia vel iuſtus vir ab apertis inimicis, ſed etiam ab occultis falſis fratribus, quæ paſſio multo videtur intolerabilior quam aperta, quæ eſt ab hæreticis vel alijs inimicis. Vnde Dauid quaſi comparãdo, huiuſmodi perſecutionem perſecutioni manifeſtorum inimicorum dicit eam grauiorem.

[*Falſi Chriſtiani ſũt falſi prophetæ.*]

Pſal. 54. uiorem. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique.* Vbi ponit plures rationes aggrauantes hanc perſecutionẽ. Prima eſt, quia non eſt ab inimicis, ideo dicitur; *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique.* ſed iſtud non poſſum ſuſtinere, quia amicus maledicit mihi. Mich. 7. *Inimici hominis domeſtici eius.* Cant. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Secunda ratio, quare intolerabilia ſunt iſta mala, eſt, quia ſũt improuiſa. Vnde ſequitur; *Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo.* Sed ab his qui videntur me amare, non poſſum me abſcondere. Vnde dicit Bernard. Nunc in Eccleſia impleta eſt illa prophetia; *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Amara prius in nece martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum, non fugare, non fugere eos poteſt. Tertia ratio eſt, quia talia ſũt illata à ſocijs ſecretorum, vnde dicit; *Tu vero homo vnanimis.* Quarta quia illata ſunt ab eis, qui deberent eum docere; vnde dicit; *Dux meus Cæci ſunt & duces cæcorũ.* Quinta quia à familiaribus inferuntur. Vnde addit; *Et notus meus.* Sexta quia à conſiliaribus, vnde ſubdit; *Qui ſimul dulces mecum capiebas cibos*, ſecundum quod dicit Ioſeph de fratribus ſuis. Gen. 43. *Occide vitulos & inſtrue conuiuium, quia mecum ſunt commeſturi.* Septima quia à contubernalibus, vnde dicit; *In domo Domini ambulauimus cum conſenſu*, ſcilicet tu & ego, & tamen tu perſecutus es me. Hæc Innoc. Vnde autem iſta proueniunt niſi ex defectu charitatis, quã in ſe tales falſi Chriſtiani non habent, & in alijs eam deſtruunt vbi poſſunt: Propter quod falſi dicuntur; quia nomen habent Chriſtianum, ſed rem eius non habent. Cõtra quos Auguſt. (li. de vita Chriſtia. ca. 1.) Quid tibi prodeſt vocari quod non es, & nomen vſurpare alienum? Si Chriſtianum te eſſe delectat, quæ ſunt Chriſtianitatis gere, & meritò nomẽ Chriſtianum tibi aſſume. Sed forſitan non eſſe, ſed vocari deſideras, hoc ſatis fœdum & miſerum eſt, ſcilicet velle vocari te, quod non ſis. Nemo enim tranſit ad Chriſtum, vt Chriſtianus appelletur & non ſit. Qui igitur Chriſtianus dicitur, Chriſtum habere Dominum profitetur, & vere habet, ſi in omnibus obſequatur & ſeruiet. Hæc ille. Hinc D. Ioan. in canonica; *Videte qualem dilectionem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Quod tractans Auguſt. (Aug. Ho. 3. ſuper Cant.) dicit; Nam qui vocantur & non ſunt, quid illis prodeſt nomen, vbi res non eſt? quam multi vocantur medici, qui curare non nouerunt? quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Chriſtiani, & in rebus non inueniuntur, quia hoc quod vocantur non ſunt in vita, in moribus, in fide, in ſpe, in charitate, propter quod Aug. tales appellat mendaces & (Ibidem.) falſos Chriſtianos dicens; Tu noli eſſe mẽdax, vt aliud profitearis & aliud agas. Sed quæres, quid eſt verus Chriſtianus? Reſpõdet Aug. (li. de vita Chriſtia.) Chriſtianus ille eſt, qui nõ nomine tantum, ſed etiam opere Chriſtianus eſt. Ille videlicet, qui exemplo Chriſti nec inimicos nouit odire, ſed magis aduerſantibꝰ ſibi benefacere & pro perſecutoribus ſuis exorare. Nam quiſquis eſt paratus alicui nocere vel lædere, ille Chriſtianum ſe eſſe mentitur. Chriſtianus ille eſt, qui poteſt iuſtiſſima voce dicere. Nemini nocui, iuſtè cum omnibus vixi. Hæc ille. Nos ergo ſi volumus eſſe veri Chriſtiani & non falſi, ſtudeamus in nobis & in proximis noſtris habere, non perſequi charitatem quatenus velut arbores bonæ bonorum operum facientes fructum, fructũ æternæ beatitudinis in cœleſti gloria conſequamur. Ad quam nos perducat Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Omnis arbor bona, fructus bonos facit. Matt. 7.

li. 3. de arca Noe. c. 4

VITA præſens fidelium, inquit Hugo, nõ eſt aliud niſi vinea Domini, vinea fidelis, vinea iuſta, quam ipſe bonus agricola plantauit, immo trãſplantauit, quia de Ægypto tranſtulit & eiecit gentes & plantauit eam. De qua alibi per prophetam loquitur; *plantabo eos ſuper humum ſuam, & non euellam eos amplius.* Hæc ille. Volens igitur Saluator ſuos inſtruere qualiter in prædicta vinea viuere debemus, inducit ſimilitudinem de arbore bona quæ fructus bonos facit, oſtendens, quod exemplo arboris naturalis quilibet fidelis homo in vita præſenti, tanquam in æſtate, debet fructificare per bona opera ſibi mercedem æternam. Vnde dicit Innocen. quartus ſuper primum Pſalm. Quod tempus vniuſcuiuſque ad operandum eſt præſens vita. Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt, venit nox in qua nemo operari poteſt.* Propter quod de quolibet iuſto dicit

Pſal. 1.

Pſalm. *Quod erit tanquam lignum quod plãtatum eſt ſecus decurſus aquarum,* id eſt gratiarum, *quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Fructum ſcilicet boni operis in tempore ſuo, ſcilicet vitæ præſentis, & in tempore æternæ & finalis retributionis. Iuſti enim in ſuperna patria, quam in hac vita per amorem ſemper requirunt, dona vitæ poſtmodum in retributione percipiunt. Vt igitur ad benè operandum animemur, oſtenditur in verbo propoſito magnæ retributionis copia in vita futura, quia fructus bonus ei promittitur, cum dicitur; *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* In quibus verbis commendatur vita iuſtorum & fidelium, exemplo bonæ arboris, & per oppoſitum damnatur vita reproborum & malorum, exemplo malæ arboris. Circa quod tria nobis occurrunt conſideranda. Propoſit. *Primo* arboris comparatio generalis cum dicitur; *Omnis arbor. Secundo* bonæ & malæ arboris differens conditio, cum dicitur; *bona. Tertio* fructuum earundem arborum diuerſa generatio. Arbor bona deſcribitur per bonitatem fructus, qui ſunt ficus & vua. Arbor mala deſcribitur per plantæ naturalem propagationem, exemplo ſpinæ & tribuli. Fructus bonus deſcribitur per dulcedinem; Malus verò per amaritudinem naturalem. Et hoc in ficu reſpectu tribuli, & in vua reſpectu ſpinæ.

I.

Omnis arbor. Comparatur in ſcriptura ſacra homo arbori, iuxta illud. *Video homines quaſi arbores,* habent enim quandam ſimilitudinem viuendo. Sunt autem tria in arbore, ſcilicet ingreſſus vt plantatio; progreſſus vt pullulatio; & egreſſus vt defectio. Plantatur homo cum concipitur, & quo ad hoc cum dolore & fœtore. Vnde Innoc. Si conſideret homo piſces, quos fecit Deus ex aqua, aſtra & planteas ex igne, hominẽ ex terra viliſſima. Iob 3. *Comparatus ſum & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.* Sicut autem poſt plantationem nutritur arbor humore terreo; ſic homo poſt conceptionem ſanguine menſtruoſo ſatis horrido, ex cuius contactu fruges non germinant, areſcunt arbuſta, moriuntur herbę, canes in rabiem vertuntur. Et hoc cibo vtuntur tam nobiles quam ignobiles, ſecundum magiſtrum de naturis rerum. Progreſſus hominis eſt crementum poſt natiuitatem, quod eſt miſerabile. Nam cum terræ naſcentia producunt ex ſe frondes, flores, fructus, &

Homo cõparatur arbori. *Marc. 8.*

Innoc. de vilitate cõd. hum.

honeſta

honeſta ſemina; Homo profert ex ſe lendes, pediculos, lumbricos & ſtercora. Ex illis prodit vinum, oleum, & balſamum. Ex homine ſputum, vrina & fœtor ſtercorum. Vnde homo eſt arbor euerſa, quia capilli ſunt quaſi radices, caput truncus, pectus vt ſtipes, brachia cum tibijs vt frondes, digiti cum articulis vt folia. In egreſſu etiam homo comparatur arbori, quia ſicut arbor adueniente hieme declinatur & areſcit; ſic homo moriendo omnia perdit & priuatur omnibus. Hoc oſtendit ſtatus mortis, ſcilicet ſenectus, cuius cor affligitur, caput cõcutitur, languet ſpiritus, fœtet anhelitus, facies rugatur, ſtatura curuatur, caligant oculi, vacillant articuli, nares affluunt, capilli defluunt, tremit tactus, deperit actus, dentes putreſcunt, aures ſurdeſcunt. Vnde tunc homo eſt ſicut arbor antiqua, quæ ad nihilum valet, niſi ad ignem. Et in hac generali comparatione omnes homines cõueniunt; vnde quo ad hoc bene dicitur; *Omnis arbor*, quaſi dicat. Omnis homo tam nobilis quam ignobilis, diues & pauper, paruus & magnus, quoad naturalem ingreſſum, progreſſum, & egreſſum eſt ſicut arbor.

II.

Arbor triplex.

Bona Arbor triplex eſt; *Quædam* affert fructum malum; *Secunda* fructum vanum & nullum; *Tertia* affert bonum. *De prima* dicit Amos 6 *Conuertiſti fructum iuſtitiæ in abſinthium.* Omne vero malum eſt malum, ſed conuertere bonum in malum, eſt peſſimum. Multi ſunt qui bona faciunt, ſed illud praua intentione corrumpunt. Et ſic tales ſunt ſimiles arboribus, quæ fructus pulchros in apparentia faciunt, ſed intus amaritudine pleni ſunt. Et iſti ſunt ſimiles cigno, cuius pennæ ſunt exterius albæ, caro autem multum nigra & macra & ad digerendum dura. *Secunda* arbor affert fructum vanum vel nullum. De qua dicitur.

Oſea. 9.

Cum radix eorum exiccata ſit, nequaquam fructum facient. Hi ſunt de quibus dicitur

Luc. 8.

Luc. 8. Quod aliud ſemen cecidit ſuper petram, & natum aruit, quia non habebat humorem; & ſignificat cor prauorum humore gratiæ carentium, in quo quicquid ad tempus naſcitur boni, cito areſcit propter frigiditatem & ſiccitatem cordis, id eſt; malæ & obduratæ voluntatis. *Tertia* arbor affert fructum bonum. De qua hic dicitur. Vbi ſciendum, quod bonitas arboris attenditur ex tribus; ſcilicet ex frondibus, ex floribus, & ex fructibus.

Arboris bonitas & tribus cognoſcitur.

Sunt enim quædam arbores, quæ habent frondes ſine floribus, & ſignificant illos qui habent verba ſine operibus.

Matt. 21.

Chriſtus videns arborem fici ſecus viam, venit ad eam, & non inuenit in ea niſi folia tantum. Et ait illi; *Nunquam ex te fructus naſcatur amplius.* Sic erit hominibus habentibus pulchra verba de Deo ſine operibus, de quibus in fine hic dicitur;

Ibid. 7.

Non omnis qui dicit mihi Domine &c ſed qui facit &c. Aliæ ſunt arbores habentes flores ſine fructibus; & ſignificant illos, qui faciunt opera de genere bonorum apparentia, ſed non recta intentione. 1. Thim. 3 *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Iob. 8. *Cum adhuc ſit in flore, vt capiatur manu. ſic via hominum qui obliuiſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribit.* Aliæ ſunt arbores, quæ faciunt fructus inutiles penitus. Sapient. 4. *Fructus eorum acerbi.* Et iſtę ſunt arbores ad ignem aptæ, vt dicitur in Euangelio, quia non valent hominibus ad comedendum in recentia, ſed dæmonibus tantum aſſata. Ex quibus colligimus bonitatem arboris, quæ habet frondes bonorum verborum, flores bonorum operum, & fructus intentionis ſanctæ & rectæ.

Anima iuſti arbori bonæ cõparatur.

Eſt autem anima iuſti hominis arbor bona ad ſimilitudinem bonæ arboris naturalis. Primo viuendo; ſecundo creſcendo; tertio fructum ferendo; & quarto finaliter decedendo.

1. in viuẽdo.

Comparatur in viuendo, quia ſicut arbor naturalis non viuit, niſi per calorem cœleſtem & humorem terreſtrem; Sic anima bona non viuit vita gratiæ niſi per charitatem cœleſtem, & per humilitatem terreſtrem. Et ſicut illa arbor creſcit altius, quæ profundius radices ſuas in terram mittit; Sic homo quantum plus humiliatur ex conſideratione terreſtrum defectuum, tanto plus eleuatur ad ſuperiora. Tales arbores, quæ ſic in locis baſſis & valloſis creſcunt, ſunt multò ſecuriores à vento, quam quę in montibus, quia viri humi-

les refugientes dignitates & ambitiones mundi & honores contenti ſua ſimplicitate, multo firmius in ſuis conſcientijs ſtant, quam illi, qui ſe ingerunt ad officia, dignitates, & ambitiones mundi. Sed attende, quod tripliciter homines radicãtur in terra. Quidam ſic radicantur in terra, vt omnino in terram infigantur, & terræ adhærent, & ſunt infideles & gentiles, qui non credentes Euangelio Chriſti, propter hãc vitam temporalem aliam non credunt. Et hi in terra radices figunt & ſurſum non creſcunt, quia eo magis principibus inhiant, quo bona perpetua ſecutura non nouerunt, terrena ambiunt, felices eſſe quærunt, qui poſt hanc vitam futuros ſe nihil exiſtimant. De quorum numero fuit ille, qui per Elipham ſubſannatur. Iob 5. *Vidi, inquit, ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius ſtatim.* Stultus enim ille eſt, ſecundum Hugonem, qui ignorat ad quid factus eſt, qui præter illud, quod videt, nihil eſſe credit, qui quæ ſibi mala reſtant, prouidere neſcit, atque hæc peritura & falſa quidem bona quaſi ſemper ſint permanſura ſemper diligit. Hic aliquando radicatus eſſe videtur dum corporaliter floret; Sed ſapiens ſtatim eius pulchritudini maledicit, quia per hæc momentanea bona, ad quæ ſit malè recipiendus, agnoſcit. De hoc ſtulto Pſal. dicit. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Et deinde enumeratis complicibus ſuis dicit; *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Quomodo ergo Deum timere poſſunt, qui eum eſſe non credunt? Ex quo infero ſecundum Hugonem, quod meritò gentiles ſtulti ſunt, quia ad eos principium ſapientiæ pertingere non contingit. Principium autem ſapientiæ eſt timor Domini. Alia arbor, quæ radicatur in terra, ſed tantum debiliter & mobiliter, eſt homo infirmus in fide, qui inſtructus in fide nouit cœleſtia præmia, & ſupplicia infernalia; Sed hic non omnino contradicit, nec omnino acquieſcit.

Homines tripliciter in terra radicãtur 1.

Pſal. 13.

2.

3.

Conſiderant quippe gentiles omnia in mundo ſic agi, ex quibus & Deum eſſe & cuncta gubernare cognoſcunt, & ad futurum iudicium omnia conſeruare, & ſic incipiunt timere illud, quod minatur Deus, & per conſequens benefacere compelluntur hoc quod iubet Deus, & quod prohibet vitare proponunt, & quandoq; nõ ſolũ ita timore iſto exercẽtur, vt timeant tales, quod Deus minatur, ſed & quodam mentis affectu appetere incipiunt quod promittit. Sed tamen cum malos florere in hoc mundo conſpiciunt, & multa alia in hac vita ita confuſo ordine volui, vt nequaquã mundus per prouidentiam Dei gubernari, ſed omnium rerum euentus fortuitis ſubijcere caſibus videatur, continuo zelare incipiunt pacem peccatorum in hoc mũdo, ipſi quoque florere concupiſcunt. Tacitis enim cogitationibus ſibi dicunt, vanum eſſe timere iudicium, nihil eſſe quod ſtulti homines de pœnis inferni & de ſupplicijs malorum ſibi confinxerunt, & ex timore nõ ex veritate hoc proceſſiſſe. *Et hi ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Luc. 8. In quorum perſona Dauid dicit; *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei.* Pſal. 72. Ex quo infero, quod in fide Chriſti multum periculoſa eſt perplexitas cogitationum. Nam vbi eſt aſſertio dubia, ibi & fides ſuſpecta. Ex hoc infero conſequenter, quod fidelis Chriſti, ſi vult eſſe arbor, debet firmiter omnia credere in ſcripturis sãctis poſita, ſiue ſint promiſſoria ſiue comminatoria. Quo facto talis non poterit de facili moueri tempore tentationis. Alia eſt arbor, quæ radicatur in terra firmiter, & frondes mittit ſublimiter; & ſignificat hominem fidelem, qui radices figit per fidem & dilectionem in Deo, de quibus dicitur; *Quod relictum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.* Iſa. 17. Per relictos ſignificantur fideles, qui radicem mittunt deorſum, quia omnem cogitationem cordis ſui in æterna gaudia defigunt, fructum autem ſurſum faciunt, quia in æterna patria, quam in hac vita per amorem ſemper deſiderauerunt, vitæ dona poſtmodũ in retributione percipiunt. Tertio ergo infideles negãt, de quo infirmi dubitant, hoc fideles credunt & expectant, quod autem infideles diligunt & infirmi in fide zelant, hoc fideles fugiunt. Hæc Hugo. *Secundo* aſſimilatur homo arbori in creſcendo, quia quamuis inferior pars arboris terræ adhæreat, 2.

reat, potior tamen & pulchrior ſuperemi-net verſus cœlum tendẽs. Sic licet oportet nos aliquam ſolicitudinem circa terrena gerere, tamen potior pars noſtra, ſcilicet voluntas noſtra, debet tendere verſus cœlum, vt dicamus cum Apoſtolo; *noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Et iterum; *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſupra terram.*
3. *Tertio* aſſimilatur homo arbori in fructu gerendo. Sicut enim arbores primo germinant, ſecundo florent, tertio portant fructum; Ita ſecundum Chryſoſt. germina animæ ſunt bonæ operationes.
4. *Quarto* aſſimilatur homo arbori in cadendo. Arbor, quæ diu creuit & vixit, cum ad cadendum pręſenio deficit, ad illam partem cadit, verſus quam viuendo plures ramos extendit; Sic homo moriens ad illam partem cadit, ad quam plures affectiones & cogitationes viuendo tranſmiſerit. Si in terram, cadit in infernũ; Si in cœlum, illuc deportatur. Eccl. 11. *Si ceciderit lignum ad auſtrum aut aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Et tantũ de ſecundo.

III.

Fructus bonos facit. Eſt regula philoſophiæ generalis, quod ex vno oppoſitorum datur intelligi reliquum. Ideo cum mentio eſt de bonis fructibus, intelligitur quod etiam ſunt aliqui fructus mali. Sunt igitur duplices fructus. Quidam bonorum hominum, & quidam malorum. Bonorum ſunt duplices; quidam ſunt præſentis iuſtificationis, quidam cœleſtis retributionis, de vtriſque dicit Ezech. 47. *Ex vtraque parte torrentis oriebatur lignum pomiferum.* Torrens eſt mors, quæ diuidit iſtam vitam à futura. Lignum eſt Chriſtus, qui dat fructum à dextris in futuro, à ſiniſtris in præſenti; hoc eſt ex vtraque parte fluuij. De fructu præſentis vitæ dicitur in Epiſt. ad Gal. 5. vbi numerantur duodecim fructus. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* De fructibus quos habebit iſta arbor in patria, dicit Iſaias 3. *Dicite iuſto quo-*

Bonorum hominum fructus.

niam fructum ad inuentionum ſuarum comedet. Et ad Hebr. 12. *Omnis quidem diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudij ſed mœroris, poſtea autem pacatiſſimum fructum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* Sap. 3. Et hic fructus erit multiplex; Primus erit gaudium de euaſione carceris, de quo clamat Pſal. *Educ de carcere animam meam* Et Paulus; *Infelix ego homo quis me liberabit de carcere mortis huius.* Rom. 7. Secundus fructus eſt gaudium de vinculorum ruptione, quæ ſunt ſeptẽ corporis neceſſitates, ſcilicet fames, ſitis, frigus, calor, laſſitudo & infirmitas, & vltimo mors, quibus vinculis ligauit Deus hominem, quaſi inſanum, ne in ſeipſum & in alios ſæuiret Sed multi iſta vincula rumpũt. *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea.* Ierem. 2. Rumpunt vincula famem & ſitim per crapulam & ebrietatem; frigus per veſtium multiplicitatem; calorem per veſtium ſubtilitatem; laborem per otij quietem; infirmitatem per medicinas; ſed mortem non poſſunt omnino rumpere. Sed econuerſo ſancti expectant vſquequo Dominus dirumpet iſta vincula. Pſal. *Dirupiſti Domine vincula mea.* Pſal. 15. Tertius fructus de exilij terminatione, id eſt, mundi egreſſione. Pſal. *Incola ego ſum in terra* Idem. 118. Et dicitur mundus exilium, quia eſt pernicioſus & ſolitarius. *Inuenit eum in terra deſerta in loco horroris.* Deut. 32. Econtrario patria eſt locus fœcũdus, & amœnus, & ſecurus Iſa. 32. *Sedebit populus meus in multitudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Quartus fructus eſt gaudium de hoſtili euaſione Pſal. *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* pſal. 123. Non ſolũ autẽ erit de euaſione, ſed etiam de hoſtium proſtratione Pſal. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* Quintus fructus de tenebrarũ exterminatione: *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ.* 1. Cor. 13. *Cũ apparuerit videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Ioan. 3. Sextus fructus eſt gaudium de amicorum occurſione & congratulatione. Tunc n. occurrent angeli, ſancti, animæ beatę. *Mittet angelos ſuos & congregabunt electos eius.* Matt. 24. Iſtud patet de Lazaro. Econuerſo autem malorum ho-

Luc. 16. Malorum hominũ fructus.

minum ſunt duplices fructus, ſcilicet mali in præſenti culpa, & peſſimi in futura pœna. In præſenti namque culpa triplicem fructum malum habent, ſcilicet plenum vermibus corroſionis. Cuiuſmodi ſunt fructus laſciuiæ & carnalis delectationis, qui ad modicum apparent delectabiles, ſed poſt perpetrationem habent vermem remorſionis conſcientiæ. Iſa. vltimo. *Vermis eorum non morietur.* Hic eſt vermis, qui corroſit ederam, cuius ſub vmbra Ionas delectabatur; Ion. 4. *Lætatus eſt Ionas lætitia magna, ſed ſtatim edera morſu vermis aruit.* Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis?* Secundus fructus eſt plenus ſaporibus amaricatiuis, & ſunt fructus auaritiæ & mundialis poſſeſſionis. Vnde ſicut comedẽtibus fructus immaturos & crudos, cibi fiunt inſipidi; ſic diuitibus qui delectãtur in diuitijs vel honoribus congregandis, diſpenſandis & conſeruandis, cibus ſpiritualis gratiæ & deuotionis, orationis & contemplationis, apparet inſipidus. Ioſu. 5. *Quam citò filij Iſraël ceperunt veſci fructibus terræ, ſtatim defecit manna.* Veruntamẽ quia neceſſe eſt per bona tẽporalia tranſire ad æterna, ideò, vt iſti fructus ſint dulces, apponantur ad ignem, vt aſſentur. Ad ignem dico charitatis. Nam adminiſtranti ex caritate temporalia, meritorium eſt. 1. Cor. 16. *Omnia veſtra in charitate fiant.* Exod. 12. Hoc præcipitur de agno, vt non comedatur ex eo quicquam coctum aqua aut crudum, ſed aſſum igni, id eſt, feruore charitatis, ad honorem ſcilicet Dei & vtilitatem proximi. Alioquin qui amat diuitias aliter, fructum non capiet ex eis. Eccl. 5. Ierem. 12. *Confundemini à fructibus veſtris propter iram furoris Domini.* Tertius fructus ſunt inutiles ſuperbiæ & temporales ambitiones. Et iſti ſunt pleni humoribus inflatiuis. De quibus dicitur Iſa. 10. *Viſitabo ſuper fructum magnifici cordis.* Licet enim fructus honoris ſuauiter ſapiat, tamẽ periculosè inflat. In geſtis Alexandri narratur, quod ſui milites in India inuenientes fructus dulces, non poterant ſaturari ex eis, & orta peſtilentia mortui ſunt. Ecce dulcedo fructus affert mortem. Et ideò ſapientes comedunt fructus cum ſale diſcretionis & modeſtiæ. *Nunquid poterit comedi inſulſum, quod non eſt conditum ſale?* ſcilicet ſapientiæ? Alius eſt fructus malorum in pœna futura. Ierem. 21. *Viſitabo ſuper vos iuxta fructũ ſtudiorum veſtrorum.* Tunc enim cum venerit Chriſtus ad iudicandum, dicet illud Daniel. 4. *Succidite arborem & diſpergite fructus eius.* Quomodo autem diſpergetur, dicitur hic, quia primo excidetur & tunc in ignem mittetur. Fructus autem eorum in ſpeciali deſcribit Sapiẽs, dicens; Sap. 4. *Erunt poſt hæc decidentes,* ſcilicet tanquam fructus de arbore maturati, *ſine honore & contumelia inter mortuos in perpetuum. Quoniã dirumpet illos inflatos ſine voce, & mouebit illos à fundamentis, & vſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes; & memoria eorum peribit.* Vbi ſecundum Robertum Holcoth deſcribit ſeptem pœnales cõditiones damnandorum; quia deijcientur confuſione; affligentur cum deſperatione; repellentur ſine reſponſione; deſtruentur cum autentica ratione; punientur ſine conſolatione; conterentur ſine cõtradictione; ſupprimentur ſine recordatione. Nos igitur fratres chariſſimi ſtudeamus eſſe bonæ arbores, quibus bonos fructus facientes per gratiam fructum glorioſum cœleſtis retributionis cõſequi mereamur. Quod nobis concedere dignetur Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMI.

DOMINICA NONA POST TRINITATEM.

SERMO I.

Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Lucæ 16.

INter cætera Chriſtianos à malo retrahẽtia, & ad bonum commouentia ſeu inducentia, maximè neceſſaria eſt conſideratio vitæ præſentis, quæ non eſt aliud, niſi quædam peregrinatio, quia tendimus ad futuram gloriam & patriam, iuxta illud Apoſtoli; *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Neceſſe eſt igitur homini conſiderare, & primò præ oculis ſemper ponere, quia hac conditione intrauit hunc mundum, vt quandoque exeat, vt dicit Seneca lib. de remedijs fortunæ. Ipſe ergò Chriſtianus verè eſt, qui ſecundum Auguſtinũ ſuper Pſal. 38. in domo huius mundi ſe peregrinum cognoſcit. Et ſi igitur nobis cuncta cedant proſpera, & ſi affluant diuitiæ, & ſi confluant delitiæ, præſentis tñ temporis ita agenda eſt lætitia, vt nunquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria. Et meritò Nam de omnibus in hac peregrinatione conceſſis non habemus maius dominium, quam quæ comedimus, aut quibus tegimur ad neceſſitatem tantum. Iuxta illud Apoſtoli; *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſimus.* Alioquin quicquid de bonis nobis collatis ad ſuperbiam vitæ, & ornamentum luxurię, ad vanitatem mũdi & pompam diaboli diſſipauerimus, diſtrictiſſimam nos ſciamus Saluatori noſtro rationem reddituros. Nam ſicut peregrino non licet tollere in via vltra victum & amictum corporis, ſic nec nobis conceditur bonorum præſentium diſpenſatio, niſi ad vtilitatem propriam; reliquum verò diſpenſandum eſt ad honorem Dei & vtilitatem proximi. Quod ſi aliter factum fuerit, exigetur à nobis diſtricta ratio diſpenſationis, vel potius illicitæ diſſipationis. Sumus .n. in vita præſenti non Domini, ſed diſpenſatores bonorũ, vnde dicitur. *Sicut boni diſpẽſatores multiformis gratiæ Dei.* *1. Pet. 4.* Et ideò quæretur à nobis de fidelitate diſpẽſationis, & ſi quidem malus diſpenſator quiſpiam noſtrum ſuſpectus de diſpenſatione fuerit, merebitur audire durum verbum. *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non, &c.* In quibus verbis tria deſcribuntur, *Primò* ſeueritas diuinæ iuſtitiæ, per quam ab homine rationem exigit, cum dicitur; *Redde rationem.* *Propoſit.* *Secundò* diuinæ gratiæ liberalitas, quam homini ad merendum bona contulit, cum dicitur, *villicationis tuæ.* *Tertiò* infertur æquitas diuinæ ſententiæ, qua hominem à bonis huius vitæ deponit, cum dicitur, *iam enim non poteris &c.*

I.

Iuſtitia diuina ſeueritas, ante oculos habenda.

Redde rationem. Sciendum, quod nihil eſt homini ita vtile ad ſalutem & conſcientiæ propriæ diſcuſſionem continuã; quam habere ante oculos mentis ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ, per quam diſtricta ratio ab homine in ſuo nouiſſimo tempore; vel circa mortem propriam, vel in iudicio generali finaliter exigetur. Cuius ratio eſt,

quia talis cogitatio in homine generat timorem Domini, qui hominem retrahit à multis voluptatibus huius ſeculi, delitijs, & vanitatibus. Vnde in ſer. de Ioãne Baptiſta dicit, quod talis timor mẽtem corrigit, fugat crimina, & innocentiam ſeruat. Et Ioannes Caſſian. l. 4. de inſt. monach. dicit, quod talis timor eſt principium noſtræ ſalutis & ſapientiæ Dei, ex quo naſcuntur omnes virtutes. Ponit autem Caſſiod. ſuper Pſal. 2. huius rationẽ dicens; quod ſicut remiſſa ſecuritas culpas admittit, ita timor deſiderabilis ſemper delicta excludit. Quapropter Iſidor. l. 4. de ſum. bono ca. 7. dicit. Sollicitè debet vnuſquiſque viuere & ſemper terminum huius vitæ conſiderare, vt contemplatione illius, huius ſæculi blanditias caueat. Scriptum eſt enim; *In omnib. operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7. Volens igitur Saluator nobis incutere timorem, propoſuit ſimilitudinem villici de reddẽda ratione, quam à nobis finaliter exiget. Quæ quidem ratio eſt timenda propter tria; *Primò* propter temporis importunitatem; *Secũdò* propter accuſantium multiplicationem; *Tertiò* propter exactionis ſeueritatẽ. *Primò* propter temporis importunitatem; iſta .n. ratio fiet in hora mortis noſtræ, vel in iudicio finali, quæ hora erit totius vltionis & nullius propitiationis. Iſa. 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis plenus ira & indignationis.* Et Iere. 46. *Dies illa dies vltionis, vt ſumat vindictam de inimicis ſuis.* Multum timebant ſancti hunc diem, & horam mortis ſuę, & finalis iudicij. Sicut patet de Hieron. qui dixit; ſiue bibo, ſiue comedo, ſemper in auribus meis ſonat illa vox; Surgite mortui venite ad iudiciũ. Tria enim ſunt quæ multum impediunt rationis poſitionem. *Primum* eſt temporis obſcuritas, nam tempore noctis non congruit facere rationem, eò quod non poteſt tum benè librum inſpicere, in quo habet memoriã debitorum, & de facili poteſt errare. *Secundum* eſt illius qui præſidet rationi indignationis aduerſitas. Nam coram ira & tor cum aduerſario, nemo poteſt benè rationẽ facere. *Tertium* eſt ſatisfactionis impoſſibilitas. Nam qui in periculo eſſet faciens rationem, qui ſi inueniretur defeciſſe in ratione, non haberet facultatem reddẽdi Domino ad ſupplendum illius rationis defectum. Iſta tria erunt tempore noſtræ rationis. Hora enim erit in medio noctis, quãdo profundiſſimæ ſunt tenebræ. *Media nocte clamor factus eſt.* Tunc enim obſcurabuntur oculi peccatorum, quod amplius lucem diuinæ gratiæ non videbunt; tunc occidet ſol diuinæ miſericordiæ, & ſolæ culparum tenebrę comprehendent peccatorem. Secundo Chriſt[us] præſidens in iudicio erit iratus & aduerſabitur omnibus peccatoribus, iuxta illud Oſeæ 13. *Ero eis quaſi leana & ſicut pardus in via Aſſyriorum. Occurrã eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirũpam interiora iecoris eorũ, & conſumã eos ibi quaſi leo.* Ecce furor præſidentis huic rationi, deſignatus in beſtijs, quibus nihil eſt crudeli[us], vnde Ezech. in perſona Domini; *Immittã furorem meũ in te*; & poſt pauca. *Effũdam irã meam ſuper te & complebo furorem meũ in te.* Tertiò non erit poſt hanc rationem reditus ad vitam præſentem, in qua poſſet homo ſatisfacere pro peccatis, & ſupplere defectum operationũ. Vnde homo eſt ſpiritus vadẽs & non reuertens, quia dicitur huic villico. *Iam vlterius non poteris villicare.* Iſta tria ponuntur in Pſal. *Poſuerunt me in lacu inferiori*, de quo ſ. egredi non poſſum; Ecce redeundi nõ poſſibilitas; *in tenebris & in vmbra mortis.* Ecce temporis importunitas & obſcuritas. *Super me confirmatus eſt furor tuus.* Ecce iracũdiæ ſeueritas.

Ratio vitæ noſtræ timenda.

1. Propter temporis importunitatem.

Rationis poſitionẽ impediũt tria.

Secundò iſta ratio timẽda eſt propter accuſantium multiplicationem. Sunt autem ſeptem, quæ hominẽ accuſabunt circa ſuã rationem. *Primo* enim accuſabit eum conſcientia, non in occulto vt nunc, ſed publicè coram omnibus. Dan. 7. *Iudiciũ ſedit & libri aperti ſunt.* id eſt, conſcientiæ quæ omnibus aperientur. Et Apoc. 40. *Iudicati ſunt mortui ex his, quæ erant ſcripta in libris*, id eſt in conſcientijs ipſorũ. Vnde Apoſt. expreſſius dicit. Rom. 2. *Quod teſtimonium reddet illis conſcientia ipſorum. Secundo* accuſabunt eum diaboli, quia licet ſuggeſſerũt homini male facere, tamen prodent eum. Sicut ſocius furis interdũ accuſat furem ſocium, cũ quo furatus eſt, & hoc maximè fit, quãdo iam vadit ad ſuſpendium, deſperans de vita poſt ſententiam latam contra ipſum.

2. Propter accuſatores ſeptem

1. Conſcientia.

2. Diaboli.

Sic

Sic diabolus videns ſe iam finaliter retrudi ad infernum, prodet multos, vt ſecum damnentur, vnde Apoc. 12. diabolus appellatur accuſator fratrum. De quo autē accuſabit diabolus, oſtendit Auguſt. in quadam epiſtola ad Comitē cariſſimum, dicens; Dicturus eſt diabolus, qui recitabit verba profeſſionis noſtræ, & obijciet nobis in faciem, quicquid fecerimus, & in quo peccauimus & quicquid facere debebamus. Dicturus eſt enim. Aequiſſime iudex, iudica iſtum eſſe meum ob culpam, qui noluit eſſe tuus per gratiam. Tuus eſt per naturam, meus eſt per miſeriam; tuus per paſſionem, meus per ſuaſionē; tibi maledicens, mihi conſentiens; à te accepit immortalitatis ſtolam, à me verò pannoſam tunicam; tuam veſtem aſſumpſit, in mea huc venit. Aequiſſime iudex, iudica illum eſſe meum & mecum fore condemnandum. Hæc Auguſt. *Tertiò* peccatorem accuſabunt angeli ſancti, & præcipuè illi, qui nos cuſtodiunt, vnuſquiſque ſuum accuſabit, quem cuſtodit. Sicut medicus peritus omnē defectum mortuo imputat, quod eius præcepta aut monita aut ſuaſiones contempſit, neglexit, aut ſeruare non curauit. Vnde angelorum verbum erit illud Ierem. 51. *Curauimus babylonem & nō eſt ſurata*, q. d. fecimus quod in nobis erat, ſed ipſa anima non curauit. *Quarto* accuſabunt peccatorem creaturæ. Job 20. *Reuelabūt cœli iniquitatem impij, & terra aduerſus eum conſurget. Aduocabit enim Dominus cœlum de ſurſum, & terram diſcernere populū ſuum.* In illo die nihil eſt quod reſpondeamus, vbi cœlum & terra, ſol & luna, dies & noctes, & totus mundus ſtabit contra nos in teſtimonium peccatorum noſtrorum. *Quintò* accuſabunt peccatorem miſerabiles perſonæ, quæ ab eo iniuriam ſunt paſſę, tūc enim faciet Dominus iudicium inopis & vindictam pauperum. Ipſe enim eſt pater orphanorum & iudex viduarū. Vnde Greg. Si quæris, quis te accuſabit, certè totus mundus. Non ſolum autem accuſabit, ſed etiam conſurget in vindictam contra peccatores. Sap. 5. *Armabit creaturam ad vindictam & vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Deus enim non ſolum tunc armabit ſeipſum, ſed etiam exercitum ſuum, dando videlicet tam angelis bonis quam hominibus, virtutem & voluntatem accipiendi illud iudicium & pœnam faciendam in reprobis. Erit enim omnis creatura concors in ſententia cum Deo illa die, ſine miſericordia, ſine compaſſione aliqua miſeris exigenda, vnde ſicut Deus omnia creauit propter electos, ita omnia mouebit ſuo modo ad ſe vindicandum de reprobis. Vnde ſicut elementa ſeruiunt homini, vt ipſe Deo ſeruiat, ita ſeruient Deo, vt de reprobis qui ei ſeruire noluerunt vltionem accipiat. Sap. 16. *Creatura tibi creatori deſeruiēs excandeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos.* *Sextò* accuſabit hominem peccatum eius. Iere. 2. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te* vnde colligata erunt peccata hominis ad collum ſicut furtum eius. Oſeæ 13. *Colligata eſt iniquitas Ephraim.* Et *Conuolutæ ſunt & impoſitæ collo meo.* Et Prou. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium; & funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* *Septimò* accuſabunt hominem tormenta & inſtrumenta Dominicæ paſſionis de ingratitudine maxima. Vnde Hieronymus, Crux Chriſti cōtra te pugnabit; Chriſtus per vulnera ſua contra te allegabit; cicatrices contra te loquentur, & claui de te conquerentur. Hinc Auguſtin. de ſymbolo dicit in tractatu ſuo. Fortaſſe ideò Dominus in corpore ſuo cicatrices obſeruauit, vt in iudicio peccatoribus exprobraret, & cōuincens eos diceret; Ecce hominem quē crucifixiſtis; ecce Deum & hominem in quem credere noluiſtis; videte vulnera, quæ infixiſtis; agnoſcite latus, quod impugnaſtis, quod propter vos apertum eſt, & intrare noluiſtis. Vnde Apocalypſis 1. *Videbit eū omnis oculus & qui eū pupugerūt.*

3. Sancti Angeli.

4. Creaturæ.

Tertiò, iſta ratio eſt timenda propter exactionis ſeueritatē. Strictiſſimè autē ponetur, nō ſolū de magnis, ſed etiā de minimis peccatis. Erit autem illa ratio de pluribus. Et primò de anima à Deo data, quā Deus dedit in ſollicitā cuſtodiam, ſicut rex filiā ſuam. Deut. 4. *Sollicitè cuſtodi teipſum & animam tuam*; vtrumque dicit, corpus & animam. Sed econuerſo multi hodie faciūt curam carnis tantū, ſequentes eius deſideria, cu-

3. Propter exactionis ſeueritatē Ratio de quibus exigenda.

ria, curam autẽ animæ pauci faciunt, & ita permittunt ancillam dominari, cum tamen totus iſte mundus ad vnius animæ precium æſtimari non poſſit. Si animam negligimus, nec corpus ſaluare poterimus, ſed benè è conuerſo, ideò dicit, vtrumque cuſtodi ſollicitè. *Secundò* exigetur ratio
2 de corpore noſtro ſicut de cuſtodia boni caſtri, in quod ſæpius inimici Dei, ſcilicet carnis voluptates & alia vitia immiſſa ſunt & alij amici expulſi, id eſt, virtutes. Eſt enim corpus noſtrum ſicut iumentum nobis à Deo conceſſum ad vtilitatem animæ, cui debemus cibum, diſciplinam, & onus. Eccleſ. 33. *Cibaria & virga & onus aſino.* Exigetur ergo à nobis, quomodo corpus noſtrum cibauimus ſu[illegible] e. ſt è, vel lautè ad laſciuiendum; quomodo ipſum non diſciplinauimus cum ſuperbiuit, quomodo nulla onera pœnitentiæ in ipſo portaui-
3. mus, ſed potius onera diaboli. *Tertiò* erit ratio reddenda de proximis. Et primo pater de filio, & ſiquidem malus fuerit filius propter negligentiam patris, punietur pater cum filio, ſicut Heli cum filijs ſuis. 1. Reg. 4. Vnde patri dicitur. Prou. 19. & 29. *Erudi filium tuum.* Verſus. *Si tibi ſit natus peccantem corrige natum, Ne ſuum lugere poſſis de iure reatum.* Item prælatus de ſuo ſubdito, iuxta illud Ezech. 33. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael. Audiens ergo ſermonem ex me, annunciabis eis. Si me dicente ad impium, impie morte morieris, & non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Vnde Auguſtinus. Quæſo mi frater, vt omnibus ſubiectis in domo tua à maiore ad minorem, amorem & dulcedinem regni cœleſtis, amaritudinem & timorem gehennæ annuncies, & de eorum ſalute ſollicitus & vigil exiſtas, quia de omnibus ſubditis, qui in domo tua ſunt rationem reddes. Hæc Auguſtinus. Item princeps terrenus reddet rationem de ſuo inferiori. Nam dicit Iſidorus Siue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes, ſiue ſoluatur ab eis, ille rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam tradidit. Vnde in figura huius propter delicta populi principes iuſſi ſunt ſuſpendi contra ſolem.

Aug. epi. ad Comitem.

Iſid. l. 3. de ſum. bono cap. 23.

Hinc etiam Sap 6. dicitur. *Iudicium duriſſimum erit his qui præſunt.* *Quartò* exigetur ratio de malis commiſſis. Vnde in ſymbolo dicitur; Redditurí ſunt rationem de proprijs factis, ſiue bonis ſiue malis 2. Cor. 5. *Recipiat vnuſquiſque prout geſſit.* Tanta autem erit ſeueritas circa mala commiſſa, vt etiam paſſus minimus requiratur. Iob 13. *Obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Et Iob 14. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.* Et eiuſdem 34. *Oculi eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat.* Modicum apparet apud homines verbum otioſum, & tamen ratio diſtrictiſſima de eo exigetur. *De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem.* Otioſum autem verbum ſec. eſt gloſſ. quod caret ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis. Hieronymus dicit. Quicquid non ædificat audientes, in periculum vertitur loquentium. Et ibidem; qui ſcurrilitatem replicat, & aliquid profert turpitudinis, hic non otioſi ſermonis, ſed criminoſi reus tenebitur. Et de his Sap 1. dicitur. *Qui loquitur iniqua non poterit latere, nec præteriet illum corripiens iudicium.* Modica apparet cogitatio vana, & tamen veniet ad iudicium. Ibidem, *In cogitationibus impij interrogatio erit.* Et eiuſdem 6. *Ipſe cogitationes noſtras ſeruabitur.* Vnde Gregorius ſuper Matth. 10. *Omnes capilli veſtri numerati ſunt*, dicit; Sic Deus vias conſiderat & greſſus numerat, vt nec minimæ cogitationes aut verba minutiſſima, quæ apud nos viluerunt, in eius iudicio remaneat indiſcuſſa. *Quintò* erit reddenda ratio non ſolum de malis commiſſis, ſed etiam de bonis omiſſis. Sicut patet de his quibus dicit Dominus; *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare.* Iſtud iam patuit in diuite epulone, qui propter omiſſa opera pietatis in Lazaro damnatus eſt. Luc. 16. Item de tempore perdito inutiliter, in quo multa vana ſunt facta, multa ſalutaria omiſſa, & præſertim de temporalibus feſtiuis, quæ conſumunt homines in gula & ebrietate, in ſuperbia & vanitate, in lętitia carnali & alijs vitijs. Cum tamen nihil pretioſius tempore. Sed heu

Num. 25.

Matt. 12.

Hiero. ſup. 21. cap. Leuit.

heu nihil hodie vilius reputatur. Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat. Sed certè ſicut non peribit capillus de capite, ſic nec momentum de tempore, ſcilicet de quo ratio non exigetur. Anſelm. in meditationibus. Omne tempus impenſum tibi, quæretur qualiter à te ſit expenſum.

II.

Villicationis tuæ. Sciendum, quod licet homo recepit omnia bona a Deo; & ea, quę in cœlo & ea quæ in terra, mari, in aquis, in ſiluis, & abyſſis, eo quod omnia iſta facta ſunt propter hominem, iuxta illud Pſalm. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues &c.* tamen in his omnibus homo non poteſt dici Dominus verus, ſed tãtum villicus ſeu diſpenſator, eò quod omnia iſta recepit ad diſpenſandum, non ad diſſipandum. Recepit enim bona naturæ, ſcilicet animam & corpus, & quinque ſenſus, & tres potentias animę, ſcilicet intellectum, voluntatem, & memoriam. Bona fortunæ, vt diuitias, honores, aurum, argentum, & poſſeſſiones. Bona gratię, ſcilicet virtutes & dona Spiritusſancti, quæ omnia recepit quaſi ſub mutuo, & quodammodo ſub vſuris, eò quod Dominus vult nos negotiari per iſta. *Negotiamini dum venio.* Ipſe enim eſt homo ille nobilis, qui abijt in regionem longinquam, accipere ſibi regnum & reuerti; qui in ſuo receſſu conuocatis ſeruis ſuis, vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vero vnum. Dedit autem omnia iſta ſub vſuris, quia bona naturæ ad operandum; bona gratiæ ad merendum; bona fortunæ ad diſtribuendum; bona ſcientiæ ad docendum; bona potentiæ ad defendendum; bona opulentiæ ad ſuſtentandum. Vſuræ iſtorum bonorum ſunt lucra animarum, quas lucrantur homines per iſta dona eis conceſſa. Quæ vſura maxime placet Deo Prou. 19. *Fœneratur Deo qui miſeretur proximo.* Sed quia peccator diſſipat iſta bona, nec de eis lucrum reportat, quod tunc fit quãdo ea non ad honorem Dei, nec ad ſalutem propriam, nec proximi vtilitatem conuertit; ideò tunc dicitur diſſipator & non villicus. Vnde de prodigo filio dicitur Lucæ 15. Quod recepta portione ſua iuit in regionem longinquam, & conſumpſit eam cum meretricibus, & diſſipauit viuendo luxurioſe; quod tunc fit, quando homo peccat mortaliter; quia tunc omnia bona diſſipat. Primò bona naturæ vt intellectum male operando; voluntatem, proximum odiendo; & memoriam, iniurias proximi reminiſcendo. Item oculos diſſipat vana reſpiciendo; aures mala audiendo & ſic de alijs. Poſtea bona fortunæ diſſipat malè acquirendo, auarè retinendo, & malè expendendo, vſuras & mercantias exercendo. Poſtea bona gratiæ & virtutes quas Deus repoſuit in anima eius, ſicut theſaurum in arca, ipſe peccator proijcit extra dum peccat, quia contraria contrarijs expelluntur, vt humilitas per ſuperbiam, pietas per auaritiam, caſtitas per concupiſcentiam, & ſic de alijs. Et ſic peccator totam ſuam ſuperbiam diſſipauit. Vnde Prouerb. 29. dicitur. *Homines peſtilentes diſſipant ciuitatem.* id eſt, totam perſonam ſuam cum omnibus bonis, cum omnibus potentijs animæ & corporis. Sed quia Deus omnipotens tradendo bona homini prædicta ad vſum, dedit ea in numero, põdere, & menſura; ideo villicus iſte ſi vult benè diſpenſare bona Domini ſui, maximè habet inter cætera opus aſpicere ad numerum, põdus, & menſurã; ita videlicet vt omnia noſtra facta in menſura, numero, & pondere diſponamus. In cuius figura legimus, quod angelus ad Eſdram miſſus dixit ſic, 3. Eſdr. 4. *Tres vias miſſus ſum oſtendere tibi, & tres ſimilitudines proponere coram te. Vade pondera mihi pondus ignis, aut menſura mihi flatum vẽti, aut reuoca diem, quæ præterijt,* quaſi dicat, pondera pœnã infernalis acerbitatis; menſura flatum temporalis vanitatis & reuoca, hoc eſt, numera reatum propriæ prauitatis. Iſta benè deberet metiri quilibet homo, ſi vult euadere diſtrictam rationem villicationis ſuæ. Nã per hæc multum proficiet in diſpenſatione bonorum ſibi collatorum à Deo, & ea non niſi ad ſalutis ſuæ commodum ordinabit. Debet ſiquidem homo menſurare mundanæ gloriæ leuitatem, præſentis tranſitus breuitatem, & futuræ vitæ iucunditatem. Et cum menſurauerit, debet numerare quæ recepit diuina munera, quot com-

Bonorum diſpẽſatores ſumus.

Sap. 11.

Mũdana gloria leuitas menſuranda.

commiſit horrenda crimina, quot omiſit conceſſa tempora. Et poſtquam ſic numerauit, ponderet quantum debet, ponderet quantum ingratus fuit, ponderet quantum meruit. Et ſic erit optimus villicus villicationis ſuæ. Quia omnia in numero, pondere, & menſura ſuo Domino, ſicut accepit, reddet. Sed quantum iſta proficiant villico conſideranda videamus. Certè ſi menſurabit mundanæ gloriæ leuitatem, videbit quod ipſa eſt parum appretianda, vnde Aug. ſuper Pſal. 143. Inanis huius ſæculi fallax eſt ſuauitas, infructuoſus labor, & perpetuus timor, periculoſa ſublimitas, initium ſine prouidentia, finis cum pœna. Hanc vanitatem menſurabat ille rex de quo Valer. lib. 7. c. 2. Rex, inquit, ille ſubtilis iudicij, cum ſibi traditum fuiſſet diadema, priuſquam capiti imponeret, fertur retentum diu conſideraſſe & dixiſſe; O nobilem magis quam felicem pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat quam multis ſollicitudinibus & periculis & miſerijs ſit refertus, nec humi quidem iacentem tollere vellet. Si ſic menſurarent hodie villici noſtri gloriam temporalem, certè non ſuperbirent tantum, ſed dicerent. *Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ qua menſus eſt nobis Deus.* Iſta regula eſt regulata conſcientia. 2. Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ.* Non ſolum autem debemus menſurare præſentis vitæ vanitatem, ſed etiam breuitatem, iuxta illud; *Ecce mẽſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Vnde Iob 7. *Memento mei quia ventus eſt vita mea.* Et ibidem. *Nihil enim ſunt dies mei.* Et Iacob. 4. *Vapor eſt vita noſtra ad modicum parens.* Iſtam breuitatem aduertebat benè Xerxes rex, qui aſpiciens de ſublimi exercitus ſui multitudinem flere cœpit. Interrogatus verò quare fleret, reſpondit, quia nullus iſtorum per centum annos remanet. Debemus etiam tertiò mẽſurare futuræ vitæ iucunditatem, recolendo quot beatitudinis gaudia recipiemus pro momentaneis meritis in præſenti, & certè non inueniemus menſuram, quia præmiabimur vltra condignum. Sicut patet Luc. 6. *De menſura ſuperefluente.* Et Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Secundò numeremus diuina munera, & ea inueniemus infinita, quia numerari non poſſunt. Primò munus creationis ad eius ſimilitudinem. Secundò munus creaturarum ſubiectionis. Pſal. 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Tertiò munus recreationis. Rom. 5. *Cum adhuc inimici eſſemus ſecundũ charitatem ſuam reconciliauit nos.* Quartò munus peccatorum remiſſionis. Apo. 1. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis.* Quintò munus gloriæ cœleſtis. Item numeremus quot commiſimus horrenda crimina, & iterum inueniemus infinita. Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* Iob 22. *Propter malitiam tuam & infinitas iniquitates tuas.* Itẽ numeremus quot omiſimus conceſſa tempora, & inueniemus quod infinita. Eccl. 17. *Numerum dierum & tempus dedit illi.* Sed ad quid dedit dicitur Iob 24. *Deus dedit ei locum pœnitentiæ & ipſe abutitur eo in ſuperbiam.* Tertiò debemus ponderare quantum debemus præſertim propter beneficium incarnationis, ex qua natura noſtra cum natura diuina communicationem cœpit habere. Eccl. 13. *Pondus ſuper ſe tollit qui honeſtiori ſe communicat.* Secundò ponderemus, quod ingrati fuimus & ingratitudinis noſtrę põdera deponamus, iuxta cõſilium Apoſtoli, ad Hebr. 12. *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Tertiò ponderemus quod meruimus, quia totum ſiue bonum ſiue malum in iudicium adducetur. Iſa. 26. *Ponam iudicium in pondere, & iuſtitiam in menſura.* Et ſic diſponamus nos in menſura, numero, & põdere. Et tantum de ſecundo.

Munera diuina numeranda.

Ponderandum quãtum debeamus.

II.

Iam non poteris villicare. Aequiſſima eſt illa ſententia, vt peccator qui in hac vita tempus conceſſum ad benefaciendum inutiliter conſumpſit, poſt hanc vitam non habeat tempus ad benè operandum, ſed patiendum. Vnde ei iuſtè dicitur; *Iam non poteris villicare.* Cuius ratio eſt, quia iam mũdus tranſibit & concupiſcentia eius. Ideò dici-

dicitur; *Cœlum & terra tranſibunt*. Et tunc omnia inſtrumenta benè operandi ceſſabunt. Tantum in hac vita licitum eſt operari bonum; illic namque ſcilicet in futura vita iam non operatio expectatur, ſed retributio meritorum, vnde Apoſtolus dicit;

Matt. 25.

Dum tempus habemus operemur bonũ. Certè fatuæ virgines, quia tunc voluerunt emere oleum, quando ſponſo debuerunt occurrere, & cum eo ad nuptias intrare, audiunt à ſponſo, *Neſcio vos*. Nec mirum ſi ita ſubtrahitur & denegatur tempus benefaciendi poſt hanc vitam negligentibus, cum ſecundum æquitatem diuinam omnia tẽpora tempus ſuum habent. Sicut ergo eſt tempus laboris, ita debet eſſe & quietis. *Vt requieſcant à laboribus ſuis*. Vnde Iſa. 28. dicitur. *Nunquid tota die arabit arans vt ſerat, proſcindet & ſarriet humum ſuam?* Et ſequitur. *Verum non in perpetuum triturans triturabit*. Et hoc à Domino Deo exiuit conſilium, vt magnificaret iuſtitiam. Ecce æquitatem & iuſtitiam in hoc, quod denegatur tempus negligentibus & redditur merces operantibus. Audiat ergo villicus iniquitatis, operarius in vinea Domini negligens, diſſipator inutilis bonorum, ſeruus nequã & infidelis conſtitutus ſuper multa talenta & ſuper multas minas. Quia nunc tempus eſt acceptabile, ſicut clamat Apoſtolus. *Ecce nunc tempus acceptabile*. Eſt autem acceptabile ad multa villicorum officia exercenda. Nam villici officium eſt de agris colendis & ſeminandis, iuxta illud; Diligenter exerce agrum tuum. Hoc autem eſt tẽpus præſens, quia in futuro erit tempus metendi. Pſal. 125. *Euntes ibant & flebant*, quod debet facere per labores meritorios & ieiunia; Nec non peregrinationes & afflictiones corporales amputando nociua deſideria carnalia & ea funditus eradicando. Cant. 2. *Tempus putationis aduenit*. Ideò dicit Pſal. 118. *Tempus faciendi Domine*. Secũdum officium villici eſt ędificare noua ędificia vel antiqua reparare. Et quo ad hoc hodie eſt tempus ædificandi, ſed in futuro erit tempus deſtruendi, ſc. mala. Tertium officiũ villici, eſt diligenter cuſtodire bona Domini ſui, & ea vtiliter diſpenſare, ſcilicet ad honorem Domini & vtilitatem familiæ eius. *Fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis tibum in tempore*. Quod fit per eleemoſynarum largitionem, quando villicus diſperſit dedit pauperibus. Hoc autem tempus eſt præſens, quia in futuro ligabuntur manus, vt non poſſint aliquid diſtribuere. Quartum officium villici eſt reſarcire & reparare omnia damna & recompenſare in domo Domini ante aduentum eius, ne ſcilicet in aliquo de negligentia notetur. Sicut legitur de Iacob, qui omnia damna in grege ouium à luporũ incurſibus, vel alias à quocunque illata recompenſabat labore. Sic villicus Chriſti omnia neglecta tempore iuuentutis in perſona propria & etiam in ſubditis ſibi cõmiſſis debet per ſatisfactionem condignam reparare, quia nunc eſt tẽpus reparandi. Quintum officium villici eſt Dominum cum gaudio & lætitia expectare, & de eius aduentu ſemper ſollicitum eſſe. *Beatus ſeruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem*. Et quia illa hora aduentus eſt incerta, ideò dicit Saluator; *Vigilate itaque quia neſcitis qua hora filius hominis veniat*. Magna confuſio homini eſt non aduertere aduentum tanti Domini, cum tamen hirundo & ciconia cuſtodiunt tempus ſui aduentus. Nos igitur fratres attendentes, quod poſt hanc vitam non eſt tempus villicandi in prædictis, ſobrie, & iuſtè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem & aduentum magni Dei & ſaluatoris noſtri, vt tandem tanquam veri villici ratione facta debita cum eo ad gaudia æterna introire mereamur. Audientes illud; *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*. Ad quod nos perducat villicorum Dominus, &c.

Apoc. 14.

Matt. 25.
Luc. 19.

Officium villici.

Matt. 24.

Matt. 22.

Gen. 31.

Luc. 12.

Matt. 25.

Ierem. 8.

DOMINICA NONA POST TRINITATEM.

SERMO II.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Lucæ 16.

QVONIAM à multis ſapientibus huius ſæculi, immò verius amatoribus mundi, ſæpè dubitatum fuit, in quo conſiſteret beatitudo. Et quidam eorum in voluptatibus, quidam in honoribus, quidam in diuitijs eam poſuerunt. Nam *beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Sed quia iſta ſententia fuit falſa & erronea, quia nullus eſt beatus, niſi qui habet Chriſtum propitium, iuxta illud Pſalm. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Jlle autem habet ſpecialiter Chriſtum ſibi propitium & gratioſum, qui in pauperes propitius & miſericors eſt. Vnde Auguſtinus ſermone 12. Ille vere diues eſt, qui in Deum diues eſt, qui animam magis opulentijs quam corpus diuitijs replet, & facultates ſuas cum pauperibus diuidit. Qui locupletem ſe dando magis quam habendo oſtendit, qui in hoc ſe meminit habere diuitias, vt fœneretur, id eſt, mutuet Deo, paſcat Chriſtum, veſtiat Dominum; qui patrimonium ſuum non ingrato hæredi acquirit relinquere, ſed per pauperes illud Chriſto deſiderat accommodare. Qui diuitias cælo magis, quam mundo commēdat. Qui deſiderat potior eſſe operę quam ſuę ſubſtātię facultate. Qui theſauros ſuos ad ſuperna tranſmittit. Hæc Aug. Nos igitur Saluator volens ad perfectam beatitudinem & fœlicitatem perducere, viam nobis illuc perueniendi oſtendit, ſcilicet miſericordiam & eleemoſynarum largitionē, per quam nobis amicitiam illorum poſſumus acquirere, qui nos, cum defecerimus, poſt hanc vitam recipiant in æterna tabernacula. In quibus verbis tria tanguntur; *Primò* ſuadetur nobis eleemoſynarū largitas, cum dicitur. *Facite vobis amicos. Secūdò* ſubditur diuitiarum vilitas, cum additur, *de mammona iniquitatis. Tertiò* ſubditur amicitiæ vtilitas, cum dicitur; *vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Pſal. 143.

Propoſit.

I.

Facite vobis amicos. Magna dignitas eſt habere Deum amicum, & angelos, & omnes ſanctos Dei, & electos homini peccatori, qui aliquādo fuit ſeruus diaboli, & amicus ſęculi, & inimicus Dei. Vnde de eleemoſyna patet de Abraham, qui pro eo, quod miſericors fuit & diuitias pauperib. diſtribuit, amicus Dei eſt appellatus. Magna dignitas homini eſt dare Deo omnia habenti & in omnib. abundanti. In ſæculo ſiquidē ſic eſt, quod ille dicitur multò felicior & beatior, qui dat quam qui accipit. *Beatius eſt dare quam accipere.* Vnde honorabilior reputatur ille qui dat, illo qui accipit. Cū ergo homo dat pauperibus, certè Chriſto dat, & in hoc videtur multū honorabilis. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, &c.* Narrat Greg. quendā fuiſſe qui libēter recipiebat & paſcebat pauperes. Et quadā die venit Dn̄s ad domū illius in ſpecie peregrini pauperis, quē cum recepiſſet & vellet dare aquam manibus illius, vt panderet, vertit ſe vt acciperet aquā, & Dominus diſparuit. Quo facto cum ille ſtupefactus eſſet, in ſequen-

Eleemoſyna Dei amicum facit.

Gen. 18.

Acto. 20.

Matt. 25.

ſequenti nocte ei in viſu Dominus dixit; Hodie me in propria perſona recepiſti. vn. Pſal. oſtendens talem dignitatem dicit; *To-*
Prou. 19. *ta die miſeretur & commodat. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis.* Gregor. Qui in terra iacenti porrigis, in cœlo ſedenti accommodas. Et Auguſt. Qui pauperi dat, Deo accommodat. Et ſequitur in Pſal. *& ſemen illius*, id eſt, opera iſta miſericordiæ ſecundum Innoc. quæ facit, vt fructum æternum recipiat, *in benedictione erit*, id eſt, affert ei benedictionem æternam. Deut. 23. *Fratri tuo abſque vſura id quo indiget accommodabis, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra ad quam ingre-*
Matt. 25. *dieris poſſidendam. Eſuriui & dediſtis mihi manducare.* Et ſequitur. *Venite benedicti patris mei.* Certè iſtam dignitatem deberemus multum aduertere & præponere etiã noſtris filijs. Maior enim debet eſſe Christi amor & pauperum eius quam filiorum. Vnde Auguſt. in lib. de doctrina Christiana dicit. Eget Chriſtus in paupere; petit & nõ accipit. Quæ iuſtitia, vt habeat filius tuus vnde luxurietur, & egebit Deus tuus. quaſi dicat. Nulla eſt iuſtitia ſed potius iniuſtitia. Sed prohdolor, multi ſunt qui tantum theſaurizant pro filijs, quod non ſolum non dant, ſed rapiunt pauperibus bona ip-
Aug l. 12. ſer ſerm. vltimo. ſorum. Contra quos Auguſt. Non poteſt, inquit, ille miſericordiam facere, qui poſſeſſionibus longe lateque diffuſis in confinio aliorum poſſidere non patitur; dum terminos iungit fines producit, calumniatur pauperi, mediocrem præmit, vinum excludit, omnes circa ſe poſitos infeſtando ac perſequendo depellit, qui non acquirit niſi alius fleuerit, lucra non condit niſi alius gemuerit, cui ſolum bonum eſt publicũ malum, cum aũt fructus ſeruat aut annonam coaptat, vt præcia multiplicet, aut fœnus exaggerat dum acquirendi lucri per nocendi exquirit ingenia. Poteſtne talis miſericordiæ implere officia, cui pupillorũ eſt dulcis gemitus, & viduarum ſuauis eſt fletus, dũ prędã huiuſmodi paſcitur, & ſpolijs taliũ delectatur? q; diues eſt arca nõ merito, poſſeſſione non genere, voce nominis non dignitate. Poteſtne miſericordia tangi aut humanitate moueri, cuius auaritiæ nec proprium ſufficit, qui etiam modicum alienum imponit ad proprium multum, qui etſi pauperi tribuat, hic magis deteriora dat, & ſic alij tollit, quod alteri porrigit. Et eſurientis pane eſurientem reficit, & nudum ſpolijs veſtit. Cũ ſcriptum ſit; Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris. Hæc ille. Tales certè multiplicant eis inimicos magis quam amicos, & cum filijs ſuis quibus theſaurizant, peribunt. Sicut enim miſericordes etiam cum ſuis filijs benedicentur, de quibus dicitur; *Tota die miſeretur & commodat, & ſemen eorum*, id eſt, tam filij quam opera, ſecundum Innocent. quartum, *in benedictione erit*; etiam in præſenti, quia ad litteram pauperes benedicũt eis & filijs ſuis, quando recipiunt eleemoſynam, & Dominus etiam dat eis benedictionem gratiæ, & poſt benedictionem gratiæ benedictionem gloriæ. 2. Cor. 9. *Qui ſeminant in benedictionibus, de benedictionibus & metent vitam æternam.* Vnde Chryſ. dicit; Conſiderate qualiter pauperes benedicunt qui recipiunt; & cogitate qualiter Dominus remunerat, cui plus placet. Hæc ille. Ita econuerſo immiſericordes & impij maledicuntur cum filijs. *Iniuſti punientur.* Gloſſa. Sicut iuſti remunerantur, ita impij puniuntur. Matt. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem &c. Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Et ſemen impiorum peribit, id eſt, opera ſiqua fecerint non afferẽt Eccl. 27.
fructum. Oſeæ 9. *Radix eorum exſiccata eſt, fructum nequaquam faciet.* Radix eſt charitas. Vnde nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi manſerit in radice charitatis. 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Hoc eſt contra illos, qui in mortali peccato faciunt eleemoſynas, credentes per hoc mundari, cum tamen dicatur in Pſalm. *Declina à malo &* Pſal. 36.
fac bonum. Prius ergo malum culpæ eſt delendum per contritionem & confuſionẽ, & poſtea faciendum bonum eleemoſynarum ad delendum malum pœnæ per ſatiſfactionem. Sic enim intelligitur illud Luc. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, ſcilicet mundis, quia iuxta ſententiam Saluatoris omnia munda mundis, immundis autem immunda omnia. Prius ita-

itaque reconciliemur Deo per humilitatem cordis, & confeſſionem oris, & tunc faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, per quos amicitiam Dei acquirere valeamus.

II.

De mammona iniquitatis. Magna vilitas, cum quis vocatur nomine dæmonis. Hoc autem eſt de diuitijs, quæ vocantur nomine dæmonis præſidentis auaris & ſuperbis diuitibus. Dicuntur autem mammona iniquitatis, quia non ſunt veræ diuitiæ, ſed paupertate plenæ, vt dicit Aug. in lib. de verbis Domini. Quamdiu enim ſunt diuitiæ in terra, non ſunt veræ diuitiæ, vnde illud; *Dextra eorum dextra iniquitatis*, hoc dixerunt illi quorum os locutum eſt vanitatem. Vnde concludit Auguſt. in libr. 50. quæſtionum. Quod vanũ eſt dicere tales eſſe beatos, quibus hæc ſunt. Sed poſtquam huiuſmodi diuitiæ tranſmigrauerint ad cœlos per manus pauperum, verè poſſunt dici diuites. *Secundo* dicuntur iniquitatis, quia iniquè, id eſt, non æqualiter habentur nec diſpenſantur, quia ille nihil portat, tu nimium oneraris; ille nihil ſecũ portat, tu plus portas quam opus eſt. Ita Auguſt. *Tertio* dicuntur iniquitatis; Quia ſecundum Aug. Omnis diues aut iniquus, aut hæres iniqui. Et difficile eſt diuites ſaluari. vnde Hugo dicit diuitibus quatuor eſſe neceſſaria. *Primo* ne licita iniuſtè acquirant. *Secundo* ne iuſtè acquiſitis illicitè perfruantur. *Tertio* ne multa quamuis licita poſſideant. *Quarto* ne licita illicitè defendant. Primum facit de licito illicitum; ſimiliter ſecundum; ſimiliter tertium; quartum vero cupiditati eſt proximum. Duo acquiruntur iniuſtè ſeu illicite, ſcilicet ſuperbia & cupiditas. Duo quæ malè fruuntur acquiſitis, ſcilicet gula & luxuria. Duo quæ malè poſſident, ſcilicet prodigus & auarus. Vnus enim congregat iniquè, & alter iniquè diſſipat. Duo quæ malè poſſeſſa defendunt, intemperantia & prudentia ſæculi. Sicut Saluator dicit in Euangelio. Quod tales prudentiores ſunt filijs lucis, qui prudentius ſciunt defendere ſuas poſſeſſiones ſæculi, quam filij lucis poſſeſſiones cœli. Illi enim exponunt corpus & animam pro ſuis diuitijs acquirendis & defendendis, filij autem lucis vix corpus exponunt. Dicuntur etiam diuitiæ iniquitatis mammona, quia hominem præcipitant & demergunt ad iniquitatem, & ad multa mala, & præſertim ad tria. *Primo* enim habent ex parte materiæ vilitatẽ; ſecundum quam animam villicant & corrũpunt. Vnde Petrus hortatur fugere ab eis. *Efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem*, id eſt, terrenorum concupiſcentiam ex vili & corruptibili materia ortam. Quid enim ſunt aurum & argentum, aut vaſa præcioſa niſi quædam terræ egeſtiones & ſtercora. Sed diceres quomodo poſſibile eſt animam corrumpi ab iſtis immundis rebus? Reſpondeo breuiter cum propheta, quod hoc ſit per amorem, per quem quis efficitur ſimilis illi quem amat, eo quod amor transfert amantem in amatum. Vnde propheta dicit de talibus, quod facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerũt. *Secundo* diuitiæ habent ex parte finis infructuoſitatem, quia *qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes & in laqueum diaboli, & in deſideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & in perditionem*. Ecce vilitas diuitiarum & iniquitas, quia hominem tanquam auem vilẽ illaqueant, vt cibus diaboli fiat. Quanta iniquitas mergere hominem in profundum inferni, qui factus eſt, vt fieret ciues cœli? Sed non mirum, quia aurum & argentum grauia ſunt, & trahuntur ab inferioribus partibus terræ, & ideo cum auaritiæ rubiginem ſibi coniunxerunt, ſuam repetunt originem & miſeros amatores ſuos ad infernum demergunt. *Tertio* diuitiæ habent ex parte durationis breuitatem. Iob 9. *Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt & non viderunt bonum. Pertranſierunt quaſi naues poma portantes*. Exiſtentes in naui nõ percipiunt velocitatem nauis, niſi per comparationem ad arborem in littore; ſic nos non percipimus breuitatem vitæ huius, niſi per comparationem ad æternitatem. Et ſicut nauis portans multitudinem pomo-

Diuitiæ cur mammona iniquitatis.

ſerm. 5. de verbis Domini.

Hugo de clauſt. animæ l. 2. ca. 4.

4. Diuitibus neceſſaria.

Diuitiæ ad tria mala præcipuè præcipitant.

2. Pet. 1.

1 Tim. 6.

pomorum, relinquit in littore odorem nō refectionem; Sic temporalia, quæ fugiunt ſolam relinquunt affectionem ad confuſionem, non remunerationem.

I I I.

Vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Magna vtilitas amicitiæ, quā acquirunt homines per miſericordiæ opera, vt mereantur per hæc intrare æterna tabernacula. De quibus dicitur. Pſalm. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Et verè dilecta, quia omni dulcedine plena. Pſalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Ad iſta tabernacula deſiderat naturaliter omnis homo, quia naturaliter quilibet vellet conſequi beatitudinem. Vnde in figura dicitur 1. Reg. 4. quod omnis Iſrael fugit in tabernacula. Quilibet enim quantumcunque pauper, quantumcunque abiectus, & deſpectus à ſeculo, dicit & dicere intra ſe non ceſſat; *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.* Ex quo autem ſic communis eſt intentio omnium, vt tranſeant in iſta tabernacula, neceſſaria eſt via illuc veniendi, & duces dirigentes nos, qui nos illuc per ducat. Via non eſt alia niſi miſericordia. Per hanc neceſſe eſt intrare quemlibet. Luc. 6. *Eſtote miſericordes.* Duces illuc dirigentes & nos introducentes ſunt pauperes Chriſti, amici noſtri veri, quorum amicitiam miſericordiæ operibus acquiramus. Sed quia dicitur hic; *Facite vobis amicos nō quoſcunque, ſed qui poſſunt vos recipere in æterna tabernacula*; Ideo videndum eſt de triplici genere amicorum. Eſt enim amicus perniciosus & nociuus; Eſt amicus fictus & ſimulatiuus; & eſt amicus verus & ſaluatiuus. De primo dicitur Eccleſiaſt. 6. *Eſt amicus, qui ad inimicitias conuertitur, & qui odium & rixas, & conuitia denudabit.* Iſte eſt ſimilis ſcorpioni; qui lingua blanditur & cauda mordet. Tales ſunt omnino fugiendi, quia ſunt periculoſi. Talis fuit Abſalon. 1. Regum. 13. qui facto conuiuio fratrem ſecum comedentem occidit.

Eleëmoſyna eſt via ad cœlum.
Luc. 6.
Pauperes ſunt duces
Amicus triplex.
1. Perniciosus.

Talis etiam fuit gener **Simeonis Machabæi**, qui facto conuiuio ipſum occidit. Iſti amici doloſi deſignant **moraliter** blandos adulatores, qui, licet appareant amici, tamen in rei veritate ſunt inimici & occiſores animarum noſtrarum; quia licet ſuauiter radunt, tamen guttur amputant; & licet genam tergunt, tamen oculum eruunt. Vnde de eis dicitur Eccleſ. 12. *In labijs ſuis indulcat inimicus, & corde ſuo inſidiatur, vt ſubuertat te in foueam. In oculis ſuis lachrymabitur inimicus, & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas.* De his etiam Seneca Epiſtola 80. Adulatio quaſi ſimilis eſt amicitiæ, non imitatur tamen illam, ſed vincit & præterit, apertis & proprijs auribus excipitur, & in ima præcordia deſcendit; eo ipſo gratioſa, quo lædit. Et ſequitur; Venit ad me pro amico blando inimicus, vitia ſub virtutum ſpecie ſurrepunt. Hæc ille. Iſtorum amicitia multum periculoſa eſt, quia hominem occidit in anima, dum eius vitia laudantur. Et ſententia Platonis fuit hominem magis proficere ex inimicis, qui corrigunt crimina, quam amicis, qui tolerant vel occultant ea. Iſaiæ 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Sed quid faciendum eſt contra tales? habenda eſt conſideratio propriorum defectuum, Seneca Epiſt. 96 narrat de Alexandro, qui dum in obſidione cuiuſdam ciuitatis circuiens muros ſagitta fuiſſet percuſſus, dum vulnus vehementer doleret ait; Omnes, inquit, iurant me eſſe Iouis filium, & vulnus hoc hominem me eſſe clamat. Sic nos faciamus contra adulatores dicentes; Vos dicitis me prudentem, ſed ego video quam multa inutilia concupiſcam. Nec hoc quidem intelligo, quod animalibus ſatietas monſtrat, quis cibo, quis potui debeat eſſe modus. De tali ergo inimico ſemper intelligendum eſt illud Eccl. 12. *Ne credas inimico tuo in æternum.*

Secundus eſt amicus fictus. De quo Pſa. *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat*

2. Amicus fictus.
Pſal. 40.

edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Ibi loquitur de Iuda, qui fictus erat amicus Chriſti, & finaliter ſupplantauit eum. Iſti amici licet ſint ficti, tamen ſunt tolerandi, quia omnino vitari nō poſſunt; ſicut Chriſtus tolerauit Iudam fictum amicum, dans nobis exemplum tolerandi fictos amicos. Vnde dicit Innocent. quartus, ſuper Pſal. 40. Voluit tradi à Iuda, qui videbatur eſſe amicus. Ideo; *Primo,* ne homo ponat ſpem in homine, quia *Maledictus homo, qui confidit in homine, & qui ponit carnē brachiū ſuū.* *Secūdo* ideo, ne credat ſe homo homini. Ioan. 2. *Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes. Fratres tui & domus patris tui ipſi etiam pugnauerunt aduerſum te, & clamauerunt poſt te plena voce. Ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona.* *Tertio* ideo, vt homo Chriſtianus diſcat perſecutiones ſuſtinere non ſolum ab inimicis, ſed etiam à domeſticis. Ioan. 15. *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* *Quarto* ideò, vt homo ab inimicis & familiaribus ſibi caueat. Eccl. 6. *Ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende. Ab ea qua dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui.* Et ibidem; *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce.* *Quinto* ideo, vt oſtenderet, quia domeſtici efficaciores ſunt ad nocendum. Vnde dicit Gregor. Cum diabolus ſe proprijs viribus nihil aduerſum nos poſſe conſpicit proficere, per linguas nobis adhærentium ſæuit. Ideo nulla peſtis ad nocendum efficacior, quam familiaris inimicus, inquit Hieronym. Matth. 10 *Et inimici hominis domeſtici eius.* Sed valdè mirabile eſt hoc in homine, quod non eſt reperire in cane. Nam canis & alia bruta, beneficia ſentiunt, & recompenſant amicitia; Homo autem fictus beneficia recipit, & tamen maleficia reddit, vel ſaltem bona reddere non curat, etſi mala non reddat. Narratur de quodam cane Romæ, qui circa corpus Domini ſui defuncti tamdiu non comedēs ſtetit quod præ fame langueret, & cum ſibi panis proijceretur, ipſum ad os Domini mortui portauit. Similiter de alio cane narratur, quod cum quidam armatus miles Dominum ſuum in nocte inuaſiſſet, ipſe quantum potuit pro Domino pugnauit, ſed cum reſiſtere armato non poſſet, Dominus fuit occiſus. Poſtridiè ſummo mane conuenit turba ciuitatis ad tantum ſpectaculum, in qua etiam affuit ille miles, vt ſe neſcire fingeret, & homicidium per ipsū factum diſſimularet. Sed canis ipſo viſo in tota turba in eum irruit, & tamdiu ipſum momordit, quouſque fuit homicidium illud coram omnibus confeſſus. Similiter narrat Auguſtin. lib. de quantitate animæ, de cane Vlyſſis, qui poſt viginti annos Dominum ſuum cognouit, & alio relicto cui ſociatus erat priori adhæſit. Iſta non faciunt amici ficti, qui non permanent in tempore neceſſitatis, ſed tantum proſperitatis. *Eſt amicus menſa, ſed non permanebit in tēpore neceſſitatis.* Iſtorum amicitia non eſt niſi propter bonum vtile aut delectabile, quo ceſſante ceſſat amicitia. Vnde Ouid. *Illud amicitiæ* commodum *venerabile nomen. Præſtat & in quæſtu pro meretrice ſedet. Diligitur nemo, niſi cui fortuna ſecundat. Turpe quidem dictu ſed ſi modo vera fatemur, Vulgus amicitias vtilitate probat.* Ideo Ariſtot. 8. Ethicorum dat bonum conſilium, vt nō de facili nos committamus talibus amicis. Dicit enim, quod non eſt amicus facile aſſumendus niſi cum eo ſalis modius conſumatur. Illa ergo vera eſt amicitia & diu manſiua, quæ eſt charitatis glutino copulata. Qui habet amicum coniunctum charitate, non eſt malum quod patiatur, quia ab eo in omnibus ſupportatur.

Tertius eſt amicus fidelis, qui non ſolum in præſenti diligit, ſed etiam in futuro fideliter amici cauſam agit. De quo Eccl. 9. *Amicus ſi permanſerit fixus erit tibi coæqualis, & domeſticis tuis fideliter aget.* Iſte amicus eſt quilibet pauper Chriſti, qui in præſenti eſt fidelis, quia procurat negotium ſalutis noſtræ per ſuarum orationum ſuffragia; & in futuro dabit nobis Chriſtus pro eo æterna præmia. Et hoc eſt quod dicit; *Recipiant vos,* id eſt, recipi dignos vos oſtendant, *in æterna tabernacula.* Sciendum eſt autem, quod regnum cœlorum dicitur tabernaculum, per ſimilitudinem ad tabernaculum Moyſi. Quod quidem tabernaculum erat diuiſum in duas partes; Prima continebat viginti cubitos; Secunda decem. In prima parte erant candelabra

Ierem. 17. *Ierem. 12.* *Mich. 7.* *Fidelitas canis.* *Ouidius de ponto.* *3. Amicus verus.* *Exod. 26.* *Hebr. 9.*

bra & menſa & propoſitio panum, id eſt, duodecim panes, qui ſingulis ſabbatis proponebantur recentes ſupermenſam. Leuit. 24. In ſecunda verò parte erat aureum thuribulum, altare incenſi, arca teſtamenti aurea circumquaque, In qua erat vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſuper arcam erant Cherubin gloriæ obumbrantia propiciatorium. Prima pars iſtius tabernaculi ſignificat Eccleſiam militantem, in qua eſt Chriſtus velut candelabrum; Menſa ſacra ſcriptura; Panes 12. duodecim Apoſtolorum officium; Thus oratio; Secunda pars tabernaculi ſignificat Eccleſiam triumphantem, ſcilicet regnum cœlorum, in qua eſt thuribulum aureum, ſiue altare incenſi, quod ſignificat charitatem. Arca cum manna diuinæ fruitionis dulcedinē; Virga Aaron poteſtatem ſacerdotalem; Tabulæ teſtamenti legiſlatoris dignitatem; Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium angelorum reuerentiam & honorem; propitiatorium eius pietatem & propiciationem. Ad iſtud igitur cœleſte tabernaculum perducuntur miſericordes homines ſuffragio pauperum. De quo tabernaculo dicit Pſalm. exclamando & admirando; *quam dilecta tabernacula tua Domine!* Et verè dilecta propter tria. *Primo* quia iucunda & gaudioſa. Pſalm. *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.* Et ſequitur. *In voce exultationis*; Dilecta ergo & propter ſocietatem, quia *ad domum Dei*, & propter rei exultationem, quia *in voce exultationis*; & propter veram refectionem, *quia ſonus epulantis. Secundo* quia pacifica & ſecura. Iſaiæ 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta.* Ergo dilecta & propter pulchritudinem

Pſal. 83. Cœleſte tabernaculū dilectū propter tria.

pacis, & propter fiduciam ſecuritatis, & propter opulentiam quietis. *Tertio* quia æterna manſibilia Iſaiæ 33. *Reſpice Syon ciuitatem ſolennitatis tuæ. Oculi tui videbunt Hieruſalem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.* Ergo dilecta & propter læticiam ſolennitatis, & propter opulentiam ciuitatis, & propter immutabilitatem æternitatis. Ad iſta tabernacula aſcendit homo per tria, ſicut per gradus. *Primum* eſt munditia caſtitatis. Pſalm. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et ſequitur. *Qui ingreditur ſine macula.* Ideo in Canonica Iudæ dicitur; *Odientes & eam quæ carnalis eſt maculatam tunicam. Secundum* eſt lux bonæ operationis cum rectitudine intentionis. Pſalm. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt & adduxerunt in taber. &c.* Non dicit lucem ſine veritate, ſicut in hypocritis, qui ſicut Bel ſunt interius lutei & exterius lucidi. *Tertium* eſt opus pietatis. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. &c.* Diſtinguitur autem hoc tabernaculum in plura; vt in primo ſit tabernaculum trinitatis; In ſecundo Mariæ virginis; In tertio totius curiæ cœleſtis. De quo dicitur; *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, vt valles, vt horti, quaſi cedri quæ fixit Deus.* Commendantur autem hic à pluribus; Primo quia ſpecioſa, quia pulchra, quia amœna vt valles, quia fertilia vt horti, quia ſublimia quaſi cedri, quia inamiſſibilia, quia quæ fecit Deus & non homo. Ad quæ nos perducat &c.

Tribus gradibus ad tabernaculum cœli itur. Pſal. 14.

Num. 24.

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Videns Ieſus ciuitatem fleuit ſuper illam dicens; Si cognouiſſes & tu. Luc. 19.

Ignorãtia pœnæ futuræ impedit emẽdationẽ.

INter cætera, quæ hominem a peccato reſurgere non permittunt, vnum eſt ignorantia pœnæ futuræ pro peccato imminẽtis: quia enim peccator ſola præſentis vitæ gaudia momentanea conſpicit, & futurarum pœnarum acerbitatem peccato debitam non attendit, ideo intrepidè peccat, iuxta illud Eccleſiaſt. 8. *Quia non profertur cito contra malos ſententia, abſque vllo timore filij hominum perpetrant mala.* Vita ſiquidem præſens eſt dubia ad vtramque partem, quia nec bonorum præmia patent, & malorum ſupplicia latent, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta. Eccl 9. Propter quod homines proni ad mala, & ad bona pigri redduntur. Nihil igitur homini tantum prodeſt ſicut futura præmia pro benefactis conſiderare, & æterna ſupplicia pro malis operibus vnicuique reddenda ponderare hoc enim hominem reuocat a peccato, hoc ad pœnitentiam prouocat, hoc ad ſatisfactionem inducit, hoc ad benè agendum efficaciter & ſalubriter promouet & erigit. Sed quia nihil ſic excęcat oculum cordis, ne futura mala peccatis ſuis debita conſideret, ſicut obliuio propriorum defectuum; Nam talis inconſideratio ſuiipſius hominem in malo confirmat. Quanto enim quis ſe minus videt, tanto minus ſibi diſplicet; inquit S. Gregorius. Ideò neceſſe eſt homini conſiderare proprios defectus, ex quorum conſiderati one videbit quanta mala in futuro meruit, & quantis ſupplicijs dignus exiſtat. Quia igitur mundus iſte propria mala conſiderare noluit, quia peccata deflere non curauit, quia futura ſupplicia ſibi præparata cognoſcere minimè voluit, ſed tãtum pręſentibus oblectamentis illaqueatus mala pœnalia & dolore ſerpentino plena non penſauit; ideò vnigenitus Dei filius veniẽs in mundum, vt deflenda noſtra crimina à nobis meritò oſtenderet, ſub typo & figura animæ noſtræ videns ciuitatem Hieruſalem fleuit ſuper illam, dicens; Si cognouiſſes & tu. In quibus verbis deſcribitur Chriſti compaſſio ſuper iſta ciuitate, quæ oſtenditur ex tribus; *Primo* ex calamitatis præcognitione, cum dicitur, *videns ciuitatem*. *Secundo* ex lachrymarum effuſione, cum dicitur *fleuit ſuper illam.* *Tertio* ex pia allocutione, cum ſubiungitur, *Si cognouiſſes & tu.* Iſtaque tria ſigna compaſſionis oſtendit Chriſtus circa hoc, quia vidit miſericorditer, quia fleuit acriter, quia dixit affabiliter.

Greg l. 35. moral.

Propoſit.

I.

Videns ciuitatem. Viſus Chriſti nihil aliud fuit niſi præcognitio mali culpæ & pœnæ, vt dicit Lyra. quibus malis iſta ciuitas fuit inuoluta. Sed quia ſufficienter textus expedit calamitatem huius ciuitatis materialis, ideò ad myſterium tranſeamus. Ciuitas itaque iſta moraliter & allegoricè ſignificat hunc mundum, cuius incolæ propter malitiam meritò ſunt deflendi, quia non cognoſcunt finem damnationis ſuæ. Circa quod tria ſunt conſideranda. *Primo* quomodo mundus iſte in ſe gerit ſimilitudinem ciuitatis; *Secundo* quomodo videtur a Domino; *Tertio* quomodo appropinquat huic ciuitati Dominus. *De primo*

1. Mũdus eſt ciuitas

mo

mo ſciendum, quod Dei filius viſa multa malitia in mundo, videns etiam quod nec patriarchæ nec prophetæ proficerent in corripiendo eius malitiam, miſericordia motus optauit diu ante venire in mundũ, vt eius peccata oſtenderet & ea argueret, & ad agendam pœnitentiam pro eiſdem homines incitaret. Vnde per prophetam diu clamauit. *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* Quod exponit Innoc. quartus, id eſt, in mundum, qui eſt ciuitas munita, cõtra Deum & viros iuſtos. Sunt autẽ multa pertinentia ad munitionem huius ciuitatis. Habet enim murum diuitiarum. Vnde Naum. *Aquæ muri eius*, id eſt, diuitiæ quæ fluunt & refluunt ſicut aquę. pſa. *Super muros eius iniquitas*, quia vt frequenter diuitiæ aut iniquè acquiruntur, aut iniquè poſſidentur. Vnde vocantur mammona iniquitatis Luc. 16. Et benè peccatum murus dicitur, quia ſicut murus ſeparat nos ne videamus vel intremus ad illud quod eſt intra murum. Sic peccatum ſeparat nos, ne videamus vel intremus ad Deum. Iſa. 59. *Iniquitates noſtræ diuiſerunt inter nos & Deũ noſtrum.* De hoc muro dicit Ezech. 4. *Sume tibi ſartaginem ferream, & pone eam in murũ ferreum inter te & ciuitatem, & obſeruabis faciem tuam ad eam.* Iſte autem murus fit ex luto luxuriæ & latere auaritiæ, & palea inanis gloriæ, & cemento amoris mundi, & lapidibus duritiæ cordis. Foſſatum huius ciuitatis eſt auaritia, quod impleri non poteſt. Eccl. 5. *Auarus non implebitur pecunia.* Turres ſunt dignitates & honores mundi. Iſa. 30. *In die interfectionis multorum cum ceciderint turres, erit lux lunæ ſicut lux ſolis.* id eſt, in die iudicij, ſecundum Innoc. quãdo cadent honores & dignitates. Quia *incuruabitur altitudo virorum, & exaltabitur Dominus ſolus in die illa, tunc lux lunæ*, id eſt Eccleſiæ militantis, *erit ſicut lux ſolis*; id eſt, Eccleſiæ triumphantis, quia tunc adueniet regnum Dei, id eſt, regnum militantis Eccleſiæ veniet ad regnum triumphantis. ſecundum Innocent. Propugnacula huius ciuitatis ſunt ſcientię ſeculares. Iudicum. 9. *Erat turris excelſa in medio ciuitatis*, id eſt, dignitas in medio mundi. Et paulò pòſt dicit; *Et ſuper turris tectum ſtantes ꝑ propugnacula*, id eſt, ſciẽtiæ ſæculares. Per has enim multi ſtant in turribus dignitatis. Scuta ſunt excuſationes Iob. 41. *Corpus eius quaſi ſcuta fuſilia & compactum ſquamis ſeſe prementibus.* Vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Galea eſt vana ſpes de ſatiſfactione & venia Eccleſ. 5. *Nè tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, & ne adijcias peccatum ſuper peccatum, & dicas; Miſeratio Dei magna eſt, peccatorum meorum miſerabitur.* Sagittæ ſunt detractiones Ierem. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Arcus eſt prauum iudicium, quo ſe homines inuicem iudicant. Oſeæ. 7. *Facti ſunt quaſi arcus doloſus, cadent in gladio.* Arcus doloſus eſt qui primo Dominum ſuum vulnerat, hoc eſt iudicem proprium. Quia *in quo alium iudicas teipſum condemnas.* Iacula ſunt verba adulationi. Pſalm. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Vexilla ſunt praua exempla Sapient. 2. *Nemo expers ſit luxuriæ noſtræ, vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ.* Loricæ ſunt delectationes ſibi connexę Eccl. 43. *Induet ſe quaſi lorica aquis*, id eſt, delectationibus, quæ terminum habent mare amaritudinis æternæ. Habitatores huius ciuitatis determinantur Ezech. 27. *Perſæ & Lydi & Libies erant in exercitu tuo.* Perſæ interpretantur latera ſua diffluentes, & ſignificant ſuperbos, qui non poſſunt habere latera, id eſt, aliquos pares, quos ipſi diſſuunt & dilaniant, quia volunt eos ſibi ſubijcere. Lidi interpretantur nati vel generati, & ſignificant luxurioſos, qui ſemper ſtudent generationi. Libies interpretatur introiens, & ſignificat cupidos, qui ſemper ſunt in introitu rei. Verſus; *Dumquè ſitim ſedare cupit ſitis altera creuit.* Hi ſunt ergo habitatores iſtius ciuitatis. De quibus dicitur. *Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Iſtę autem ſunt ciuitates tres paruulæ quas ædificauerunt filij Iſrael Pharaoni, ſcilicet Phiton, Rameſſe & Oy. Exod. 1. Phiton interpretatur os abyſſi, vel os profundum;

Margin notes: *Pſal. 54.* — *Diuitiæ ciuitatis muri sũt.* — *Auaritia foſſa.* — *Scientiæ ſeculares propugnacula.* — *Excuſationes ſcuta.* — *Vana ſpes eſt galea.* — *Detractiones ſagittæ.* — *Doloſus arcus.* — *Rom. 2.* — *Iacula.* — *Vexilla.* — *Lorica.* — *Habitatores.*

Eccl. 14. & hoc eſt cupiditas, quæ non poteſt impleri. *Inſatiabile eſt os cupidi.* Rameſſe interpretatur commotio tineæ. Per tineam, quæ de veſte naſcitur, & eam conſumit, ſignificatur carnis illecebra, quæ de carne naſcitur, & eam conſumit, non ſolum in futuro in gehenna, ſed etiam in præſenti, quia qui fornicatur in corpus ſuum peccat. 1. Cor 6. Per oy, quæ dicitur ciuitas ſolis, ſignificatur ſuperbia quæ ſemper lucere appetit. Has tres ciuitates viſitauit Chriſtus & eas defleuit, vt eas deflendas monſtraret.

1. Chriſtus videt cognoſcēdo mala. pſal. 54.

Secundo dicitur. Quod Chriſtus vidit ciuitatem Hieruſalem, & per hoc ſignificatur quod Chriſtus vidit & cognouit mala in hoc mundo, iuxta illud pſalm. 54. *Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* vbi enumerat plura mala, quæ Chriſtus veniēs hunc mundum vidit. Et inuenit in ea plura mala, quibus laborat iſte mundus, & hæc ſunt ſeptem vitia. Vnde ipſe Dominus per prophetam dicit; *Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate,* ſcilicet diaboli, qui eſt mundus.

Mundus ſeptē vitia habet tāquam 7. plateas.

Hæc autem ciuitas habet in ſe ſeptem vitia quaſi ſeptem vicos vel plateas quas Dominus vidit;
1. *Prima* eſt quaſi principalis iniquitas, & eſt ſuperbia, quæ eſt non æquitas, quia ſuperbus neminem coequat, ſed omnibus vult præeſſe, etiā maioribus, cum verè humilis velit ſubeſſe etiam minoribus. Vnde de ſuperbia dicitur Ezech. 21. *Nonne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit, iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem, ponam eam.* Superbia enim humilem hominem, id eſt, vilem & abiectum ſubleuat per præſumptionem, & in corde eius ſublimem humiliat, quia etiam venerabiles perſonas eum contemnere facit. Hæc eſt iniquitas magna.

Tres gradus humilitatis.

Et dicit ter iniquitatem contra triplicem gradum humilitatis. *Primus* eſt ſubijcere ſe maiori; *Secundus* ſubdere ſe pari; *Tertius* ſubdere ſe minori.
2. *Secunda* platea eſt contradictio. Vnde poſt iniquitatem addit, *& cōtradictionem*, quæ benè ſequitur ſuperbiam. Quia *inter ſuperbos ſēper iurgia ſunt.* Omnes contentioſi iurgioſi homicidæ &c. ſunt in hoc vitio ſeu platea. Et iſti excluduntur à ciuitate Dei. Corinth. 11. *Si quis videtur eſſe contentioſus, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei:* pſalm *Diſſipa gentes quæ bella volunt.* *Tertia* platea eſt inuidia. De qua dicitur ibidem; *Die ac nocte circundabit eam ſuper* pſal. 54. *muros eius iniquitas* id eſt, nequam inuidia. Matth. 20. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Iniquitas enim his duobus modis accipitur, ſcilicet, vt iniquitas dicatur nequitia, vel malitia, & ſic eſt inuidia, quæ benè dicitur circundare ſuper muros eius, quia altitudini inuidetur die ac nocte, quia inuidus de bonis aliorum quæ videt dolet, & de malis gaudet. Prouerb. 14. *Putredo oſſium inuidia.*
4. *Quarta* platea eſt curioſitas, vnde additur, *& labor in medio* pſal. 54. *eius,* id eſt, in corde. Eccl. 4. *In pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Iſaiæ 9. *Telas araneæ texuerunt.*
5. *Quintus* vicus vel platea eſt ira, vnde additur, *& iniuſtitia.* 1. Ioan. 3. *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Et huic competit melius, quod habet alia littera. Inſidiæ in vitalibus eius. Vnde Auguſtin. Qui alium vult lædere, ſimilis eſt tranſuerberanti corpus ſuum, vt veſtem alterius perforet.
6. *Sexta* platea eſt rapina vel cupiditas:
7. *Septima* eſt hypocriſis. Et de his duabus additur; *Et non defecit de plateis eius vſura & dolus.* De auaritia Hierem. c. 6. *A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent:* De hypocriſi Luc. 12. *Attendite à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Hypocriſis fermentum dicitur, quia ferè omnes corrumpit. De vſura dicitur. Deut. 23. *Nō fœnerabis fratri tuo ad vſuram.* Luc. 6. *Mutuum dantes nihil inde ſperantes.* Ecce peſſima ciuitas, quam vidit Dominus cum his plateis, in quibus ſi quis morabitur, certè occidetur & ducetur ad ciuitatem inferni 1. Machabæor. 2. *Trucidati ſunt ſenes in plateis, iuuenes ciciderunt in gladio inimicorum.* Vnde Iudicum 19. dixit ſenex leuitæ cum ſponſa ſua; *Ego præbebo omnia quæ neceſſaria ſunt, tantum in platea ne maneatis.* Ita Chriſtus dixit, corpori & animæ hominis omnia præbeo, ſcilicet ad ſalutē temporalē & æternā, tantū in platea huius mundi non maneatis, ſed in domum meā,

ſcilicet.

ſcilicet dilectionem charitatis meæ intretis. Qui vult ergo iſtam ciuitatem debellare, debet eam circumire ſepties, ſicut fecit Ioſue expugnando Hiericho, ſcilicet cogitando & pœnitendo de illis ſeptem vitijs & deteſtando ea. Iſa. 23. *Sume citharam, circui ciuitatem*, dicitur animæ peccatrici, qui circuitus fit per contritionem. Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* *Tertiò* dicitur quod Chriſtus appropinquauit huic ciuitati, non enim videns ciuitatem fugit ab ea, ſed appropinquauit miſericorditer & compaſſiuè ad erudiendum eam & ad docendum de pœnitentia. O ſi appropinquauit illis Ieſus, qui tamen ſe ab eo elongabant, dicentes: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolum[us], quãto magis appropinquabit nobis peccatoribus ad eum appropinquantibus. Iacob. 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Hic eſt Samaritanus, qui videns vulneratum appropinquauit ſibi & alligauit vulnera eius. Quod fit quando Chriſtus miſericordiam exhibet peccatoribus dimittendo peccata eorum.

3. Chriſt[us] appropinquauit miſericorditer.

I I.

Fleuit ſuper illam. Chriſtus legitur quinque vicibus fleuiſſe. *Primò* in infantia; & hoc propter duo. Primò vt verum ſe eſſe hominem oſtenderet, quia corpus phantaſticum flere non potuiſſet. Secundo vt vitam præſentem flebilem & miſerabilem oſtenderet. Vnde in perſona ipſius dicit ſapiens. Sap. 7. *Similem vocem emiſi omnibus plorans;* vbi ſapiens oſtendit vitam iſtã eſſe mirabilem, tam ex parte natiuitatis, quam ex parte educationis, dicit enim ibidem ſic de ſe. *Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. In inuolumentis nutritus ſum & curis magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam & ſimilis exitus.* Vbi ſapiens fatetur ſe habuiſſe inchoationem doloroſam, educationem curioſam. Fatetur autem ſe in natiuitate miſerabilem propter tria. Caruit enim diuitiarum proprietate iuxta illud Iob 1. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris.* Et 1. Thi. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum.* Caruit virium poteſtate, quia repens ſicut cancer, vel ſicut vermiculus voluebatur, & omnium delitiarum iucunditate, quia tantum lacte nutriebatur. Benè ergo dicit; *Accepi communem aerem*, quo ad primum, quaſi dicat, nec tãtum mecum apportaui de proprio vnde poſſem reſpirare, ſed vſum communis alimenti tam beſtijs quam hominibus mihi propriaui. Neque enim ego aerem creaui, ſed creatum accepi, nec pro me creatum ſingulariter, ſed pro omnibus generaliter. Similiter decidi in terram factam, quo ad ſecundum, non ambulans, neque volans aut mobiliter nauigans aut æquitans, ſed ſine quacunque fortitudine decidi de vtero matris meæ receptus per manus aliorum, reclinatus ſum ad terram & decidi in terram, non propter me de nouo factam, ſed diu factam, & primam vocem emiſi ſimilem omnibus plorans; quaſi dicat. Ita carui omnium delitiarum iucunditate quo ad tertium, quia prima vox quam emiſi in mundum fuit vox ploratus & fletus, & non ſolum ego hoc feci, ſed ſic omnes clamant in mundum venientes, quia omnes clamant E vel A quotquot naſcuntur ab Eua. Si ſunt maſculi conqueruntur de Adam. Si feminæ conqueruntur de Eua, quia propter eorum peccata ſunt in mundo victuri. Ideò narrat beatus Auguſtinus in libro de viſitatione infirmorum, quod quidam populi fuerunt qui in natiuitate hominis plorabant, & in morte gaudebant. Et benè dicit, primam vocem emiſi plorans, non ſolum prima vox hominis, ſed etiam vltima hominis eſt ploratus & gemitus, quia extrema gaudij occupat luctus. Prouerb. 14. Narrat Solinus in libro de mirabilibus mundi libro 2. cap. 8. Naſcentium prima vox eſt vagitus triſtitiæ. Solus autem Zoroaſtes eadem hora qua natus eſt riſiſſe legitur, nec hoc in natura bonum portendebat futurũ. Fuit enim inuentor artium magicarum, cuius auus Aulius Craſſus quem bella perſica rapuerunt, nunquam riſit. Et ideò agelatus cognominabatur, ſecundum Solinũ ibidem.

Chriſtus fleuit.

ibidem. Et non ſolum etiam natiuitas,& mors noſtra eſt miſerabilis, ſed etiam tota vita media inter natiuitatem & mortem. Quia vt dicit Salomon, educatur homo curis multis,& inuoluitur pannis. Nulla auis, nulla proles in mundo beſtiæ vel auis, tanta ſollicitudine indiget educatione, ſicut homo. Vnde Hug. lib.1. didaſcolon dicit. Singula quæque naſcentium propria quædam habent munimēta, quibus naturam ſuam ab incommodis defendunt; cortex arborem ambit, penna tegit volucrem, piſcem operit ſquama, lana ouem induit, pilus iumēta veſtit, concha teſtudinem includit. Non tamen ſine cauſa factum eſt, quod cum ſingula animantia naturæ ſuæ arma habent ſecum nata, ſolus homo inermis naſcitur & nudus. Oportuit enim vt illis qui prouidere ſibi neſciunt natura conſuleret. homini autem ex hoc experiendi occaſio pręſtaretur, cū illa quæ ceteris naturaliter data ſunt propria ratione ſibi quærat. Et Chryſoſt. ſuper Matthæum 6.ca. dat aliam rationem huius dicens. Quod ideò ſit natus nudus homo, vt neceſſitate coactus infirmitatis ſuæ ſemper neceſſario habeat dominum ſuum inquirere.

2. In reſuſcitatione Lazari. *Secundò* Chriſtus legitur fleuiſſe in reſuſcitatione Lazari, vt exhiberet ei officium humanitatis. Secundò vt daret ſignum intimæ charitatis, & vt compateretur amico, qui reuocabatur ad ſtatum mundanæ calamitatis, docēs nos flere ſuper illis, qui mortui ſunt in animabus eorum per peccata.

3. Super ciuitatem. *Tertiò* legitur fleuiſſe ſuper ciuitatem, vt doctrinā, quam docebat pro perſecutoribus exorare confirmaret, & vt ſe fontem pietatis oſtenderet, vt tyrānidem perſecutorum ſuorum oſtenderet. Hoc eſt contra multos, qui de malis inimicorum ſuorum gaudent, & lætantur, cum tamen eis compati deberent.

4. Super Iudam. *Quartò* legitur fleuiſſe ſuper Iudam. Nam ſicut dicit Auguſtinus, poſtquam Iudas exiuit ad Iudæos, à Chriſto ad tradendum eis Chriſtum poſt cœnam, Chriſtus fleuit eius malum propoſitum, per quod docebat nos flere caſum prelatorum noſtrorum. Et meritò. Nam ſæpius pro meritis prælatorum deprauatur vita ſubditorum. 1. quæ. 4 Eccleſia. Et caſus prælatorum eſt ruina ſubditorum. Nam pro meritis plebis ſæpè paſtores deprauantur Eccleſiæ, vt procliuius corruant qui ſequuntur. Legatur hiſtoria de Dauid, vbi pro peccato Dauid ira Dei contra populum deſæuit. Vnde Horatius; *Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.* *2. Reg. 24* Qua ergo temeritate quis non compatitur lapſui prælati ſui cuius lapſus eſt ruina ſubditi? Iſti ſunt ſimiles Cham filio Noe maledicto. Hoc eſt cōtra illos, qui proprios prælatos interdum lapſos derident, nōn ſolum autem nō compatiuntur eis, ſed eorum peccata publicant, & eos vbi poſſunt confundunt. prælatus malus quamdiu toleratur ab Eccleſia, non eſt contemnēdus 15.q.8. cap. vlt. Exemplum in Caipha & Pilato, quibus Chriſtus reuerentiam detulit. Vnde ſtatutum eſt, vt quantumcunque ſanctus ſit ſubditus, non debet corrigere prælatum ſuum malū, quamdiu toleratur, 2. quæ. 7 Plerumque. Figura in Dauid, qui dolendo regis chlamidem præſcidit. *1. Reg. 24.* Benè tamē poteſt ſubditus monere caritatiuè & humiliter prælatum, vt caueat à tali ſcandalo, quod oritur de eo. Exemplum in Nathan, qui licet eſſet minor, tamen monuit Dauid de peccato, *2. Reg. 12.* alias non debet publicè ſubditus prælatum informare, quia peccatum prælatorum propter maius ſcādalum eſt occultandum.

5. In cruce *Quintò* Chriſtus fleuit in cruce, vt dicitur Heb. 5. *Cum clamore valido & lachrymis offerens Deo ſe, exauditus eſt pro ſua reuerentia,* id eſt, merito reuerentiæ qua Deum præ cæteris reuerebatur. Eccl.32 *Pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Vel pro reuerentia paſſionis ſuæ, eo quod ſcilicet ex ſola charitate paſſus eſt, & per hunc fletum Chriſtus exprimebat acerbitatem paſſionis & mortis, vt nos ad ſibi compatiendum excitaret, & vt patrem ad miſerandum humano generi prouocaret. In omnibus autem iſtis fletibus Chriſtus lachrymas magis autenticas & magnæ vtilitatis ſeu precij apud Deum eſſe oſtendebat. Nam lachryma hominis pœnitentis multum accepta eſt apud Deum, iuxta illud. *Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Exponit Innocent. id eſt, acceptas habuiſti. Quod patet in Magdalena, quia aliter non legitur ſatisfeciſſe pro peccatis

catis

catis niſi lachrymis. Luc. 7. Et nõtanter dicit in conſpectu tuo; quia ſecũdũ Innoce. libenter videt Deus lachrymas. Iſa. 38. *Audiui orationem tuam & vidi lachrymas tuas!* Vnde ponũtur lachrymæ in conſpectu Domini ſicut vinum. Pſal 101. *Potum meum cũ fletu miſcebam.* Certè magnæ virtutis ſunt lachrymæ, quæ non ſolum incitant Deum, ſed etiam cogunt ad miſerandũ, quia dicit Ambroſ. Oratio Deum lenit, lachryma cogit ſeu pungit. Iudith. 8. *Indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus,* vbi Gloſſa dicit; lachrymæ pondera vocis habent, quæ imperant non ſupplicant. Sed intelligendum eſt de lachrymis, quę fiunt pro peccatis, nõ de illis quæ fiunt pro temporalibus, quæ inutiles ſunt & nociuæ. Vnde Gene 26 Dicunt paſtores Geraræ, id eſt dæmones; *Noſtra eſt aqua,* id eſt, lachrymæ tales. Lachrymæ etiam quę fiunt cõtra oppreſſores, magnum effectũ habent apud Deum. Eccl 35. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentẽ eas. A maxilla enim aſcendunt vſque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.*

Sunt multa quæ ſanant peccatorem, inter quæ præcipuum eſt lachryma. Primum eſt baptiſmus. Ioan 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c* Secundum Eleemoſyna. Eccleſ. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna peccatum.* Tertium eſt martyriũ. Auguſt. Omnia falce martyrij reſecantur. Iacob. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem.* Quartum eſt conuerſio fratris errantis. Iacob. vlt. *Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Ieremiæ 15 *Si conuerteris conuertam te.* Quintum eſt remittere in ſe peccanti. *Dimittite & dimittetur vobis.* Eccl. 28. *Relinque proximo nocenti te. & tunc tibi deprecanti peccata ſoluentur.* Sextũ eſt perceptio corporis Chriſti. Ioan 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Septimũ eſt fletus ſatisfactionis. Matth. 5. *Beati qui lugent.* Qualiter autẽ eſt flendum pro peccato, docet Pſalm. dicens. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Primò enim dicit; *Laboraui,* ſcilicet vigilando, orando, ieiunando. Roma. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra iuſtitiæ in ſanctificationem.* Secundo dicit, *in gemitu.* Ierem. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Mich. 4. *Dole & ſatage quaſi parturiens.* Pſalm. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Tertiò dicit, *lauabo,* ſcilicet aquis lachrymarum. Auguſtin. Lachrymæ lauant peccata, quæ pudor eſt ore confiteri. Ieremiæ 4. *Laua à malitia cor tuum.* Iſaiæ 1. *Lauamini & mundi eſtote.* Quartò dicit, *per ſingulas noctes.* Thren. 1. *Plorans plorauit in nocte,* contra hypocritas, qui flent in die, vt videantur ab hominibus. Quintò dicit, *lachrymis meis ſtratum meum rigabo,* quaſi dicat, non ſolum lauabo in ſuperficie, ſed rigabo vſque ad intima. Et dicit, *lectum lauabo,* id eſt, voluptatem peccati lauabo, ſed ſtratum, id eſt, cubiculum peccatorum rigabo. Et dicit *per ſingulas noctes lauabo lectũ,* id eſt, per ſingula peccata voluptatem deflebo, ſicut lauatur ſordida cutis ne macula maneat. Thren. 2. *Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem & noctem.* Vel lectum dicit conſcientiam, ſtratum autem ſenſualitatem. Vnde dicit, lauabo conſcientiam, flendo ſingula peccata, ſtratum, id eſt, ſenſualitatem, rigabo, id eſt, fertilem faciam. Eccl. 24. *Dixi, rigabo hortum plantationis.* Sed diceres per quid homo poteſt prouocari melius ad lachrymas. Certè per nihil aliud niſi cum conſiderat peccati vilitatem, diuinæ maieſtatis offenſionem, & pœnæ quam demeruit præparationem. De peccati vilitate patet per illud. Pſal. 9. *Propter quid irritauit impius Deum,* quaſi dicat, pro nihilo, quia pro peccato, quod nihil eſt. Vnde Ezech. 18. *Quare moriemini domus Iſrael,* quaſi dicat, pro peccato quod viliſſimum eſt Vnde Seneca. Si ſcirem deos ignoſcituros, & homines ignoraturos, adhuc dedignarer peccare. Non ſolum autem eſt vile ſed etiam ſordidum, non ſolum ſordidum, ſed etiam momentaneum. Gregorius momentaneum eſt &c. Non ſolum momentaneum ſed laborioſum. Sapientiæ. 5. *Laſſati ſumus in via*

Lachrymæ vnde optime prouocentur.

in via iniquitatis. Ierem. 5. *Vt iniqua agerent laborauerunt.* Et Gregorius dicit, Vigilijs & cruciatibus reprobi cruciatum merentur æternum. Debet ergo multum prouocari homo peccator ad lachrymas, quod tam vile, ſordidum, momentaneum, & laborioſum opus fecit. Multum etiam mouet ad lachrymas, quod homo propria ſponte ſe ſubijcit diabolo debiliori ſe. Hieronym. Debilis eſt hoſtis, qui non poteſt vincere niſi volentem, & quia habet præſidium Dei & angelorum, Pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandauit de te. Cum ipſo ſum in tribulatione.* 1. Corinth. 10. *Fidelis eſt Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum.* Gloſſa, id eſt, virtutis augmentum, vt ſic poſſitis ſuſtinere, id eſt, diabolo viriliter reſiſtere, & ipſum ſuperare. Exemplum in vitis patrum de beata Sincletiſtica, quę cum fuiſſet tentata à diabolo, & ipſum ſuperaſſet. Ait diabolus: Viciſti me mulier. Ait illa. Nō ego vici, ſed Dominus meus Ieſus Chriſtus. Cum igitur peccatum ſit tam vile, & hoſtis tam debilis, & Deus paratus in auxilium cū angelis, verè poteſt quæri à peccatore, propter quid irritauit Deum tam pium, tam dulcem, tam benignum, qui in ſe neſcit iraſci, etſi conſideraret pœnam gehennæ & confuſionem perpetuam, verè neſcio propter quid irritauit Deum vltorem peccando, vbi erit omnis boni defectus & carentia, & totius mali affluentia. Iſta certè ſi reuoluantur animo, ſufficienter mouebunt peccatorem ad flendum ſuper ciuitatem conſcientiæ ſuæ, in qua multa mala commiſſa ſunt.

III.

Tria homo cognoſcere debet. *Si cognouiſſes & tu.* Homo debet cognoſcere tria, ad quæ tenetur rectè ordinare; ſcilicet ſemetipſum, proximum & Deum. *Tria in ſe ipſo cognoſcenda.* Jn ſeipſo debet cognoſcere & inueſtigare tria. *Primò* propriam iniquitatē, vt doleat & deleat, ſicut mulier reſpicit in ſpeculo, ſi *1. Propria iniquitas.* eſt macula in facie, vt abſtergat. Pſal. 50. *A peccato meo munda me.* Cuius rationem præmittit. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Sic æger cognoſcēs infirmitatem implorat medicum. 3. Reg. 8. *Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies.* Cognoſcitur autem peccatum multis modis ſecundum Innocent. 4. ſuper Pſal. 50. Vt meretrix; vt monſtrum; vt gladius: vt ſerpens. Vt meretrix multipliciter, ſc. facie procaci. Prou. 7. *Procaci vultu blanditur.* Item elatis oculis. Eccl. 26. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum.* Item manu rapaci. Prou. 6. *Mulier viri precioſam animam rapit.* Itē voce. Prou. 5. *Fauus diſtillans labia meretricis.* Item quia habet plūbum in ore, quia verba eius ſemper tendunt ad infernum. Zach. 5. *Ecce mulier vna ſedens in medio amphora, & dixit; Hec eſt impietas, & proiecit eum in medio amphora, & miſit maſſam plumbeam in os eius.* Item cognoſcitur peccatum, vt monſtrum; Num. 13. *Ibi vidimus monſtra quædam.* Peccata enim faciunt homines monſtra. Item cognoſcitur, vt gladius Eccl. 21. *Quaſi rumphæa bis acuta omnis iniquitas*, Item vt ſerpens. Ibidem *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* *Secundò* debet cognoſcere homo ſpiritualem infirmitatem vt caueat. Si cognoſcēs malum paſſum cauet & timet. Sic *2. Spiritualis infirmitas.* Adam & Eua cum cognouiſſent ſe nudos, gloſſa, id eſt, ſentientes pruritum carnis, conſuerunt folia. *Tertiò* debet cognoſcere homo incertam horam mortis & pœnam *3. Incerta mortis hora.* debitam; vt hic; *Si cognouiſſes*, hoc enim ſignificauit Chriſtus his verbis, dicens; *Si cognouiſſes* alloquens etiam animam cuiuslibet, vt ſibi ante prouideat. Hoc petijt Pſal. dicens; *Notum fac mihi Domine finem meū.* Vnde de iuſto dicitur in Pſal. *Sol cognouit occaſum ſuum.* id eſt, homo bonus & iuſtus finem ſuum cogitat. Sed pauci ſunt qui cognoſcunt hos defectus ſuos, attendentes & conſiderantes potius alienos. De quibus dicit Chryſo. ſuper Matth. c. 23. in hæc verba: Alter alterius culpam citò intelligit, ſuam autem difficulter. Cuius rationem ſubdit, quia homo in cauſa alterius tranquillū habet cor, in ſua autem turbatum. Turbatio autem cordis non permittit hominem *Cur homo alterius culpā facile agnoſcat.* conſiderare quod bonum eſt. Hæc ille. Ex quo patet quod conſideratio defectuū alienorum magnū eſt impedimentum in cognitione propriorum. Dicit enim Proſper. lib. 2. de vita contemplatiua. Tamdiu quiſque peccata ſua, quæ noſſe & flere

debet,

debet, ignorat, quamdiu curioſè aliena conſiderat. Et ex hoc ipſe infert ibidem; quod ſi mores ſuos ad ſeipſum conuerſus quis aſpiciat, certè non requirit, quid in aliis reprehendat, ſed potius quod in ſeipſo lugeat. Hæc Proſper. Ex his infero, quod inter omnes ſcientias vtilior eſt ſcientia propriorum defectuum. Nam quid prodeſt ſcire alta montium cacumina, & ingentes fluctus maris, & lapſus fluminum & oceani ambitum, & gyros ſyderum, & relinquere ſeipſum, dicit Auguſt. Cuius ratio eſt, quia ſecundum Chryſoſtomum ſuper illud Pſalm. Miſerere mei Deus, quoniam infirmus ſum, talis ſcientia facit hominem propriam infirmitatem recognoſcere, & in ſuis viribus aut meritis nullam fiduciam habere, & ex hoc incipit homini adeſſe virtus diuina, quando deficere incipit præſumptio humana. Hæc ille. Ex quo concludit Hugo, quod ſumma philoſophia eſt cognitio ſui. Et Richardus dicit, quod magna altitudo ſcientiæ eſt ſcire & cognoſcere perfectè ſeipſum. Veruntamen etſi vtiliſſimum eſt cognoſcere ſeipſum, eſt tamen multum difficile, conſiſtit autem hæc cognitio ſui in multis. Nam homo debet in ſe conſiderare ſex. *Primo* conſiderare debet, quid ſibi deſit; quid aſſit; quid habet ne perdat, ſcilicet præmia; quid cauere debet ſcilicet ſupplitia; in quo præceſſit alterum, in quo præceſſit eum alter. Ita Auguſtinus. *Secundo* cognoſcere debet, quid ſupra eum, quia Deus; quid infra, quia pecora. Ait idem Auguſtinus. Conſideret etiam *Tertio* vbi eſt, vbi erit, vbi non eſt. Vbi eſt, quia in loco mœroris, & valle lachrymarum; vbi erit, quia in ſuperna patria, quam quia necdum adipiſcitur; lugens conſpicit, vbi non eſt. Ita Gregorius. Debet *Quarto* conſiderare, quid modo eſt & quid ante fuit, quia modo eſt in gratia, qui olim fuit in culpa. Et ex hoc attendens humiliter ꝙ per meritũ inuentus eſt, nequaquam arroget quod per gratiam inuentus eſt. Gregorius li. 28. moral. Debet *Quinto* conſiderare quid ipſe ſit, quid intra ſe habet, quid infra ſe, quid ſupra, quid contra, quid ante, quid poſt, ſecundum Chryſoſtomum. Et breuiter in ſumma debet conſiderare homo vnde venit, quo tendit, quomodo viuit, quid amittit, quantum quotidie proficit, quantum deficit, quibus cogitationibus magis afficitur, aut machinationibus tentatur, & non ſolum qualis ſit conſiderare debet, ſed qualis eſſe debeat attendat, quia ſic de cognitione ſui poterit eleuari ad cognitionem Dei. Ita Hugo. Sic enim homo primo cognoſcet ſeipſum deb i è.

Aug lib. 10. Conf.

Hugo lib. 1. de anima cap. 9. lib de 12. patriarchis c. 4.

Cognitio ſui in ſex conſiſtit.

Aug. ſerm 54. ſuper Matth.

Idem Homil. 2 ſuper Epiſt. Ioan.

Greg. lib. 24. moral.

Lib. 4 de Symbolo.

Hugo lib. 3. de anima. c. 2.

Secundo debet cognoſcere in proximo tria. *Primo* prælatorum vtilitatem, vt eis obediat & ſeruiat, ſicut æger obedit & honorat medicum, ſeruus Dominum propter vtilitatem. Vnde Paulus; *Cognoſcite fratrem veſtrum Timotheum*. Cognoſcite honorando, ſeruiendo, *Secundo* debet conſiderare ſubditorum vtilitatem, vt eos regat & cognoſcat, & eis prouideat ſicut paſtor gregi, medicus ægris. *Ego ſum paſtor bonus & cognoſco oues meas* Prou. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui*. *Tertio* debet agnoſcere in proximis omnium naturam communem, vt omnes diligat & ſubueniat, ſicut Ioſeph cognoſcens fratres, exhibuit opera pietatis eis. Vnde Pſalm. conqueritur de talibus; *Conſiderabam ad dexteram*, inquit, *& videbam, & non erat qui cognoſceret me*. *Tertio* debet cognoſcere homo & attendere ea quæ ſunt ad Deum. Et hæc tria. *Primo* admirabilem potentiam, quæ apparet in duobus, videlicet in operando, ſicut res cognoſcitur per veſtigium Sap. 13. *A magnitudine creaturæ poterit creator horum faciliter videri*. Valde mirabile eſt de nihilo aliquid facere. Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Secundo debet attendi eius potentia in iudicando. Nam ſuſpendium latronum oſtendit iudicis poteſtatem. Pſal. *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens*. Terribile iudicium æternaliter damnari. Ideò Pſalm. dicit. *Confitebor tibi Domine quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua*. Sed heu Mich. 4. *Ipſi autem non cognouerunt quia congregauit eos ſicut fœnum*. *Secundo* debet homo attendere mirabilem bonitatem in Deo, quæ ſpecialiter apparet in duobus; videlicet in de-

2. In proximo tria cognoſcenda.

Heb. vlt.

Ioan. 10.

Gen. 43.

3. Ad Deū tria conſideranda.

 ſtru-

1. Ioan. 3. ſtructione peccatorum; quia & ob hoc datus eſt filius Dei. *In hoc cognoſcimus charitatem Dei, quoniam ipſe pro nobis animam ſuam poſuit.* Sed heu dicitur de peccatore. *Vir inſipiens non cognoſcet hæc.* Secundo in promiſſione præmiorum. Mirabilis bonitas pro nihilo dare regnum. *Quis mihi det, vt cognoſcam & inueniam illum? Tertio* debet attendere homo in Deo eius fidelem ſapientiam, quæ ſpecialiter eſt in duobus; videlicet voluntatem eius cognoſcere in doctrina veritatis. Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina eam vtrum ex Deo ſit.* Secundo in diſciplina æquitatis, quæ probando verberat. Pſal. 118. *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua.* Det igitur nobis Deus, vt cognoſcentes noſtros defectus, multiplices ipſius potentiæ, bonitatis & ſapientiæ cognoſcamus effectus hic per gratiam, & tandem ad eius claram cognitionem mereamur peruenire, & ad eius gloriam. Quam nobis concedere dignetur Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

SERMO II.

Ingreſſus in templum eijcere vendentes & ementes in illo. Luc. 19.

Si conſiderare volumus fratres chariſſimi, diuerſitatem immò contrarietatem operum Dei & diaboli inter ſe ad inuicem, videbimus clarè quod nunquam poſſunt ſe compati in eodem ſubiecto. Nam opera Dei ſunt opera lucis, eò *quod Deus eſt lux, & tenebræ non ſunt in eo vllæ.* Econtrario verò opera diaboli ſunt opera tenebrarum. Vnde ipſe appellatur princeps tenebrarum, iuxta illud; *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem tantum, ſed aduerſus principes tenebrarum.* Item opera Dei ſunt opera iuſtitiæ & æquitatis, eo quod ipſe diligit iuſtitiam & iudicium, ſcilicet æquitatis. Opera verò diaboli ſunt opera iniuſtitiæ & iniquitatis, iuxta illud; *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* quod tunc fecit quando contra Deum ſe erexit. Et quæ maior iniquitas aut iniuſtitia, quam inſurgere creaturam contra creatorem, & ei velle aſſimilari in maieſtate & omnipotentia Deitatis. Vnde ipſe eſt, qui tunc concepit dolorem, id eſt, pœnam doloroſam ſibi, & peperit iniquitatem, veniens in mundum. Item opera Dei ſunt opera munditiæ & ſanctitatis, eò quod ipſe vult ſibi ſeruiri in ſanctitate & iuſtitia Luc. 1. Econtrario verò opera diaboli ſunt opera ſpurcitiæ & totius fœditatis, vnde petijt ſe mitti in porcos. Matth. 8. Cũ igitur Chriſtus habeat opera cõtraria operibus diaboli, nulla poteſt eſſe conuenientia & cohabitatio eorum ſimul, eo quod non eſt comparatio lucis ad tenebras, Chriſti ad belial, Sancti ad canem. Ideoque neceſſe eſt vt Chriſtus inueniens opera diaboli in domo ſua, ea potenter eijciat. Nam in hoc apparuit charitas Dei, vt diſſoluat opera diaboli. 1. Ioan. 5. Et iterum ibidem. *In hoc apparuit filius Dei in mundo, vt tolleret peccata,* ſcilicet eijciendo ea tanquam membra cum capite ſuo diabolo. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Mundus ſiquidem iſte fuit contaminatus operibus diaboli, & omni ſpurcitia pollutus, eò quod quicquid erat in eo, aut

Marginalia: *Diuerſitas operum Dei & diaboli.* 1. Ioan. 1. Ephes. 6. Ioan. 12.

aut erat concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. 1.Ioan.2. & 5.
Vnde *totus dicebatur poſitus in maligno.*
Propter quod venit filius Dei in mundum, vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Tit.2. In cuius figura veniens in templum materiale eiecit operatios diaboli, ſcilicet ementes & vendentes in illo. Propoſit. In quibus verbis Saluator zelum & amorem, quem habuit ad Dei patris honorem & reuerentiam, oſtendit efficaciter in eo, quod auaritiæ quæſtuarios eiecit de templo. Circa quod tria deſcribuntur. *Primo* Chriſti ad templum viſitatio glorioſa cum dicitur, *Ingreſſus in templum.* *Secundo* expulſio malorum ſerioſa, cum additur; *eiecit*. *Tertio* ſubiungitur operatio impiorum ſceleroſa, cum dicitur; *Vendentes & ementes in illo.*

I.

Ingreſſus eſt in templum. Proprium erat, vt dicit Chryſoſt. boni filij viſitare domum patris ſui. In quo nos informare voluit, vt quocunque iremus, primo domum orationis adeamus, & per orationes Deo commendati, ad alia negotia agenda ſecedamus. Sciendum, quod Chriſtus plura templa habuit, & ſecundum hoc pluries & diuerſimodè ingreſſus eſt ea. *Varia templa Chriſti.* Primum templum eſt vteri virginalis, quod fuit ſanctificatum in conceptione. *1. Vterus Mariæ.* Pſalm. 45. *Sanctificauit tabernaculū ſuū altiſſimus*, tūc potuit dici de eo, *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.* *Pſal.45.* Vbi dicit Innocen. quod virgo Maria eſt templum, quia per eam preces porrigimus ad Chriſtum Ezech 46. *Et adorabit populus ad oſtium portæ in ſabbatis.* Fuit autem ſecundum eum templum ſanctificatum, quia ſanctificata fuit in vtero, mirabile in æquitate, id eſt, in incarnatione filij, quæ dicitur æquitas, quia iuſtum fuit, vt qui faceret reficeret. Item per hominem mors, ita per hominem vita gratiæ. Item vt ille, qui erat medius in perſonis, ſcilicet filius, eſſet medius in naturis. Item vt qui occaſionem ruinę dederat, Ion. 1.
damnum perſolueret. *Mittite me in mare quia propter me tempeſtas hæc exorta eſt.* Fuit autem ornatum ſanctis operationibus, quia omnes ordines oſtiorū erant ex auro ſcil. charitatis, qua omnes ſenſus refulgebant. In hoc templum ingreſſus eſt Chriſtus in ſua incarnatione. 3.Reg.6. *Maieſtas Dei ingreſſa eſt in templum*. Ezech. 43. In hoc templo vteri virginalis fecit ſibi Chriſtus aliud templū, ſeu capellam pulcherrimam, ſcilicet aſſumendo corpus humanitatis ſuæ. Vnde in Pſal. competit ſibi illud, *Dominus in tēplo ſancto ſuo*, id eſt, diuinitas in humanitate. Sicut autem templum eſt locus exauditionis, ita Chriſtus in humanitate exaudiuit peccatores. Pſalm. *Exaudiuit Dominus de populo ſancto ſuo.* Sicut patet de Chananęa, latrone & alijs. De hoc templo exiuit à latere dextro aqua, quæ omnes ad quos peruenit, ſaluos fecit. Idem.47. Vnde ex eo profluxerunt omnia ſacramenta. *Secundum templum* eſt Eccleſiæ militantis, quod Deus fundauit in ſanctis patribus, Patriarchis, & Prophetis, & Apoſtolis. *2. Templum Eccleſiæ militans.* Figura. Præcepit Salomon vt tollerent lapides grandes & præcioſos in fundamentum templi & quadrarent eos. 3.Reg.6. Grandes & præcioſos charitate; quadratos perfectione virtuum quatuor cardinalium. Iſtud templum continuè ædificatur in iuſtis. *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*; & conſummatur in beatis. Epheſ. 2. *Ædificabitur ciuitas in excelſo, & templum iuxta eam.* Iſtud templum debent ædificare prælati verbo prædicationis. Ierem.30. *Nos ſerui ſumus Dei, & templi ædificatores*; ornare exemplis conuerſationis 1. Mach. 4. 1.Eſdræ.5. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis*; cuſtodire vigilias ſollicitudinis paſtoralis. Sicut leuitæ fecerunt 1. Paral. 9. *Tertium* eſt templum materialis Eccleſiæ, in quo debent ſubditi orare diuinam potentiam. *3. Templum materialis.* Pſalm. *Adorabo ad templum ſanctum tuum.* Laudare diuinam ſapientiam. Pſalm. *In templo eius omnes dicent gloriam*. Offerre confitendo diuinam bonitatem. Pſalm. *A templo ſancto tuo quod eſt in Hieruſalem, tibi offerent reges munera.* Debent

 ergò

ergo adorare corde, laudare ore, offerre opere. In hoc templum frequenter ingreſſus eſt Chriſtus corporaliter, ſed nunquam gratis. Nam ingreſſus eſt in iuuentute, vt audiret doctores docentes. Secundo ingreſſus eſt in ætate adulta, vt corrigeret delinquentes. *Ioan. 2.* *Facto funiculo eiecit omnes vendentes columbas.* Tertio ingreſſus eſt ad inſtructionem, vt erudiret ignorantes. Matth. 11 *Diſcite à me quia mitis ſum.* Quarto ingreſſus eſt ad abſoluendum peccata, vbi mulieri dicit. *Ioan. 8.* *Nec ego te condemnabo.* Quinto ingreſſus eſt hic poſt honorem ſibi in Dominica palmarum à turbis exhibitum. Et hoc ad agendum gratias DEO patri pro tanto honore ſibi exhibito, qui honor cædebat ad gloriam Deitatis ſuæ & patris ſui. Sextó ad mundandum templum ab operibus malis. In hoc ergo templo ſex iſta nobis hodie fiunt. Nam audiuntur ibi DEI præcepta, ibi corriguntur delicta noſtra, ibi erudiuntur noſtra errata, ibi abſoluuntur noſtra peccata, ibi aguntur actiones gratiarum pro perceptis beneficijs, & mundatur conſcientia à vitijs. *4. Templum eſt anima.* *Quartum templum* eſt noſtræ animæ. *1. Cor. 3* *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Hoc templum non debet violari peccatis. Nam *Ibidem.* *Si quis templum Dei violauerit, diſperdet eum Dominus Deus;* Sed prohdolor illud templum ſæpius violatur. Pſalm 77 *Deus venerunt gentes &c. Polluerunt templum ſanctum tuum.* Poteſt tamen mundari per ſacramentum pœnitentiæ. In hoc templum ſæpius Dominus ingreditur. *Apoc. 3.* *Ego ſto ad oſtium & pulſo.* *Sap. 7.* Cum tali hoſpite veniunt omnia bona pariter. *5. Templum eſt cœlum.* *Quintum* templum eſt gloriæ cœleſtis. *Apertum eſt templum Dei in cœlo.* Pſalm. *In templo eius omnes dicent gloriam.* Iſtud templum eſt deſiderabile recordantibus, mirabile contemplantibus, delectabile intrantibus, quia offerentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis. Iſtud templum ingreſſus eſt Chriſtus ſemel, quia *Epheſ. 4.* *aſcendit in cœlum captiuam duxit captiuitatem.* *Heb. 9.* *Introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Et tantum de primo.

II.

Cœpit eijcere. Chriſtus multa opprobria tolerauit à Iudæis, quæ vergebant in propriam perſonam tanquam hominis. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* Sed poſtquam vidit opprobrium & iniuriam Dei patris, nullo modo tolerare potuit. Vnde poſtquam vidit ementes & vendentes in templo, ſtatim eos eiecit cum indignatione. Iſta autem *Eiectio è templo, quid ſignificet.* eiectio malorum de templo, ſignificabat eiectionem omnium peccatorum de Eccleſia militante per ſententiam, & à triumphante per pœnam. Et quia ſecundum Gorran. ſuper Matthæum de prima eiectione per ſententiam ab Eccleſia mili- *Ioan. 2.* tante ſolus loquitur Ioannes. Alij verò tres ſcilicet Lucas, Marcus, & Matthæus loquuntur de eiectione per pœnam ab Eccleſia triumphante; ideo nunc de iſta videamus. Significat igitur iſta eiectio malorum de templo eiectionem finalem omnium peccatorum à facie Dei in extremo iudicio. De qua eiectione dicitur: *Matt. 25.* *Ite maledicti in ignem æternum.* Sciendum, quod eiectio eſt multum miſerabilis & flebilis, quia *In ignem deijcies eos, in miſerijs, non ſubſiſtent*; & ideo multum eſt formidabilis auaris, doloſis, cupidis & vſurarijs, qui ſunt eijciendi de templo cu- *Pœna damnatorum multiplex.* riæ cœleſtis. Quorum pœna eſt multiplex. *Prima* quam ſuſtinebunt, eſt fames inſatiabilis. Iſa. 65. *Serui mei comedent & vos eſurietis.* Deut. 32. *Conſumentur fame.* *Secunda* eſt ſitis inextinguibilis. Iſa. 65. *Serui mei bibent & vos ſitietis.* Vnde & diues epulo ardens in lingua petijt guttam aquæ, quam tamen non habuit Luc. 16. *Tertia* eſt æſtus ſeu calor irremediabilis. Apoc. 16. *Æſtuauerunt homines æſtu magno.* *Quarta* eſt frigiditas intolerabilis. Iob 24 *Ad nimium calorem tranſiens ab aquis niuium.* Ecce frigiditas ſimul & calor. Matt. 22. *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* *Quinta* ignis inextinguibilis Apoc. 14. *Cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum.* *Sexta* fœtor. Iſa. 39. *Torrens fœtor pulueris & ſulphuris*

phuris ſuccendens eam. Pſal. *Ignis & ſulphur pars calicis eorum.* Pſal.10. Iſa.34. *Septima* fumus. *Aſcendet fumus eorum in generatione & generationẽ.* Eccl.36. *Octaua* latratio beſtiarum. *Omnia hæc ad vindictam creata ſunt, beſtiarum dentes & ſcorpij & ſerpentes* Deut. 32. *Deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.* *Nona* Dolor vehementiſſimus. Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas ſuas præ dolore.* Iſa. 13. *Torſiones & dolores tenebunt eos, quaſi parturientes dolebant.* *Decima* horror ex conſpectu dæmonum. Iob 10. *Sempiternus horror inhabitat.* Ioel 2. *A facie eius*, id eſt, diaboli, *cruciabuntur populi.* *Vndecima* clauſio carceris. Matt. 22. *Ligatis manibus & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores.* Iſa. 24. *Claudentur ibi in carcere.* *Duodecima* deſperatio Sap. 5. *Spes impij quaſi lanugo quæ à vento tollitur.* *Tredecima* timor ſemper impœnitentis mali ira contra ipſos. Eccl. 40. *Timor mortis & iracundia perſeuerans.* *Quartadecima* inuidia. Pſal. 111. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet &c.* *Quintadecima* vermis comedens eos. Iſa. vlt. *Vermis eorum non morietur in æternũ.* Eccl. 10. *Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes beſtias & vermes.* *Vltimo* quod eſt omnium pœnarum grauiſſimum eſt eiectio à facie Dei, & ſeparatio illa perpetua a conſortio Sanctorum, quæ plus cruciabit quam mille inferni pœnæ. Vnde Bernardus: Bernar. in meditationibus ſuis. Et quis putas mœror erit? quis luctus, quæ triſtitia, cum ſeparabuntur mali à conſortio iuſtorum, & à viſione Dei, & tradentur in poteſtatem dæmonum? Ibunt cum illis in ignem æternum. Ibique erunt in æternũ ſine fine, in luctu, in gemitu, procul relegati à beata patria paradiſi, & in gehenna nunquam lucem habituri. De hac ſeparationis & eiectionis pœna dicit Chryſoſt. In libr. de reparat. lapſi. Nonnulli imperitorum putant ſibi ſatis eſſe & optabile videre, ſi tantummodo careant gehenna; Ego autem multò grauiores quam gehennæ dico eſſe cruciatus remoueri, & abijci ab illa gloria. Nec puto ita eſſe gehennæ ſupplicia, vt ſunt illa, de quibus dicit Petrus; Torquetur is, qui arcetur à conſpectu Chriſti, hoc cedere mihi omnibus pœnis grauius, hoc ſolũ quod ſuperat & gehennam. Et ibidem Chryſoſt. ſuper illud Matth. Matth. 7. *Excidetur & in ignem mittetur*, dicit; intolerabilis res gehenna, quis neſciat ſupplicium horribile, tamen ſi mille quis gehennas ponat, nihil tale eſt dicturus, quale eſt ab honore illius gloriæ propelli, & exoſum eſſe Chriſto. Nam ſecundum Auguſtinum reprobi mallent omne tormentum ſuſtinere quam videre faciem irati iudicis. *A facie eius terra contremuit, moti ſunt cœli, ſol & luna obtenebrati ſunt.* Ioel 2. Certè tunc peccatores infirmabuntur, & peribunt à facie Domini, & hoc præ dolore nimio, cum viderint eam à ſe auerſam, & ipſos finaliter ab ea eiectos. Et tantum de ſecundo.

III.

Vendentes & ementes in illo. Non mirũ, Epheſ 5. quod eiecit ita ſceleratos auaros, nam *Auaritia eſt idolorum ſeruitus.* Ex quo igitur domus Dei facta eſt ad cultum Dei; Certè filius Dei inueniens in ea cultum diaboli, meritò eiecit huiuſmodi idololatras, ſcilicet auaros, cuiuſmodi erant tunc ſacerdotes Iudæorum; de quibus Oſeas; Oſeæ 8. *Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent.* Pro quo ſciendum, quod, vt ſupra dictum eſt, multiplex eſt templum, & Mercatores duplices. ita multiplices ſunt ementes & vendentes ſeu mercatores. Nam quidam ſunt corporales, quidam ſpirituales. Corporales ſunt, qui per fraudes & dolos merces ſuas faciunt, & vendunt. Corporales De quibus dicitur; Eccl. 26. *Difficile exuitur negotians à peccato.* Et verè difficile; quia multa ad hoc requiruntur, quod quis ſine peccato emptionem & venditionem exerceat. De multis tamen pauca cõmemoraſſe ſufficiat. Negotiatio quando illicita. *Primò* igitur requiritur, quod ille qui emit aut mercatur, aut negotiatur, non faciat hoc propter auaritiam & improbam cupiditatem diuitiarũ, ſed ad neceſſitatem tantum & aliorum vtilitatem. Contra quod faciunt auari mercatores, & vſurarij, qui ſolum ad hoc mercantur & vendunt, vt pro minori pecunia maius lucrum pecuniæ habeant, & hanc mercaturam vocat philoſophus campſoriam vituperabilem, 1. Politic. quia à pecunia incipit, & pecunia terminatur, quod eſt contra naturam pecuniæ; quia pecunia ſecundum ipſum ordinata eſt ad vſum naturaliter, non luctum. *Secundo* redditur illicita emptio vel venditio ex tempore; vt ſi fiat die-

bus feſtiuis, in quibus ab huiuſmodi operationibus ceſſandum eſt; de conſecrat. diſtinct. 4. Rogationes. & cap. omnes. Et 15. qu. 4. cap. 2. & 3. *Tertiò* redditur illicita ex perſona, vt ſi clericus vel religioſus talia exerceret. *Nemo militans Deo implicet ſe ſæcularibus negotijs.* Vnde Hieronymus. Negotiatorem clericum ex paupere diuitem, ex ignobili glorioſum quaſi quandã peſtem fuge. *Quartò* ex loco, vtputa ſi fiat in loco ſacro, ſicut hic patet. Nam quãuis eſſent licitæ emptiones, ſi fuiſſent alibi, tamen eo ipſo quo fiebant in Eccleſia, erant illicitæ. ſecundum Franciſcum Aſtenſem. *Quintò* redditur illicita venditio ex ſuperflua & curioſa rerum adinuentione. Nam ſecundum Thom. 2. 2. quæſt. 16. Licet artifices facientes ornamenta prodentia ſtatus mulierum, vel vt placeant viris proprijs, vendendo talia non peccant, tamen ſi adinueniunt aliqua ſuperflua & curioſa peccant. Vnde Chryſoſt. ſuper Matth. dicit, quod ab arte calceatorum & textorum multa abſcindere oportet: etenim ad luxuriam deduxerunt neceſſitatẽ, eius corrumpentes artem, malæ arti bona commiſcentes. *Sextò* redditur illicita venditio, ſi res carius venditur quam valet, quod intelligendum eſt ſic, quod carius vendere rem quam valet eſt illicitum, niſi res quæ venditur, cederet in detrimentum venditoris, qui multum re illa indiget. Nam in tali caſu iuſtum pretium erit, & non ſolum reſpiciatur ad rem, quæ venditur; ſed etiam ad damnum quod venditor incurrit ex venditione. Vnde licitè poteſt vendere plus quam valeat ſecundum æſtimationem, quamuis non vẽdat plus quam valeat venditori. Quod ſi emptor multum iuuetur ex re quam emit, ſed venditor non damnificatur carendo iſta re, non debet ſuperuendere, quia vtilitas quæ alteri accreſcit, non eſt ex vendente, ſed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non eſt ſuum. Sed diceres, tamen hoc non prohibet lex humana. Reſpondeo ſecundum Thomam 2. 2. quæſt. 77. Licet lex humana ſolum punit & cogit ad reſtitutionem, quando quis eſt deceptus vltra dimidium iuſti pretij, tamen lex diuina, quæ nihil impunitum relinquit, hoc non permittit. *Septimò* redditur illicita venditio, ſi quis vendit carius quam ipſe emit; & hoc eſt verum, ſi exceſſiuè carius vendit; quia moderatum lucrum permittitur illis, qui propter publicum bonum negotiantur, nè res neceſſariæ perirent, vel quia rem meliorant, vel quia pericula patiuntur, vel quia pretium mutatum eſt ex diuerſitate loci vel temporis, vt quia emit in Polonia pro communi moneta, & Vratislauię vendit pro latis groſſis; vel emit circa feſtum Michaelis bladum quando erat copia, & vendit circa carniſpriuiũ, quãdo erat penuria ipſius. Hęc Raimũdus. *Octauo* redditur illicita propter defectum rei venditæ. Nam ſecundum Thomam. 2. 2. quæſt. 77. Circa rem quæ venditur triplex defectus debet conſiderari; *Vnus* quidem ſecundum ſpeciem rei, vtputa ſi vendatur aurichalcum pro auro, aut vinum mixtum aqua quaſi purum. *Alius* defectus eſt ſecundum quantitatem ponderis, vel menſuræ; vt ſi quis ſcienter vtatur deficiente pondere vel menſura. *Tertius* defectus eſt ex parte qualitatis, puta ſi animal infirmum vendatur quaſi ſanum. In his tribus caſibus venditor ſcienter vendens fraudem committit, & tenetur ad reſtitutionem; ſecundum Ambroſium in libro de officijs. Sed ſi ignoranter ita vendit, non peccat; ſed poſtquam ad notitiam eius deuenerit, tenetur ad reſtitutionem damni. Et econuerſo, ſi venditor credens aurũ impurũ, vendit leuius quam purũ vel credẽs animal morbidũ cum nõ eſt ſanum, vendit facilius, emptor poſtea comperta rei veritate tenetur ad recompenſationem. Ex his infert Thomas, quod venditor tenetur dicere vitium rei venditæ; aliàs dat occaſionem damni vel periculi ipſi emptori. Vnde ſi talia ſunt vitia occulta, & ipſe venditor ea non dicit, tenetur ad damni compenſationem. Si verò eſt vitium manifeſtum, vtputa equus monocolus, vel ſi vſus rei non competit vni, competit tamen alteri, & venditor propter huiuſmodi vitium ſubtrahit de pretio aliquid quantum oportet, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei, quia fortè propter huiuſmodi vitium emptor vellet ſibi

plus

2. Tim. 2.

In re vendita triplex defectus attendendus.

plus de pretio rei ſubtrahi. Vnde in tali caſu venditor poteſt licitè vitium rei reticere. *Nono* illicita eſt venditio, ſi mercatores inter ſe conueniunt & ſtatuunt, vt certo pretio vendant, vel quod vnus ſolus tales merces vendat, & talis debet bonis ſuis ſpoliari, & exilio tradi ſecundum leges. *Decimo* illicita eſt emptio vel venditio, ſi fit cum mendacijs vel periurijs, & hoc ſi ſcienter dicunt falſum, & tales tenentur ad reſtitutionem. Si quis autem credens dicere verum, dicit falſum, vel per hoc nō intendit proximo nocere ſcienter, ſed ſe indemnem ſeruare, nec propter hoc rem carius ſuperuendit, talemendacium poteſt dici veniale, ſi tamen iurat vel periurat, peccat mortaliter. Et tantum de iſtis emptoribus & venditoribus corporalibus. Qui ſi ita negotiantur eijcientur de templo cœleſti. Secundi ſunt emptores & vēditores ſpirituales; Et ſunt triplices, ſcilicet auari, ſymoniaci & hypocritę. *Primi*, ſcilicet auari vendunt cœlum pro terra, & ſunt hi, qui pro pecunia falſa teſtimonia ferunt, & alia vitia committunt, de quibus dicit Beda ſuper Matthæum. Et habentur verba 11. qu. 3. Abijt Iudas. Multi hodiè ſcelus Iudæ deteſtantur, quia Deum ac Magiſtrum Dominumque ſuum pro pecunia vendidit, velut immane & nefarium exhorrent, nec tamen cauent. Nam cum pro muneribus falſum contra quemlibet teſtimonium dicunt, profectò, quia veritatem pro pecunia negant, Deum pecunia vendunt &c. *Simoniaci* ſunt mali mercatores, qui vendunt ſacramenta, & dona Spiritus ſancti pro pecunia. Et hoc Dominus hic eijciendo figurauit ſecundū Origenem 16. quæſt. 6. Et hæc diximus; vbi dicit. Hoc verbum Euangelij conuenit illis, qui tradunt Eccleſias auaris & tyrannis, indiſciplinatis & irreligioſis Epiſcopis & Præsbyteris, quod communiter fit per ſimoniam. Iſtis dicitur illud Actuum octauo à beato Petro; *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Iſtud eſt grauiſsimū peccatum & crimen, ita quod omnia crimina in comparatione ſui pro nihilo reputantur; vt dicitur 1. qu. 1. Eos. & capit. vltim. Sciendum, quod ſimoniacus electus ad dignitatem Eccleſiaſticam eſt nociuus tribus, ſcilicet electoribus, Eccleſiæ & Deo. *Electoribus*, quia eſt materia peccati, quo contra Deum delinquunt, & Deum & legem eius tranſgrediuntur, in qua hoc prohibetur. *Secundo* nocet Eccleſiæ, quia ipſam decipit, eo quod talis ſingens ſe habere executionem ordinis, quā caret in ſuo officio adminiſtrat, cum tamen nihil faciat, vt de ſimonia. Accuſatum. Vnde dicit Thomas 2. 2. quæſt. 100. articulo ſexto. Quod Epiſcopus Simoniacus propter promotionem ſuam, ſi confert ordinem, tamen caret ordinatus executione & indiget diſpenſatione, quia ſic ille Epiſcopus ſuſpenſus eſt, & quo ad ſe, & quo ad alios. *Tertio* nocet Deo, quia in modum Iudæ recedens ab eo tradidit eum in manus peccatorum, de quibus cōqueritur Dominus Oſeæ ſeptimo. *Væ eis, quoniam receſſerunt à me.* de pen. diſtinct. quarta. capit. Verum. Et ibi: trigeſimo tertio. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* ſcilicet finaliter. *Tertij* vendentes & ementes ſpirituales ſunt hypocritæ. De quibus dicitur Apocalip. decimo octauo. *Mercatores ſtabunt à longè.* Iſti ſunt falſi mercatores, quia fingunt ſe eſſe in Eccleſia columbas ſimplices, & ſunt lupi rapaces, Matthæi ſeptimo. Vendunt autem iſti primò falſum aurum, quia oſtendunt in ſe diuinam ſapientiam, & habent diaboli aſtutiam. Vendunt etiam eloquentiæ argentum, quia ad hoc blandiuntur & loquuntur blandè, vt hic ſancti videantur. Vendunt lapides pretioſos, id eſt, eminentiam ſanctæ conuerſationis, vt boni & virtuoſi in publico videantur. Vendunt margaritas, id eſt, candorem ſanctitatis, byſſum iuſtificationem, purpuram, martyrij amorem. Apparent enim multum appetere martyrium pro Chriſto, vendunt ſericum virginitatis, caſtitatem oſtendentes. Coccum charitatem ad Deum & proximum, lignum cypri, id eſt, conſtantiam indeficientem, quia tale lignum eſt imputribile. Ebur caſtimoniæ, quia apparent caſti, ſ. in occulto luxurioſi. Aes longanimitatis; Ferrum patientiæ; Marmor inuictæ humilitatis; Cinna-

Mercatores ſpirituales ſunt triplices.
1. Auari.
2. Simoniaci.
Simoniacus nocet tribus.
1. Electoribus.
2. Eccleſiæ.
3. Deo.
Oſeæ 7.
Iſa. 33.
3. Hypocr.
Apoc. 18.
Matth. 7.

Cinnamomum pallorem pœnitentiæ; Amomum opinionis & famæ redolentiam: Ornamenta, id eſt, dona Spiritus ſancti. Merces thuris, id eſt, deuotionis. Vinum compunctionis, oleum pietatis compaſſionis, merces ſiliginis puritatis conſcientiæ & tritici, id eſt, infirmitatem, frumẽtorum, id eſt, laborum ſpiritualium, & ouium, ſcilicet ſimplicitatem innocentiæ, & equorum, id eſt, fortitudinis ſtrenuitatem; & redarum, id eſt, auxilij & conſilij ſupportando onera infirmorum, mancipiorum, id eſt, mutui ſeruitij & animarũ hominum, id eſt, rationabilitatis, quia omnia dicunt facere cum plena ratione, & poma, id eſt, odorem bonæ famæ, & omnia pinguia, id eſt, omnes deuotiones. Iſti mercatores; etſi hic non eijciuntur; quia non diſcernuntur in Eccleſia militanti, tamen finaliter eijcientur de templo cœleſti, iuxta illud Zachar. *Non erit vltra negotiator.* Dicet enim Dominus dæmonibus illud Ioannis. *Auferte iſta hinc*, id eſt, à conſortio meo & beatorum; *& mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Zach. vl. Ioan. 2.

DOMINICA XI. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Duo homines aſcenderunt in templum, vt orarent. Luc. 18.

Bern. ſuper Cantica. Nihil ita efficax eſt homini ad gratiã promerendam recipiendamque & conſeruandã inquit S. Bernardus, quam ſi omni tempore inueniatur non alta ſapere, ſed timere. Nec immeritò. Quis enim ita ſecurus eſt de gratia acquiſita, qui non trepidet & timeat de ipſius amiſſione? Cum dicat Apoſtolus; *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Sicut autem nullus debet eſſe ita ſecurus de adeptis virtutibus, quin eas poſſit amittere, ita nullus debet de cõſequenda venia peccatorũ deſperare, quin eam poſſit promereri, iuxta illud; *Quacũque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Quiſquis ergò in culmine virtutum ſe ſtare credit, timeat ne cadat per ſuperbiam; & è conuerſò, quiſquis in profundo peccatorum ſe iacere conſpicit, ſperet quia per humilitatem reſurget. Iſta enim ſunt occulta iudicia Dei abyſſus multa, quæ conſiderare homini multum eſt vtile, eò quod talis cõſideratio hominem & à tumore ſuperbiæ reprimit, & ad confidentiam erigit. Vnde Gregorius. Sæpè Sanctorum cogitationibus ipſa quæ habent bona blandiuntur, vt eorum mentes in aliqua fiducia ſui eleuẽt, ſed protinus ad Dei occulta iudicia recurrunt, quomodo alij ex virtutibus ad infernum per elationem corruunt, alij ex vitijs correpti ad cœlum per humilitatem leuãtur. Vnde nos ad humilitatem reuocans Propheta terret & admonet dicens; *Venite & videte opera Dei, quam terribilis eſt in conſilijs ſuper filios hominum.* Quis enim conſiderare valeat, quantus ſuper nos terror ſit conſiliorum Dei? quando & alter ex virtutibus in finem tendit ad vitia, & alter ex vitijs in virtutibus concludit finem. Vnde Salomon ait; *Eſt via quæ videtur hominibus recta, & nouiſſimum eius ducit ad infernum.* Hæc itaque occulti iudicij profunda cogitare quid eſt aliud quam alas deponere, id eſt, de nulla virtute confidere, ſed ſub magno timore trepidare? Hæc ille. Iſta duo benè patuerũt in his duobus, quorum mentio eſt in præſenti Euangelio. Quorum vnus ex virtutibus per elationem deprauatus finaliter corruit ad vitia, & demum ad ſupplicia; alter verò ex vitijs per humilitatem ſublimatus ad virtutes peruenit ad præmia. Quorum vita in verbis

Timendum & ſperandũ.

Ezech. 18.

Hom. 18. ſuper Ezech.

Prou. 14.

Propoſit.

verbis propoſitis breuiter deſcribitur cum dicitur; *Duo homines aſcenderunt in templum.* In quibus verbis circa ſtatum humanæ conditionis deſcribitur *primo* humanorum actuum diuerſitas, cum dicitur; *Duo homines*; *ſecundò* ſubditur bonorum & malorum operandi exterior æqualitas, cum dicitur, *aſcenderunt in templum*; *tertiò* ſubditur intentionis finalis vtilas, *quia vt orarent*.

I,

Duæ genera hominum. Babylonis & Ieruſalem.

Duo homines. Sciendum quod in vita præſenti duo ſunt genera hominum ſecũdum D. Auguſt. in lib de ciuit. Dei; ſcilicet ciue Babylonis, id eſt, vitiorum & inferni; & ciues Hieruſalem, id eſt, virtutum & paradiſi. Primi ſemper ſuperba loquuntur, ſuperba agunt, ſuperba cogitant; E conuerſo, ſecundi omnia iſta humiliter exercent. Primi per ſuperbiam omnia bona prius acta deſtruunt; ſecundi per humilitatem omnia mala prius perpetrata redimunt; primi apud homines apparent eſſe quod fuerunt, & tamen in Dei oculis ceciderunt; ſecundi humano iudicio adhuc apparent eſſe quod fuerunt, & tamen in oculis Dei ſurrexerunt. De quibus loquens

Lib. 2. de ſum. bono cap. 7.

Iſidorus dicit, quod quidam ſunt, qui iam ſecretè conuerſi ſunt, quorum conuerſio quia non procedit ad publicum apud æſtimationem humanam, quales fuerunt, tales adhuc eſſe putantur, iam tamen in oculis Dei ceciderunt; multi reprobi apud homines ſunt, & apud Deum electi. Atque iterum apud homines multi electi putantur, & apud Deum reprobi exiſtunt, Salomone dicente. Vidi, inquit, impios ſepultos, qui etiam cum adhuc viuerent, in loco ſancto erãt, & laudabãtur in ciuitate quaſi iuſtorum operum, propter quod monet idem dicens; Nullus igitur putet ſe electum,

In ſoliloq. cap. 29.

nè fortè apud Deum ſit reprobus. Hæc ille. Iſta aduertens beatus Auguſtinus exclamando & admirando diuina conſilia atque iudicia dicit in hæc verba; magna ſunt,

Iudicia Dei inſcrutabilia.

hæc iudicia tua Domine Deus, iudex iuſte, & fortis, qui iudicas æquitatem, & inſcrutabilia atque profunda, quem cum cõſidero, contremiſcunt omnia oſſa mea. Et poſt pauca; Vidimus Domine multos, & audiuimus à Patribus noſtris, quod vtique ſine magno timore non recolo, ſine magno tremore non confiteor; aſcendiſſe quidem primitus vſque ad cœlos, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodũ autem cecidiſſe vſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas cecidiſſe de cœlo ab impetu ferientis caudæ draconis; & eos qui iacebant inter puluerem à facie ſubleuantis manus tuæ mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus viuos morientes, & mortuos à mortuis reſurgẽtes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi nihilum defluxiſſe; vidimus lucem contenebraſſe, & de tenebris lucẽ proceſſiſſe, quia Publicani & Peccatores & meretrices præcedent incolas in regnum cœlorum, filij autem regni huius eijcientur in tenebras exteriores. Quare autem omnia iſta? illi in mortem deſcendunt, iſti autem aſcendunt ad vitam, in quam aſcendit Angelus, & de qua deſcendit diabolus, niſi quia quos prædeſtinaſti, ipſos & vocaſti, & mundaſti. Hæc ille. Ex quibus omnibus patet diuerſam eſſe viam actionum humanarum in merendo. Nam quidam incipiunt mereri, ſed ante finem deficiunt. Alij verò incipiunt & perficiunt. Ex quo concludit Iſidorus, duplicem eſſe prædeſtinationem, ſcilicet electorum ad requiem, & reproborũ ad mortem. Vtraque autem diuino agitur iudicio, vt ſemper electos ſuperna & interiora conſequi faciat, reprobos verò ſemper, vt infima & exteriora delectent deſerendo permittat. Et poſt pauca deſcribens iſtam diuerſitatem dicit; Mira diſpoſitio eſt ſupernæ diſtributionis, per quam hic iuſtus amplius iuſtificatur, impius amplius ſordidatur, malus ad bonum aliquando conuertitur, bonus ad malum aliquando reflectitur. Vult quis eſſe bonus, & non valet; vult alter eſſe malus, & non permittitur. Introire datur ei qui vult eſſe bonus, alius nec vult eſſe, nec ei datur, vt ſit bonus. Iſte naſcitur in errore & moritur. Ille in bono, quo cæpit vſque ad finem perdurat. Tamdiu iſte ſtat, quouſque cadat, ille diu malè viuendo in fine ſaluatur repenteque conuertitur. Vult prodeſſe in

Lib. 2. de ſum. bono cap. 6.

bono iuſtus nec præualet; vult nocere malus & non valet. Iſte vult Deo vacare & ſæculo impeditur, ille negotijs implicari cupit nec proficit. Dominatur malus bono, bonus damnatur pro impio, impi⁹ honoratur pro iuſto. Hæc Iſidorus. Iſta benè patuerunt in iſtis duobus hominibus, ſcilicet Phariſæo & Publicano. Quorum primus, ſcilicet Phariſæus, tamdiu ſtabat in bono quouſque cecidit, Publicanus verò licet in malo prius ſtabat, tamen tamdiu ſtetit quouſque ſurrexit & in finem perdurauit. Sic Iudas cœperat quidem hominibus apparere iuſtus, & tādiu ſtetit, quouſque per diabolum deceptus cecidit. Magdalena verò hominibus apparebat peccatrix, & tamdiu ſtetit in errore quouſque per gratiam viſitata ad bonum reſurrexit & perdurauit. Ex quibus colliguntur duo eſſe genera hominum in Eccleſia militanti. Quorum vnum eſt, qui etſi agunt aliqua de genere bonorum, finaliter tamen damnantur. De quibus dicit Bernardus ſuper Cantica ſermone 23. Eſt locus apud Deum, de quo ſuper rationalem reprobam quidem creaturam immobilis vigilat ſecretiſſima & ſeueriſſima animaduerſio iuſti iudicis Dei, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, videtur, inquit, à timorato contemplatore hoc loco Deus iuſto ſed occulto iudicio ſuo reproborum, nec diluens mala, nec acceptans bona. Inſuper & corda indurans, nè fortè doleant & reſipiſcant & conuertantur & ſanet eos. Et hoc non abſque certa & æterna ratione. Quod tantò formidoloſius conſtat eſſe, quantò immobilius fixum extat in æternitate. Pauendum eſt valdè, quod in Propheta de huiuſmodi legimus, vbi loquens Deus ad Angelos ſic ait; *Miſereamur impio*, quibus pauentibus atque quærentibus, non differt facere iuſtitiam; *non*, inquit, ſubdens cauſam; *in terra*, inquit, *Sanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini*. Hæc ille. Secundum genus hominum eſt, qui etſi agunt aliqua mala, tamen finaliter ſaluabuntur. De quibus idem Bernardus, vbi ſupra dicit. Adſtat propoſitum & diſtat ſententia pacis ſuper timentes, ipſorum & diſſimulans mala, & remunerans bona, vt miro

Bern. ſer. 23 ſuper Cantica.

modo eis non bona, ſed & mala cooperentur in bonum. Et per hoc idem inducit illud Ioannis tertio. *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat*, quia generatio cœleſtis, id eſt, æterna prædeſtinatio cuſtodit eum, non quod tales nunquam peccaſſent, iuxta illud; *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*. Hos ergò dicit quaſi nunquam peccaſſe, quoniam & ſiqua deliquiſſe videntur in tempore, non tamē apparent in æternitate, quia Patris eorum charitas operit multitudinem peccatorū. Hos dicit Pſalm. beatos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Ex quo accipi poteſt, quod electi, etſi quandoque exorbitant, correcti tamen emendantur. Et quidam eorum, ſi ab hominibus corripiuntur, in viam, quam reliquerant, redeunt; vt dicit Auguſtinus in lib. de correptione & gratia. de pe. diſtin. 2. Quicunque. Ex quo dicit Auguſtinus quod in talibus ſtat immobile & firmum fundamentum Dei habens ſignaculum hoc. Scit Deus, qui ſunt eius. Et horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit, aut ſi qui ſunt, quorum fides deficit, reparantur antequā vita finiatur iſta, & deleta iniquitate, quæ intercurrerat, vſque in finem perſeuerantiæ deputantur. Patet itaque ſecundum Auguſtinum, quod nullus prædeſtinatorum ex bono in malum commutatus finit hanc vitam. Sicut patet de Paulo, Petro, Magdalena, & Publicano, imò ſecundum Auguſtinum etiam hoc ipſum, quod deuiant & exorbitant, ſcilicet peccādo mortaliter, vt dicitur ad Romanos octauo capit. Deus faciet eis proficere in bonum; quod intellige occaſionabiliter; quia fortiores reſurgunt. Iſtud patet de Petro, de quo dicit Ambroſius. Fidelior factus eſt Petrus, poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit quam amiſit. Cooperantur ergò etiam eis mala in bonum, quia occaſionabiliter faciunt eos proficere, vt habeant verum bonum; vel illa deuiatio & exorbitatio, id eſt, pœna quam ſubeunt, pro deuiatione facit eos proficere, quia cum affliguntur pœna, ſe recognoſcentes humiliantur, id eſt, humiliores fiunt; prædeſtinatos etiam

1. Ioan. 3.

Pſal. 31.

Lib de correp. & gratia.

dum ſunt mali, ſcit eos, id eſt, amat & defendit Deus. Et per hoc, quod eos defendit, apparet hoſtibus & inimicis, quod ipſi ſunt ſignaculum Dei. Habent enim prædeſtinati, etiam dum mali ſunt, quendam characterem, quo diſtinguuntur à damnādis. Vnde ex tribu Iuda duodecim millia ſignati. Iſte autem character eſt ſignum amicis & inimicis. Amicis vt accedant, inimicis vt territi fugiant. Quia igitur iſta nobis incerta ſunt & dubia, quis ſcilicet ſit prædeſtinatus ad vitam, quis præſcitus ad damnationem; ideò non reſtat nobis, niſi tremendum & trepidandum in conſpectu Dei. Nam tota ſalus noſtra in Deo eſt. Vnde ſicut nullus poteſt Deo deſerente pœnitere, ita nullus poteſt ſua peccata cogitare & videre & plangere, vnde ceciderit, niſi Deo reſpiciente, & vtrumque fit iuſto Dei iudicio. Nam vt dicit Iſidorus; quidam reproborum in poteſtate dæmonum relinquuntur occulto Dei iudicio & iuſtiſſimo. Et quidam electorum dimittuntur diuina iuſtitia in errorem peccati, ſed tamen miſeratione eius reducti denuò conuertuntur. Patet de Phariſæo & Publicano, per quos duo genera hominum ſignificantur.

Lib. 2. de ſum. bon. cap. 15.

II.

Aſcenderunt in templum. Tàm mali quàm boni æqualiter Eccleſiam viſitant, æqualiter ſacramenta exterius ſacramentaliter ſumunt, æqualiter exterius occurrunt, æqualiter verbum audiunt, ſed non æqualiter ex his interius proficiunt. Quantum ergò ad hoc iſti duo, ſcilicet Phariſæus & Publicanus fuerunt æquales, quia æqualiter in templum aſcenderunt. Sciendum eſt de duplici aſcenſu cuilibet homini neceſſario & vtili ad ſalutem. Nam aſcendere debet homo corporaliter in templum materiale ad orandum, ſecundum hiſtoriam Euangelij. Et aſcendere debet mentaliter ad templum mentale ad contemplandum ſecundum allegoriam myſterij. De primo aſcenſu dicit Euangelium, quod duo homines aſcenderunt in templum. Sic Petrus & Ioannes aſcenderunt in templum. Et quia hæretici, Huſſitæ & Wicklephiſtæ nituntur templum Dei reprobare, aſſerentes non eſſe orandum in templo, ſed in omni loco; ideò contra iſtum errorem aliqua videamus; Primo dicunt pro ſua opinione & erroris ſui fundamento eſſe illud Ioannis. *Venit tempus quando nec in hoc monte neque Hieroſolymis adorabitur Dominus Deus &c. quia ſpiritus eſt, & eos qui adorant, in ſpiritu & veritate adorare oportet.* Item. *Deus non habitat in templo manu facto.* Item, *Tu autē cum oraueris, intra cubiculum tuum &c.* ergò, vt dicunt, ſufficit camera, non eſt neceſſaria Eccleſia. Ad quod reſpondeo, quod non ædificamus Eccleſias, vt ibi Deus localiter contineatur, ſed vt decentius colatur & adoretur. Quod autem ipſi hoc placeat, patet per illud; *Domus mea domus orationis vocabitur*; Quod ergò Chriſtus dixit, veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, quo ad hoc loquitur, vt reprobet ſuperſtitionem gentilitatis, qui credebant Deum localiter ibi, ſicut quoddam idolū contineri, & non alibi, quod tamen nullus Chriſtianorum hodiè concipit. Per hoc tamen non reprobat fieri Eccleſias & templa materialia; quia non dicit, venit tempus, quando deſtruentur Eccleſiæ, ſed dicit, quando nec hic, ſ. apud Samaritanos, nec Hieroſolymis, ſcilicet tantum, ſed etiam apud gentes conuertendas per nomē meum, adorabunt Patrem in ſpiritu, id eſt, ſpiritualiter de Deo [illegible] credentes. Quod autem dicit de cubiculo, intellige de cubiculo mentis, quantum ad eius quietem. Quod patet ex eo, quia aliàs, qui non haberet cubiculum, non diceretur orare ad literam, cum non haberet, quod clauderet. Vnde & Apoſtoli leguntur habuiſſe Eccleſias & in eis oraſſe. Et Chriſtus frequenter & oraſſe & prædicaſſe legitur in templo. *Erat quotidie docens in templo.* Et: *Apoſtoli erant in templo laudantes* Et Apoſtolus dicit contra dehoneſtantes Eccleſiam; *Aut Eccleſiam contemnitis?* Item Petrus & Ioannes aſcenderunt in templum. Item; *Ingreſſus Paulus in templum prædicabat.* Quantum autem ſit vtile & meritoriū orare in Eccleſia materiali, patet ex plurib. *In Eccleſijs benedicite Domino* Et alibi. *Laudate Dominū in aula ſancta eius. Prima* igitur ratio eſt, quare in Eccleſia eſt orandū, oratio ex peregrinatione eſt laborioſior.

Aſcenſus in templū duplex corporalis & myſticus.

Ad orandum in templis. *Ioan. 4.* *Act. 7.* *Matth. 6.* *Matt. 21.* *Luc. 19.* *Ioan. 2.* *Matt. 21.* *Luc. 9.* *Ibid. vlt.* *1. Cor. 11.* *Act. 3. & 9.* *In Eccleſia orare vtile & meritorium.*

Et cum omne meriterium debet eſſe pœnale, ſequitur quod taliter laborans maximè meretur. *Secundo* quia ibi opus ex obedientia eſt acceptius Deo, & per conſequens in merendo eſt amplius. *Tertiò* quia in domo plus elongata ab opere & ſollicitudine ſeruili, eſt animus purgatus deuotior. *Quartò* ad placandum & hortandum. Hortans recipere ex concurſu fidelium ſeſe iuuantium quilibet eſt aptior. *Quintò* quia ex ſanctificatione templi aliquid ſanctitatis remanet in domibus materialibus. Vnde exercitus diaboli ad tentandum orantes eſt debilior. Diaboli enim vbi ſuperantur locum fugiunt. *Sextò* quia talis modus viſitandi domum Dei & orationis eſt ſenſus anagogia figuratior. Cum Eccleſia materialis ſignificat tropologicè mentem mundam; Anagogicè cœleſtem Hieruſalem. Et deambulatio ad Eccleſiam, ſignificat præſentis vitæ preregrinationẽ, fideles autem limina Sanctorum viſitando, conſiderant cum Apoſtolo quod non habent hic manentem ciuitatem, & quod dies peregrinationis poſt lapſum limitati ſunt, vt in ſudore veſcantur pane ſuo in pœnam peccati. Et ſic ſignificatur, quod homo ad laborem naſcitur. Et quod *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Poteſt tamen eſſe efficacior ratio ad hoc, quia poſt lapſum peccati oportet ad rationem operis meritorij, quod ſit laborioſum vel pœnale vltra ſtatum innocentiæ; quia dicit Linconienſis; oportet offendentem vltra antiquum debitum ad hoc, vt ſatisfaciat erogare, i. addere aliquid. Ideò nõ ſupereſt, quod vltra ſtatum innocentiæ ſupererogemus niſi pœnalitas. Oportet ergò, quod oratio placida Deo ſit, cum pœna ieiunij vel laboris aut eleemoſynæ, quod Chriſtus videtur dicere; *Si diligitis eos qui diligunt vos, quam mercedem habebitis? Nonne Publicani hoc faciunt?* quaſi dicat. Oportet lapſos ad ratione operis meritorij ſuperaddere aliquid ſupererogabilis in ratione difficultatis & pœnalitatis Publicanorum & Gentilium ad rationem commodi temporalis. Vnde dicitur; *Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum cœlorum.* Et hac puto ratione Deus in veteri

Hebr. 13.

Iob. 5.
Idem 7.

Matth. 5.

Act. 14.

teſtamento vnicum ſolùm templum Hieroſolymis fieri præcepit. Ad illud omnes Iudæi de longinquiſſimis partibus peregrinari debebant ter in anno ſub ratione præcepti. Vnde non licuit alibi paſcha celebrare, nec offerre pro peccato niſi ibidem. *Septimò* quia deuota oratio proximi aſſiſtentis exemplificat & excitat aliundè deſides ad orandum; Matthæi quinto. *Sic luceat lux veſtra*; vnde ex iſta cauſa alternant clerici nunc cum nota, nunc cum muſicis inſtrumentis, nunc ſine talibus, vt ex orationis alternatione fiat [illegible]cis & clericis oratio ſapidior. Et vt hæc [illegible]liter fierent, expediret talia facere cum magna diligentia, & attentione, & deuotione, qua poteſt fieri maiori, nè fructus orationis tàm in ipſis quàm laicis fruſtraretur ex diſſolutione cãtus. Vnde dicitur, quod Eſdras legit in libr. legis Dei diſtinctè & apertè, i. ad intelligendum. Poſtquam autem, vt dictum eſt, perſuaſum eſt fidelibus templum materiale congruum fore locum laudis diuinæ, reſtat breuiter videre de aſcenſu ad templum prædictum. Aſcendendum eſt igitur ad illud quatuor gradibus, quamuis octo gradibus aſcendebatur ad templum Hieroſolymitanum. Nos tamen quatuor ponamus geminãdo quemlibet ad duos. Primus gradus eſt lectio, ſecundus meditatio, tertius oratio, quartus contemplatio. Hæc eſt autem ſcala fidelium, qua de terra ad cœlum eleuantur, ſecundum Bernardum. Lectio fit in prædicatione, cum Scriptura aperitur nobis, vel per nos, vel per alios. Meditatio cum ſtudioſa mente occultæ veritatis notitiam per rationem inueſtigamus. Oratio verò eſt deuota cordis intentio, & pro bonis adipiſcendis & malis amouendis ſupplicatio. Contemplatio eſt mentis in Deum ſuſpenſæ ſupra ſe quædam eleuatio æternæ beatitudinis gaudia degustando. Lectio ergò quærit, meditatio inuenit, oratio poſtulat, contemplatio deguſtat. Vnde quærite legendo, & inuenietis meditando, pulſate orando, & aperietur vobis contemplando. Spiritualiter autem loquendo debemus aſcendere tripliciter. Primò à ſtatu culpæ ad pœni-

Matth. 5.

2 Eſdr. 8.

Aſcendẽdum ad templum 4. gradibus.

Libr. de 4 gradibus ſpiritualibus.

pœnitentiam; ſecundo à pœnitentia ad iuſtitiã; tertio à iuſtitia ad cõtemplationis eminentiam. De primo aſcenſu dicitur. *Dauid aſcendebat cliuum oliuarum flens, & operto capite & nudis pedibus incedens*. Per quod ſignificatur aſcenſus peccatoris ad ſinum diuinæ iuſtitiæ, miſericordiæ & pietatis per eius conſiderationem, qui fleuit per contritionem, & operto capite per exteriorem confuſionem, nudat pedes, id eſt, reuelat affectus ſuos & deſideria per confeſſionem. Ita aſcendit ſanctus iſte publicanus, qui conſiderata pietate diuinæ miſericordiæ dixit; *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Benè mundauit pedes affectuum, qui ſe dixit peccatorem; operto autem capite, quia poſt confeſſionem non audebat oculos in cælum leuare. Et ſignificat ſtatum incipientium, quorum eſt erubeſcere pro peccatis. De ſecundo aſcenſu dicitur. *Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum*, id eſt, propoſitum tuum in operibus iuſtitiæ *& illuc aſcendiſti vt immolares victimas*, vincendo auaritiam per largitatem, ſuperbiam per humilitatem, concupiſcentiam per caſtitatem & ſobrietatem. Iſte eſt aſcenſus proficientium, quorum eſt intendere operibus iuſtitiæ ſatisfacientis. De tertio aſcenſu dicitur. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto*, quia verus contemplatiuus deſerit mundum & ſeipſum, delitijs affluens, per prælibationem gaudiorum internorum & æternorum innixa ſuper dilectum ſuum, quia nihil inter ipſum & Chriſtum, nihil appetit præter Chriſtum. Aſcende igitur à delitijs ad caſtitatem, à diuitijs ad charitatem, ab honoribus & excellentijs ad humilitatem. Et ſic aſcenditur à ſtatu culpæ ad pœnitentiam. De aſcenſu à delitijs ad caſtitatem habetur figura in actibus. *Aſcendebat eunuchus*, per quẽ figuratur vir iuſtus & continens, & fluxa concupiſcẽtiarum in ſe extinguens. Vade Hierem. *Ecce quaſi nubes aſcendet*, quia caſtitas eſt refrigerium & vmbraculum tentationum. De aſcenſu à diuitijs ad charitatem habetur figura in Iudicium. *Aſcendit flamma altaris in cælum, & Angelus Domini pariter in flamma aſcendit*. Quod ſit quando cor inflammatur per amorem, tunc enim aſcendit per charitatem. De aſcenſu ab honoribus ad humilitatem habetur figura apud Iſa. 53. *Aſcendet ſicut radix de terra ſitienti.* Radix, quæ terra tegitur, ſignificat humilitatem, quando ſe ſemper occultat & abiectam & vilem reputat, & tamen arborem ſuſtentat & ramos viuificat. Ille etiam, qui aſcendit à pœnitentia ad iuſtitiam, debet aſcendere ad tria. *Primo* in cor ſuum, vt recogitet peccata. *Fons aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ*, quia ex recogitatione peccatorum ſequitur effuſio lachrymarũ. *Secundo* debet aſcendere in Deum vt recogitet eius mandata. *Aſcendamus in montem Domini* Et ſequitur. *Docebit nos vias ſuas*, id eſt, mandata. *Tertio* debet aſcendere in proximum, vt omnia inter ipſum & illum ſint pacifica. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui.* Alter Angelus eſt pacificus Chriſtianus, quia Angelus nunquam iraſcitur, qui habet ſignum Dei, id eſt ſignum crucis & reconciliationis fraternæ, quia per crucem nos reconciliauit. Sic & nos debemus fratribus reconciliari. Luc. 6. *Vade prius reconciliari &c.* Ille etiam qui aſcendit à iuſtitia ad contemplationis eminentiam debet aſcendere ad tria. *Primo* debet aſcendere ad contemplandum patris poteſtatem. *Aſcendet quaſi aquila & volabit.* Aquila ſignificat contemplantem, qui propter viſum limpidiorem & volatum altiorem debet conſiderare diuinam poteſtatem in creaturis, omnia ſua opera referendo in Deum, vt cognoſcat ſuum defectum. *Secundo* debet aſcendere ad contemplandum filij veritatem. Exod 9. *Aſcendit in montem, vbi prohibetur promiſcuum vulgus aſcendere.* Moyſes ſignificat virum à fluxu mundi ſeparatum. Interpretatur enim aſſumptus ex aquis, ad ſignificandum quod nullus habet veritatem melius cognoſcere niſi qui fluxum mundi deſerit. *Tertio* debet aſcendere ad contemplandum Spiritus ſancti bonitatem. *Aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius*. Palmam ſignificat Spiritum ſanctum, propter dulcedinem fructus donorum & gratiarum ipſius. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Iſti aſcenſus ſunt multum vtiles, quia patris poteſtas conſiderata inducit timorem. Filij veritas indu-

Ierem 4. *Iud 13.* *Aſcendens à pœnitentia ad iuſtitiam aſcendit ad tria.* *Geneſ 2.* *Iſa 2.* *Apoc. 7.* *Aſcendens à iuſtitia ad contemplationem aſcendit ad tria.* *Ierem. 49.* *Cant. 8.*

cit timorem. Filij veritas inducit dolorem. Spiritus ſancti bonitas inducit amorem. Et tantum de ſecundo.

III.

Vt orarent. Ad hoc debet eſſe totum noſtrum propoſitum & ſtudium, vt oremus pro defectibus noſtris amouendis & donis ſuis largiendis. Nec immeritò. Non ad orationis perfectionem omnium tendit ſtructura virtutum, & ipſæ virtutes abſque orationis iunctura non poſſunt compleri. Circa quod conſideranda ſunt tria. *Primo* qualis debet eſſe orans. *Secundo* qualis debet eſſe oratio ad formam verborum. *Tertio* de modo orandi. Primo igitur debet eſſe orans bene diſpoſitus, ſcilicet contritus & humilis, & hoc non ſolum in oratione, ſed etiam ante orationem debet ſe homo diſponere. Vnuſquiſque antequam in oratione procumbat, omnes cogitationes ſuperfluas ab animi ſui intentione repellat inquit Euſeb. Cæſar. Et Iſido. Purgãdus eſt prius animus temporaliũ rerũ cogitationibus, vt pura acies cordis ad Deũ verè & ſimpliciter dirigatur. Quales in oratione volumus inueniri, tales nos oportet ante tempus orationis præparare. Ex præcedenti enim ſtatu mens in ſupplicatione formatur. Et idcirco quicquid volumus, vt nobis orantibus non ſurrepat, ante orationem de noſtro pectore debemus euellere; ſunt autem remouenda ante orationem, *Primo* ſollicitudo rerum temporalium eſt penitus abſcindẽda. *Secundo* nullius negotij curam nec memoriam admittamus, *Tertio* detractiones & vaniloquia & omnes ſcurrilitates ſimiliter amputemus. *Quarto* iræ & triſtitiæ perturbatio funditus eſt eruenda. *Quinto* fomitem carnalis concupiſcentiæ à corde noſtro radicitus euellamus, & ita quibuſlibet vitijs penitus abſciſſis iacienda ſunt primum profundæ humilitatis inconcuſſa fundamenta. De ſecundo, ſcilicet de forma verborum orationis, ſciendum, quod oratio noſtra debet eſſe ad ſimilitudinem orationis iſtius publicani, & iuxta conſilium Saluatoris, *Orantes nolite multum loqui*; & iuxta ſuaſum Apoſtoli dicentis; *Volo vos in Eccleſia quinque verba loqui*. Iſta quinque verba ſunt verba publicani, ſcil. *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Sed diceres, ſi ſic, igitur non eſt diutinè orandum, ſicut hodie dicunt hæretici, qui omnibus officijs diuinis & eccleſiaſticis dimiſſis, paucis vtuntur verbis in Miſſa & alijs horis, allegantes illud Matthæi. 6. *Orantes nolite multum loqui.* Ad quod reſpondetur, quod Chriſtus non intendit prohibere diuturnitatem orationis. Nam *ipſe erat pernoctans in oratione.* Sed per illa verba elidit quendam errorem gentilium quo credebant orationes vocales quantò prolixiores, tanto eſſe meliores. Sic etiam putabant phariſæi, quod oblatio quanto eſt maior, tanto eſt melior. Deſtruens igitur hunc errorem Chriſtus, ponit exemplum de vidua paupercula, quæ non ex magnitudine oblationis, ſed intentionis commendata eſt. Non ergo Chriſtus prohibet ſimpliciter prolixitatem orationis, ſed eo modo, quo ethnici faciunt & gentiles. Populus enim gentilis erat in errore quadruplici in hac parte. *Primo* arguebant, ſi oratio aliqualiter diuturna eſt bona, oratio duplo diuturnior, eſt melior. Et ſic in infinitum. Sed neſciunt quia virtus conſiſtit in medio, ideo non poteſt excedere medium ſibi à ratione determinatum. Oratio ergo vocalis de quanto excitat deuotionem interioris hominis orantis, tantum eſt vtilis. Si autẽ diſtrahit, tunc eſt nociua. Ita D. Tho. *Secundo* putabant, quod oratio vocalis poteſt per ſe eſſe meritoria, ſicut hodie putant fatui Chriſtiani. Sed conſtat quod oratio facta indebitè, ſc. in mortali peccato, vel ſine deuotione mẽtali, eſt nociua. Vnde Auguſtinus in epiſt. 4. ad Probam viduam, quę fuit vxor Adelphi conſulis, quod Chriſtus non prohibet diuturnum affectum, cum ipſemet in huiuſmodi oratione pernoctauit. Sed prohibet multa loqui ſuperflua. Vnde dicit Auguſtinus. Abſit ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio ſi feruens perſeuerat intentio. Vnde patet, quod multa loqui in orãdo, eſt rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum enim orare eſt multum eum, quem precamur, diuturna cordis intentione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam ſermoni-

Orans qualis eſſe debeat.

lib. 2. de ſum. bono c. 7.

Forma orationis qualis eſſe debeat.

Matth. 6.

An bonũ prolixè orare.

Luc. 6.

Marc 12. Luc. 12.

Error gentilium circa prolixitatem orationis quadruplex.

2. 2. q. 2.

Auguſt.

monibus agitur, plus fletu quam affatu. Et ex hoc vult Auguſtinus, quod ſolum illa oratio eſt meritoria, quæ præcedit ex diuturnitate affectus deuotionis, licet verba ſint breuia vel interdum nulla, ſicut patet de Moyſe. Et de Anna, qui ambo quaſi tacendo orabant, & tamen in conſpectu Dei dicebantur clamare. *Tertio* putauerunt gentiles quod Dominus verbis compoſitis aut perſuaſiuis & coloratis potius moueretur, quam alijs ad exaudiendum; vel quod abſens vocibus altioribus prouocaretur; vel quaſi ignorans verborum ambagibus doceatur. Cui opinioni illudit Elias dicens gentilibus prophetis Baal; 3. Reg. 18. *Clamate voce maiori; Deus enim veſter eſt, & forſitan cum alio loquitur, aut in diuerſorio, aut in itinere, aut certè dormit vt excitetur*. Quæ verba loquitur propheta ſecundum eorum falſam opinionem in eorum perſona, vt experientia operis error eorum deſtruatur. Vnde ſequitur. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Et iſtum errorem recitat Chryſoſtomus ſuper Matthæum Homil. 2. *Quarto* errabant in hoc, quia non credebant ſufficere vnam orationem ad omnia impetranda. Et ideo multiplicabant orationes ſecundum multiplicationem temporalium orantes prolixè: Sed Chriſtus per oppoſitum dixit; *Primum quærite regnum Dei &c. & omnia hæc adijcientur vobis*. Et in oratione ſua ſolum docet petere panem noſtrum quotidianum pro omnibus temporalibus. Quo ergo ad hanc perfectionem forma verborum orationis iſtius publicani fuit multũ commendabilis, quia breuis in verbis, & in ſenſu vtilis, quia petit remiſſionem peccatorum.

Exod. 14. & 17.
1. Reg. 1.
Matt. 6.

Quantum ergo ad formam diuerſorum negotiorum pro quibus formatur & regulatur noſtra intentio, eſt ſciendum, quod Apoſtolus ponit quatuor ſpecies ſupplicationum. *Prima* eſt obſecratio, quæ fit pro peccatis vel præteritis vel præſentibus, per quam venia poſtulatur, & pertinet ad incipientes. Et hanc Chriſtus in ſe exemplificauit cum orauit dicens; *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*. *Secunda* eſt oratio, in qua aliquid Deo offerimus vel vouemus, quod fit cum quaſi ſpreto mundo ſpondemus nos tota intentione Domino ſeruituros. Et iſta reſpicit illos, qui iam ſunt in profectu ſpirituali, & appetitu virtutum, & quadam mentis ſublimitate. Et hanc Chriſtus in ſe oſtendit, cum dicit; *Pater ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi*. *Tertia* eſt poſtulatio, quam pro caris noſtris; vel pro pace totius mundi ſolemus emittere. Et iſta reſpicit illos, qui perfecti exiſtentes in ſe pro alijs intercedunt. Et hanc Chriſtus etiam in ſe oſtendit, cum dixit; *Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum & illi ſint mecum*. *Quarta* eſt gratiarum actio, quam pro beneficijs diuinis vel etiam æternaliter præparatis anima Deo per ineffabiles exceſſus refert. Et pertinent iſta ad contemplatiuos, quam etiam Chriſtus habuit, cum dixit; *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ*, id eſt, gratias ago tibi ſecundum Hieronymum. Licet autem Chriſtus iſtas ſpecies ſingulariter & ſeorſum oſtendit, tamen poſſunt omnes ſimul in vnam miſceri. De tertio, ſcilicet de modo orandi, eſt ſciendum, quod modus orandi debet eſſe ordinatus & regulatus tam in mente quam in corpore. In mente quidem debet habere octo conditiones ſecundum Iſidorum. *Primo* nanque debet eſſe oratio cum gemitu & recordatione propriorum defectuum, ſicut iſte publicanus fecit percutiẽdo pectus ſuum & recognoſcendo ſe peccatorem Pſalm. *Rugiebam à gemitu cordis mei* Et iterum. *Gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Et Iſa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos*. Gemitus iſte ex duobus oritur, ſcilicet vt conſideremus quam grauia ſunt peccata, quæ commiſimus, & quam dira inferni ſupplicia, quæ timemus. *Secundo* propoſitum abſtinendi à peccatis commiſſis. Nam nihil proficit oratio, ſi denuo committitur, vnde iterum venia poſtulatur. *Tertio* cogitationum ſegregatio.

4. Species orationum.
1. Obſecratio.
2. Oratio.
Ioan. 17.
3. Poſtulatio.
4. Gratiarum actio.
Matt. 11.
lib. 3. de ſum. bo. cap. 7.
Modus orandi ex parte mentis 8 conditiones habet.

Tunc

Tunc veraciter oramus, quando aliunde
1. Cor. 14. non cogitamus. Vnde Apoſtolus. *Orabo ſpiritu, orabo & mente* *Quarto* debet offendenti proximo mala dimittere. Nam ille, qui habet rancorem contra proximum, ſimilis eſt illi qui vult mederi, & ferrum nō vult deponere de vulnere. Vnde dicitur
Eccl 28. Eccl. *Remitte prius nocenti te, & tunc tibi depracanti peccata ſoluentur.* Vnde iuxta ſententiam Chriſti peccat qui pro inimicis non orat; qui contra inimicos orant, & amaros fundunt gemitus, illorum oratio in peccatum conuertitur. *Quinto* debet habere confidentiam, vt non deſperet de eo obtinendo pro quo orat. Nam inaniter orat,
Iacob. 1. qui ſpei fiduciam non habet. Vnde Iacob. 1 *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Procedit autem iſta diffidentia & dubitatio, ex eo, quando homo ſe ſentit circa affectionem peccandi verſari. Non enim poteſt habere preces certas & fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei pigritat, & peccati recordatione delectatur. Qui à præceptis Dei auertitur, quod poſtulat in oratione non meretur. *Sexto* requiritur, vt habeat
Thren. 3. bona opera qualiacumque. *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum.* Quod exponit Iſido. dicēs: Cor cū manibus leuat, qui orationem cum opere ſubleuat. Nam quiſquis orat & non operatur, cor leuat & manus non leuat. Sed certè ſecundum ipſum culpabiliter manus ad Deum expandit, qui facta ſua orando iactanter prodit, ſicut phariſæus in templo iactanter orabat, ſeque magis quam Deum de operibus iuſtis laudare volebat, & talis oratio conuertitur in peccatum, quia ſecundum Iſido. Qui iactanter orat, laudem appetendo humanam, non ſolum eius oratio non delet peccatum, ſed ipſa conuertitur in peccatum. *Septimo* requiritur, vt habeatur perſeuerantia in aduerſis.
Deus cur differat exaudire. Differt autem Deus exaudire preces iuſtorum in tribulationibus propter tria, ſecundum Iſidorum. *Primo* vt conſiderantes, quod non cito exaudimur, nobis facta noſtra in oculis noſtris proponamus, vt hoc ipſum quod differtur, diuinæ deputetur iuſtitiæ, & culpæ noſtrę. *Secundo* ideo, quia Dominus ſic non exaudiendo eos ad voluntatem, diſponit exaudire ad vtilitatem & ſalutem. Sicut contigit Apoſtolo, qui licet ter petijt amotionē ſtimuli, non tamen impetrauit, quia impediuit talis exauditio ad profectum. *Tertio* differt Deus exauditionem, vt impiorum peruerſitas augeatur. Veruntamen quando iuſti temporaliter audiūtur pro eorum ſalute, qui eos affligunt, vt dū illis tēporali remedio ſubuenitur, prauorū oculi ad cōuerſionē aperiantur. De hoc habetur exēplū ſecundū Iſido. in tribus pueris, quorū ignis frigidus fuit, ideò, vt Nabuchodonoſor Deū verū agnoſceret. Sicut & propheta in Pſal. ait. *Propter inimicos meos eripe me Domine.* *Quarto* ideo citò non exaudiuntur, vt dum differuntur orationes excitatæ maioribus præmijs cumulentur, de quo ponit exemplum Iſidorus de meſſe, quæ quanto plus differtur repreſſione frigoris, tanto fruges cumulatiores creſcunt. *Octauo* requiritur, vt habeatur recta intentio, ſcilicet vt non oret quis propter hoc, vt videatur ab hominibus, ſed tantum à Deo. Nám proprium eſt hypocritarum offerre ſe in oratione cunctis videntibus, quorum fructus eſt non Deo placere, ſed gloriam ab hominibus comparare. Hæc Iſidorus.

De modo verò regulato & ordinato in corpore qui habendus eſt in oratione, ſciendum eſt, quod ſextuplex eſt modus orandi. *Modus orandi ex parte corporis ſextuplex.* *Primus* extendendo manus & brachia trans caput verſus cœlum, non ſedendo nec appodiando, ſed erectus ſtando, iuxta illud Pſalm. *Exaudi Domine vocem meam dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum* Item Pſal miſſa; Pſal. 133. *In noctibus extollite manus veſtras.* Idem 140. Item in alio. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Sic orabat ſanctus Martinus, de quo dicitur; hic oculis ac manibus in cælum intentus &c. Sic orabat Moyſes contra Amalechitas. Exod. 17. *Secundus* modus orandi eſt manibus vlnis expanſis in modum crucis eleuatis. Pſalm. *Clamaui ad te Domine, tota die expandi manus meas ad te.* Sic orauit Saluator in cruce. Sic Helias orauit ſuſcitando filium viduæ vbi dicit; *Expandit ſe & menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus dicens; Domine Deus* 4. Reg. 4. *obſecro reuertatur anima pueri huius in corpus ſuum.* *Tertius* modus orandi eſt

ſtando

ſtando comploſis manibus ante faciẽ ſuã. Sic orauit Phinees, ſicut dicitur in Pſal. *Stetit Phnees & placauit & ceſſauit quaſſatio.* *Quartus* modus orandi eſt poſitis genibus in terrã. Sic orauit leproſus. Marci 1. de quo dicitur *quod genu flexo dixit; Domine ſi vis potes me mundare.* Sic orabat Stephanus
Act. 7. poſitis genibus. Sic orabat Paulus qui de ſe dicit, *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Sic orauit Iacobus frater Domini, qui centum vicibus per diem, & centum per noctem curuauit genua. *Quintus* modus orandi eſt, quando orans proijcit ſe in terra. Sic adorauerunt magi proij-
Pſal. 94. cientes ſe in terram, de quibus dicitur. *Ve-*
Matth. 2. *nite adoremus & procidamus ante Deũ.* Et: *procidentes adorauerunt eum.* *Sextus* modus orandi eſt cum quis ſtando incuruat ſe & oculos ſuos defigit in terram erubeſcendo. Sic fecit hic publicanus dicens illud; *Non ſum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum.* Et iſte eſt optimus modus orandi pro ſimplicibus & priuatis perſonis. Sic Magdalena retro ſecus pedes Domini ſtãs rigabat eos lachrymis. Sic Petrus non veniens in faciem Domini ſed exiens foras fleuit amarè. Vt igitur oratio noſtra exaudiri mereatur, vt peccata nobis cum publicano remittantur, aſcendamus hodie deuotionis affectu in templum noſtræ conſcientiæ, contemplantes ibi diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem & eius miſericordiæ pietatem, quatenus ſic exorando deſcendamus iuſtificati in domum noſtram, & tãdem ſuſcipi mereamur in domum ſempiternæ gloriæ. Ad quam nos perducere dignetur Pater & Filius & Spiritusſanctus.

DOMINICA VNDECIMA POST TRINITATEM.

SERMO II.

Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & omnis qui ſe humiliat exaltabitur. Lucæ 18.

Via ad cœlum humilitas eſt

NON eſt alia via ad capeſſendam & obtinendam ſummam veritatem, quæ eſt vita æterna, quam humilitas. Et quotiens interrogares, dicerẽ quod hæc eſt via, ſcilicet humilitas. Non ita, quod non ſint alia præcepta Dei, ſed niſi humilitas omnia, quæcunque benè fecerimus, & præceſſerit & comitata fuerit, & cõſecuta & poſt-
Epiſto. 56. ad Dioſcorum. poſita, totum ſuperbia de manu extorquet. Hæc Auguſt. Hinc eſt quod Saluator veniens in mundum nunciauit nobis nouã viã,
Heb. 10. vt dicit Apoſtolus, viam, inquã, humilita-
Philip. 2. tis, per quam exinaniuit ſemetipſum formã ſerui accipiens. Hanc quoq; omnibus diebus ſuis in ſe imitandam docuit. Matth. 11. *Diſcite*, inquit, *à me; quia mitis ſum & humilis corde.* Quod tractans Auguſt. in li. de verb. Domini dicit; *Diſcite*, inquit, *à me*, nõ mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, nõ in ipſo mundo miracula facere & mortuos ſuſcitare, ſed quoniam mitis ſum & humilis corde. Et rectè Chriſtus incipit ab humilitate, quia ſecundum Auguſt. ibidem dicitur, hæc eſt fundamentum totius fabricæ & celſitudinis cœleſtis. Excelſa namq; eſt patria, ſed humilis eſt via. Et licet humilitas ſic appareat, tamen ea nihil eſt excelſius, vt dicit Amb. ſuper Lucam. Hãc viam Chriſtus ſe appellãs Ioan. 14.
dicit; *Ego ſũ via, veritas, & vita.* Quod tra- Lib. de 12.
ctans Bernard. Viã, dicit humilitatem, quæ gradibus
ducit ad veritatem. Si ergo proponit exem- humilit.
plum humilitatis & manſuetudinis formã, hic eſt legislator, qui legẽ dedit delinquẽ-

tibus in via. Viam, inquit Berna. humilitatis per quam ad cognitionem redeant veritatis. Hæc eſt ſcala illa, quam Iacob vidit, de cuius ſummitate Dominus proſpiciebat ſuper filios hominum. Bona via humilitatis, in qua veritas inquiritur, charitas acquiritur; generationes ſapientiæ participantur. Hæc Bern. Cum igitur non ſit alia via perueniēdi ad patriā cœleſtem præter humilitatem, nō immeritò nullus exaltatur ſine illa. Statuit igitur diuina iuſtitia,

Matt. 18. *niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et quid mirum, ſi nullus ſanctorum exaltatur ſine ea, cū etiam nec ipſe filius Dei exaltari voluit ſine illa. *Humiliauit enim ſeipſum, formam ſerui accipiēs, propter quod,* ſc. meritum humilitatis & o-

Phil. 2. bedientiæ. *Deus pater exaltauit illum, & donauit illi nomen, quód eſt ſuper omne nomen.* Sed nunquid alia via, non fuit ad cælū perueniendi. Certè non, ſecundum diuinam iuſtitiam & congruentiam, licet potuit fieri alia ſecundum omnipotentiam. Nam iuſtum eſt, quod quia diabolus rex ſuperbię, per viam ſuperbiæ venerat in paradiſum, & de paradiſo primum hominem eadē via eiecit in mundum, & tandem de mundo traxit genus humanum eadem via ad infernum. Sicq; altus & ſuperbus, qui ſe exaltauit, iuſtè humiliatus eſt, venit tandem filius Dei rex regum & Dominus dominantium coęternus & coæqualis Deo patri in potentia, ſapientia, & bonitate, atq; ita ſublimis in maieſtate & excelſus, terribilis rex magnus ſuper omnem terrā, qui exiſtens altus, immò altiſſimus ſolus in omni terra, non ſolum mortalium ſed etiam viuentium in ſęcula, & humilis factus ſe humiliauit voluntate non neceſſitate coactus, eo quod oblatus eſt, quia ipſe voluit, vt per humilitatis viam celſam conſcenderet patriam, ac per hoc nos doceret exemplo ſuo, quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, ſicut diabolus, & omnis qui ſe humiliat exaltabitur, ſicut Chriſtus noſter Dominus Dei filius. Itaque

Propoſit. rectè dicitur, *quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat &c.* In quibus verbis tria nobis conſideranda occurrunt. *Primò* vitium deteſtabile elationis, cum dicitur, *Omnis qui ſe exaltat. Secundò* præconium laudabile humilitatis, cum dicitur, *Et omnis, qui ſe humiliat. Tertiò* vtriuſque meritum præmiabile ratione diuerſæ mercedis, quia illud *humiliabitur*, iſtud, *exaltabitur.*

I.

Omnis qui ſe exaltat humiliabitur. Circa hoc tria ſunt conſideranda. *Primò* quantum malum eſt elationis ſeu ſuperbiæ. *Secundò*, quomodo agnoſcitur eius malitia. *Tertiò* qualiter fugatur eius nequitia. De primò dicit Ambro. quod ſuperbia eſt peruerſæ celſitudinis appetitus, quam peruerſitatem deſcribit Auguſt. dicēs quia ſuperbus inferiorem cōtemnit, deſpicit parem, & ſuperiori appetit dominari. Ecce peruerſitas Vnde quaſi omnibus cōtemptis, quibus ſubeſſe debuit, ſe exaltat ſupra alios. Cuius malitiam deſcribens Iſidorus lib. 2. de ſum. bon. c. 38. dicit; Omni vitio deterior eſt ſuperbia. Nec mirum ſi dicit eam omni vitio deteriorem, cum ſecundum Aug. alia quæcūq; iniquitas malis operibus exercetur, vt fiant; Superbia verò in bonis inſidiatur, vt pereant. Hinc Pſalmus dicit ſuperbiā delictum maximum, *Et emundabor à delicto maximo.* vbi Auguſtinus: A quo alio niſi à peccato ſuperbiæ, quo non eſt maius peccatum, eo quod facit hominem apoſtatare à Deo? Verè ergo ille immaculatus eſt, qui hoc vitio caret. Hæc ille. Innocent. quartus in gloſſa Pſalmi prædicti dicit maximum delictum, quia diabolus qui prim⁹ peccauit eo crimine deliquit. Et dicitur delictum, quaſi à delinquente factum; maximum, quia directè opponitur Deo; Iſa 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Et propter hoc Deus directè illi reſiſtit. Eſt igitur hoc peccatū maximum, quia cæteris generoſum naſcendo, ſicut rex maximus eſt inter nobiles propter generoſitatē. *Secundò* maximum, quia cęteris animoſius in inuadendo. Sicut leo maximus beſtiarum. propter animoſitatem. *Tertiò* maximum, quia cæteris cautius in alliciendo; ſicut mel dicitur maximum inter dulcia, quia maximè allicit guſtū. De primo quomodo hoc vitium eſt generoſum naſcendo, patet, quia eſt natura ſpirituale, & inter angelicos ſpiritus primum adinuentum. Et ideò nobi-

1. Superbia quātū malum.

Pſal. 118.

Iacob 4.
1. Pet 4.

Superbia naſcendo generoſa.

lēs mētes primum impetit. Vnde Hieron. *Hierony.* Superbia natione cœleſtis ſublimium appetit mentes, & quaſi ad proprios reuolans ortus appetit gloriam, & puritatem hominum vult rumpere, quæ de gloria & puritate angelorū erupit, ſiue orta eſt, & quos inuenit participes naturæ, facit conſortes ruinæ. Sic tamen fatua eſt, quod ad domū neſcit redire, ſcilicet in cœlum. *Hugo lib. de anima.* Et huic concordans Hugo dicit, Superbia in cœlo nata eſt, ſed velut immemor, qua via inde ceciderit, illuc poſtea redire non potuit. *Superbia animoſa in inuadendo.* Secundò ſuperbia eſt vitium animoſius in inuadendo, quia non parcit nec perſonæ, nec tempori, nec ſtatui; non parcit loco, quia quanto locus ſolennior, tanto ſuperbia promptior; in congregationibus, in prædicationibus, in quibuſcunque publicis negotijs ſtatim ſuperbia ſe immiſcet; quia in Eccleſia, in loco ſacro validè lucratur, ſicut patet hic de phariſæo, quem ſibi lucrata eſt. Ibi enim vtriuſque ſexus perſonæ in ornatu, in geſtu, maximè in eccleſia vbi contritioni & humilitati ſe dare deberent, oſtentationi ac ſuperbiæ magis ſtudent, quam deuotioni. Superbia non pepercit *Matth. 4.* perſonæ, quia non Chriſto. Ipſum enim ſpiritus ſuperbię inuaſit angelum primum & hominem primum, nec eſt qui ſe abſcōdat ab ea, quia dicit Hieronymus, difficilius arrogantia quam auro aut argento caremus. Vnde Auguſt. in epiſt. ad Dioſcorum: Vitia cætera in peccatis, ſuperbia verò in rectè factis cauenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Non parcit tempori, immò quantò dies ſanctior, vt in Natali & in Paſcha &c. tātò magis infeſtat; minus de nocte quam de die; amat ſemper lucem, quia de patria lucis orta eſt, ſcilicet de cœlo. Nō parcit ſtatui, quia tam ſenes quā iuuenes, tam religioſos quam ſeculares inuadit; diuites, pauperes, inferiores, ſuperiores. *Superbia cauta in alliciēdo.* Et ideò metrice dicitur, *Cum benè pugnatis, cuncta ſubiecta putatis: Quæ poſt infeſtat vincenda ſuperbia reſtat.* Tertiò ſuperbia eſt vitium cæteris cautius in alliciendo. Facilè enim eſt declinare gulam, & vitare luxuriam, furta, homicidia, non ſic autem ſuperbiam. Vnde dicit Gregorius 33. lib. morali. Superbia eò quod minus turpis creditur, minus vitatur, luxuriam verò eo magis homines erubeſcunt, quò ſimul omnes turpem nouerunt.

2 Superbiæ malitia difficulter cognoſcitur. Secundò quomodo cognoſcatur eius malitia, dicit Henricus de Vrimaria lib. 1. de perfectione interioris hominis capit. 8. quod duo ſunt eius genera. Vnum corporale, quod carnales inſequitur; aliud ſpirituale, quod pernicioſius eſt, quia illos ſpecialius impugnat, quos nouit in virtutibus profeciſſe; ſicut patet hic de phariſæo, quem ſpiritualibus donis ſpoliauit. Sed quia iſtud vitium vt communiter de bonis actibus & virtutibus naſcitur, ideò difficile cognoſcitur. *Occultat ſe ſub 3. virtute.* Occultat enim ſe ſicut ſerpens ſub folijs arborum virentium, ita illud ſub triplici ſpecie virtutum. *Primò* ſub ſpecie ſimulatæ iuſtitiæ. Et hoc maximè apparet in illis, qui ſub ſpecie zeli & rectitudinis aliorum dicta & facta temere reprehendunt. Tales in ſe confidentes tanquam iuſti cæteros aſpernantur more phariſęi, qui publicanum reprehendit, & ſeipſum falſe iuſtificauit. *Secundò* occultat ſe ſub fallacia ſpiritualis profectus proximi. Eſt iſta ſpecies eſt longè pernicioſior quam prima, ſicut dicit Auguſtin. lib. 10. confeſſ. Hic penè nulla datur facultas homini ſeipſum explorandi, videlicet in illis actibus, quos quis pro ſalute aliorum exercet, quin in eis ſe aliqua elatio vanitatis immiſceat, quod fit in prædicatione, & alijs bonis actibus. *Tertiò* ſe occultat ſub ſpecie humilitatis & fictæ ſāctitatis, ſicut patet de illis, qui de mundi contemptu & de ſordidis veſtibus in ſeipſis gloriantur. Et de hac dicit Hieronymus ſuper Marcum; Multo illa deterior eſt ſuperbia, quæ ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet; Neſcio enim, quam turpia ſunt vitia cum virtutum ſpecie celantur. Sūt tamen aliqua ſigna quibus ipſa ſuperbia cognoſcitur Nam tales ſuperbi ſecundum Henricum ſunt in loquela clamoroſi, *Vbi paulo ante.* in taciturnitate amari, in lætitia effuſi ſeu diſſoluti, expertes patientiæ, audaces

ad contumelias irrogandas, ad tolerandas puſillanimes, ad obediendum difficiles, in ſuis conceptibus pertinaces, aliorum conſilijs non acquieſcentes, ſuo potius quam ſeniorum conſilio credentes. Hæc ille. Sed quia de ſuperbia naſcitur arrogantia, eo quod ſecundum Iſidorum. Occulta mentis elatio apertam gignit ſuperbiã; Ideò ſuperbia melius cognoſcitur per vanam gloriam ſeu arrogantiam, quæ cognoſcitur per ſeptem. *Primò* enim vanè glorioſus eſt inobediens, refugit namque inferior videri. *Secundò* contendit cum clamore. *Tertiò* iactat ſe, vt laudabilis appareat, enumerando bona, ſicut iſte phariſæus. *Quartò* per hypocriſim quærit hominibus exterius apparere. *Quintò* pertinaciter facta mala defendit, ne erraſſe videatur. *Sexto* diſcordat à communitate, ita videlicet quia contra commune dictum aſſumit contrarium, propter vanam gloriam. *Septimo* nouitates inuenit, vt laudetur. Præſumptio autẽ vanę gloriæ in nobis procedit ex præſumptione propriæ perfectionis. Ex quo ꝓcedit quod gratias nobis à Deo collatas magnificamus nimis, & culpas noſtras attenuamus. Et ideò vix eſt aliquis, qui benè iudicat de ſeipſo. Vnde Terentius in quadam comedia, ita verè corrupta eſt omnium hominum natura, vt aliena melius iudicent, quã ſua. Et Tullius in Oratore: arrogãtes & vanè glorioſi ita ſua facta reputant, ac ſi per ea omnes alij ſupportarentur; ſicut exemplificat de imagine picta ſculpta ſub aliquo ædificio, quæ putatur totum ædificium portare, cum tamen ſine ea ædificium ita ſtet, ſicut cum ea. Iſti ſunt ſimiles cuidã amenti ſeu phrenetico, qui noluit intrare domum. Et cum quæreretur quare, reſpõdit, quod ipſe ſupportabat cœlum. Et ſi ad horam dimiſiſſet cœlum, eſſet caſurum. Contra iſtos dicitur Iſaiæ 47. *Sapientia tua & ſciẽtia tua hæc decepit te.* Hæc autẽ ignorantia ſui in talibus procedit ex hoc, quia tota conſideratio eorum qua debuerunt cœleſtia conſiderare, tranſiuit in pennas ambitionis, ſicut veſpertilionibus, qui ideò habent oculos debiles, quia humor oculorum tranſiuit in pennas alarum. Et ideò Saluator dicit Marc. 13. *Videte voſmetipſos.*

Vbi ſupra

Superbia optimè cognoſcitur ex vana gloria.

Tertiò iſtũd vitium fugãdum eſt per tria remedia. Primum eſt exemplum humilitatis Christi qui dicit; *Diſcite à me quia mitis ſum.* Matth. 11. De quo Augu. dicit ſuper epiſt. ad Philip. Ecce habes humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum, quid ergo intumeſcis ô homo? pellis morticinia quid tenderis? ſanies fœtida quid inflamaris? princeps tuus humilis, & tu ſuperbus; caput humile & membrum ſuperbũ. Secundum eſt recognitio propriæ fragilitatis. Primò attendendo vtilitatem ſuæ cõceptionis. Secundò breuitatem ſuæ durationis. Iſta benè cõſiderans Salomon Sap. 7. dicit. *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt.* Vbi tria de ſe profitetur, ſcilicet infirmitatem propriæ naturæ; conformitatẽ alienę; & diffitetur generoſitatẽ. inſirmitatem confitetur, quia dicit ſe mortalem. Hæc enim conſideratio eſt ſumma philoſophia omnium ſapiẽtum. Pauo quãdiu videt pennarum pulchritudinem, tamdiu gloriatur, ſed viſa pedum deformitate confunditur & erubeſcit. Sic nos conſiderantes finem noſtrum debemus erubeſcere. Ex hoc infero quod prima radix ſuperbiæ eſt ignorantia ſui, vt dicit Bernard. ſup. Cantica ſer 37. vbi ſic ait. De ignorantia tui, inquit, venit in te ſuperbia. Sicut enim ſuperbia parit ignorãtiam tui, cum meliorem quam ſis decepta, & deceptrix tua cogitatio te eſſe mentitur. Tertium remedium eſt conſideratio damni ex ſuperbia procedentis. Nam ſuperbia eſt ſicut beſtia peſſima & ferociſſima, omnium virtutum diſſipatrix. Nullum eſt vitium, quod omnes virtutes exhauriat, vt ſuperbiæ malum. Et ideò eſt generalis & peſtifer morbus, omnem ſtructuram virtutum ſimul deijciens, quæ nullo modo depelli poteſt melius, quam per timorem Dei & per veram humilitatem, quæ de manſuetudine cordis & eius ſimplicitate deſcendit.

3. Superbia fugatur tribus medijs.

1. Humilitate Christi.

2. Recognitione propria fragilitas.

3 Conſideratione damni ex ſuperbia manantis.

II. Om-

I. I.

Omnis qui ſe humiliat. Verè magnum præconium, de quo omnes prophetæ & ſcripturæ ſanctorum teſtimonium perhibent, vnde Auguſt. in lib. ad matrem ſuam dicit, quod humilitas eſt eximia virtus, quæ de terrenis facit cœleſtes. Eſt autem humilitas ſecundum Bernard. virtus qua homo veriſſima ſui cognitione ſibiipſi vileſcit. Circa quod tria ſunt conſideranda. *Primo* quanta ſit virtutis huius efficacia; *Secundo* quomodo acquiritur eius gratia; *Tertio* quomodo habetur eius notitia. *De Prima* dicitur Iſa. vlt. *Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum & trementem ſermones meos.* O quã fœlix, ad quẽ tantus Dñs reſpicit! cuius reſpectus fœcundat omni genere virtutum. Sic reſpexit matrem ſuam benedictam, quæ de ſe ait; *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Et quid inde prouenit ſibi ſubdit; *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ecce efficacia & vtilitas. Iudith. 9 *Humilium tibi ſemper placuit oratio.* Ipſis datur faciliter propiciatio 2. Paral. 12. *Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos, daboque eis pauxillum auxilij, & non ſtillabit furor meus ſuper Hieruſalem.* Ipſis datur intelligentia & ſapientia. pſal. 118. *Intellectum dat paruulis.* Ipſis reuelantur ſecreta cœleſtia. Matt. 11. *Reuelaſti ea paruulis.* Ipſa cuſtodit tentatos in periculis. Ipſa omnia bona & merita cuſtodit & congregat. Ipſa meretur gratiam *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Ipſa acquirit gloriam. Iob 22. *Qui humiliatus fuerit erit in gloria. De ſecundo*, ſcilicet quomodo acquiritur eius gratia, ſciendum quod beatus Bernard. ponit quinque, quibus acquiritur virtus humilitatis. *Primum* eſt amor propriæ vilitatis. Iſtud patet in Saluatore, qui non attenta gloria diuinæ maieſtatis in ſe, lauit pedes diſcipulorum. Ioan. 13. Et Dauid oblitus regiæ celſitudinis luſit coram arca diſcoopertus 2. Reg. 6. Vnde Aug. multum damnat illas viduas, quæ delicatis manibus horrent tangere pedes infirmorum. Iſte autem amor propriæ vilitatis ſurgit ex cognitione ſui. Nam homo conſiderans ſe vilem, non multum ponderat ſuam conditionem, & ita humilia de ſe ſentit. Propter quod dicit Bernard. cognitio & ſcientia ſui non inflat, ſed humiliat. Vnde & Iſaac de diffinitionibus dicit. Quod ſumma philoſophia eſt cognitio ſuipſius. Etiam apud gentiles ex reſponſo Apollinis idoli ſcriptum erat, quod nulla eſſet perueniendi via ad beatitudinem, quam cognoſcere ſeipſum. Vnde & Iuuenal. De cœlo deſcendit, γνῶθι σεαυτὸν, id eſt, cognoſce teipſum. Hinc Aug. vltra omnes ſcientias melior eſt cognitio ſui. Iſta ſcientia profuit Abrahæ ad humilitatem, qui legitur dixiſſe; *Loquar ad Dominum, cum ſim puluis & cinis. Secundo* acquiritur per exercitium propriæ ſubiectionis, vt homo ſit ſemper cum aliquo maioris conditionis, quem revereatur & timeat, vt dicit Seneca. *Tertio* acquiritur per comparationem alicuius melioris; hoc eſt, vt homo ſemper in corde ſuo collocet hominem ſuo iudicio meliorem, ad cuius vitæ conſiderationem totiens in oculis ſuis humilietur, quotiens eius fuerit recordatus, ſecundum Bern. Vnde Gregor. ait. Magna, quæ agimus quaſi minima reputamus, cum fortiorum exempla penſamus. *Quarto* acquiritur per conſiderationem ſuæ operationis, quæ eſt facilitas cadendi, difficilitas reſurgendi, aſſiduitas deficiendi, impoſſibilitas ſtandi, ſecundum Auguſt. *Quinto* acquiritur per conſiderationem occulti iudicij inſpectoris Dei. Vnde Boetius. Magna nobis, ſi diſſimulare nolumus, indicta eſt neceſſitas probitatis, cum ante oculos agimus iudicis cuncta cernentis.

Sunt autem duodecim gradus humilitatis. *Primus* in corde & corpore ſemper humilitatem oſtendere defixis in terram aſpectibus. *Secundus* pauca & rationabilia loqui verba, non clamoroſa voce. *Tertius* non eſſe promptum ad riſum. *Quartus* tacere vſque ad interrogationem. *Quintus* tenere quod communis regula ſeruat. *Sextus* credere & pronunciare ſe omnibus viliorem, ſicut hic publicanus. *Septimus* ad omnia ſe indignum & inutilem profiteri & credere. *Octauus* confiteri peccata. *Nonus* pro obedientia in duris & aſperis ad patientiam amplecti. *Decimus* cum omni obedientia ſe ſubdere maiori. *Vndecimus* volunta-

[Margin notes: *Bern. l. de 12 grad. humilitatis.* — *Humilitatis efficacia.* — *Luc. 1.* — *Iacob 4. 1. Pet. 4.* — *Humilitas acquiritur quinque.* — *Serm. 36 ſuper Cãt.* — *Aug. 4. de ciu. c. 1.* — *Gen. 18.* — *5. de conſol. philoſ.* — *Humilitatis gradus 12.*]

tem propriam non delectari implere *Duodecimus*, vt memor ſit omnium, & timeat de omnibus, quæ perceperit. Illa ergo anima, quæ habet hos gradus, poteſt dici verè humilis. Sancti plurimum ſtuduerunt adamare hanc virtutem. Refert Gregor. de Cõſtantio Manſionario, ad quem cum quidã audiens eius famam veniſſet, vt videret eũ, aſpiciens eius perſonam contemptibilem ait; Ego grandem hominem credidi. Iſte nihil habet de homine. Quod ille audiens, gratias egit ei dicens; Tu ſolus es, qui in me apertos oculos habuiſti; & ita deſpicientẽ ſe amplius amauit. Sic Chriſtus cum hono[illegible]tur à turbis, in ramis palmarum fleuit. [illegible] verò contem[illegible]r dixit; *Nolite flere ſuper me.* Vera er[illegible] humilitas eſt æſtimare ſe nihil eſſe, leg[illegible]ur etiam de quodam abbate in vitis patrum, quod cùm eſſet quæſitum, quomodo acquiſierit hanc virtutẽ, vt cum emergeret tribulatio in clauſtro, non loqueretur; Reſpondit; Quando intraui clauſtrum, propoſui in animo meo dicens; Tu & aſinus vnum eſtote. Sicut ergo ille percutitur & non loquitur, iniuriam patitur & non reſpondet; Sic & tu facias, prout ait Pſalmiſta. *Vt iumentum factus ſũ apud te.* Exemplum ibidem de alio refertur. Qui expulſus de domo exibat, reuocatus redibat. Qui interrogatus cur ita fecerit, reſpondit ſe ſimilem cani, qui ita facit. Narrat de Paſnucio abbate Ioannes Caſſian. li. 3. collationum, quod cum eſſet honorabilis in quodam clauſtro magno, videns ſe humilitatem non poſſe exercere, fugit inde ad aliud monaſterium diſtans, ibique humeris ſuis fimum portabat. Similiter narrat de Machario, qui fugit ad Pachomium; Et cum ei diceretur, quod non poſſet ſuſtinere labores ſicut alij. reſpõdit; Si me inferiorem videris, expelle. Et cum ibi eſſent mille quadringenti viri ieiunantes, abſtinentes, orantes, ipſe in angulo ſtabat vſque ad finem quadrageſimæ non panem guſtans, non aquam bibens, non genua flectens, non in terra iacens, ſed tantum folia cruda die Dominico ſumens, nõ os aperiens, non labijs loquens, ſed tantum iugiter orans, & manibus ſuis opus faciens. Iſtis & alijs modis & ſanctorum exemplis acquiri poteſt humilitatis virtus, & præcipuè exemplo Chriſti, qui vt omnium morborum culpas curaret, deſcendit de cœlo, & humilis factus eſt. Si ergo pudet imitari humilem hominem, ſaltem imitare humilem Deum. Propter hanc enim edocendam magnus Deus factus eſt paruus homo. *De tertio*, quomodo ſcilicet [illegible], ſciendum quod quinque ſunt ſigna perfectæ humilitatis. *Primum* eſt amor & familiaritas humilium perſonarum Eccleſiaſt. 13. *Omne animal ſibi ſimile diligit.* *Secundum* eſt, Si quis humilia exercitia & vilia ſeruitia exercet voluntariè & libenter, ſicut Chriſtus, qui dicit de ſe *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Sic Abigail aſſumpta in reginam à Dauid & dixit; *Ecce famula tua ſit tibi in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum tuorum.* Et glorioſa virgo regina cœli de ſe dixit; *Ecce ancilla Domini.* *Tertium eſt*, quando homo modicum de ſe præſumens aliorum quærit conſilia & eiſdem faciliter acquieſcit. *Quartum eſt* ſi correctiones manſuetè accipit, vt Chriſtus, qui poſt multas contumelias verborum, patienter & humiliter reſpondit. Ioan. 8. *Ego dæmonium non habeo.* *Quintum* ſignum eſt ſi homo promptè & humiliter ad quæcunque mandata obedit, ſicut Chriſtus dicit de ſeipſo; *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.*

li. 1. dial. cap. 15.

Exempla humilitatis in ſanctis.

Luc 19. [illegible]

Humilitatis ſigna 5.

III.

Hic humiliabitur; ille exaltabitur. Sciendum, quod humiliatio malorum non eſt aliud, niſi deiectio ad ſtatum ignominiæ; & econuerſo exaltatio bonorum non eſt aliud, niſi erectio à ſtatu contemptibili ad ſtatum gloriæ. De *primo* ſciendum quod humiliatio malorum ſeu deiectio eorum multum erit ignominioſa, defectuoſa, & doloroſa, quia erit cum maxima confuſione & abominatione omnium videntium. Iob. 20. *Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Ecce ignominia abominabilis. Quid enim ſterquilinio abominabilius? Iſtud figuratum eſt 2. Mach.

Humiliatio malorum 1. ignominioſa.

Mach.5.in Antiocho ſuperbo, qui tantæ ſuperbiæ fuit, quod reputauit ſibi terram ad nauigandum & mare ad ambulandum, qui tamen fuit ita abominabiliter fœtore percuſſus, quod ſcaturiens vermibus ſordebat vt canis, & tandem propter intolerabilem fœtorem fuit de exercitu ſuo eiectus miſerabiliter. Sic eijcientur à conſpectu ſanctorum omnes ſuperbi in die iudicij. O quam magna confuſio cadere in conſpectu Dei & ſanctorum angelorum, qui eos deridebunt! *Et tu Domine deridebis eos.* Prouerb.1. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo* Et de iuſtis dicitur. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.* Iſta ignominia etiam benè patet in rege Ioab, qui propter ſuperbiam ſuam, qua ſe adorari fecit vt Deum à principibus Iuda, ignominioſè fuit plagatus & in captiuitatem regis Syriæ
2. ductus. *Secundo* deiectio ſuperborum erit defectuoſa, quia ab omnibus delitijs, & voluptatibus, & omni gloria & decore ſpoliabuntur, & nudi & miſeri deijcientur. *Diues, cum dormierit nihil ſecum affert.* Et i-
Pſal.48. terum *Cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria domus eius.* Vnde
Idem,36. meritò comparantur fumo deficienti. Pſal. *Inimici Domini, mox vt honorati fuerint,* ſcilicet honoribus & potentijs, *& exaltati* gloria, *deficientes quemadmodum fumus deficient.* vbi dicit Innocent quartus. Quod geminatio defectionis duplicem defectum denotat, quia deficient in temporalibus, affligentur que in corpore, & deficient in ſpiritualibus, & deficient in mente. Vnde Gregor. Erit miſeris mors ſine morte, defectus ſine defectu. Dicit ergo notanter *quemadmodum fumus.* Congrua eſt ſimilitudo; fumus enim quanto magis aſcendit, tanto magis euaneſcit; Sic & ipſi in ſæculo, quanto magis extolluntur, tanto magis euaneſcunt & merguntur in inferno. Pſal. *Eieciſti eos dum alleuarentur.* Iob 24.
Oſeæ 13. *Eleuati ſunt ad modicum, & non ſuſtinent. Erunt quaſi nubes matutina, & quaſi ros matutinus pertranſiens, ſicut puluis turbi-*
3. *ne raptus ex area, & ſicut fumus de fumario.* *Tertio* iſta eiectio erit doloroſa, quia ad locum plenum doloribus & cruciatibus, ſicut patet de ſuperbo diuite Luc. 16. qui de ſe dicit; *Crucior in hac flamma. Ibi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Iſa.vlt. *Ibunt ab aquis niuiũ* Iob 24.
ad calore nimiũ. Et: *Humus eius cõuertetur in* Iſa.34.
ſulphur. Iſta parata ſunt in loco horroris infernalis, ſuperbis & vanègloriosis, iuxta illud Iſa.5. *Dilatauit infernus animam ſuam & aperuit os ſuum abſque vllo termino Et deſcendent fortes eius & populus eius & ſublimes glorioſique eius ad eum.* Nec ſolum aſcendet ad inferni ſuperficiem vel medium vt cæteri peccatores, ſed in profundum inferni, iuxta illud Iſa.14. *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Nec mirum; hoc enim exigit iuſtitia diuina, vt qui ſe extulerunt altius, cadant grauius & mergantur profundius. Luc.6. *Qua menſura menſi fueritis,* in præſenti ſæculo, *eadem remetietur vobis,* in futuro. Pſal 106. *Aſcendunt vſque ad cœlos & deſcendunt vſque ad abyſſos.* De ſe- Exaltati
cundo, ſcilicet de exaltatione humilium humiliũ
ſciendum, quod eorum exaltatio ſeu erectio erit tripliciter ſublimis. *Primo* enim erit multum honorabilis & glorioſa; *Secundo* ſufficiens & copioſa; *Tertio* delectabilis & ſolatioſa. *De primo* quod erit honorabilis & glorioſa, quia erit in conſpectu totius curiæ cœleſtis. *Cum gloria ſuſcepiſti me.* Et quæ illa gloria? Pſalm 30. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Perfeciſti eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum* Hæc gloria erit principaliter in conſpectu deitatis, iuxta illud; *Omnis qui confitebitur me coram hominibus,* non dicit ſe, ſicut fecerunt ſuperbi & glorificantes, ſequitur; *Confitebor & ego eum coram patre meo,* nec ſolum coram patre, ſed etiam coram omnibus electis, *quia in conſpectu filiorum hominum,* quaſi dicat. Tu reddes eis & perficies illam dulcedinem cunctis videntibus, quando dices in die iudicij, venite benedicti patris mei poſſidete paratum vobis regnum. Hoc enim erit in conſpectu filiorum hominum tam bonorum quam malorum. *Videbunt iuſti & lætabuntur. Peccator videbit & iraſce-* Pſal.111.
tur. Videntes turbabuntur timore horribili & Sap.5.
mira-

erit tripliciter ſublimis.
1.

mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Tunc enim videbunt ſanctos exaltari, & hoc ad maiorem ſuam confuſionem, ſed vltra eos non videbunt. Vnde Iſa. 26. *Domine exaltetur manus tua vt non videant, videant & confundantur.* Iſtud patet in exaltatione Mardochæi, quæ facta fuit in conſpectu omnium ciuium in Suſis; etiam vidente inimico ſuo Aman. Sed viſa gloria & honore Mardochæi Aman de cætero eum non vidit, quia ſuſpenſus eſt in patibulo. *Heſt. 7.* 2. *Secundo* hæc exaltatio erit ſufficiens & copioſa, quia omnibus delitijs & voluptatibus referta, quæ tanto erit amœnior, quãto à loco, à quo eleuabuntur electi, erit altior. Locus enim humilium eſt hic omni miſeria plenus, à quo tunc eleuabuntur ad ſummas diuitias & delitias. iuxta illud Iſa. *Tũc afflues delitijs & mirabitur & delectabitur cor tuũ.* Vnde dicit Chryſ. Humilitatẽ aſſume, & regnabis ſuper omnia, q̃ deſiderat anima tua. Tunc anima exaltati poterit dicere; *In loco paſcuæ ibi me collocauit.* Et vnde, *Pſal. 22.* *de lacu miſeriæ & de luto fecis* transferendo *Pſal. 25.* ad locum delitiarum & totius conſolationis. 3. *Tertio* illa exaltatio erit delectabilis & ſolatioſa, quia omni iubilo plena. Et ab omni dolore extranea. Apoc. vlt. *Iam non erit luctus, neque clamor, nec vllus dolor.* Quid ergo? Gaudium & lætitia inuenietur in ea, eo quod lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, quia humiles erant hic in doloribus & in pœnalitatibus, in lachrymis & gemitibus, ideò conſolabuntur. Tunc poterit Christus dicere ſuperbo & humili ſimul; *Tu recepiſti bona in vita tua, & iſte ſimiliter mala; Nunc verò iſte conſolatur, tu verò cruciaris.* *Luc. 16.* Nos igitur fratres *humiliemur ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore viſitationis.* *1. Pet. 5.* Cuius exaltationis nos participes faciat caput humilitatis Dominus Ieſus Chriſtus. Amen.

DOMINICA XII. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Adducunt ei ſurdum & mutum. Marci. 7.

Hugo l. 4. de arca Noe. *Prima hominis creati conditio.*

PRimi hominis natura, inquit Hugo, ita à Deo ordinata & inſtituta fuerat, vt anima, quę corpori pręerat, per ſenſus quidem miniſteria corporis foris impleret, intus autem per rationem ad creatorem ſuum ſemper intenderet. Hoc eſt vt membra corporis ſenſificando foris ad agendum moueret, ſed intentionem & deſiderium intus ad ſolum creatorem dirigeret, & nihil foris ageret, quod ex eius dilectione non procederet, & ad eius dilectionem non pertineret, ita vt omnem actum & charitas imperaret, & ratio diſponeret, & ſenſus impleret & perficeret, quamdiu ergo ordinem naturæ ſuæ tenuit, quamuis foris per actionem variaretur, intus tamen per intentionem & amorem ſtabilis permanſit; quia vnum intendebat, & propter vnum omnia faciebat, vnum diligebat, & omnium voluntatũ atque actionum ſuarum finem ad vnum referebat, & indefeſſa mentis acie ad vnum iugiter reſpiciebat creatorem. Hæc Hugo. Ex quibus verbis patet dignitas humanæ conditionis, quæ ſic creata erat, vt per ſenſus exteriores officia ipſorum foris impleret ad corporis neceſſitatem, & per ſenſus interiores ſoli Deo vacaret. Veruntamen non licuit homini in ſtatu huiuſmodi per ſenſus exteriores quicquam facere, per quod ab intentione dilectionis diuinæ poſſet impediri. Vndelicet ſibi conceſſum fuit audire vtilia, non tamen inutilia, non

tamen vana aut prophana,& multo minus nociua & perniciosa. Habuit itaque tantam perfectionem in auditu, vt non opus habuit,vt ei extrinsecus Deus loqueretur, quia aurem cordis intrinsecus sic perfectã habuit, qua vocem Dei spiritualiter audire possit. Sed postquam foris ad suasionem serpentis aurem cordis aperuit, aurem ad vocem Dei clausit. Similiter, quia ad loquendum cum antiquo serpente os aperuit & attraxit spiritum iniquitatis, colloquẽdo de periculo suæ salutis, meritò os ei clausum fuit, vt cum Deo nec ad Deum loqui posset. Factus est itaque ex eo tempore homo surdus & mutus, ita vt nec Deum sibi præcipientem audiret, nec eum pro beneficijs prout meritò debuit laudaret. Quapropter filius Dei venit in mundum, vt hominem tantis defectibus laborantem misericorditer curaret, veniens namque cœpit facere & docere vt surdi audirent & muti loquerentur. Ad hoc significandum docuit vt per verbum suum exterius aurem cordis aperiret. Vnde aperuit audientibus sensum, vt intelligerent scripturas Luc. 24. Quia enim homo auditum intus perdidit, quo Deum loquentem audiret, reuocans nos ad se Deus foris clamat. Ad hoc etiam
Luc. 18. venit, vt miraculis & factis suis tacentia ora ad laudem suam aperiret. Istud patet de cæco illuminato. Quo facto omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Ad hoc igitur significandum spiritualiter, quia venerat in mundum ad vtrumque defectum prædictum amouendum ab homine, scilicet vt eum præceptis dominicis obedire doceret, prædicare voluit, vt surdi corde audirent. *Surdi audite*, & vt eum ad laudandum Deum incitaret miracula fecit, vt muti corde loquerentur ore. In cuius figura factum est, vt venienti ad mare Galilææ corporaliter, adducerent quendam surdum & mutum. In quibus verbis iuxta
Proposit. triplices personas describuntur tria. *Primo* personæ adducentes hominẽ, cum dicitur; *Adducunt*. *Secundo* persona Saluatoris ad quem adducebatur, cum dicitur, *ei*. *Tertio* persona adducti, cum dicitur; *Surdum & mutum*. In persona adducentium tangitur vera compassio; In Christo benigna miseratio; in adducto hominis defectuosa & miserabilis passio.

I.

Adducunt. Vera compassio est malis proximorum condolere iuxta illud Apostoli; *Quis infirmatur & ego non infirmer?* In hoc condolere & compati se demonstrabant isti, qui eum ad Christum verum medicum sanandum adducebant. Sciendum, licet homo peccator per se potest cadere in peccatũ, per se tamen resurgere non potest. Et hoc propter tres causas. Primo quia est grauis ex parte corporis, quod semper aggrauat animam. Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*. Et Iob 7. *Factus sum mihimet ipsi grauis*. Et Isaiæ 17. *Grauabit eum iniquitas sua & corruet*. Et Psal. 37. *Sicut onus graue grauata sũt super me*. Secundo ex parte viæ, quia via qua debet ad Deum redire, est difficilis. Matth. 7. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*. Tertio quia virtus hominis per se est debilis Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere* Et ibidem: *Sicut palmes non potest ferre fructum sine vite*; sic vos sine me. Et ideò necesse est, vt pecator adducatur per alium ad Christum. Adducitur autem peccator ad Christum multipliciter; *Primo* per gratiam præuenientem. *Secundo* per Ecclesiam subuenientem; *Tertio* per aduersitatem impellentem. *De primo* dicit Gregor. Dei gratia si in nostro corde nequaquam gratuitè surgeret, profecto mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret. Et licet ordinatissimum est de nostra reparatione dispensationis consilium, vt qui spontè cecidit, non coactus sed spontè surgat, & qui per liberum arbitrium infirmatus est, non sanitatem recuperet, donec per liberum arbitrium sanari velit, tamen hoc nõ est ex nobis, vt velimus, sed Deus in nobis hoc operatur. Gratia enim Dei præuenit & excitat liberum arbitrium nostrum, vt possit velle sanari, qui per se potuit infirmari. Hoc igitur nũc agit in electis, vt videlicet in præsẽti vita ad futuram beatitudinẽ præparentur, vt homo in hac fœlicitate positus mereatur ad illam

Cur è peccato homo per se non possit resurgere.

Peccator ad Christum adducitur.

li. 17 moralium. I.

illam fœlicitatem aſcendere; ſicut primus homo in illa fœlicitate poſitus meruit ad hanc infęlicitatem deuenire, ſed illud meritum, quo homo infœlix eſſe meruit, tantummodo ex homine fuit, hoc verò meritum quo homo æternam fœlicitatem meretur, non ex homine, ſed gratia Dei hoc in homine operatur. *De ſecundo* dicit
2. li. 3. de pœnit. Ambr. Fleat pro te mater Eccleſia, & culpam tuam lachrymis lauet. Videat Chriſtus merentem, & dicat; Beati eſtis triſtes, quia gaudebitis. Amat vt pro vno multi rogent. Denique in euangelio motus lachrymis viduæ, quia pro ea multi flebant, filium eius reſuſcitauit. Hæc ille. Vnde magiſter ſententiarum lib. 4 d 3. Niſi vnitas Eccleſiæ ſuccurrat, niſi quod deeſt peccatori ſua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur mera infirmitas. Hæc ille. In cuius figura legitur, quod cum Ieroboam regi manus aruiſſet, pro eo quod prophetam Domini capi mandaſſet, videns quia aliter ſanari non poſſet, dixit ad prophetam; *Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuerſa eſt manus eius ad eum ſicut prius.* Item Saul dixit Samueli prophetæ; *Porta quæſo iniquitatem meam.* 1. Reg. 15. Orante Abraam Deus ſanauit
Gen. 20. Abimelech regem Geraræ. Idem habetur in nouo teſtamento de pluribus. Nam cultor vineæ impetrauit ne ficulnea ſuccideretur Luc. 13. Item ad fidem aliorum ſanatus eſt paratilicus Matt. 9. Item præcibus reguli ſanatur filius. Ioan. 4. Item ad præces archiſynagogi ſanata eſt filia & reſuſcitata. Matt. 9. Marc. 5. Luc. 7. Ad petitionem Centurionis curatur ſeruus. Matth. 8. Marc. 1. Luc. 5. Ad petitionem mulieris Chananeæ ſanatur filia à dæmonio Matt. 15. Ex quibus omnibus patet quod interceſſio Eccleſiæ neceſſaria eſt peccatori ad impetrationem ſalutis ſpiritualis ad Chriſtum. Multis autem modis adducit Eccleſia peccatorem ad Chriſtum, ſcilicet prædicatione. Actu. 2. *His auditis compuncta ſunt turbæ,* & Petrus audita voce galli fleuit amarè. Matth. 26. Item abſolutione à peccatis Matth. 21. *Soluite & adducite mihi.* Item exemplorum oſtenſione, ſicut exemplo Magdalenæ adducuntur ad Chriſtum luxurioſi. Exemplo Petri periuri. Exemplo Pauli perſecutores. Exemplo Matthæi vſurarij. Exemplo Zachæi defraudatores &c. Ad hoc enim in Eccleſia recitantur, vt exẽplo eorũ peccatores ad pœnitẽtiam inducantur. *De tertio*, patet in filio prodigo, qui compulſus nimia fame redijt ad patrem Luc. 15. Sic Paulus per amiſſionem viſus adducitur ad Chriſtum. Actu. 9. Hinc Bernard. tractans illud Cantic. Trahe me poſt te; Trahimur inquit, cum aduerſitatibus exercemur. Multis enim prodeſt aduerſitas, quibus obeſt proſperitas. Vnde ſicut per proſperitatem elongantur à Deo, ita per aduerſitatem appropinquant ad Deum. Et ideò ſancti viri leguntur multum amaſſe tribulationes, & aduerſitates, & infirmitates, & quando ſine illis erant, putabant ſe à Deo derelictos. Narratur de quodam ſene, qui frequenter ægrotabat; Contigit autem vno anno eum non ægrotare, affligebatur & plorabat dicens; Dereliquit me Deus, & non viſitauit me, ſcilicet quia non fuit infirmus. Similiter narratur de quodam alio, qui noluit comedere in infirmitate, dicens, quod volebat eſſe in illa infirmitate per tres annos, vt amplius mereretur, per iſta ergo homo adducitur ad Chriſtum, ſi ea patienter tolerauerit.

Eccleſia peccatorẽ ad Chriſtum adducit varijs modis.

P. I.

Ei. Magna & benigna Chriſti miſeratio fuit. Triplicem autem gratiã circa curam infirmi iſtius Chriſtus oſtendit; *Primo* quia digitum immiſit. *Secundò* ſaliua liniuit. *Tertio* cœlum ſuſpexit & ingemuit. Digitus hic intelligitur Spiritus ſanctus ſecundum Orig. & Bedam, qui mittitur in auriculam hominis, cum gratia Spiritus ſancti cor viſitet & aperit, vt verbum Dei efficaciter audire poſſit. Et quia dicitur pluraliter; *Miſit digitos*, per id ſignificatur, quod varijs donis & virtutibus Deus viſitat hominem, quem curat à peccato. De quibus digitis

1. Digitos immiſit. Digitus ſignificat Spiritus S gratiã.

digitis dicitur Pſalm. 8. *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* Primus digitus eſt pollex, qui habet duos articulos ſiue duas iuncturas, per quod ſignificatur fortitudo, quæ conſiſtit in duobus, ſcilicet in patientia aduerſorum, & in conſtanti aggreſſione arduorum, quia iſta ſunt neceſſaria pœnitenti, quæ ſine gratia Spiritus ſancti haberi non poſſunt. Secundus eſt index, qui habet tres articulos, per quem prudentia deſignatur, quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet in memoria præteritorum, & circumſpectione præſentium, & in prouidentia futurorum. Apoc. 4. *Animalia in circuitu & intus erant plena oculis ante & retro.* Tertius eſt medius habens tres articulos, per quem deſignatur iuſtitia, quæ conſiſtit in tribus, in obedientia prælatorum, in ſubſidio parium, in caſtigatione inferiorum. Quartus eſt fidius, habens tres articulos, per quem ſignatur temperantia, quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet in ſobrietate victus & habitus, & in continentia affectus, & in modeſtia inceſſus & geſtus. Quintus eſt auricularis, habens tres articulos, & ſignificat humilitatem, quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet in intellectu, in affectu, & in exteriori conuerſatione. Hic digitus humilitatis dicitur auricularis, quia aperit intellectum. Prou. 11. *Vbi humilitas, ibi ſapientia.* Et quia aperit aures Dei, vt nos exaudiat Eccl. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat.* *Secundo* Chriſtus oſtendit

2. Saliua linit. Saliua ſignif. ſapientiam.

benignam miſerationem circa curam iſtius ſurdi ſaliua liniendo. Saliua autem hic ſecundum Orig. ſignificat ſapientiam Dei patris, ſcilicet eius filium vnicum, qui à Deo patre tanquam à capite proceſſit, ſicut ipſe de ſe dicit Ioan. 6. *Exiui à patre & veni in mundum.* Eccl. 24. *Ego ex ore altiſſimi prodij.* Saliua ergo liniuit linguam, quando Dei filius deſcendens à patre noſtram mortalitatem viſitare dignatus eſt, cuius humanitate deitati coniuncta, ſicut ſaliua luto coniuncta noſtra infirmitas eſt ſanata, iuxta illud Iſa. 53. *Cuius liuore ſanati ſumus.* *Tertio* Chriſtus oſtendit benignam miſerationem circa curationem iſtius ſurdi, in cœlum ſuſpiciens & ingemiſcens. Suſpectio ſecundum Orig. ſignificat omnia

3. Suſpicit in cœlum & ingemiſcit.

bona petenda eſſe à Deo. Inde ſurdis auditus, inde mutis redditur loquela, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectũ de ſurſum eſt.* Suſpexit ergo in cœlum, ac ſi dicat, quiſquis curationem animæ à peccato requirit, poſtulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter. Eo quod non eſt ſalus niſi à Deo. Nam ab eo eſt omnis ſalus, à quo eſt omne bonum. Sed omne bonum ex Deo eſt. Salus ergò omnibus ex Deo, inquit Auguſt. in li. de vera religione cap. 20. Hoc eſt contra ſortilegos, magos, incantatores, nigromanticos, qui aliundè quærũt ſanitatem corporalem quam à Deo, non de ſurſum poſtulantes à Deo, ſed deorſum inquirentes à diabolo, cum tamen Dominus dicit de ſe; *Salus populi ego ſum.* Quod autem ingemuit, ſignificat pro peccato eſſe ingemiſcendum, iuxta illud Ezech. 18. *Quacunque hora peccator ingemuerit, omniũ iniquitatum eius non recordabor amplius.* Vtrumque iſtorum habuit publicanus. *Noluit oculos ſuos in cœlum leuare,* ſcilicet oculos corporales, ſed tantum mentales multum erexerat ad Deum, quibus penetrauit cœlum, & percutiebat pectus ſuum; ecce gemitus, dicens; *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

III.

Surdum & mutum. Per iſtum ſurdum & mutum deſignatur homo peccator, qui vt curetur, debet adduci ad Chriſtum. Sed vt magis ordinatè procedamus, primo videamus de ſurditate iſtius hominis. Secundo de eius auditione. Tertio de eius curatione. Sciendum, quod peccator fit ſurdus multipliciter. Primo ergò fit ſurdus homo ex opilatione malorum humorum in auribus, & tunc fit propriè ſurditas ſecundum Conſtantinum, & Magiſtrum libro 7. de proprietatibus rerum. Mali humores ſunt carnales luxuriæ, quibus homo infectus non audit Deum vocantem ſe, & hic comparatur dormienti, qui omninò nihil audit. Eccl. 22. *Cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam.* Verè ſtultus eſt luxurioſus, qui propter breuiſſimam

Per ſurdũ & mutũ deſignatur peccator.

Surditas cauſſatur. 1. Ex oppilatione malorum humorũ.

 moru-

morulam delectationis carnalis dimittit infinitos annos cœleſtis conſolationis, & non percipit infinitas pœnas perpetuæ dānationis. *In hexameron.* Refert Ambroſius de fluuio, qui dicitur Nilus, quod homines terræ illius, vbi idem fluuius oritur, circa montem illum habitantes, non audiunt ſonum illius deſcenſus & deflexus, cum tamen fiat cum maximo ſtrepitu & horrore, quod facit eis conſuetudo. Sic eſt de luxurioſis, qui propter conſuetudinem peccati obſurdeſcunt ne audiant vocem Domini vocantis. Sic obſurduit ille vocatus ad nuptias qui dixit; *vxorem duxi. & ideo non poſſum venire.* Luc. 14.

2. Ex pulueris aut lapillorū iniectione. *Secundo* obſurdeſcit homo propter pulueris ſubintrationem, vel lapillorum iniectionem in aurem, ſecundum Magiſtrū de proprietatibus rerum lib. 7. Quando enim terra vel puluis ſubintrat in aurem, tunc non poteſt homo debitè audire. Terra ſignificat terrenas poſſeſſiones & diuitias, quę faciunt in auaro ſurditatem, quorum aures ſunt ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas. Serpens enim dum incātatur, obturat vnam aurem cauda & aliam ad terrā inclinat; Sic auarus obturat vnam aurem cordis cum longitudine prolixæ vitæ; ſicut ille Luc. 12. *Anima mea habes multa bona in annos plurimos &c.* aliam aurem ſuæ intentionis defigit in terram ſolicitus exiſtens circa terrena. Tales ergo *Matt. 19.* difficiliter audiunt Chriſtum, ſicut patet de adoleſcente, cui cum Chriſtus conſuluiſſet vendere omnia & dare pauperibus, audiens abijt triſtis. Referunt naturales, quod gallina in auguſto eſt ſurda. Sic certè multi in proſperitate ſicut in auguſto mēſe, quando eſt copia omnium victualium, obſurdeſcunt, nec audiunt Chriſtum. Sicut conqueritur per prophetam. *Iſa. 1.* *Filios enutriui & exaltaui ipſi verò ſpreuerunt me.* Et tales faciunt ſicut pulli anatum cum gallina, vt communiter excubat oua anatum, ſed poſtquam pulli excubantur, ſtatim inuenientes aquam natant, & gallinam in littore clamantem nolunt audire. Sic Chriſtus excubat quandoque hominem pauperem eleuando eum de ſtercore & miſeria, ſed poſtquam ſederit talis cum principibus populi ſui & ſolium gloriæ teneat, quaſi in aqua lata & ampla vagatur & obliuiſcitur Dei creatoris ſui. *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.* *Deut. 32.* Hos alloquitur Dominus dicens; *Iſa. 42.* *Surdi audite, & cæci intuemini,* ſcilicet beneficia quæ dedi vobis. Falco quamdiu habet plenum os & guttur ſaturatum, non vult redire ad manum venatoris clamātis; Et licet audiat, tamen ſe fingit non audire & diſſimulat: ſic multi diuites in proſperitate poſiti, licet audiant prædicationes & ſermones Chriſti in Eccleſia, tamen diſſimulant & quaſi non attendunt ea, quæ sūt contra eos. De quibus dicitur. *Ille diſſimulabat ſe non audire.* *1. Reg. 10.* *Qui illuſor eſt non audit cum arguitur.* *Prou. 13.* Et ideò expediret talibus, vt Deus eos viſitaret aliquibus aduerſitatibus. Dicit magiſter de proprietatibus rerum lib. 3. quod ſonus campanæ benè auditur flante borea, qui eſt ventus frigidus & ſiccus, ſed flante auſtro qui eſt humidus & lentus male. Dicitur etiam de piſce quodam, qui dicitur delphinus, quod flante aquilone benè audit, ſed flante auſtro male. Sic multi in aduerſitate, quando vexantur tribulationibus frigidis, benè audiunt præcepta Dei & ea obſeruant, quę tamen in proſperitate contempſerunt. Vnde Gregor. Oculos quos culpa clauſit pœna aperit.

3. Ex nimio vento incluſo. *Tertiò* obſurdeſcit homo ex nimia ventoſitate incluſa in aure, ita quod quandoque æſtimat ſe eſſe iuxta molendinum, nunc iuxta organa, & tamen nihil audit horum, quæ circa ipſum dicūtur. Et iſta eſt ſurditas omnium ſuperborum, qui repleti vento ſuperbiæ & vanitatis non audiunt pręcepta humilitatis, & hoc propter ventum adulationis. Superbi enim, vt communiter habent multos adulatores, quorum verbis delectati propter eorum tumultum quo ſæpius eis perſtrepunt quaſi quoddam molendinum non attendunt ad humilitatem. Iſaiæ 17. *Tumultus turbarum quaſi ſonitus aquarum multarum.* Iſti ſunt ſicut idola, quæ ab hominibus multum honorantur, & tamen aures habent & non audiunt. Ad iſtos Dominus plus clamat quam ad alios, iuxta illud. *Laboraui clamans, raucæ factæ*

ex factæ ſunt fauces meæ. Nec mirum, quia ſuperbi plus elongantur à Deo quam alij. Pſalm. *Ecce qui elongant ſe à te peribunt.* Et eſt miraþile, quod licet ſuperbi ſemper in mundo alta dicunt, alta cogitant, alta operantur, ita quod videntes tangere cœlos alis ſuis, eo quod dicitur in Pſalm. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper,* tamen nihilominus non poſſunt volare ita altè, quod poſſent audire Deum. Cuius ratio eſt. Dicitur enim, quod animalia lati pectoris nõ benè volant, quia latitudo pectoris eorum apprehendit multum ventum, qui impedit à volatu. Sic ſuperbi, quia multum ventum vanitatis habent in corde, non poſſunt eleuari per contemplationem, vt audiat Deum eos vocantem.

Ex ſurditate ſpirituali maxima dãna proueniunt. Iſtæ tres ſurditates tria mala & maxima damna faciunt. Nam primò luxurioſi obſurdeſcunt ne audiant legem Dei. Quamuis enim omnis peccator legem Dei non audit aure cordis, vt efficaciter impleat, audit tamen aure corporali ſæpius, & interdum delectatur ſicut Chriſtus. Luc. 8. de ſuperbis & auaris dicit, *Qui cum gaudio audiunt verbum Dei.* Et illud cum gaudio ſuſcipiunt interim quod audiunt, tamen luxurioſi non ſic, qui etiam nec auribus corporeis audire volunt, iuxta illud, *Audiet luxurioſus & diſplicebit ei.* Iſti ergo ſpecialiter ſunt legis Dei contemptores, quia licet auari, cum eis prædicatur de liberalitate, non ſtatim omnia dent pauperibus, tamen libenter audiuntur de liberalitate & de operibus pietatis. Similiter ſuperbi, licet non ſtatim fiant humiles, tamẽ compunguntur & proponunt quandoque humiliari, luxurioſi non, ſed diſplicet eis prædicatio de continentia & caſtitate, vnde comparantur corda eorum viæ lutoſæ, in qua quicquid ſeminis cadit, totum conculcatur à tranſeuntibus. Sed de talibus dicitur. Prou. 28. *Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* *Cordà luxurioſorũ ſimilia viæ lutoſæ.* Dicitur de philomena, cuius cantus eſt gracilis & dulcis, quod quamprimum vacat actui generationis cum femella, & vſquequo oua producit ad pullorum excubationem & eos enutrit, illo anno nihil cantat. Sic dulcedo cantus vel orationis perditur tam in ſecularibus quam in ſpiritualibus quantum ad acceptationem diuinam, dum ſunt incontinentes. Vnde dicit Auguſt. in lib. de bonis conſcientiæ in fine. Plus placet Deo latratus canum vel mugitus boum, quàm cantus aut oratio luxurioſorum. Secunda ſurditas in auaris claudit eis regnum cœlorum. Nam quia ipſi clamantes pauperes non audierunt, clamabunt ad Chriſtum & non audientur. Prou. 21. *Qui obturat aures ſuas ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe & non exaudietur.* Patet de diuite epulone, qui quod Lazarum clamantem in hac vita non audiuit, clamauit ipſe ad Abraham, & nõ fuit auditus. Vnde dicit Auguſt. de vita Chriſtiana. Meritò indigni erunt tales in futuro tempore ſanctorum eſſe conſortes, quos in præſenti ſpreuerunt, & quos ſuſcipere noluerunt, propter quod Saluator conſulit talibus dicens; *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16.* Ac ſi dicat; Audite eos clamantes, vt & ipſi vos exaudiant. Auaris prouenit iſta inaduertentia, quando non audiunt voces pauperum, ex duritia cordis & incompaſſione menti, quia enim auerterunt mẽtem à cœleſtibus & totam conuerterunt ad terrena, ideò nõ poſſunt audire voces cœleſtes in pauperibus, vox cæleſtis eſt vox Chriſti, qui clamat in paupere dicẽs; *Date eleemoſynam, & omnia mũda ſunt vobis.* Et iterũ: *Qui recipit vos, me recipit.* Et rurſum: *Quod vni ex minimis meis feciſtis &c.* *Luc. 11. Matt. 10. Matt. 25.* Dicitur de ceruo, quod quando aures demittit deorſum ad terram, malè audit, ſed cum eas erigit, tunc benè audit. Sic eſt de auaro, quamdiu habet cor inclinatum ad terrena, non poteſt de cœleſtibus cogitare, quia *vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* *Matth. 5.* Sed quid finaliter tales reportabunt de ſuis diuitijs niſi vanitatem. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Nec mirum, quia nihil inuenerunt in manibus ſuis, quia nihil hic poſuerunt in manibus pauperum. Auari enim quamdiu hic ſunt, habent manum aridam, quæ nihil boni operatur, nec alicui porrigit aliquid; vnde ſignificantur per illum hominem ha-

bentem manum aridam in ſynagoga, quẽ Chriſtus curauit. Per quod ſignificatur eorum incompaſſio, quia carent humore pietatis, ſed omnino aridi ſunt, ſicut arbor arida carens humore in radice, quam Dominus iuſſit excidi & proijci in ignem. Dicitur quod lynx eſt animal talis naturæ, quod ſcit inuenire herbam medicinalem, quam nolens alijs communicare, abſcondit eam ſub terra, & ibi conuertitur in lapidem prætioſum. Quem poſtea fodientes terram inueniunt & recipiunt. Sic fit frequenter de theſauro auari ſub terra abſcõdito, quem quia noluit pauperibus communicare, alij extranei lucrum reportant, iuxta illud Pſal. 48. *Relinquent alienis diuitias ſuas*. Ipſi autem nihil niſi pœnam reportabunt. Vnde auari non ſunt aliud, niſi quædam marſupia ſiue burſę pecuniarum, quæ reſeruant pecuniam, & tamen nullum fructum ex ea habet, niſi ad denigrationẽ, ſcilicet conſcientiæ & anim. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*, ſcilicet auarorum. Legitur de leone, & idem refert Auicẽna, quod parum habet de medulla in oſſibus, vnde habet oſſa ita dura, quod ex eorum colliſione ignis exit. Sic eſt de auaris, qui carẽt in ſeipſis medulla compaſſionis; Et ſunt duri ad exaudiendum pauperes, & quando collidentur in morte, nihil exibit de eis, niſi ignis inferni vſque ad conſummationem deuorans, *qui incenditur in furore Domini, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima*. Tertia ſurditas eſt, quæ perducit eos ad ignominiam & verecundiam, iuxta illud prophetæ; *Gloriam eorum in ignominiam mutabo*. Dicitur de equo Alexandri, qui vocabatur Bucephalus, vt narrat Solinus, quod cum erat coopertus apparamentis imperialibus, nullum permiſit ſuper ſe aſcendere, nec ad ſe accedere, niſi ſolum Alexandrum, illis depoſitis aſcendebant eum viles garciones. Sic eſt de ſuperbis, qui quamdiu ſunt veſtiti vana gloria huius ſæculi, nullus pauper audet ad eos accedere vt audiatur, nullus prædicator audet loqui eis de ſalute, ſed poſtquam ſuperbia eorum & vanitas mundi ceſſabit & eis abſtrahetur, tunc nõ ſolum viles homines, ſed etiam canes accedunt ad eum. Iſtud figuratum eſt in Antiocho, qui quamdiu ſuperbiam exercuit quaſi inhumanus fuit in templo, in pauperes crudeliſſimus; ita quod capta ciuitate Hieruſalem iuſſit milites interficere, & in triduo octoginta milia interfecit, quadraginta milia vinculauit. Verum ſuperbia eius & vana gloria fuit mutata in ignominiam, ita quod vermibus ſcaturiens fuit eiectus de ſuo exercitu propter fœtorem intolerabilem. Dicit philoſophus, quod arbores habentes lata folia citò cadunt. Et eſt ratio, quia lata folia plus colligunt de vento. Sic ſuperbi cito conſternuntur propter latitudinem vanitatis eorum. Patet de lucifero, qui voluit dilatare ſedem ſuam in aquilone. Iſai.14 Sed de eo dicitur Luc 10. *Videbam ſathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem*.

Thre.4. Deut.32. 2.Mach.5 Iſai.14.

Sed peccator dicitur mutus, & hoc tripliciter. *Primò*, quia Deum laudare deſinit & gratias eius pro beneficijs ſibi datis non curat. *Secundò*, quia confiteri proprios defectus negligit. *Tertiò*, quia proximum verbo ædificationis non erudit. *De primo* patet, quia Deus eſt laudandus ore. Vnde ad hoc datum eſt homini os. Pſal. 50. *Os meum annunciabit laudem tuam*. Et iterum: *Os meum annunciabit iuſtitiam tuam, tota die magnitudinem tuã*, id eſt, magna bona tua quibus me viſitaſti. 1 Paral.29. *Tua ſunt omnia quæ de manu tua accepimus*. Iſa.26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*. 2 Cor.3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Meritò igitur Deus laudandus eſt pro tãtis beneficijs. Tob.12. *Benedicite Deum cœli & coram omnibus viuentibus confitemini illi*. Eccl.vlt. *Danti mihi ſapientiam, dabo gloriam*. Pſalmiſta. *Qui timetis dominum laudate eum*. Verè ergo non laudant eum, qui timent eum, & ita fit mutus ſicut diabolus, qui primum ſilentiũ fecit in cœlo quando à laude creatoris ceſſauit. *Secundo fit mutus*, quando proprios defectus confiteri negligit & oſtendere culpam ore, cum tamen dicat veritas; *Ite oſtendite vos ſacerdotibus*. Et tales quamdiu nolunt culpas ſuas oſtendere, curari non poſſunt, iuxta illud Boetij: Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum dete-

Peccator mutus. *1. Quia nõ laudat Deum.* 1.Para.29 *2. Quia nõ confitetur peccata.* *Luc.17.*

detegra. Tales ſic negligentes dicent illud Iob in die nouiſſimo. *Nonne diſſimulaui, nõne ſilui, nonne quieui & venit ſuper me indignatio.* *Tertio* mutus eſt peccator, quando proximu verbo ædificare non curat, & hoc maximè tãgit prælatos. Nam licet *cuilibet mandauit Deus de proximo ſuo*, tamen ſpecialiter dictum eſt prælatis *Annuncia populo ſcelera eorum, &c.* Ezech. 3. *Si impio locutus non fueris &c ſanguinem eius de manu tua requiram.* Vnde Iſidorus Sacerdotes pro populorum iniquitate damnabuntur, ſi eos aut errantes non erudiant, aut peccantes non arguant. Exemplum de Heli ſacerdote, qui pro filiorum iniquitate dãnatus eſt. Quando igitur prælatus vitam ſubditorum corrigere & eorum ignorantiam erudire negligit, tunc ſpiritualiter obmuteſcit. Prouenit hæc mutitas & taciturnitas in prælato, vt dicit Gregor. tractans illud Ezechiel. 3. Linguam tuam adhærere faciã palato tuo, & eris quaſi mutus, nec quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Diſcernendum quippe eſt vtrum pro ſolis malis auditoribus, an aliquãdo etiam pro vitio prædicantis, prædicationis ſermo diſtrahitur. Quatuor enim qualitatibus res hæc conſiderata diſtinguitur. Nam aliquando propter malos auditores bonis ſermo tollitur doctoribus. Sicut exemplificatur de Ezechiele, cui propter malitiam Ieruſalem ſubtractus fuit ſermo, & Paulo dicitur, Exi citò Ieruſalem, quoniam non recipietur teſtimonium tuum de me. Et Apoſtoli volentes prædicare in Aſia, prohibiti ſunt. Aliquando vero propter bonos auditores datur ſermo doctoribus etiam malis. Sicut ponitur de phariſæis, quorum doctrinam Chriſtus fecit audiri. Aliquando verò propter docentium & audientium iuſtificationem bonis doctoribus datur ſermo, vt & ipſi per meritum creſcant, & auditores eorum intellectu & vita proficiant. Iſtud patet de Apoſtolis, quibus in mundum vniuerſum &c. Aliquando verò, quia neque hi digni ſunt accipere, quibus ſermo doctrinæ profertur, neque illi doctrinæ verbum proferre, qui locum docendi tenent, prædicationis ſermo tollitur, vt vtreque pars districtè iudicetur. Iſtud patet in Heli, qui ad corripiendos filios verbum eruditionis non habuit, quia eius negligentia & filiorum exigebat vita, vt cum eis & populus caderet, & arca Domini capta ad allophylos tranſiret. Dicit autem Gregorius, quod magna Dei omnipotentis gratia eſt, cum iniquè agentibus durus à doctoribus ſermo increpationis profertur. Quo contra de reprobis dicitur; *Eris quaſi mutus; neque quaſi vir obiurgans.* Delinquentes enim iurgaſſet, ſi digni ipſa gratia obiurgationis fuiſſent. Et quia iſta ſunt dubia, ideo cum ignoremus propter quid datur ſermo nobis, interdum vt prædicemus, non ſuperbiamus ſed humiliemur, ne fortè ipſa gratia ſermonis non nobis ſed auditoribus collata ſit. Et quando non poſſumus loqui, auditores minimè nos dijudicent, ne fortè non ex noſtro ſed peccato audientium minimè loqui poſſimus. Hæc Gregorius. Nos igitur fratres ſi curari à peccatis cupimus, oculos mentis noſtræ ad Deum cum gemitu erigamus, quatenus ſurditatem & mutitatem culparum noſtrarum euadentes, tãdem poſſimus auribus cordis & lingua mentis Domini vocem audire, & laudare hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quod nobis præſtare dignetur pater & filius & Spiritus ſanctus.

Iob 3.
3. Quia nõ corrigit peccantes.
Eccl 17.
Iſa. 58.
Iſid l. 3 de ſum. bono cap. 7.
1. Reg. 4.
Greg. ho. 12. ſup. Ezech. part. 1.
Ezech. 3.

DOMI-

DOMINICA DVODECIMA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Benè omnia fecit. Marci 8.

MIRVM non eſt, quod de Deo dicatur, *benè omnia fecit*, quia ex ſummo bono mala procedere non poſſunt. *Deus* 1. *Ioa.* 1. *ſt lux bonitatis, & tenebræ in eo nõ ſunt vllæ.* Fecit igitur omnia ſumma ſapientia, & ſumma bonitate eadem conſeruat; fecit, inquam, ea vt eſſent, & hoc ipſum eſſe earũ bonum eſt. Nam vt dicit Auguſt. in lib. de vera relig. cap. 20. Ipſum quantumcunque eſſe bonum eſt, quia procedit ab illo ſummo bono, quod ſummè bonum eſt. Vnde ſecundum ipſum, etſi ſit aliquod minimũ bonum, tamen bonum eſt, quia ex Deo eſt. Nam omne bonum aut Deus, aut ex Deo eſt, ergo ex Deo eſt etiam minimum bonũ. Hęc Auguſt. Et quia, vt idem alibi dicit, *Lib. ſup-put. part. 3* Deus eſt vera & ſumma vita, à quo & per quem omnia viuunt, quæcũq; benè viuũt. Deus eſt pulchrum bonum, à quo & per quem & in quo pulchra & bona ſunt omnia; ideò non immeritò concluditur, quod omnibus dedit eſſe, & bonum eſſe, & pulchrum eſſe, ac per hoc fateri oportet, quod cum perfecta ſunt eius opera, nec à bono poteſt eſſe quicquam mali, eo quod iuxta Saluatoris teſtimonium non poteſt arbor mala fructus bonos facere, nec arbor bona fructus malos, rectè igitur turbæ admirãtes bonitatem Dei in eius operibus dicũt; *Benè omnia fecit.* Meritò autem hoc turbæ confitentur de Chriſto circa operationem miraculorum eius. Nam licet omnia benè fecit, ea in eſſe producendo & creando, non tamen ita admirabilis apparuit, ſicut in operibus reparationis, eo quod ſecundũ Auguſt. ſuper Ioannem illa opera creationis, quibus totum mundum cõdidit & adminiſtrat, aſſiduitate viluerunt, propter quod dicit Hugo lib. 4. de arca Noe cap. 5. quod quia mens humana viſibilibus aſſueta neſcit tam citò ad inuiſibilia conſurgere, ideò voluit ipſe etiam quædam viſibiliter exhibere miracula, in quibus noſtrum affectum erudiret, & ſuam nobis charitatẽ commendaret. Hæc autem ſunt illa ſpecialiter, quæ ad reparationem hominis pertinent. Nam quæ ad conditionem ſeu creationem facta ſunt, magnam nobis opificis potentiam indicant, ea verò, quæ ad redemptionem hominis facta ſunt, præcipuè ad charitatem ſpectant. Hæc enim operatus eſt Chriſtus, vt qualem haberet erga nos dilectionem oſtenderet, & nos ab amore mundi huius ad amorem ſuum reuocaret. Hæc ille. Quia igitur curatio infirmitatum & amotio defectuum in languidis, ſurdis, mutis, claudis, cœcis, & aridis, quibus Chriſtus ſanitatem exhibuit, opus magnæ charitatis & pietatis Dei erga hominem peccatorem apertè oſtendebat, nõ valentes turbæ contineri à laude Dei, in quędam prius ſtuporem & admirationem conuerſæ dicunt; *Benè omnia fecit*, In quibus verbis tria tanguntur ad commendationem diuinę bonitatis *Propoſit.* *Primò* eius omnipotentia, qua cuncta creauit cum dicitur, *Omnia. Secundò* eius ſapientia, per quam omnia gubernat & regit cum dicitur, *fecit. Tertiò* ipſius benignitas & miſericordia, per quam omnia reparauit, cum additur, *benè.* In primo oſtenditur patris virtus & magnificentia; In ſecundo ſagax filij Dei proui-

prouidentia; in tertio Spiritus ſancti exuberans clementia &c.

I.

Magnitudo potentiæ menſuratur ſecūdum magnitudinem operis; vnde quãtum eſt opus factum ab aliquo, tãta eius eſt potentia, quia ergo Deus infinitam potentiam oſtendit creando omnia ex nihilo, id eò dicitur eſſe magnus in potentia. Tanta enim eſt potentia Dei in puluere, quod etiam intellectus humanus non poteſt comprehendere. Etſi ſic eſt infinita potentia in puluere vel in atomo, qui eſt in ſole, quãta eſt in toto cœlo & tota terra? Quis ſufficit cogitare? Hæc igitur Dei potentia ſic creauit omnia bona in ſuo eſſe, vt nihil mali culpæ creauerit, quia de eo dicitur; *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Fecit autem ea ita bona & ita magna, vt ſecundū Iſidorum li. 1. de ſum. bono c. 4. conſideremus magnitudinem eius, & ex paruis magna, & ex viſibilibus inuiſibilia, & ex pulchritudine factorum factor & creator cognoſceretur. Vnde ſicut ars in artificem retorquet laudem, ita rerū creator per creaturam ſuam laudatur; & quanto ſit excellentior, ex ipſa operis conditione monſtratur. Ex pulchritudine enim circumſcriptæ creaturæ, pulchritudinem ſuam, quæ circumſcribi nō poteſt, facit Deus intelligi, vt ipſis veſtigijs homo ad Deum reuertatur, quibus auerſus eſt, vt quia per amorē pulchritudinis creaturæ à creatoris forma ſe abſtulit, rurſum per creaturã & eius decorem ad creatoris pulchritudinem reuertatur. Hæc ille. Notãter aūt dicit propheta; *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant cuncta bona.* Creatura enim ſingularis quęlibet tantum bona eſt in ſe, ſed vniuerſæ creaturæ ſimul ſumptæ & cōſideratæ in ſe valde bonæ ſunt, quia ſecundum Iſidorum vbi ſup. cap. 8. Et membra ſingula corporis licet ſunt bona, tamen maius bonum faciunt, dum ſingula in vno corpore pulchro & apto conſiſtunt. Hæc ille.

Gen. 1.

Sed dicet quis. Ex quo Deus fecit creaturas bonas, vnde ergo venit malum in creatura & præcipuè in homine? quomodo vitiata eſt humana natura? aut quare ſic malè vitiata eſt, & in illa bonitate, in qua creata eſt, non perſtitit? Ad quod benè reſpondet beatus Auguſtinus, in lib. de vera relig. c. 20. Quod omnia, quę vitiantur, bona ſunt, quanquam ipſum vitium & mors malum ſit. ipſum ergo vitiū malum eſt, quod generatum eſt in natura hominis bona. Nam ſecundum Auguſt. in Enchiridio cap. 13. Nihil aliud eſt corruptio quam boni exterminatio, ex bonis igitur mala orta ſunt. Quomodo autē orta ſunt mala ex bonis oſtēditur triplici exemplo.

Primò exemplo aquæ. Nam, vt dicit Auguſtin. in li. de vera relig. c. 22. Aqua malum non eſt, nec animal quod in aere viuit Nam ſubſtantiæ ſunt, ſed malum eſt voluntaria præcipitatio in aquam, & ſuffocatio quam merſus homo patitur. *Secundò* ſtilo ferreo. Stilus ferreus alia parte qua ſcribamus, alia parte qua deleamus, à fabro factus eſt, & in ſuo genere pulcher & ad vſum noſtrum accommodatus. Et ſi quiſpiam ea parte ſcribere qua deletur, & ea velit delere qua ſcribitur, nullo modo ſtilum malum dicimus, ſed ipſum factum ſcribentis iure vituperatur. *Tertiò* oſtendit idem ſolis exemplo, quia ſi quis meridianum ſolem intueatur, repercuſſi oculi turbabuntur. Ideò aut ſol malum erit, aut oculi? nullo modo, ſunt enim ſubſtantiæ, ſed malum eſt inordinatus aſpectus, & ipſa quæ ſequitur turbatio, quod malum non eſſet, ſi oculi congruenter lucem aſpicerent. Ex his igitur infert Auguſtinus, quod vitium primum rationalis animæ non eſt aliud, niſi voluntas faciendi ea, quæ vetat ſumma & intima veritas, quod tunc fit ſecundum eum ibidem, quando anima rationalis diligit illud bonum, quod infra ipſam ordinatum eſt. Et per hoc concludit, quod actus diligendi creaturam huiuſmodi eſt ipſum peccatum, & hoc malum eſt; non autem illa res eſt malum, ſed malum fuit circa eam diuini præcepti transgreſſio. Propter quod di-

Mala quomodo ex bonis oriantur.

cit idem ibidem. Quod omnis corporea natura, ſi tantummodo poſſideatur ab anima, quæ diligit Deum, bonum eſt in infinitum, & ſi anima recognito creatore ipſi vni ſe ſubiecerit, & cætera propter eum ſubiecta ſibi eſſe præſenſerit, nullum malum animæ erit. Quare autem Dominus ſic permiſit hominem vitiare naturam ſuam, & non conſeruauit eum in illa bonitate, qua eum creauit? *Ber. de libero arbitrio.* Bernardus dicit quod Deus non creauit ideò hominem, vt peccaret, ſed vt glorioſior appareret, ſi non peccaret, cum peccare poſſet. Sicut miles bellare permittitur & arma ſumere, non vt ſe occidat vel moriatur, ſed vt victoriam obtinens coronam habeat. Hæc ille. Ex his colliguntur duo dicta memoriæ digna. Primum eſt, quod malum non eſt à Deo formatum, tam in angelo malo, quam in homine primo. Nam licet Deus creauit & formauit angelum bonum, non tamen formauit angelum malum, ſed tantum creauit. Similiter de homine dicendū eſt. *Lib. 1 de ſum. bono cap. 8.* Iſidorus expreſſe dicit, bonos angelos non tantum creauit, ſed etiam formauit, malos verò creauit tantum, ſed non formauit; hoc & de hominibus accipiendum eſt. Secundo ex hoc elicitur, quod licet malum à Deo non ſit creatum nec formatum, tamē à diabolo non eſt creatum ſed inuentum. Ex hoc patet, quod malum eſt nihil, quia ſine Deo eſt factum, cum Deus malum non fecit, permiſit tamen malum, vt ex cōtrarijs malis bonæ naturæ decor emineret. Ex hoc concludit Iſidorus, quod creatura omnis ex noſtro bono vſu bona, ex malo mala dicitur. Reuertamur tamen ad propoſitum, à quo modicum digreſſi ſumus, & videamus diuinam bonitatem quam oſtēdit in ſua potentia creando omnia propter hominem. *Omnia propter hominē facta ſunt.* Nam pro conſeruatione hominis omnia facta ſunt. Fecit enim Deus cœlum empyreum, vt ibi habitares; fecit cœlum aqueum, vt ibi feruorem cœli ſiderei temperares; fecit cœlum ſtellarum, vt per generationem, quam cauſat multiplicari poſſes; fecit ſolem, vt diem tibi faceret; fecit lunam & ſtellas, ne nocturnæ tenebræ te grauarent; fecit ignem, ne à frigore deficeres; fecit aerem, ne cor ſuffocatione periret; fecit aquam, ne te ſitis perimeret, & vt a te ſordes excluderet; fecit terram omnibus bonis plenam, vt quod vitæ deperiret, repararet. Multum ergò Deus eſt amandus, qui propter hominem omnia benè fecit. Sed heu dolendum nimis eſt, quod multi relicta bonitate creatoris creaturæ adhærent, & à bono æterno ad temporalia, à ſpirituali ad carnale, ab intelligibili ad ſenſibile, à ſummo bono ad infimū dilapſi ſunt. Ex quo prouenit homini, vt omnis creatura corporea ſit, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Temporalium verò ſpecierum multiformitas ab vnitate Dei hominem lapſum, per carnales ſenſus diuerberat & mutabili varietate multiplicat eius affectum, ita quod ex hoc facta eſt abundantia laborioſa, & ſi dici poteſt, copioſa egeſtas, dum aliud ſequitur, & nihil cum eo permanet.

I I.

Fecit. Sicut ad perſonam Dei Patris pertinet potentia, ſic ad filium ſapientia. Vnde ſicut Deus Pater potentia omnia facere poteſt, ita ea, quæ facturus eſt, non niſi per ſapientiam ſuam, quæ eſt filius vnigenitus & indiuiſus cum eo in maieſtate, omnia fecit, *omnia enim per ipſum facta ſunt.* Ioan. 1. *Et per ipſum ſunt omnia.* Rom. 11. Sicut igitur Deus Pater omnia fecit per filium, ita eadem gubernat & regit per ipſum. Prou. 8. *Per me reges regnant. Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Duo dicit Salomon; Primum, *Attingit à fine vſq; ad finem fortiter*; ſecundum, *Diſponit omnia ſuauiter.*

Sed diceres, ex quo Deus diſponit omnia & gubernat fortiter, quomodo ergo in mundo ſunt multa mala? *Quomodo Deus omnia gubernet fortiter.* & ſi omnia gubernat, nihil fieret à caſu contra philoſophum 2. phyſicorum. Ad quod dicendum eſt; quod Deus eſt cauſa efficiens omnium & etiam finis, & ſic omnia efficit propter ſe. Vnde ſicut ad honorem ſuum congruit, omnia in ſe dirigit ſicut in finem. Hoc autem eſt gubernare, ſcilicet dirigere res in finem aliquem intentum. Et tamen ſic eſt gubernator omnium, quod gubernat medi-

mediantibus cauſis ſecundis. Vnde corpora groſſiora & corruptibilia gubernat per cœleſtia corpora; & corpora cœleſtia per angelos ſiue intelligentias. Cuius ratio eſt, quia maioris bonitatis communicatio eſt, ſi efficiens & gubernans cauſalitatem efficiendi & gubernandi alijs ſub ſe ordinatè communicet, quam ſi ſuperiora priuarentur ab inferiorum gubernatione, & omnia per ſeipſum immediatè gubernaret. Et ideò ad oſtendendam ſuam perfectionem in cauſando & communicando, perfectionem ſuam creaturæ, communicat gubernationem creaturis. Et per hoc patet, quod ſi ipſe ſolus immediatè ſingula gubernaret & ageret, nihil malè fieret. Sed quia idem effectus à Deo fit benè, ab homine malè, à Deo iuſtè, ab homine iniuſtè; ergo non omnia fiunt ordinatè in mundo. Sicut in exemplo, ſi dominus dicat ſeruo, trahamus leniter cordam iſtã, ſic quod eam non frangamus, & ſeruus trahens eam rumpit & frangit. Iſta fractio eſt à Domino & à ſeruo, & tamen ſeruus peccat & malè facit, & non dominus. Sic Deus ſtatuit, quod creaturæ rationali vult cooperari in ſuis operationibus, vt curſus naturæ maneat, quem inſtituit; ſine quo nulla res poteſt aliquid agere, immò nec eſſe per momentum, niſi ipſe conſeruaret. Quando igitur creatura rationalis facit contra legem à Deo ſibi præfinitam, quamuis à Deo gubernetur & cõſeruetur, & Deus eidem generaliter cooperetur ſicut cooperatur igni comburendo, ſoli lucendo, tamen creatura malè facit legem tranſgrediendo, non autem Deus, qui ſic facit ſicut lex ſua ſtatuit. Vnde patet, quod quo ad Deum nihil eſt à caſu, ſed benè; quo ad cauſas ſecundas, ſicut ponit exemplum de domino, qui mittit duos famulos in negotijs, ordinans quod vterque obuiet alteri certò loco & tempore, quorum neuter ſcit de alio. Iſte concurſus famulorum dicitur à caſu reſpectu vtriuſque famuli, & tamen eſt per ſe intentus reſpectu domini. Sed quomodo Deus omnia ordinat in ſe, vt in finem, cum mala non poſſunt in eum ordinari? quia *non eſt conuentio lucis ad tenebras, nec Chriſti ad Belial.* 2. Cor. 6. Dico quod ſecundum Auguſtinum lib. Enchiridion cap. 10. Malum ordinat in Deum non per ſe, ſed per hoc, quod commendat bonum. Nam malum benè ordinatum & ſuo loco poſitum commendat bonum vt magis placeant, & laudabiliora fiunt bona dũ comparantur malis. Hæc ille.

Sed diceres quoad ſecundum, quomodo Deus gubernat miſericorditer omnia, cum paruulos non baptizatos punit æternaliter pro peccato originali? videtur ergo, quod in illos nullam exerceat miſericordiam. Ad quod dicendum eſt, quod Deus in hoc apparet omnia benè & miſericorditer facere, quia tribuit bonis vltra merita, & malis citra. Vnde ſicut apud nos miſericordia apparet in hoc, quod indigenti benè faciamus, ſic in Deo apparet miſericordia magna in gubernando omnẽ creaturam, quæ eo indiget, & ſine eo ſubſiſtere non poteſt; & ideò cum omnia de ſua gratuita voluntate conſeruat, omnibus miſericordiã impẽdit, & quia ex bonitate ſua nobis impendit bona, & punit nos pro noſtra culpa, ideò dicitur ipſi propriè competere miſereri, & quaſi impropriè punire. Quod autem paruulos punit æternaliter pro peccato originali, dicendum eſt, quod in hoc apparet eius miſericordia, quia non ſolum poſſet infligere carentiam viſionis ſuæ, ſed poſſet omnes annihilare, ſi vellet, & in hoc agit cũ eis miſericorditer, quod eſſe humanum habent, & viuunt ſine pœna ſenſus. *Miſericordia Domini, quod non ſumus conſumpti.* Et tantum de ſecundo.

Quomodo Deus gubernet omnia ſuauiter.

III.

Benè. Sciendum quod licet Deus omnia benè feciſſet in principio creationis, tamen homo culpa ſua bonum conuertit ſibijpſi in malum, & per abuſum rerum malè ſe cœpit habere in ſeipſo. Et hoc ſeptupliciter. Nam *primò* quia contra creatorem ſe extulit in altum, ideò ſe malè cœpit habere; ſicut puluis eleuatus in altum. Iſtud figuratur in filia Chananææ mulieris; de qua dicit mater. Matth. 15. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Filia noſtra eſt anima noſtra

Per abuſũ rerum homo ſe malè habet ſeptupliciter.

ſtra, quæ malè vexata eſt à diabolo, quando in ſuperbiam fuit per eum eleuata in paradiſo. *Secundò* male ſe habet homo per inuidiam, ſicut malè eſt actori quẽ opus ſuum rodit, ſicut Cain cœpit ſe malè habere propter inuidiam contra fratrem Geneſ.4. *Tertiò* malè ſe habet homo per iracundiam, ſicut ille qui inquietat alios & ſe. Iud.11. *Tu contra me malè agis indicens mihi bella iniuſta. Quarto* malè ſe habet homo per auaritiam, ſicut malè eſt hydropico, qui quanto plus bibit, tanto plus ſitit. Eccleſ.3. *Cor durum malè habebit in nouiſſimo. Quintò* ſe malè habet accedioſus, ſicut paraliticus, qui habet membrum paraliticum, quo non vtitur. Matth. 8. *Puer meus iacet in domo paraliticus, & malè torquetur. Sextò* ſe malè habet luxurioſus, ſicut ſe malè habet lunaticus. Matth.17. *Domine miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur. Septimo* malè ſe habet guloſus, ſicut ille qui grauatur nimio pondere. Pſal. 77. *Tentauerunt Deum, vt peterent eſcas animabus ſuis*; & ſequitur: *Et malè locuti ſunt de Deo.* Quia igitur ſe homo ſic malè habuit, & de bono malum fecit, venit filius Dei, & omnia per hominem malè facta benè reparauit, vt de eo benè dicerent turbæ; *Benè omnia fecit.* Exprimunt in quo benè fecit, cum addunt, *& ſurdos*, fecit audire, reparando auditum, *& mutos* loqui, reparando oris organum, & reddendo loquendi officium. Et quia Chriſti aduentus in mundum, per quem reparauit omnia infecta, fuit ex magna charitate, vt dicit Apoſtolus ad Titum; charitas autem attribuitur Spirituiſancto, ideò congruè dicimus, quod operatione Spiritusſancti per filium Dei, quorum vna eſt voluntas & inſeparabile opus, omnia benè facta ſunt. Hæc autem bonitas reparationis apparet in tribus, Primò quia humanum genus de ſeruitute diaboli redemit. Nam homo propter peccatum erat ſeruus diaboli, & ſe Deo ſubtraxerat. quia ergo nullus potuit hominem redimere de iſta ſeruitute, venit filius Dei, & nullis meritis exigentibus humanis, ſe pro homine obtulit in precium. Vnde Lucæ 19. dicit; *Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* Secundò mundus erat cœcus & tenebroſus, vt & ſe & creatorẽ ſuum non cognoſceret. Iſaiæ 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit.* Venit ergo filius Dei & illuminauit tenebras noſtras. Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Vnde ipſe de ſe dicit, Ioan.8. *Ego ſum lux mundi.* Iſaiæ 60. *Venit lumen tuum Ieruſalem.* Tertiò homo erat frigidus, & Deum amare non poterat, ideò venit Chriſtus & attulit ignem Spiritusſancti, quo incendit corda noſtra, vt eum ardentiùs diligamus. Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quod volo niſi vt ardeat?* Vnde Richardus in libro de trinitate. Spiritusſanctus ſpiritum rationalem intrat, ipſius affectum amore diuino inflammat, & in ſimilitudinem ſuam transformat, vt auctori ſuo amorem, quem debet, exhibeat. Quid enim Spiritus ſanctus eſt niſi ignis diuinus? quia ſicut ignis contra ferrum, ſic ipſe contra cor durum, fœdum ac frigidum agit. Nam fœditatem abſtergit, duritiem emollit, & frigiditatem in caliditatem conuertit. Hæc ille. Benè igitur Spiritus ſanctus omnia reparauit per incarnationem Chriſti, quia ſeruum redemit, cœcum illuminauit, frigidum calefecit, inſuper in Euangelio ſurdo aperuit auditum, & muto loquelam reſtaurauit. itaque mirificauit miſericordiam ſuam ſuper hominem, quem tantis bonis dotauit & honorauit. Sed hanc bonitatem pauci recognoſcunt. Nam licet Deus oſtendit ſuam charitatem, veritatem & bonitatem, tamen auari negant Deum, & charitatem in hoc, quod ipſe apparuit in forma pauperis, oſtẽdens indigentiam & petens charitatem. Ipſi eum in paupere contemnunt. Sed certè iſtos negabit in iudicio ſedens. Matth.25. *Amen dico vobis, Neſcio vos.* Et Matth.10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo.* Secundò non noſcunt Deum nec eius bonitatem præſumptuoſi & nimis audaces, qui in nullo diuinæ ſe commendant bonitati, nec ab eo petunt auxilium. Petrus confi-

Chriſtus hominem reparauit.

Reparatio hominis conſiſtit in tribus.

Richard.

dent.

dens de eo propria fortitudine ter Chriſtū eadem nocte negauit. Taliter contingit iſtis, qui de ſuis meritis confidunt, qui tandem miſerabiliter cadunt vnde Iob 3. *Si oſculatus ſum manum meam, quæ eſt iniquitas & negatio contra Deum altiſſimum.* vbi dicit Greg. *Oſculari manum* eſt bonum vel naturæ vel gratiæ à Deo conceſſum, meritis humanis attribuere. Hi ergò, qui bonum quod habent non Deo ſed ſibi attribuunt, videntur Deum negare. Et hi non poſſunt dicere, *Benè Deus omnia nobis fecit,* quia non Deo, ſed ſibi laudem attribuunt. Et hi ſunt peiores phariſæo, qui gratias egit Deo de bonis quæ habuit licet ad vanam gloriam. Iſti autem nec gratias agunt Deo, ſed ſibiipſis attribuunt. Tertio non cognoſcunt diuinam veritatem malitioſi- & fallaces, cuiuſmodi ſunt falſi teſtes, falſi iudices, falſi procuratores, qui ſcienter veritatem negant, nec eam cognoſcunt, vbi opus eſt. Tales ergo non confitentur quod Deus omnia bene fecit, ſcilicet vera, quia veritatem ſupprimunt & falſitatem extollunt. Nos igitur fratres cognoſcamus tantam diuinæ pietatis charitatem, qua nos dilexit; bonitatem qua nos bonos fecit & multa alia dona contulit; veritatem qua falſitatem à nobis effugauit, confitentes corde, ore & opere, quia omnia benè fecit, vt tandem per opera gratiæ lumine facta perueniamus ad bona gloriæ. Quod nobis dignetur præſtare Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Amen.

Oſculari manum quid ſit.

Luc. 18.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Lucæ 10.

Beatitudo eſt cognoſcere Deum. Ioan. 17.

OMnis qui ſecundum Deum ſapiens eſt, beatus eſt. Beata autem vita cognitio diuinitatis eſt. Vnde Saluator ad patrem loquens ait; *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum.* Quod pulchrè tractans ibidem Auguſt. dicit; Infœlix qui omnia nouit & te neſcit, beatus autem qui te nouit & illa nouit, non propter illa beatus, ſed propter te ſolum. Hæc ille. Vnde Iere. 9. dic. *In hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me.* Vbi Gloſſa dicit; Scire & noſſe, ſcilicet cognitione perfecta, quæ conſiſtit in fide perficiente intellectum & coniungente Deo affectum. De qua cognitione Sap. 15. *Noſſe te conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam radix eſt immortalitatis.* De hac radice loquitur Auguſt. ſuper Ioan. dicens; Sicut in radice arboris nulla prorſus apparet ſpecies, & tamen quicquid eſt in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit; ſic ex fidei humilitate, quicquid meriti beatitudinis anima ſuſceptura eſt, ex fide ſicut ex fundamento procedit. vnde ſignanter dicitur, quod fides eſt radix immortalitatis, & per conſequens beatitudinis. Hæc ille. Ille ergo verè beatus dicitur in præſenti, qui veram notitiam de Deo habet, qui Deum ſuper omnia diligit & eum ſequi intendit. Cuiuſmodi erant Apoſtoli quos Chriſtus commendans dicit; *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* In quibus verbis commendantur Apoſtoli de perfecta notitia deitatis; videbant enim oculis corporeis humanitatem Chriſti, ſed oculis cordis eius diuinitatem. Tria hic deſcribuntur. *Primo* rectè credentium meritum

Propoſit.

ritum præmiale, cum dicitur; *Beati. Secundo* commendatur inſtrumentum per quod meretur viſibile, quia *oculi qui vident. Tertio* ſubinfertur obiectum deſiderabile, cum dicitur, *Quæ vos videtis.*

I.

Beatitudo triplex.

Beati. Sciendum quod tripliciter homines dicuntur beati; Quidam ſunt beati fallaciter & nuncupatiuè tantum, vt ſeculares & mundani; Alij dicuntur beati veraciter & gratuitè, vt Chriſti fideles & electi Dei; Tertij ſunt beati æternaliter & glorioſè, vt animæ ſanctorum & ciues cœleſtes. De primis dicitur in Pſalm. *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Et præmittitur; *promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ &c.* Eſt beatitudo iſta ſecularium in voluptatibus, diuitijs, honoribus, ſed hæc beatitudo eſt fallax & ſeductoria, & nunquam vera.

1. Beatitudo mūdanorum in voluptatibus, diuitijs &c. eſt fallax.

Eccl. 2.

Vnde Eccleſiaſtes poſtquam dixit; *Dixi in corde meo, vadam & affluam delitijs,* ſcilicet exquiſitis delectationibus, *& fruar bonis,* ſtatim ſubdit; *Et vidi, quod hoc quoque eſſet vanitas.* Ecce fallacia huius beatitudinis. Et verè vanitas, quoniam tales delitiæ non ſatiant, immò faſtidium generant. Ideo ibidem oſtendens hanc fallaciam dicit; *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi; Quid fruſtra deciperis?* ecce fallacitas.

Idem.

Error eſt alterius pro altero approbatio; Anima ergò effundens ſe per gaudium terrenum & voluptuoſum approbat tale gaudium vmbraticum & momentaneum pro vero, igitur decipitur. Vnde Hugo. Anima inquit decipitur cum delectatur in rebus nociuis, & benè ſibi putat cum malè eſt.

ſuper libr. prædicto.

Item decipitur, cum præſentium delectationum occupatione inuoluitur, & nè futura mala conſiderare valeat, impeditur. Item fruſtra decipitur, quia fallacis boni gaudia, in quibus exultat, tantis amaritudinibus admixta ſunt, vt iure diſplicere debeant, etſi debeant ſemper permanere. Vel fruſtra decipitur, cum non videt malum quod patitur, & cum non prouidet malum quod patietur. Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Et verè tales decipiuntur, quia *tenent tympanum & gaudent ad ſonitum organi; Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* *Iob. 21.* Et philoſophus dicit, quod multis prouenit deceptio propter delectationem. *3. Ethic.* Hæc autem deceptio eſt mortifera & venenoſa. Nam ſicut venena non inficiunt niſi circumlinita dulcedine; Ita voluptates maximæ mixtæ delectatione, vt ait Hieronym. *Epiſt. 89.* Propter quod de eis Prouerb. 23. dicitur per ſimilitudinem. *Ne intuearis vinum quando flaueſcit; Ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit vt coluber.* Ex quibus patet primo, quod beatitudo terrenorum eſt deceptoria, fallax & doloſa, quia eſt inſtabilis & momentanea, iuxta illud; Prouer. 1. *Proſperitas ſtultorum perdet eos.* ideò concludit Gregorius & Boetius. *In paſt. cap. 28.* Quod non eſt gaudium de rebus, quæ ſubijciuntur fortunæ, propter eorum inſtabilitatem. *2 de conſol. cap. 1.* Vnde Seneca. Suſpecta ſunt munera fortunæ, eo quod non ſunt aliud, niſi vſitata beneficia & inſidiæ. *Epiſt. 4.* Et idem. Quis voluptatis fructus, quæ cum ceſſauerit, videtur non fuiſſe? *Epiſt. 80.* Et alibi; Res inquieta eſt mundana fœlicitas. *Epiſt. 27.* Similiter loquitur Valerius Maximus; *Valer. l. 6. cap. 11.* Caduca, inquit, & fragilia pluribus trepidis, id eſt, caducis & dubijs conſentanea ſunt iſta, quæ vires atque humanæ opes vocantur. Affluunt ſubitò, repentè dilabuntur; in nullo loco, nulla in perſona ſtabilibus radicibus innixa & fixa conſiſtunt, ſed incertiſſimo fluctu fortunæ huc atque illuc acta, etiam quos ſublime extulerunt, improuiſo receſſu deſtitutos profundo cladium, id eſt calamitatum miſerabiliter immergunt. Itaque neque æſtimari neque dici bona debent, quæ inflictorum malorum amaritudine deſiderium ſui diſplicent. Hæc ille. Et ibi ponit exempla de potentibus, qui fuerunt proſperati, & poſtea calamitatibus afflicti. Vnde narrat de vno, cui nihil aduerſi accidit, nomine Polycrates dux Samiorum, qui etiam proiecit ex induſtria annulum in profundum laci, ad experiendum, ſi aliquid accideret, quod diſpliceret, & ſtatim fuit captus piſcis & præſentatus ei & annulus inuentus. Iſte tamen poſtea fuit cruci affixus, & in ea putrefactus, quem Orontes Darij regis præfectus crucifixit. Ex his conſequenter infe-

ro,

ro, quod proſperitas continua temporalium manifeſtum eſt damnationis indicium. Gregorius ſuper illud Iob 35. *Clamabunt & non exaudientur*, dicit; Manifeſtum indicium damnationis eſt, quando affectantes iniquitates ſubſequens fouet effectus. Hæc ille. Ex quibus finaliter inſero, quod beatitudo terrena magis propriè dici debet miſeria quam fœlicitas, & impropriiſſimè & abuſiuè dicitur beatitudo. Voluptates, inquit Seneca, crudeles ſunt in ſuos amatores & inexplebiles, quia vt dicit 76. Epiſtol. Appetitus earum eſt ſimilis cani, qui portans in ore panem, quam primum alium videt, amittit primum. Eccleſiaſt. 6. vbi enumeratis proſperis quibuſdam mundanorum, ſubdit; *Hoc vanitas & magna miſeria eſt.* Quod exponit Hugo ratione afflictionis in laborando, conſeruando, & amittendo. Et verè magna miſeria eſt talibus ſecundum Hugonem, ratione auerſionis à bono incommutabili. Quia magna miſeria hominis eſt, inquit Auguſtinus, nō eſſe cum Deo, ſine quo non poteſt eſſe, & quia talis homo affectu inordinato non eſt cum Deo, ideo eſt in magna miſeria. Item eſt miſeria ratione conuerſionis ad bonum commutabile inordinatè dilectum. Miſer eſt, inquit idem, qui inhæret, quæ ammittere poteſt inuitus. Item eſt miſeria ratione priuationis iuſtitiæ. Omnis enim qui non eſt in iuſtitia miſer eſt, cuiuſmodi eſt auarus. De quo dicitur; *Nihil eſt iniquius, quā amare pecuniam.* Item eſt in miſeria ratione ſuæ confuſæ deordinationis in ſeipſo. Quia appetitus beſtialis, cum non eſt nomen ſubſtantiæ, miſerum facit. Talis autem eſt diligentium terrena inordinatè. Vnde pro omnibus iſtis dicitur. Apocal. 3. *Tu dices quia diues ſum, & nullius egeo*, & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, cæcus & nudus. Benè igitur dicitur Iſa. 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Et ponit hic opinionem illam eſſe reprobatam, quæ ponit beatitudinem in proſperis, ſicut Epicurus, prout recitat Anſelmus dicens; Epicurus dicit voluptatem ſummum bonum; Ariſtenes autem Socraticus dicit voluptatem ſummum malum. Zenon cenſuit voluptatem indifferentem. Certolaus peripateticus dicit malum, & mala parare; ſcilicet iniuriam, diffidentiam, obliuionē & ignominiam; & iſte benè dicit. Vnde Tullius de ſenectute cap. 5. Nulla peſtis capitalior voluptate, ipſa enim capiuntur homines, ſicut piſces hamo. *Secunda beatitudo*, quæ beati ſunt quidam veraciter & gratioſè, vt Chriſti fideles & electi Dei. De qua dicit Pſalmiſta. *Beatus homo cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſponit.* Et hæc eſt beatitudo, quæ exiſtit in cognitione Dei per veram & ſinceram fidem & amorem purum. De quibus dicitur in Pſalmo 143. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Et de hac dicitur hic; *Beati qui vident*, ſcilicet Deum, per fidem, & ſpem, ſicut dicit Apoſtolus. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate.* Tria enim diſponunt hominem ad hanc beatitudinem, ſcilicet altitudo ſapientiæ diuinæ, ſanitas ſeu ſinceritas conſcientiæ; & ſublimitas virtutis. Hæc ergo beatitudo eſt Chriſti fidelium; per quam hic Deum ſuum per fidem cognoſcunt, iuxta illud, quod dicit Saluator; Ioan. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Sunt enim beati propter meritum, quia illa fides habet meritum, cui humana ratio non præbet experimentum, vt dicit Gregorius ibidem. Hæ ſunt diuitię Chriſtianorum, iſti honores. Hæc tota Chriſti fidelium ſubſtantia, qua maior excogitari non poteſt. Vnde Auguſt. Nullæ maiores diuitiæ, nulli honores, nulla huius mundi eſt maior ſubſtantia, quam eſt fides Catholica, quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, & omnes in æterna hæreditate collocat. Hæc ille. Propter quod hanc fidem vocat Ambroſ. lib. de virginit. theſaurum omnibus opulentiorem, quia omnes æternaliter ditat. *De tertia beatitudine*, qua beati ſunt ſancti æternaliter in gloria, dicitur in Pſalmo. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* vbi ſancti Deum vident; non iam per fidem aut ſpem, ſed per ſpeciem propriam & facie ad faciem. 1 Ioan. 3 *Videbimus eum ſicuti eſt*, Et Apoſtolus; *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus eſt.* Vnde Bernard. in quodam ſermone.

Tri-

Marginalia: *l. 26. mor.* — *Epiſt. 90.* — *libr. 14. de ciu. Dei.* — *l. i de libero arbit.* — *Eccl. 10.* — *Anſelm. lib. 11.* — *2. Beatitudo Chriſti fideliū in fide & amore ſincero eſt vera.* — *Quæ vera Chriſtianorum diuitiæ.* — *De verbis Domini.* — *3. Beatitudo ſanctorū in cœlo glorioſa.*

Tripliciter in illa æterna beatitudine perfecta fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobiſipſis; & quod his omnibus ineffabiliter iucundius atque beatius eſt, ipſam quoque cognoſcentes in ſeipſa Trinitatem.

II.

Beati oculi qui vident. Non eſt hoc tantum intelligendum de oculis carnis, ſed cordis. De quibus dicitur. Eccleſ. 2. *Oculi ſapientis in capite eius*, id eſt, intentus cordis totalis fidelium eſt in Chriſto tanquam in capite, à quo recipiunt fidem & charitatem, ſicut ſenſum & motum à capite. Talis fuit Dauid qui de ſe ait; *Oculi mei ſemper ad Dominum*. Solet dici, vbi amor ibi oculus; ideo ſancti debent habere oculos ſuos eleuatos ad Deum; non ſicut illi de quibus dicitur; *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*. Debent autem oculi noſtri dirigi in Deum, & ipſum ſemper videre & contemplari tripliciter; *Primo* debent dirigi in Deum, tanquam in librum in quo diſcamus. Exod. 13. *Quaſi monumentum erit ante oculos tuos, & vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo*. Hic liber habendus eſt ſemper ante oculos cordis per meditationem; in ore per locutionem; in manu per operationem. In hoc libro tria ſcribuntur. lamenta pœnitentiæ, carmen miſeriæ, & væ iuſtitiæ. *Secundo* debent dirigi oculi noſtri, in Deum, tanquam in ſubſidium, in quo confidamus. De quo Iſaiæ 17. *In illa die inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi eius ad ſanctum Iſrael reſpicient*. Inclinamur ad factorem noſtrum, quando in oratione confugimus ad diuinum præſidium. 2. Paral. 20. *Cum ignoramus, quid agere debeamus hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus*. Taliter fecit Dauid, qui ait; *Leuaui oculos meos in montes*, ſcilicet cœlorum, *vnde veniet auxilium mihi*. Et iterum; *Sicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*. quaſi dicat; Sicut ſeruus reſpicit in Dominum, cum eum flagellat; Similiter ancilla in Dominam, cum eam verberat; ſic nos in Deum nos verberantem reſpiciamus, donec miſericordiam conſequamur. *Tertiò* dirigere debemus oculos in Chriſtum, vt cognoſcamus. Duo autem ſunt cognoſcenda in Chriſto, ſcilicet vita noſtra per comparationem ad ipſum, & beneficia ad regratiandum pro eis, & ſic tam in electione quam in affectione debent dirigi ad Deũ. De primo dicit Iob vlt. c. *Nunc oculus meus videt te, idcirco me reprehendo & ago pœnitentiam in fauilla & cinere*. Contemplata namque puritate diuina cognoſcitur ab homine fragilitas ſua; & ſicut ad ſpeculum corriguntur vitia macularum faciei, ita ex conſideratione vitæ Chriſti proficit homo in gratia. Ex quo patet, quod homo oblitus ſuorum defectuum minimè poteſt conſiderare ſuum profectum. Quanto enim quis minus videt ſe, tanto minus ſibi diſplicet, & quanto maioris gratiæ lumen percipit, tanto plus ſe repræhenſibilem eſſe cognoſcit. Ex quo vlterius infero, quod quanto ſe homo magis in hoc ſpeculo propriç conſiderationis videt, tanto ſe magis humiliat. Nam per inconſiderationem ſuiipſius ſæpè fit reatus criminis, quod putatur eſſe cauſa virtutis; & vnde expectatur pia merces operis, inde ſupplicium iuſtæ ſequitur vltionis. Et ſæpè poſt iudicium culpa eſſe deprehenditur, quod virtus ante iudicium putabatur. Ideo apud Ezechielem dicitur, quod animalia erant plena oculis ante & retro; quia ſanctorum mentes vndique ſe circũſpicientes ſibi contradicunt in omni opere ne vel praua agant, vel recta quæ præcepta ſunt, non agant, vel expletis bonis operibus in ſuis cogitationibus ſuperbiant. Debet etiam affectus noſter dirigi in Chriſtum ad conſiderandum eius beneficia, pro quibus debemus regratiari ipſius benignitati. Sicut enim mendicantes ſumus, qui etiam licet cœci ſint, tamen oculos eleuant ad dantem. Sed hodiè verſum eſt in contrarium. Multi enim ſentiunt beneficia diuina, qui tamen non eleuant oculos ad Deum, immo quod deterius eſt auertunt ab eo. De quibus Eccleſia. 27. *Qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum.* quaſi

[Margin notes: *pſal. 24.* — *pſal. 16.* — *Oculi cordis noſtri in Deum dirigendi tribus modis.* — 1. — 2. — *pſal. 120.* — *pſal. 122.* — 3.]

quaſi dicat, poſtquam locupletati ſunt o-
Deut. 23. bliuiſcuntur Deum, iuxta illud; *Incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum*. Iſti ſunt ſimiles porcis, qui
Pſal. 16. comedunt glandes ſub quercu, ſed tamen non leuant oculos ad arborem. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*. Et tantum de ſecundo.

III.

Quæ vos videtis. Apoſtoli erant ſicut boni exploratores, qui viderunt & conſiderauerunt terram illam futuræ promiſſionis beatiſſimam, ſicut de ipſis in figura dici-
Num. 14. tur; *Terra, quam circumiuimus, valdè bona*
Deut. 11. *eſt.* De quibus etiam dicitur; *Oculi veſtri viderunt omnia opera Domini magna, quæ*
Cœleſtiū præmiorū abundātia conſpicienda. *fecit.* Iſtorum ergo exemplo omnes debemus & nos videre, quæ illi viderunt, ſi volumus eſſe beati. Et quia Apoſtoli contemplati ſunt inter cætera ſupernorum præmiorum affluentiam propter quam beatificati ſunt; ideo & nos videamus ſimiliter huiuſmodi nobis promiſſam beatitudinē, iuxta illud Pſal 8. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* Sed notabile eſt, quod ille, qui eſt in profundo puteo circa meridiem videt ſtellas, vbi ille, qui ſtat in ſuperficie terræ in lumine, nullam videt. Eodem modo, qui ponitur in profundo humilitatis, tribulationis, & anguſtiæ, ſuſpirat ad cœlum & clamat ad Deum; qui verò ſtati in lumine mundi & claritatis mundanæ laſciuiæ, ſtellas videre non poteſt. Eſt enim experimentum, quod ſi denarius ponatur in ſcutella vacua, recedaturque à ſcutella donec denarius deſinat videri, ſi aqua ſuperfundatur ſcutellæ, ſtante oculo in eadem diſtantia, denarius iterum apparebit, propter aquam ſuperinfuſam denario. Moraliter denarius iſte vitam deſignat æternam. Matth. 20. *Nonne ex denario diurno conueniſti mecum?* Item denarius non videtur à quibuſdam hominibus in hac vita, dum in dignitatibus, voluptatibus, & honoribus elongantur à Deo, quales fuerunt illi duo peſſimi ſacerdotes, de quibus apud Daniel. 13. dicitur; *Declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum*. Sed ſi ponantur tales in infirmitate, tribulatione, vel perſecutione, benè recordantur de Deo, & de cœlo ad quod facti ſunt. Naturales etiam dicunt quod veſpertiliones habent debiles oculos. Cuius cauſa eſt, quia humor criſtallinus, qui eſt neceſſarius oculo ad videndum tranſit in ſubſtantiàm alarum. Vnde habēt alas coriales, & ſic propter volatum amiſerunt viſum, quia ſubtractum eſt oculis, quod poſitum eſt in alis. Hi ſignant ſuperbos, qui quanto magis volare nitūtur, tanto gratia diuini luminis magis priuantur. Quia tota eorum intentio, quæ debet eſſe in conſiderando cœleſtia, tranſiuit in pennas ambitionis; quia tota eorum cogitatio eſt, quomodo poſſunt aſcendere gradatim de dignitate in dignitatem. Cauſa *Cœleſtia præmia non appetuntur, non videntur.*
autem, quare pro præmijs cœleſtibus non laboramus, quia ea non videmus, ſicut homo, qui tranſiuit pro mercimonijs, ſi videt ea cooperta, non poteſt ea videre, & per conſequens non tentat ea emere, ſed in nūdinis, quando ea plena videt, ſtatim inclinatur ad emendum, ſic eſt & de nobis. Vnde
dicitur; *Stephanus vidit cœlos apertos, vidit* *Act.* 7.
& introiuit. Domine, inquit, *ſuſcipe ſpiritum meum.* Ecce ſtatim volauit emere, offerens
ſuum denarium. *Conſiderauit agrum & e-* *Prou. vlt.*
mit illum. Et infra; *Guſtauit & vidit quoniā bona eſt negotiatio eius.* Sed de multis euenit ſicut de Moyſe, qui aſcendens in montem, bene vidit terram promiſſionis, ſed nunquam eam intrauit. Sic quidam litterati vident cœleſtia per ſacram ſcripturam, ſed nunquam intrant. Sed quid debemus videre in vita beata, cum *Oculus non vidit, nec*
auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, 1. *Cor.* 2.
quanta Deus præparauit diligentibus ſe. Ad *Iſa.* 64.
quod reſpondetur, licet gaudia cœleſtis patriæ non poſſint videri ad plenum & perfectè enarrari, poſſunt tamen nobis annūciari & aliqualiter per abnegationem omnis defectus & imperfectionis inſinuari. Nam facilius poſſumus dicere de illa vita, quid ibi non ſit, quam quid ibi ſit. Non eſt ibi mors, nō laſſitudo, nō luctus, non infirmitas, non fames, nulla ſitis, nullus æſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœſtitia, nulla triſtitia, nullus dolor, nullus labor, nullus timor, nulla malitia, nulla

miſeria, nec vlla tentatio inimici, non peccandi poteſtas, neque demerendi facultas; Sed ibi erit requies à laboribus, pax ab hoſtibus, ſecuritas à moleſtijs & violentijs; ibi erunt homines ſicut angeli Dei, ibi fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorū, ibi vita ſine morte, dies ſine nocte, certè ſine forte, iucunditas ſine dolore, ſecuritas ſine timore, tranquillitas ſine labore, ſcientia ſine errore, certitudo ſine forte, pax ſine fine, quæ omnia ſi conſideremus, vileſcent omnino omnia, quæ in terris habentur. Tanta namque eſt illa beatitudo, vt etiamſi liceret in ea non amplius manere, quam vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs meritò contemnerentur. Ad quam beatitudinem nos perducat, qui ſine fine viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

SERMO LI.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua & ex omnibus viribus tuis. Lucæ 10.

OMnipotēs Deus, qui nullo indiget, quia eſt ſummum bonum & verax, nec de alieno accipere poteſt quo creſcat, quia ex ipſo ſunt omnia; nec de ſuo amittere quo decidat, quia in ipſo immutabiliter conſiſtunt vniuerſa, ipſum rationalem ſpiritum creauit ſola charitate, nulla neceſſitate, vt eum ſummæ beatitudinis participem faceret. Porro vt idem aptus eſſet tanta beatitudine perfrui, fecit in eo dilectionis ſuæ donum, quodammodo per hoc inuitans eum ad guſtum dulcedinis æternæ, quatenus per ipſam videlicet dilectionem fœlicitatis ſuæ iucunditatem perciperet & saperet, eique infatigabili deſiderio inhæreret. Per dilectionem ergo copulauit ſibi Deus creaturam rationalem, vt ei ſemper inhærendo ipſum beatitudinis bonum ex ipſo quodammodo per affectum ſugeret, & de ipſo per deſiderium biberet, & ipſum gaudium poſſideret. Igitur per amorem ſociata eſt factori ſuo creatura rationalis. Dilectio enim eſt vinculum, quod ligat vtroſque in idipſum, & tantò fœlicius quantò fortius. Hæc Aug. Ex quibus patet quod homo naturaliter tenetur Deum diligere, cum ad hoc ſit à Deo naturaliter & principaliter creatus. Sicut enim naturaliter debet eum cognoſcere, eò quod ineſt ei naturalis apperitus ad eum cognoſcendū, vt Boetius de conſola. ita naturaliter debet eum diligere, eo quod ineſt ei naturale deſiderium ad videndum Deo, quod non poteſt fieri ſine dilectione. Vnde Auguſt. dicit, quod anima rationalis & intellectualis facta eſt ad imaginem & ſimilitudinē Dei, vt factorem ſuū per imaginē cognoſcat & per ſimilitudinem diligat. Ex imagine namque Dei habet rationem, ſed ex ſimilitudine charitatem. Charitas verò in ſeipſam repræſentat trinitatem, hanc ratio ſentit & peccata requirit, hanc charitas inuenit & videndo beata quieſcit. Hæc ille. Verum quia ab hoc amore anima humana multum errauit, ideò, vt dicit Bern. amiſſa ſua doctrina naturali, opus habet iam doctore homine, qui de hoc amore ipſam doceret. Volens igitur Saluator noſter nos ad talem charitatem inducere, vt eum ex toto corde diligamus, adducit legiſperiti doctoris reſponſionem, qua nos ad actum amoris inuitat, cum dicit; *Diliges Dominū*

Dilectioni dono Deus homini ſibi copulauit.

In lib. de ſubſt. dilectionis.

de ſpiritu & anima cap. 24.

l. de amore Dei.

Deum

Propoſit. *Deum tuum.* Ad hoc autem, vt Deus verè diligatur, & mens humana in eius amore accendatur, tria requiruntur; *Primo* vt ſciat, quod ſit vera dilectio; *Secundo*, quibus ſignis cognoſcatur; *Tertio* propter quid, & quomodo diligi præcipiatur.

I.

Sciendum, quod ſecundum magiſtrum in libr. de itineribus æternitatis, itinere 4. quinq; ſint affectus amoris, quorũ quintus tantum generat veram dilectionem diuinam. *Primus eſt naturalis*; & hic eſt affectus cuiuslibet ad carnem ſuam, quam nemo vnquam odio habuit. Similiter matris ad filium, quia non poteſt obliuiſci mater infantis ſui. Item hominis ad domeſticum ſuum. Qui enim ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, hic infideli eſt deterior. Iſte autem affectus ſæpè vicioſus eſt, niſi reguletur ratione. Sæpè enim affectus iſte mollia ſuggerit & ſuauia, quod iucundum, quod terrenum, quod voluptuoſum, quod delicatum libenter amplectitur; Quod verò aſperum & voluntati ſuę contrarium eſt, ſemper horret & refugit. Iſte affectus differt à charitate, quia fertur ſimpliciter in creaturam, nec præſupponit cognitionem, quod tamen charitas nõ facit, quæ fertur in Deum. Huius igitur affectus executio amor peruerſus eſt, & hic amor à Saluatore interdicitur, cum dicitur; *Qui amat animam ſuam perdet eam.* Ex quo patet quod licet homini naturale ſit habere ad ſe & ad alios talem affectum, nõ tamen homo debet ibi habere verum affectum & verum amorem, alias peccat. Vnde Aug. Si malè amaueris, tunc odiſti. *Secũdus* eſt affectus carnalis, & eſt duplex. Plerumque enim neque virtus neque vitium eſt, ſed eſt quædam hominis exterior habitudo, & fit ratione alicuius formæ pulchritudinis, vel ſpeciei in homine. Sicut Moyſes propter pulchritudinem fuit amatus à filia Pharaonis, qui prius propter elegantiam & pulchritudinem fuit abſconſus à matre propria tribus menſibus, & hoc nullum peccatum eſt. Si autem talis affectus in noxiam voluptatem inclinat, non meretur dici verus amor, vt dixit Dionyſius, ſed longinquum idolum veri amoris, plenum anxietate. Talis amor fuit in Dauid erga Berſabee, qui ipſum præuenit ad ſpeciem eius, præuentum diſſoluit, diſſolutum obruit. Hic ſimiliter Salomonem in ſua ſapientia abſorbuit. Signa autem huius amoris ſecundum Hugonem 2. de profectibus nouitiorum, ſunt hæc. *Primum* eſt, quia talis dilectio faſtidit eruditiones & collationes ſalutares. Vnde perſonæ carnaliter ſe diligentes pauca de ſpiritualibus, plurima de inutilibus confabulationib⁹, & maximè de mutua dilectione inſatiabiliter ruminant, quantum ipſe eam & illa eum diligat, ita vt huiuſmodi colloquio non ſufficiant neque horæ, neque dies, neque tempora; ſed vbicunque tales conueniunt, habent materiam loquendi indeficienter. *Secundum ſignum* eſt inſolentia geſtuum & morum, quoniam quando ſunt pariter tales, ſe mutuo inſpiciunt, iuxta illud; vbi amor, ibi oculus. Vnde tales latus lateri, femur femori comprimunt, manus manum tenet & comprimit, deinde brachia & lacertos, & humeros, & pectora, & vlteriora ſub veſtibus tangendo blandiuntur, aliquando amplexus & furtiua oſcula iunguntur. Econtra ſpiritualis dilectio tantã diſciplinam ſeruat in occulto ſicut in publico, quia nec angulos quærit ſed fugit, & ſi cum homine colloquitur, manus, oculos & omnia membra ſub cuſtodia tenet. *Tertium eſt* inquietudo cordis, quando enim ſunt abſentes, cogitant adinuicem, vbi nam ſit dilectus, quid agat quando veniat, quamdiu deſeruit, & quid ei demandabit, & quid ei in cauſa eſſe poterit, quomodo valeat in corpore, parum curans animam; & ita ſuſpenſo corde, nec orare liberè poſſant, nec de Deo quietè poſſunt meditari, vel aliquid agere diſtracto vel occupato animo circa dilectum, niſi cum audiunt aliquid de eo proſperum, hoc eſt refrigerium qualecunque. Sed amor ſpiritualis hæc neſcit, ſed quieſcit in Deo, & amicum ſuum Deo fideliter recommittit, ſine mentali diſtractione ſicut ratio dictauerit, congaudet & compatitur. *Quartum* eſt impatientia vel inuidia condilectæ, ſi aliquam ſecum dili-

Margin notes: *Quinq; affectus amoris.* (beside "in libr. de itineribus") — *Ioan. 12.* (beside "Qui amat animam") — *Exod. 2.* (beside "tudo, & fit ratione") — *Dionyſ. li. 2. de ang. hierarch. l. 2. de diu. nominib.* (beside "ſius, ſed longinquum") — *2. Reg. 11.* (beside "in ſua ſapientia") — *Amoris carnalis ſigna.* — 1. (beside "collationes ſalutares") — 2. (beside "Secundum ſignum") — 3. (beside "Tertium eſt") — 4. (beside "Quartum")

diligat, ſi benignius talem ſalutat, ſi aliqua beneficia ei exhibeat. Ex quibus timet ne fortè amor alterius præualeat, & circa ſe tepeſcat, inde dolet & triſtatur. Sed ſpiritualis amor gaudet tanto plus, quãto plus multiplicatur. *Quintum ſignum eſt* ira &
5. turbatio, quia tantum, vt vulgo dicitur, ſe diligunt, quod præ nimia dilectione non poſſunt ſibi mutuo parcere à moleſtia læſionis. Sicut enim aliquando excedit inordinata dilectio mentes illudendo; ſic contra excedit in conturbando; maximè cum vnus alterum in aliquo fortè iocosè offenderit, minus faciendo quam deſiderauerit, quia quo tenerior dilectio, eo moleſtior offenſio. Inde ſurgunt querelæ, inde improperia impenſorum beneficiorum & magnę fidei, quæ perdita videntur apud ingratum, ſequuntur etiam deteſtationes & iuratorię promiſſiones, quod nunquam velit eum diligere, qui ſic ſibi retribuit malum pro bono, & odium pro dilectione, aliquando adiunguntur clamores, contumeliæ, vituperia, maledictiones, infamationes & ſecretorum proditiones, & multa inconuenientia. Sed ſpiritualis amor omnia iſta neſcit; quia omnibus ſe offendentibus parcit & affabilem ſe oſtendit. *Sextum ſignum eſt*
6. munuſcula & dulces litteræ, amatoria dictamina, conuiuiola & morſella in ore dilecti rapta, & quælibet alia, quæ dilectus contractauit, vel quibus vſus eſt, quaſi pro reliquijs veneratur, & pro memoriali conſeruat. Sed contra dicit Hiero. Crebra munuſcula & dulces litteras ſanctus amor nõ
7. habet. *Septimum eſt* inordinata diſſimulatio adinuicem vitiorum, ſcilicet quod qui ſe ita diligunt, etiam vitia ſua diligunt, fouent, & excuſant, & aſtant ſibi mutuo, cõtra arguentes & corrigentes, confœderãtes & conſpirantes ad malum, ſicut fur furem, adulter adulteram diligit in malo. Sed cõtra ſpiritualis amor ſtatim corrigit vitium in ſuo dilecto, ſi quod videt. Sicut patet in Dauid, quem pro peccato ſuo puniuit Deus cladè & peſte. *Sequitur tertius amoris affectus*, qui dicitur, *officialis*, id eſt inter amicos, qui fit ratione officiorum, munerum, obſequiorum exhibitorum, quæ animum inebriant, qui licet ſit periculoſus, eſt tamẽ admittendus, neſcit ingratus beneficia; tamen cauendus eſt, ne delinitus beneficio vel obſequio, aut faueat vitio aut vitioſo. Proinde magna diſcretio eſt habenda in muneribus capiendis, & attendendum ad perſonæ dignitatem, vt quia eſt magni meriti, & ita diligitur, quia gratus hominibus, vel quia virtutibus adornatus, & ita iſte amor mutatur in rationalem ſæpius, quia non quærit diligens in alio, niſi quod bonum eſt in communi ſingulorũ. *Quartus eſt rationalis*, qui prouenit ex conſideratione alicuius virtutis, vel famæ bonæ. Sicut audiendo de virtutibus martyrum, confeſſorum, virginum, diligimus eos, & hic eſt amor perfectior ex amore virtutis. Sed quia iſte amor excitatur ab exterioribus ſignis, ideo differt à charitate, quæ fit ſolum à ſpiritu *Quintus amor eſt ſpiritualis*, qui à ſpiritu immittitur, originatur, & inſpiratur. Et fit tripliciter, quia vel à ſpiritu malo, & tunc fit affectus ad dulcia. Sicut *2. Reg. 13.* Ammon filius Dauid exarſit in ſororem, & ſicut Iudas exarſit in Chriſtum. A ſpiritu humano fit, quando ex innata ingenuitate, vel ſtudioſa exercitatione homo mouetur ad diligendum bonum, & aliquando apparet eſſe ſpiritu ſancto inſtinctus, ſicut in illis, qui pro republica corpora propria exponunt, vt gentiles, vt dicit Auguſt. *li. 1. de ciu. Dei ca. 18.* Et Tullius. *li. 1. de officijs.* A ſpiritu autem diuino verus amor tunc procedit, id eſt, à Spiritu ſancto ſecundum Hugonem, *l. de profect. nou.* quando homo ſentit in ſe habere voluntatem magnam ſeruiendi & placendi Deo, & fruendi eo, per quem amorem ſic diligit ſibi à Deo conceſſa, & vtitur eis, vt tamen illicita deteſtetur, & amori Dei nullius rei amorem præponat. Item cum homo non ſolum communia præcepta Dei ſeruare eſt paratus, ſed etiam omnia, ſine quibus non eſt ſalus, & hoc promouet ſeruare non ſolum in ſe ſed etiam in alijs. Item cum non ſolum præcepta, ſed etiam conſilia facere eſt paratus, & hoc eſt operari magna ſecundum Gregor. vltra communia præcepta. Quia ſecundum Bernard. non eſt perfectorum circa communia languere præcepta.

II. Licet

II.

Licet homo non poſſit ſcire certitudinaliter, vtrum habeat charitatem, quod non ſine valdè occulto Dei iudicio ordinatum eſt, tamen ex aliquibus ſignis homo iſta poteſt aliqualiter cognoſcere. Et quia charitas eſt in triplici gradu, ſcilicet modo genita, roborata, & perfecta, ideò triplicia ſunt eius ſigna. *Primò* igitur ſigna charitatis iam genitæ ſecundum Bernardum in ſermone de omnibus ſanctis, & ſecundum autorem in libro de diſcretione ſpirituum cap. 10. ſunt quattuor. *Primum* eſt dolor de culpa præterita, quæ cum charitate ſtare non poteſt. Vnde quando charitas ſeu dilectio eſt genita, expellit culpã per dolorem contritionis, eo quod radix omnium bonorum eſt charitas. Patet ergo quod iam radicata eſt ſibi charitas. *Secundum* ſignum eſt propoſitum cauendi futura delicta mortalia cum effectu, quia hoc nec per amorem naturalem, nec acquiſitam dilectionem quis diu poteſt habere, niſi gratia adiuuante. *Tertium* ſignũ eſt in auditu verbi Dei. Ratio huius eſt, quia amans delectatur in ſermone amati, ſiue fuerit ſermo inſpiratus, ſcriptus vel dictus. *Quartum* ſignum eſt promptitudo boni operis, quia charitas eſt maximè operatiua. Alias, ſi non operatur, charitas non eſt. *Quintum* ſignum eſt triſtitia de defectu ſpirituali aliorum, & lætitia de profectu eorum. Cuius ratio eſt, quia qui non condolet de malo proximi, non eſt in eo charitas Chriſti. Vnde Apoſtolus *charitas congaudet veritati, non congaudet iniquitati.* Nititur enim in vnum omnes conflare, & ideò vbi impeditur, multum triſtatur. *Secundò*, ſigna charitatis iam roboratæ in homine ſunt hæc. *Primum* eſt conſcientiæ frequens diſcuſſio & examinatio non ſolùm de peccatis mortalibus, ſed etiam venialibus, quia charitas nititur expellere iſta ad præparandum habitaculum Spiritui ſancto. *Secundum* eſt concupiſcentiæ diminutio, quia quanto magis charitas augetur, tanto magis concupiſcentia diminuitur. *Tertium ſignum* eſt ſenſuum interiorum vitalis exercitatio, ſicut enim ſenſuum exteriorum exercitatio eſt ſignũ exterioris vitæ corporis, ita ſenſuum ſpiritualium exercitatio ſignum eſt ſpiritualis vitæ. Quod fit cum illi ſenſus ordinant operationes ſuas in finem vltimum. *Quartum ſignum* eſt ſtudioſa mandatorum obſeruatio Ioan. 14. *Qui diligit me &c.* Vera namque dilectio non poteſt eſſe ſine mandatorum obſeruatione. *Quintum ſignum* eſt diuinæ veritatis manifeſtatio. Quia amor eſt cauſa communicationis ſecretorũ. Vnde Chriſtus. *Iam non dicam vos ſeruos ſed amicos meos, quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis.* Tertiò ſigna perfectæ charitatis ſunt; *Primum eſt* pro ſalute proximi mori velle vel paratum eſſe, iuxta illud; *Maiorem hac dilectionem nemo habet, niſi vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Parua namq; charitas non ſufficit implere magna, cuiuſmodi eſt mors pro ſalute proximi. Tanto ergo charitas eſt maior, quanto voluntas eſt patiendi pro Eccleſia maior. *Secundum ſignum* eſt dilectio inimicorum. Amor enim transformat amantem in amatum, id eſt, aſſimilat. Cũ ergo Deus amat inimicos, ideò & ipſius amatores idipſum facere debent. *Tertiũ ſignum* eſt omnia aduerſantia gaudenter ſuſcipere & ſuſtinere, perfecta charitas mentem inſenſibilem reddit, & pœnas temporales contemnere facit, eo quod *charitas omnia ſuffert.* 1. Cor. 13. *Quartum ſignum* eſt ſi omnibus renunciare, quæ habet paratus eſt. Ratio huius, quia perfecta charitas omnia renuit, quæ eius officium impediunt. Philip. 3. *Omnia arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*, ſed ſubſtantia temporalium impedit dilectionem Dei, ideò diligens Deum ſubterfugit eam. *Quintum ſignum* eſt nihil aliud quam Deum timere. Ratio huius eſt, quia. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, ſcilicet ſeruilem, ſed non filialem, qui eſt in charitate. Non timet ergo temporales moleſtias, quia non amat delitias. Sunt & alia eius ſigna, ſcilicet profunda ſuſpiratio, alta deſideria, cogitationum languor, explorationes ſtudioſæ, expectationes tædioſæ, affectiones exceſſiuæ, quæ ſunt ſigna intrinſeca, quia amor

Gradus charitatis triplex.

Signa charitatis iã genita quatuor.

Signa charitatis iã radicata.

Ioan. 15.

Signa charitatis perfecta.

1. Ioan. 5.

mor non permittit amatorem ſuî ipſius per mentis ſobrietatem, ſed eius, cuius eſt, per mentis exceſſum. Et tantum de iſtis ſignis dixiſſe ſufficiat.

III.

Quæritur, quare & quomodo Deus diligendus? D. Bernardus in prologo lib. ſui ad Americum Cardinalem de diligendo Deo, ad vtrumque his verbis reſpondet; vis à me audire, quare & quomodo diligendus ſit Deus? Cauſa diligendi Deum Deus eſt, modus diligendi Deum, eſt ſine modo diligere. Quoad primum ergo Deus propter ſeipſum diligendus eſt; ſiue quia nihil iuſtius, ſiue quia nihil fructuoſius. Iuſtum eſt vt Deus diligatur, quia diligi meruit, primò ideò, quia ſummum & infinitum bonũ eſt. Vnde Augu. ad Macedoniũ ep. 46. Diligamus illud, quo nihil melius eſt, hoc Deus eſt, cui ſi aliquid diligendo vel amando prę ponimus, vel æquamus, nos diligere neſcimus. Tanto enim nobis melius, quanto magis in illum imus, quo nihil melius eſt. Hæc ille. Cum ergo in rebus nihil eſt præſtantius Deo, meritò ſuper omnia eſt amãdus. Et ſicut ſtultiſſimus eſſet, qui argentũ præponeret auro, ita ille, qui creaturam præponeret in amore creatori. Et hæc prima cauſa eſt amoris Dei. Secundò Deus diligi meruit quia prior dilexit nos. De quo ita Auguſtinus; Incomprehenſibilis eſt dilectio, qua Deus diligit, neque mutabilis; non enim ex quo ei reconciliati ſumus per ſanguinem filij eius, cœpit diligere, ſed ante mundi conſtitutionem dilexit nos, vt cum eius vnigenito etiam nos filij eius eſſemus, priuſquam omninò aliquid eſſemus. Hac de re ita Bernardus lib. de diligẽdo Deum, cap. 1. Si quæritur cauſa diligẽdi Deum, illud eſt præcipuum, quia ipſe prior dilexit nos. Et ſequitur: Dignus planè reamari, ſi aduertatur quis, quos, quantumque amauerit, quia Deus peccatores excellentiſſimè amauit. Hinc Augu. in lib. de catechizandis rudib. Diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos. Et poſt pauca: Et ſi amare pigebat, ſaltem reamare non pigeat. Nam nulla eſt maior ad amorem inuitatio, quam prçuenire amando, & nimis eſt durus animus, qui dilectionem, ſi nolebat impendere, nolit rependere. Hæc ille. Et hoc eſt contra conſuetudinem mundanorum, qui alios non diligũt, niſi prius ab alijs diligantur. Sed Deus contra prior dilexit nos, antequã diligeretur à nobis. Propter ꝙ dicit Bernard. in lib. de amore Dei cap. 6. Hæc eſt iuſtitia filiorum hominũ, ama me, quia amo te. Rarus autem eſt, qui poſſit dicere; Amo te, vt ames me. Hoc tu Domine feciſti, qui prior amaſti nos, vt amaremus te, non quod egeres amari à nobis ſed quia feciſti nos, eſſe non poteramus, niſi amando te.

Aug. ſer. 105. ſuper Ioannem.

Sed diceres, in quo apparet iſte amor Dei, quo præuenit hominem in diligendo? Maximè apparet in beneficio creationis. Quis enim alius dedit homini eſſe, & tã pulchrum eſſe, & tam excellens eſſe, quam creator omnium? & gratis, eo quod nihil ei dederat, vt ab eo crearetur. Denique quis alius adminiſtrat cibum omni veſcenti, cernenti lucem, & ſpiranti flatum? Quis dedit homini tantam dignitatem, vt non ſolum præemineat, ſed etiam præſideat cęteris animantibus? Quis dedit tantam ſcientiam, vt ſciat & cognoſcat eandem dignitatem ſe habere, nec tamen à ſe? Quis dedit tantam virtutem & potentiam liberi arbitrij, vt poſſit Deum non ſegniter inquirere, & inuentum fortiter tenere, & poſſidere? Certè iſta omnia magna ſunt à Deo; ita vt Apoſtolus dicat, *Quid habes, quod nõ accepiſti.* Et quia iſta beneficia ſunt omnibus communia, valdè etiam patentia & manifeſta; ita vt nullus poſſit ignorare cauſam, cur Deum diligere debeat, ideò concludit Bernard. quod etiam pagani, qui legem non habent & Chriſtum neſciunt, ex perceptis bonis corporis & animæ per legem naturalem poſſunt moueri ad diligendum Deum propter Deum, cum nullus etiam infidelis ignoret ſuo corpori non ab alio in hac vita mortali, vnde ſubſiſtat, vnde videat, vnde ſpiret, miniſtrari, quam ab illo, qui dat eſcam omni carni, & qui facit ſolem ſuum oriri ſuper iuſtos & iniuſtos. Ex quo infero, quod Deus meretur diligi etiam

Pagani tenentur etiam amare Deum.

etiam ab infidelibus propter ſeipſum, qui ſi neſciat rationem, ſcit tamen illum ipſum. Et ex hoc conſequenter infero, quod inexcuſabilis eſt omnis fidelis, ſi non diligit Deum ex toto corde ſuo, ex tota anima ſua, & ex tota virtute ſua. Clamat enim vnicuique intus innata & non ignota ratio & iuſtitia, quod ex ſe toto illum diligere debeat, cui ſe totum ſe debere non ignorat. Hæc ille. *Tertiò* meruit diligi Deus, quia nos per vnigenitum filium ſuum redemit. De quo Auguſtin. lib. 8. de ciuitate Dei cap. 1. Videndum eſt quantum dilexerit nos Deus, qui proprio filio ſuo non pepercit. Et idem ſuper Pſalm. 42. admirans ait, Quanta maieſtas, quanta æqualitas patris deſcendit ad carnem propter infirmitatem noſtram? Ecce quantum dilecti ſumus, antequam diligeremus, tantum ab illo dilecti ſumus, vt æqualem ſibi filium hominem faceret propter nos. Hæc ille. Magna planè & ſtupenda fuit iſta dilectio, per quam Deus ſic dilexit mundum, vt vnigenitum ſuum daret, in qua quidem dilectione Deus pater dando filium multum nos dilexit. Filius autem tradendo in mortem animam ſuam multum nos dilexit. Denique vterque mittendo Spiritum ſanctum paraclitum in conſolationem noſtram multum nos dilexit. Et ex his patet ſecundum Bernardum, quod Deus amat nos ex ſe toto, quia tota Trinitas amat. Ex quo concludit ibidem, quod intuens hunc modum dilectionis quilibet fidelis, facilè poteſt attendere quare Deus ſit diligendus, & vnde diligi mereatur. Et dico notanter, quilibet fidelis, quia infidelis aut Iudæus non cognoſcit patrem neque filium, cum eum non honorificat, & per conſequens nec habet Spiritum ſanctum, & ex quo non cognoſcit tantam erga ſe dilectionem Dei, non mirum quod eum non tantum diligit, ſicut debet. Ex his ergo infero, quod fidelis Chriſtianus magis tenetur diligere Deum, quam Iudæus vel paganus. Nam facile plus diligit, qui ſe amplius dilectum intelligit. *Cui autem minus donatum eſt, minus diligit.* Lucæ 7. Vnde melius amat fidelis Chriſtianus quam Iudæus ſeu paganus, quia talibus aculeis incitatur amoris, quales Eccleſia experitur. Cernit enim regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua; Cernit regem vnicum patris ſui crucem ſibi baiulantem; cernit cæſum & conſputum dominum maieſtatis; Cernit autorem gratiæ & gloriæ confixum clauis, percuſſum lancea, opprobrijs ſaturatum; tandem illam dilectam animam ſuam ponere pro amicis ſuis. Ecce qualia cognoſcit Chriſtianus ſibi à Deo dilectionis oſtenſa beneficia, qualia non cognoſcit Iudæus aut paganus? Ex quo vlterius ſequitur, quod licet paganus vel Iudæus ex naturali iuſtitia vrgeatur ad diligendum Deum ex ſe toto, eo quod ſe totum ſentit à Deo habere, quod habet; tamen multo plus Chriſtianus obligatur ad diligendum eum, tum ex naturali iuſtitia, tum etiam ex fide, quæ ſecundum Bernar. indicat homini non ſolum quod totaliter eſt à Deo, & totum ſuum eſſe habere ſe cognoſcit ab ipſo, ſed etiam indicat quod Deus etiam ſe totũ dedit ipſi, propter quod dicit Bernard. vbi ſupra. Quid ergo ego, ſcilicet Chriſtianus, qui Deum meum teneo vitæ meæ non ſolum gratuitum largitorem, largiſſimum miniſtratorem, pium conſolatorem, ſollicitum gubernatorem, ſed inſuper copioſiſſimum redemptorem? Sicut ſcriptum eſt; *Copioſa apud eum redemptio. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* quaſi dicat, nihil digni habeo, eo quod ſecũdum ipſum non eſt aliquid tam magnum, quod tanto poſſit repenſari amori, etiamſi puluis exiguus ſe totum ad reamandum collegerit, quando illa maieſtas in amorem præueniens tota in opus ſalutis incenſa conſpicatur. Nec mirum, quod Chriſtianus debet plus diligere pro reparatione ſua, quam pro creatione ſua ſicut paganus, eo quod dicit Bernard. Facilius eſt homo factus, quam refectus. Nam de omnibus & etiam de homine ſcriptum eſt; Dixit Deus & facta ſunt, ſed in reficiendo multa dixit, & geſſit mira & pertulit dura, ſed nec tantum dura, ſed etiam indigna. In primo opere, ſci-

Lib. de dilig. Deum

Cant. 3.

Pſal. 129.

Pſal. 115.

re, ſcilicet creationis me mihi dedit, datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo; quid ergo Deo tribuam pro ipſo Deo? Nam etſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum? Ex quibus patet quod Deus a nobis ſine modo eſt diligendus. Vnde Auguſtinus in libro ſupputationum part. 4. c. 1. Immenſus es Domine & ſine menſura debes amari & laudari ab his, quos pretioſo ſanguine redemiſti. Hæc ille.

¶ Videndum iam an fructuoſum ſit Deũ diligere. Diuus Bernardus in libro de diligendo Deum ita, inquit. Non ſine præmio diligitur Deus, etſi abſque præmij intuitu diligendus. Vacua namque charitas vera non eſt, ſed tamen mercenaria non eſt, quippe non quærit quæ ſua ſunt. Affectus eſt non contractus, nec acquiritur pacto, ſed ſponte afficit & ſpontaneum facit. Et poſt pauca ſubditur: Verus amor præmium non quærit, ſed meretur. Et exemplificat ibi Bernardus de pluribus ſpontè aliquid facientibus, quorum nullus pretio aut præmio remuneratur. Sicut nemo conducit aut remunerat eſurientem vt comedat, aut ſitientem vt bibat, aut matrem vt paruulum vteri ſui lactet, vel aliquem vt vineam ſuam ſepiat vel arborem circumfodiat, vel ſtructuram propriæ domus erigat, quanto magis vt ipſe dicit, Deum amans omnia alia præter Deum ſui amoris præmium non requirit, aut ſi requirit aliud, id pro certo non diligit? Hæc ille. Ex quo patet quod ſicut Deus eſt cauſſa efficiens ſuæ dilectionis in nobis, ſic debet eſſe finalis. Nam ipſe dat occaſionem, ipſe creat affectionem, deſiderium ipſe conſeruat, ipſe fecit vel potius factus eſt vt amaretur, ipſe ſperatur amandus facilius, ne in vacuum ſit amatus. Eius amor noſtrum præparat & remunerat, præcedit benignior, comprehenditur iuſtior, expectatur ſuauior, diues omnibus qui inuocant illum. Nec tamen habet quicquam melius ſeipſo. Se dedit in meritum, ſe dedit in præmiũ, ſe apponit in refectionem animarum, ſe in redemptorem diſtrahit captiuorum. Hæc ille. Ex quibus infero, quod ad hoc, vt dilectio Dei ſit vera & perfecta, homo debet diligere finaliter & principaliter Deum propter Deum, non propter aliquod commodum temporale, ſed tantum propter ipſum, alias amor hominis non eſt perfectus. Pro quo ſciendum quod quadruplex eſt gradus amoris ſecundum Bernardum. Primus eſt cum diligit homo ſeipſum propter ſeipſum, quod fit cum nondum ſapit, niſi ſeipſum. Et hic amor eſt naturalis, non enim præcepto indicitur, ſed naturæ inſeritur, quia nemo vnquam carnem ſuam odio habuit. *Secundus gradus* eſt cum homo diligit Deum propter ſeipſum, quod fit cum tribulationibus preſſus deficit, & Deus ſubuenit, ob quod ab homine honoratur, iuxta illud. Pſal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* *Tertius gradus* amoris eſt cum homo diligit Deum propter eius ſuauem bonitatem, quod fit, cum experitur eius plurima beneficia, quæ experiendo probat, & probando deguſtat, & deguſtando ruminat. Et iſte eſt amor gratuitus, quia caſtus, qui libenter implet mandatum, & iſte diligit Deum non propter ſeipſum, ſed propter Deum, dicendo illud Pſalm. *Confitemini Domino quoniam bonus*, non dicit, quoniam mihi bonus. Non ſicut ille amat de quo dicitur, *Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Quartus gradus* eſt cum homo etiam nec ſeipſum diligit niſi propter Deum, quod fit cum homo omnia ſua ordinat propter diuinam voluntatem, non propter voluntatem propriam, vt quomodo Deus omnia voluit propter ſeipſum, ſic nos nec noſipſos nec aliud aliquid fuiſſe, vel eſſe volumus, niſi propter Deum. Sic autem affici deificari eſt. Quomodo enim ſtilla aquæ modica multo infuſa vino, deficere à ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit & colorem; & quomodo ferrum ignitum & candens igni ſimillimum fit propria forma exutum; & quomodo aer ſolis perfuſus luce, in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus quam ipſum lumen eſſe videatur. Sic omnem tunc in ſanctis affectionem neceſſe erit liqueſcere à ſemetipſa, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Et hoc ſecundum Bernardum eſt diligere Deum ex toto corde, & ex

Deum diligere fructuoſ.

Gradus amoris quadruplex.

1. Diligere ſe propter ſe.

2. Diligere Deũ propter ſe.

3. Diligere Deum propter ipſius bonitatẽ.

4 Diligere ſe propter Deum.

Quid ſit Deum diligere ex toto corde

Diligere ſe propter ſe malum eſt.

& ex tota anima, & ex tota mente tua. Hęc ille. Ex his omnib⁹ infero tria; *Primò* quod amare ſeipſum propter ſe non eſt meritorium, nec laudabile, ſed damnabile. Quia talis dilectio eſt naturalis, quæ etiam eſt in brutis & beſtijs, cum & beſtiæ ſua corpora diligant propter ſe. Vnde quantumcunque homo excidit à charitate, manet illi dilectio ſui. & dilectio corporis ſui. Et talis dilectio magis vocatur odium, ex eo, quia iniquũ eſt valde, quod vult illi ſeruire, quod infra ſe eſt. Tunc aũt quiſq; ſeipſum benè diligit, cum Deum diligit, qui aũt aliter ſe diligit, potius ſe odiſſe dicendus eſt, eo ꝙ auerſus à potiori bono ad ſeipſum conuerſus, ad inferiora & egena vtiq; conuertitur, & fit de ipſo quod ſcriptum eſt. *Qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.* Qui ergò ſe diligere nouit propter Deum, Deu diligit; Qui vero Deum nõ diligit, etiam ſi ſe diligit, quod ei naturaliter eſt inditum, tamen non inconuenienter odiſſe ſe dicitur, cum illud agit, quod ſibi aduerſatur. Ex quo infero finaliter & concluſiuè, placeat alicui vel diſpliceat, quiſquis ſeipſum non Deum amat, talis nec ſe amat, & quiſquis Deum non ſeipſum amat, ipſe ſe amat. Iſta quęſtio eſt Auguſt. in lib. de vera Innocent. cap 37. Cuius ratio eſt, quia qui non poteſt viuere de ſe, moritur amando ſe, cum non ille diligitur, de quo viuitur. Propter quod dicit Auguſt. in lib. 3. de verb. Domini. Amandus eſt Deus ſic, vt pro amore ipſius ſi fieri poteſt obliuiſcamur noſipſos. Per hoc reſpõdetur ad quæſtionem, quæ quæritur, vtrũ homo teneatur ex charitate diligere Deum plus quam ſeipſum; quia Deus eſt beatitudo, non ſolum propria vnius hominis, ſed eſt quoddam bonum totius cõmunitatis, ideò diligi debet propter ſe tantum, & per conſequens maximè.

Deus diligẽdus maximè appretiatiue

Sed diceres, homo diligit quantũcunque poteſt, quia diligit naturaliter, & natura agit ſecũdum vltimum poſſe, quia nõ agit liberè, ergo diligit ſe quantum poteſt, quomodo ergo Deum poteſt diligere plus quã ſe. Ad quod dicendum, ꝙ dilectio qua homo diligit aliquid, ex duobus penſatur; ſcilicet ex feruore ſiue intenſione actus, & ex qualitate boni voliti illi, quem diligit. Quando ergo dicitur, quod homo tenetur diligere Deum plus quam ſeipſum, non debet intelligi de intenſione vel feruore actus, ſed de qualitate boni voliti. Nam debeo velle Deo ſummum honorem & ſummam beatitudinem, non ſicut mihi. Ex quo infert Auguſt. li. de moribus Eccleſiæ cap. 28. dicens. Non poteſt fieri, vt ſeipſum non diligat, qui diligit Deum, immò ille ſolus nouit ſe diligere, qui diligit Deum. Ille namque ſatis diligit ſe, qui ſedulò agit, vt ſummo bono & vero perfruatur. Quod ſi nihil aliud eſt quam Deus, quis dubitat, quin ſe amet, qui amator eſt Dei. Et ex hoc vlterius ipſe infert, quod ſalubriter ſeipſum homo diligit, ſi pluſquam ſe diligit Deum. Et econuerſo ſecundum ipſum. Si Deum non diligit, non diligit ſe ipſum. Patet etiam ex his, quod nõ omnis, *Hom. 87. in Ioann.* qui amat Deum, eſt in charitate, quia qui diligit Deum propter ſe, amat Deum, & tamen peccat mortaliter. Et ſic patet, quod peccãs mortaliter diligit Deum, ſed non virtuoſe, quia vult eum eſſe Deum, ſed non ſic amat eum, quod ſeruet eius pręcepta. *Secundò infero*, quod amare Deum propter temporalia eſt amare imperfectè. Cauere igitur debemus, ne ad præmium diligamus Deũ. Cuius ratio eſt, quia quicquid homo aliud à Deo vult habere pro dilectione ſeu propter quod Deum diligit, illud eſt minus Deo, & per cõſequens homo imperfectè diligit Deũ, vt ſupra ipſe dicit. Si pulcher eſt mundus qualis eſt artifex mundi. Euelle ergo cor tuum ab amore creaturæ & inhæreas creatori, quia ſi amas illa, quæ fecit deſerto illo qui fecit, adulter es, quia pro creatore diligis creaturã. Hæc Auguſt. lib. 4. homil. 39. Vnde Bernar. Amor verus non quærit pręmiũ, ſed meretur pręmium. Sanè necdum amanti proponitur, amanti debetur, ſed perſeueranti reddetur. Ideò ſecundum ipſum diligentibus Deum dicitur. *Primum quærite regnũ Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Deus itaq; diligẽdus eſt gratis. Vnde Aug. quia gratis dedit, gratis ama, noli ad præmium diligere Deum, ipſe ſit præmium tuũ. Quia quicquid propter aliud amatur, illud planè amatur plus, quod finaliter amatur, non per quod ama-

Diligere Deũ propter temporalia imperfectũ eſt.

De dilig. Deũ cap. 3

Matth. 6.

Serm. 3. ſuper Ioannem.

amatur. Cum ergò Deum quis amat propter temporalia, planum eſt, quod plus diligit temporalia tanquam finem, iuxta illud, Propter quod vnumquodque tale &c. Vnde Auguſt. 1. Confeſſionum dicit, Quicunque aliquid amat, quod non propter te amat, minus te amat. Et idem alibi, Minus te amat, qui tecum aliquid amat. Hæc ille. Ex his igitur tertiò infero, quod Deus debet diligi propter ſeipſum; qui eſt ſummum bonum & perfectiſſimum, vt ipſum comprehendamus, & ei perpetuò coniungamur in vita æterna, & eum perpetuo amore diligamus in regno cœlorum. Ad quod nos perducat pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

In ſoliloq. cap. 8.

Deum diligere propter ipsũ Deũ, optimũ & perfectiſſimũ.

DOMINICA DECIMA QVARTA POST TRINITATEM.

SERMO I.

Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Lucæ 17.

QVoniam lex naturalis homini in ſua creatione indita per abuſum peccandi iã fuerat obruta, & quaſi obliuioni tradita, ideò neceſſarium fuit eam per legem ſcriptam poſteris renouari. Lex autem ſcripta decem in ſe continebat præcepta, quibus tanquam vnguentis ſanatiuis curari debuerunt peccatorum noſtrorum vulnera, & conſequi cœleſtium præmiorũ promiſſa, iuxta illud. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Verum quia legem huiuſmodi ſcriptam homo ſæpius transgrediebatur, ideò neceſſe fuit, vt Deus aliquod remedium inſtitueret, per quod homo lapſus in peccatum & tranſgreſſor præceptorum diuinorum poſſet reſurgere & ad vitam reparari. Hoc autem eſt ſacramentum pœnitentiæ, in quo per confeſſionem manifeſtãtur defectus & peccata, quibus tranſgrediuntur decẽ præcepta. Quod benè figuratum eſt in iſtis decem leproſis, quos Chriſtus tanquam decem præceptorum tranſgreſſores ad ſacerdotes remittit pro confeſſione peccatorũ. Sicut innuitur in verbis propoſitis quibus Chriſtus præcepit, dicens leproſis; *Ite oſtendite &c.* In quibus verbis hortatur Chriſtus peccatores. *Primò* ad deſerendum ſtatum culpabilem cum dicitur, *Ite. Secundò*, ad manifeſtandũ conſcientiæ reatum damnabilem cum additur, *oſtendite vos. Tertiò* declarat prælatorum dignitatem honorabilem, cum dicit, *Sacerdotibus.*

Sacramẽto pœnitẽtia homo reſurgit & reparatur ad vitam.

Propoſit.

I.

Ite, quaſi dicat. Qui huc vſque ſtetiſtis in peccatis tota die otioſi, iam deſerite otium peccati, & ite de via mortis tenebroſa ad lucem gratiæ, quamdiu namq; peccator ſtat in culpa, tamdiu eſt in tenebris. *Via impiorum tenebroſa.* Non ſolum aũt peccator eſt in tenebris, ſed etiam in ſtatu periculoſiſſimo, ſicut ille qui eſt in glacie vel in via lubrica, iuxta illud; *Fiat via illorum tenebra & lubricũ*, immò continuò eſt in via lutoſa & peſſima, iuxta illud Pſal. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Notanter dicit, *in omni tempore*, quia tres ſunt ſtatus culpæ, cogitatio, delectatio, & cõſenſus, & omnes iſti ſunt inquitati. In quolibet enim ſtatuũ iſtorum anima inquinatur per peccatum. Propterea Pſal. petit à ſe talem viam amoueri dicens; *Viam iniquitatis amoue à me.* & petit ſibi viam ſalubrem oſtendi dicens; *Vias tuas Domine demonſtra mihi*, ſcilicet præ-

Via peccatorum deſerenda.

Prou. 4.

Pſal. 118.

Pſal. 24.

præceptorum tuorum, *& ſemitas tuas*, ſcilicet conſiliorum tuorum, *edoce me.* Sciendum, quod meritò Chriſtus hortatur peccatorem ad deſerendũ ſtatum culpabilẽ cito & feſtinanter, quia ſtatus talis eſt valde periculoſus. Peccatum enim quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo poudere in aliud trahit. Ideò Sapiens conſulit dicens; Eccl.5. *Non tardes conuerti ad dominũ, & non differas de die in diem.* Et aſſignans cauſam ſubdit; *Subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Feſtinandum itaq; eſt ad pœnitentiam propter multa; *Primò* propter horæ mortis incertitudinẽ. Luc.12. *Veniet Dominus ſerui illius in die, qua nõ ſperat, & hora qua neſcit.* Vnde & alteri vitam longam prætendenti dictum eſt; *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, ſcilicet demones. *Secundò* propter peccatorum accumulationem. Apoc.22. *Qui ſordet, ſordeſcat adhuc.* Feces quanto vlterius ſtant, tantò magis fœtẽt; Sic peccatum peccato additũ quanto plus homo ſtat in eo, tantò magis augetur culpa per quam ſordeſcit. Oſeæ 4. *Maledictum & mendacium & homicidiũ & furtum inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sicut .n. pannus ſemel ſanguine tinctus citius mundatur quam ſi bis vel ter, ita peccatum ſemel perpetratum ſi citò manifeſtatur, citius veniã habet, quam ſi fuerit pluries iteratum, quia, *Ad facinus duplex non ſufficit vltio ſimplex. Tertiò* propter peccatoris erga gratiam Dei inducentem & expectantem ipſum ad pœnitẽtiam ingratitudinem. Rom.2. *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; Tu autem ſecundum duritiam tuã & impœnitẽs cor tuũ theſaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; iuxta opera ſua. Quartò* propter elongationem, iuxta illud Pſal. *Domine qui ſe elongant à te peribunt. Quintò* propter minorẽ ad conuertendum abilitatẽ Eccl.30. *Curua ceruicem filij tui in iuuentute, & tunde latera eius dũ infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi* Et loquitur ibi de ſenſibus noſtris, q̃ ſũt quaſi filij infantes, dũ recẽter peccãt, quos ſtatim debemus corrigere, ne indureſcant in malitia, iuxta illud; *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.* Et alter poëta dicit; *Principiis obſta, ſero medicina paratur; Dum mala poſt longas inualuere moras. Sextò* propter finalem periculoſam conuerſionem. Vix enim aut nunquam poteſt homo in ægritudine conteri, quia nec de peccatis ſufficit cogitare, eo quod ſufficit diei illi malitia ſua ſcilicet ex infirmitate proueniens, quia ibi rapitur intentio mentis; vbi eſt vis doloris. Vnde Auguſt. Morbus vrget, pœna terret & torquet, filij quos illicitè dilexit, vxor & mundus eum ad ſe vocant. Ideò Auguſt. conſulit vt homo in ſanitate agat pœnitentiam. Dicit enim; Tene certum, & dimitte incertum. Qui agit pœnitentiam cum ægrotat, aut cum iam nimis ſenex eſt, nec laudo nec vitupero, quia peccata illum dimiſerunt, & non ille peccata. Sed laudo ſi tunc declinat à malo & facit bona, quando omnia mala perpetrare poteſt. Ex quo ipſe ſtatim infert ibidem, quod nullus etiam vna die ſine pœnitentia debet eſſe, quia neſcimus horam neque diem, quando pius Dominus nos de hoc ſeculo migrare iubeat. *Septimo* propter Dei obliuionem & clamoris non exauditionem. Hac enim animaduerſione ſeu pœna percutitur peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei. Iſai.33. *Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?* Prouer.1. *Vocaui*, ſcilicet ad pœnitentiam, *& renuiſtis.* Et ſequitur: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Iſtud patet de diuite in inferno clamante; Luc.16. Et de fatuis virginibus dicentibus; *Aperi nobis.* Matth.25. Vtriſque denegatum eſt beneficium poſtulatum. Propter præmiſſa ergo pericula dicitur iſtis leproſis, *Ite*, quaſi dicat. Nolite tardare, nolite ſtare diutius, ſed ſtatim, vt vos peccare ſentitis, ite & conuertimini ad dominum. Ezech.33. *Conuertimini à viis veſtris peſſimis.*

Feſtinandũ ad pœnitẽtiam.

Serm.1. de pœnit.

Verè peſſimæ ſunt viæ peccatorum. Viæ peſſimæ vulgariter dicuntur, quando ſunt montoſæ, ſpinoſæ, lutoſæ. Sic viæ peccatorum montoſæ ſunt in ſuperbis, qui ſemper alta quærunt, ſed non attendunt, quod quanto gradus altior, tanto caſus grauior. De iſtis eſt ſicut de lepore, qui facilius & citius cur-

Via peccatorum montoſa.

rit contra montem quàm de monte. Cuius ratio eſt, quia habet pedes anteriores breuiores poſterioribus. Sic ſuperbi & vani habentes affectiones ad Deum breues vel nullas, difficilè ad Deum vadunt, Sed affectiones habentes ad mundum longas, facilè alta mundi aſcendunt. Patet hoc ad ſenſum, quod ſemper ita eſt, quia dilectoribus mundi omnia difficilia faciliora videntur pro mundo quam ſanctis pro Deo. Facilius videtur militi haſtiludere ferro nudo, & grauiſſimos ictus, immò mortem ſufferre, quandoque pro mundo, quam complere vnum pater noſter pro Deo. Et hoc facilè eſt videre in omni genere ſecularium. Quanta enim ſufferunt ſeruientes pro honoribus ſæculi circa curias cum remorſu conſcientiæ, cum obiurgationibus dominorum, cum inuidia ſociorum, cum omni infortunio corporali. Quorum omnium decimam partem vix ſanctus aliquis monachus pro Deo ſuſtineret. Viæ ſpinoſæ ſunt in auarorum cupiditate, eo quod ſpinæ ſunt diuitiæ. Lucæ 8. Quia habent punctionem laboris in acquirendo, timorem in cuſtodiendo, & dolorem in amittendo. Et iſtæ etiam viæ ſunt multum difficiles, ſicut experiuntur mercatores eundo & ſulcando in terra & in mari, faciendo naufragia, latronum pericula patiendo, & prædonum inſidias &c. quæ tamen omnia videntur eis facilia. Viæ lutoſæ ſunt luxurioſorum, de quibus dicitur; *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* quæ licet etiam ſunt difficiles, tamen eis apparent faciles. Nam quanta difficultas ſit quis dubitet, conſtringi iopulis, caligis, ſotularibus, præcinctis in complacentiam amaſiarum ſtare pluribus horis coram illa, rotare capillos, deſudare in coreis, exhaurire patrimonia &c. tamen amantibus omnia iſta facilia apparent; quia amanti nihil eſt difficile. Legitur de Sancto Nonnio Epiſcopo, quod Antiochiæ viſa quadā domina multum ornata dixit ad ſocios; in veritate dico vobis, quoniam Deus hanc nobis conſtituturus eſt ante conſpectum tremendæ ſedis ſuæ, vt nos & noſtrum ſacerdotium iudicet. Nam quantas putatis horarum moras intra cubiculum ſuum exegit abluens faciem, & depingens ſe, vngentis diuerſis liniens & ad ſpeculum diligenter exornans, vt in præſenti ſæculo placeat, & omnibus deſiderabilis videatur, nec cuiquam amatorum ſuorum turpis videatur, qui tamen hodie videntur eſſe, & cras plerique non parent. Nos verò habentes patrem in cœlis æternum, in ſæcula permanentem, & ſponſum immortalem Deum, donantē ſibi benè ſeruientibus permanentes diuitias, quæ æſtimari nullatenus poſſent, quæ nec oculus vidit &c. Quid plura? habentes promiſſionem certam, vt cœleſtis ſponſi faciem videamus, quem Cherubin & Seraphin non ſatiantur proſpicere, non nos ornamus nec detrahimus immunditias noſtras, qui pro creatoris exemplo in virtutis culmine ſemper ſtare debuimus. Et ſic veniens domum ſanctus ille Epiſcopus de Eccleſia, proruens in pauimentum, faciem ſuam feriebat, & terram lachrymis rigabat, dicens. O altiſſime Deus ignoſce mihi peccatori, quia vnius diei meretricis ornatus totius vitæ meæ induſtriæ ſuperauit ornamenta. Quo vultu te Domine reſpiciam, vel quibus verbis me coram tuis aſpectibus præſentabo? Illa pro terrenis & caducis ſummo ſtudio ſe ornauit; Ego tibi placere propoſui, & per meam negligentiam non impleui. Ecce quomodo iſtæ viæ peccatorum ſunt omnes peſſimæ, ita vt peccatores aliquando conuerſi dicant & ſoli recognoſcant, illud Sapient. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis. Viam autem Domini ignorauimus.* Ne igitur peccator ambulet vlterius vias iſtas peſſimas, iubetur à Saluatore ire per viam bonam & rectam & immaculatam. Nam de æterna ſapientia, quæ eſt filius Dei dicitur. Prouerb. 3. *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ.* Talem ergo viam hic ſuadet Saluator peccatoribus dicendo; *Ite*, ſcilicet viam mandatorum, relinquentes viam peccatorum. *Derelinquat impius viā ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas.* Et Ierem. 6. *State ſuper vias & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.*

Via peccatorum ſpinoſa.

Via peccatorum lutoſa.

Iſaia 55.

II. *Oſten-*

II.

Oſtendite vos. Ac ſi dicat; Si operam medicantis expectatis, oportet vt vulnera veſtra detegatis. Vnde poëta dicit; *Non intellecti nulla eſt curatio morbi.* *Oſtendite ergo vos*, ſcilicet peccatores in confeſſione, qui hucuſque latuiſtis in culparum occultatione. Confeſſio non eſt aliud, quam oſtēſio defectuum propriorū. Nam ſecundum Iſidor. confeſſio eſt per quam animæ morbus latens ſpe conſequendæ veniæ in laudem Dei aperitur. Vnde ad perfectè curanda conſcientiæ vulnera, neceſſaria eſt cōfeſſio peccatorum, & oſtenſio eorum aperta. Omnia vulnera inquit Seneca, in aperto leuiora ſunt; Morbi quoque ad ſanitatē tunc inclinant, cum ex abdito erumpunt, & viam ſuam proferunt. Et ſequitur: Et auaritiam & ambitionem & cætera mentis humanæ vitia tunc periculoſa ſcias eſſe, cum ſimulata ſanitate ſubſiſtunt. Et Greg. in paſtorali cap. 38. Vulnera clauſa plus cruciant. Nam cum putredo, quæ interius feruet, eijcitur, ad ſalutem dolor aperitur.

Confeſſio quid ſit.

lib. 3. Etymolog.

Epiſt. 57.

Sed diceres, quare debeo confiteri peccata ore, vt exterius appareant in confeſſione? Nonne Deus nouit abſcondita cordis mei melius, quam ego poſſum dicere? Ad quod reſpondet Auguſt. libr. 4 hom. 12. Non vult Deus, vt confiteamur peccata noſtra ideo, quia ea ipſe ſcire non poſſit; Sed quia diabolus hoc deſiderat, vt inueniat, quod nobis ante tribunal iudicis æterni obijciat; ideo vult vt magis defendere quam accuſare noſtra peccata velimus. Econtrario autem Deus noſter, quia pius & miſericors eſt, vult vt ea confiteamur in hoc ſęculo, ne pro illis confundamur poſtmodum in futuro Si enim confitemur, ille parcit. Si agnoſcimus, ille ignoſcit. Et ponit ibi pulchrum exemplum de ſerpente illo, qui primos parentes per ſuperbiam deiecit, & nos omnes ſimiliter infecit. Quando ergo videt nos ad Deum redire in confeſſione per humilitatem, valdè impedit, ne Chriſtum humilem ducem ipſo contempto ſequamur. Hæc ille. Non eſt ergo putandum, quod Deus velit aperiri occulta cordium noſtrorum, vt ea ſciat, ſed ideò, vt cum ſic aperiendo & noſtros defectus exponendo coram eo humiliamur, à peccatis noſtris curemur. Vnde Auguſtin. libr. 10. Confeſſionum. Manifeſtus ſum tibi Domine quicunque ſum; Neque enim ago verbis carnis & vocibus, ſed verbis animæ & clamore cogitationis, quoniam nouit auris tua. Et ſequitur; Cum enim malus ſum nihil aliud eſt confiteri tibi, quam diſplicere mihi, quoniam tu Domine benedicis iuſtum, ſed prius eum iuſtificas impium. Hæc ille. Ex quibus patet quod confeſſio peccati à Deo inſtituta eſt, maximè propter humilitatem noſtram. Vnde Auguſt. ſuper Pſalm. 66 dicit; Ad hoc Deus exigit confeſſionem, vt liberet humilem, ad hoc damnat non confitentem, vt puniat ſuperbum. Ex hoc patet, quod ad confeſſionem maximè requiritur humilitas, per quam homo ſe oſtendit peccatorem fragilem & defectuoſum corā Deo. Auguſtin. ſuper Canonicam Ioann. dicit; Si te confeſſus fueris peccatorem, erit in te veritas Et ſequitur poſt pauca; Humilitas pertinet ad confeſſionem, quia dum confitemur nos peccatores eſſe, ipſa eſt humilitas, quanto amplius ergo homo proprios defectus cognoſcere non curat, tanto minus per humilitatem Deo ſe eſſe reum oſtendit. Vnde Auguſt. ſerm. 12. de verbis Domini dicit; Non dicitur tibi; Eſto minus quam es, ſed cognoſce, quod es. Cognoſce te infirmum, cognoſce te hominem, cognoſce te peccatorē. Cognoſce illum, qui te iuſtificat. Cognoſce quia maculoſus es, appareant in confeſſione tua maculæ cordis tui, & per pœnitentiā pertinebis ad gregem Chriſti. Et idem Auguſt alibi dicit, quod in confeſſione Deus vult vt recordemur peccatorum noſtrorum, ne quis quaſi innocens ſibi placeat, & ſe extollendo plus pereat. Nam veræ humilitatis inſignia ſūt iniquitatem ſuam quamque veraciter cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. Et ex his patet reſponſio ad illām quæſtionem, qua quæritur; Quare homines ſæculares rarò confitentur. hoc non prouenit niſi ex ignorantia grauitatis peccati.

Peccata cur confitenda.

Confeſſio propter humilitatem noſtrā maximè inſtituta.

Hom. 1.

De oratione dominica. l. 5. de prædeſtinatione ſanctorū.

cati. Ex quo enim non cognoſcunt ſe peccatores, propter ſuperbiam ſuam peſſimã dedignantur humiliari ſæpius in confeſſione, ne pro talibus habeantur quales ſunt, ſed volunt potius vt habeantur pro bonis ac iuſtis & virtuoſis quales non ſunt. De quibus Seneca Epiſtol. 54. Vitia ſua nemo confitetur, quia ea ignorat. Et rurſus; Qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Et Greg. ſuper illud Iob 42. *Idcirco meipſum reprehendo*, dicit; Quantò minus quiſque ſe videt, tantò minus ſibi diſplicet; & quantò maioris gratiæ lumen percipit, tantò amplius repræhenſibilem ſe eſſe cognoſcit. Talium hominum conſcientiam Bern. li. de cognitione ſui cap. 23. vocat vulpinam, & per conſequens hypocriticam & ſimulatam, eo quod ſecundum ipſum exteriorem ſuperficiem intuentes ſalua eis omnia arbitrantur, non ſentientes vermem exteriorem, qui interiora corrodit. Propter hoc idem Bern. ibidem. cap. 26. membrum quod dolorem non ſentit, mortuum eſſe dicitur; Morbus autem inſenſibilis incurabilis eſt. Patet ergo quod ante omnia neceſſaria eſt cognitio peccatorum in homine, ſi debet ſequi apertio & oſtenſio conſcientiæ in cõfeſſione. Apertio autem iſta conſcientiæ debet eſſe non qualiſcunque aut qualitercunque, ſed lacrymoſa & flebilis. Condemnare ſemetipſum & peccatorem dicere, cõmune eſt omnium etiam pœnè infidelium. Multi enim de ſcena ſeu de proſtibulo viri & præcipuè mulieres impudicæ peccatores ſemetipſos & ſceleratos oſtendunt, ſed non eo proſpectu hoc dicunt, quod cupiãt emendari, ideo non eſt iſta dicenda confeſſio; non enim eſt hæc ex corde compunctio, nec in amaritudine lachrymarum talia proferunt, nec eo affectu quaſi qui oderunt ea, quæ accuſant. Vnde Gregorius ſuper 7. cap. Iob. Sæpè & reprobi peccata ſua confitentur, ſed deflere contemnunt. Electi verò ſuas culpas quas vocibus confeſſionis aperiunt, diſtrictæ animaduerſionis fletibus inſequuntur. Hæc ille. Et tantum de ſecundo.

Epiſt. 29.

III.

Sacerdotibus. Commendat hic Chriſtus prælatorum ſeu miniſtrorum Eccleſiæ honorabilem dignitatẽ. Remiſit namq; leproſos ad illos, & propter manifeſtandũ mundationis ipſorum miraculum, & propter præceptum legis, & propter humilitatis virtutem, & propter myſticam ſignificationem. Significauit enim Chriſtus per hoc, quod poſt mundationem interioris peccati per contritionem, neceſſaria eſt adhuc oris confeſſio coram ſacerdote. Meritò igitur iſti ad ſacerdotes mittuntur, quorũ eſt diſcernere inter lepram & lepram, inter morbum & morbum, & hos admittere, illos abijcere. Ipſi enim habent claues ligandi & ſoluendi in terra, ſine his non poteſt peccator ad Deum accedere, nec gratiam obtinere, nec veniam mereri peccatorum, ſaltem extra caſum neceſſitatis. Vnde Auguſt. Qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, quærat ſacerdotem ſcientem ſoluere & ligare, ne cum negligens circa ſe fuerit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, ne ambo in foueam cadãt, quam ſtultus euitare noluit. Duo hic innuit Aug. *Primo*, vt peccator inueniat gratiam, debet accedere ſacerdotem. *Secundo*, vt quærat ſacerdotem non qualemcunque ſed ſcientificum. Per primum arguitur error Huſſitarum, dicentium ſufficere ſolam contritionem pro peccatis Deo factam. Contra quos Aug. Sunt quidam qui ſufficere ſibi ad ſalutem annunciant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, & quem nullius cõſcientia latet, ſua confiteantur crimina. Nolunt enim, ſiue erubeſcunt, ſiue dedignantur ſuis oſtendere ſacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram diſcernere per legiſlatorem conſtituit Dominus. Et ſequitur; Nolo vt tali decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Dei vicario, tabeſcẽs præ rubore, vel ceruicoſus præ dedignatione. Nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium, quem Deus ſibi non dedignatur eſſe vicarium. Ergo ad te roges venire ſacerdotem, ſi infirmus es, & fac

Sola contritio corã Deo ad remiſſionẽ peccatorũ nõ ſufficit.

De vera & falſa pœnitẽtia cap. 10.

li. 2. de viſit. infirm. cap. 7.

fac ipſum conſcientiæ tuæ pleniſſimè participem, non ſeducat te illa ſomniantium ſuperſtitio, quæ muſſitando ſeu titubando confirmat, quod inconſulto ſacerdote ſaluet ad Deum ſola confeſſio. Hæc ille. Nos autem non abnegamus, quin ſit ad Deum frequenter deferenda peccatorum confeſſio. Beatus enim qui tenebit & allidet paruulos ſuos, vel maximos, ad petram. Petra autem Chriſtus eſt. Sed deteſtamur & deteſtatur illud ſacra doctrina; *Vade*, inquit, *oſtende te ſacerdotibus*. Reſponſum eſt diuinum, *& confitemini alterutrum peccata veſtra*, inquit Apoſtolus Iacobus. Cicatricum ergo tuarum arbiter vice Dei adhibeatur præſbyter, & reuela ei vias tuas, & ipſe exhibebit tibi antidotum reconciliationis. Hæc ille. Per ſecundum arguuntur mundani & ſæculares vani, qui quærunt ſacerdotem ignarum, indoctum, & minus pro audienda confeſſione idoneum, qui cum eis mite & leniter procedit, & eis paruam vel nullam pœnitentiam imponit. Contra quos Auguſt. de vera & falſa pœnit. cap. 10. Qui confitetur, omnino ſacerdoti meliori, quem habere poteſt, confiteatur. Talem alibi ſequamur & perquiramus, qui ſciat curare peccata propria, & poſtea vulnera aliena, vt perfectus medicus; cum talibus conſilium ſalutis noſtræ ineamus, vt non perdamus hæreditatem cœleſtem, quam nobis ab initio mundi Deus promiſit. Hæc ille.

Iacob. 5.

li de ſalutaribus documētis

Ex his infero duo; *Primum* quod magnæ vtilitatis eſt ſacerdoti doctiori & magis ſcientifico, quam ſimplici & indocto licet ſanctiori confiteri. Sacramentum enim cōfeſſionis vocalis inter cætera à Deo eſt inſtitutum ad peccatorum patrocinium acquirendum, quia ſicut videmus in cauſis ciuilibus, quod communiter homines indigent patronis, qui ſint periti in iure, vt pœnas iuris poſſint vitare, & tales oportet in ſua cauſa ordinatè procedere; Ita multo magis in ſpiritualibus eſt, & ideo expedit ſacerdoti ſua reuelare peccata, qui de vitandis ſanum conſilium poſſit dare. propter quod eſt eligendus ſacerdos doctus, qui poſſit & ſciat diſcernere inter lepram & lepram, ſicut ad eius officium ſpectat. *Secundo* ex hoc infero, quod magna eſt dignitas ſacerdotum, quos ſic Deus honorauit, vt eis vices ſuas in terris committeret, & per eos nos à peccatis purgaret. Vnde Gregorius libr. 3. regiſtri ſui. hortans Mauritium Imperatorem ad debitam reuerentiam ſacerdotibus exhibendam; Non indignetur, inquit, Dominus meus ſacerdotibus propter eum, cuius ſerui ſunt, vt eis debitam reuerentiam impendat, quia illi aliquando in diuinis eloquijs dij, aliquando angeli nominantur. *Dijs non detrahes. Angelus Domini exercituum eſt.* Hoc eſt contra illos, qui deturpant ſacerdotes. Legitur de Conſtantino Imperatore, quod cum fuiſſent quædam accuſationes contra Epiſcopos in ſacra Synodo Nicena ipſi porrectæ, omnes combuſſit dicēs; Vos dij eſtis, à ſolo Deo iudicari debetis, & dignum non eſt, vt nos iudicemus Deos. Idem habetur libro quinto tripartitæ hiſtoriæ, vbi ſimiles accuſationes refutauit dicens; Iſta habebunt tempus ſuum in die iudicij coram illo, qui iudicaturus eſt omnes, Mihi homini iudicare non licet de vobis. Ibi etiam legitur, quomodo locatis Epiſcopis in loco ſuperiori, ipſe reſedit in loco inferiori. Propter quam reuerentiam ſacerdotibus rectè per ipſum impenſam, Deus ipſi in omnibus aſtitit, & ipſi ſignum ſanctæ crucis in ſomno oſtendit, dicens; Conſtantine in hoc ſigno vinces. Hæc ibi. Refert etiam Gregorius, quod pagani principes verum Deum neſcientes, Deos ligneos vel lapideos colebant, & tamen eorum ſacerdotibus maximum honorem impendebant. Quid ergo mirum ſi Imperator Chriſtianus, vel princeps, vel quilibet Dominus veri Dei ſacerdotes honoret, dum pagani principes, vt prędiximus, honorem impendere ſacerdotibus ſuis nouerunt, qui ligneis & lapideis dijs ſeruiebant? Hinc patet, quod inhonorantes ſacerdotes aut deteſtātes eos, perturbātes, aut grauātes, ſiue in eorū perſonis, ſiue in rebus, deteriores ſunt paganis & ſarracenis aut tartaris, qui proprios ſacerdotes honorāt. Ac per hoc cōuincūtur fideles etiā Deum verū minimè honorare aut curare, iuxta illud Saluatoris; *Qui vos ſpernit me ſpernit.*

Cōfiteri ſacerdotibus doctioribus vtile.

Dignitas ſacerdotū maxima.

Sacerdotes honorandi.

Exod. 22.

Malach. 2

Et qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. De Alexandro Magno legitur, quod cum proceſſiſſet contra Ieruſalem, & Epiſcopus Iudæorum obuiam ipſi proceſſiſſet, mox de equo deſcendit, & ei reuerentiam exhibuit. Pharao quamuis immaniſſimi & duriſſimi cordis fuerit, ipſe tamen ſic honorauit ſacerdotes, quod etiam tempore maximæ famis ipſis de regalibus horreis ſufficientem alimoniam procurauit.

Sed diceres, Verè dignum & iuſtum eſt bonos ſacerdotes honorare, quos nobis Deus poſuit iudices in terris, qui etiam ante illum diem iudicij iudicant & habent clauem vitæ & mortis; Sed quis æſtimat honore dignos illos ſacerdotes, qui ſe exhibent in vita & moribus per omnia indignos? vacantes potibus, comeſſationibus, & cæteris ſecularibus vanitatibus? quis tales, niſi ſtultus, iudicare poſſit non præmio honoris, ſed potius ſupplicio pudoris eſſe dignos? Ad quod ego, immo nō ego, ſed Magnus ille Gregorius li. 5. Regiſtri ſui reſpondens, ait: quod ea, quæ dicta ſunt de honore ſacerdotum, aut alia, quæ leguntur in ſcripturis, non tantum ſpecialiter pro bonis, ſed etiam generaliter pro malis ſunt interpretanda, quoniam adhuc neſcimus, qualis ſit futurus. Etenim Paulus dicit; *Nolite ante tempus iudicare*, ſcilicet de occultis, *quoadusque veniet Dominus* Nam ſunt multa, quæ de illius iudicio homines ignorant, quia fortaſſe quod vos laudatis, ille reprehendet; Et quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Hæc Greg. Hoc eſt contra illos, qui propter leuem ſuſpitionem, vt fortè quia ſacerdos deſcendit ad inuitatam, vel locutus eſt cum fęmina, ſtatim iudicant eum peruerſum & indignum, & dedignantur eius miſſam. Contra quos dicit Lucius Papa. Non poteſt quis, quantumcunque polluatur, diuina polluere ſacramenta, quæ purgatoria cunctarum cōtagionum exiſtunt. Qualiſcunque enim ſacerdos ſit, quæ ſancta ſunt, coinquinari ab eo non poſſunt. Sumite ergo ab omni ſacerdote Chriſti myſteria, quia omnia in fide Chriſti purgantur. Hæc ille. Et idem vult canō Nicolai papæ, ꝙ à tali ſacerdote communio recipiatur, quouſque iudicio Epiſcoporum reprobetur, Quoniam mali bona miniſtrando tantummodo ſe lædūt, & cerea fax accenſa ſibi quidem detrimētum præſtat, alijs verò lumen in tenebris miniſtrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet. Et ſequitur; Sumite ergo ab omni ſacerdote intrepidi Chriſti myſteria, quia omnia in fide Chriſti purgantur. Fides enim eſt, quæ vincit hunc mundum, & quia non dantis, ſed accipientis, ſic dicente beato Hieronymo ad credendum omni animæ baptiſmus eſt perfectus, & in omni ſacerdote corpus Chriſti perfectum. Hæc Canon. Quamdiu ergo quis toleratur ab Eccleſia in officio ſuo, non debet à quoquā vitari. Vnde licet depręhenſus in adulterio ſit infamatus de crimine, tamen non ſufficit ad hoc, vt abſtineatur ab eius officio & ſacramentis; niſi infametur per ſententiam, vt dicit Gloſſa dicti capituli Sciſcitantibus. & 32 di. §. Verū. Requiritur ergo, quod ſit deprehenſus & conuictus, vt de iudicijs. Cūm non ab homine. Benè tamen conceditur, quod omnis ſacerdos in peccato mortali exiſtens eſt ſuſpenſus quo ad ſe, ſcilicet vt non celebret, quia alias peccat mortaliter; Sed talis non eſt ſuſpenſus quo ad alios, niſi ſit per ſententiam præciſus, vel notorius fornicator, aut ſimoniacus. vt. 32. *di §. Verum.* Quando ergo dicitur, quod nullus audiat miſſam presbyteri, quem ſcit indubitanter habere concubinam, 32 *di ca. Nullus.* dicēdum, quod loquitur de illo, cuius crimen eſt notiorum per ſententiam, vel propriam confeſſionem, vel per facti euidentiam. talis enim primo à ſubditis vitari debet ad confuſionem ipſius, vt à tali peccato deſiſtat, vt *in c. Veſtra. de cohabitatione clericorū vel mulierum.* Ex quo infero, quod non obſtante malitia ſacerdotum quamdiu tolerantur ab Eccleſia, præſertim ſi non ſunt notorij fornicatores, debent à ſubditis honorari; & Chriſtus honorauit ſacerdotem, quem ſciebat ſacrilegum. 93. *di. Dominus.* Per quod ſecundum Cyprianum docuit malos ſacerdotes etiam honorare nos. Pro quo honore nobis tribuat honorem cœleſtis curiæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus. qui viuit & regnat per ſæcula ſæculorum. Amen.

Sacerdotes mali in honorandi.

1. *Cor.* 4.

de cohab. cleric. & mul. veſtra.

15. *q.* 8. *c. fin. Sciſcitantibus.*

DOMI-

DOMINICA XIV. POST TRINITATIS.

SERMO II.

Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Lucæ 17.

Ingratitudo deteſtanda.

NIhil eſt, quod adeò ad indignationē prouocet altiſſimum ſicut ingratitudo; Ipſa enim eſt malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio. Ingratitudo inquit Bernardus, hoſtis eſt gratiæ & inimica ſalutis. Propter quod, *Serm. 55. ſup. Cant.* ſecundum eundem, nihil augetur ingrato, ſed quod accipit, vertitur ei in perniciem. patet hic de nouem leproſis, qui quod de cura lepræ, à qua fuerunt per Chriſtum mundati, regratiari noluerunt, nec ad eum fuerunt reuerſi tanquam indigni, obliuioſi, & ingrati, voce Saluatoris arguuntur, quaſi ab eo ignorentur vbi ſint. *Lib. de dilig. Deo cap. 2.* Magna quippè ſuperbia eſt ſecundū Bernard. & delictum maximum, vti datis tanquam innatis, & in acceptis beneficijs gloriam vſurpare, non reddere. Plinius in prologo naturalis hyſtoriæ vocat huiuſmodi meritò fures & infœlices, qui beneficia recepta non recognoſcunt, aut mutuo non reddunt. *Epiſt. 83.* Et Seneca Epiſt. 83. appellat illos peiores ſerpentibus. Nam ſerpentes venenum in alienam perniciem proferunt, ſine ſua ſeruant; Ingrati verò ſine propria pernicie non poſſunt in ſe vitium ingratitudinis conſeruare. Ex quibus patet, quod valdè iniquum & iniuſtum eſt, ſi creatura non reddit grates ſuo creatori pro beneficijs acceptis. Hoc certè iniuſtitiæ conuenit, inquit Seneca, *Epiſt. 18.* ſuam cuique pro beneficio nō reddere gratiam. Meritò igitur iſti nouem leproſi mundati per Chriſtum repræhenduntur tanquam iniuſti, quia pro beneficio mundationis, ſuum neſciuerunt, vel noluerunt laudare curatorem. *Nonne decē mundati ſunt, & nouem vbi ſunt?* In quibus *Propoſit.* verbis arguitur ingratitudo, & conſulitur virtus gratitudinis diuinorum beneficiorum. Ad quam meritò poterimus induci, ſi triplicem conſiderationem attendamus. Nam ſi ponderemus gratitudinis neceſſitatem; Si conſideremus gratitudinis vtilitatem; & ſi denique cognouerimus ingratitudinis deformitatem, abſque dubio ſufficiēter moueri poterimus, vt gratias Deo pro beneficijs continuè reddamus.

I.

Magna neceſſitas inducit hominem ad *Neceſſitas gratiarum actionis.* reddendam gratiarum actionem Deo ſuo, ſine quo nihil boni poteſt facere. Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Quicquid enim *Ioan 15.* homo habet, à Deo habet. *Quid habes quod non accepiſti?* Sicut origo fluminum & fontium eſt mare; ſic omnium virtutum *1. Cor. 4.* & gratiarum principium eſt Chriſtus, inquit Bernardus. Ideò Apoſtolus de ſe ait. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia, quæ data eſt mihi, quia in omnibus diuites facti eſtis in illo.* *Serm. 15. ſup. Cant.* *1. Cor. 1.* Cum ergo *tota ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, meritò ad Deum debet *2. Cor. 3.* ſemper recurrere noſtra laudatio, vt mereamur iterum accipere, iuxta illud Eccl. 1. *Eccl. 1.* *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Aſtringitur autem homo ad agendum gratias Deo quadruplici neceſſitate. *Neceſſitas agendi gratias quadruplex. 1.* *Primo* quia ipſa gratiarum actio eſt quodammodo propria fidelium operatio. Fideles namque ſerui ad nihil aliud vacant, niſi ad dilatandum gloriam & honorem Domini ſui. Et ideò ſancti viri ſciētes hanc propriam eſſe operationem ipſorum, eo quod ad hoc quiſque natus eſt, vt Deum laudet omnibus poſtpoſitis, inſi-

ſtunt laudibus diuinis agentes gratias pro beneficijs acceptis. Eſt autem ita proprium hoc ſeruis Dei, vt etiam in cœlo nequaquam ab eis poſſit auferri, quia; *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* De quibus dicit Iſa. 51. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Vnde iſtud artificium bonum eſt nobis in præſenti addiſcere quod credimus indubiè nos ſine fine in cœlo operari. Ex quo infero, quod nihil ſic Chriſtianum debet delectari, ſicut gratiarum actio diuinæ maieſtati, quia in omnibus ſacrificijs, oblationibus, eleemoſynis, ieiunijs & alijs quibuſcunque ſiue actionibus ſiue paſſionibus, ad q̃ Chriſtiani tenentur, Deus nihil requirit, niſi laudem propriam & gloriam, iuxta illud; *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et hoc ſecundo infero, quod gratiarum actio excedit omnia holocauſta, victimas, ſacrificia, oblationes, thurificationes, incenſa & quæcunque alia. Nam omnia iſta ordinantur ad gratiarum actiones tanquam ad finem. Propter quod Deus offerentibus ſibi ſacrificia ſine intentione huiuſmodi reddendi gratias, dixiſſe legitur in Pſalm. 49. *Si eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ.* Et ſequitur; *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo.* quaſi dicat; Iſta non ſunt accepta, niſi in quantum ſunt laudis materia. Ideò ſtatim ſubdit; *Immola Deo ſacrificium laudis.*

pſal. 83. *pſal. 49.*

2. *Secundò* gratiarum actio eſt bonorum à Deo receptorum augmentatio. Sicut enim agricola illam terram libentius ſeminat quæ fructum reddit, ſic Deus ipſos ſæpius beneficijs viſitat, qui eum pro acceptis laudant. Vnde Caſſiodorus li. 4. Epiſt. Inuitat ad magna, qui gratanter accipit modica, & ſpem de futuris recipit, qui tranſacta beneficia recognoſcit. Legitur de elephante, quod quando infirmitatem incurrit, quandam herbam pro recuperanda ſalute colligit, ſed antequam eam in cibum accipiat, ad flumen accedens ſe lauat, & herbam verſus cœlum eleuat quaſi gratias Deo agat, & ab eo ſalutem depoſcat. Turpe eſt ergo non facere homini, q̄ facit beſtia. Et ſi non mouent hominem ad hoc beneficia futura, quæ à Deo expectat, debent maximè mouere præterita, quæ iam ei proferunt, alioquin meretur priuari datis, qui non agit gratias pro eis. Illud Apoſtolus oſtendit de philoſophis Roman. 1. dicens; *Qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, nec gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Vbi Auguſt. ait; Quod Deus dedit gratis, tollit ingratis. patet etiam de Ezechia, qui priuatus fuit & punitus, eo quod non laudauit Deum pro victoria facta de Sennacherib. *Iſa. 38, & 39. 4. Reg. 20.*

3. *Tertiò* gratiarum actio eſt diuinæ maieſtatis proteſtatio. Cum enim Deo de ſuis beneficijs regratiamur, eum Deum noſtrũ proteſtamur. Et hoc fecit filius Dei. Marci 8. qui volens de ſeptem panibus ſatiare quinque millia hominum, primò gratias egit. Idem legitur feciſſe cum ſacratiſſimũ ſuum corpus & ſanguinem fertur in cœna vltima conſecraſſe & diſcipulis tradidiſſe. In omnibus docens ad Deum noſtra beneficia eſſe referenda, tanquam ad illum, à quo omne datum optimum & omne donũ perfectum eſt. *Iacob. 1.*

4. *Quarto* gratiarum actio eſt noſtræ neceſſitatis demonſtratio. Qui enim regratiatur, ſuam indigentiam proteſtatur. Vnde hæc eſt ratio moralis, quare decimæ dantur, & quare Deo ſunt ſpecialiter dedicatæ. Decem eſt numerus perfectus, nouem verò imperfectus; & ideo dum nobis nouem retinemus, decimum Deo damus; nobiſmetipſis imperfectionem aſcribimus, & omnem perfectionem ſoli Deo attribuimus. Eodem modo, dum gratias agimus, proteſtamur, quod nihil niſi de eius munere poſſidemus. Patet ergo, quod neceſſario Deo gratias agere debemus.

I I.

Beneficia Dei requirunt gratiarum actionem.

Plurima ſunt beneficia ad noſtram vtilitatem data à Deo, pro quibus ſi gratias ipſi egerimus, magnam vtilitatem reportabimus, nimirum vitam æternam. Inter cætera autem præcipua ſunt hæc, ſcilicet beneficium

neficium noſtræ creationis, redemptionis, expectationis, iuſtificationis conſeruationis, & præmiationis. De creatione dicit Bern. in ſermone quodam. Conſidera Deũ in beneficio creationis, quod creauit te ſine merito tuo, iuxta illud pſal. 15. *Bonorum meorum non indiges*, quia nihil ante promeruit, qui nihil penitus fuit. Cogita qualem te fecit creaturam, ſecundum corpus egregiam, ſecundum animam magis egregiam, vtpote imaginem creatoris inſignem, rationis participem, beatitudinis ſempiternæ capacem. Conſidera & tui nominis potentem; terror enim hominis ſuper omnia animantia imminere decernitur. Conſidera ergo largitatis adminiſtrationem, quanta tibi largitus eſt ad ſuſtentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad cõſolationem, quanta ad correptionem, quanta ad delectationem. Pro his ergo nihil facias niſi gratias agas. Hæc Bernard. De redemptione dicit idem Bernardus; O bone Ieſu, quid tibi & morti? Nos morti? Nos mori debuimus & tu ſoluis; nos peccauimus & tu tollis. Opus ſine exemplo; gratia ſine merito; charitas ſine modo. Beneficio expectationis nos peccantes expectat ad pœnitentiam. Nam quotiens peccat homo mortaliter, totiens indignus eſt vita; Et ideò totiens eſt in ſtatu mortis, & meretur ſtatim detrudi de mundo ad infernum. Vnde ſi illi tenemur ad regratiandum, qui nos de periculo mortis corporalis, vel à mutilatione membrorum liberat; multo magis Deo, qui à morte vtriuſque, corporis videlicet & animæ, ſæpiſſimè liberat. Narrat Caſſiodorus de elephante, qui cum ſe arbori appodiauerit ſemiſectæ, id eſt, ad medium inciſæ, & arbore fracta ceciderit, per ſe reſurgere nequit; Si ergo fuerit per hominem eleuatus, magnam illi refert gratiam. Nam os ſuum in manus hominis porrigit, nec cibum niſi ab eo capit, nec progreditur niſi quo ille iuſſerit. Refert Petrus de lapiaria in tractatu de oculo morali. Inter alias proprietates oculi corporalis ſextam eſſe iſtã, quod in capite eſt collocatus, ad ſignificãdum, quod oculi noſtri ſemper debent ad Deum intendere, iuxta illud Pſal. 122. *Sicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum*. Vnde de Sapiente dicitur, Eccl. 2. *Oculi ſapientis in capite eius*. Caput noſtrum Chriſtus eſt, in quo ſemper debent eſſe oculi mentis noſtræ per conſiderationem beneficiorum ipſius. Refert commentator ſuper librum de animalibus, quod quidã paterfamilias aſpidem quandam nutriuit in domo, ſic quod omni die hora prandij ad eius menſam viſitauit pro cibo. Quæ cum generaſſet duos filios, vnus eorum tanquã ferox filium hoſpitis veneno infecit. Quod illa perpendens, ſtatim illum ſuum filium in conſpectu omnium lacerauit, & cum alio filio verecunda de domo exceſſit. Ecce quomodo ſerpens ſentit beneficium, & homo non ſentit. Legitur etiam in hiſtorijs Romanorum quod & refert Policratus, ꝙ quidam Andronicus nomine, qui alias fuit propter ſua crimina per Imperatorẽ morti adiudicatus, & datus ad deuorandum leoni, cui ante ſpinam de pede in nemore depoſuerat. Leo eum nullatenus mouit, ſed potius ab alijs leonibus, ne deuoraretur protexit, & illi blanditus eſt demulcẽs crura illius & manus. Quod videns Imperator admiratus eſt, & illum leonem illi Andronico in ſeruitutem donauit. Et factum eſt, vt eo Romæ ambulante cum leone, omnes dicerẽt, hic eſt leo hoſpes hominis, & hic eſt homo medicus leonis. Ecce quomodo ferociſſima beſtia ſentit beneficia humana. Sic multo plus debet ſentire homo beneficia diuina.

Gratia Deo referenda.

Sed diceres, quomodo ſunt gratiarum actiones referendæ Deo? Reſpondeo, ad hoc requiri quatuor conditiones. Requirunt enim gratiarum actiones magnanimitatem, aſſiduitatem, vniuerſalitatem, & hilaritatem. De magnanimitate dicitur in Pſal. *Magnificate Dominum mecum*, id eſt, magnum prædicate. Et quia homo inter omnia creata plus recepit à Deo boni. Pſa. *Non fecit taliter omni nationi*, meritò vult ab eo magis laudari. Nam vbi eſt maior concauitas, ibi magis de confluxione radiorum, & ideò maior calor, ſcilicet charitatis diuinæ & laudis debet eſſe in tali corde. De aſſiduitate dicitur; *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione*. Hæc eſt ratio, quare omnes horæ terminantur per Deo gratias, in ſignũ quod omnia noſtra ope-

1. magnanimiter.

2. Aſſiduè. *1 Theſſ. 2.*

3. *Vniuerſaliter.* ra debent ordinari ad laudem diuinam. De vniuerſalitate dicitur. Epheſ. 5. *Gratias agentes Deo ſemper pro omnibus.* Benè dicit, *pro omnibus*, quia non ſolum pro proſperis, ſed etiam pro aduerſis gratiarum actiones ſunt referendæ. *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Mane eſt proſperitas, nox aduerſitas. Vnde Chryſoſt. in tractatu de ſymbolo dicit; Semper benedicite Deum; Si venerint mala, & diſſoluentur mala; Si proſpera venerint benedicite, & perſeuerabunt proſpera. Refert Ariſtoteles, quod Plato inter alias leges ſtatuit, vt ciues exercitarentur ad hoc, vt fierent ambidextri, id eſt, vt æqualiter poſſint manu ſiniſtra ſicut dextra pugnare. Dextra ſignificat proſperitatem; *Pſal. 90.* Siniſtra aduerſitatem. *Cadent à latere tuo*, id eſt, à ſiniſtris in aduerſitate, *mille*, ſcilicet deficientes per deſperationem, *& decē millia à dextris tuis*, ſcilicet in proſperitate extollentur per præſumptionem. In vtroque ergo ſtatu homo debet laudare Deum, ſi vult benè pugnare contra diabolum. De hilaritate ſeu iucunditate refert Solinus, quod in Alleſa regione fōs eſt ſemper quietus, & infra riuos ſuos manens, qui tamen ad cantum citharæ vel ad ſonum fiſtularum intumeſcit, & alueum ſuum excedit. Iſte fons omnis bonitatis Deus eſt, qui ob lætam gratiarum actionem ſtatim exuberat & beneficiorum ſuorum aquis inundat.

4. Hilariter.

Lib. de mirabilibus mūdi.

III.

Ingratitudinis malitia.

Serm. 52.

Valdè deforme eſt vitium ingratitudinis, ſecundum Bernard. ſiccat fontem diuinæ pietatis, ne fluat homini. Ideo homo perpendens tale periculum, quod ſe priuat Dei beneficio, debet ab eo cauere, & Deum continuò laudare. Sunt autem peccatores ingrati Deo multipliciter. Nam quidam Dei dona non cogitant, ita quod nunquā ponderant quæ receperunt, ſed attendunt ad habenda, quæ habere intendunt. Et iſta eſt potiſſima cauſa ingratitudinis, vt dicit Seneca. Prima, inquit, cauſa eſt ingratitudinis, quod nouis ſemper cupiditatibus occupati, non quid habemus, ſed quid petamus attendimus, nec in id, quod iam eſt, ſed in id quod appetimus, intenti ſumus.

1. beneficiorū memoriā nō habent.

de beneficijs in principio.

Ex quo infertur quod ſecundum Senecam ad hoc, vt grati ſimus Deo, indigemus bona memoria. ſicut enim ad perfectè ſciendum aliquam ſcientiam non ſufficit, ſi homo ſemel eam diſcat, ſed requiritur quod pluries eam repetat; neceſſe eſt, vt homo ſæpius recordetur, quid, cui, quantum debitor eſt. Et hac ratione ſecundum moralē intellectum dies Dominica videtur inſtituta fuiſſe à Deo, vt ſi nō ſæpius, ſaltem illo die ſeptimo & vltimo in hebdomada homo recogitet diuina beneficia, ſcilicet creationis, reparationis, conſeruationis, præmiationis. Hac ratione etiam rationabiliter induxit Eccleſia & ſtatuit legi ſpecialia officia miſſarum coram laicis, & prædicari alia ſingulis diebus Dominicis, vt populus audiens tam diuerſa beneficia diuina in epiſtolis, & euangelijs, & alijs lectionibus ſanctis olim patribus, & tandem nobis facta, pro eis ad gratiarum actiones Deo referendas aſſurgat deuotius.

Sed ſunt multi pro certo, qui de talibus nihil curant. Nam quidam ſe beneficia à Deo accepiſſe negant, quidam verò diſſimulant, quidam verò non reddunt, quidam omninò obliuiſcuntur, & iſti ſunt ingratiſſimi ſecundum Senecam. De quolibet tali poteſt dici; *Ingratus ſenſu derelinquit liberantem ſe.* Et benè dicitur, *Ingratus ſenſu*, quia ſenſum memoriæ amiſit. *Secundò* ſunt quidam ingrati, qui Deum de ſuis beneficijs non honorant; ſimiles porcis, qui glandes quotidiè comedētes nunquā ad arbores reſpiciunt; Tales ſecundum Ariſtotelem, deſtruunt mutuam amicitiam, quia oportet retribuere & refamulari iuxta poſſe ei, qui gratiam fecit, & ſeruire in recompenſam collati beneficij. In ſignum huius refert Seneca, quod Poëtæ finxerūt tres ſorores filias Veneris & Liberi Patris, Virgines, quæ complexis manibus quaſi choream facientes ſe tenebant ridentes & lucida veſte indutæ. Quarum duæ conuerſæ ad nos fuerunt; Tertiam vultū auertit. In quo ſignificatur qualis debet eſſe gratiarū actio, In hoc enim, quod fuerunt virgines, ſignificatur quod incorrupta & ſincera debet fieri beneficia; quod cōnexis manibus faciebāt circulū, ſignificatur quod bene-

Eccl. 29.

2. Beneficia non compenſant.

8. Ethic.

Vbi ſupra.

beneficia debent ire ab vno ad aliũ per gratiam mutuam. Quod erãt ridentes, ſignificatur quod hilarem debent habere datorem. Quod fuerũt nudæ, ſignificatur quod beneficia nolunt nec debent latere. Et in hoc quoſdam arguit Seneca, qui furtiue gratias agunt in angulo, & verentur palam fateri, vt proprio & non alieno adiutorio habere dicantur. Sed de hoc benè philoſophus 8. Ethicorum tangit dicens quod amicitiæ beneuolentia debet eſſe non latẽs. Item fuerunt filiæ Veneris, ad ſignificandum, quod beneficia debent fieri ob amorem. Item fuerunt Liberi patris, ad ſignificandum quod debent fieri liberaliter. Sed proch dolor hodie impletur illud, quod dixit Apoſtolus: *In nouiſſimis diebus erunt homines ſeipſos amantes & ingrati.* *Tertiò* ſunt quidam, qui Deum de ſuis beneficijs exprobrant ad modum vxoris ingratæ. Fertur quod quidam vir pro crimine vxoris ſuæ circa columnam in medio ciuitatis ſe verberare permiſit; Cui vxor poſtea enormitatem ſuam improperauit. Sic multi ingrati ſunt de beneficio paſſionis Chriſti, in qua enormia ſuſtinuit. Vnde Eccleſ. 29. *Paſcit & potabit ingratos, & adhuc amara audiet.* *Vltimo* ſunt quidam ſceleratiſſimi, qui contra Deum per ſua beneficia pugnãt. Et ſunt illi, qui donis Dei ad peccandum vtuntur. Nam multi abundant diuitijs, ſed eas non in vſus pauperum, ſed hiſtrionum exponunt. Alij habent fortitudinem, & hi fiunt pauperum oppreſſores, & fortitudinem ſuam in ſeruitio diabolico conſumunt. Alij optima habent ingenia & facunda eloquia, & hi ſunt in iudicijs calumniatores Contra quos loquitur multa Gregor. li. 32. Moral. tractans illud Iob 40. *Huic montes herbas ferunt*, dicens, quod tales qui diuitijs praua conantur, contra Deum ſuis beneficijs pugnant. Vnde hi ſunt ſimiles cuculo, qui paruulus fouetur in nido per quandam auem, ſed vbi adoleuit, ſuam nutricem occidit & deuorat. Seneca lib. 4. de beneficijs narrat de quodam milite naufrago, qui per viginti dies fuit apud quendam nobilem optimè tractatus, ſed ipſe poſtea accedens regem Philippum Macedonem, eum crimine peſſimo accuſauit, & eius bona à rege ſibi impetrauit. Nihilominus tamen rex comperiens eius ingratitudinem, eum cauterio inſigniri in facie fecit, & bonis ſpoliauit. Sic faciet Deus ingratis.

2. Timo. 3. *3. Beneficia exprobrant.* *4. Beneficiis Deum oppugnãt.*

DOMINICA DECIMA QVINTA POST TRINITATIS.

SERMO I.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Matth. 6.

NEmo poteſt in vna eademque re omnipotenti Domino atque eius hoſtibus gratus exiſtere. Nam Deo ſe amicũ denegat, qui eius placet inimicos. Ita Gregor. Et reuera ſic eſt. Nam Iacob. 4. *Qui voluerit amicus fieri huius mundi, conſtituitur inimicus Dei.* Nec immeritò. Sunt enim iſti duo Domini multum inuicem contrarij, & nunquam poſſunt habere vnanimem voluntatem iuxta illud. *Quæ conuentio Chriſti ad Belial? lucis ad tenebras? ſancti ad canem?* Quaſi dicat, nulla. Et ob hoc nemo poteſt vtrique iſtorum ſimul ſeruire & placere, eò quod voluntas hominis per amorem ſuum, cum ſit ſimplex, quocunque ſe vertit, totaliter ſe vertit. Vnde poëta. *Non facile eſt animum tantis inflectere rebus. Vt res oppoſitas*

Grego. ho. 9. ſup. Ezech.

poſitas mens ferat vna duas. Cum igitur mundus iſte ſit contrarius Deo cum ſua auaritia, eo quod diſtrahit ſeruos Christi à ſeruitio ipſius, merito Chriſtus diſſuadet homini auaritiam. Nam alias nemo poteſt ei placere nec liberè ſeruire, qui auaritiæ ſeruit. Dicit enim Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 41. Non poteſt ad contemplandum Deum mens eſſe libera, quæ deſiderijs huius mundi & cupiditatibus inhiat. Alta enim non poteſt conſpicere oculus, quem puluis claudit. Licet autem omnia peccata ſeruis Chriſti ſatis durè ſint prohibita, eò quod omnia impediunt in ſeruitio Dei, nihil tamen ita illis prohibetur, ſicut auaritia. Quia omni peccato peior eſt auaritia. Vnde per Salomonem dicitur; *Nihil ſceleſtius quam amare pecuniam; Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Et Apoſtolus. *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide*. Si ſucciditur radix, non pullulant cæteræ ſoboles peccatorum. Ideo Chriſtus volens ſeruos ſuos ab auaritia retrahere dicit; *Non poteſtis Deo ſeruire & mammona*. Et: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* In quibus verbis Chriſtus ſuos fideles exhortatur ad vnicum ſuum ſeruitium, retrahendo eos ab amore huius mundi. & quia quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, & ſic eſt peccatum luxuriæ; aut concupiſcentia oculorum: Et ſic eſt peccatum auaritiæ; aut ſuperbiæ vitæ, & ſic eſt peccatum vanæ gloriæ. Ad quę tria iuxta D. Thomam reducuntur omnia genera vitiorum ſecundum triplicem concupiſcentiam. Sunt autem iſta tria quaſi cauſa omnium peccatorum, ad quas aliæ paſſiones ſeu afflictiones confluunt. Secundùm hoc igitur in his verbis notatur difficultas ſeu impoſſibilitas ſeruiẽdi Deo, & huic triplici vitio. Hoc eſt enim duobus Dominis ſeruire, ſcilicet Deo & mundo, qui illo triplici vitio dominatur in cordibus peccatorum. Et quia Chriſtus ex eodem fundamento prohibet ſollicitudinem ſuperfluam illorum, quæ diſtrahunt mentem ſeruorum Chriſti, & inuoluunt eam curis ſuperfluis, ſicut in Euangelio deducit de ſollicitudine ciborum, potuum, veſtimentorum, & ſic de alijs; ideò etiam circa materiam præſentem erit conſideratio noſtra de ſollicitudine huius mundi. Secundum hoc igitur in verbis iſtis monetur quilibet, vt vni Deo, & non pluribus ſeruiat. Sunt autem ſeruientium damnabiliter tria genera hominum, de quibus hic conſiderabimus. Nam ſunt ſeruientes mundo, vt cupidi & auari; quorum ſollicitudo eſt in congregando temporalia. Secundi ſunt ſeruientes diabolo, vt ſuperbi & tumidi, quorum ſollicitudo eſt in appetendo ſublimia. Tertij ſunt ſeruientes corpori proprio, vt guloſi & luxurioſi, quorum ſollicitudo eſt in experiendo ſuauia & delectabilia. Et hi omnes malè ſeruiunt. Et quãdiu ſic ſeruiunt iſtis Dominis, licet fingant ſe etiam Deo ſeruire, damnabiliter & pernicioſe ſeruiunt Vnde merentur à Saluatore audire. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Præter hoc ſunt alij, qui ſeruiunt Deo laudabiliter, vt electi & ſancti, iuſti & virtuoſi, fideles & deuoti, quorum ſollicitudo eſt in amore Dei & proximi feruida.

Eccl. 10. — 1. Tim. 6. — 1. Ioan. 2. — 22. qu. 77. art. 5. — *Propoſit. Serui mali triplices*

I.

Qui ſeruiunt mundo, vt cupidi & auari, ſolliciti ſunt in congregandis temporalibus de quibus Dominus dicit; *Non poteſtis Deo ſeruire*, efficaciter & meritoriè, *& mammona*, id eſt, auaritiæ. Graue eſt ſeruitium amare diuitias. Nam peccatum auaritiæ mentem, quam infecerit, ita grauem reddit, inquit Gregor. vt ad appetenda ſublimia attolli non poſſit. Nullus eſt in ſeruitute ita dura, quin vtique ſeruiendo Domino ſuo poſſit aſpicere cœlum; hoc tamen non permittit ſeruitoribus ſuis auaritia. Pſal. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Nec mirum, oculi enim talium ſunt mundanę poſſeſſionis puluere reſperſi, quia ſemper terrenis inhiant & ad terram reſpiciunt. De quibus dicitur. Prouerb. 17. *Oculi ſtultorum in finibus terræ.* Non dicit, in finibus cœli. Illi ſunt ſicut talpæ, quæ in terra benè vident, ſed in luce nihil. Habent enim non oculos veros, ſed ſigna tantum oculorum. Similiter auari

Seruire mũdo graue eſt.

appa-

apparent in mũdo ſapientes circa terrena, ſed circa cœleſtia ſunt ſtulti. Vnde Luc. 16. dicitur, quod *filij huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua*. Sed iſta ſapientia non eſt Dei ſed mundi, animalis & diabolica, quamdiu ergo auarus ſollicitus eſt circa temporalia, non poteſt cõſiderare cœleſtia gaudia, ſicut enim interpoſitio terræ inter ſolem & lunam cauſat eclypſim lunę, ita interpoſitio terrenorũ inter mentem hominis & Deum cauſat cæcitatem mentis. Vnde Pſal. 57. *Supercecidit ignis & nõ viderunt ſolem.* Auaritia verè non eſt aliud niſi cæcitas horrenda. Vnde Auguſt. Auarus eſt cæcus credendo, diues eſt non videndo. Et ſequitur: Amas pecuniã, quam nunquã videbis, cœcus poſſides, cæcus moriturus es, quod poſſides, hic relicturus es. Hæc cęcitas ſecundum Auguſt. ſuper pſal. 98. ſerm. 7. aliunde non eſt, niſi ex defectu amoris Dei. Nam qui Deum non amat, non videt eum; Ama ergo, & videbis. O quam graue eſt iſtud ſeruitiũ, in quo homines amittũt oculos, ſicut Sampſon in labore Philiſtæorum? Ideò lib. de Eleemoſyna dicit Auguſt. Erras & falleris, qui te diuitẽ putas in hoc ſæculo. Audi Dominum in Apoc. dicentẽ; *Dicis quia diues ſum & nullius egeo, & neſcis, quia miſer es, & nudus & cæcus* Et verè magna cęcitas non videre turpitudinem, & dãnum ſuum & periculum grauiſſimũ. Auarus ſimilis eſt hydropico, qui quanto plus abũdat humore inordinato, tanto plus ſitit, & tanto magis bibit, donec moritur; Sic quanto auarus eſt copioſior in diuitijs, quibus non vtitur, tantò ardẽtius alia concupiſcit. Vnde ſemper eſt in cõtinua ſiti, quod eſt maximum periculum & grauis pœna. *Secundò* magnum damnum auari eſt eſſe ſimilem inferno, & ardere ad inſtar inferni. Infernus quantoſcunque deuorauerit, nũquam dicit, ſufficit, vel ſatis eſt; ſic auarus. Si enim omnes theſauri confluxerint in auarum, nunquam ſatiabitur. Et in hoc auarus eſt deterior qualibet crudeli beſtia. Belluæ in concupiſcendo modum habent, tunc rapiunt, quando eſuriunt, parcunt verò prædæ, cum ſenſerint ſatietatem. Inexplebilis eſt ſola auaritia diuitum, ſemper rapit & nunquam ſatiatur, nec Deum timet, nec hominem reueretur, non patri parcit, nec matrem agnoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſeruat, viduam opprimit, puſillis inuidet, & liberos in ſeruitutem reuocat, & falſum teſtimonium profert, res mortui occupat, quaſi etiam & non ipſi, qui hoc faciunt, moriantur.

Auarus cæcus eſt. De doctri. Chriſt.

Iud. 16.

Apoc. 3.

Auarus ſimilis hydropico.

Auarus ſimilis inferno, ſatiari neſcit.

Sed diceres, tamen inueniuntur, quibus ſuppetunt ad voluntatem facultates. Hoc falſum eſt. Nam quamdiu ſunt auari, ſunt inferno ſimiles, quia deeſt eis tam quod habent, quam quod non habent. Vnde dicit Hieronymus in epiſtola ad Paulinum. Nullus ſeruus ita ſtultus eſt, qui velit alicui ſeruire de continua egeſtate, quod tamen facit auarus. *Tertiò* magnum damnum eſt auaro eſſe in continuo laqueo & in tenaci fiſco. De quo Auguſtinus libro 2. de verbis Domini ſerm. 4. Amor rerum terrenarum fiſcus eſt ſpiritualium pennarum. Ecce concupiſti, hæſiſti. Et in lib. de eleemoſyna dicit idem Auguſt. Auare, pecuniæ tuæ captiuus & ſeruus es. cathenis & vinculis cupiditatis alligatus es, & quem iam ſoluerat Chriſtus, denuo vinctus eſt. Et Chryſoſtomus hom. 9. ſuper Matthæũ. Qui pecuniæ ſeruit, & præſentibus compedibus conſtringitur & futuris paratur. Verè magna vincula, magni compedes, ſẽper eſſe in timore perdendi, in dolore amittendi. Vnde Auguſtinus. Auaritia cum labore amatur, impleſti domum, timentur latrones, acquiſiſti aurum, perdidiſti ſomnum, Deus ſine labore amatur, acquiritur, & tenetur. Hæc ille. *Quartò* magnum periculum incurrit auarus, quia animam ſuam venalem exhibet pro vno obulo. Iſtud eſt pactum auaritiæ cum homine, vt, ſi vult accipere denarium, det animam, iuxta illud, Gen. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Sic fecit Iudas, qui pro triginta denarijs diabolo dedit animam. Vnde Auguſtinus in quodam ſermone, Auarus antequam lucretur, ſeipſum perdit; & antequam aliquid rapit, rapitur ipſe. Si enim inuenit tempus, vt concupiſcat alicuius aurum, aut argentum, aut veſtes pulchras, aut mulierem pulchram, pro nihilo perpetrat homicidium, & ſicut quis effundit aquam in terram, ita iſti ſanguinẽ proxi-

proximi ſui. Patet de Achab rege, qui appetitu cupiditatis ſuæ homicidium perpetrauit in illo bono Naboth. *Quintò* periculum graue eſt auaro, quia ſeruiens pecuniæ ſeruit cuidam idolo, & ita eſt in rei veritate idololatra. *Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent.* Vnde Apoſtolus appellat auaritiam idolorum ſeruitutem. Vbi gloſſa; Illum auarum dicit idololatram, cuius Deus nummus eſt. Talis enim nummum adorat & colit vt Deum. Diligit eum pluſquam ſe. Cultum Deo debitum ipſi tanquam idolo impendit. Ipſe enim carius aurum inſpicit, quam ſolem. Quod patet in quatuor. Primò quia impendit ei diuinam amicitiam. Vnde magis diligit tenebras, quam lucem. Ideò Eccleſiaſtici 10. dicitur. *Nihil iniquius quã amare pecuniam.* Secundò impendit ei diuinam obedientiam. Citius enim currit pro nummo, quam pro Deo. Eccl. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Tertiò impendit ei diuinam confidentiam. *Confidunt enim in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.* Contra quos Iob 31. dicitur. *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea.* Quartò impendit ei diuinam reuerentiam, vt hic, *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* Quis ita ſtultus, qui ſciens terram, vel lapidem, vel aliquid huiuſmodi coleret pro Deo, & diuinos ipſi exhiberet honores? & tamen (pudet dicere) Chriſtiani ſcientes & credentes corde, & profitentes ore, non alium Deum eſſe verũ, quam patrem & filium & Spiritum ſanctũ, nihilominus adorant terram vilem, ſcilicet aurum & argentum, quod ſecundum Bernardum nihil aliud eſt, niſi terra rubea, & alba, quæ ſolus error hominum & non valor eorum fecit eſſe præcioſa.

3. Reg. 21.

Auarus idololatra.

Oſea 8.

Epheſ. 5.

Eccl. 10.

Pſal. 48.

Sollicitudo auari.

Sed videamus de ſollicitudine auarorũ, de qua dicit Eccleſ. 2. cap. *Cuncti dies eius laboribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit.* Et paulò poſt: *peccatori auaro dedit Deus afflictionem & curam ſuperfluam, vt addat & congreget.* Hanc ſollicitudinem deſcribens Innocentius quartus lib. 1. de vtilitate humanæ condit. cap 12. dicit. Currunt & diſcurrunt mortales per ſepes & ſemitas, aſcendunt montes, tranſcendunt colles, tranſuolant rupes, peruolant alpes, tranſgrediuntur foueas, ingrediuntur cauernas, rimantur viſcera terræ, profunda maris, incerta fluminis, opaca nemorum, inuia ſolitudinis, exponunt ſe ventis & imbribus, tonitruis & fulminibus, & fluctibus & procellis, metalla cudunt & conflant, lapides ſculpunt, ligna ſuccidunt & dolant, telas ordiuntur & texunt, veſtes incidunt & conſuunt, ædificant domos, plantant hortos, colunt agros, paſtinant vineas, ſuccendunt clibanos, exſtruunt molendina, venantur, piſcantur, & aucupantur, meditantur, recogitant, conſiliantur & ordinant, querelantur & litigant, diripiunt & furantur, mercantur & contendunt, & præliantur vt opes congerant, honores acquirant, quæſtus multiplicent, & lucra ſectentur. Hæc ille. Sed hæc omnia vana ſunt, ſicut dicit Eccleſiaſtes 2. *Deteſtatus ſum omnem induſtriam,* id eſt, ſolicitudinem meam, *qua ſub ſole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem, quem ignoro, vtrum ſapiens vel ſtultus ſit futurus, & dominabitur in laboribus meis, in quibus deſudaui & ſollicitus fui, Et hoc vanũ eſt.* Hæc ille. Certè magna vanitas q̃a bona auarorum ſæpiſſimè alieni diripiunt, & inde lautè viuunt. Vnde benè Pſalmiſta *Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Et eſto quod veniant in manus filiorum legitimorum, adhuc perpetuari non poſſunt diuitijs. Quia dicit Auguſtinus libro quarto homiliarum. Homilia 3. in principio. Quam curam geris filiorum, vt eos obruas lachrymis miniſtrorum. Non eſt hoc filios amare ſed potius necare. Et ſequitur. O quanti quibus hæreditas dimittitur, & poſtea ad penuriam rediguntur. Hæc ille.

II.

Qui ſeruiunt diabolo, vt ſuperbi & tumidi, ſolliciti ſunt, in appetendis ſublimibus. De horum ſeruitute dicit Apoſtolus; *A quo quis victus eſt, eius & ſeruus eſt.* Ergo qui ſe à diabolo ſuperari permittunt, diaboli ſerui fiunt. Rom. 6. *Serui eſtis eius, cui obediſtis.* Iſta ſeruitus eſt peſſima. Nam 2. Pet. 2.

malum

malum eſt, ſeruire illi, qui continuè quærit occidere, à ſummo bono ſubtrahere, & ad pœnas æternas adducere. Iſte eſt Dominus, qui non dat requiem die præſentis miſeriæ, & nocte futuræ tenebroſitatis. Ierem. 6. *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Et certè ſic eſt, quia ſuperbi nunc ſunt apud bonos homines ludibrio & opprobrio, & tandem in futuro confundentur in iudicio. Et ideò, ſecundum Auguſt. lib. 14. de ciuit Dei ca. 13. Valde periculoſum eſt iſtud vitiũ, eo quod nullum eſt, cui magis diuina lex reſiſtat ſicut ſuperbiæ, & in quo magis dominandi ius ille ſuperbiſſimus ſpiritus habeat, ſicut in iſto. *Ipſe enim eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Propter quod, vt dicit idem Auguſt. in lib. de natura & gratia c. 29. Iſtud vitium dicitur initium omnis peccati, quoniã diabolũ, à quo extitit origo peccati, ipſa deiecit, & ſubſequente inuidentia hominem ſtantem, vnde ipſe cecidit, inde ſubuertit. Hæc ille. Et eſt multum notabile, quod dicitur ſuperbia eſſe initium omnis peccati, quia nullum peccatum eſſe potuit, aut poteſt, aut poterit eſſe ſine ea. Nec ſolum eſt principium peccatorum aliorum, ſed etiam & finis. Quia poſtquam omnes virtutes acquiruntur, ſuperbia ſola ſuperueniens inſidiatur eis, vt pereant. Ex quibus inferuntur tria mirabilia documẽta. *Primum eſt*, quod nullum peccatum poteſt eſſe ſine ſuperbia, nec ſine ea conſummari. Nihil aliud eſt omne peccatum, niſi Dei contemptus, quo eius præcepta contemnimus, & hoc nulla res alia perſuadet homini, niſi ſuperbia. Vnde de ſuperbia naſcuntur hæreſes, ſchiſmata, detractiones, inuidiæ, iræ, rixæ, diſſenſiones, contentiones, ambitiones, elationes, verboſitates, vanitates, inquietudo, mendacium. Ecce quomodo ſuperbia eſt principium peccatorũ, quomodo autem ſit finis dicit Aug. in lib de vera innocent. cap. 82. Hoc primũ vitio ſuperatus eſt homo, hoc vltimo vincit. Cum enim omnia peccata ſuperauerit, manet periculum, nè bene ſibi mens conſcia in ſe potius quam in Deo glorietur. Ex quo ſecundo infero, quod nihil magis impedit perfectionem hominum in ſanctitate & bonis operibus, ſicut ſuperbia. Superbia enim ſecundum Auguſt. non permittebat hominem perfici, nihil enim perfectionem ſic impedit niſi ſuperbia. Et poſt pauca; Cum enim quiſque benè profecerit, ſuperbia tentatur, vt perdat totum quod profecit. Propter quod ſubdit; omnia vitia in malefactis cauenda, ſuperbia in benè factis plus metuenda eſt. Hæc ille. *Ex quo tertio* ſubſequitur, quod curata ſuperbia curata ſunt omnia vitia. Hinc Auguſt. ſuper Ioannem ſerm. 26 vbi dicit, Cura ſuperbiam, & nulla erit iniquitas. Et inde Auguſtinus infert, quod Chriſtus principaliter deſcendit humiliatus in mundũ, ad curandum ſuperbiæ morbum, vt eo curato omnia curarentur. Vnde ipſe ibidem dicit; Vt cauſam omnium morborum curaret in ſuperbia, deſcendit & humilis factus eſt filius Dei. Et lib. 3. de verb. Domini in ſerm. 4. dicit; Medicina tumoris hominis, humilitas Chriſti. Et infra; vt ſanaretur tumor ſuperbiæ, dignatus eſt Deus humilis fieri. Hæc ille.

Iob 41. — *Nullũ peccatum ſine ſuperbia.* — *Superbia perfectionem maximè impedit.* — *Super Pſal. 58.* — *Superbia ſublata omnia vitia ſublata ſunt.*

Quam autem deteſtabilis ſit iſta ſeruitus diaboli, patet ex pluribus. *Primò* ex eo, quia excæcat hominem. Magna certè cæcitas non cognoſcere quid ſit ſupra hominem, quid ſit infra hominem, quid circa hominem, imò quid ſit ipſemet homo. Nõ enim inſpicit ſuperbia ſupremãm præmiorum affluentiam, recolendo illam iucunditatem, quæ nobis promittitur in cœlis. De qua dicit Pſalmiſta. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum &c.* Expertum eſt, quod ille qui eſt in profundo putei vel fontis, in meridie videt ſtellas, ſicut probat Alchindus in ſua perſpectiua. Et tamen ille qui ſtat in monte alto eas non videt. Sic qui ſtat in profundo humilitatis, benè conſiderat cœleſtia, qui autem in monte ſuperbiæ, non videt neque conſiderat. Vnde de ipſis ſuperbis dicitur. Daniel 13 *Declinauerunt oculos ſuos, ne viderent cælum.* Non videt etiam ſuperbus, quid ſit infra hominem, ſcilicet infernum & pœnas. Conſuetum eſt, quod qui non benè præuidet de puteo, faciliter cadit in ipſum. Sic ſuperbus qui non præuidet pœnas putei infernalis, faciliter cadit,

Superbia deteſtabilis. — *Pſal. 8.*

dit in eas. Et ideò ipſi dicitur in Pſalmo 90. *Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum*, quæ eſt in inferno, *videbis.* Et non eſt dubium, quin ſi hoc ſæpè viderent homines, à ſuperbia reſilirent, iuxta illud Naum. tertio. *Qui videt te, reſiliet à te.* Superbus etiam non videt, quid ſit circa ipſum, quia alter homo, ſcilicet proximus, quem ipſe inuidendo ſemper nititur conculcare. Superbia enim eſt amor propriæ excellentiæ, Inuidentia verò eſt odium felicitatis alienæ, amando ergo quis excellentiam ſuam, neceſſe eſt, vt paribus inuideat, quod ei coæquantur; inferioribus verò, ne coæquentur, ſuperioribus verò, quia eis non coæquatur. Ex quo infero, quod omnis ſuperbus eſt inuidus, ſed non omnis inuidus ſuperbus. Non videt inſuper ſeipſum. Non eſt aliquod ita glorioſum ſeruitium, ita vtile, ita nobile, in quo homo vellet ſeruire, quod obliuiſceretur ſui, & ſeipſum non noſceret. Et tamen ſic eſt de ſeruitio ſuperborum, quo ſeruiunt diabolo. Omnes enim ſuperbi negligũt cõſiderare perfectè, quales ſint, quia ſi hoc conſiderarent, nequaquam ſuperbirent. Vnde dicit Bernardus ſuper cantica ſermone 3. cap. 7. De ignorantia tui venit in te ſuperbia. Sic enim ſuperbia parit ipſi ignorantiam, cui cum melior quam ſis deceptrix tua cogitatio te eſſe mentitur. Hæc quippe eſt ſuperbia, cum maior es in oculis tuis, quam apud Deum. Hæc ille. Ex quo patet, quod prima radix ſuperbiæ eſt ignorantia ſui. Vnde Auguſtinus lib. 2. contra Manicheũ definit eam; ſuperbia eſt, quando deſerto ſecreto conſcientię, foris vult homo videri, quod non eſt.

Secundò iſta ſeruitus eſt deteſtabilis, quia ſpreto Deo nobiliſſimo Domino in ſe vult eſſe liber homo, qui tamen quicquid habet, ab ipſo habet. Nec vult recognoſcere per ſubiectionem illud ſe habere à Deo, ſed à ſeipſo. Vnde Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera dicit, Superbia eſt, cum ſibi quiſque præſidet, ſeque ſibi admirandum caput facit. Rectè ergo ſuperbia dicitur eſſe appetitus propriæ excellentiæ ſeu peruerſæ celſitudinis. Vnde ſuperbi ſecundum ſcripturas appellantur ſibi placentes. Bonum enim eſt ſurſum habere cor, non tamen ad ſeipſum, quod eſt ſuperbiæ, ſed ad Deum, quod eſt obedientiæ, quæ non niſi humilium poteſt eſſe. Ex quo ergo elatio ſurripit ſubiectionem Deo, & cadit ab illo, quo non eſt quicquam ſuperius, ex hoc fit inferius, & per conſequens meretur Pſal. 72. deiectionem. Sicut ait Pſalmiſta. *Deiecisti eos dum eleuarentur.* Non dicit, cum eleuati fuerint, ſed cum eleuarentur tunc deiecti ſunt, ipſumque extolli, non extolli ſed deijci eſt.

Sed diceres; miror quod dicatur ſuperbum hominem appetere extolli ſupra Deum, cum tamen non eſt aliquis tam fatuus, qui hoc appeteret, quod ſcit impoſſibile. Ex quo enim impoſſibile eſt hominem eſſe Deum, multo magis impoſſibile eſt ipſum fore ſupra Deum. Ad quod reſpondeo. Non mireris frater. Nam iſta iam facta ſunt, & adhuc prædicta fieri, igitur & hodie poſſibilia ſunt. Iam enim fuerunt aliqui, qui omninò negabant Deum, ſicut in Pſalm. dicitur. Pſalm. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Aliqui dicebant ſe Deos. Sicut dicit propheta de reprobo quodam, qui dixit in corde ſuo; *Deus ego ſum.* Item Lucifer voluit eſſe ſimilis altiſſimo. Item Adam & Eua voluerunt eſſe ſicut dij. Item de Antichriſto dicit Apoſtolus, quod extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce habes hic, quod homo appetit eſſe ſupra Deum; quare miraris, quia dixi quod ſuperbus appetit eſſe ſupra Deum? Hoc enim non aliter fit niſi quando homo vult aduerſus Dei voluntatem viuere. Quid enim aliud eſt eſſe ſuperbum, niſi aduerſus eius voluntatem viuere, à quo ipſum viuere accepiſti, & ipſius præcepta deſerere, qui ideò aliquid imperat, vt cauſam habeat remunerandi?

Tertiò deteſtabilis eſt iſta ſeruitus, eò quod ſubdit hominem infeliciſſimo Domino, quia diabolo, qui propter eius peccati deformitatem & fraudis venenoſitatem dicitur ſerpens antiquus. Non eſt ita fatuus, qui de magna mercede

vellet

vellet ſe ſubijcere ſerpenti ad ſeruiendum, cum ſemper eſſet in periculo & in continuo metu, ne ab eo veneraretur. Pſalm. *Venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Videamus iam de ſollicitudine peſſima huius vitij, quoniam difficilibus laboribus acquiritur. Nunc enim per ſudores, nunc per fatigationes, nunc per vulnera, per patrimonij effuſionem, per amicorum confuſionem aliqui in altum aſcendunt. Multi ſtudent & ſollicitantur pluribus annis, vt adipiſcantur honores, & tamen poſtquam fuerint eos adepti, alijs otioſis, qui de eis nihil cogitauerunt, dimittunt. Ex quo concludit idem Eccleſiaſtes, hoc eſſe vanitatem & magnum malum. Et vere malum. Nam montes, quo altiores, aut arbores, eo magis ventis pulſantur. Formica quamdiu eſt in cauerna & foramine ſuo, tuta eſt, ſed poſtquam in altum volat, ab accipitre rapitur. Hoc ſenſit ille rex Antiochus 1. Mach. 6. cum dixit; *Receſſit ſomnus ab oculis meis, & corrui præ ſollicitudine, & dixi in corde meo; in quos fluctus turbationum deueni.*

Sollicitudo ſuperborum vana.

Eccl. 2.

III.

Quidam ſeruiunt corpori proprio, vt guloſi & laſciui, quorum ſollicitudo eſt in experiendo dulcia & ſuauia. De quibus dicit Apoſtolus, quod *non ſeruiunt Deo, ſed ſuo ventri.* Et ad Philip. 3 dicitur. *Quorum Deus venter eſt.* Hæc eſt viliſſima ſeruitus habere corpus pro Deo. Cum dicit Seneca. Maior ſum, & ad maiora natus ſum, quam vt fiam mancipium corporis mei. Si ergo paganus noluit habere corpus ſuum pro Domino, valdè deteſtabile eſt, quod Chriſtianus ipſum colat pro Deo. Quod fit cum ei diligentiſſimam curam adhibet, nunc cibando, nunc potando, nunc diſſoluendo ad ludos, ad iocos, ad laſciuiam, ad omnia quæ appetit obediendo, & eius voluntatem implendo per omnia, ſicut ſeruus Domini ſui. Quam autem deteſtabile ſit iſtud vitium, patet ex tribus. *Primò*, quia multa alia vitia ſecum trahit. Eremitæ cuidam optio fuit data ad eligendum inter tria, ſcilicet inter adulterium, homicidium, & ebrietatem; qui credens ebrietatem minorem elegit inebriari. Quo facto occidit hoſpitem & adulteratus eſt cum vxore eius. Propter quod dicit Auguſtinus libro 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas. Gula in quo fuerit, ſola eſſe non poterit. Et libro 4. ad ſacras virgines dicit. Ebrietas omnium flagitiorum mater eſt, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium ſanctitatis. *Secundò* deteſtabilis eſt ſeruitus, quia nunquam poteſt ei ſatis fieri. Dicit enim Ambroſius ſermone de ieiunio. Male Domine ſeruitur gulæ, quæ ſemper expetit & nunquam expletur. *Tertiò* deteſtabilis eſt in hoc, quia quãto plus ei ſeruitur & diligentius reficitur, tãtò plus ſuum ſeruitorem pœnis remunerat. Nam ex magna edacitate ciborum corpus morbis, podogra, chiragra, paralyſi, & alijs morborum generibus inficitur, & vltimo ad mortem deducitur. De ſollicitudine verò iſtorum non eſt neceſſe dicere, cum Saluator eorum ſollicitudinem exprimat in euangelio dicens; *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, quid comedemus, aut quid bibemus?* Quaſi dicat. Ex quo vitam à me habetis, ſperare debetis, quod qui dedi vitam, dabo & eſcam. Sed poſt hæc omnia reſtat videre de ſeruitute Dei, cui ſeruire eſt laudabile. Nihil enim Deus vult ſibi ex noſtra ſeruitute proficere, ſed tantum nobis. Quia iuxta Pſalmiſtam. *Ipſe bonorum noſtrorum non indiget.* Legitur de Alexandro, quod omnia, quæ ſibi ex præda veniebant, ſuis militibus dabat. Quo facto ſic allexerat ad ſe ſeruos, vt omnes pro eo mori beatum crederent. Multo autem maiora dona dat Chriſtus, quia bona naturæ, fortunæ, gratiæ, & gloriæ. Quibus finaliter dicet illud Matthæi 25. *Euge ſerue bone & fidelis.* Et ſequitur: *Intra in gaudium Domini tui.* Debet autem eſſe ſeruitus multum ſollicita, vt homo ſollicitè prouideat, qualiter in omnibus ſe Deo promptum exhibeat, & ne eius offenſam incurrat. 2. Timoth. 2. *Sollicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem.* Et Mich. 6. *Indicabo*

Rom. 16.

Seruire corpori valdè vile eſt.

Seruire corpori deteſtabile.

cabo tibi, ô homo, quid ſit bonum: & quid Deus requirat à te. Vtiq; facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Debet etiam eſſe ſollicitus, ne quoquã à Deo recedat. Vnde Deut. 4. dicitur. *Cuſtodite ſollicitè animas veſtras.* Debet inſuper eſſe ſollicitus reſpectu proximi, vt eum ad honorem Dei viuere inſtruat, & interdum de malo corrigat, iuxta illud Roman. 12. *Qui praeſt in ſollicitudine,* ſcilicet præſideat. Vt autem melius ſciamus, quanta ſollicitudine ſeruiendum eſt Deo, ſciendum breuiter, quod tunc ſollicite Deo ſeruiemus, ſi iſtas ſeptem conditiones habuerimus. *Primò* debemus ſeruire reuerenter cum timore reuerentiæ, iuxta illud pſalmi; *Seruite Domino in timore.* Tunc enim gratum eſt ſeruitium, quando cum timore exhibetur. *Secundò* fideliter. Matt. 25. *Euge ſerue bone & fidelis. Tertiò* ſingulariter. *Præparate corda veſtra Domino, & ſeruite ſoli. Quartò* integraliter. Ioſuæ 24. *Seruite ei perfecto corde atq; veriſſimo. Quintò* vnanimiter. Sophon. 3. *Seruient ei vno animo. Sextò* alacriter. Pſal. 99. *Seruite Domino in lætitia. Septimo* ſinceriter & pure. Luc. 1. *Seruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo.* In primo deficiunt ſuperbi, quia non ſeruiunt reuerenter; vt patet in lucifero, & ideò eiectus eſt de cœlo; quod ſi illis nõ pepercit, quomodo peccatoribus parcet? In ſecundo deficiunt auari, qui non ſeruiunt fideliter; vt patet in diuite, & in venditoribus, & in emptoribus, quos eiecit de templo. In tertio guloſi, qui non ſeruiunt ſingulariter, quia ſeruiunt etiam ſuo ventri. In quarto iracundi, qui non ſeruiunt veraciter & vnanimiter, quia ira impedit animum. In quinto acedioſi, qui non integraliter, quia voluntate, non facto. In ſexto inuidi, quia non alacriter, eo quod dolent de bono aliorum. In ſeptimo luxurioſi, quia nõ ſinceriter, vt patet in filio prodigo. Nos igitur fratres ſeruiamus Domino Deo noſtro ita ſollicite & reuerẽter, quatenus pro tali ſeruitio mereamur percipere coronam æternam; ad quam nos perducat, qui ſine fine viuit, &c.

Ad ſollicite Deo ſeruiendũ requiruntur 7. condit.

DOMINICA DECIMA QVINTA POST TRINITATEM.

SERMO II.

Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Matth. 6.

INquietum eſt cor hominis, donec requieſcat in Deo, inquit Auguſtinus. Nec mirum, quia anima non ad aliud, quam ad Deum appetendum & habendum, facta eſt. Quicquid ergo minus eſt Deo, ei non ſufficit. Ideoque huc & illuc agitatur, & ab vnaquaque re faſtidio repellente remouetur. Hinc totum deſiderium humanum, circa temporalia occupatum, perfectè ſatiari non poteſt, ſi Deum non inquirit, quo habito habentur omnia. Deus enim vt dicit Auguſtinus, tibi totum eſt; Si eſuris, panis eſt; ſi ſitis, aqua tibi eſt; ſi in tenebris es, lumen tibi eſt; ſi nudus es, immortalis tibi veſtis eſt. Et ita de multis alijs humanis indigentijs, quæ enumerat Auguſtinus concludens finaliter, quod omnia illa ſine Deo nulla ſunt, & quod ille, qui Deum habet, omnia iſta habet. Sine enim Deo omnia dulcia amara ſunt, & ſine eo omnis copia inopia eſt, vt dicit idem Auguſtinus ſuper Pſalm. 26. Quicquid mihi præter Deum eſt, dulce non eſt; quicquid mihi vult dare Dominus Deus

meus,

meus, aufferat totum, & ſe mihi det. Hæc ille. Qui ergo Deum inquirendo diligit, omnia ſecum habet. Nam ſicut dicit Chryſ. ſuper illud pſalm. 33. *Inquirentes autem Dominum non deficient*, cum diligimus Deum, omnia in ipſo reperimus, vnus eſt, qui quęritur, ſed ipſe eſt, in quo omnia continentur. Hinc idem exclamando dicit; O lucrū mirabile! ô compendium ſingulare! cur nos per diuerſa fatigamus? ad ipſum vnanimiter feſtinemus, poſt quem cuncta bona vltra non quærimus, ſed tenebimus Hæc ille. Meritò ergo Saluator noſter nobis perſuadet primum quærere regnum Dei & iuſtitiam eius, quia omnia bona tēporalia nobis adijcientur, ſi ipſum ſolum habuerimus. Tria hic ponuntur; *Primo* Saluator hortatur nos ad ſtrenuitatem operis & laboris, cum dicit; *Quærite primum*. *Secundo*, proponit immenſitatem mercedis, cum dicit, *regnum Dei*. *Tertio*, ſubiungit copioſitatem ſubſidij, cum dicit; *Et hæc omnia adijcientur vobis*.

Propoſit.

I.

Quærite primum: Ac ſi dicat, prius quærite æterna, quam tranſitoria; Et quia iſta nō poſſunt haberi ſine labore ſtrenuo, ergo quærite. Si panis corporalis non poteſt manducari ſine ſudore vultus, quanto magis conſolatio cœleſtis non poteſt haberi ſine ſtrenuitate laboris? ideo quærite. Non datur denarius diurnus, qui vtique eſt vita æterna, niſi pro labore diei & æſtus. Matth. 20. Ideò quærite, non quocunque ordine, ſed ante omnia. Ideò additur, *Quærite primum*; id eſt, prius, alias eſt præpoſterus ordo, ſi prius carnalia quam ſpiritualia, prius tēporalia quā ęterna quęſieritis. Nā quamdiu ſic quęretis, non inuenietis. *Quæretis me & non inuenietis*. Si autem quæritur toto corde, inuenietur. Ierem. 29. *Quæretis me, & inuenietis*. Tria autem ſunt attendenda circa hoc; vt quis quærens Deum & regnum cœleſte, inueniat; ſcilicet temporis oportunitas, quærendæ rei præcioſitas, & modi quærendi qualitas. Et hæc tria incitant hominem ad quærendū. De primo dicitur Iſaiæ 55. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt*. Ecce oſtendit tempus congruum, vnde dicit, *Dum inueniri poteſt*; *Inuocate eum, dum prope eſt*. Quamdiu ſumus in hac vita, habemus tempus congruum quærendi Dominum. 2. Cor. 6. *Nunc enim eſt tempus acceptabile, nunc dies ſalutis*. Propter quod ait Dominus per prophetam, Iſa. 49. *Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui*. Notanter dicit Apoſtolus & propheta de die, non autem nocte, vt innuat tempus præſens, quod eſt tempus gratiæ, eſſe congruum ad quærendam ſalutem tam reſpectu præteriti quam reſpectu futuri temporis. In veteri teſtamento erat nox, ſicut Apoſtolus approbat Roman. 13. dicens; *Nox præceſſit*, id eſt, vetus lex, *dies autem appropinquauit*, ſcilicet gratiæ, in qua ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & calefacit, quia ipſo veniente charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, tanquam ignis ardens & non conſumens. Sicut de eo Saluator ait; *Ignem veni mittere in terram, & quia volo niſi vt ardeat*? ſupple tantum, & non conſumat. Non enim conſumit corda, ſed perficit in dilectione in patria. Sicut alibi propheta dicit; *Ignis eſt in Sion & caminus in Ieruſalem*. Dies etiam dicitur præſens tempus gratiæ reſpectu futuri tēporis, quod erit tempus iudicij finalis, quando obtenebrabitur ſol miſericordiæ, & luna non dabit lumen ſuum, *quando impij in tenebris conticeſcent*. 1. Regum 1. *quando impij mittentur in tenebras exteriores*. Matth. 22. De quo tempore Saluator dicit; *Veniet nox in qua nemo operari poteſt*. Propter quod ſuadens dicit; *Dum lucem habetis credite in lucem, vt vos tenebræ non comprehendant*. Ac ſi diceret ſecundum Apoſtolū; *Dum tempus habetis, operamini bonum*. Nunc ergo eſt tempus congruum, quia ad inſtar diei lucidum quantum ad intelligētiam cœleſtium, eo quod multa nobis lucent, & præſertim ſol Chriſtus, quæ continuè lucet nobis per doctrinam prædicationis. Sicut ipſe de ſe ait: *Quamdiu ſum in mundo*,

Gen. 3. *Ioan. 7.* *Dū quæritur Deus & regnū cœleſte, tria attēdenda.* *1 Temp. opportunum, & hoc nunc eſt.* *Ioan. 1.* *Ioan 9.* *Ibid. 12.* *Ibid. 9.*

mundo,lux ſum mundi. Hoc eſt dicere, vſq;
Matt. 28. ad conſummationem ſæculi *Ecce ego vobiſ-
cum ſum vſque ad conſumationem ſæculi.* Eſt
etiam congruum, quia ad inſtar æſtatis
calidum. Nam ignis noſter Deus eſt,& ideò
tempus quærendi Dominum antequam
abundet iniquitas & refrigeſcat charitas
Ibid.24. multorum. Ait igitur quærite Dominum,
ſicut florem in æſtate, qui in hieme inue-
niri nō poteſt. Cant. 2. *Ego flos campi.* Flores
enim donorum & gratiarum & virtutum
nunc apparuerunt in terra noſtra. Nam
hiems tranſijt frigiditatis cordis. Quærite
ſicut ſolem in die non in nocte, quando in-
ueniri non poteſt. In nocte enim quæſiuit
dilecta, quæ de ſe ait Cant. 3. *In lectulo meo
quæſiui per noctem, quem diligit anima mea.*
Sed quid ei accidit? *Quæſiui & non inueni
illum, vocaui & non reſpondit mihi.* In nocte
quærunt eum omnes, qui adhuc manent
in deſiderijs peccati. Sed à taliter quæren-
bus non inuenitur, quia per noctem, nō per
diem quæritur. Quod verbum tractans
Bern. ſerm. 75. ſuper Cant. dicit; Nunc tē-
pus acceptabile, nunc dies ſalutis ſunt, tē-
pus plane quærendi & inueniendi, quando
plerumque & antequam inuocetur, adeſſe
ſentitur. Sicut ipſe ait; Antequam me inuo-
caueritis, ego dicam, ecce aſſum. Hoc cō-
fitetur Pſalmiſt cum dicit *Deſiderium pau-
perum exaudiuit Dominus, præparationem
cordis eorum audiuit auris tua.* Hæc ille. Ec-
ce vides, quod ſolum deſiderium & ſolam
præparationem, etiam antequam ore in-
uocetur, exaudit Deus. Verè igitur dies ſunt
modo ſalutis, quando quilibet, qui petit
accipit, qui quærit inuenit, qui pulſat ape-
Luc.16. ritur ei. Non erit tale tempus poſt hāc vi-
tam, vbi diues petit aquæ guttam iam ferè
mille quadringentis triginta octo annis ab
Abraham quamquam pijſſimo, nec tamen
exauditur, ſed audit ſibi dici; *Recepiſti bona
in vita tua.* q. diceret; vita iſta, in qua modo
es, ſcilicet tormentorum, non eſt vita, reci-
piendi ſeu merendi bona, ſed patiendi ma-
la. Tu autem in vita tua, tibi videlicet ad
merendum conceſſa, recepiſti bona natu-
ræ & fortunæ, & habuiſti in tua voluntate
recipere bona gratiæ, & ſic mereri bona
gloriæ. Sic & illæ virgines fatuæ mendicā-
tes à ſapientibus oleum, audiunt ſibi dici;
Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite
potius ad vendentes, & emite vobis. Ipſæ Matt. 25.
eædem pulſantes ad oſtium ſponſi iam cū
prudentibus conuiuantis clamanteſque, vt
aperiatur dici ſibi audiunt, iuſtum quidem
ſed terribile verbum à ſponſo; Neſcio, in-
quit, vos. Sed cur non exaudiuntur a cōſo-
dalibus, & à ſponſo non cognoſcuntur, ni-
ſi quia, vt ait Euangelium, media nocte ve-
nerant? Propter quod dicit Bernard. Quā *Vbi ſupra.*
tibi ſomnias prouenturam facultatem ve-
niam promerendi, cum iam tempus tran-
ſijt miſerendi. Et poſt pauca; Ergo nunc tē-
pus acceptabile, & aptum ad quærendum,
in quo plane qui quærit inuenit. Si ta-
men vbi & vti oportet quæritur. Hæc e-
nim vna eſt cauſa, quæ impedire poteſt, ne
inueniatur ſponſus à quærentibus, cum
non quærunt in tempore oportuno. Hæc
ille.

De ſecundo ſcilicet quærendæ rei præ- *2. Rei quærēda præ-*
cioſitate, quam debet attendere quærens, *tioſitas &*
dicit Saluator Matth. 13. *Simile eſt regnum* *illa mag-*
cœlorum negotiatori quærenti bonas margari- *na eſt.*
*tas, & theſauro abſcondito in agro, quem qui
inuenit homo abſcondit, & præ gaudio illius
vadit & vendit vniuerſa, quæ habet & emit
agrum illum.* Et quæ eſt ſpecioſior marga-
rita quam regnum cœlorum? cuius homo
neſcit præcium, quia *non ſunt condignæ paſ-
ſiones huius temporis ad futuram gloriam.*
Rom. 8. Quis præcioſior theſaurus regno
cœlorum. *in quo ſunt omnes theſauri ſapien-* Coll. 2.
tiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Omnibus ergo
poſtpoſitis quærenda eſt margarita iſta &
iſte theſaurus, *vt vbi eſt theſaurus tuus, ibi* Matth 6.
ſit & cor tuum. Taliter quæſiuit eum Apo-
poſtolus cum alijs, qui dicit; *Noſtra con-* Philip. 3.
uerſatio in cœlis eſt, quaſi dicat, vbi theſau-
rus noſter, ibi & cor, quia. Vbi amor, ibi o-
culus. Sed quid eſt dandum pro theſauro
tam præcioſo & pro margarita tam electa?
Certè omnia, quæ habet homo negotiator
fidelis Domini ſui, cui dictum eſt; *Negotia-
mini dum venio.* Omnia ergo dabit, quia o-
mnia pro Chriſto deſpiciet, vt Chriſtum
lucrifaciat. *Si enim dederit homo omnem
ſubſtantiā domus ſuæ pro dilectione,* ſcilicet
Dei, *quaſi nihil deſpiciet eam.* Omnia etiam Cant. 8.
dabit quæ habet, qui ex toto corde, ex to-
ta anima, & ex omnibus viribus ipſum ſolū
diligit.

Luc. 10. Matt. 22. diligit. Hoc eſt enim in toto corde quærere Deum, iuxta illud pſal. *In toto corde meo exquiſiuite*. Quid ergo, ſi plures regnum cœlorum non inueniunt, qui non dico omnem ſubſtātiam, ſed nec aliquid de ſubſtantia ſua pro eo largiunt? ſicut auari, qui toto corde terrenis inhiant, omnem ſollicitudinem ad ea conuertunt, de cibo, potu, veſte, & alijs ſolliciti, de ſalute verò nunquam intenti. Quod ſi fortè quandoque de ſalute curam gerunt, illam tamen taliter qualiter faciunt, ita vt de eis verum ſit illud Saluatoris; *Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Hi ſunt qui licet ſpiritu incipiant, carne tamen cōſummant, proinde non in toto corde quærunt. Tales ſunt, qui in miſſa ſunt deuoti, ſed veſpere ebrij, & cum dant denarium pauperi, lucrantur in vſuris, aut falſis mēſuris, ponderibus, & alijs iniuſtis centum modis; qui ieiunant vigilias in aqua & pane, ſed in feſto vorant & inebriantur ad vomitum. Hos Dominus deridens ait. *Quæretis me & non inuenietis.* Sed cum quæſieritis me in toto corde veſtro, inueniar à vobis. Non eſt ergo diuiſo ſed integro corde quærendus.

Ioan. 7. Ierem. 29.

3. Deus quærēdus in ſimplicitate cordis. De tertio ſcilicet de modo quærendi, dicit Sap. 1. *In ſimplicitate cordis quærite illum.* Sic docuit Saluator Apoſtolos quærere dicens; *Eſtote ſimplices ſicut columbæ*, quæ ſcilicet ſunt ſine felle doloſitatis & inuidiæ. Eſt autem ſimplicitas cordis bona, quæ eſt ſine duplicitate fictionis; hoc eſt, quan do noſtra intentio & oculus noſter ſolum intendit in Deum & non in fauorem humanum, aut aliquod lucrum temporale. De quo dicitur *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quod tractans Auguſt. dicit; Oculus eſt intentio, quæ dicitur ſimplex, quando in Deum dirigitur. Quod fit cùm tota congeries operum luce iuſtitiæ coram Deo reſplendet.

Matt. 10. Ibid. 6.

I I.

Pro regno cœlorum ſtrenue agendum. *Regnum Dei.* Ac ſi diceret; Meritò tam ſtrenue agere debetis, quia non paruum dominium, non villam, non oppidum, non caſtrum, non terram mortalium, non regnum temporale, ſed regnum Dei, affluentiſſimum delitijs, opulentiſſimum diuitijs, excellentiſſimum honoribus acquiretis; ideò attendite immenſitatem præmij, & non pigebit vos ſubire opus meriti, quia iuxta Gregor. Conſideratio præmij minuet vobis vim flagelli. Si enim ſæculares & vani tantum deſudant pro regno temporali, quod vtique eſt regnum mœroris, cum ſit in valle lacrymarum & totius miſeriæ, regnum timoris & inſecuritatis, & ſemper turbabile, regnum vtique in omnibus defectibile, pro quo tamen animas impendunt & corpora, quanto magis laborandum eſſet pro acquirendo regno affluentiſſimo? quod eſt regnū omnium ſæculorū, in quo ſunt gloria & diuitiæ, in quo ſi nō liceret manere amplius quàm vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni diuitijs & delicijs rectè meritoque contemni deberent; vt dicit Auguſt. de moribus Eccleſiæ; & pro quo nō eſſet indignum pati quod modo triſte eſt, & quotidie omnia tormenta perferre, etiam & ipſam gehennam paruo tempore tollerare, vt ait Chryſoſt. Ideòque de regno cœlorum, quod iuſti poſſidebunt, dicitur quale illud erit. Sap. 5. *Accipient regnum decoris & diadema ſpeciei de manu Domini, quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos.* Ecce quale regnum, in quo iuſti dominabuntur in honore, coronabuntur cum decore, conſeruabuntur ſub bono tutore, & defenſabuntur ab omni timore, ideo merito Chriſtus docuit tale regnum petere & quærere. *Pater noſter &c. Adueniat regnum tuum.* Vbi ſciendum quod triplex eſt regnum; ſcilicet regnum timoris, regnum horroris, & regnum decoris. Prima duo docuit Chriſtus fugere, quia & ipſe regnum terrenum fugit, Et diſcipulos fugere docuit: *Reges gentium dominantur eorum* Et ſubdit; *Non ita erit inter vos.* Nec tamē per hoc credat quis terrenū regnum damnabile aut vituperabile in ſe, cum ſit neceſſarium ad ordinationem Eccleſiæ, eo quod ſæpè per regnum terrenum cęleſte proficit. Non ergo deteſtandū eſt vt damnabile, ſed fugiendum perfectis, vt vacēt inquiſitioni regni cęleſtis, tanquā perfectiſſimo & incomparabiliter meliori. Tantum ergo regnum decoris eſt appetibile propter ſe tanquam bonū vltimū. De primo

De reparat. lapſi. Regnum triplex. Ioan. 6. Luc. 22. & Matt. 20.

2. primo regno ſcilicet timoris, dicitur; Luc. 21. *Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, & erunt fames & peſtilentiæ & terræmotus per loca, &c.* Ecce timor. Iſtud oſtendit Dionyſius tyrannus, de quo dicit Boetius 3. de conſol. proſ. 5. Et Macrobius, quod cum eum quidam beatum & fœlicem ac per omnia ſecurum in regno ſuo æſtimaret & diceret; Ille facto conuiuio locauit eum ad menſam, & ſuſpendit gladium ſuper caput eius tenuiſſimo crine, qui mortem ſubitaneam minabatur. Et cum ab ipſo quæreret, cur non comederet. Reſpondit quod non poſſet nec auderet guſtare timore mortis ſibi imminentis. Cui Dionyſius; Talis eſt, inquit, beatitudo mea, quam tu æſtimas fœlicem. Quomodo enim fœlix eſt, qui timere non deſinit? Et propter hanc ſolicitudinem & timorem continuum quidam gentiles fugiebant regiam dignitatem. Ouidius narrat de quodam Thippo Romano triumphatore, qui carius exulauit perpetuò, quam factus fuiſſet rex, dicens; *Exul agam quam me videant capitolia regem.* Recitat etiam Valerius Maximus de quodam rege electo, qui aſpiciens coronam dixit; O pannum nobilem magis quam fœlicem! Quem ſi quis penitus cognoſcat, quantis ſollicitudinibus, periculis & miſerijs ſit refertus, nec huiuſmodi iacentem in luto tollere vellet.

Macrob. l. 1. de ſom. Scipionis.

Ouid. 5. Metamor.

2. Secundū regnum eſt regnum doloris & amaritudinis ſempiternæ. De rege huius regni Iob ita dicit; *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Et idem. *In terra tenebroſa & operta mortis caligine, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Cui horrori nihil poteſt comparari.

Iob. 41.
Idem. 10.

3. De tertio regno decoris dic. Iſa. 33. *Regem in decore ſuo videbunt*, ſcilicet ſancti. Et Sapient. 5 *Accipient regnum decoris & diadema ſpeciei.* Maximus honor ſedere perpetuo in corona regali de auro & lapidibus præcioſis. Et benè dicit, *diadema recipient.* Diadema dicitur à dia quod eſt duo, & demo, id eſt, remoueo ſeu auffero, quia tunc duo à nobis remouebuntur, ſcilicet culpa & pœna; Vnde vbi noſtra translatio dicit. Super ipſum refloreBit ſanctificatio mea, alia littera habet, diadema meum, iuxta illud Iſa. 62. *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Iſtud regnum magnæ ſecuritatis eſt, quia Deus dextera ſua proteget eos. Pſalm. 138. *Illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Hoc eſt dicere, quod in ſua omnipotentia conſeruabit eos. Manus enim Dei potentia Dei eſt. Tunc ſancti erunt ſub omnipotentia Dei vt etiam ſint omnipotentes voluntatis ſuę, ſicut Deus eſt omnipotens. Nam ſicut Deus poterit quicquid vult propter ſeipſum, ita poterint illi, quod voluerint per illum. Iſtud regnum eſt inquirendum, ſed per quid peruenitur ad iſtud regnum? Certè non per aliud niſi per iuſtitiam. Ideò additur; *Et iuſtitiam eius.* Iuſtitia hic non eſt aliud, niſi vita, quæ conſiſtit in operibus virtuoſis. De qua Matth. 5 *Beati qui eſuriūt & ſitiunt iuſtitiam.* Et hæc iuſtitia debet eſſe perfecta, ſcilicet perſeuerans & continuata vſque ad mortem, ſi debet dici iuſtitia regni cœlorum, ideò additur hic, *iuſtitiam eius.* Hæc enim iuſtitia ſola coronat in regno cœlorum, quæ fuerit perſeuerans in finem *Qui autem perſeuerauerit in finem hic ſaluus erit.* Apoc. 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Non dicit. Qui incœperit, ſed qui perſeuerauerit. Quia ſecundum Bern. præmium incipienti promittitur, amanti redditur, ſed perſeueranti datur. Qui ergo talem iuſtitiam ſequitur, inueniet vitam & gloriam. *Iuſtitia cuſtodit innocentis viam.* Magis autem propriè humilitas dicitur vera & perfecta iuſtitia regni cœlorum, ſicut ait Saluator Iohanni Matt. 3. *Sic nos oportet implere omnem iuſtitiam.* Gloſſa, id eſt, humilitatem. Vnde ſuper illud Sap. 1. *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram*, dicit Holcoth, quod hic docet iuſtitiam hominem qui eſt terra, tū quia de terra creatus eſt. *Omnes homines de ſolo & ex terra ſunt*, & quia habitant terram, & quia exeunt de terra, & in terram reuertuntur, per quod reprimitur eorum ſuperbia; certè beati, qui faciunt talem iuſtitiam & iudicium in omni tempore. vt dicit Pſalm. Cognoſcentes ſe, ſcilicet humiles, infirmos, debiles, & defectuoſos coram Deo. Nam per talem viam ipſi quęrunt regnum cœlorum.

Via ad cœlum iuſta vita.

Matt. 10.

Prou. 13.

Eccleſ. 33.

III.

III.

Neceſſaria ad vitam iuſte deeſſe non poſſunt.

Hæc omnia adijcientur vobis. Ac ſi diceret; Ex quo omnia creata ſunt propter regnum cœlorum conſequendum tanquam propter finem; Igitur quærite primum finem, & omnia inſtrumenta & neceſſaria ad eum adijcientur vobis tanquam minora. Sicut enim præcipiēs tibi facere domū, neceſſe eſt tibi prouidere de inſtrumentis & impenſis & ſumptibus, ſine quibus non poſſes perficere domum; Vel qui dirigeret te Romam, neceſſario debet cogitare de ſumptibus, quibus illuc peruenias; ſic Deus, ex quo nos creauit propter regnum cœlorum, neceſſario nobis debet cogitare de neceſſarijs vitæ, ſine quibus ſubſiſtere non poſſumus. Ideò dicit *Omnia adijcientur vobis.* Ac ſi diceret; Laborate pro regno cœlorum, & ego de neceſſarijs prouidebo ſicut pius Paterfamilias, ſicut bonus Dominus, qui portat panem ad meſſem meſſoribus ſuis. De quo Pſalmiſta *Inquirentes autem Dominum, nō minuentur omni bono.* Et premittitur; *Diuites eguerunt & eſurierunt,* id eſt, auari. Semper enim auarus eget, ideò, *quia ſecum nihil affert cū dormierit, Aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet. Apprehendet eum quaſi aqua inopia.* Item eguerunt bonis ſpiritualibus. *Diuites dimiſit inanes* Alia litera habet, leones eguerunt, id eſt, Principes & Prælati raptores. *Leo rugiens & vrſus eſuriens Princeps impius ſuper populum pauperem. Diuites eius repleti ſunt iniquitate.* Eguerunt ſpiritualibus, & eſurierunt temporalia. *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Notanter dicit, *Inquirentes,* id eſt, intus quærentes, ſcilicet in ſecreto conſcientiæ; *Non minuentur omni bono,* id eſt, nō habebunt minus quam omne bonum, ſcilicet quam Deum, *Qui eſt omnia in omnibus. Qui confidit in Domino, non minoratus erit.* Ergò econtrario illi, qui quærunt eū tantum extra, id eſt, qui videtur eum quærere per exteriora opera quæ faciunt, & tamen interius quærunt quod cupiunt, non ipſum, ſed vanam gloriam & emolumentum temporale quærunt. Iſti minuentur omni bono, quia illud omne bonum quod eſt Deus, non quærunt, ſed minus bonum, quod eſt temporale, quod eſt minimum,

Pſal. 33. *Iob. 27.* *Luc. 1.* *Prou. 28.* *Mich. 6.* *Pſal. 33.* *1. Cor. 15.* *Eccl. 32.*

vel quod eſt nullum bonum, & ſic hoc recipiunt, illud autem non habebunt. Vnde dicitur; *Attendite nè iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis.* Propter quod ſtatim Pſalmiſta quærit ibidem. *Quis eſt homo, qui vult vitam?* ſcilicet præſentem quæ potius mors eſt. Vnde canimus; Media vita in morte ſumus, quaſi dicat, pauci ſunt qui rectè velint. Volunt quidē habere ſed non laborare, volunt conſequi ſed non ſequi. *Vult & non vult piger.* Quicquid igitur præter Deum homo quærit, quærit principaliter illud quod eſt minimum aut nullum. Temporalia enim ſunt minima reſpectu ęternorum, cum finiti ad infinitum nulla ſit proportio. Hinc eſt quod Propheta vnam ſolam vitam beatam requirens ait; *Vnam petij à Domino &c.* non determinat quam vnam rem petat; Et hoc facit ad innuendum, quod illud eſt omne bonum. Oſtendens autem quod ſit illud bonum, ſubdit; *Vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ;* Ecce regum cœlorum in æterna beatitudine. Et ſequitur: *Vt videam voluntatem Domini.* id eſt, videns faciem eius in ea legam voluntatem Domini. Hieronymus exponit, vt videam pulchritudinem eius, *Et viſitem templum eius.* id eſt, Eccleſiam triumphātem. Et poſt ſubdit; *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea,* id eſt, voluntas interior & exterior operatio. Et notanter dicit; *Exquiſiuit,* id eſt, extra omnia alia quęſiuit, *Faciem tuam Domine requiram,* ſcilicet perſeueranter, ardenter, & ſapienter requiram te, donec te videam facie ad faciem. Ex quibus omnibus infero, quod quærens alia principaliter à Deo præter regnum cœlorum decipitur in iudicio rationis; quia vt ſic talis malè iudicat & diſcernit, ſicut puer vel ebrius, qui minimum bonum præponit maximo. Sciendum autem, quod circa bonorum appræhenſionem iudicium mundanorū decipitur hoc modo; Cum enim ſint tria bona, ſcilicet naturæ gratiæ & fortunæ. Bona fortunæ ſunt minima; Bona naturę ſunt media; Bona gratiæ ſunt maxima, prout ordinantur in bona gloriæ, & tamen mundani non ſic iudicant, ſed potius è conuerſo. Sicut pa-

Matth. 6. *Pſal. 33.* *Prou. 13.* *Pſal. 26.* *Pſal. 26.* *Ibidem.* *1. Cor. 13.*

Mundanī in iudicādo de bonis decipiuntur.

Luc. 12. tet de diuite; qui dixit animæ ſuæ; *Anima mea habes multa bona repoſitos in annos plurimos, Comede, bibe &c.* Sed ſtatim audiuit; *Stulte hac nocte dæmones repetent animam tuam à te.* Ecce deceptio. Cauſa verò iſtius deceptionis, quare temporalia iudicantur magna, & pro eis plus laboramus quam pro æternis, eſt iſta, quia ſicut baculus in aqua ſtans apparet fractus, cum tamen ſit rectus; & hoc propter duplex medium, per quod videtur, ſ. per aerem & aquam, quod eſt medium groſſius & denſius. Similiter denarius in aqua apparet maior quam ſit, propter medium denſius. Iſto modo bona corporalia, quia ſunt in medio denſiori & groſſiori, & quaſi palpabilia à nobis, bene ſentiuntur & quæruntur, quia maximè mouent delectationem ſenſualē, ideo videntur nobis groſſiora. Cœleſtia verò bona multum diſtant, & ſic non mouent ſenſum, propter quod non quæruntur ab homine. Sed contra ſic deceptos arguit Seneca duabus rationibus: primò ſic; Sen. Epiſt. 13. Si iſta eſſent bona ſimpliciter, puta corporalia, ſicut homini apparent, tunc homo eſſet fœlicior Deo, quia homo iſtis vtitur, & Deus non, qui non epulatur, opes non quærit, & ſic de alijs. Sed impoſſibile eſt Deo abeſſe aliquid boni, ergo iſta bona nō ſunt. Secunda ratio, quia animalia bruta magis iſtis vtuntur quam homines, ergo fœliciora ſunt quam homines, quia bruta auidius vtuntur cibo. Ex quibus concludit Seneca quod fęlicitas hominis viatoris eſt perfecta ratio cōſummata virtutibus, quia hoc eſt ſolum proprium bonum hominis, cætera illi cū animalibus communia ſunt, quia ſi homo eſt fortis, & leo eſt fortis; ſi pulcher, & pauones formoſi ſunt; ſi velox, equi velociores ſunt. Nullus ergo ſapiens & præſertim Chriſtianus pro iſtis caducis & corporalibus bonis principaliter debet laborare, quæ ſunt communia etiam beſtijs; attendens præſertim, quia iſta dantur beſtijs, vt dicit Saluator in euangelio de volatilibus; quæ tamen de hoc nihil cogitant. Multò magis dabuntur homini, qui ad maiora natus eſt. Quærat ergo bona ſempiterna, propter quæ creatus eſt, & omnia temporalia ſ. adijcientur, iuxta illud; Pſal. 36. *Nunquam vidi iuſtum derelictum, neq; ſemen eius quærens panem.* Vbi dicit Innocentius 4. *Nunquam vidi iuſtum derelictū,* à domo finaliter, *nec ſemen eius,* id eſt, imitatores eius, *quærens panem,* id eſt, nimis indigens pane. Quia dicit Auguſt. Paſcet contemnentem ſe, ſ. peccatorem, & deſeret timentem ſe; quaſi dicat. Non. Sed diceres; Tamen multos iuſtos videmus egētes. Heb. 11. Sicut dicit Apoſtolus etiam de multis ſanctis, qui per fidem vicerunt regna. Qui tamen erant egentes in vitæ neceſſarijs, quo ad victum, & ſic erant anguſtiati cura animi. Ad quod dicendum, quod hoc eſt ex occulto iudicio Dei, qui tales aliquando permittit ad tempus egere. Vnde Aug. Scit cœleſtis medicus, quid vobis daturus ſit ad conſolationem, & quid ſubtracturus ſit ad exercitationem. Non enim homo ſine cauſa iumento ſuo cibaria ſubtrahit. Aliter exponit Innocentius hoc verbū, *quia nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem,* id eſt, principaliter intendens corporalibus; quia ſi hoc facit aliquis, nec eſt iuſtus, nec ſemen iuſti. Luc. 12. *Nolite inquirere quid manducetis, aut quid bibatis.* Nos igitur fratres quæramus puro corde Dominum, & certi ſimus, quia omnia ſecum nobis donabuntur temporalia. In ipſo enim ſunt omnia, & ipſe eſt omnibus omnia. Quæramus ergo regnum Dei principaliter, propter quod facti ſumus, & omnia adijcientur nobis. Qui enim dat omnibus bonum vinum, non negabit aquā. Et qui dat tibi regnum, non negabit equo tuo pabulum. Et qui dat omnibus affluenter & non improperat, quomodo non dabit ſpecialiter diligentibus ſe? qui enim largè dat inimicis, quomodo non dabit amicis? certè multò plus. Cum dicat Saluator; Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Ad quam ſaturitatem nos perducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Amen.

DOMI-

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7.

Memoria mortis habenda.

NIhil ſic ad edomandum deſideriorū carnalium appetitū valet, quantum vt vnuſquiſq; hoc, quod nimium diligit, quale ſit mortuum penſet. Jta Gregor. Sciens igitur Eccleſia, quia inſtarent tempora periculoſa, in quibus homines erunt ſeipſos amantes, ſcilicet carnaliter; Jgitur ad refrænandum iſtum illicitum amorem inducit nobis mortis memoriam, recolēs mortem cuiuſdam adoleſcentis, qui morte pręoccupatus fuit in ætate iuuenili. Volens per hoc nos inſtruere, vt non reſoluamur in delitijs, & maximè hoc tempore autumnali, ne morte inſperata & ſubita in ætate, qua non ſperamus, pręoccupemur. Quorundam vitam mors in medio flore præcidit, aliorum interrumpit ipſa principia. Propter quod mors eſt nobis ſępius præcogitanda, & maximè cum tentamur voluptatibus. Vnde Eccleſ. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Et Seneca. Nihil æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam frequēs cogitatio breuis æui, & hoc incerti. Vnde quicquid facias reſpicias ad mortem. Et certè multum eſt neceſſaria præcogitatio mortis noſtræ, quā certè ſcimus futurā. Si n. homo pręuidet ſibi cōtra frigus hyemis tempore æſtatis de bona tunica aut pellicea, quam vtique ignorat an expectabit, multò magis deberet prouidere de bona vita contra mortis amaritudinem, quam certiſſimè ſcit vēturam. Vnde alibi; Nullius rei tam certa eſt meditatio ſicut mortis. Ad certa enim exercemur ſeu præparamur. Fortaſſis in vacuum ad paupertatem præparatus eſt animus, forte permanebūt ſufficientes diuitiæ. Ad contemptum doloris nos armamus, forte nunquam exigetur à nobis huius virtutis experimentum. Non autem de morte; quæ neceſſario erit futura, ad quam ſe homo neceſſario debet diſponere. Quia nihil ſtultius, quam faſtidioſè mori, quod vtique contingit illis, qui non ſunt præparati ad mortem. Econtra verò ſapiens ſecurius moritur quām naſcitur. Ideò iuxta conſilium Eccleſiaſtici. *Memor eſto, quoniam mors non tardabit.* Notanter dicit, *non tardabit*, quia nullo modo declinari poteſt. Quantum autem bonum ſit talis præmeditatio mortis, oſtendit idem Seneca dicens; Effice mortem tibi cogitationem familiarem, id eſt, vſitatam, vt ſi ſors ita tulerit, poſſis & ei obuiam exire. Vnde idem oſtendens quid nos pigros ad bene agendum facit, dicit; Nemo noſtrum cogitat, quia ſibi ex hoc domicilio eſt emigrandum. Maximè autem homo debet timere & ſemper proficere cogitando, ne morte præueniatur in tempore iuuentutis, iuxta illud Eccleſiaſt. *Ne impiè agas, & noli eſſe ſtultus, nè moriaris in tempore non tuo*, id eſt, quando adhuc ſperabas vlterius viuere, nec credebas tempus mortis tuæ eſſe ita ſubitò. Propter quod ad incutiendam nobis memoriam mortis noſtræ proponitur hodiè mors adoleſcentis, qui morte præoccupatus eſt in tempore non ſuo. *Ecce defunctus efferebatur* In quibꝰ verbis proponitur nobis defunctus iſte ad conſiderationē multū ſalutarē. Debet aūt eſſe noſtra conſideratio circa iſtum defunctū tripliciter. Nā *primo* monet nos ad noſtrę mortis diligentem meditationem, cum dicit; *Ecce. Secundò* ad mortis eiuſdem multiplicem diſtinctionem, cum addit, *defunctus. Tertiò* ad piam & viſceralem morientis compaſſionem, quia dicit, *Ecce defunctus efferebatur &c.*

Margin notes: Eccl. 7. — Seneca Epiſt. 25. — Epiſt. 147 — *Eccl. 14.* — *Lib. 3. de naturalibus quæſtionibus.* — *Epiſt. 145.* — *Eccl. 7.* — *Propoſit.*

E

Ecce. Ac ſi dicat; Vide quod iſte, qui nouiter vixit, nunc eſt mortuus; qui floruit, emarcuit. Ideo memẽto iudicij ipſius, nam ſic erit & tuum. Vtilis eſt autem memoria mortis tàm bonis quàm malis, tàm diuitibus quàm pauperibus, tàm iuuenibus quàm ſenibus, tam paganis quàm Chriſtianis, ita vt ſicut non eſt qui ſe ab eius calore abſcondat, ſic etiam non ſit, qui ſe ad eam non prædiſponat. Tria autem bona proueniunt homini ex huiuſmodi meditatione. *Primò*, facit mundum contemnere. *Secundo*, facit carni reſiſtere. *Tertiò*, diabolicis tentationibus non conſentire. De primo dicit Hieronymus; Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Et certè ſic eſt. Nam qui cogitat, quod in morte ſua omnia pulchra, omnia formoſa ſordidabuntur, omnia florida marceſcent, omnia ſuauia & odorifera ſordeſcent, facilè iſta pro nihilo reputabit. Vnde metricè dicitur;

Mortis memoria ad tria conducit.

1. Ad mũdi contemptum.

Hieron. ad Paulinum.

Dic homo vas cinerũm, quid confert flos facierum?
Copia quid rerũ mors vltima meta dierũ?
Flores marceſces, cadẽs in morte nigreſces,
Gaudẽs ſordeſces, formidãs nulla paueſces,
Hac lege lecta tene, lachrymis laxãtur habena,
Nè pateant pœna tibi ianua tempore cœna.

Et alter metriſta dicit;

Forma, genus, mores, ſapientia, vis & honores,
Non retinent hominẽ, cũ redit in cinerẽ;
Ortus cuncta ſuos repetunt & iure requirunt,
Et redit in nihilũ, quod fuit ante nihil.

Ecce quomodo nulla pulchritudo, nullæ vires, nullæ diuitiæ, poſſunt ſubſiſtere ante mortem. Propter quod Hieronymus ad Cyprianum; qui ſe cogitat quotidie moriturum, contemnit præſentia, feſtinat ad affutura. Et Gregor. Non poteſt mors melius vinci quam cum venerit, ſi priusquam veniat, ſemper timeatur. Iſtam memoriam multum habuerunt tàm Catholici quàm pagani, & ideo faciliter omnia contempſerunt. Hieronymus de ſe dicit; ſiue bibo, ſiue comedo, ſemper vox illa ſonat in auribus meis; Surgite mortui venite ad iudicium. Refert quoque idem Hieronymus, Platonis ſententiam fuiſſe, omnium ſapientum vitam meditationem eſſe mortis. Vnde Tullius vitam iſtam comparat hoſpitio non domicilio; eò quod homo debet cogitare ſe continuò hinc exiturum: & omnia, quæ habet, tantum habet in vſum non in dominium, de quibus moriens nihil ſecum affert. Vnde mundus ſimilis eſt cuidã hoſpiti, qui dicebatur Bufrides, qui hoſpites bene tractabat in die, ſed de nocte occidebat & ſpoliabat. Sic & mundus facit ſuis amatoribus, quos vltimo necat, quia mundus tranſit & concupiſcentia eius. *Secundò* cogitatio mortis facit carni reſiſtere. Nam cum homo titillatur & tentatur à carne; debet cogitare quomodo caro reuerſura eſt in vilem cinerem, iuxta illud, quod ei à principio dictũ eſt; *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vnde & reprobi fatebantur hoc dicentes; *Extinctus cinis erit corpus noſtrum. Omnis caro deficiet, & in cinerem reuertetur.* Fertur quod carbones iuniperi illius arboris conſeruant ignem per annũ, ſi fuerint cineribus cooperti; Sic memoria mortis noſtræ conſeruat bene ignem charitatis diuinæ in corde noſtro, & reprimit ignem concupiſcentiæ. Iſte eſt cinis vaccæ, quem Dominus iubet colligere & in loco puriſſimo ponere. De quo Apoſtolus. *Cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.* Ecce notanter dicit *ad emundationem carnis*, id eſt, ad munditiam eius. *Tertiò* memoria mortis non permittit diabolicis tentationibus conſentire, & maximè vanæ gloriæ, quæ propriè eſt tentatio diaboli, eò quod ipſe ſit caput omnium vitiorum & Dominus, tamen à nullo peccato intitulatur ſicut à ſuperbia. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbia.* Cum ergò tentat per ſuperbiam aliquem, ſtatim recurrere debet ad cognitionem fragilitatis ſuæ, quæ cito valde ruet & diſſipabitur in nihilum. Vnde Hugo recensens aliorum damnum, quod prouenit ex huiuſmodi vana gloria dicit; Quid profuit illis inanis gloria? breuis mundi potentia? carnis voluptas? falſæ diuitiæ? magna familia? Et ſequitur; De tanta lætitia ceciderunt in magnam triſtitiam, de voluptat e

2. Carnẽ refrænat.

Gen. 3.
Sap. 3.
Iob 24.

Num. 19.
Hebr. 9.

3. Tentationibus reſiſtit.

Iob 41.

Lib. 1. de anima.

ſupetate in grandem miſeriam; de exaltatione in ruinam & magna tormẽta. Quicquid illis acciderit, tibi poteſt accidere, quia homo es, homo de humo, limus de limo; terra de terra; de terra viuis, & in terram reuerteris, quando veniet dies vltima, & forſitan hodie veniet. Certum eſt quod morieris, ſed incertum quando, quomodo, aut vbi, quoniam mors vbique te expectat. Tu quoque ſi ſapiens fueris, vbiq; eam expectabis. Hæc Hugo. Iſta verba debet homo reuoluere ad repellendam vanam gloriam, recolendo, quia quantumcunque gloriabitur in vanitate, vltimo tranſiet iſta velut vmbra. Ipſe quoque cũ ea tranſiet ſicut vmbra. *Sicut vmbra quæ declinat ablatus ſum.* Narrat Hieronymus quod Xerxes rex Perſarum cum ſemel de ſublimi loco quaſi infinitam hominum multitudinem conſideraſſet ſui exercitus, prorupit in lachrymas. Et cum ab eo cauſa quæreretur, reſpondit, quia poſt centum annos nullus iſtorum, quos nunc cerno, ſuperuicturus erit. Sic quilibet conſiderans alium aut ſeipſum, quoties eum inſpexerit, meritò poterit prouocari ad fletum, quia qui nunc floret, poſt paucos dies deficiet. Vnde quaſi de morte propinqua ſibi imminente cogitare poterit verbum noſtri thematis: *Ecce defunctus efferebatur.* Et tantum de primo.

Sap. 5. Pſal. 108. Epiſt. 55.

I I.

Mors triplex eſt.

Defunctus. Sciendum, quod triplicem mortem legimus in ſcripturis. Quædam enim eſt mors corporalis reſolutionis, & illa eſt naturalis & communis omnium. Alia eſt culpabilis infectionis, & eſt ſpecialis tantum malorum hominum. Tertia eſt ſanctæ conuerſationis, & eſt ſingularis tantum electorum. *De prima morte* dicitur; *Omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur ſuper terram, quæ vltra non reuertetur.* Dicitur autem iſta mors naturalis, non quod ſit homini concreata à Deo, ſed pro meritis primæ præuaricationis illi acceſſit. Vnde iam naturalis facta eſt, quia originaliter à primo homine in omnes homines tranſijt. *Deus mortem non fecit.* Et poſt pauca. *Impij,* id eſt, Adam & Eua, *accerſierunt illam.* Ex quo Apoſtolus concludit; Ex quo *per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors in mundum venit.* Iam mors nobis dicitur quaſi naturalis. Vnde ipſe appellat omnes homines naturaliter filios iræ Dei. Iſta tamen mors licet ſit multum pœnalis, & amara inter omnia terribilia, tamen iuſtis eſt multum deſiderabilis & iocunda. Sicut enim idem cibus eſt infirmo amarus & ſano ſuauis; ſic mors impijs eſt valdè terribilis, ſanctis vero delectabilis. Vnde Eccleſiaſt. *O mors quam amara eſt memoria tua homini iniuſto & pacem habenti in ſubſtantijs ſuis.* Eo enim quod iniuſtus eſt timet ſupplicium, & quia pacem habet in ſuis bonis, ideò cum dolore ea relinquit. Sed de iuſtis ecõuerſo ait. *O mors quam bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus,* ſcilicet merendo præmium. Ex quo patet, quod peccatores & iuſti, licet eadem morte moriuntur, non tamen æqualiter. Nam de iuſtis dicitur; *Sperat iuſtus in morte ſua.* Et quid ſperat. *Timenti Deum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Econuerſo de peccatore dicitur; *Mortuo homine impio nulla erit vltra ſpes.* Et: *Infœlices ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt.* Licet ergo mors omnium hominum non ſit in nobis animæ conſumptio, ſed tantũ ſeparatio à corpore, tamen illa ſeparatio eſt diuerſa, Sancti enim pergunt ad inuiſibilia Dei facta, & ad deſideratam incorruptionem, & laudant diuina munera, & ſpirituali delectatione adimplentur, non iam formidantes de cætero lapſum peccati, ſed ſcientes, quod bona, quæ poſt mortem recipient, firmiter & æternaliter poſſidebũt. Econuerſo autem mali & ſordidi attendentes, quia fidem quam acceperant, concupiſcentijs quibus inhæſerũt ſordidauerunt, & vitam ſanctam dereliquerunt, miſerabiliter & nolentes abſcinduntur ab hoc ſæculo, quia non habent ſpem futuræ conſolationis, quia conſcientiæ ſunt prauæ vitæ præteritæ, nec purgatæ per veram pœnitentiam. Patet itaque quare ſancti deſiderant mortem dicẽtes cum Paulo; *Cupio diſſolui;* Impij autem cupiunt diu viuere. Et ex hoc etiam patet, quare ſanctorum mors dicitur dormitio.

1. *Mors corporis, & eſt omnium.* 2. Reg. 14. Sap. 2. Rom. 5. Epheſ. 2. 4. Ethic. Eccl. 41. Ibidem. Prou. 14. Eccl. 1. Prou. 11. Sap. 13.

Ex his iam infero, quod boni homines, vt communiter, leuius & facilius, dulcius & hilarius moriuntur quam mali, qui vt cõmuniter moriuntur difficuler & grauiter. Nam Electorum animæ in ſuo fine hilareſcunt contemplatione æternorum bonorum. Vnde finem illorum tranquilla vocatio commendat, vt ex eo intelligantur ſanctorum habere conſortium Angelorum ex hoc, & ab hoc corpore ſine vexatione dura tolluntur. Prauos autem homines apoſtatæ Angeli excipiunt morientes, vt eis ipſi ſint tortores in pęnis, qui fuerunt ſuaſores in vitijs. Greg. ſuper illud; *Cũ venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei*, dicit; Confeſtim aperit, qui lætus iudicem ſuſcipit, & cum tempus appropinquat mortis, de gloria retributionis hilareſcit. Iucunditas autem iſta ſanctis prouenit ex appropinquatione præmij, quod ſe ſperant recepturos. Fit etiam ex apparitione aliquorum Sanctorum, quos tunc vident, & interdum de viſione ipſius Saluatoris. Econuerſo verò malis fit magnus timor ex deſperatione præmij, & ex viſione dæmonum, qui eis tunc horribiles apparent & eos terrẽt. Sed diceres; tamen interdum videmus ſanctos homines grauiter mori, & grauiter turbari in hora mortis ipſorum. Ad quod reſpõdeo ſecundum Iſidorum & Gregorium, ꝙ hoc contingit ex duabus cauſis. Primo ex eo, etſi ſunt ſancti, tamen terrentur ex ſeipſis, ne ſicut ad præmium, ita ad ſupplicium protrahantur, maximè cum nemo ſit certus, an odio vel amore dignus ſit. Secundo ex eo quia quandoque ſancti habẽt aliqua leuia peccata, de quibus non plenè ſatisfecerunt. Ne ergo vadant ad purgatorium, purgantur hic dolore & pauore corporalium tribulationum in extremis. Et ſic patet ſolutio iſtius dubij.

Luc. 12.

2. Mors ſpiritualis per culpã eſt malorũ tantum. Secunda mors, ſcilicet culpabilis infectionis eſt ſpecialis malorum, & iſta non eſt aliud niſi ſeparatio animæ hominis à Deo per peccatum, iuxta illud Iſaiæ, *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum*. Et: *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo.* Et ab iſta morte ducitur peccator ad aliam mortem perpetuæ cruciationis. De qua in Pſalmo dicitur. *Mors peccatorum peſſima.* Ex quo patet quod damnati moriuntur quadruplici morte. *Primò* morte naturali in corpore; *Secundò* morte culpæ in anima, dum viuunt in peccato. *Tertiò* morte gehennæ, dum in anima deſcendunt poſt mortem ad infernum. *Quartò* morte vtriuſque poſt diem iudicij, dum in vtroque perpetuo tam in corpore quam in anima morientur. Et ideò dicitur; *Mors peſſima.* Et ſciendum quod valde conuenienter mors culpæ aſſimilatur morti naturali, & hoc propter tres rationes, videlicet propter finalem defectum; *Secundo*, propter conſimilem effectum. *Tertio* propter conſimilem aſpectum. De primo patet, nam moriente corpore talis eſt proceſſus in deficiendo; *Primo* corpus diſtemperatur & diſcretiatur; *Secundo* homo infirmatur; *Tertio* moritur; *Quarto* portatur; *Quinto* ſepelitur; *Sexto* a vermibus conſumitur. Iſto modo anima *Primo* diſtemperatur & diſcretiatur per tentationem & cogitationem de peccato; *Secundo* infirmatur per ſequentem delectationem; *Tertio* moritur per conſenſum; *Quarto* aſportatur & elongatur ab hominibus per culpæ ſuæ abominationem & diffamationem apud homines. *Quinto* ſepelitur per malam conſuetudinem. Sicut enim terra opprimit corpus, ne reſurgat, ſic mala conſuetudo eſt quaſi moles grauiſſima opprimens & neceſſitans hominem ad peccãdum. Vnde Auguſtinus 8. confeſſ. c. 5. Lex peccati violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur inuitus animus eo merito quo in eam volens illabitur. Et in eodem caſu mox poſt principium loquens de ſe ipſo pro ſtatu ſuo ante baptiſmum; Suſpirabam, inquit, ligatus non ferro, ſed mea ferrea voluntate; velle meum meque tenebat inimicus, & inde mihi cathenam fecerat & conſtrinxerat me. Nam ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Hæc ille. Et hæc conſuetudo ſecundũ ipſum comparatur ſepulturæ Lazari. Sicut nunc videtis, quod magnis Dominis & nobilibus fiunt ſepulchra fortia & ſolida de marmore, vel alabaſtro, vel petra dealbata, vel

Iſa. 51.
Sap. 1.
pſal. 33.

Morte quadruplici moriuntur damnati.

Mors culpæ rectè cõparatur morti naturali.
1. propter finalem defectum.

li. 1. de ſer. Domini. cap. 13.

ta; vel ære depictà & ornata, ita vt communiter adulatores eorum faciunt eis cõſuetudinem peccandi, ſuis adulationibus adulantes & ornantes, commendantes eorum peccata. Pſalm. *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ*. Sed tamen eos nihilominus deprimunt, ſicut ſepulchra, ne reſurgant à peccatis. Propter quod Gregorius lib. tertio Moral. cap. decimo nono notat multum, quod Chriſtus tres mortuos ſuſcitauit; Puellam in domo, iuuenem in porta; Lazarum in ſepulchro. Quartum verò diſcipulo nuntiante cognoſcit mortuum, ſed eum non ſuſcitat, quia valde difficile eſt, vt is, quem poſt vſum malæ conſuetudinis adulantium linguæ excipiunt, à mentis ſuæ morte reuocetur. De quo benè dicitur; Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos; Mortui enim mortuos ſepeliunt, cum peccatores peccatores fauoribus premunt. Erat autem Lazarus mortuus ſepultus, ſed à fidelibus mulieribus, non à mortuis, cum pietate ſepultus. Hæc ille. *Sexto* corpus mortuum à vermibus conſumitur, ſic mens priuata vita gratiæ, à verme conſcientiæ deſperationis & finalis pœnitentiæ corroditur & mordetur. Sic ergo peccatum mors animæ dicitur, quia intrat in animam ſicut mors in corpus. Vnde mors eius dicitur propter conſimilem defectum vel deficiendi proceſſum, ſicut dictum eſt. *Secundo* dicitur mors peccati propter conſimilem effectum. Mors namque facit corpus rigidum & frigidum, fœtidum & putridum; horridum terrenum & ponderoſum. Iſto modo peccatum facit animam rigidam per ſuperbiam & inobedientiam ad Deum. *Cum obſecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigidè.* Gloſ. id eſt, ſuperbus efficit animam frigidam per inuidiam. *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam facit malitia animam ſuam.* Item facit eam fœtidam per luxuriam. Iſaiæ tertio & trigeſimo quarto *De cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* Item facit putridam per gulam, per quam ſenſus & ratio ſepeliuntur, vt homo in aſinum mutetur. *Sepultura aſini ſepelietur putrefactus.* Facit eam horridam per iracundiam. *Horror magnus & tenebroſus inuaſit Abraham.* Facit eam terrenam per auaritiam, quia nihil ſapit niſi terrena. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Facit eam etiam pigram per acediam, quia nihil boni operatur. *Vult & non vult piger; anima autem operãtium impinguabitur.* Et ſic peccatum dicitur mors propter conſimilem effectum. *Tertio* peccatum dicitur mors propter cõſimilem aſpectum. Quantumcunque enim homo fuerit amabilis, pulcher & delicatus, ſtatim mortuus eſt horribilis, turpis, abominabilis, & à communione hominum ſeparandus. Sic anima ante peccatum eſt pulcherrima & formoſa. *Ecce pulchra es amica mea, ecce tu pulchra &c.* Sed per peccatum ſpoliatur gratuitis, vulneratur in naturalibus, & fit fœtida & abominabilis coram Deo. *Abominabilem feciſti decorem tuum.* Et tunc anima ſeparatur à communione fidelium, quia eſt extra gratiam & charitatem, & extra amicitiam Angelorũ, quia omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici. Ideo dicitur; *Miſeros facit populos peccatum.* Et ſic patet quomodo peccatum dicitur mors propter eius peccatum.

2. Propter ſimilem effectum. — Prou. 18. — Ierem. 6. — Iſa. 3. & 34. — Ierem. 22. — Gen. 15. — Gen. 3. — Prou. 13. — 3. Propter ſimilem aſpectum. — Cant. 4. — Ezech. 16. — Prou. 14.

De tertia morte, quæ eſt mors ſanctæ conuerſationis, & eſt tantum ſanctorum in hac vita, dicitur. *Mortui enim eſtis*, ſcilicet mundo, *Et vita veſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in Deo.* Et iterum: *Quaſi morientes, & ecce viuimus.* Viri enim ſancti & religioſi & alij apparent ſæcularibus quaſi mortui, ſed tamen in rei veritate ſunt viui. *Æſtimate vos mortuos*, quidem peccato, viuentes autem Deo. Et multum competenter religioſi dicuntur mortui. *Primo* enim mortuus condit teſtamentum, in quo legat animam Deo, corpus tumulo, facultates amicis. Super hoc autem ponit executores & deputat. Iſto modo religioſus profitendo dat animam Deo, corpus monaſterio, facultates deſignat mundo, executores ſuos ponit Prælatos, quorum cuſtodiæ tã animam quã corpus committit. 2 quia ſicut moriturus primo incipit perdere calorẽ naturalẽ, poſtea viſum & viſum aliorum ſenſuũ exteriorum, & tandẽ motũ propriũ, ita vt ſi debet moueri de loco,

3. Mors ſancta vitæ Sanctorum tantum eſt. — Coll. 3. — 2. Cor. 6. — Rom. 6. — Religioſi rectè dicuntur mortui.

non poteſt niſi per alium, pannus ei tribuitur breuis & menſura certa, & finaliter abſconditur in ſepulchro. Iſto modo religioſus primo amittit calorem naturalem, id eſt, amorem carnalem & mundialem amicorum & parentum. Secundo amittit quaſi vſum ſenſuum, quia non omnia permittitur videre vel audire quæ placent, non omnia loqui poteſt quando vult, ſed horis ſtatutis; vltimo perdit motum, quia non mouetur niſi ad voluntatem & præceptum Prælati, & modico panno contẽtatur, non ad ſuperfluitatem, ſed ad neceſſitatem; & tandem abſconditur in clauſtro, ſicut in ſepulchro. Sic ergo, ſi videris aliquem ex his tribus taliter mortuum, ſcilicet morte naturali, morte culpabili, morte ſancta, poteris congrue de eo dicere; *Ecce defunctus efferebatur*. Et hoc quo ad præmiſſam informationem. Et tantum de ſecundo.

III.

Efferebatur. Qui efferebant mortuum, conuenerant ad compatiendum viduæ ſuper dolore ſuo; tum quia deſolata erat viro, quia vidua; tum quia orbata filio vnico, & ideò iſti venerant ad exequias funerales. Vnde quidam portabant, quidam lachrymabantur ſequentes &c. Per quod datur nobis exemplum, vt libenter interſimus exequijs fidelium, quod ſecundum Dionyſium vtile videtur, & maximè pœnitentibus. Conuenienter inquit, adſunt pœnitentes exequijs mortuorum, vt diſcant & attendant mortis contemptum, & honores ſanctorum, qui laudantur à ſacra Scriptura, in Eccleſia audiant, & vt etiam audiant errantes, & ipſi enarrant interminabiles triſtitias imminere, & vt prouocẽtur exemplis bonis defuncti audientes eum laudari & commendari per ſacerdotẽ de bona vita. Hæc ibi ſententialiter. Vnde peſſimè oblatrãt ſicut canes venefici Huſſitæ hæretici, dogmatizantes, non licere fieri ſolennitatem exequiarum defunctorum, cum ſecundum Dionyſium, hic mos à ſanctis Apoſtolis ſit inſtitutus. Sed diceret aliquis: Vtrum in morte amicorum debeat flere compatiendo morti ipſius.

Mortuorũ exequijs intereſſe vtile.
De Eccl. hierarch. cap. 8.
Vbi ſupra.

Reſpondeo ſecundum Iſidorum. Etſi pietas pro defunctis fidelium flere iubeat, fides tamen pro eis lugere vetat. Illi enim deplorandi ſunt in morte, quos miſeros ex hac vita ſuſcepit, non quos cœleſtis aula lætificandos includit. Hæc ille. Hinc patet breuis reſponſio, quod boni non ſunt deplorandi. In ſignum cuius Chriſtus hic dixit viduæ, *Noli flere*.

Iſid. libr. 3. de ſummo bon. c. 27.

Robertus Holcoth ponit decem cauſas, propter quas eſt flendum ſuper bonis, quas breuiter percurram, & continentur in his verſibus;

In lib. ſup. cap 14.
Mortui boni deflendi non ſunt propter decem cauſas.

Vult Deus, vt ſuus, lex, liberat, Deus omnia noſcens,
Nec valet, tuo nocet, obſtabat, ſurget, amabat.

1. *Prima* igitur cauſa eſt, quæ accipitur ex conſideratione diuinæ voluntatis, cui nullo modo debemus eſſe contrarij. Vnde & paganus Seneca; Placeat homini quicquid Deo placet. Diuina enim voluntas eſt ſumma omnium cauſa, quæ fiunt. Cuius alit cauſa quærenda non eſt, vt dicat Magiſter ſententiarum. Propter quod Auguſtinus dicit; Qui perfectè Deum diligit, non affligitur morte cuiuſquam. Nam qui Deum toto corde diligit, nouit nec ſibi perire, quod Deo non perit. Deus autem Dominus viuorum & mortuorum.

Lib. 1. diſt. 45. de vera relig. cap. 42.

2. *Secundò* conſidera, quia iuſtum eſt & licitum vnicuique repetere quod ſuum eſt. Vnde Hieronymus. Nihil abſtulit, qui dignatus eſt recipere ſuum. Talis fuit Iob, qui audita morte filiorum, dixit; *Dominus dedit. Dominus abſtulit*. *Tertiò* conſidera neceſſitatem moriendi, quæ lex communis. Si enim tantum tuo amico contigiſſet, aliquid eſſet, ſed *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*. Hebr. nono. Vnde Ambroſius 2. de morte Satyri fratris ſui; Quid abſurdius, quam vt idem, quod ſcis omnibus eſſe præſcriptum, quaſi ſpeciale deplores. Vnde metriſta;

Epiſt. ad Marcel.
Iob 1.
3.
Hebr. 9.
Ambr.

Pauperis & regis communis lex moriendi,
Dat cauſam flendi, ſi bene ſcripta legis.
Guſtato pomo nullus tranſit ſine morte.
Heu miſera ſorte clauditur omnis homo,

Quartò conſidera quod mortuus fit liber de ſeruo, certus de dubio, beatus de miſero. Vnde Auguſtinus. Quis numerare

poteſt

poteſt præſentis vitæ moleſtias eſurire, ſi-
tire, algere, calere, laſſari. Ideò refert idē,
quod fuerunt quidam philoſophi, qui in
natiuitate puerorum flebant, quia *homo
natus de muliere repletur multis miſerijs.* Iob
14 ſed in morte gaudebant, quia euadunt
miſerias. Sic Saluator in morte Lazari ga-
uiſus eſt. Ioan. 11. *Lazarus mortuus eſt, &
gaudeo propter vos*, & in reſuſcitatione eius
plorauit. Igitur patet quod mors liberat à
5. miſerijs præſentis vitæ. *Quinto* conſidera,
quod Deus eſt noſcens omnia, ipſe enim
nouit quid vnicuique expediat, cui viuere
6. melius, vel cui mori. *Sexto* conſidera, quia
luctus tuus non iuuat mortuum, quia nec
à morte nec à purgatorio poteſt eum libe-
rare. Vnde Dauid, dum vixit puer ſuus fle-
bat; cum autem mortuus eſſet, lætatus eſt
1. Reg. 12. & comedit dicens; *Nunquam potero eum re-
uocare amplius? Ego vadam ad eum, ipſe ve-
7. ro non reuertetur ad me.* *Septimo* conſidera,
quod luctus tuus illi nocet, eò quod occu-
patus circa fletum non potes debitè orare
8. pro eo. *Octauo* conſidera, quod aliquotiens
amici noſtri impediunt nos à virtute, & à
via ſalutis, & cor noſtrum ad mundum al-
liciunt. Vnde Auguſtinus ſuper Geneſ.
Sæpè offenditur Deus ne offendatur ami-
cus, & ideo nobis ſæpius amici ſubtrahun-
tur, vt affectiones noſtræ in Deum liberius
9. extendantur. *Nono* conſidera ſpem reſurre-
ctionis futuræ. 1. Theſſ. 4 *Non contriſtemini
10. ſicut cæteri qui ſpem non habent.* *Decimo* cō-
ſidera, ſi viuens fuit gratus, gratior fiet ſal-
uatus. Sic enim amici noſtri à torrente vo-
luptatis diuinæ inebriantur, & tamen no-
ſtri nullatenus obliuiſcuntur, ſicut docet
Beatus Auguſtinus lib. 9. confeſ. cap. 3. lo-
quens de Nepotiano ſuo amico defuncto.
Et addit Cyprianus de immortal. animæ.
ideo non eſſe flendum, ne detur occaſio
paganis repræhendendi nos meritò, quia quos apud Deū viuere dicimus, tanquam perditos lugere non debemus. Nihil enim prodeſt verbis proferre & factis deſtruere veritatem. Hæc ille.

Sed diceres; non poſſum contineri à lachrymis ſuper morte amici. reſpondeo, ſi non potes continere, extunc fac ſecundum conſilium Eccl. 22. *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requieuit.* Ex his patet, quod licet exceſſiuus fletus prohibetur propter vitium deſperationis, tamen moderatus permittitur propter vitium ingratitudinis, ne eo notemur. Et maximè flendum eſt ſuper bonis mortuis ex tribus cauſis.

Mortui boni deflendi propter 3. cauſſas.

Primo quia pauci boni viri & vtiles ſunt in Eccleſia militante. Sicut fecit Auguſt. qui ſuper bono ſacerdote, cum eius mortē audiuit, fleuit, non quod ſibi aliquid de eo timeret, ſed quia tales paucos habuit. *Secundo* quia forſitan aliqua ſecum purganda deferunt, quæ in præſenti totaliter non complanauerunt. *Tertio* propter conſiderationem naturalis miſeriæ, qua nos oportet propter peccatum primi parentis putrefieri & incinerari Sic Tob. ſepeliēdo mortuos lugebat. Tob. 2. Propter quod dicitur Eccl. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij. In ea enim finis omnium admonetur.* Nos igitur conſideremus præſentem defunctum, quia mortem ſubijt, attendentes nos ſimiliter morientes, vnde vitam noſtram in melius reformantes, moriamur mundo & viuamus Chriſto, vt tandem ei conregnare valeamus. Quod nobis præſtare dignetur pater, & filius, & Spiritus ſanctus.

Amen.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

SERMO II.

Adoleſcens tibi dico ſurge. Lucæ 7.

Adoleſcē-tia pericu-loſa.

INter ætates hominis nulla periculoſior creditur quàm adoleſcē-tia, eo quod eſt vicina & proxima lapſibus omnium vitiorum. Vnde dicitur; *Senſus & cogitatio humani cordis prona ſunt in malum ab adoleſcentia ſua.* Et rectè Eccl 12. *Adoleſcentia & voluptas vana ſunt.* Certè vana, quia multum inſtabilis eſt illa ætas & flexibilis indifferenter ad bonum & malum. Vnde Salomon; *Tria ſunt mihi diſſicilia, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo,* id eſt, ſuperbi in diuitijs ſe extollentis, *viam colubri in petra,* id eſt, pauperis in auſteritate tabeſcentis; *viam nauis in medio maris,* id eſt, illius quē vana ſollicitudo conturbat; *& viam viri in adoleſcentia ſua,* cum ſcilicet vadit poſt cō-cupiſcentias ſuas. Hæc eſt via peruerſa & remota à ſalute, quæ etiam eſt multum periculoſa, *quia adoleſcens, qui iuxta viam ſuam graditur, cum ſenuerit non diſcedet ab ea.* Vnde Anſelmus li. de ſimilit. comparat eam ceræ molli, quæ dum recipit imaginē ſigilli, poſtquam induratur eam dimittere non poteſt de facili; ſic homo in ſenectute non poterit de facili curari à peccatis in adoleſcentia conſuetis. Ideò, vt ait Valerius, ſunt ab adoleſcentia bonis moribus informandi. Nam vt dicit Chryſoſt. iſta ætas eſt ſicut terra nondum fructuoſa, quæ, ſi negligitur producit multas ſpinas vitiorum. In ſignum huius ſecundum quoſdam doctores famoſos, iſte adoleſcens defunctus fuit in tali ætate, ad ſignificandum, quod in hac ætate maximè homo incipit peccare, & malis moribus infici. Ideo ſi adoleſcentes volunt benè & iuſtè in ſenium viuere, debent benè & regulariter in adoleſcentia diſcere. Nam *quæ in iuuentute tua non congregaſti quomodo in ſenectute inuenies?* Neceſſe eſt igitur ſuper omnia adoleſcentibus, vt tunc incipiant proficere de virtute in virtutem. Quod ſi fortè fragilitate naturæ vel ignorantia peccauerint, ſtatim huiuſmodi peccata debita pœnitentia ſtudeant expiare, nec expectent, nec differant in vlteriorem ætatem, quia Greg tractans illud Iob. 20. *Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient,* dicit; Tenent prauæ conſuetudines eum, quem ſemel cœperunt, & quaſi quotidiè duriores exiſtunt, & cum eo in puluere dormient, quia non niſi cum eo finiuntur. In ſignum huius legitur Dominus iſtum adoleſcentem in tali ætate ſuſcitaſſe à morte corporis, vt innueret tales exemplo ſuo per ſuos vicarios eſſe ſuſcitandos, ita vt vnicuique talium, quam primum peccauerint in tali ætate dicatur, *Adoleſcēs tibi dico ſurge,* ſcilicet propter præmiſſa pericula. In quibus verbis Saluator excitat iuuenilem pigritiam, imò præcipit ei feſtinam & velocem conuerſionem, ſignificans citò eſſe ſurgendum à ſtatu culpæ, & properandum ad ſtatum veniæ & gratiæ diuinæ. Atque ita prædicatoribus ſuis dat exemplum hortandi & excitandi omnes peccatores ad ſurgendum velociter de peccato, ſed tamen maximè in præſenti Euangelio dat formam excitandi adoleſcentes & iuuenes lapſos, ne in talibus vitijs adoleſcē-tiæ vſque ad ſenium perdurent. Ad adoleſcentes autem benè informandos, aliqua ſunt eis præcauenda, aliqua præcipienda, aliqua prædicenda. Præcauenda, ne cadāt & mo-

Gen. 8.

Prou. 30.

Prou. 22.

Adoleſcē-tia ceræ ſimilis.

li. 7. cap. 5.

Hom. 49. ſuper Matth. Ite terræ non fructuoſæ.

Eccl. 25.

l. 15. moral.

Propoſit. Adoleſcē-tibus tria neceſſaria.

& moriantur morte culpæ, ne dicatur eis necessario post casum; *Surge.* Præcipienda, quibus ſeruatis non opus erit vt dicatur eis; *Surge.* Prædicenda vt à caſu abſtineant, & ſic non audiant. *Adoleſcens tibi dico, ſurge.*

I.

Adoleſcētibus tria præcauēda. Adoleſcentes tria præcauere debēt; *Primò* ſomnum torpentis otioſitatis; *Secundò* viſcum ſeu piceın inficientis ſocietatis; *Tertiò* aſtum præſumentis tumiditatis.

1. Otium. *Primo* debent præcauere ſomnum torpentis otioſitatis. Nam licet omnibus ſtatibus periculoſum ſit otium, maximè tamen adoleſcentibus, eò quod illa ætas eſt fundamentum totius ætatis. In illa ætate itaque debet vſus ſanctæ conuerſationis inoleſcere ſeu acquiri, dicit Hieronymus, eò quod illi anni ſunt opportuni ad inſtructionem, in quibus facilè poteſt trahi animus adoleſcentis ad voluntatem docentis; ideò qui tunc ſectatur otium ſtultiſſimus eſt. *Epiſt. 37.* Illa enim ætas eſt ſicut æſtas, in qua debent germinare omnia bona ſemina & plantari ſācta opera. Vnde Sapiens conſulens patribus dicit; *Curua ceruicem eius in iuuentute.* *Eccl. 30.* Et. *Filij tibi ſunt, curua eos à pueritia.* *Idem 7.* Sunt ergo erudiendi debitis artificijs & conuenientibus ſuis ſtatibus. Si ſunt nobiles, erudiantur in operibus, quæ ſunt nobilium; & ſi indigeant viuere in artificio, erudiantur in artificijs mechanicis ſibi conuenientibus, vt poſſint iuſtè viuere. De Conſtantino Imperatore legitur, quod filias ſuas in arte texendi & nendi inſtruxit, vt ſi neceſſe eſſet, ex illis poſſent viuere. Ante omnia autem ſunt informandi in fide & bonis moribus, vt ait Hugo. *De ſacrā l. 2. part. 2. c. 12.* Narrat Tullius l. 2. de Tuſculanis quæſtionibus, quod Lycurgus ſtatuit leges, quibus præcipitur, vt adoleſcentes erudiantur venando, currendo, eſuriēdo, algendo, æſtuando. Seneca dicit Epiſt. 51. quod natus in Spartia arcum diſcit tendere; In Germania haſtile ſtudet vibrare; In Italia autem equitare & cautè hoſtē percutere. Idem narrat Saluſtius li. 1. de quadā gente, cuius mos eſt equitare, iaculari, curſim cum æqualibus certare. Præcipuè etiā illi, qui habent regna prouinciarum, terrarum, ducatuum, ab infantia debent informari in ſtudio litterarū, ſicut patet de antiquis principibus. Legitur de Ptolomeo, quod continuus fuit in libris. Vnde ſeptuaginta interpretes vocauit ad interpretandum ſibi biblia, prout habetur li. 5. de ciuitate Dei, & de doctrina Chriſtiana. c. 4. De Alexandro etiam narrat Agellius, quomodo Philippus pater cum gaudio magno eum Ariſtoteli inſtruendum commiſit. *l. Atticarū noctium.* Nero habuit Senecam in magiſtrum. Traian. Plutarchum. De ſtudio etiam Iulij. l. de vita Cæſarum multa narrantur; & quod eius diſciplina fundamentum fuit omniū Imperatorum, vt dicit Solinus libr. 1. cap. 5. eò nullus legit velocius, nullus ſcripſit celerius, ita vt ſimul dictaret quatuor epiſtolas. Idem patet de Theodoſio, vt recitatur in prologo hiſtoriæ tripartitæ. De Magno Carolo etiam legitur, quantum fuit amator librorum, & ſpecialiter beati Auguſtini de ciuitate Dei. Magiſtrum habuit Alcuinum, qui eum docuit dialecticam, rhetoricam, & aſtronomiam. Nec mirum quod benè regebant ſubditos, quia illuminati fuerunt ſcientijs. Nam opus regiminis non poteſt exerceri ſine ſcientia in iudicando, in præcipiendo, in belligerando, in lege condenda. Vnde Seneca dicit Epiſtola 94. quod cum ſapientes dominabantur, tunc fuit aureum ſæculum. Et patet hoc, quia Deus ab initio nunquam commiſit regimen populi, niſi doctis & ſapientibus, quos aut per ſe docuit in ſpiritu, aut per alios. Vnde Abraham primus rector ſui populi fuit peritus in omni ſapientia AEgyptiorum. Similiter Moyſes, *Act. 7.* Dauid habuit ſcientiam, ſicut angelus Dei. *2. Reg 14.* Salomon nihil petijt, niſi ſapientiam. 3. Regum 3. Vnde antiquitus dictum eſt, quod rex illiteratus eſt ſicut aſinus coronatus. Patet ergo, quod multum prodeſt adoleſcentibus non otiari in illa ætate, ſed ſtudere quæ ſunt vtilia pro tota ætate ipſorum. Sed ecce hodie verſa eſt res in contrarium. Pauci enim vel nulli nobiles, aut principes, vel reges, tradūt filios ſuos ad ſcientias liberales ab adoleſcentia, applicātes potius eos curijs, in quibus quotidiè ludunt & inſaniunt, & ſic in otio tēpus expēdūt. Sed attendant illi, quia ta-

les ludi ſunt multum pernicioſi & nociui, in quibus eſt conſumptio præcioſi temporis & aſſuefactio ad mala opera; videlicet ad detractiones, ad turpiloquia, ad pompam, ad vanam gloriam, ad gulam, ad luxuriam, ad rapinam, ad omnem iniuriam proximorum & contumeliam diuinam. Et
Eccl.30. ideò comparantur equo iuueni & indomito, qui durè vadit. Et ſi ſic permittitur, poſtea in ſenio nullo modo flecti poteſt. Vnde Ariſt. dicit, quod iuuenes ſunt enutriendi legibus coactiuis, eo quod eis opera virtuoſa in ſe non ſunt delectabilia, niſi ad ea cogantur. Iuuenes enim ſunt faciliter concupita perſequentes, & faciliter concupitis deſiſtẽtes; & ideo caſtigatione indigent. *Nam qui parcit virgæ odit filium ſuum.* Prou.13. Refert Plinius quod accipiter pullos ſuos, cum maturantur, extra nidum proijcit, & alis verberat, ne pigreſcant; ſic adoleſcens extra nidum propriæ voluntatis ſuæ eſt eijciendus & alis diſciplinæ corrigendus. Alioquin ſciat pater pro iniquiquitate filij diſſoluti veraciter ſe damnari. Habes exemplum in Heli ſacerdote, qui quod audiens filios ſuos incontinenter viuere, eos leuiter tantum verbis increpatorijs correxit, ſed verbera non adhibuit, de ſede corruens miſerabiliter fracto capite expirauit. Filij autem eius in bello fuerunt occiſi. 1. Regum. 4. Romani docebant filios ſuos adoleſcentes, ita vt diſponerent actiones ſuas per ſingulos dies, & ſummo mane omnes ſimul conuenerent ad arcus triumphales, in quibus anteceſſores eorum depingebantur cũ armis & cautelis, quibus deuicerunt hoſtes ſuos, vt ſic iuuenes viſis illis accenderentur ad virtutem per imaginationem geſtorum. Deinde acceſſerunt templum Apollinis, qui erat Dominus ſapientiæ. Poſtea iudices ad forum ſenatores ad capitolium deſcendebant; Iudices, vt cauſas tractarent; ſenatores, vt communi vtilitati conſulerent, & ſic tempus ſuum vſque ad horam nonam expendebant. Item narrat Macrobius. 1. Saturnalium, quod apud Romanos pueri nobilium quadam vtebantur veſte quæ dicebatur prætexta; in qua ante pectus deferebant quandam auream fibulam ſicut monile, ad modum bullæ quæ natat ſuper aqua ſemirotunda. Prætexta erat de purpura rubei coloris, vt pudore ſuæ nobilitatis à vitijs ſe ſubtraherent, & cordis imaginem ante pectus portabant, vt ſe inuicem intuentes ita ſe fortes homines cogitarent, ſi corde præſtarent. Hæc Macrobius.

2.Eth.c.2. *Prou.13.* *1.Saturn.*

Secundo iuuenes debent præcauere viſcum ſeu picem inficientis ſocietatis. Nam et ſi valdè periculoſa eſt familiaritas malorum omnibus, tamẽ magis adoleſcẽtibus. Quia, *Quod noua teſta capit, inueterata ſapit.* Vnde Alexander non potuit carere moribus Leonidis magiſtri ſui, ſimiliter nec vitijs, vt dicit Seneca & Hieronymus. Nec mirum. Amor enim eſt tantæ virtutis, quod transformat amantem in amatum, & ei aſſimilatur, ſecundum Dionyſium. Et ideo philoſophus diſſuadet amicitiã peruerſorum. Maximè autem debent vitare familiaritatem malorum. Et econuerſo adoleſcentes virgines familiaritatem virorum, quia vtrobique eſt periculum. Non ſolum autem familiaritatem fugere debẽt inuicem, ſed nec de eis facere mentionem, quia talis memoria valdè eſt periculoſa, & prima via ad peccatum quod generatur in cogitatione. Et ideo legitur de beato Arſenio, quod orabat Deum, vt aboleret nomen cuiuſdam fœminæ de memoria ſua, licet illa optimo propoſito ad eum acceſſiſſet, vt oraret pro ea. Legitur etiam de quadam virgine, quæ pro eo, quod quidam in ea ſcandalizatus fuit, decem annis ſe aſpectibus hominum ſubtrahens in quodam ſepulchro latuit dicens; Nolo ſcandalizare creaturam ad ſimilitudinem Dei factam, ibique obijt. Ecce quanta pudicitia iſtius virginis fuit in adoleſcentia.

2. Mala ſocietas. *Dion.4. de diuinis nominib.* *9 Ethic.*

Tertio præcauere debent adoleſcentes æſtum præſumentis tumiditatis. Duo genera hominum ſunt valdè magnæ ſpei naturaliter, ſcilicet iuuenes & ebrij. Debent ergo vitare præſumptionem, quia ipſa eſt mater iurgiorum. Et raro videbis iurgia, niſi aſſint, vel iuuenes vel ebrioſi. Sed vnde prouenit adoleſcentibus hæc præſumptuoſitas, quod non tinent quæcunque difficilia, ſed omnia facilia deputant? Reſpondeo,

3. Æſtus præſumtis tumiditatis. *Præſumptio in adoleſcentibus prouenit ex 3.*

deo ſecundum philoſophum quod huius triplex eſt cauſa; *Primò*, quia habent magnam & multam ſpem de futuro, eo quod credunt adhuc per longum tempus durare; & ideò in animo ſemper ſperant ſe poſſe multa conſequi, ex quo tempus habent multum. Vnde aliqui ſperant ſe futuros Epiſcopos; aliqui magnos dominos. Et ita nolunt aliquid laborare, ſed poſt modicum tempus cum iam maturantur & laborare verentur, vel ſtudere vel ſedere in loco aut plagas ſuſtinere, libenter eſſent cãpanatores vel alij parui miniſtri. *Secundò*, quia habent multum de calore naturali, & ideò cor in eis ampliatur, ex qua ampliatione tendunt in difficilia. *Tertiò* ideò, quia nondum ſunt experti difficultates & reſiſtentias in factis ſuis, ideo ſunt audaces ad tentandum omnia. Et ideò philoſophus tertio Topicorum dicit, quod nemo eligit duces iuuenes in bello propter eorum nimiam præſumptuoſitatem. Iſta tria ſi præcauerit adoleſcens, non cadet, nec ei opus erit dicere ab aliquo. *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*: Et tantum de primo.

I I.

Adoleſcẽti tria pracipienda. *1 Obediẽtia promtitudo.*

Tria adoleſcentibus præcipienda, ſcilicet promptitudo obedientiæ, ſanctitudo conſcientiæ, & ſollicitudo continentiæ. Primò debent habere promptitudinem obedientiæ. Nam tertius abuſionis gradus eſt adoleſcens ſine obedientia vt D. Auguſtin. inquit de 12. abuſionibus ſæculi. Quomodo enim in ſenectute ſibi miniſtrari ſperabit, qui in adoleſcentia ſenioribus obedientiam exhibere contemnit? Vnde & in prouerbio apud antiquos dictum eſt, quod ſeruos habere nequeat, qui in iuuentute alijs ſeruire neſcit. Ariſtoteles dicit, quod amicitia inter ſenes & iuuenes eſt neceſſaria. Senibus quidem, vt eis à iuuenibus ſeruiatur; & iuuenibus, vt non peccent; hoc eſt, vt à ſenioribus à peccatis præſeruentur. Nam timore ſenum & reuerentia ſolent iuuenes ſe à ſuis inſolentijs refrænare, Iob 29. *Videbant me iuuenes & abſcõdebantur.* De iſta obedientia iuuenum ad ſeniores dicit Valerius lib. 2. c. 1. Quod apud antiquos ſenectuti iuuentus generaliter ita circumſpectum honorem reddebat, tanquam omnes ſeniores communes eſſẽt patres omnium iuniorum. Vnde in libro Iudicum 14. dicitur. *Sic enim iuuenes conſueuerunt facere.* Benè dicit, *conſueuerunt*, quia iſta eſt optima conſuetudo, quæ fuit ſeruata ab initio ſæculi, ſcilicet qua minor ſeruiebat maiori. Refert Hieronymus de obedientia cuiuſdam adoleſcentis Marci, quem cum Abbas Siluanus ad ſe vocaſſet ea hora qua in quaterno ſcribebat, ille ad præceptum vocantis, litteram o, quam inchoauerat, propter obedientiam dimiſit incompletam. Similiter refert de quodam Ioanne Eremita; quem cum Paulus abbas mittere vellet ad ciuitatem pro neceſſarijs, ille ſe excuſauit dicens; Pater leæna dicitur eſſe in via, & me illuc dirigis? Abbas verò exiſtimans eum iocoſe dixiſſe, reſpondit; Si occurrerit tibi leæna, alliga illam. Qui cum iter arripuiſſet, occurrit ſibi leæna, & irruit ſuper eum. Ille verò accedens voluit capere eam, ſed illa auffugit. Qui poſt eam clamans dixit; Abbas mihi præcepit, vt te adducam ad ſe; & ſtatim ſtetit. Ille autem alligans eam reuerſus eſt ducens eam alligatam. Quod videns ſenex volens eum humiliare tantò plus, dixit; canem fatuum adduxiſti ad me, ſicut tu inſenſatus es, ita & beſtia tua, & ſoluens eam abire præcepit. Sed hodie verſa eſt res in contrarium, quãdo non honor, non reuerentia, non obedientia defertur ſenioribus ab adoleſcentibus, ſed contumelia & omnis irreuerentia & deriſio, ſicut conqueritur Iſaias *Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem.* Propter quod confuſus eſt totus ordo. *Iſai. 3.*

Secundò præcipienda eſt eis ſanctitudo conſcientiæ, quia adoleſcentes debent diſcere, quomodo peccata ſua ſciant circumſtantijs diligenter diſcuſſa integraliter & euidenter exprimere, quia ſi fuerit conſcientia larga in iuuentute, ampliabitur in ſenectute ſine menſura. Propter quod Eccleſiaſtici 6. dicitur. *Fili mi; à iuuentute tua excipe doctrinam & vſq; ad canos inuenies ſapientiam.* Et iterum: *Quæ in iuuentute tua*

tua non congregaſti, quomodo inuenies ea in ſenectute tua? Quaſi dicat. Nullo modo. Et ideò multi ſunt, qui, cum negligunt conſcientiam in iuuentute, poſtea in ſenectute dolendo conqueruntur & lamentantur, dicentes illud Prouerb. 5. *Cur deteſtatus ſum omnem diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum.* Quaſi dicat. Maledictus ego ſum, qui non audiui vocem docentium me, & magiſtris meis non inclinaui aurem meam. Et meritò plangunt tales poſtea in ſenectute, qui noluerunt diſcere in iuuentute, quia metricè dicitur; *Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum; Vix poterit rebus ſuccurrere; nemo diebus.*

3. *Continentiæ ſollicitudo.* Tertiò eis eſt imponenda ſollicitudo continentiæ. Nam magnam ſollicitudinem debent habere vt continentes ſint, & maximam in iuuentute, eo in perſona cuiuslibet iuuenis de cōcupiſcentijs carnalibus dicitur Pſalm. 128. *Sæpè expugnauerūt me à iuuentute mea.* Et quo ad hoc, neceſſe eſt, vt ſobriè nutriantur & moderatè, iuxta illud Boëtij de diſciplina ſcholarium. Potus autem ſit tenuis, eiuſdemque parcitas; quia ſicut vinum moderate ſumptum acuit ingenium, ita immoderate ſumptum perturbat rationem, intellectum hebetat, memoriam eneruat, & per conſequens obliuionem inducit. Vndè dicit Macrobius lib. vltimo, quod obliuio eſt comes ebrietatis. Et Seneca, quod eſt hilaris inſania. Et idem dicit epiſtol. 60. Eſt voluntaria inſania. Hinc eſt quod Hieronymus impoſſibile reputat adoleſcentem delicatum poſſe fieri caſtum. Dicit enim epiſt. 116. allegando apoſtolum 1. Corinthiorum 9 vbi de ſe ait; *Caſtigo,* inquit, *corpus meum & in ſeruitutem redigo.* Si ergo Apoſtolus caſtigat corpus, vt ſubijciatur animæ imperio, quomodo adoleſcens feruens cibis de caſtitate ſecurus eſt? Benè ergo dicit ille philoſophus Cornut[a], quod ſine cerere, id eſt, cibo, & libero, id eſt, vino, friget venus. Et Apoſtolus. Epheſ 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Fertur de philoſopho Zenocrate, prout ait Valerius, lib. 4. cap. 3. quod apud Athenas quædam mulier ſpopondit iuuenibus ſe poſſe corrumpere eius temperantiam. Et nocte veniens iuxta eum ſe depoſuit. Quæ cum non poſſet eum in aliquo flectere, adoleſcentes qui ſecum pactum ſuper hoc poſuerunt, ſi eum ſeduxiſſet, precium repoſcebant. Illa verò reſpondit, pignus poſuiſſe cum eis non de ſtatua, ſed de homine, vocans philoſophum ſtatuam propter immobilem eius continentiam. Eſt etiam magnum periculum ſi nimis delicatè & copioſè nutriatur adoleſcens. Quia vt ait Auguſtinus, libro 22. de ciuitate Dei. ſi pro viribus ſuis alatur iuuenis, ſit vt in creſcendo plus capiat, & ſi modum ſuæ capacitatis excedit, deficiet antequam creſcat. De hoc pulchrè Seneca libro 2. de ira dicit, quod vinum negandum eſt talibus, vt ait Plato, nec cibis implendi ſunt, ne diſtendantur eorum corpora. Hæc ille.

III.

Adoleſcētibus tria prædicēda. Tria adoleſcentibus prædicenda; ſcilicet labilitas temporalis iuuentutis; difformitas hiemalis ſenectutis; & debilitas corporalis virtutis. De primo patet. Nam ſolent adoleſcentes gloriari de fortitudine nimia, non aduertentes quam cito tranſibit. Quibus tamen dicitur apud Iſaiam: *Iuuenes in infirmitate cadent,* ideò prædicenda eſt eis labilitas temporalis iuuentutis; quia forma corporis, quantumcunque eſt magna, citò tranſit & areſcit ſicut flos vernalis. Vnde Ouidius libro ſecundo de arte amandi; *Forma bonum fragile eſt quantumque accedit ad annos, Fit minor, & ſpatio, carpitur ipſa ſuo. Nec viola ſemper, nec florent lilia ſemper, Et riget amiſſa ſpina relicta roſa, Et tibi iam venient rugæ formoſe capilli, Iam venient rugæ quæ tibi corpus arent.* Secundò prædicenda eſt iuuenibus deformitas hiemalis ſenectutis, de qua idem Ouidius ſcribit dicens; *Ventura memores iam nunc eſtote ſenectæ, Sic nullum tempus vobis abibit iners. Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas, Nec bona tam ſequitur quam bona prima fuit. Nam citò,* me miſerum, *laxantur corpora rugis.*

gis, Et perit in medio, qui fuit ore color. Et ideò ſignanter dicitur Eccleſiaſt. 12. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni de quibus dices, non mihi placent.* Et Virgilius: *O formoſe puer, nimium non crede colori, Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.* Vaccinia apud Virgilium ſunt aliquando parui fructus nigri. Et ſic loquitur hic; aliquando vocantur flores, qui dicuntur primulæ veris. Et ſic loquitur in eadem Ecloga dicens; *Mollia luteola pingit vaccinia campos. Tertio* prædicenda eſt debilitas corporalis virtutis. Nam iuxta poetam, Multa circumueniunt incommoda ſenem. Vnde Innocentius libro primo de vilitate humanę conditionis, capitulo nono dicit, deſcribens incommoda huiuſmodi. Si quis, inquit, ad ſenectutem proceſſerit, cor eius affligitur, & caput concutitur, languet ſpiritus, & fœtet anhelitus, facies rugatur, & ſtatura curuatur; caligant oculi, & vacillant articuli; Nares effluunt, & capilli defluunt; tremit tactus, deperit actus, dentes putreſcunt, & aures ſurdeſcunt. Senex facilè prouocatur & difficile reuocatur; & cito credit, & difficile diſcredit; tenax & cupidus; triſtis & querulus; velox ad loquendum, tardus ad audiendum. Laudat antiquos, & ſpernit modernos; vituperat præſentia, & commendat præterita; ſuſpirat & anxiatur; torpet & infirmatur. Hæc ille. Ecce quanta miſeria, quam deberent benè aduertere adoleſcentes, vt eam non exoptent nec expectent, quæ cum venerit, omnia mala ſecũ adducit, ita vt nemo ſit, qui eã non accuſet, vt dicit Tullius in libro ſuo de ſenectute. Tanta in omnibus ſtultitia, inconſtãtia, ac peruerſitas eſt, quod omnes eam, vt adipiſcantur, exoptant, ſed tamen eandem adepti accuſant. Ex quo concludit finaliter, quod licet omnes ſimus vel eſſe intendimus ſenes, ſi Deus voluerit, tamen hoc non eſt perfectorum appetere abſolutè. Et ratio eſt, quia talis appetitus magis mouetur ex inſtinctu naturæ quam fidei. Quapropter nullus adoleſcens ſe remittat ad huiuſmodi ætatem, quæ plena eſt incõmodis & miſerijs, & interdum deprauatione voluntatis. Sicut illi ſenes fuerunt, qui Suſannam de turpitudine ſolicitabant. De Salomone legitur, quod cum eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres. Ideò Pſalmiſta petit dicens, Pſal. 70. *Ne proijcias me in tempore ſenectutis.* Vt autem de omnibus præmiſſis adoleſcens inſtruatur, neceſſe eſt eum adhærere ſeniori alicui, qui eum in moribus bonis inſtruat, & à caſu cuſtodiat, cadentemque moneat, vt reſurgat. Hinc dicit Tullius, quod adoleſcentes debent adiungi bonis & probatiſſimis, quorum conſilio innitantur & vtantur. Et Ambroſius, libro primo de interpellatione Iob, cauſam huius reddens dicit, quod quia adoleſcentia magis ad vitium lubrica eſſe conſueuit, & eſt ex ſe infirma in conſilijs, ideò maturis præpoſitis adiungi debet, vt eorum exemplo tueatur & ducatur ad bonum. Et de hoc idem latius proſequitur libro ſecundo de officijs cap. 18. Quod cum fuerint adoleſcentes, facile caſum poterint euitare, & tandem conſequi vitam æternam. Ad quam nos perducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus qui eſt benedictus in ſecula ſæculorum. Amen.

Ecloga 7. in bucol.

DOMI-

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST TRINITATIS.

SERMO I.

Sanauit eum ac dimiſit. Lucæ 14.

QVI veram oſtendit corporis infirmitatem, humanè tractandus eſt ſeu curandus. Nec immeritò; nam patientibus & paſſionem oſtendentibus compatiendum iudicat etiam ipſa noſtra natura. Pectus ferreum & cor lapideum eſt, quod ſuper aliena miſeria aut dolore lachrymas non effundit, cum proximi morbum vel interitum intuetur. Et quia tantò quiſque perfectior eſt, quantò perfectius ſentit dolores alienos; Chriſtus Dominus aũt cũ fuerit perfectiſſimus omnium, non potuit à compaſſione abſtinere miſerorũ, ſed eos, quos vidit varijs languoribus oppreſſos, ſtatim vt vidit, miſericordia motus eſt, & compaſſionis interno amore concitatus, omnes perfectè ſanauit. iuxta illud; *Cum autem ſero eſſet, omnes qui habebãt infirmos varijs languoribus oppreſſos, ponebant illos ante eum & curabantur.* Hinc dicit de eo Petrus. *Pertranſiuit benefaciendo & curando omnes oppreſſos à languoribus eorum.* Acto.10.
Sic in præſenti Euangelio de eo dicitur; ſanauit eum ac dimiſit. In quibus verbis tria tanguntur. *Primò* magna Chriſti benignitas in eo quod dicitur, *Sanauit. Secundo* infirmitatis curatæ anxietas, cum dicitur, *eum. Tertiò* diuinæ pietatis liberalitas, cum dicitur, *Ac dimiſit &c.* Propoſit.

I.

Sanauit. Chriſtus neminem ſanauit imperfectè, inquit S. Auguſtinus, ſed quemcunque ſanauit in corpore, illum etiam ſanauit in anima, mundando eam a peccatis. Et ideò hic de ſanitate mentis videndum eſt, quæ vtilior. Eſt igitur ſciendum, quod Chriſtus fuit perfectiſſimus medicus ex duobus, ſcilicet ex eius magna pietate & compaſſione, quam habuit ad peccatores; & ex eius perfecta arte, qua curauit eorum languores. Quoad primum Chriſtus fuit maximæ benignitatis erga noſtras infirmitates, viſitando nos corporali præſentia. Multi namque medicorum dedignantur infirmos pauperes vel leproſos viſitare, abominantes eorum fœtores, aut timentes infectionem; ſed Chriſtus videns dolorem humani generis intollerabilem, qui etiam fœtore ſuo cœlos penetrabat, iuxta illud prophetæ; *De cadaueribus eorum aſcendit fœtor*, miſericordia motus deſcendit, non de domo, ſed de altiſſimo cœlo, iuxta illud; *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Nec victus eſt pretio diuitum, non auro nec argento regum, ſed humili prece pauperum. Omnium enim peccatorum erat illa vox conformis & vnanimis clamantium & dicentium ad Deum; *Sana me Domine & ſanabor.* Hic eſt ergo pius medicus, quem non traxit ad nos auri copia, ſed tantum noſtra miſeria. Magna ergo datur peccatoribus confidentia de venia, cum tanta ſit in Chriſto eorum medico miſerationis & benignitatis copia, qui quaſi pro nihilo ſaluat & ſanat, iuxta illud Pſalmiſtæ; *Pro nihilo ſaluos facies eos.* Vnde Apoſtolus; *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Dicunt naturales, quod confidentia

Chriſtus medicus perfectiſſimus ex duobus.

1. Ex magna benignitate.

Luc. 1.

Ierem. 17.

dentia patientis de medico gratioſo & affabili multo citius curat, quam de medico ſerioſo & crudeli. Robertus Holcoth narrat de quodam medico, qui de quadam graui infirmitate curauerat patrem. Et cũ iterum recidiuaſſet, iterum eum curauit. Contigit autem quod nouerca dicti medici eandem infirmitatem inciderat, petebat pater, vt filius curaret nouercam, allegans quod ſciret & poſſet eam curare, ex quo eã iam bis curauerat in ipſo patre. Reſpondit filius ſe hoc non poſſe facere, quia etſi ſciret curare illam infirmitatem in patre, non tamen in nouerca, eo quod certus eſſet de dilectione patris erga ſe, quæ dilectio & affectio multum operata eſt ad curam eius, non autẽ certus erat de dilectione nouercę erga ſe; Et ideò non erat certus ſe poſſe illã curare propter diffidentiam, quam nouerca habuit erga ipſum. Ecce quomodo confidentia de medico cito ſanat ægrotum. Et
2.Cor.3. quia *tota fiducia noſtra ex Deo eſt*; ideò adeamus thronum gratiæ cum fiducia, vt gratiam conſequamur.

2.Ex arte, idq́ propter 4. conditiones. Secundo Christus fuit perfectiſſimus medicus animarum noſtrarum ex eius perfecta arte. Eſt autem perfectus medicus & ſubtilis ex quatuor conditionibus. *Primò* ſi curat totaliter; *Secundò* ſi celeriter; *Tertiò* ſi faciliter; *Quartò* ſi multipliciter. Iſta
1. Sanat totaliter. quatuor fuerunt in Chriſto, & ideò perfectè ſanabat. Primò ſanat totaliter. Ioan.7. *Totum hominem ſanum feci in ſabbato*. Totalitas iſta attenditur in ſeptenario, qui ſignificatur per ſabbatum, quod eſt ſeptima dies. Tunc ergo perfectè & totaliter quis ſanatur à Chriſto, quando ei dimittuntur omnia ſeptem peccata. In cuius figura di-
4.Reg.5. ctum eſt Naaman leproſo; *Vade lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatẽ caro tua.* Septies lauamur, cum à peccatis quæ ſeptem diebus committimus mundamur. Iordanis autem interpretatur riuus iudicij, per quod ſignificatur confeſſio, in qua homo ſe iudicat, ne à Domino iudicetur. 1.Cor.11. *Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* In quo Iordane peccator mundatur ſepties, quia recipit ſeptem dona Spiritus ſancti. Et benè dictum eſt, quod Chriſtus ſanat totaliter. Neſcit enim ſanare partialiter, vt imperitus medicus, quia non dimidiat peccatorum veniam, ſed aut totum aut nihil condonat, iuxta illud; *Larga Dei pietas veniam non dimidiabit, Aut nihil, aut totum, propitiando dabit.* Nec enim perfectè quis ſanatus eſt in mente, ſi adhuc habet oculos leproſos per concupiſcentiam; vel linguam per mendacium; vel manum aridam per tenacitatem. Simul enim dominus ſanat omnes infirmitates omnium membrorum, iuxta illud pſalmi 102. *Qui ſanat omnes infirmitates tuas.*

Sed diceres, tamen videmus, quod magni peccatores liberãtur ab aliquibus peccatis, qui tamen perdurant in alijs. Sicut videmus, quod aliquis ſit parcus & luxurioſus, & poſtea incipit eſſe largus per eleemoſynarum largitionem, ſed tamen à luxuria non ceſſat. Ad quod reſpondeo ſecundũ Auguſt. de pœn. diſt.3. Quod hoc verum eſt quantum ad peccati deſitionem vel defectionem, non tamen ad criminis veniam. Stat enim, vt dicit Gregorius, ceſſare aliquẽ ab inuidia, qui tamen in alijs vitijs perdurat, prout ipſe tangit latius tractans illud Amos 4. *Pluit Dominus ſuper vnam ciuitatem, & ſuper aliam non pluit.* Propter quod dicit Auguſt. Scio dominum inimicũ eſſe omni crimino ſo, quomodo ergo peccatori dabit de vno peccato veniam, & de alio non? quaſi dicat. Nullo modo. Et ideò ipſe eſt perfectus medicus, qui non patitur remanere aliquam maculam in peccatore.
Secundo ſanat cito & celeriter. dicitur Iſai. 2. Sanat celeriter.
58. *Frange eſurienti panem tuum.* Et ſequitur: *Sanitas tua citius orietur.* Ecce quomodo per opera miſericordię citius, quam per alia conſequimur remiſſionem peccatorũ & ſanitatem animæ. Et quid mirum, quod Chriſtus ſanat ita celeriter, qui paratior eſt veniam dare quam peccator accipere? ipſe enim hortatur nos ad petendum dicens; *Petite & accipietis.* Propter quod dicit Auguſtinus, quod Chriſtus ſic feſtinat reum abſoluere à tormento conſcientiæ, quaſi plus cruciet eum compaſſio miſeri, quam ipſum miſerum paſſio ſui. Tertiò ſanat faciliter. Centurio petens pro 3. Sanat faciliter.

ſeruo ſuo dixit; *Domine dic tantum verbo & ſanabitur puer meus.* Verè mirabilis medicus, quia vnico verbo ſanat. Sap.16. *Neque herba, neq; malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* Malagma idē eſt, quod emplaſtrum. Et dicitur à malaxo malaxas, quod eſt manu laxare & comprimere herbas coctas cum oleo vel butyro, vel aliquo gummi, & nihil taliter ſanat peccatores, ſicut ſermo Dei Et quia ſermo per linguā formatur, patet quod Deus homo ſermone linguę prędicatorum ſuorum ſanat animas noſtras. Vnde Pſalmiſta appellat linguam prædicatorum linguā canum, ſine qua ſanari nō poſſumus. Prou.29 *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus.* Contra hanc linguam medicinalem, diabolus habet venenoſam, per quam mordet ſicut ſerpens per detractores, iuxta illud Pſal. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes.* Jerem.9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Sed tamen iſta lingua ſerpentina non poteſt nocere illis, qui medentur lingua canum ſanctæ prædicationis, iuxta illud Sapient. 16. *Filios autem tuos nec draconum nec venenatorum vicerunt dentes, miſericordia enim tua adueniens ſanabat illos. Quarto* Chriſtus ſanat multipliciter, Multis enim & diuerſis medicinis vtitur Dominus ad ſaluandum. Nam interdum ſanat per contritionem. iuxta illud Pſalm. 146. *Qui ſanat contritos corde.* Item per confeſſionem Pſalm. 40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Item per orationem. Pſal.29. *Domine clamaui te & ſanaſti me.* Ecce perfectus medicus, qui non vno remedio ſanat omnes infirmitates, ſicut noſtri imperiti medici faciunt, qui quod deberent adhibere calcaneo, adhibent oculo, cum tamen non ſanat oculum, quod ſanat calcaneum.

I. I.

Hydropicus erat, qui ſanabatur, & ſignificat peccatorem, ſecundum Bedam & omnes expoſitores, propter tres eius proprietates; ſcilicet quia inflatus, quia ſitibundus, quibus fœtidus. Quæ tria ſignificant tria maxima peccata in homine; ſcilicet ſuperbiam, quæ ſemper inflat; auaritiam, quæ ſemper ſitit, & non ſatiatur; & luxuriam, quæ ſemper fœtet & abominatur, de quibus tribus hic eſt videndum. *Primo* ſuperbia comparatur hydropiſi propter eius inflaturam. Sicut enim hydropiſis cauſatur ex ſuperfluitate humiditatis, quæ cū digeri non poteſt per calorem naturalem, inflat membra exteriora, vnde ponunt medici duas digeſtiones; Prima eſt in ſtomacho, vbi ſeparatur purum ab impuro, alia in hepate, vbi illud, quod eſt purius, dirigitur ad alia membra. Sic eſt in homine, quando cibus animæ, qui eſt verbum Dei, non benè digeritur in ſtomacho intellect9 noſtri, nec in hepate voluntatis noſtræ, tūc remanet crudus; quia illud quod fuit digerendum ad vtilitatem animæ non digeritur, ſed ibi infrigidatur per ſuperbiam & vanam gloriam, & ſic putreſcit & inflatur mens hominis, quia talis anima ea quæ debuit conuertere ad Dei gloriam, conuertit ad ſuam vanitatem. Sicut patet de illis, qui multa de Deo ſciunt, ſed ex hoc non Dei ſed tantum ſuam laudem quærunt. Et talis ſcientia dicitur ſpiritualis hydropiſis, quia inflat. Peſſima eſt iſta aqua, quæ ſic hominem inflat, quod eum non permittit ſeipſum inſpicere. Hydropici quandoque ſic inflantur in facie & oculis, quod non vident pedes ſuos aut ventrem; ſic ſuperbi quādoq; ita intumeſcunt, quod non conſiderant fragilitatem & vilitatem ſuæ conditionis. Sed certè talis ſapientia ſuperborum vertetur eis in maximam perniciē. 1. Corint. 3 *Sapientia* enim *huius mūdi ſtultitia eſt apud Deum.* Et iſtud benè figuratum eſt in Nabuchodonoſor rege, de quo dicitur, quod propter inflatam mentē verſus fuit in ſtultiſſimam beſtiam, quia in anterioribus apparuit vt bos, in poſterioribus vt leo; propter quod ſeptem menſibus cum beſtijs in nemoribus habitauit. Comparatur igitur ſuperbia aqua hydropicæ, ꝑpter tres cauſas. Facit enim aqua apparentiam quantitatis maioris quam eſt in rei veritate. *Secundò* appetit excellentiam ſublimitatis. *Tertiò* facit inſolentiam mutabilitatis. Primò ſuperbia facit apparentiam maioris quan-

Per hydropiſin ſignificantur tria peccata.

1. Superbia.

1.Cor. 8.

1.Cor. 3.

Superbia cōparatur aquæ hydropicæ propter tres cauſas.

quantitatis. Illud enim, quod apparet per aquam, videtur grandius, quam eſt in ſua quantitate. Vnde ſidera per nubem aquoſã apparent maiora; Et ſol in occidente & oriente apparet maior propter humores circa eum. Similiter denarius apparet maior in aqua, quam extra aquam. Et in perſpectiua probat magiſter, quod denarius in vaſe poſitus, qui non videtur in certa diſtantia, ſuperfuſione aquæ videbitur. Sic eſt certè de ſuperbis, qui licet in rei veritate nullius sũt valoris in ſe, tamen per ſuperbiam ſuam eleuati apparent maiores, quam ſunt. Qui enim reputatione bonorum hominũ nulli ſunt, quærunt aſtutias mundi, diſcunt leges ciuiles; ſtudent negotia terrena practicare, & poſtea adhærent principibus & magnatibus, per quos præferentur alij ſanctis viris & doctoribus, & apparent eis doctiores & ſapientiores, ſed tamen in rei veritate nulli ſunt. Paruulus enim eſt ſecundum Gregoriũ qui terrena diligit, magnus qui cœleſtia concupiſcit. *Secundò* aqua appetit excellentiam ſublimitatis. Aqua enim naturaliter quærit terræ ſupereminere & dominari, & aliter non quieſcit aqua naturaliter, quia ille appetitus aquę ſuprapoñitur immediatè terræ, vt ei dominetur. Iſto modo intentio tota ſuperborũ ad nullum alium finem tendit, niſi ad volandum in honoribus, & ad acquirendum dominiũ terrenorum. In ſignum cuius aqua produxit aues & reptilia animæ viuentis & volãtis ſuper terram. Reptilia ſunt agricultores, mercatores, artifices, & alij homines, quorum tota conuerſatio eſt in terra. Volatilia ſunt nobiles, placitatores, vſuratij, clerici & prælati ſuperbi, qui acquirunt gradus ſublimes & dignitates, ita quod hodie poteſt de eis dici *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra*, id eſt terram ipſorum in excelſa per vanitatem. Sed de talibus dicitur Gen. 1. *Congregentur aquæ in locum vnum & appareat arida.* Locus vnus eſt omnium ſuperborũ infernus, ad quem congregabuntur omnes ſuperbi, iuxta illud Pſal. 106. *Aſcẽdunt vſq; ad cœlos, & deſcendunt vſq; ad abyſſos.* Mala volatilia, quæ ita profunde cadunt, vt non adijciant, vt reſurgant. *Tertiò* aqua facit

5. Moral.

Gen. 1.

inſolentiã mutabilitatis, quia aqua magis regulatur per lunam, quæ ei dominatur. Vnde quia luna eſt inſtabilis in curſu ſuo, eo quod ſemper eſt in cõtinua mutatione, & nunquam eſt in eadem quantitate hodie in qua fuit heri; Sic ſuperbi ſemper mutãtur de vna vanitate in aliam; ſingulis annis alium & alium modum in veſtibus, in manicis, in calceis, in cingulis, in peris, in ocreis, in caligis, in ſellis, & in omni apparatu adinueniunt, vt glorioſiores appareant. Sed tamen tales audiant Iob 20. *Iuxta multitudinem adinuentionum, ſic & ſuſtinebunt.* Super quo Greg 15. l. moral. dicit; qui multa inueniunt ad culpã nouis inuentionib⁹ cruciãtur in pœna. Vnde quamuis damnatorum omnium dolor ſit infinitus, grauiora tamen tormenta recipiunt, qui multas nouitates ex ſuis deſiderijs inueniunt. Hęc ille. Ecce quomodo decurrit iſta aqua.

Secundò hydropicus ſignificat auaritiam propter eius ſitim continuã. Semper enim auarus eget, quia ſibi deeſt tã quod habet quam quod non habet. Vnde comparatur inferno, qui nunquam repleri poteſt. *Infernus & perditio nunquam replebuntur*, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. *Inſatiabilis eſt oculus cupidi in parte iniquitatis.* id eſt, in diuitijs, quæ ſunt mammona iniquitatis, non ſatiabitur donec conſumat arefaciens animã ſuam. Refert Ouidius, quod Iupiter habuit filium, qui dicebatur Tãtalus, qui quod turbauit patrem per inobedientiam, fuit ab eo maledictus tali maledictione, quod ſtãdo in aqua sẽper ſitiuit, & cum aqua aſcendiſſet ad os & ipſe vellet ore apprehẽdere, ſtatim aqua deſcendit, & ſic fuit in cõtinua & perpetua ſiti. Ita facit Dominus omnibus auaris, qui turbant eũ per inobedientiã ſuorum præceptorũ, quibus ille ſe præcepit præ cæteris omnib⁹ diligendũ. Et ideò quia ipſi ſpreuerũt Deũ, q eſt plena & perfecta ſatiatio, eo quod replet in bonis deſiderium noſtrum, præmuntur continua ſiti rerũ tẽporalium. Vnde Greg. in homil. Auarus ex potu ſitim multiplicat, quia cum ea, quæ appetit adeptus fuerit, ad appetẽda alia plus anhelat. Sed quã ſtult⁹ eſt, quia circa plurima occupatur, q tamen ſi Deũ vnũ quęreret, omnia haberet.

2. Auaritia.

Prou. 27.

Eccl. 14.

Vnde Auguſt. de verbis Domini ſer. 5. alloquendo auarum dicit. Diſce & doce; viue & poſce; Deus, qui tibi dat, nihil melius, quã ſe tibi dat auare. Quid aliud quærebas, aut ſi aliud petas, quid tibi ſufficit, cui Deus nõ ſufficit? Et rurſus; Auare vis omnia poſſidere, audi Chriſtum dicentem; Omnia tradita ſunt mihi à patre meo. Et poſt pauca; Auare, ecce habes omnia. Sed vt omnia, quæ amas, habeas, & non impediaris à Chriſto, omia cõtemne, & ipſum tene, in quo poſſis omnia poſſidere. Hæc ille. Talis fuit Augu. qui de ſe ait; ſuper Pſal. 26. Quicquid mihi præter Deum eſt, dulce non eſt; quicquid mihi vult dare Deus meus, auferat totum, & ſe mihi det. Sunt autem quatuor ſpecies auaritiæ ſecundum quatuor ſpecies hydropiſis *Prima* dicitur leucophlegmatica, quę etiam totius corporis eſt mollis inflatio cedens digitorum impreſſioni. Et dicitur ſic ab albo colore & humore. leucõ enim græcè, humor dicitur latinè. *Secunda* dicitur ypposartha. Et dicitur ab yppos quod eſt ſub, & ſarthos caro, quaſi ſub carne. Eſt enim conſumptio carnium cum reſpiratione mali odoris. *Tertia* vocatur aſthites, ab aſtos quod eſt vter, eo quod venter percuſſus ſonat ad modum vtri ſemipleni. *Quarta* dicitur Tympanites, quia venter percuſſus ſonat ad modum tympani, quod facit ventoſitas incluſa. Harum duæ primæ ſunt ex frigiditate, & ſunt curabiles; duæ verò ex caliditate, & ſunt incurabiles. Eo modo quatuor ſunt ſpecies auaritiæ; duę ſunt circa retinenda ſua, quod eſt ex timore malè infrigidante, quando homo timet, ne deficiant neceſſaria vitę vſque in ſenium. Et ſic retinet, nec pauperibus largiuntur, tamen ſi à potentioribus comprimantur per violentiam largiuntur. Similiter quando homo timet, ne minuatur ſubſtantia, nil dat pro Deo, ſed eam ſeruat, poſtea tamẽ luxurioſe viuens, omnia inepte cõſumit. Et iſtæ ſunt duæ ex frigiditate humoris malè humiliantis hominem, qui non permittit eas dilatari ad bonum. Aliæ duæ ſpecies ſunt circa rapienda aliena, qui rapientes aliena in vanitatibus conſumunt ad modum vtri, qui prius impletur & poſtea euacuatur. *Væ qui congregat auaritiam domui ſuæ.* Alij qui

Ibi. ſerm. 17.

Hydropiſis ſpecies 4.

Auaritiæ ſpecies 4.

Abac. 2.

rapiunt aliena per fraudem, vſuram, & dolum, nec tamen ad vtilitatem ſuam expendunt, iuxta illud poëticum. *Quærit & inuẽtis miſer abſtinet, & timet vti.* Et tales tympano comparantur, quod eſt pellis ſicca & extenſa, ad nihil valẽs niſi ad verbera, quia tales deſiccati ſunt ab omni humore gratiæ & pietatis, & diſtenduntur ad cutam ſuperfluam, iuxta illud Eccleſ. 1. *Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, vt diſtendantur in ea*, ſcilicet ad lucra temporalia, ad modum veſicæ, quæ diſtenta & inflata citius crepat.

Tertiò iſte hydropicus ſignificat peccatorem luxurioſum propter eius fœtorem. Hydropici enim ſunt peſſimi anhelitus, & flatu ſuo alios inficiunt. Sic luxurioſi ſemper fœtent coram Deo per fœtorem conſcientiæ, & apud homines per infamiam ſuæ famæ De quibus Ioel 1. *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Hæc eſt aqua, de qua Dominus dicit ad Samaritanam. Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterũ*, quia vt dicit Hierony. Iſtud peccatum non poteſt odiſſe ſtomachus ſaturatus; vnde eſt in cõtinua ſiti & in continuo fœtore, quem tamen ipſe non ſentit. Et hoc eſt generale de omnibus voluptatibus huius mundi. Nam voluptas ſæculi eſt ſicut aqua in puteo tenebroſo, quam hauriunt homines hydria cupiditatis. Nam qui non præmiſerit cupiditatem, non perueniet ad voluptatem; ad quam cum quis perueniet, nunquid non iterum ſitiet? quaſi dicat, vtique ſitiet. Et verum eſt quod fingit Ouidius 15. Methamorphoſeos de fonte Saluationis, qui talis erat virtutis, quod ſexũ abſtulit viro, qui in aqua ipſius balneauit; ad ſignificandum, quod voluptas ſæculi auffert omnes vires illis, qui ſe exponũt ad eam. Sic Sampſon in voluptate carnali animi ſtrenuitate fuit ſpoliatus. Iudic. 16. Et Hannibalem inuictiſſimum ducem Carthaginẽſem, de quo dicit Valerius lib. 9. cap. 1. quædam mulier proditioſè tradidit inimicis.

3. Luxuria.

III. Di-

III.

Liberum arbitriū probatur. Pſal. 118. *Dimiſit.* Magna liberalitas eſt nihil poſcere pro cura ſanitatis perfectæ, ſed libere dimittere. Quid tunc facit Deus, quando poſt remiſſionem peccati hominem iterū reſtituit proprio arbitrio, vt poſſit dicere cum pſal. *Anima mea in manibus meis ſemper.* Neminem enim cogit benefacere, ſed eum relinquit in conſilio ſui liberi arbitrij, iuxta illud Eccl. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui; Adiecit mandata & præcepta ſua, Si volueris mandata conſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſeruare. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; Quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc libertas arbitrij ſignificatur in conuiuio regis Aſsueri, cuius conuiuas nemo cogebat ad bibendum, ſed vnuſquiſque bibebat quantum volebat. Propter q̄ Iſa. 1. dicitur; *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Quaſi dicat. Nullus cogitur. Et alibi; *Si malum vobis videtur, vt ſeruiatis Domino, optio vobis datur* Hinc pſ. 1 ait; *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Ex quo patet quod nullum bonum eſt homini meritorium ad vitam æternam, niſi voluntarium. Præſens meritum enim penes voluntatem conſiſtit.

Eſt. 1. Ieſue vlt. Pſal. 53.

Obiectio. Ioan. 6. Sed diceres. Tamen Chriſtus dicit, *nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Item ſponſa petit trahi dicens; *Trahe me poſt te.* Quod vtique non eſſet, ſi propria voluntate currere poſſet, quando vellet Item Apoſtolus dicit de ſe, quod inuitus malum facit. *Non quod bonum volo hoc ago, ſed quod odi malum.* Item. *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Item *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, vertet illud.* Similiter. *Deus operatur in nobis velle & perficere.* Similiter; *Non eſt in homine via illius, nec viri eſt, vt dirigat greſſus ſuos.* Ad iſta omnia breuiter eſt dicēdum, quod omnia iſta vera ſunt ſubtracto principaliter diuino auxilio. Nam ſecundum Tho. 1. q 85, art. 10. Deus eſt principale mouens noſtræ voluntatis, non tamen per hoc auffert nobis, quin actiones noſtræ ſint voluntariæ. Vnde ſecundum ipſum quædam agunt abſque iudicio, ſicut lapis mouetur deorſum. Similiter omnia alia cognitione carentia, quædam agunt iudicio, ſed non libero, ſicut bruta. Iudicat etiam ouis videns lupum eſſe fugiendum naturali iudicio, ſed non libero; quia non ex collatione rationis, ſed ex naturali inſtinctu hoc iudicat. Et ſimile eſt de quolibet bruto. Sed homo agit libero arbitrio, quia per vim cognitiuam iudicat aliquid de ſe eſſe fugiendum aut proſequendum. Sed quia iudicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis, ideò agit libero iudicio potens in diuerſa ferri. Vnde ex eo ipſo, q̄ homo eſt rationalis, etiam eſt liberi arbitrij. Hæc ille. Quod ergo dicitur; Deus nos trahit vel impellit, non eſt intelligendum per coactionem violentam, ſed per allectionem benignam & piam. Vnde Hymeneus ſuper illud; Trahe me poſt te, dicit; Trahit nos Deus promiſſionibus dulcedinis ſupernæ patriæ; trahit diuerſis donis, impellit flagellis, minis ignis gehennæ. Sic Moyſes traxit populum promittendo rerum diuitias. Pharao impulit verberibus. Dicitur ergo trahere nolentem, quando eum inſpirat ſua gratia præueniendo, vt bonum velit, & poſtea volentem ſubſequitur adiuuando, vt bonum poſſit. Eſt ergo gratia, cum præuenimur vt velimus; donum eſt, cum iuuamur, vt poſſimus; arbitrium eſt, vt eum ſequi poſſimus; libertas eſt, ſi ſpontè ſequimur; captiuitas, ſi ſequi abnuimus, id eſt, denegamus; fragilitas, ſi ſequentes relabimur; meritum, ſi ſequendo non deficimus, & hoc non nobis, ſed gratiæ Dei aſſcribimus, per quam perueniemus ad præmium æternum; Quod nobis præſtare dignetur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

Cant. 1. Rom. 7. Rom 9. Prou. 21. Philip. 2. Ierem. 10. Reſpōſio.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Omnis qui ſe exaltat humiliabitur & qui ſe humiliat exaltabitur. Lucæ 14.

NIhil ſic debet cuſtodire Chriſtianus, quá vt à Chriſto veraciter dicatur Chriſtianus. Ad hoc enim totis debet viribus anhelare, ne fruſtra nomẽ Chriſtiani gerat, ſi non veraciter Chriſtum imitetur. 1. Ioan 2. *Qui dicit ſe in Chriſto manere,* id eſt, in fide Chriſti, *debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Et nemo eſt, qui Euangelium legit, qui non intueatur Chriſtum eſſe doctorem humilitatis, cuius ſectatores virtuoſos eſſe conuenit, qui ſe Chriſtianos appellant. Vnde licet alia opera mandatorum diuinorum Chriſtianis præcipiãtur in ſcripturis; *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata;* Aliaque multa conſilia ſuperaddendo dicit. *Qui poteſt capere capiat;* Nihil tamen ita in ſe exemplariter imitandum oſtendit, ſicut humilitatem. Cum enim de præceptis ageretur, non eſt dictum; Diligite Dominũ Deum veſtrum, ſicut ego dilexi eum; Nec dictum eſt; Diligatis proximum veſtrũ, ſicut ego dilexi eum, pro quo animã meã poſui. Similiter cũ de operibus conſiliorũ ageretur, non eſt dictũ; Eſtote pauperes aut continentes; ſicut ego fui; ſed cũ ad humilitatis præceptum veniret, mox in ſe formã virtutis perfectæ oſtendens dixit; *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Sic cum ad pietatis benignitatem hortaretur, de patre cœleſti exemplum ponens dixit; *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Sicut ergo patrem in exemplum miſericordiæ poſuit, ita ſeipſum in exemplũ humilitatis ponere voluit. Quam ſiquidẽ humilitatem ita ſe diligere approbauit, vt nũ niſi per eam genus humanum redimere voluerit, iuxta illud. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem* Nec mirũ, quod humilitate redemit, quod ſuperbia perierat. Nam *filius hominis venit quærere & ſaluum facere, quod perierat;* Perierat aũt ſuperbia deceptoris; quæſitus & ſaluatus eſt humilitate redemptoris. Chriſti humilitate mundamur, qui niſi humiliaſſet ſemetipſum factus obediens vſque ad mortẽ crucis, non vtique ſanguis in remiſſionem peccatorum, hoc eſt, in noſtram mundationem fuiſſet effuſus. Cum igitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus humilitatem humilis ſeruauit vſque ad mortem; certè erubeſcere debet homo eſſe ſuperbus. Nec enim ad aliud ita humilis deſcendit, niſi vt ſuperbum humiliaret. De quo ita Augu. Tu, inquit, humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbũ; Humiliaſti te, & humiliatus eſt ſuperbus. De Chriſto humiliato ita dicit Apoſtolus. *Propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Ecce quomodo Chriſtus per humilitatis viam deſcendit de cœlo & terram, & tamen non per aliam ſed per eandem viam de terra aſcendit ad cœlum. Ad hoc deſcendit humiliatus ad terram, vt humilitatis viam doceret; vt ſic homines diſcerent expurgare vetus fermentum, quod eis de veteri homine remanſiſſet. Ad hoc autem per humilitatẽ aſcendit in gloriam, vt doceret non eſſe aliam viam perueniendi hominibus ad Deum, niſi per humilitatem. Ambula per humilitatem, & peruenies ad æternitatem, inquit Aug. Merito igitur ſuadet nobis Chriſtus humilitatem tanquam viam ſalutis, oſten-

Matt. 19. *Humilitas præ omnibus præcepta.* *Matt. 11.* *Luc. 6.* *Philip. 2.* *Luc. 19.* *ſer 1 ſuper pſal. 85.* *Philip. 2.*

Propoſit. ſtendens, quod *qui ſe humiliat exaltabitur.* In quibus verbis tria deſcribuntur. *Primo* ſuperbiæ præſumptuoſa elatio, cum dicitur; *Omnis qui ſe exaltat. Secundò*, humilitatis affectuoſa ſubiecto, cum dicitur; *Et qui ſe humiliat. Tertio* annectitur vtriuſque diſpar & diſſimilis iuſtiſſima retributio, cum dicitur; *Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

I.

Omnis qui ſe exaltat. Magna temeritas & præſumptio hominum eſt ſe magnificare & exaltare in loco mundi huius, qui eſt locus non gloriæ, non honoris, ſed horroris & vaſtæ ſolitudinis. Deut. 32. *Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis.* Quæ ergo eſt ſtultitia iſta, vt homo velit hic gloriari & glorioſus apparere, vbi potius lugere deberet, tanquam in valle Eccl. 9. lacrymarum & miſeriæ? in quo *neſcit, vtrum* Pſal. 74. *amore vel odio dignus ſit?* Propter quod pſa. in perſona Domini nuncians dixit: *Dixi iniquis nolite exaltare cornu veſtrum, nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.* Et quia maior inæqualitas hominis ad Deum, quã ſuperbia & gloria? per quam homo iniuriã magnam Deo facit, & quodammodo rapinam, dum vnicam ſponſam ſibi tantum ſoli reſeruatam vſurpare contendit. Cum di Eſa. 42. cat Deus; *Gloriam meam alteri non dabo.* Vt igitur homo ſuperbiam fugiat, quæ qualis, quanta, quam magna, quam periculoſa ſit, agnoſcat. Malum enim non euitatur Dominica 11. poſt Trinit. niſi cognitum. Licet autem ſufficienter de huiuſmodi peſte iam alibi me dixiſſe recolo, nihilominus tamen ad inculcandũ melius memoriæ ſuperborũ huius peſtis malitiam, & exponendam eius impietatem, non pigebit, ad præſens iterare ſermonem, cum tanto dulcius fit menti fideliũ de hoc audiendi præbere officium, quanto & reproborum per ſuperbiam periculum, & electorum per humilitatem præmium melius innoteſcit. Si igitur ſuperbi iſtud volũt vitare vitium; *Primo* cognoſcant quale ſit in ſe. *Secundo* qualẽ turbam vitiorũ ſecũ affert. *Tertio* quibus cautelis iſtud poſſit vi- Superbia- [illegible] vitium. tari. Quoad primũ, ſciendũ ꝙ licet volũtas hominis in ſua prima creatione ſic fuiſſet formata libera, vt nulli eſſet ſubiecta niſi Deo, nec tamẽ hoc coactè, ſed ſpontè, vt poſſim ei ad meritũ facta ſua reputari. Cui etiam datus fuit appetitus, quo deſideraret ſummum bonum, ſummam gloriam, ſummã delectationem, quæ eſt Deus. Neque hic à quoquam, ſicut & nunc, niſi ab ipſo Deo ſatiari potuit. Verũ iſte appetitus ſuaſu diaboli ita peruerſus eſt, vt homo dimiſſo ſummo bono & ſumma delectatione diuinæ bonitatis, rebus tranſitorijs & caducis adhærens, in eis gloriam quęreret & delectationem. Et hęc vocatur ſuperbia, per quam homo ſe magnum reputat ſeducens cor ſuum, cũ ſit miſer & vacuus, gloriatur in diuitijs, quæ ſunt terra & lutum. Hinc ſuperbia eſt, quando aliquis extollit ſe ſupra illud, quod eſt ſibi præfixum à diuina regula, vt dicit Th. contra quos Ap. 2. 2. q. 16. dicit; *Nos autẽ nõ in immenſum gloriabimur,* 2. Cor. 10. *ſed ſecundum menſurã, quam menſus eſt nobis Deus.* Menſura autem Dei eſt, ne aliquis glorietur in aliqua creatura, ſed tantum Ibidem. in ipſo, iuxta illud; *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et ex hoc apparet verum dixiſſe Sapientem; *Initium ſuperbiæ hominis eſt* Eccl. 10. *apoſtatare à Deo.* In hoc enim radix ſuperbiæ conſideratur, quod homo aliqualiter non ſubditur Deo & regulis ipſius. Hoc autem, quod non vult ſubijci, habet rationem peccati mortalis. Vnde ſuperbia, ſecundum genus ſuum, eſt peccatum mortale, tamen interdum poteſt eſſe peccatũ veniale. Sicut enim in alijs, quæ in ſuo genere ſunt peccata mortalia, puta in fornicatione & adulterio ſunt aliqui motus, qui ſunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, ſc. quia præueniunt iudicium rationis, & ſunt præter eius conſenſũ, ita etiam circa ſuperbiam accidit, quod aliqui mot⁹ ſuperbię ſunt peccata venialia, dum eis homo non conſentit. Ex quo infero iſtud infallibile documentum, quod cum ſuperbia eſt peccatum mortale; tunc eſt regina omnium vitiorum. Et benè dico regina propter eius animoſitatem. Nam caſtrum ſuum, quod ſemel poſſederit, potenter defendit, & ei præeſt & dominatur. Sed timeat ſibi iſta domina & regina, quæ licet ita fortis ſit, tamen coram Deo valdè debilis eſt, quia eſt ad modum paleæ leuis, quæ ex eo quod ſemper ſuperiorẽ appetit locũ, ſuper alios

eſt. Et ſic palea ſupra granum eſt, non propter eius valorem; ſed eius leuitatem. Sic ſuperbi ſuper bonos ſunt, quibus non immerito timendum eſt, ex eo quod dicitur Matth. 3. *Paleas autē comburet igne inextinguibili*. Nec mirum, quod ſic eam Deus punit inextinguibiliter, quia tantū eam odit, quod nulli creaturæ in quocunque loco inuenta fuit pepercit. In cœlo namque nata eſt, & ſtatim expulſa. In paradiſo affuit, & mox eiecta eſt. Sic in Pharaone, Nabuchodonoſor, Antiocho, Herode, & alijs grauiſſimè punita. Et quam viliter punita? De Lucifero clariſſimo angelo fecit nigerrimum & deformem diabolum, quo nihil turpius aut horribilius. De Adam fecit hominem iumentis ſimilem. *Comparatus eſt iumentis inſipientibus &c.* De Nabuchodonoſor fecit bouem; de Antiocho fecit putridum canem; de Herode fœtidiſſimum vermem. Et hoc eſt valdè mirabile, quod alia omnia peccata punit Deus quādoque pœna honeſta; ſicut homicidia & adulteria gladio, hæreſes igne, fures patibulo, & quandoque per angelos, quandoque per homines; ſuperbiam punit, etiam per viliſſima & immundiſſima. Poterat Deus vrſis & leonibus Pharaonis ſuperbiam domuiſſe; ſed muſcas immiſit, vt rebus viliſſimis vinceretur, qui maximum, ſcilicet Deum, vincere præſumebat. Similiter Dathan & Abiron viuos terra abſorbuit. Sunt autem quatuor loca quaſi quatuor caſtra huius reginæ. Dilatat enim regnum ſuum ad quatuor loca in homine, ſcilicet ad cor, os, manum, & habitum. De corde Ezech. 28. *Eleuatum eſt cor tuum & dixiſti; Deus ego ſum.* De ſuperbia oris dicit Pſal. 11. *Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam* Et ſequitur; *Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* De ſuperbia dicit Pſal. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* De ſuperbia habitus dicit Pſal. 143. *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi* Perículoſa eſt autem iſta peſtis propter duo; *Primum* eſt, quia ſemper eſt cauſa ſubtractionis gratiæ diuinæ in homine. Vnde dicit Bern. Ecce lapis offenſionis in via impij & cornua, ſuperbia inuenta eſt in me, & Dominus declinauit à ſeruo ſuo in ira. *Secundum*, quia cauſa eſt non dandi gratiam, *quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam ſuam.* Iacob. 4. Vnde quidam legitur dixiſſe Alexandro Magno, qui ſuperbus erat, Deus daturus erat tibi ſapientiam, ſed non habes, vbi eam recipias.

Superbia viliter & grauiter punita.

Pſal. 48.

Exod. 8.

Num. 16.

Pſal. 100.

Secundo, magnam turbam vitiorum ſecum adducit. Nam eam ſequuntur iſta vitia. Primo inanis gloria, quæ eſt inordinatus animi motus, quo quis propriam excellentiam deſiderat, vt alios honore præcellat. Et cauſantur in hoc motu tria vitia. *Primo* quādo homo vult ſibijpſi placere, & maiorem ſe reputare, quam in rei veritate eſt. Et hoc eſt propriè ſuperbia. *Secundo* quando homo vult apparere, vt ab alijs maior credatur, & in hoc ſtudet eis placere veſtibus, diuitijs, & ſic de alijs Et dicitur inanis gloria. *Tertio* quando homo vult præire alios ad hoc vt alij ſint ſub eo. Et hoc dicitur ambitio, quam hic Dominus repræhendit; *Non diſcumbas in primo loco*, id eſt, nō aſcēdas ambitioſè ad honores, vt primus videaris inter omnes, & alij videantur vltimi. Et iſte gradus ſuperbię valdè eſt cōtrarius Deo, propter quod de eo hic tangitur in Euangelio, quia cum omnia ſint ſubiecta Deo, ſuperbus vult eſſe ſuipſius, & ita ſpoliat Deum debito honore, id eſt, vero ſuo dominio, quantum eſt in ſe, & ingratus eſt de beneficijs, quæ recepit, de quibus propriam gloriam quærit, non Dei. ſecundum Tho. 2. 2. q. 13. poteſt eſſe mortale peccatum, tunc cum quis gloriatur de aliquo facto, quod contrariatur diuinæ reuerentiæ; Vel cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo; Vel cum quis intentionem ſuam refert ad gloriam tanquam ad vltimum finem, ad quem ordinat etiam virtutes & opera bona, & pro quo prætermittit, quæ ſunt circa Deum, & tunc eſt ſemper mortale. Ex iſto autem vitio vanæ glorię oriuntur alia vitia, ſicut hypocriſis, inepta lætitia, iactantia, contentiones, præſumptiones, diſcordiæ, nouitatum inuentiones, & inobedientia. Sicut patet de primis parentibus, qui propter ſuperbiam

Superbia magnam turbā vitiorum adducit.

Vanagloria quādo peccatum mortale.

ſuperbiam contempſerunt obedire Deo. Similiter filij Iſrael rebellauerunt Deo & Samueli. Ad quod reducitur inobedientia Chriſtianorum, qui nolunt ſuis ſpiritualibus vel ſæcularibus Prælatis obedire. Sicut dogmatizant Huſſitæ dicentes; Omnes ſumus æquales creati à Deo, non debet vnus alteri præeſſe. Hoc enim faciunt gentiles vt dicit Chriſtus. Sed non attendunt miſeri quod dicit; *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Et Apoſtolus. *Obedite præpoſitis veſtris.* Ex quo concluditur ſecundum Thomam, quod per fidem Chriſti non tollitur ordo iuſtitiæ, ſed magis firmatur. Ordo autem iuſtitiæ requirit, vt inferiores ſuperioribus obediant. Aliter enim non poſſet humanarum rerum ſtatus conſeruari.

1. Reg. 8. — Luc. 22. — Hebr. 13. — 2. 2. q. 104

De cautelis, quibus iſtud vitium poſſit vitari, ſciendum eſt, quod inter alia multa ſunt tria præcipua remedia contra iſtud vitium. *Primum* eſt conſideratio melioris. Vnde Gregorius: Sicut incentiuum elationis eſt reſpectus deterioris, ita cautela humilitatis eſt conſideratio melioris. Refertur de quodam fratre, qui multum gloriabatur, quod multũ potuit vigilare & maturius alijs ſurgere, ita quod non putabat ſibi ſimilem. Beatus autem Bernardus videns eũ ita ſuperbire, dedit ſe ad hoc, quod ſemper maturius ſurrexit, & vigilauit quã ipſe. Ille verò conſiderans hoc fuit ab illa ſuperbia retractus, quia vidit ipſum meliorem. *Secundum* eſt cohabitatio humilium. Nam dicit Eccleſiaſt. *Qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiam*; Sic qui cõmunicat humili induet humilitatem. *Tertium* eſt conſideratio propriæ vilitatis & fragilitatis, quia homo non eſt niſi vas ſtercorum. Vnde Mich. *Humiliatio tua in medio tui,* id eſt, in ventre, qui eſt medium corporis; quem ſi quis conſiderat, quod in eo non aurum, non margaritas, non lapides, ſed viliſſima quæq; portat, verè humiliabitur. Et tantum de primo.

Remedia contra ſuperbiam. — Eccl. 13. — Mich. 6.

I I.

Et omnis qui ſe humiliat exaltabitur. Humilitas eſt ſtatus ſubiectionis, ſicut ſuperbia eſt ſtatus dominationis. Et quia Chriſtus docuit diſcipulos ſuos diſcernere à diſcipulis diaboli per ſtatum ſubiectionis, cum dixit, *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem exercent inter eos, benefici vocantur. Non ita erit inter vos, ſed qui maior eſt veſtrum, erit ſicut miniſter.* Igitur patet quod veri diſcipuli Chriſti ſemper debent tendere potius ad ſubiectionem voluntariam quam ad principatum in hac vita, ſi volunt exaltari in futuro. Propter hoc dicitur hic; *Omnis qui ſe humiliat.* Talis fuit Chriſtus, qui de ſe ait; *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Iſtud oſtendit in lotione pedum Apoſtolorum. Vbi dicit Auguſtinus in Ioannem ſermone quinquageſimo quinto. Cum pater omnia dediſſet in manus ſuas, ipſe tamen non manus, ſed pedes lauit. Et cum ſe ſciret à Deo exiſſe, & ad Deum pergere, non Dei, non Domini, ſed hominis ſerui impleuit officium. Vnde de eo dicitur, Philippenſ. ſecundo. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* Ex quo patet, quod non poteſt humilitas melius acquiri, quam in ſtatu ſubiectionis & obedientiæ. Ad quam quidem ſeruandam tria hominem inducunt; ſcilicet conſideratio propriæ vilitatis; *Secundo* conſideratio propriæ iniquitatis; *Tertio* conſideratio futuræ calamitatis. Conſideratio propriæ vilitatis inducit ad humilitatem. Non enim ex auro aut argento, non ex aere, vt volatilia; non ex aqua, vt piſces; non ex igne, vt ſidera, formatus eſt homo, ſed ex terra viliſſima, quæ eſt infimum elementum. Quam autem conceptus viliter, natus turpiter, & viuens miſerabiliter, quis audet ſalua reuerentia auditorum edicere? Hinc eſt, quod Dominus volens Adam ſtatim poſt lapſum ad humilitatem reducere, iſtam ei vilitatẽ ante oculos propoſuit dicens; *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Hoc eſt quod hodie clamat Iob ad memoriã omnium reducẽs; *Deficiet omnis caro, ſimul & homo in cinerem reuertetur.* Vbi dicit Greg. quod homo cũ humilitatis ſpiritu tangitur, quid aliud ſe eſſe quam cine-

Luc. 22. — Ibidem. — Philip. 2. — *Ad humilitatem ſeruandã tria inducunt.* — I. *Conſideratio propria vilitatis.* — Geneſ. 3. — Iob 34.

cinerem recordatur? Iam in cinerem Abraham reuerſus fuerat dicens; *Loquar ad Dominum, cum ſim puluis & cinis?* Et tamen viuentem carnem necdum in terram mors ſolucrat, hoc tamen apud ſe erant ſancti, quod ſe futuros abſque dubitatione præuidebant. Hinc alias dicitur; *Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Quid autem ſpiritus eorum, niſi ſpiritus ſuperbiæ nominatur? Tollatur ergo ſpiritus eorum & deficient, id eſt, ſubducto ſpiritu ſuperbiæ nihil ſe eſſe cognoſcent, & reuertentur in cinerem, id eſt, humilientur ex infirma conditione. Talis fuit Sapiens, qui conſiderans fragilitatem ſuæ naturæ dixit. *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt.* Vnde Eccleſiaſt. *Quid ſuperbis terra & cinis?* Narrat Macrobius de quodam rege qui dicebatur Anthoclea, qui alias dicitur Antheola, quod nunquam voluit comedere vel bibere de vaſis aureis aut pretioſis, ſed luteis. Sed cum quæreretur, quare id faceret; reſpondit, pro eo, quod licet eſſet rex Siciliæ, tamen fuit lutifigulus natione, & ideò in memoriam ſui generis de talibus vaſis comedebat. Sic nos deberemus dicere coram Deo illud Iſaiæ *Domine Deus, Pater noſter es tu, nos verò lutũ.* Et Ierem. *Sicut lutũ in manu figuli, ſic vos domus Iſrael in manu Domini.* Ex quibus infero, quod ſicut radix ſuperbiæ eſt ignorantia ſui, ſic radix humilitatis eſt cognitio ſui. Vnde dicit Bernardus. De ignorantia tui venit iſta ſuperbia. Ex quo Bernardus trahit definitionem humilitatis dicens; Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima cognitione ſui ſibimetipſi vileſcit. Et Hugo dicit, quod humilitas eſt ex intuitu propriæ conditionis & fragilitatis voluntaria mentis inclinatio. Vnde de B. Iob dicitur; quod teſta ſaniem radebat. Quod exponit Gregorius. Vnde enim teſta, niſi ex luto conficitur. Quid verò eſt ſanies corporis. niſi lutum? Saniem ergò teſta perhibetur radere, ac ſi apertè diceretur, lutum tergebat luto. Penſabat quippè vir ſanctus, vnde ſumptum erat, quod geſtabat, & fragmẽto vaſis fictilis vas fictile radebat. Hæc ille. Patet ergò quod cognitio propriæ vilitatis inducit humilitatem. *Secundò* cõſideratio propriæ iniquitatis inducit ad humilitatem. Sicut enim dicit Apoſtolus; *In multis offendimus omnes*; & ideò conſiderans homo iniquitatem ſuam & peccatum quod eſt contra eum ſemper, meritò humiliabitur tanquam debitor culpabilis Domini ſui. Talis fuit ille qui de ſe ait; *Priuſquam humiliarer, ego deliqui*, id eſt, hoc quod humiliatus ſum, potius delictis meis attribui, quam meritis meis arrogaui. Et certè faciunt hoc bruta, quæ cum offendunt dominos ſuos, fugiunt & verecundantur. Sicut patet de cane & alijs, multò magis ergò debet hoc facere homo. Falco eo die, quo non capit prædam, ad manum domini non redit, quaſi confuſus. Leo beati Hieronymi, cui aſinus fuit ad paſcendum commiſſus, amiſſo aſino & à latronibus ſubtracto multum erubuit, quia Dominum offendit. *Tertiò* conſideratio futuræ calamitatis inducit ad humilitatẽ. Nullum enim eſt animal, quod metu verberationis non manſueſcat, & non deponat ſuperbiam. Sicut patet de leone, qui ex verberatione canis timens etiam verberari, multum humiliatur. Ideo Propheta dicit de ſe. *Afflictus ſum*, ſcilicet prius, *& humiliatus ſum nimis.* Si igitur peccator conſiderat futuram miſeriam, quæ ſibi eſt præparata, verè humiliabitur, & petet veniam & deponet ſuperbiam.

Gen. 18. — Pſal. 103. — Sap. 7. — Eccl. 10. — Lib. 3. Epigr. 22. — Iſa. 64. — Ierem. 18. — Serm. 37. ſup. Cant. — Iob 2. — 2. Conſideratio propriæ iniquitatis. Iacob. 3. — Pſal. 118. — 3. Conſideratio futuræ calamitatis. — Pſal. 37.

Ille humiliabitur, iſte exaltabitur. Deus ita ſalubriter deijcit elatum, ſicut erigit humilem, inquit Aug. Iſta eſt ergo iuſtiſſima retributio diuina, vt ſuperbi deprimãtur, & humiles exaltentur, iuxta illud; *Tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Et illud iam oſtenſum eſt in pluribus, ſicut in Lucifero. De quo Iſa. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Et Iob: *Si aſcenderit vſq; ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Ecce qualis exaltatio vſque ad nubes, & qualis deiectio & depreſſio vſq; in ſterquilinium, vbi omnes feces congregantur. Vnde in Pſal. *Veruntamen fex eius non eſt exinanita.* Recta eſt ergo retributio diuini iudicij, de qua dicitur in pſal. *Omnia cornua peccatorum confringam*, ſcilicet ſuperborum

In pſ. 138. — Pſal. 17. Superbi deprimũtur. — Iſa. 14. — Iob 20. — Pſal. 74. — Ibidem.

borum, *& exaltabuntur cornua iuſti.* Nec mirum, quod cornua ſuperborum deprimentur, cum hæc ſint Deo multum abominabilia. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud Deum.* Et: *Contemptibilis tu es valdè; Superbia cordis tui extulit te.* Et ſequitur; *Si exaltatus fueris vt aquila, et ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus.* Econuerſo autem humilitas ſemper exaltatur à Domino, & hic & in futuro. In præſenti ſiquidem exaltatur tripliciter; *Primo* quia talis illuſtratur ſapiẽtia diuina & intellectu, & clarius cognoſcit, quæ ſunt ſalutis vltra cæteros, iuxta illud; *Vbi humilitas, ibi ſapientia.* Sicut dicitur; vbi maior vallis, ibi maiores radij ſolis. Vnde Saluator agit gratias Deo Patri, *Quod abſcondit ſapientiam ſuam à ſuperbis, & reuelauit eam paruulis*, id eſt, humilibus. *Secundò* quia talis accenditur diuino amore in affectu, iuxta illud; *Humilibus dat gratiam ſuam*, ſcilicet diligendi ſe. Sicut videmus quod in maiori concauitate peluis, maior fit calor ignis. Vnde in ſpeculo concauo ex reflexione radiorum ſolarium incenditur ieſula. Sic ex nimia humilitate generatur calor dilectionis diuinæ. *Tertiò*, quia talis vltra cæteros proſperatur in bonorum operum effectu. Sicut patet de Dauid, quem de poſt fœtantes ouium tulit, & regem fecit. Similiter Saulem, cui dictum eſt; *Nonne cũ paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus factus es?* Vnde Eccleſiaſt. *Radices ducum ſuperborum areſecit Deus, & plantauit mites pro eis. Depoſuit potentes de ſede.* Ecce tres prærogatiuæ, quibus in hac vita gratiæ exaltãtur humiles. In futuro etiam exaltabuntur tripliciter. *Primo* quantum ad viſionem clariorem diuinitatis. Et hoc eſt ſummè delectabile. De quo Iſa. *Ecce intelliget ſeruum meus*, ſcilicet humilis, *& exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valdè*, ſcilicet ſuper cæteros. *Secundo* exaltabitur humilis vſque ad conſeſſum dignitatis Angelicæ. Vnde Eccleſiaſt. *Sapientia humiliati exaltabitur caput illius, & in medio magnatorum conſedere illum faciet.* Et iterum: *In medio populi ſui exaltabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.* *Tertio* exaltabitur vſq; ad participationem hæreditatis æternæ. Vnde dicitur in Pſalm. *Cuſtodi viam eius & exaltabit te, vt hæreditate capias terram.* Notanter dicit *viam eius*, quæ eſt humilitas, quæ eſt via Chriſti, vt dictum eſt ſupra. Ad quam hæreditatem nos perducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Amen.

Luc. 19. Abdias. — Humiles exaltantur in hac vita. — Prou. 11. — Matt. 11. — 1. Pet. vlt. — Pſal. 77. — 1. Reg 15. — Eccl. 10. — Luc. 1. — Humiles exaltantur in altera vita. — Iſa. 52. — Eccl. 11. — Idem 24. — Pſal. 36. — In exordio.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Matth. 22.

Lib. 3. de conſ. proſ. 2.

QVamuis iuxta Boetium omnis mortalium cura, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diuerſo quidẽ calle procedit, nihilominus tamen ad vnum finem beatitudinis nititur peruenire. Ex aduerſo tamen ipſa humana conditio multiplicibus impedita caſibus, à conſequenda huiuſmodi beatitudine retrahitur & impeditur. Propter quod Boetius; Licet mentibus hominum veri boni naturaliter ſit inſerta cupiditas, tamen ad falſa eos deuius error abducit. Hæc ille. Quamuis igitur homo habeat appetitum naturalem conſequendi beatitudinem, tamen ſæpius errat in via tendendo ad beatitudinem. Propter quod opus eſt, vt via, qua ad ſummam peruenitur beatitudinẽ, oſtendatur, & qualiter in ea debeat ambu-

Vbi ſupra.

lare, perfectè informetur. Huiuſmodi via non eſt aliud, niſi puritas mentis & munditia cordis. Sicut ait Saluator *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ad quam quidem puritatem cordis ſemper debemus aſpicere, tanquam ad lineam omnes actus noſtros regulantem. Hanc puritatem cordis Apoſtolus congruè ſanctificationem appellat; *Habetis*, inquit, *fructum veſtrum*, id eſt, præmium meritorum veſtrorum, *in ſanctificatione*, id eſt, in puritate mentis veſtræ, *finem verò æternã vitam*. Licet autem iſta puritas cordis multis alijs virtutum operibus, videlicet priuatione facultatum, contemptu dignitatum huius ſæculi, acquiratur; efficacius tamen & perfectius acquiri non poteſt, quam perfecta charitate. Hinc B. Proſper charitas, inquit, eſt via, ſine qua non ambulare poſſunt homines, ſed errare; nec mirum, cum dicat Apoſtolus, quod omnia opera de genere bonorum ſine charitate nihil ſunt. Sicut nec fides, nec ſpes, nec eleemoſyna, nec oratio, nec ieiunium, & quæcunque alia, meritoria ſine charitate eſſe non poſſunt; propter quod dicit eam excellentiorem viam alijs, eò quod ipſa eſt cauſa & principium omnium meritorum. Nec ſolum principium, ſed etiam finis, quia *finis præcepti charitas.* Sed qualis charitas, ſtatim ſubdit ibidem, *de corde puro & conſcientia bona* Sed quia vt dicit Bernardus anima hominis legem Dei amiſit, neceſſario eſt ab homine docenda, quomodo videlicet homo purgetur, quomodo proficiat, quomodo ſolidetur in dilectione Dei. Hoc autem fiet, cum homo diliget Deum ex toto corde, per quod purgabitur à vitijs; ex tota anima, per quod proficiet in virtutibus; & ex tota mente, per quod ſolidabitur & confirmabitur in perfectione ſanctitatis. Quia igitur homo oblitus eſt præceptorum à Deo per Moyſen traditorum, venit Filius Dei & factus eſt homo, vt homo homines doceret benignus. Vnde interrogatus à quodam legiſperito, quæ ſit via ſalutis, reſpondit; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* In quibus verbis tria tanguntur. *Primò* iniungitur præceptum perfectiſſimũ, *diliges.* *Secundò* obiectum delectabiliſſimum, *Dominum Deum tuum.* *Tertiò* addit modum regulatiſſimum & ordinatiſſimum, cum dicitur; *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua &c.*

Matth. 5. — Rom. 6. — Puritas mentis maximè acquiritur charitate. — De vita contemplatiua. — 1. Cor. 13. — 1. Cor. 12. — 1. Tim. 1. — Libr. de amore Dei. — De charitate Dei homo inſtruendus. — Propoſit.

I.

Diliges. Præceptum de dilectione Dei in ſe perfectiſſimum eſt; quia ipſa dilectione habita, habentur omnia, & ipſa deficiente, omnia deficiunt. Propter quod Apoſtolus vocat eam radicem & fundamentum. *In charitate radicati & fundati. Radicati*, ſcilicet ad modum arboris ad fructificandum, quo ad vitam actiuam; *& fundati*, ſcilicet ad modum domus ad protegendum & quieſcendum, quantum ad vitam contemplatiuam. In hoc ergò præcepto iſtud eſt perfectiſſimum & excellentiſſimum, quia eſt quodammodo vita, & dat vitam omnibus præceptis, iuxta illud Gregor. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manſerit in radice charitatis. Ideò Apoſtolus meritò vocat eam maiorem ſpe, fide, & alijs virtutibus. Et Chriſtus vocat hic *maximum & magnum mandatum*, & hoc propter eius perfectionem, quia in ea alia omnia perficiuntur. Patet autem eius perfectionis excellentia ex ſeptem cauſis. *Primò* propter eius dignitatem. Nam aliæ virtutes ſunt quaſi terreſtres, quia in terra generantur, & in terra finiuntur, ſicut eſt ſpes, fides &c. *Sed* iſta eſt in cœlo generata & in cœlo perpetuo regnabit ſine fine. Vnde Bernardus dicit, quod dilectionis locus quantum ad eius natiuitatem eſt ipſe Deus. Ibi enim eſt nata, ibi alita, ibi prouecta, ibi ciuis, non aduena, ſed indigena. A Deo enim ſolo amor datur charitatis, & in ipſo manet. Ex quo patet, quod origine dignior eſt charitas cæteris, quia Deum habet locum natiuitatis ſuæ & mãſionis perpetuæ. Nulla enim alia Deus viuit niſi lege charitatis, dicit Bernardus. Lex, inquit, Domini charitas eſt, quę Trinitatem in vnitate quodammodo colligat in vinculo pacis. *Secundò* patet eius perfectionis excellẽtia, propter merendi cauſalita-

Charitatis præceptum perfectiſſimũ. — Epheſ. 3. — Gregor. homil. 27. — 1. Cor. 13. — Charitatis perfectio apparet ex 7. — 1. Origine digniſſima eſt. — De amore Dei ca. 3. — Vbi ſupra cap. 6. — 2. Mater virtutum eſt.

ſalitatē. Ipſa .n. eſt cauſa omniū meritorū, mater omnium virtutum, iuxta illud Sap. 7. *Ignorabam, quoniam bonorum omnium mater eſt.* Propter quod dicit Gloſſa ſuper illud 1. Ioan. 3. *Qui non diligit Deum, non eſt ex Deo.* Et etiam Aug. hom. 5. ſuper Canon. prædictam; Quicquid vis habe, ſi hanc ſolam non habeas, nihil tibi prodeſt. Alia nō habeas, hanc ſolam habe, omnia impleſti præcepta, eo quod plenitudo legis eſt dilectio. Ex quo infero, quod nullus poteſt aliquid facere meritoriè ſine charitate. Hieronymus ſuper illud Amos; *Odi & proieci feſtiuitates veſtras;* dicit; Qui ſine charitate videntur ieiunare, dare eleemoſynas, pudicitiam polliceri, quæ holocauſta ſunt vera, non ea ſuſcipit Dominus. Ex hoc patet quod opera de genere bonorum apud ſchiſmaticos aut hæreticos non ſunt meritoria, quia ſunt extra charitatem vniuerſalis Eccleſiæ, in qua ſolum eſt charitas. Vnde licet extra Eccleſiam vniuerſalem poteſt haberi fides & baptiſmus, vt dicit Aug. non tamen charitas, quia Eccleſia non eſt niſi collectio in charitate. Vnde Auguſt. dicit, quod talibus non proſunt aliqua opera ad ſalutem, nec etiam mors pro Chriſti nomine ſuſcepta. Econuerſo verò etiam minima opera magni ſunt meriti, ſi fuerint in charitate. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedē.* Hinc Aug. ſuper illud 1. Ioan. 3. *Deus charitas eſt,* dicit quod habens charitatē, poteſt facere quicquid vult, & erit ſibi meritorium. Dilige, inquit, & quicquid vis fac. *Tertiò* patet excellentia perfectionis eius propter eius diuturnitatem. Nam *ſiue prophetia euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, charitas tamen nunquam excidit.* Ex quo Apoſtolus concludit eius perfectionem, quia nunquam ceſſabit. Nam in vita æterna non erit prophetia ad prædicendum futura, nam omnia erunt præſentia. Videndo enim Deum videbuntur omnia. Similiter non erit donum linguarum ſicut modo, quia non erit opus, vt quis lingua alium doceat de dubio, cum omnia erunt certa & erunt omnes docibiles Deo. Similiter ſcientia ceſſabit quantum ad diſcurſum, & quantum ad ſcientiam acquiſitam. Similiter fides ceſſabit, quia non per ſpeculum ſed clarè Deus videbitur. Similiter ſpes ceſſabit, quia conuertetur in rem certam. Sed charitas non ceſſabit, ſed magis augebitur, iuxta illud; *Ignis eſt in Syon & caminus in Ieruſalem.* Et in hoc perficietur potius quam corrumpetur, quia imperfectio viæ, quæ eſt amor habiti & nō habiti, viſi, & non viſi, tunc ab ea remouebitur, & erit amor ſolum habiti & viſi, vt dicit Tho. Hinc Apoſtolus; *Veniente quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Veruntamen ſecundum Thomam, non alia, ſed eadem numero charitas erit in patria, quæ nunc eſt in via. *Quartò* patet excellentia perfectionis eius propter aliorū bonorum perfectionem. Ipſa enim eſt cōſummatio omnium virtutum. *Finis præcepti eſt charitas.* Quod exponit Gorra. Charitas eſt finis præceptorum conſummatione, ſicut domus finitur, quando conſummatur. De quo in Pſalm. *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Eſt etiam finis conſummationis vitiorum, quia *vniuerſa delicta operit charitas.* Similiter eſt finis miſeriarum in gloria, vbi non erit timor de miſerijs, *quia perfecta charitas foras mittit timorem; timor autem pœnam habet,* primo Ioannis quarto. Et præterea; *eſt finis intentione,* quia omnia debent fieri propter eam. Vnde Apoſtolus; *Omnia veſtra fiant in charitate.* Hæc Gorra. *Quintò* patet excellentia propter eius ſuauitatem. *Iugum enim meum ſuaue eſt.* Et loquitur ibi de iugo dilectionis, qua diligitur Deus & proximus, quæ ſuauis eſt & leuis, quia amanti nihil eſt difficile, Pſalm. trigeſimo tertio. *Suauis eſt Dominus &c.* *Sexto* patet eius excellentia propter eius extenſionem De qua in Pſalm. *Latum mandatum tuum nimis,* Epheſ. tertio. *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo ſublimitas, & profundum.* Latitudo charitatis ſecundum Gorran. eſt vſque ad inimicos. Matthæi quinto. *Diligite inimicos veſtros.* Quod fit cum eis regnum cœlorum volumus, & beneficia in neceſſitate exhibemus. Longitudo eius conſiſtit in perſeuerantia meritorū Matthæi 5. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Sublimitas eius conſiſtit in

Sap. 7. — 1. Ioan. 3. — Homil. 5. — Amos 5. — Aug. libr. de fide ad Petrum. — Matt. 10. — 1. Ioan. 3. — 3. Diuturna eſt. — 1. Cor. 13.

Iſa. 31. — In 3. ſent. diſt. 31. — 1. Cor. 13. — 4. Eſt conſummatix omnium bonorum. — 1. Tim. 1. — Pſal. 118. — Prou. 10. — 1. Ioan. 4. — 1. Cor. 16. — 5. Eſt ſuauis. — Pſal. 33. — 6. Lata eſt — Pſal. 118. — Epheſ. 3. — Matth. 5.

Col. 3.

in intentione præmiorum. *Quæ ſurſum ſunt quærite.* Et profundum conſiſtit in humilitate, ex conſideratione diuinorum iudiciorum. *Iudicia tua abyſſus multa.*

7. Vtilis eſt.

Septimo patet eius excellentia propter eius vtilitatem, de qua Auguſtinus. Habe charitatem, & proſunt tibi omnia. Et:

Sap. 7.

Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Ex his reſpondetur ad quæſtionem qua quæritur;

Charitas cur dicatur præceptum Chriſti.

Cur Deus ſolam dilectionem vltra alia præcepta præcipit ita diſtrictè, ſic ꝙ eam ſuum ſpeciale & ſingulare mandatum appellat, cum tamen & alia præcepta ſua ſint. Qui enim præcipit, diliges Deum, idem præcipit, non occides &c. vt dicit Iacob.

Iacob. 2.

Ad quod breuiter poteſt dici, quod hoc eſt propter eius maximam perfectionem, de qua dictum eſt. Vnde Deut. dicitur;

Deut. 10.

Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus requirit à te, niſi vt diligas eum? Voluit autem vltra alia præcepta hoc ſuum vocare propter eius facilitatem. Nam, ſicut dicit Auguſtinus, poteſt mihi aliquis dicere; Non poſſum ieiunare, non poſſum eleemoſynam dare, & in monaſterio Deo ſeruire; ſed nunquam poteſt dicere, non poſſum diligere. Nihil enim tam facile quam amare, & illum maximè, à quo habes tot bona, ſcilicet naturæ, fortunæ, gratiæ, & gloriæ. Dicitur ergo ſingulare mandatum Chriſti, quia iſtud ſolus Chriſtus in mundum veniens præcepit, ſicut patet hic. *Secundò*, quia de ipſo ſolo hominem tentat &

Ibidem 13

probat. *Tentat vos Deus, vt ſciat*, id eſt, ſcire vos faciat, *Vtrum diligatis eum an non.* Quod fit per flagella, & aduerſitates, per quas homo apparet an diligit Deum.

Eccl. 27.

Sicut enim fornax probat vaſa figuli, & ignis aurum, ita tribulatio iuſtum. Tertio dicitur ſingulare mandatum, quia de ipſo ſolo homo remuneratur.

Iacob. 1.

Repromiſit Dominus coronam, his qui diligunt illum. Et Apoſtolus ad Cor.

1. Cor. 2.

Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quanta Deus præparauit diligentibus ſe. Qualiter autem diligendus ſit Deus, patet ſupra in dominica decima tertia. Et hic in primo ſermone tactum eſt aliqualiter.

* *
*

II.

De contēplat. vita.

Dominum Deum tuum. Diligere Deum, vt dicit Proſper, eſt voluntatē rectam ab omnibus terrenis cupiditatibus ac præſentibus auertere, & ad ſolum Deum conuertere, ipſumque ſibi inſeparabiliter vnire.

Obiectum amoris delectabiliſſimum Deus.

Hoc autem delectabiliſſimum eſt ſuper omnia, vt dicit Auguſtinus.

Epiſt. 46. ad Macedonium.

Diligamus id, quo nihil melius eſt, hoc eſt Deus, cui ſi aliquid diligendo præponimus vel æquamus, nos neſcimus diligere. Tanto enim nobis melius eſt, quanto in illum imus, quo nihil melius eſt. Imus autem non ambulando, ſed amando, quem tanto habebimus præſtantiorem, quantò eundem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. Hæc ille. Ex quibus patet, quod anima humana debet meritò Deum ſuum tanquam obiectum delectabiliſſimum diligere, cui ſimile non poteſt inuenire. Vnde Anſelmus alloquendo animam dicit; Cur per multa vagaris homuncio? ama illud, quod eſt primum & ſummum delectabile. Et verè ſic eſt. Nam omnia alia appetūtur & diligūtur propter alia, ſed ſolus Deus propter ſe, iuxta illud Pſalm.

Pſal. 72.

Quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram? quaſi dicat, nihil niſi te. Alia enim præter Deum delectant particulariter, ſuperficialiter, & tēporaliter, ſed Deus generaliter, intimè, & durabiliter. *De primo* patet, quia alia delectant ſolum guſtum, vt ſapida, non tamen auditum. Aliqua auditum, non tamen viſum, vt ſonora &c.

Deus delectat. 1. Vniuerſaliter. 2. Intimè.

Deus autem generaliter, quia generale bonum eſt, & omnis boni particularis cauſa, vt dicit Anſelmus. *De ſecundo* patet, quia alia delectant ſuperficialiter, & quaſi exterius, Deus autem intimius; & ideò profunde. Solus enim Deus ſubſtantialiter animam penetrat, & ideo medullitus eam delectat.

3. Æternaliter.

De tertio patet, quia alia omnia delectant trāſitoriè, ſed Deus æternaliter. Et ratio, quia omnis creatura de ſe mutabilis eſt, & ideò delectatio eſt finita & terminata; vnde eius delectatio habet faſtidium, cum ſatiata fuerit anima. Non ſic amat delectatio diuina, quæ finem non habet. Ex hoc infe-

ro,

to, quod Deus debet diligi vltra omnes creaturas, quæ hominem poſſunt delectare, & per conſequens debet accipi in amicum per voluntariam dilectionem vltra omnes creaturas tanquam ſummum delectabile. Sunt autem multa, quæ ſi conſiderentur in comparatione creatoris, mouent hominem ad diligendum Deum ſuper omnia. Tria namque ſunt, propter quæ homo præeligit aliquem diligere. *Primo* naturæ conformitas. *Secundo* præſentialitas. *Tertio* vtilitas. Et iſta ſunt quaſi communia, propter quæ quis diligitur. Alia autem ſunt ſpecialia, ſicut conſanguinitas, ſecundum quam Pater præponitur in dilectione extraneo; & vxor parentibus. Item fidelitas; Item amicabilitas, quæ omnia ſi conſiderentur in Deo, præeligitur meritò, vt ab homine diligatur. *De Primo* patet. Ex quo enim homo diligit hominem propter naturæ cõformitatem, Deus voluit fieri homo, & ideo magis diligendus omni homine. Et hoc propter tria ſecundum Thomam in tractatu de dilectione Dei, quæ ſunt, cauſa, ſtatus, & duratio. Propter cauſam primo. Si enim es amicus hominis, multò magis eius, qui factus eſt homo propter te, ſcilicet erudiendum verbis & exemplis, & reficiendum cibo corporis & ſanguinis. De ſtatu patet. Nam ſi amicus es illi, qui ſimpliciter eſt homo, multo magis Deo, cum etiam inter homines magis diligas eſſe amicus magnatum, quam inferiorum. *Tertio* ob durationem. Nam ſi amicus es hominis, qui quotidie deficiens tendit ad hoc, vt deſinat eſſe homo, potius eius, qui nunquam deſinit eſſe homo. *Secundo amas hominem quia præſens eſt.* In hoc præponderatur Deus tripliciter, quia præſens intime, ſemper, & vbique. Homo dicitur præſens, quia iuxta te; ſed Deus præſentior, quia intra te. Homo quandoque præſens, quandoque abſens tibi eſt, ſed nunquam Deus abſens tibi, licet tu abſentes te præſenti, vt ait Aug. in lib. confeſ. Domine mecum eras; ego autem tecum non eram, ſcilicet propter peccatum. Homo, cui es amicus, alicubi eſt præſens, & alicubi abſens, Deus autem vbique præſens. *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me.* O ſi in medio tribulationis tecum eſt, multò magis in medio proſperitatis. *Tertio* amas hominem propter vtilitatem. In hoc autem tripliciter præponderatur Deus. Nam circa hominem ponderatur vtilitas, quia magis, quia multa, quia diuturna. Sed iſta omnia excedit Deus vtilitate ſua. Triplex eſt vtilitas in amico, ſcilicet adeptio boni ſui, impẽſio boni tui, diminutio mali tui. *Primo* ergo amicus es eius, qui tibi communicat bona ſua; ſed in hoc euidenter præpõderatur Deus, quia tibi cõmunicãs dat ſe & ſua donat, q̃ ſũt digniora in ſubſtãtia, maiora in quãtitate, & plura & permanẽtiora & opportuniora. Quis .n. amicus det tibi filiũ ſuũ in ſeruitutem, ſicut Deus? *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Et filius fatetur; *Seruire me feciſtis in iniquitatibibus veſtris.* Aut quis ita diligit, vt ſpiritum ſuum det homini? & tamen Deus hoc fecit; *Mittet Pater in nomine meo ſpiritum.* Certè magna & multa donauit de præterito, & donat de præſenti, & donabit in futuro maiora. Item quod homo amicus dat tibi, potius eſt mutuum quam donum, quia redditionem expectat. *Amice accommoda mihi panes.* Sed Deus nihil dat mutuo, *quia bonorum noſtrorum non indiget.* *Secundo* amas illum amicum, cui libenter communicas bona tua, vt delecteris cum eo. Eo quod ſecundum Senecam nullius rei iucunda eſt poſſeſſio ſine ſocio. In quo tamen non potes cognoſcere verum amicum à ficto, iuxta illud Eccleſiaſt. *Non cognoſcetur in bonis amicus, nec abſcondetur in malis inimicus.* Quod exponit Thom. quia non cognoſcitur, vtrum ſit amicus perſonæ vel rerum. Nam ſecundum ipſum citius inuenies, qui diliget te propter tua, quam tua propter te, *Quoniam eſt ſocius menſæ, & non permanebit in tempore neceſſitatis.* Vnde Poeta.

Cum fueris fœlix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Non ſic autem eſt Chriſtus, qui communicãtibus bona ſua ſemper eſt fidelis amicus, nec derelinquit in aduerſitate quacunque, ſed ſemper amat, iuxta illud; *Cũ ipſo ſum in tribulatione.* *Tertio* amicus es eius, qui tecum participat mala tua, vt anni-

nihi-

Marginalia (left): *Motiua ad amandum Deũ.* — *Motiua generalia. 1. Conformitas.* — *2. Præſentia.* — *Pſal. 137.*

Marginalia (right): *3. Vtilitas.* — *In amico triplex vtilitas. 1. Communicatio boni ipſius* — *Ioan. 3.* — *Iſa. 43.* — *Ioan. 14.* — *Luc. 11.* — *Pſal. 15.* — *2. Communicatio boni tui.* — *Eccl. 12.* — *Eccl. 6.* — *Pſal. 90.* — *3. Communicatio mali tui.*

nihilet, vel ſaltem diminuat. Hoc autem Chriſtus fecit, qui annihilauit omnia mala noſtra. Quæ, ſecundum philoſophum, ſunt quinque, ſcilicet infamia, quam ipſe pertulit, quia ei dictum eſt; *Seductor ille*; vnde quidam dicebant, quia bonus eſt. Alij non, ſed ſeducit turbas. Et vocatus eſt potator vini, & vorator carnium. *Secundum* malum inopia; quam ipſe ſuſtinuit, quia *vulpes foueas habent, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Cū diues eſſet, propter nos egenus factus eſt, vt eius inopia diuites eſſemus. Tertium* malum ægritudo, quam ipſe ſuſtinuit. *Verè languores noſtros ipſe portauit. Quartū* malum inimicitiæ, quas Chriſtus ſuſtinuit, iuxta illud. *Nunc autem & viderunt & oderunt me. Quintum* eſt mors quam ipſe ſuſtinuit. *Maiorem dilectionem nemo habet, niſi vt ponat quis animam ſuam pro amicis ſuis.* Sunt & alia ſpecialia, propter quæ diligūtur magis aliqui, ſicut propter conſanguinitatem, fidelitatem, & amicabilitatem. *Primo* propter conſanguinitatem plus diligitur pater & mater, quam auus vel filia proximi, vel ſoror, vel frater, multò magis ergo diligendus eſt Pater cœleſtis, à quo habetur imago ſanctæ Trinitatis. Si amo patrem, à quo habeo materiam corporis, cauſam libidinis, originem reatus; multò potius, qui creauit animam, fecit corpus, poſſedit vtrumque. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Si amas fratrem gemellum, qui vtique diuidendo tecum hæreditatem, diminuet tibi eam & patrimonij cenſum. Amas eum, qui quantitate tecum natus eſt, diminuit tibi quaſi iniurias maternum lac, & adhærēs vberi occupat locum tuum; multò magis ama illum, per quem creuit tibi amor paternus, & per quem hæres efficieris. Si diligis illum, qui quandoque te tradit in mortem, iuxta illud; *Frater fratrem tradet in mortem*, quantò magis illum, qui ſeipſum tradidit pro fratribus in mortem? Cæterum ſi diligit homo vxorem ſuam, propter quam relinquit patrem & matrē; & hoc propter tria, ſcilicet propter fidem, prolem, & ſacramentum; quantò magis diligendus eſt iſte, qui eſt fide firmior, prole fœcundior, & ſacramento ſanctior? Cæterum ſi amas amicum propter fidelitatē, qui tamen ſuperueniente nouo dimittit antiquum, & in proſperitate diligit, in aduerſitate relinquit, quantò magis Chriſtum, qui nullum excludit pro alio; qui diligit ante omne tempus, & poſt omne tēpus, propter iſta bene dicitur. *Diliges Dominum Deum tuum.* Nihil enim ſic huiuſmodi reddit Deum amabilem, ſicut iſti ſenſibiles effectus, & vtilitates quodammodo palpabiles, quos homini quotidiè impendit. Et ideò non eſt dictum; *Diliges Deum*, ſed additum eſt, *tuum*, propter beneficia præmiſſa, quæ cum faciunt ſpecialiter Deum hominis, quamuis ſit Deus totius creaturæ.

Mala noſtra 5. *1. Infamia.* *2. Inopia.* *Luc. 9.* *2. Cor. 8.* *3. Aegritudo,* *Iſa. 53.* *4. Inimicitiæ.* *Ioan. 15.* *5. Mors.* *ibidem.* *Specialia motiua ad amandum.* *1. Conſanguinitas.* *Deut. 32.* *Luc. 21.* *2. Fidelitas.*

III.

Ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente tua. Ac ſi diceret ſecundum Auguſtinum. Diligat Deum oculus tuus, manus tua, pes tuus, & omnis ſenſus tuus, & tu totus diligas Deum. Tria autem hic præcipit, ſcilicet diligere ex toto corde, ex anima, ex mente; vt totum hominem cōprehendat. Cor eſt membrum principale in homine; Anima eſt ſpiritus, quo homo viuit; Mens eſt, prout eſt ſeparata à corpore, vt Angelus. Et ſecundum hoc dicit Thomas, quod homo tripliciter obligatur ad diligendum Deum, vt ſiue in corpore, ſiue extra corpus ſit, ſemper diligat Deum. *Primo* ergo dicit; *Diliges ex toto corde. Ex corde enim procedunt cogitationes malæ, homicidia, furta, & cætera.* Similiter & bona, iuxta illud; *Bonus homo de theſauro cordis profert bona.* Ex toto ergo corde iubemur diligere, vt diligamus non tantum cogitationibus, ſed etiam ore; nec tantum ore, ſed etiam opere, iuxta illud; *Non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* Sed de multis hodiè dicitur illud. *Dilexerunt eum in ore ſuo & lingua ſua mentiti ſunt ei.* Natura cordis eſt ſecundum Thomam in ſex proprietatibus, quæ congruunt valdè actui dilectionis. Eſt enim cor in complexione ſiccum & calidū, & hæc eſt ignea natura ad ſignificandum, quod cordi naturale eſt calere, imò ardere per amorem. Vnde dicit Hugo; Vita

Serm. 1. de viſit infirmorum *Deus diligendus ex toto corde.* *Matt 15.* *Matt. 12.* *1. Ioan. 13.* *Pſal. 77.* *In tract. de dilect. Dei.* *Cordis proprietates ſex.*

cordis amor eſt; & ideo impoſſibile, vt ſine amore ſit cor, quod quærit viuere. Pſal. 38. *Concaluit cor meum intra me.* Sed quia calidum, conſequitur leue & ſurſum mobile, ad ſignificandum, quod cor hominis debet eleuari & moueri ſurſum ad cœleſtia. Sed hoc conquæritur propheta dicens; *Filij hominum vſquequo graui corde.* Nec mirum; quia *hodie refrixit charitas multorum.* Matt. 24. Cor eſt in ſuperbia ſolidum, ne facilè voluptatibus diſſoluatur. Sed hoc conquęritur vidua Iudith. *Cor Holofernis conuſſum eſt.* *Tertio* cor eſt inferius acutum, ſuperius latum, vt temporalia tanquam inferiora modicum attingat, & ad cœleſtia dilatetur. Iſa. 60. *Mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Item quarto interius eſt concauum, in ſignum, quod per creaturas ſufficienter impleri non poteſt. Quinto duplici impletur motu, ſcilicet conſtrictionis & dilatationis. Conſtrictionis ideo, vt expellantur ſuperflua; Dilationis ideò, vt attrahatur aër ad mitigationem nimij caloris. Ex corde ergo amat, qui prudenter diſcernens expellit ſuperflua & impedientia, & attrahit neceſſaria ad amandum adiuuantia: Vnde dicit Auguſt. quod prudentia eſt amor, ea, quibus adiuuamur, ab his, quibus impedimur, prudenter ſecernens. Sexto cor eſt primum organum ſentiendi, & ideo congruè primi mandati actio ab ipſo & per ipſum debet ſenſibilis fieri Benè ergo præcipitur dilectio ex corde, ad innuendum, vt in quo eſt principium vitæ animalis, in eo etiam ſit & vitæ gratuitæ. Nam ſicut, qui non viuit ex corde, mortuus eſt, ita *qui non diligit, manet in morte.* Sed additur, *ex toto corde*, quia diuiſio cordis cauſat mortem; iuxta illud Oſeæ 10. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.*

Pſal. 4.

1. Ioan. 3.

Secundo præcipitur dilectio ex tota anima. Anima autem ſecundum philoſophum eſt quæ dat eſſe homini. Sicut autem anima corpus viuificat, ſic Deus animam; Et ita Deus eſt vita animæ. Meritò ergo hic dicitur, vt ſicut corpus diligit animã, ex qua habet vitam; ſic anima debet diligere Deũ, ex quo etiam habet vitam. Et ſicut corpus amiſſa anima multo deformius eſt quam nondum animatum; ſic anima per peccatũ actuale plus deformatur & magis punietur, quam ſi non fuiſſet in corpore animato, iuxta illud; *Melius erat illi ſi natus non fuiſſet.* Tria autem habet corpus ab anima; ſc. viuere, ſentire, & moueri. Sic anima à Deo habet vitam gratiæ, iuxta illud Apoſt. *Viuo ego, iam non ego, viuit autẽ in me Chriſtus.* Et per hoc obligatur anima ad diligẽdum Deum, vt ex iſta vita gratiæ perueniat ad vitam æternã. Ad hoc enim venit Chriſtus, iuxta illud; *Ego veni vt vitam habeant & vt abundantius habeãt,* ſcilicet in futuro. *Secundo* habent ſenſum. Sic anima nihil deberet ſentire, niſi quæ ſunt ſalutis. Philip. 2. *Hoc ſentite in vobis, quod in Chriſto Ieſu.* ſc. compatiendo Chriſto ſicut corpus animæ. *Tertio* habet motum; ſic anima non debet moueri, niſi ad voluntatem Dei & ad beneplacitum ſuum. Quod Apoſtolus vocat agi per Spiritum ſanctum, iuxta illud, *Qui filij Dei ſunt, ij ſpiritu Dei aguntur.* Sed de multis verum eſt hodiè, quod non viuunt niſi ſibijpſis, non Deo, vt illi, qui non comedunt vt viuant Deo, ſed viuunt vt comedant & ſeruiant gulæ, *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Alij etiam ſunt, qui non ſentiunt, quæ Dei ſunt, ſicut animales homines, quibus ſtultitia ineſt. De quibus Apoſt. *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt.* Alij ſunt, qui non mouẽtur ad aliquod bonum, ſed ad omne malum. Prou. 1. *Pedes eorum ad malum currũt.* Et Pſal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendũ ſanguinem.* Et ſequitur, *Contritio & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Et ſunt illi, qui abſque timore Dei ad omne malum mouentur. Vnde ſequitur; *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Eccle 8. *Alijq; vllo timore filij hominum perpetrant mala.*

2. Deus diligẽdus ex tota anima. 1. de anima.

Matt. 26. Marci 14.

Corpus tria ab anima habet.

Gal. 2.

1. Vitam.

2. Senſum

3. Motum.

Rom. 8.

Philip. 3.

1. Cor. 2.

Tertio præcipitur dilectio ex tota mẽte. Anima hominis dicitur mens, inquantum eſt ſeparata à corpore, ſicut angelus dicitur ſpiritus Sed à theologis dicitur mens, à philoſophis verò dicitur intellectus. Ex hac ergo ſubſtãtia animæ iubemur diligere Deum, vt ſicut ipſa eſt imago diuinæ ſubſtãtię ſimplex & inuiſibilis & incorruptibilis, omne ſenſibile, omne corruptibile, nobilitate ſua tranſcendens; Sic Deum, cui ſimilis eſt, & nihil aliud diligat, & ei per amorem vniatur, vt ſimile ſimili congaudeat.

3 Deus diligendus ex tota mente.

Sed multi ſunt obliti iſtius dignitatis, quaſi non haberent in ſe intellectum ſeu mentem, vt homines brutales. De quibus dicit pſal.31. *Non fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus.* Nō ſic autem nos, ſed attendentes nobilitatē noſtram, diligamus Deum, cuius imago ſumus. Quatenus per dilectionem noſtram ipſe nos diligere dignetur hic per gratiam, & in futuro per gloriam. Ad quam nos perducat, qui ſub & ſupra regnat.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS.

SERMO II.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matt. 22.

Dilectio Dei & proximi ſunt connexa. De fide & operibus.

ITA connexa ſunt iſta duo, dilectio Dei & proximi, inquit Augu. quia neque dilectio Dei poteſt eſſe in homine, qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo, qui non diligit Deum. Sicut ergo neceſſe fuit homini dare præceptum de dilectione Dei, ita de dilectione proximi, cum alterū ſine altero ſtare non poteſt. Nam ille ſolū ſeruat in ſe Dei dilectionem, qui à charitate non dijudicat proximum. Vnde dicit Iſidorus; Qui a fraterna ſocietate ſecernitur, à diuinæ charitatis participatione priuatur, nec poterit Deum diligere, qui in proximi noſcitur dilectione errare. Hæc ille. Merito igitur Saluator poſt præceptū dilectionis ſuæ adiunxit præceptum dilectionis fraternæ, dicens; *Diliges proximum tuū ſicut teipſū.* In quibus verbis tria tangūtur; *Primo* charitas fraterna præcipitur cū dicitur; *Diliges* *Secundo* obiectum congruū eiuſdē charitatis proponitur, cum dicitur; *proximū tuū.* 3. modus debitus implēdi pręceptum deſcribitur cum dic. *ſicut teipſum.*

Iſid l.2. de ſum. bon. cap. 3.

Propoſit.

I.

Diliges. Ac ſi diceret diligis Deū, qui eſt caput tuū, diligis & proximū tuum, qui eſt mēbrū tuū, & eius. Sumus .n. inuicē mēbra & Chriſti. Quare inuicē diligendi. Nec immeritò. Sine fraterna.n. dilectione corpus Eccleſiæ myſticū, ſc. corpus cōpoſitum ex multis fidelibus ſub vno capite Chriſto & vnitate fidei collectū durare non poteſt, etiā vno momento ſine charitate proximorū, *qua ſola eſt vinculū perfectionis,* eò quod per ipſum omnia mēbra, quantūcunq; diuiſa per orbē terrarū, copulantur & coniunguntur. Hinc dicit Apoſt. *Multa mēbra eſtis, vnū autē corpus* Et Aug. dicit, ꝙ charitas eſt quæ colligat & viuificat omnia mēbra, per quā, vt dicit idē, oēs proximi ad inuicē vnū ſunt, ita vt per charitatē bonum omniū ſit ſingulorum. Tria autem mouent hominē ad diligendum proximum. Diligere ſiquidem debet quilibet proximū propter præcepti neceſſitatem; propter præcepti vtilitatem; propter præcepti iucunditatem. *Primo* iſta dilectio fraterna eſt neceſſaria. Dicit enim Apoſt. Rom.13. *Nemini quicquā debeatis niſi vt inuicem diligatis.* Quod verbū tractans Aug. dicit; Charitas quanto plus impenditur, tanto plus debetur. Et nos tāto magis eam debemus, quanto amplius impendimus. Et idem alibi; Si debeo charitatem, quæ ſola reddita ſemper retinet debitorem. Redditur enim, cum impenditur, debetur, etiam ſi reddita fuerit. Hæc ille. Cum igitur dilectio fraterna ſit debitū, merito eſt ex neceſſitate reddendum; cū ſcriptum ſit; *redde quod debes.* Matth.18. Ex triplici neceſſitate tenetur homo diligere proximum tanquam debitor ſoluere creditori debitum; videlicet ex debito naturæ; ex debito legis diuinæ; & ex debito legis humanæ. *De primo* patet. Nam videmus, quod omnia creata tendunt ad inuicem, volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt, *& omne animal diligit ſibi ſimile.* Eccl. 13. Vnde & formicæ ſic ſe diligunt, vt plures in vna domo morentur, multæ aues ſimiles volant, multa animalia ſimul paſcuntur, & ita

Coll. 3.

Rom.12.

De ſalut. docum.

De ſubſtātia dilect.

Diligendus eſt proximus.

I.

Epiſt. 5. ad Seuerum Epiſc.

Epiſt 2. ad Celeſtin.

Neceſſitas diligēdi proximum triplex.

1. Natura.

ita omnia ad vnionem & dilectionem naturaliter tendunt. Apes quoque ſub vno rege habitant, omnes ſimul mella conficiunt, omnia membra inuicem ſe ſupportãt, ſimul laborant, ſimul quieſcunt. Si ergo faciunt hæc bruta & inſenſata, quanto magis homines ratione & intellectu vigentes, inter quos maior debet eſſe dilectio, ſicut probat Apoſtolus! *Secũdo* mouet ad hoc debitum legis diuinæ, quia tota lex diuina præcipit, vt diligamus inuicem. Ioan. 13. *In hoc apparet, quod diſcipuli mei eritis ſi dilexeritis inuicem.* Et Apoſtolus dicit; *Qui diligit proximum legem impleuit. Ergo plenitudo legis eſt dilectio.* Roman. 13. Et patet ex hoc, quod nemo melius cognoſcitur legẽ diuinam implere, niſi per fraternam dilectionem. Vnde alia, quæ in lege præcipiuntur, poſſunt benè ab aliquo impleri, ſed ſi ſine charitate fiant, non dicitur ille legẽ impleuiſſe De quo ſic Iſidorus; Multi fide & operibus ſanctis videntur eſſe participes, ſed tamen quia à fraterna charitate priuantur, nullum habent incrementum virtutis, ſicut ait Apoſtolus; *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Propter quod idem dicit; En ſine amoris charitate, quãuis quiſque rectè credat, ad beatitudinem peruenire non poteſt; quia tanta charitatis virtus eſt, vt ſine ea prophetia & martyrium nihil eſſe credantur. Et hinc Aug. ſer. 2. ſuper pſal. 21. comparat eam tecto, quod tegit totam domum, & conſummat ac proficit, quã qui habet, ſecurus eſt. *Tertio* mouet etiam ad hoc debitum legis humanæ. Nam lex politica eſt lex humana, per quã regna & ciuitates reguntur, quæ conſiſtit in perfectione iuſtitiæ, ſine qua regna non eſſent ſed lattocinia, vt dicit Aug. l. 4. de ciuit. Dei. Conſtat autem, quod hic lex iuſtitiæ nullo modo ſine dilectione mutuæ caritatis eſſe poteſt. Dicit enim Aug. *lib. 9. de trinit. c. 6* Hæc eſt vera dilectio, vt inhærentes veritati, iuſtè viuamus, & alios iuſtè viuere velimus.

Rom. 3. 1. Cor. 12. 2. Legis diuinæ. lib. 2 de ſum. bon. ca. 3. 1. Cor. 13. 3. legis humanæ.

Secundò debet diligere homo proximum propter præcepti vtilitatem. Iſta autem vtilitas eſt maxima. Primo ex eius copioſa abundantia. Nulla .n. virtus cũ tanta plenitudine donorum & virtutum aduenit homini, ſicut fraterna charitas, eõ quod ipſa ſola habita habentur perfectæ oẽs virtutes meritoriæ ad ſalutem. Vnde dicit Augu. Si hæc vna deſit, inania ſunt omnia; ſi adſit, plena ſunt omnia. Et alibi; Tanta eſt charitas, quæ ſi abeſt, fruſtra habentur cætera; ſi adſit, rectè habentur omnia. Et eſt hoc mirabile, quod iſta virtus non poteſt eſſe vnquam ſine dilectione Dei, ſed quãprimũ venit ad hominem, ſtatim aduenit & dilectio Dei, quod non eſt de alijs virtutibus. Vnde Aug. Vbi eſt dilectio proximi, ibi neceſſaria eſt dilectio Dei. Non poteſt etiã eſſe ſine fide & ſpe, eo quod ſecundum Aug. charitas, quæ adiungitur ad fidem & ſpem, maior illis eſt. Et quod eſt mirabilius, cum aliæ virtutes, vt fides & ſpes, minuentur, iſta ſola magis magiſque creſcit. Magna igitur eſt hæc vtilitas charitatis propter donorum plenitudinem, quæ ita replet hominem, vt eam quodammodo faciat Deo plenum. Qui plenus eſt charitate, inquit Auguſt. plenus eſt Deo. Quia apertè ſcriptum eſt; *Deus charitas eſt.* Hoc non facit alia virtus.

2. quia vtile & hoc tripliciter. 1. De moribus Eccleſiæ ca. 34. ſerm. 9. in Ioannem. ſer 83 in Ioannem. In pſa. 91. In pſa. 98. 1. Ioan. 4.

Secunda vtilitas iſtius charitatis eſt maxima, ex eius maxima ſecuritate. Nulla enim virtus ita aſſecurat hominem de ſalute, ſicut dilectio proximi. Vnde habentes fidem multi Chriſtiani non ſunt ſecuri de ſalute, quia iſta etiam ab hæreticis poſſunt haberi, quæ in eis quidem poteſt eſſe, ſed non prodeſſe. Et tamen patet, quod tales ſunt in peſſima meta ſuæ ſalutis & in continuo timore, quia non habent pignus ſalutis, quod eſt charitas, quæ vbi eſt, ibi perfecta eſt ſecuritas de ſalute. Vnde dicit Auguſt. Nemo interroget alium hominem de ſalute ſua; redeat vnuſquiſque ad ſeipſum, & ſi ibi inuenit charitatem fraternam, ſecurus ſit; *quia tranſit de morte ad vitã, quoniam diligimus fratres.* 2.

Hom. 5. in 1. Epi. Ioã. 1. Ioan. 3.

Tertia vtilitas eſt maxima ex eius ſufficientia Nam cæteræ virtutes ſine operibus mortuæ ſunt. *Fides ſine operibus mortua eſt,* inquit Iacobus. Non ſic de charitate fraterna; quæ vbicunque eſt, ſola ſufficit etiã ſine operibus, vbi ſcilicet facultas non ſuppetit. Vnde dicit Aug Hom 60 Potes mihi dicere, non habeo quod tribuam egenti, non 3.

Iacob. 2.

ti, non poſſum ieiunare, à vino & à carnibus abſtinere. nunquid potes mihi dicere te charitatem habere non poſſe, quæ ſola ſufficit? Ecce magna vtilitas charitatis, qua habita habentur omnia, ſine ea diues pauper eſt, & cum ea pauper diues eſt.

3. quia iucundum. *Tertio* debet homo diligere proximum propter præcepti iſtius iucunditatem. Alia præcepta habent quendam laborẽ & difficultatem, iuxta illud pſal. 93 *Qui fingis laborem in præcepto*. Sed iſtud præceptum eſt valdè leue, & iucundum. Vnde Auguſt. tractans illud Pſalmiſt. 132. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnũ*, dicit, quod quædam ſunt bona, ſed nõ iucunda; vt ieiunare, orare, peregrinari: Quędam ſunt iucunda, ſed non bona; vt bibere, comedere, & epulari quotidiè ſplendidè. Nullum autem eſt ſimul bonum & iucundum, ſicut charitas fraterna. Et alibi dicit, quod dulce & ſuaue vinculum eſt charitas. Et rurſus; charitas ſine gaudio eſſe non poteſt. Quid igitur mirum, quod diabolus tanto impetu impedit inter homines mutuam dilectionem, ex qua videt tot bona prouenire? Nihil enim aliud appetit diabolus venoſiſſima verſutia ſua inquit idẽ, niſi vt corrumpat atque dirumpat vinculum pacis & charitatis, quo ſeruato inter Chriſtianos, vires eius omnes inualidæ fiũt ad nocendum, & muſcipulæ inſidiarum eius comminuuntur, & conſilia verſionis eius euaneſcunt. Hæc ille.

In ſerm. quodã ad Eremitas.

De laudibus chari.

In pſ. 76.

lib. 3. cõtra Epiſt. Permeniani.

I I.

Proximum tuum. Mirum eſt, quod non dixit; Diliges Deum tuum; & ſtatim poſt Deum, diliges teipſum; & tunc primo, diliges proximum tuum. Quod ideo factum eſt, quia, vt dicit Aug l. 1. de doct. Chriſt. c. 4. quantumcunque homo excidat à charitate, remanet illi dilectio ſui, & dilectio corporis ſui. Quia ergo homo naturaliter inclinatus eſt ad diligendum ſe, nõ eſt ei pręceptum datum de ſe diligendo. Quia dicit Apoſtolus, *quod nemo carnem ſuam odio habuit*. Nam & beſtiæ ſe corpora ſua diligũt. Vnde reſtabat; vt non de illo, quod infra nos eſt in corpore noſtro, ſed quod ſupra nos eſt, & iuxta nos, ſcilicet Deus & proximus, daretur præceptum, imò in hoc, quod dicitur; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, etiam ſecundum Auguſt datur præceptum ſimul de dilexione ſui. Quia dicitur, *ſicut teipſum*. Nec mirum, quod non eſt datum præceptum de dilectione animæ ſuæ, cum difficile eſſet dari tale præceptum. Eo quod vt Auguſt. dicit, ſi minus ſe amat hominis mens quam eſt, quia amat ſe tantum, quantum amandum eſt corpus, peccat. Ratio huius, quia ipſa plus eſt quam corpus, & ideo non eſt perfectus talis amor. Item ſi plus ſe amat quam eſt, hoc eſt, ſi tantum ſe amat, quantum amandus ſit Deus, cum incomparabiliter ipſe ſit minus quam Deus, etiam ſic nimium peccat, & non habet perfectum amorem ſui. Maiori autem peruerſitate peccat cum corpus tantum amat, quantum amandus ſit Deus. Hæc ille. Non eſt ergo datum præceptum de dilectione ſui, quia nec dici valuit; Diliges teipſum ſicut Deũ; Vel, diliges animam tuam ſicut corpus tuum; Vel, diliges corpus tuũ ſicut Deum, vel vt animam: omnia autem iſta ſunt abſurda. Datum eſt ergo præceptum de proximo, & depoſitum exemplum in teipſo, vt diligas proximum ſicut teipſum, qui teipſum naturaliter diligis. Sed quia multi diligunt ſe pernitioſo amore, ideò reſtat videre quis ſit iſte amor ſanctus & meritorius, quo homo debet diligere proximum. De quo quia copioſè egimus in ſermone ſecundo Dominicę XIII post Trinitatem, membro primo, ideò ad tertiam huius ſermonis partem accingimur, Lectorem ad locum illum remittentes, vbi quintuplices amoris effectus explicatus inueniet.

Epheſ. 5.

l. 9. de ciu. Dei.

III.

Sicut teipſum. Pulchra forma tradita eſt diligendi proximum & facilis, *ſicut teipſum*. De qua dicit Auguſt. Ecce præcipitur, dilige Deum tanquam Deum, proximum tanquam te. Non enim inuenies parem Deo, vt poſſit tibi dici, dilige Deũ ſicut diligis illum. De proximo inuenta eſt regula, quia inuentus es proximo tuo par. Turpe quæris, quomodo diligas proximum, attende teipſum; quomodo te diligis diliges proximũ, nõ eſt vbi erres. Proximũ aũt vocat omnẽ hominę, & ratione generationis carnalis, quia oẽs ab Adam & Eua

Forma diligẽdi proximum.

de doctrina Chriſt.

& Eua ratione conditionis, quia oēs Chriſtiani; & ſic vnus pater carnalis Adam, & vna mater ſpiritualis Eccleſia. Omnes ergo homines ſunt proximi. Quomodo autem homo diligit ſe, vt ſic diligat proximum? patet; quia omne bonū vult ſibijpſi prouenire & conſequi, & omne malum odit, & fugit, & à ſe remouet. Sic ſecūdum Auguſt. *De vera. relig. c. 85.* ea eſt regula dilectionis, vt quæcunque bona vult ſibi prouenire, etiā velit proximo; & quæ accidere ſibi mala non vult, & proximo nolit. Hanc ergo voluntatem ſeruans erga omnes, diligit quemlibet ſicut ſeipsū. Nam erga neminem operandum eſt malū, quia dilectioni proximi malum nō operatur. Et fūdatur iſte modus in lege naturali, qua dicitur, *Non facias aliis tibi quod minimè fieri vis.* Et econuerſo; *Quacūque vultis, vt faciant vobis homines, facite illis.* *Matth. 7.* Et quia nullus homo aliter ſe amat, niſi ad hoc, vt ſaluetur. Omnis enim qui amat, ſaluum vult habere, quod amat, inquit Auguſt. *Homi. 39.* Cū autem homo in tali amore intelligens verā ſalutem, incipit eam amare in ſe merito etiam debet amare eam & in proximo. Debet ergo diligere eum, vt ſaluus ſit; & per conſequēs, ſicut optat ſibi illa, quæ diſponunt ad ſalutem, ita etiam debet præſtare ea proximo. Ecce, quomodo ex dilectione ordinata ſui pendet forma dilectionis proximi: Vnde patet, quod homo debet prius diſcere diligere ſeipſum, vt dicit Auguſt. *Homi. 38.* Sed quomodo diligit ſeipſum, qui diligit iniquitatem? Certè talis nec Deum nec proximum poteſt diligere, quia talis potius odit ſe, & qui ſibi nequam, cui bonus? Non eſt ita fatuus, qui requiſitus non reſpondeat, diligo meipſum; dicet hoc bibulus, dicet hoc ſuperbus, luxurioſus, auarus, qui tamen in rei veritate odit ſe. Et ſi dicitur talibus; quomodo te diligis? Reſpōdet tibi, diligo corpus meum, bibendo, comedendo, induēdo &c. Certè quicquid dixerit talis, odit ſe. Caro enim eſt vilior pars hominis. Vnde ſi animā odit, carnem quomodo diligit? Nemirum eſt, cum tales animā oderint, quod exerceant in carne ſuā iniquitatem. Sed forte dicis; Diligo proximum ſicut me, volo enim inebriari cum illo. Talis dilectio belluina eſt. Non enim hæc dilectio proximi eſt, quando diligit proximum vt iumentum aut belluas, quæ ſic amantur, vt ex eis voluptas proueniat, aut vt ſe vitijs mutuis maculent. Eſt ergo primò hoc benè conſiderandum, vt homo prius ſciat ſe diligere quod fit quando fugit peccata. Secundo debet conſiderare, vt non diligat eum carnaliter, ſicut filium, ſicut carnalē fratrem, vel cognatum, affinem aut ciuem, ſed tantum vt hominem. Sed diceres; hoc eſt inhumanum, ſi aliter homo debeat diligi, quam vt frater, vel filius. Quæ dilectiones ſunt maximè affectuoſæ. *Cap. 8. retractat.* Ad quod reſpondet Auguſt. quod magis eſt inhumanum non amare hominem, quia homo eſt, ſed amare, quia filius, quia frater, quia amare hominem quia homo, eſt commune bonum omnium; ſed amare, quia frater, vel filius, eſt bonum priuatum. Modo conſtat, quod bonum commune eſt maius & melius quā priuatum. Et eſt ad hoc pulchra ratio, quia ſecundum Auguſt. ibidem; Nemo ſibijpſi eſt pater, aut fili⁹, aut frater, aut affinis, ſed tantum homo, qui ergo diligit aliquid tāquam ſeipſum, hoc in eo debet diligere, quod ſibijpſi eſt. Et quia non ſecundū corpus tantum eſt ſibijpſi homo, ſed magis ſecundum animam rationalem, ideò non debet ſe diligere carnaliter ſecūdum corpus, quia iam ſe non diligeret vt homo. Debet ergo ſe diligere ſecundum animam, ſecundum quam dicitur homo. Et iſto modo debet diligere proximum ſecundum animam & conſequenter ſecundum corpus, ex quo corpus ordinatur ad animam. Sic igitur diligendo proximum conſequemur præmium æternum. Quod nobis præſtare dignetur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMINICA DECIMA NONA POST TRINITATIS.

SERMO I.

Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris. Matth. 9.

AVguſtinus ſuper illud Apoſtoli. *Spectaculum facti ſumus mundo*, ita inter cætera inquit. Qui nos amant, quærunt in nobis, quid laudent; qui nos oderũt quęrunt, quid detrahant. Homo in hac vita poſitus eſt inter duo genera hominũ, quorum vnum congaudet bonis ipſius per charitatem, iuxta illud *Congaudet autem veritati.* *1. Cor. 13.* Et iſtud genus hominum non ſolum aperta bona aliorum bona iudicat, ſed etiam dubia & incerta in meliorem partem interpretatur, econtra verò genus inuidorum ſemper odio habet aliorum bona, & non ſolum incerta bona aliorum mala eſſet iudicat, ſed etiam quandoq; ſancta, iuſta, & optima apertiſſimè bona, mala iudicat & in peſſima conuertit & interpretatur, iuxta illud Eccl. 14. *Nequam eſt oculus inuidi. Bona enim in mala conuertens inſidiatur, & in electis ponet maculam. Odio habuerunt me gratis.* Quia igitur Judæi fuerunt inuidi contra Chriſtum, ideò non ſolum illa bona, quæ ipſis in Chriſto dubia erant, propter cæcitatis ignorantiam & altitudinis diuinæ excellentiam; ſed etiam apertiſſima bona, ſcilicet quæ in miraculorum ipſius operatione aperta erant, etiam quibuſque quantumcunque ignaris, ipſi peruerſa machinatione omnia in Chriſto criminabãtur. Vnde poſtquam Dominus paralyticum ſanaturus, prius ei peccata ſe dimittere diceret, mox phariſæi ſtimulis inuidiæ agitati, ipſam remiſſionem peccatorum calumniantes dicebant in cordibus ſuis, *hic blaſphemat.* Quorum occultam nequitiam Chriſtus aperta correctione compeſcens dixit; *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* In quibus verbis tria tãguntur. *Primò* fomes ſcelerum cum dicitur; *Vt quid cogitatis. Secundo* peruerſitas affectionis corrigitur, cum additur; *mala. Tertiò* locus peruerſitatis oſtenditur, cum dicitur. *in cordibus veſtris.*

Inuidi optima quæque peſſimè interpretãtur.

Ioan. 15.

Propoſit.

I.

Vt quid cogitatis. Cogitatio eſt fomes ſeu origo cuiuſlibet noſtræ actionis, ſiue bonæ ſiue malæ. Ex quibus generatur opus bonum vel malum. Eſt enim ſicut materia in conceptione, ex qua generatur ſucceſſiue opus. Vnde dicit Iſidor, li. 2. de ſum. bon. cap 25. quod duplex eſt cauſa peccandi, id eſt, operis & cogitationis. Quorum vnum iniquitas dicitur, quod opere geritur; aliud iniuſtitia, quod cogitatione committitur. Et poſt pauca; Quamuis ab opere malo quiſque vacet, pro ſolius tamen prauæ cogitationis malitia non erit inuocens. Vnde & Dominus per Iſa ait; *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Non enim ſolum factis, ſed etiam cogitationibus delinquimus, ſi eis illicitè occurrentibus delectemur. Sicut enim vipera à filijs in vtero poſitis lacerata perimitur, ita nos cogitationes noſtræ intra nos enutritæ occidunt, & conceptæ interius vipereo veneno conſumunt, animamque noſtram crudeli vulnere perimunt. Hæc ille. Vnde non ſolum pro operibus ſed etiam pro cogitationibus quis damnatur. Sicut patet de diabolo, qui quod in corde ſuo dixit; *Ponam ſedem meam ad aquilonem, &c.* per-

Cogitatio actionis origo.

Iſaie 1.

petuo

petuo damnatus eſt, cùm tamen nihil opere feciſſet. Nec immeritò, Cum enim omne opus noſtrum ex cordis propoſito iudicatur tale vel tale, & ipſæ cogitationes cordis noſtri ſint tanquam radices, ex quibus rami operum procedunt, vti arbor bonitatem non recipit niſi à radice, ſic nec opus niſi ex cogitatione. Et ideò pro ipſa cogitatione nos præmiamur vel damnamur, maximè ex quo huiuſmodi cogitationes ſint in noſtra poteſtate, vt eas repellamus vel admittamus. Quæ ſi non eſſent in noſtra poteſtate, nequaquam Dominus phariſæos argueret de eiſdem dicẽs; *Vt quid cogitatis?*

Cogitationes malæ ex nobis et diabolo.

Sed ex quo cogitatio eſt fomes & origo ſcelerum, vnde prouenit talis cogitatio mala? Reſpondeo ſecundum Iſidorum libro ſecundo de ſummo bono capitulo 25. quod cogitationes malæ procedunt à nobis & à diabolo. A diabolo fiunt per ſuggeſtionem, ſed à nobis per delectationem & conſenſum. Diabolus incitando ad malum immittit nobis cogitationes malas. Dum enim caro ſuauia ſibi quærit, diabolus incentiua immittit. Iſtud patet in primis parentibus, vbi diabolus aggreſſus eſt Euam, ſuadens vt comederet pomum; Eua verò vlterius dedit Adæ. Sic in homine, primo diabolus ſuggerit, & ſenſualitas, vt mulier, delectatur & poſtea dat viro, id eſt, rationi, vt conſentiat, & tunc eſt peccatum conſummatum. Verùm quia non ſemper peccatum prouenit ex ſuggeſtione diaboli, ſed etiam interdum ex propria malitia; ideo dici poteſt, quod primus motus cogitationis eſt in nobis ex fomite peccati originalis; ſecũdus ex delectatione inferioris partis rationis; tertius ex conſenſu ſuperioris partis rationis.

Cogitationes an in noſtra poteſtate. Vbi ſupr.

Sed diceres; ex quo à diabolo ſunt cogitationes malæ, tunc non eſt in noſtra voluntate, quod non cogitemus mala. Reſpõdeo ſecundum Iſidor. quod licet nõ eſt arbitrij noſtri cogitationis præuenire ſuggeſtionẽ, tñ iacere cogitationes in animo, in noſtra poſitum eſt voluntate. Illud ergo ad culpam non redigitur, ſcilicet ſuggeſtio diaboli; iſtud culpæ propriæ imputatur. Hinc in cogitatione mala non attenditur principium, ſed finis. Nam etiam nobis inuitis diabolus apponit cogitationes corporalium rerum; & quanto magis ab eis aciem mentis auertimus, tanto ſe magis illę ingerunt, obſcœniſque nobis motibus obrepunt. Veruntamen licet dœmones procurent huiuſmodi cogitationes nobis inuitis, non tamen poſſunt impellere nos inuitos ad conſenſum. Vnde dicit Henricus de Vrimaria. lib. 6. de perfectio. interioris hominis cap. 6. licet inimicus noſter ſic noſtris profectibus aduerſetur, vt ſolum nos ad malum incitet, tamen ad malum impellere non poteſt, niſi ei conſenſum præbeamus. Quapropter ſubdit, quod ſicut in illis eſt copia inſtigationis, ita in nobis eſt facultas per liberum arbitrium reſiſtendi. Ex quo ipſe infert, quod nemo poteſt vinci vel decipi à diabolo per cogitationes, niſi qui præbet ei conſenſum, iuxta illud Gregor. Debilis eſt hoſtis, qui non poteſt vincere, niſi volentem.

Cogitationes quomodo à diabolo immittũtur.

Sed quæreres, quomodo diabolus immittit iſtas cogitationes in mentem hominis? nunquid intrat in mentem hominis, vt eam moueat ad male cogitandum? Ad quod ipſe reſpondet ibidem cap. 6. Quod licet dœmones prauas cogitationes nobis poſſint ingerere, non tamen menti poſſunt illabi, quia hoc eſt proprium ſolius Dei. Berna. lib. 5. de conſideratione ad Eugeniũ papam, quod nec angelus bonus, nec malus illabitur animæ. Similiter Grego in Moral. Et Auguſt. alijq; concorditer dicunt, quod nec diabolus nec angelus poſſint illabi animæ, & per conſequens nec ſcire ſecreta cogitationum.

Animæ illabi quid ſit.

Sed diceres; quid eſt hic illabi animę? Reſpondeo ſecundum doctores, nihil aliud eſt quam circumſedere animæ. Plane ſicut ignis illabitur ferro, quia circumſedit ferrũ quoniã ferrũ eſt maxime diſpoſitũ ad ignẽ, quia tũc intime eſt ignitũ; ita Deus poteſt circumſedere animã, ſed nullus alter. Hinc patet, ꝙ in obſeſſis & energumenis dœmones non illabũtur animę humanæ, ſed ſolũ organa & mẽbra illa mouẽt, quæ formationi vocis deſeruiunt. Sed tunc eſt dubium, quomodo cogitationes noſtras cognoſcũt, aut vnde ipſi vnicuiq; applicare ſciũt tales vel tales ſuggeſtiões. Ad ꝙ breuiter dicẽdũ ſecundum Henricum de Vrimaria quod ipſi

cogi-

cogitationes noſtras non poſſunt cognoſcere, ſed eas ex quibuſdam indicijs ſenſibilibus conijciunt. Vt ſi fortè fornicationem ingerentes ſenſerint eum libidinis telum ſuſcepiſſe & non reſiſtere oportet, ex hoc intelligunt iaculum libidinis in corde eius defixum. Similiter ſi incitant ad iram & triſtitiam vel furorem, vtrum hoc vitium cordi eius inſederit, ex geſtu corporis & ſenſibili eius commotione dignoſcunt. Et Iſidorus lib.3. de ſum bono cap. 5. dicit; quod diabolus, quando decipere quemque quærit, prius naturam cuiuſque intendit, & inde ſe applicat, vnde aptum hominem ad peccatum inſpexerit. Hinc infert quidam doctor in gloſſa ſuper illud Eccleſiaſtes. *In cogitatione tua ne maledixeris diuiti, quia aues cæli annunciabunt ſententiam,* quod niſi aliqua ſigna appareant ab extra, non eſt credēdum aliquo modo, quod cogitationes interiores depræhendantur ab Angelis, ſiue bonis ſiue malis. Et vix contingit, quin cogitatio humana appareat per ſigna oculorum aut per nutus. Igitur dicuntur informari per illa ſigna de cogitatione cordis. Hæc ille. Et ex hoc patet ſolutio, quare dœmones diuerſos diuerſimode tentant, quia alius tendit ad iram, alius ad libidinem, &c. prout vident oportunitatem, vel ex loco, vel ex tempore, vel ex ſuſcipientis diſpoſitione. Ex his iam colligitur, quod cogitatio non eſt peccatum tunc, quando à diabolo ſuggeritur, ſed tunc, cum ab homine per complacentiam aut conſenſum acceptatur. De quo Hieronymus ſuper illud Matthæi: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam,* inquit, quod illa cogitatio tantum peccatū eſt, quæ ſuggeſtioni conſenſum mentis dedit, quæ malum ſuum blande fouet, quę in factum nititur irrumpere. Huiuſmodi cogitatio etiamſi aliquo impedita caſu nō impleat voluntatem, nihilominus actione criminis condemnatur à Domino. Hæc ille. Eſt tamen circa hoc diſtinguendum, quia cogitatio diuerſimodè mouetur ad delectationem & conſenſum ſuggeſtionis. Nam quandoque mouetur motu naturali ſolū, ſecūdū naturaliū qualitatū actionē, ſine omni imaginatione & deliberatione.

Eccl.10.

Cogitatio diuerſimodè mouet ad delectationem & cōſenſum.

Sicut melancholicus mouetur ad iram ſubito; cholericus ad gulam vel luxuriam; Sanguineus ad ineptam lætitiam; Phlegmaticus ad ſomnolentiam. Tales motus ex quo non ſunt in poteſtate noſtra, non ſunt peccata, quia non obediunt voluntati. Et vocantur iſti motus primo primi. Aliquando autem mouetur homo in ſenſualitate ſecundum impulſum fomitis impetuoſè tendentis ad fruitionem creaturæ delectabilis inordinatè. Et tunc, ſi fit ſubito, non ex deliberatione præcedenti, ſed ex corruptione rationis, quam præcedit appetitus ſenſualitatis dicitur conſenſus. Et talis ſurreptio eſt peccatum veniale. Et dicitur veniale, quia dignum eſt venia, eò quod voluntas, licet dominetur ſenſualitati, non tamen perfectè, ergo ſenſualitatem non potuit omninò prohibere. In ſtatu enim innocentiæ ſenſualitas non potuit moueri niſi ſecūdum motum rationis, vt dicit Thom. in compendio lib. 3. cap. 10. Et ideò ſtante homine non potuit in eo eſſe peccatum etiam veniale. Nunc autem ex quo ſenſualitas rebellat rationi, ideò per primos motus neceſſe habemus peccatum veniale committere, vnde ſunt quaſi pœnæ peccati. Et ideò dicuntur meritò venialia, quia eo ipſo ſunt digna venia. Et hoc propter tres cauſas; Primò quia mouent ad illicitum. Secundò quia quodammodo ſunt voluntaria non ſecundum ſe, ſed quia non impediuntur à voluntate, quæ etſi non habet perfectum dominium in eis, poteſt tamen aliqualiter eos impedire. Tertiò propter delectationem annexam. Cum enim anima coniungitur creaturæ, obtenebratur & peioratur. Sicut quando coniungitur Deo, illuminatur & melioratur. Et iſti motus vocantur ſecundo primi. Quandoque autem mouetur cogitatio ex deliberatione voluntatis ad delectationem moroſam in creatura, vt puta ex conſenſu, & ſi ſiſtit citra conſenſum, eſt veniale, ſi verò procedit conſenſus vlterius, ita quod vult interius in delectatione volutari, nec tamen vult in opus procedere, tunc eſt mortale, & maximè in peccatis carnalibus, Et patet ex hoc, quanto ſtudio debet ſe homo examinare

nare ſuper iſtis ante confeſſionem, & quanto ſtudio presbyter debet iſta confitenti declarare requirendo de iſtis motibus tanquam de radicibus peccatorum. Sua enim cogitatio radix eſt vniuſcuiuſque operationis. Ad hanc ergo ſuccidendam toto ſtudio confeſſor debet ſe conuertere, dando modos & remedia vitandi tales cogitationes, vel ſaltem diſcernendi confitenti peccata & aggrauandi culpas. Vnde ille agricola cœleſtis Dominus noſter per præconem ſuum Baptiſtam clamans dixit; quod
Matth. 3. *iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*, ſignificans per hoc Chriſtianos perfectioris eſſe iuſtitiæ, quam Iudæos, qui, vt ait Joſephus, cogitationes malas pro nihilo reputabant, quam diu interius laterent, tantum iudicantes peccata, cum ad opus extra eſſent facta. Quos Chriſtus reprehendens dicit, Matth. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Vbi ponitur in eodem capitulo. *Dictum eſt antiquis; Non mœchaberis, Ego autem dico vobis; Non concupiſces. Si quis viderit mulierem ad concupiſcendam eam; mœchatus eſt eã in corde ſuo.* Ecce ſolam cogitationem Chriſtus iudicat adulterium.

II.

Mala. Ac ſi diceretur; Vt quid cogitatis ea, per quæ à Deo ſeparamini? Nam
Sap. 1. *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo.* Non enim poteſt Deus habitare cum tali homine. Vnde ibidem ſubditur; *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.* Ecce mala cogitatio multa mala facit, quæ à Deo ſeparat hominem, & Spiritum ſanctum fugat ab homine.

Cogitationes malæ triplices. Sunt autem tria genera malarum cogitationum, ex quibus procedunt omnes aliæ malæ cogitationes; ſcilicet malitioſæ, ambitioſæ, voluptuoſæ. Et omnes iſtæ ſunt
1. Malitioſæ. malæ quia infructuoſæ. *Primum genus* malarum cogitationũ ſunt cogitationes malitioſæ, quæ procedunt ab animo nocendi. De quo dicitur in Pſalm. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate?* Et ſequitur: *Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua.* Talis fuit cogitatio Saul contra Dauid 1. Reg. 18 qui cogitauit Dauid tradere in manus Philiſtinorum. Talis fuit cogitatio fratrum contra Ioſeph. Geneſ. 37. qui cogitauerunt eum occidere. Similiter Iudæi *ab illo die,* ſcilicet conſilij Cayphæ, *cogitauerunt interficere Chriſtum.* Ioan. 11. Sed omnes iſti pœnas, quas inferre alijs cogitauerunt, ipſimet receperunt. Nam Saul turpiter occiſus eſt; fratres Ioſeph turpiter tractati ſunt & detenti in vinculis; & Iudæi necati per Titum, vbi perdiderunt locum & gentem. Vnde iſta eſt lex diuina, quia vnicuique redditur, ſicut fratri ſuo cogitauit. Sic Goliath gladio proprio, quo cogitauit occidere Dauid, occiſus eſt. Aman ſuſpenſus eſt in proprio patibulo, quod præparauerat Mardochæo. Heſt. 7. *Deut. 19. 1. Reg. 17.*
Epulo diues in lingua cruciatus, in qui prius fuit delectatus. Luc. 16. Vnde Ezech. 35. dicitur. *Cum ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* Matth. 26. *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Apoc. 12. *Qui in captiuitatem duxerit,* ſcilicet iniuſtè, *in captiuitatem ibit, & qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Iſa. 33. *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Prou. 11. *Qui inebriat, ipſe quoq; inebriabitur.* Et Abac. 2. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te.* Samuel quoque concidens regem Agag in ſruſta dixit; *Sicut fecit gladius tuus abſque liberis mulieres, ſic abſque liberis inter mulieres erit mater tua.* Sic duo ſacerdotes, qui iniuſtè voluerunt lapidare Suſannam, iuſtè lapidati ſunt Dan. 13. Sic Herodes, qui pueros aliorum occiderat, pueris ſuis miſerabiliter fuit orbatus. Sicut narrat magiſter in ſcholaſtica hiſtoria. Recitat Ouidius primo lib. de arte amandi duo exempla. *Primum eſt*, quod in Aegypto fuit fames nouẽ annis. Fuit autem ibi quidam nomine Traſius, qui accẽdens ibi quendam nomine Buſiridem, qui fuit hoſpitator hominum, ſed maximus tyrannus, dixit ei, quod ſi occideret aliquem hominem in domo ſua, & ſacrificaret eius ſanguinem Ioui Deo, ſtatim redderetur pluuia terræ. Quod ipſe audiens ſtatim dixit, Tu inquit, es hoſpes, tu fies hoſtia Iouis *1 Reg. 15. Dan. 13.*

QQQ pri-

primus. Et Ægypto tu dabis hoſpes aquam, & continuò ipſum occidit & Ioui ſacrificauit. *Secundo* narrat, quod quidam Phalaris fuit rex Siciliæ tyrannus maximus, qui noua tormenta hominibus excogitauit. Ad quem accedens quidam nomine Parius conſuluit vt faceret bouem æreum, & in eum poneret homines cruciandos igne ſuppoſito, ita quod cum illi clamarent interius præ dolore, videretur quaſi bos mugire. Fecit itaque Phalaris iuxta eius conſilium, & eum primum in illum bouem puniendum impoſuit. Propter quod poëta ibi dicit; *Iuſtus vterque fuit, nec enim lex æquior illa, Quam etiam artificem arte perire ſua.* Vnde Sapiens dicit; *Per quæ quis peccat, per ea & punietur.* Ex quibus patet, quod homo pro malis cogitationibus iuſtè punitur, in eo quod alijs cogitauit. Et ſicut voluntas mala per ſenſus peccat, ita per eoſdem punitur, dicit Anſelmus de conceptu virginali cap. 4.

2. *Ambitioſa.* *Secundum genus* malarum cogitationũ ſunt cogitationes ambitioſæ. De quibus dicitur apud Lucam. *Intrauit cogitatio in eos, quis eorum videretur maior.* Et iſtæ cogitationes ſunt in ſuperbis & vanis hominibus, qui per labores & ſudores aſcendũt ad honores. De quibus dicit Petrus Bleſenſis in quadam epiſt. ad clericos de capella regis Henrici, quod in talibus ambitio eſt quaſi quædam ſimia ſeu ſimilitudo charitatis. Charitas enim patiens eſt pro æternis, ambitio pro caducis. Charitas benigna eſt pauperibꝰ, ambitio diuitibus. Charitas omnia ſuffert pro veritate, ambitio pro vanitate; vtraque omnia credit, omnia ſperat, ſed hæc ad gloriam vitæ huius, illa ad gloriam ſine fine. Hæc ille.

3. *Voluptuoſa.* *Tertium genus* cogitationum malarum ſunt cogitationes voluptuoſæ. De quibus dicitur Geneſ. 8. *Senſus & cogitatio hominis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua.* Quod exponit Holcoth ſuper lib. Sapient. cap. 1. Ex quo corrupta fuit in primis parentibus, certè modicum meliorata eſt in ſuis poſteris. Refert Albertus tractatu ſecundo 2. libri de cauſis proprietatum elementorum cap. 2. Quod ſi ſuper carbonem candelæ extinctæ non tamen omninò mortificatæ ſuperprocijatur tenuis puluis ſulphuris; candela reaccenditur. Sic quantumcunque quis in ſe flammas voluptatis extinxerit, ſemper tamen manet igniculus non mortificatus, hoc eſt, fomes carnalis concupiſcentiæ, qui in vita iſta extingui non poteſt. Et ideò ſi ſuperuenit puluis ſulphuris, id eſt, cogitatio moroſa de circumſtantijs & delectationibus illius actus; ſtatim reaccenditur. Et benè per ſulphur ſignificatur concupiſcentia carnalis, propter eius fœtorem, prout exponit Gregor. lib. 13. moral. tractans illud Iob; *Accendam in tabernaculis eius ſulphur.* In ſignum huius Dominus Sodomam accendit ſulphure. Ideò cautus debet eſſe quilibet pœnitens, ne recordatione commiſſorum iterum per cogitationem capiatur, quia ſæpe mens ita in culpæ recordatione concutitur, vt ad perpetrationem illius longè grauius, quam prius capta fuerat, vrgeatur. Et ideò ſignanter dicitur Deuter. 15. *Caue, ne ſurrepat tibi impia cogitatio.* Sicut enim paruulus latrunculus per feneſtram immittitur, vt maioribus feras aperiat; ita diabolus paruas cogitationes immittit, & ſi illę per negligentiam admittuntur; trahunt mentem ad conſenſum. Narrat Sextus Iulius, ſtratagematum lib. 4. cap. 9. quod Gayus Pompeius, cum ſuſpectos haberet Athenienſes, & timeret, ne præſidium reciperent, petijt ab eis, vt ægros apud ſe interim refici pateretur. Quo obtento fortiſſimos in habitu languentium miſit; ciuitatemque occupauit & deſtruxit. Sic diabolus perpendens aliquos viros ſanctos nolle ſuggeſtiones capere in groſſa materia, ſicut in opere exteriori, ſuadet eis ſaltem cogitare de illecebris, fingens non eſſe periculum in debilibus cogitationibus. Sed certè mẽdax eſt & pater mendacij, quia ſub debilibus cogitationibus fortiſſimas delectationes immittit, & ſic mentem ad conſenſum inducit. Hæ omnes cogitationes malæ ſunt, & cuilibet talium poteſt dici, *vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et certè mala, quia infructuoſa, & malis fructibus plena, ideò ſuccidenda. De quibus in Pſal. 93. *Dominus ſcit cogitationes hominum,*

minum, quoniã vana ſunt. Et quid fiet finaliter de eis? *In illa die peribũt omnes cogitationes eorũ.* Diues ille cogitauit dilatare horrea ſua, ſed perijt eadem nocte cum ſua cogitatione. Luc. 12. Sic peribunt omnes cogitationes terrenæ. Peribunt etiam cogitationes illorum, qui ſpe veniæ in iuuentute peccant. Sic Amon filius Manaſſe cogitauit de miſericordia facta cum patre ſuo, & ideò liberè peccauit, ſperans ſe finaliter miſericordiam conſequi, ſed perijt cum ſua cogitatione, quia in medio militiæ ſuæ fuit à ſuis interfectus. Et de talibus dicitur illud Pſal. *Cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.*

III.

Corda ſũt vaſa vitiorum.

In cordibus veſtris. Corda humana ſunt vaſa, ex quibus effluunt riui vitiorum, iuxta illud Matth. 15. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Vnde ſicut radix infecta non poteſt continere, quin infectionem ſuam oſtendat in ramis; Sic nec cor hominis, quin oſtendat talia opera qualia ſunt cogitata, quia *ex abundantia cordis os loquitur.* Et qualis vnuſquiſque eſt, talia dicit & operatur. Et ſicut radix prius areſcit, poſtea fructus in arbore; ſic prius homo in cogitationibus ſuis areſcit, & poſtea in operibus. Dicit enim Gregor. 24. lib. moral. cap. 5. quod omnis iniquus, prius in cogitationibus areſcit, & poſtea in bonis actibus deficit. Ideò, qui vult arborem habere bonorum operum fructiferam, debet valdè eſſe ſollicitus, ne radix areſcat per ſiccitatem cogitationum, quia nihil ita ſeruat hominem in bonis operibus, nec ieiunium, nec cilicium, nec vigiliæ, ſicut ſancta contemplatio & cogitatio. Duo autem humectant radicem arboris & faciunt fructiferam, ſcilicet fimus, vt patet Luc. 13. vbi cultor vineæ ad radicem petijt apponi fimum. Secundò ſanguis humanus, propter eius caliditatem ſecundum naturales, vnde ita ad habẽdam cordis puritatem valet fimus, id eſt, recordatio noſtræ vilitatis, & memoria mortis & ſanguis Chriſti paſſionis. De

Matt. 12.

primo Eccl. 7. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* De ſecundo Apoſtol. Heb. 9. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis.*

Ad cogitationes malas repellendas 3. conducũt. 1. reſiſtentia principij.

Sed vt breuiter & ordinatè ſciamus vitare cogitationes malas, aduertendum eſt, quod tria ſunt præcipua, quæ à nobis cogitationes malas repellũt; ſcilicet principij reſiſtentia, occaſionum fuga, & occupationum licitarum perſeuerantia. De reſiſtentia principij dicit Hieronymus ad Demetriadem in quadam epi. Sollicita & vigilãti cuſtodia animus humanus debet diſcernere cogitationes ſuas, & ad primum animi motum vel probare vel reprobare quod cogitat, vt bonas cogitationes alat & malas extinguat. Vbi enim eſt fons & origo peccãdi, ibi maximè debet præcaueri peccatum, ꝓpter quod dicitur Iere. 4. *Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Quam authoritatẽ tractans Greg. 27. moral. c. 26. dicit; Nõ repræhẽdit Dñs, cur veniũt cogitationes illicitæ, ſed cur morãtur. Etenim in bono corde etiã cogitationes illicitæ veniũt, ſed morari prohibentur. Ideò Hierony. cõſulendo cuidam virgini quæ dicebatur Euſtochium, in epiſt. ſic ad eam ſcribit. Dum paruus eſt hoſtis, interfice illũ, vt nequitia allidatur in ſemine. Iſte enim laudatur, ille prædicatur beatus, qui ſtatim cum cœperit cogitare, interficit cogitatus ſuos & allidit eos ad petram. Et Caſſiodorus exponẽs illud Pſal. 136. *Filia Babylonis miſera &c.* Filia, inquit, Babylonis eſt caro, quæ confuſionem peccatorum ingerit, cui digna compenſatio datur, vt ſicut concitat ad vitia, ita etiam repreſſa ſubdatur virtutibus. Et ſequitur; Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam carni retribuere bonorum eſt, qui & paruulos ſuos, qui ex carne naſcuntur, id eſt, malos motus, antequam retinent, ne ſint liberi, allidunt eos ad petram, id eſt, Chriſtum, vt confracti deſerant. Cogitationes facilius vincuntur, dum paruæ ſunt. Hæc ille.

Secũdò cogitationes malæ pellũtur occaſionũ fuga. Sũt autem occaſiones multæ malarum tentationum. Nam aliæ ſunt occa-

occaſiones ſeu cauſæ ſpiritualium vitiorum, vt ſunt ira, acedia, ſuperbia, inuidia. Et has oportet reſiſtendo ſuperare. Aliæ ſunt occaſiones carnalium vitiorum, vt ſunt luxuria, auaritia, gula. Et iſtas magis fugiendo quam pugnando vincimus; quia facilius reſiſtimus cogitationi luxuriæ in abſentia fœminarum, quam in præſentia; & facilius à ſuperfluitate cibi & potus abſtinemus, quando eis caremus, quam quando eis abundamus. Omnes tamen occaſiones iſtorum vitiorum tam ſpiritualium quam carnalium melius ſunt fugiendæ quam ſubeundæ. Hinc patet fatuitas illorum, qui voluntariè procurant ſibi aliquid, vnde tententur in cogitatione, ſicut illi, qui admittunt cogitationes vanas, ex quibus poſtea veniunt ad noxias & ad delectationes peruerſas. Alij verò admittunt cõuerſationes fæminarum, quarum affectus poſtea menti eorum ſic imprimitur, vt vix poſtea euellatur. Et ideò ſtatim fugiendæ ſunt occaſiones, & ceſſabunt cogitationes malæ.

3. Occupatio perſeuerans.

Tertiò pelluntur perſeuerantia licitarum occupationum. Hoc eſt, quod dicit Hieronym. Semper aliquid facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Debet ergo homo occupari aliquo bono opere, vt euadat cogitationes illicitas. Quod ſi forte non eſt tempus laboris neque locus, ſtatim debet ſe occupare licitis verbis cũ amico vel etiam cum ſeruo. Et ſi fortè ſolitarius eſt, occupet ſe cogitationibus de Deo vel de ſanctis, de quibus aliquando audiuit prędicari, & ſic euadet mala cogitãdo bona. Hinc Cæſarius: Incipiamus, inquit, bonas cogitationes diligere, & ſtatim ab illis, quæ mala ſunt, dignabitur nos Dñs liberare. Eſt enim quaſi quædam regula in mente hominis poſita, dum nil perenne & cœleſte cogitat, ſeſeque culpis illigat. Ideo Hugo dicit; ſi ordinatas & ſtabiles ac quietas cogitationes habere volumus, ab inordinata diſtractione cor noſtrum prohibere ſtudeamus. Quod fieri poterit, ſi nobis certas ac determinatas res deſcribamus, in quibus & intentio noſtra verſari & meditatio exerceri poſſit. *Lib. 4. de arca Noë cap. 2.*

Iſtę autem res ſunt cœleſtes, quas ſemper debemus meditari, vt tandem ad eas valeamus realiter peruenire. Quod nobis præſtare. &c.

DOMINICA DECIMA NONA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9.

Lib. 2. de ſum bono cap. 10.

OMNIS ars ſæculi huius, inquit Iſidorus, ſtrenuos amatores habet, & ad exequendum promptiſſimos. Et hoc proinde, quia præſentem habet ſui operis remuneratione͂; ars verò diuini timoris pleroſq; habet ſectatores languidos, tepidos, inertia congelatos. Et hoc ꝓinde, quia labor eorum nõ ꝓ præſenti, ſed futura remuneratione differtur. Ideoq́ue dum eorum laborem mercedis retributio non ſtatim ſequitur, ab opere diſſoluti lãgueſcunt. Hæc ille. Hæc differẽtia ſeruorũ Chriſti & mundi, ſerui huius ſæculi pro temporali vita multa ardua & difficilia fortiter & ſtrenuè tolerant; ſerui autem Chriſti debiliter & deſidioſè, etiam pauca & leuia ſufferre non audent. Propter quod ſæpius per Chriſtũ ad ſtrenuè agẽdũ monentur & incitantur, vt ſpe vitæ æternæ ad quæque bona opera aſſurgant, & ſublato

lato

lato lecto vitiorum, in quo per deſidiam tanto tempore, more paralitici, iacebant, iam tempore gratiæ per Chriſtum perfectè ſanati, in domum æternæ patriæ vadant. Quorũ vnicuique quotidiè dicitur à Chriſto ſingulariter; *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* In his verbis tria tanguntur. *Primo* namque hortatur Chriſtus hominem peccatorem ad ſurgendum à ſtatu culpæ cum dicit; *Surge. Secundò* præcipit ſubire onus pœnitentiæ, cum dicit; *Tolle lectum tuum. Tertio* ſuadet ire ad ſtatum gratiæ cum dicit, *vade in domum tuam &c.* *Propoſit.*

I.

E peccato ſurgendũ. *Surge.* Peccator quamdiu eſt in peccato, eſt quaſi in quodam ſomno, & in quadam infirmitate. Et quamdiu ſic eſt in iſto ſtatu, non poteſt ire in domum gratiæ; ideò oportet, vt primo excutiat ſomnum torporis culpæ, iuxta illud; *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* Roma. 13. Sed quia hoc non poteſt facere à ſe, eo quod à ſe benè poteſt cadere, ſed non per ſe ſurgere. Sicut ſanus poteſt per ſe infirmari vel dormire, & tamen per ſe non poteſt ſanari vel à ſomno ſurgere, quando placet; ideo peccator neceſſe habet ad Chriſtum accedere, vt eleuetur, dicens cum propheta; *Sana me Domine & ſanabor.* Sed quia nec per ſe poteſt ad Deum accedere, quamdiu eſt in peccato, eo quod *Deus peccatores non exaudit*; Ideo opus eſt, vt per Eccleſiæ ſanctæ interceſſionem ad Chriſtum afferatur, qui ad fidem Eccleſiæ ſponſæ ſuæ pro peccatore depræcãtis, remittet peccatori culpam, atque vt amplius in ea non iaceat, dulciter & miſericorditer dicet; *Surge.* ac ſi dicat; *Declina à malo & fac bonum, inquire pacem & proſequere eam.* Hoc eſt enim perfectè ſurgere. Nota; quidam in peccatis iacent, vt qui in eis manere proponunt. De quibus Propheta. Thren. 2. *Iacuerunt in terra foris.* Sicut Amon infirmus pro amore ſororis ſuæ. *Computruerunt vt iumenta in ſtercore ſuo.* Quidam ſedent, qui in parte remanent, in parte ſurgunt. Luc. 1. *Illuminare eis, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent.* *Ierem. 17.* *Ioan. 9.* *Pſal. 33.* *Peccatorũ ſtatus diuerſi.* *2. Reg. 13.* *Ioel. 1.*

Sic ſedebant filij Iſrael ſuper ollas carnium. Exod 16. Quidam ſtant, qui à futuris abſtinent, ſed de præteritis non ſatisfaciunt. Matth. 20. *Quid hic ſtatis.* Pſal. 37. *Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt.* Sic ſtabant Dathan & Abiron. Num. 16. Quidam ambulant, qui paulatim in peccatis proficiunt. Pſalm 67. *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Sic ambulant multi, *de quibus dicebam vobis.* Quidam currunt, qui paſſim per quæcunque ſcelera ruunt. Iob 15. *Currunt aduerſus Deum erecto collo.* Sic cucurrerunt duo ſenes aduerſus Suſannam. Vnde Salomon. *Pedes eorum ad malum currunt.* *Philip 3.* *Dan. 13.* *Prou. 1.*

Hortatur autem nos Chriſtus hoc verbo ad relinquendum ſtatum omnium vitiorum, ſpecialiter tamen trium, quibus homines videntur maximè proſtrati in terra iacere. Iacent namque negligentes & pigri in terra nihil operando; Iacent auari & cupidi de terra totaliter cogitando; Iacent luxurioſi & voluptuoſi ſuper terram fœtendo. Vnicuique horum dicitur; *Surge.* Et primo negligentibus & pigris nihil pro ſalute laborantibus. Et merito iſti excitantur ad ſurgendum principaliter quam alij, quia faciunt iniuriam naturæ. Iob 5. *Homo ad laborem naſcitur, & auis ad volandum.* à natura ad laborem deputatus eſt. Magna ergo iniuria eſt naturæ ab homine pigro, vbi omnes creaturæ ſua officia exercere non ceſſant. Dominus ſtatim poſt creationem primo homini præcepit laborem dicens; *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Gen 3. Non ergo hic requies, ſed potius labor & ſudor continuus, quouſque ad illam quietem perpetuam perueniamus, vbi non erit luctus neque clamor, ſed nec vllus dolor Apoc. 21. Tunc enim primo perfectè requieſcent ſpiritus à laboribus ſuis. Hinc Mich. 2. *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem.* *Tribus peccatoribus maximè ſurgendum.* *1 Negligetibus ſurgendũ ad laborem.* *Apoc. 14.*

Debet autem homo ſurgere ad laborem à torpore acediæ propter tria; *Primo* propter prætioſitatem conceſſi tẽporis. Valdè enim præcioſum tempus eſt modo conceſſum homini ad merendum, in quo regnum *Ad labore ſurgendum.* 1.

num cœlorum, etiam pro ſeipſo aquæ frigidæ comparari poteſt. Matth. 10. quam ergo fatuus eſſet, qui ſciens nondinas ita bonas, in quibus pro duobus denarijs
Luc. 21. poſſet lucrari duos, non curreret illuc? Et tamen non duo floreni, ſed regnum cœlorum hodiè datur pro duobus denarijs. Vnde Auguſtinus ſermone. 2. de timore dicit Noli eſſe piger, grauiter labora, æternam vitam daturus eſt tibi Deus. Et ſequitur; Cogita quanto labore emenda ſit. Intendite fratres, venale eſt, quod habeo, dicit tibi Deus. Eme illud de labore tuo. Quid habes venale? regnum cœlorum. Et ſi dicis; quantum valet? præcium ipſius labor eſt, ideo quære, quantum laborandum eſt. Sed non dicitur tibi quantum laboris exigat à te Deus, ſed quanta ſit ipſa requies ſempiterna, ſine fine lætitia. Hæc ille.

2. *Secundo* debemus ſurgere ad laborandum propter pœnitentiam commiſſi ſceleris. *In multis enim offendimus omnes*, ait Iacobus cap. 3. Et ideo debemus redimere
Pſal. 50. peccata bonis operibus. Vnde Pſalm. dixit de ſe; *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*. Conſiderans magnitudinem peccatorum iterum dixit Pſalm. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*, quaſi ei non ſufficiat dies ad laudandum Deum. Iſte modus laudabilis adhuc ſeruatur in clauſtris, vbi eſt ſtatus pœnitentiæ, in quibus ſurgunt fratres media nocte ad orandum pro peccatis ſuis. Quod etiam faciunt prælati, Epiſcopi & cæteri, vel ſaltem facere deberent. Refert Helinandus in Chronicis libr. 6. Et Petrus de lapiaria in tractatu de oculo morali. Quod cum quidam Epiſcopus Philippus Beluacenſis in eorum hoſpitaretur monaſterio, mane tamdiu dormiuit, quod etiam primam in Eccleſia iam poſt ſolis ortum decantatam neglexit. Ad quem cum veniſſet Helinandus monachus, videns quod nemo eum auderet excitare de ſuis, propius accedens dixit; Iam diu paſſeres ſurrexerunt ad benedicendum Domino, & adhuc Epiſcopi ſtertunt in cubiculi ſuo? Attende pater quid dicat Pſalm. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.* vbi dicit Gloſſ. Ambroſij. Indecens eſt Chriſtiano, ſi ipſum otioſum radius ſolis inueniat. Ad quam vocem expergefactus Epiſcopus ait iratus; Vade miſer, interfice pediculos tuos. Cui monachus reſpondit iocosè dicens; Vide pater, ne te interficiant vermes tui. Ego enim iam meos interfeci. Hæc enim eſt differentia inter vermes pauperum & diuitum, quia vermes pauperum occiduntur, vermes autem diuitum occidunt diuites. Sicut patet de Antiocho & Herode, qui à vermibus ſunt conſumpti. Hæc & plura ibidem.

Tertio debemus ſurgere ad laborandum propter mercedem promiſſi muneris. Certè magna promiſſio mercedis. Quod tibi dat Deus, inquit Auguſtinus ſermone 2. de timore. non habet finem, & tamen nō æternum laborem, ſed temporalem à nobis exigit. Refert Petrus de lapiaria quandam hiſtoriam de quodam rege, qui cum habuiſſet tres filios, volens facere teſtamētum dixit ad eos, quod pigriori vellet dare regnum. Tunc ait primus; Mihi debetur regnum, quia adeo piger ſum, cum ſedeo ad ignem, prius comburi crus permitterem quam illud ab ignis incendio retraherem. Ad quem ſecundus ait; Mihi certè debetur regnum, quia te multo ſum pigrior. Nam cum funem habeam in collo & mox ſuſpēdi debeam, & gladium in manu habeam, propter pigritiam ad abſcindendam chordam non porrigo manum meam. Deinde tertius dixit. Ego regnare debeo, quia in pigritia cæteros antecello. Reſupinus enim iaceo, & ſtillat aqua ſuper vtrumque oculum meum, ego autem propter pigritiam me à ſtrato non moueo, nec ad dextram nec ad ſiniſtram. Et huic dicitur rex regnum legaſſe. 3.

Moraliter iſti tres fratres ſunt tria genera acedioſorum. Nam primus, qui ignem non curauit, ſignificat illum, qui exiſtens in peruerſa ſocietate luxurioſorum.

rum, non vult ſe mouere ab eis. Secundus, qui ſcit ſe ſuſpenſum laqueo diaboli, vt auarus, ſicut fuit Iudas, tamen non curauit verbo, quaſi quodam gladio funem colli præcidere. Tertius, qui non vult moueri ad dextram nec ad ſiniſtram oculum, ſignificat illum, qui nec conſiderat pœnas inferni, nec præmia regni cœleſtis. Vnde nec metu pœnarum, nec amore præmiorum vult ſurgere à peccato. Et huic rex diabolus, qui eſt rex ſuper omnes filios ſuperbię, Iob 41. dat regnum infernale, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

2. *Auaris ſurgēdum à terrenis ad cœleſtia.* *Secundo* iacent cupidi & auari de terra totaliter cogitando. Quibus etiam dicitur *Surge*. Singulariter dicit Pſalm. in eorum perſona; *Adhæſit in terra venter noſter*, id eſt, omnis affectus. Iſti ergo debent ſurgere à terrenis ad cœleſtia, vt primũ quærant regnum Dei, & hæc omnia adijcientur eis. Matth. 6. O quam miſeri & increduli ſunt iſti, qui tantum diffidunt de Deo, quod niſi cogitarent de ſeipſis, nullo modo Deus ipſis prouideret neceſſaria! quam multi ſunt hodiè dicentes; Domine, non poſſum morari domi, oportet me ire ad nundinas, etiam die dominico, alias negligerem lucrum & victum meum. Sed audi Chriſtum dicentem; *Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Vnde Pſalm. 36. *Nunquam vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Quo contra de auaro dicitur per eundem; *Famem patientur vt canes, & circumibunt ciuitatem.* Ac ſi diceret, erunt in continua egeſtate. Auaro enim deeſt, tam quod habet, quam quod non habet. Pulchrè aliquando Frater Iordanus Magiſter ordinis Prædicatorum in quadã abbatia Ciſtercienſis ordinis hoſpitatus confutauit monachos monaſterij prædicti. Nam cum ei dicerent; Quomodo, pater, ordo veſter durare poteſt, cum nihil habeatis? Licet enim modo ſit mundus deuotus, tamen ſcriptum eſt in Euangelio, quod poſtmodum refrigeſcet charitas, & abundabit iniquitas. Et ſic cum non habueritis eleemoſynas deficietis. Reſpondit Magiſter manſuetè. Ex quo ſic eſt, vt dicitis, quod refrigeſcet charitas, & abundabit iniquitas in mundo, igitur vos, qui modo multa habetis, citius deficietis quam nos. Nam poſtquam prædones & raptores auferent vobis bona veſtra, & vos mendicare neſcitis, deficietis, & ipſi nobis de veſtris bonis conferent abundanter. Et ita confutauit eorum auaritiam, in qua confidebant.

Matt. 6. *Pſal. 58.* *Exemplũ.* *Matt. 24.*

3. *Luxurioſis ſurgēdum è fœtore.* *Tertio* iacent luxurioſi & voluptuoſi ſuper terram fœtendo. Sunt enim quaſi ſcarbrones illi, qui è cœno nati in eo verſantur. De quibus dicit propheta Ioel. ca. 1. *Computruerunt, vt iumenta in ſtercore ſuo.* Mirum eſt tamen, quod non ſentiunt fœtorem ſuum, cum tamen ciconia ſentit fœtorem adulteræ coniugis ſuæ, niſi ſe lauerit. Similiter leo ſentit fœtorem adulteræ, & eam ſubito dilaniat. Quanta ergo confuſio homini rationali, quem beſtiæ & volucres in caſtitate excedunt? Sed his conſulitur, vt more filij prodigi, qui conſumpſit portionem cum meretricibus viuendo luxurioſè, redeant ad patrem, dicentes; *Surgam & vadam ad patrem*, ſcilicet ad petendum veniam de commiſſis peccatis. Et tantum de primo. *Luc. 15.*

II.

Tollere lectum quid ſit. *Tolle lectum tuum*. De lecto ſurgere inquit S. Hieronymus in homilia hodierna, eſt animam à carnalibus deſiderijs, in quibus ægra iacebat, abſtrahere. Grabbatum vero tollere, eſt ipſam carnem per continentiæ fræna correptam ſpe cœleſtium præmiorum à delitijs ſeparare terrenis. Tollere ergo lectum non eſt aliud, niſi peccatorem deſiſtere à carnalibus concupiſcentijs. Quod tunc perfectè fit, quando iam pœnitet eum præteritorum, & abſtinet omnino facere, proponens vitare amplius de futuro. Et hæc eſt vera pœnitentia. Hunc lectum debet portare ſupra ſe, & non infra ſe, ſicut prius. Debet enim dominari paſſionibus ſuis. Debet autem portare tria; ſcilicet dolorem in contritione, iuxta illud Iob 13. *Quare lacero carnes meas* den-

dentibus, & animam meam in manibus meis porto. Secundo pudorem in confeſſione. Ezech. 16. *Confundere & porta confuſionem tuam Tertio* laborem in ſatisfactione Micheæ. 7 *Iram Domini portabo, quia peccaui,* id eſt, ſatisfactionem porto, & tolero ſeu patior pro ira Domini, quem commoui. Iſtud eſt optimum pondus & leue, de quo Saluator. Matth. 11. *Tollite iugum meum ſuper vos.* Et ſequitur; *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Vnde Berna. Epiſt. 77. Quid leuius pœnitentiæ onere, quod non ſolum non onerat, ſed etiam portat? quaſi dicat, pœnitentia, quam portamus, potius nos portat, quam nos eam. Et certè ſic eſt. Pœnitentia enim nos portat ad cœlum, non autem nos pœnitentiam illuc portamus. Vnde Chriſtus apud Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum cœlorum.* Hinc Auguſtinus ſuper Pſalmum; pœnitentia non eſt pondus onerati, ſed alæ ſunt volatori. Portant aues alas ſuas, ſed portantur aues ab alis in aëre. Sic animæ noſtræ per pœnitentiam portantur ad cœlum. Hæc Auguſtinus.

Sed diceres. Quomodo dicis, quod onus pœnitentiæ ſit leue & dulce, cum tamen ego vir ita fortis & robuſtus, vix illud poſſum ferre? Nam ieiunare, vigilare, orare multum amara ſunt, ita vt quandoque etiam ad maximam laſſitudinem fatigent hominem. Reſpondeo, Verum eſt quod dicis, quia iſta omnia amara ſunt carni noſtræ, quæ ſemper dulcibus aſſueta eſt; & quamdiu homo non eſt in gratia Dei, omnia iſta grauia videntur, propter conſuetudinem præcedentem vitiorum; Poſtquam verò homo habet gratiam diuinam, omnia videntur leuia.

Pœnitentiam tria reddunt amarã & grauem. Ex quo infero, quod homo impeditur à pœnitentiæ ſuauitate & leuitate propter tria; ſcilicet propter defectum gratiæ diuinæ; propter defectum cogitationis ſui; & propter conſuetudinem voluptatis priſtinæ. *De primo* patet. Nam etſi homo quandoque pœnitet, non tamen verè nec perfectè Vt quia habet propoſitum adhuc peccandi, vel diffidit de venia conſequenda. Talis gratiam Dei non meretur, nec eſt verè pœnitens, propter quod omnia videntur ſibi oneroſa. Vnde dicit Bernard. in quodam ſermone. Nihil credentibus impoſſibile, nihil amantibus difficile, nihil aſperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia fit in auxilium, & obediendi deuotio lenit imperium. Hæc ille. Ante omnia igitur homo ſe debet recolligere, vt perfectè pœniteat, videlicet cum vero propoſito de cætero abſtinendi ab omnibus, pro quibus pœnitet, vt habeat veram fidem & ſpem de conſequenda miſericordia, ſine qua nullo modo poteſt pœnitere dignè, nec conſequi remiſſionem peccatorum. Vnde & hic dictum eſt paralitico. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua,* quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Secundo* multum etiam valet ad dulcorandum onus pœnitentiæ peccati proprij recognitio. Nam homo cognoſcẽs magnitudinem & multitudinem peccatorum, quibus Deum offendit, libentius ſubit onus pœnitentiæ. Vnde Pſal. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Bernard. in quodam ſermone dicit; Qui perfectè ſenſerit onus peccati & animę læſionẽ, aut parum ſentiet, aut ex toto non ſentiet corporis pœnam, nec reputabit corporis laborẽ, quo peccata nouerit delere præterita, & cauere futura. Et Hieronymus in Marcum dicit, quod amaritudinem radicis dulcedo pomi compenſat, pericula maris ſpes lucri delectat, dolorem medicinæ ſpes ſalutis mitigat, qui deſiderat nucleum frangat nucem; Sic qui vult æterno adhærere bono, pœnitentiam agat. Hæc ille.

1. Gratia Dei defectus. *Bernard.* *Heb. 11.* *2. Ignorãtia ſui ipſius.* *Bern.*

Tertio homo impeditur à ſuauitate & leuitate pœnitentiæ propter conſuetudinem voluptatis priſtinæ. Nam contra conſuetudinem aliquid facere, eſt agere quaſi contra naturam. Eo quod conſuetudo eſt altera natura, vt dicit philoſophus 7. Ethicorum. Et ſecundum Auguſt. li 6. de muſica, dicitur quaſi affabricata natura. Conſtat autem, quod facere contra naturã eſt multum pœnale, & cum dolore, cum ſit per motum violentũ; Sic etiã facere contra conſuetudinem Auguſt. dicit, quod nulla abſti-

3. Conſuetudo priſtina voluptatis.

Lib.2.in Geneſ. abſtinentia fit à voluptate carnali, quæ nõ habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem conſuetudo flectatur. Idem Lib.1. ad Romanum dicit; quod ipſa mutatio cõſuetudinis nouitate ſua perturbat. Vincere ergò conſuetudinem pœnitentibus dura eſt pugna vel pœna. Narrat Valeri- Lib.7.c.2. us, quod Cretenſes, cum voluerunt alijs maledicere, & acerbiſſima vti execratione aduerſus eos, quos vehementer oderant, optabant eis, vt mala conſuetudine dele- Lib.8.Cõfeſſ.cap.5. ctentur. Auguſtinus conqueritur de ſe, quod nullo alio impediebatur à conuerſione quam conſuetudine, qua ſe dicebat teneri ſicut ferrea cathena. Et ibi probat, quod dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Neceſſarium autem vno modo dicitur violentum, vt dicitur quinto Methaphyſicæ. Vnde patet, quod male aſſueti in iuuẽtute, quaſi quodam modo violenter peccant, iuxta illud Poetæ.

Qui non aſſueſcit virtuti, dum iuueneſcit,
A vitijs neſcit diſcedere, quando ſeneſcit.

4. Ethic. cap.12. Et ratio huius naturalis eſt; quia, vt dicit philoſophus, mali habitus poſtquam generati fuerint, non ſubiacent voluntati, licet à principio ſint voluntarij; quemadmodum proijciens lapidem, non habet in ſua poteſtate iam proiectum reſumere, Ecce quomodo conſuetudo mala impedit leuitatem pœnitentiæ. Sed tamen hís nonobſtantibus pœnitens aſſumat libenter onus pœnitentiæ, confidens de auxilio di- Philip. 4. uino, in quo omnia poterit, iuxta illud Apoſtoli: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Et illud; *Incipe perficies auxiliante Deo.* Luc. 5. Hinc Petrus dixit Domino; *In nomine tuo laxabo rete* Nec putet impoſſibile aut difficile vincere prauam conſuetudinem, quia ſicut praua operatio rectam deprauat naturam, ita ſolet recta operatio prauam corrigere conſuetudinem. Ad hoc autem, vt quis retrahatur à praua conſuetudine, nihil ita valet; ſicut timor Dei & Pſal. 118. ipſius iudicij. Vnde Pſalm. petijt eum ditens; *Confige timore tuo carnes meas.* Et ſequitur; *A iudicijs enim tuis timui.* Bernardus in quodam ſermone dicit, hoc valdè miraculoſum, quod tot iuuenes, tot adoleſcentes, tot nobiles, cæterique omnes, qui in tanta afflictione pœnitentiæ prius perſeuerabant, non alio quam timore Dei erant confixi. Tenebantur enim quaſi in carcere, ſed ſine vinculis. Et vere magnum miraculum viuere vltra humanam, immò ſupra naturam, & contra conſuetudinem. Nihil ergò debet retrahere peccatorem, quin portet lectum pœnitentiæ ſuæ. Non magnitudo ſcelerum, quia vbi abundat delictum, ſuperabundat & gratia. Nec pœnitentiæ auſteritas deterreat, quia, non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur, & ad præſentis conſolationis gratiam, quæ immittitur, & ad futuram gloriam, quæ permittitur. Et certè libenter debet portare pœnitens pœnitentiæ lectum hic in præſenti, quia ſi noluerit portare illa tria, ſcilicet dolorem contritionis, pudorem confeſſionis, & laborem ſatisfactionis, portabit alia tria in futuro, ſcilicet damnationem in iudicio; *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunque eſt ille.* Galat.5. *Secundo* afflictionẽ in ſupplicio, Prouerbiorum nono. *Si illuſor fueris ſolus portabis malum. Tertio* horrorem in conſortio, Ezechielis trigeſimo ſecundo. *Portauerunt ignominiam ſuam cum his, qui deſcenderunt in lacum.* Ezech.32. Et tantum de ſecundo.

III.

Vade in domum tuam. Quod exponit Hieronymus in homilia. Sanus, qui languidus fuerat, in domum reportat grabbatum, cum anima remiſſione percepta peccatorum, ad maternam ſui cuſtodiam, cum ipſo ſe corpore refert, nè quid poſt veniam, vnde iterum iuſtè puniatur, admittat. Hæc Hieronymus. Suadetur ergò pœnitenti, vt in ſtatu gratiæ habitet, & conſcientiæ ſuæ habitaculum ſollicite cuſtodiat. Eſt enim ſenſus; *Vade in domum tuam,* ac ſi diceretur, qui aliàs per obliuionem tui longè à te receſſeras, & per negligentiam à bono opere & conſcientię puritate torpebas, iam vade & redi in do-

mum conſcientiæ per conſiderationem tuam, & habita in ea per ſecuritatem. Circa iſtam domum eſt attendendum, quomodo debeamus eam primo fundare; ſecundo, quomodo ornare; tertio quomodo tegere; & quarto quomodo purgare. *Primò* ſciendum, quod domus conſcientiæ debet habere ſolidum fundamentum, hoc eſt ſolidam doctrinã, iuxta illud Matthæi ſeptimo. *Omnis, qui audit verba hæc, & ſcit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram.* Cauendum eſt autem, nè ſuper fundamento verbi Dei iſta domus erroneè ædificetur, ſcilicet nè ſit nimis larga, vel nimis ſtricta, quia vtrobique omne, quod ſit contra cõſcientiam, ædificat ad gehennam. Vnde, ſicut dicunt Doctores, dictamen conſcientiæ plus obligat, quam præceptum Prælati; & omnis conſcientia, ſiue recta, ſiue erronea, ſiue in per ſe malis, ſiue indifferentibus, obligatoria eſt. Et ratio eſt; quia in omnibus talibus veniens contra conſcientiam facit contra illud, quod credit per legem eſſe prohibitum. Iſtam domum malè fundant quidam ſuper arenam cupiditatis; quidam ſuper aquas voluptatis; & ideò ſtare diu non poſſunt, quia flante vento mortis cadunt faciliter. *Secundò*, quomodo iſta domus debet ornari; quia debet habere decens ornamentum, vt ſit picta curioſè & artificialiter imaginibus virtutum, & Sanctorum virorum exemplis, qui nos præceſſerunt. Narrat Auguſtinus libro octauo contra Iulianum, quod rex quidam Cypri deformis ſpecie thalamum ſuum ſiue cubiculum fecit depingi pulchris imaginibus, vt earum aſpectu vxor ſua pareret pulchram prolem. Rex iſte eſt ratio, Cubiculũ memoria, Vxor ſenſualitas. Vnde ſi volumus prolem bonarum operationum producere, debemus in memoria Sanctorum Patrum exempla ponere. Quod fit cum ſæpius recordamur de eorum factis, & ſic operamur. *Tertiò*, iſta domus eſt tegenda; quia debet habere aptum tegumentum, ſcilicet honeſtam conuerſationem, videant bona opera noſtra alij, & glorificent Patrem cœleſtem, Matthæi quinto. Vnde apud Matthæum dicitur; *Quod in aure auditis, prædicabitur ſuper tecta*, id eſt, ſuper honeſtam conuerſationem. Nobis enim eſt neceſſaria conſcientia noſtra, ſed proximis fama noſtra. *Quartò*, iſta domus debet purgari, frequenter per ſcopam confeſſionis, eijciendo foras per verbum oris, quod latebat in interioribus cordis. Sed proh dolor multi iſtas ſordes magis diligunt occultare, quam purgare extra. Contra quos Auguſtinus dicit: Vis audire conſilium. Si vis ad Deo fugere, ad ipſum fuge confitendo, non latendo. Nam confiteri potes, latere non potes. Faciat ergo bonus confitens oſtendendo omnia, quæcunque ſunt intra ſuam conſcientiam, more illius, qui dixit; quarto Regum vigeſimo. *Omnia quæcunque ſunt in domo mea, viderunt; Nihil eſt, quod non monſtrauerim eis in theſauris meis.* Iſtam domum ita bene ornatam debet intrare anima, & in ea quieſcere per contemplationem, vt dicitur Sapient. octauo, quatenus per hoc mereamur intrare in domum cœleſtẽ per glorificationem. Ad quam nos perducere dignetur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.

Amen.

*

Conſcientia domus fundanda doctrina ſolida. *Matth. 7.*

Conſcientia domus ornanda virtutum imaginibus. *2. retract. cap. 10.*

Conſcientia domus tegenda honeſta conuerſatione. *Matth. 5.* *Matt. 10.*

Homil. 41. in Ioann.

4. Reg. 20.

DOMI-

DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Venite ad nuptias. Matth. 22.

Omnia Dei opera propter hominem facta pertinent vel ad creationē, vel ad reparationem.

OMnia opera Dei propter hominem facta ſunt, ſiue ea quę pertinent ad primā creationem hominis, ſiue ea, quæ facta ſunt ad hominis reparationem. Ad creationem hominis pertinet creatio mundi, id eſt, cœli & terræ, & omnium quæ in primordio facta eſſe leguntur à Deo. Ad reparationem hominis pertinet incarnatio verbi, vt omnia quæ vel ante ipſam incarnationem ab initio ad ipſam præfigurandam & prænuntiandam præceſſerunt, vel quæ poſt eam vſque ad finem mundi propter ipſam prædicandam & credendā fiunt. Et ita Deus omnia, quæ fecit propter hominem, in duo genera diſtinxit, ſcilicet in opera creationis & reparationis. Quæ duo ſic ordinauit propter hominem, vt in operibus creationis potentiam Dei conſideraret, & in operibus reparationis charitatem attenderet. Quia igitur diuina ſapientia ex magna charitate opus noſtræ reparationis oſtendit tunc, videlicet, quando diuinitatem ſuam noſtræ humanitati, quaſi ſponſum ſponſæ coniunxit, ac per hoc quaſi quaſdam nuptias delectabiles fecit, volens ne tantæ bonitatis & charitatis ſuæ ſuauitas ab hominibus vilipenderetur, præmiſit nuntios ſuos, ſanctos videlicet Patres & Prophetas veteris teſtamenti, qui nobis has nuptias futuras prædicerent. Cum verò hæ nuptię factæ ſunt per Filij Dei incarnationem, & conſummatæ per paſſionem, vbi Chriſto vero ſponſo iuncta eſt per fidem Eccleſia vnica & amabilis ſponſa, volens Deus omnes homines eſſe participes huiuſmodi nuptiarum, quæ in fide Chriſti celebrantur, per alios & alios ſuos fideles ſeruos, nuntios & Apoſtolos, Confeſſores & Martyres vocari omnes fecit, quatenus omnes venirent credendo per fidem, & delectarentur in eis per charitatem. Vnde ne quiſquam excuſaretur per ignorantiam, omnibus generaliter proclamari fecit, omneſque pariter, ſimul in vnum diuitem & pauperem, inuitari ad huiuſmodi ſanctas nuptias mandauit, dicens; *Venite ad nuptias.* Sed & ne nuptiarum ſolennitas propter inſufficientiam delitiarum contemni poſſit ab inuitatis, etiam tantam delitiarum abundantiam præmittendo dicit; *Omnia parata ſunt, venite ad nuptias.* Itaque omnibus generaliter dicitur, vt opus reparationis conſiderent, ac per hoc ad fidem Chriſti properent, *Venite ad nuptias.* Jn quibus verbis tria tanguntur. *Primo* deſcribitur diuinæ bonitatis liberalitas, tam dulciter inuitantis, cum dicit; *venite.* *Secundo* proponitur intimę dulcedinis ſuauitas tam amabiliter delectantis, cum additur; *ad nuptias.* *Et tertio* ex his arguitur humanæ obdurationis iniquitas, tam infœliciter omnia iſta non curantis, cum ſequitur; *Illi autem neglexerunt.* Tria ergò hic ponuntur valdè notabilia, & omni pōderatione digna, ſcilicet Deus inuitans, nuptiæ paratæ, & homo non curans. Eſt in Deo ſumma bonitas, quia inuitat; In nuptijs grata ſuauitas, quia parata; In homine vana contemptibilitas, quia neglexit. *Propoſit.*

I.

Venite. Ad quid inuitans dicit Eccleſ. *Venite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplebimini.* *Eccl. 24.* Et Matth. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* *Matt. 11.* Nec mirum. Nuptias enim fecit, ergo reficere

 vſque

vſque ad plenitudinem promittit. Sed certè pauci obediunt huic vocationi, quia *Non omnes obediunt Euangelio.* Plures autem obediunt vanitati. Sciendum, quod in omni actu, ſiue belli, ſiue pacis, ducis animatio multum iuuat, quia ſecundum verba & conſilia ipſius totus exercitus regulatur. Et ideò omnis Doctor ſemper cogitat de aliquo inuitatorio, quo complices ſuos excitare ſiue inuitare poſſit. Ductores autem ſeu inuitatores huiuſmodi ſunt quadruplices in Scriptura, videlicet, voluptuoſi, malitioſi, ambitioſi, ſancti & deuoti. Tres primi ſunt à parte diaboli, quarti ſolummodo a parte Christi. Illi plurimos, hi pauciſſimos complices habent, eò quod illorum vocem ſiue inuitatoriū plurimi, horū verò pauciſſimi attēdant atque ſequantur.

Rom. 10.

Sap. 2.

Primi, voluptuoſi ſcilicet, his verbis ſuos adhortantur; *Venite fruamur bonis, quæ ſunt, &c.* Quotuſquiſque eſt, qui hac voce non excitetur? ſenes, iuuenes, pueri è cunabilis etiam ad voluptates, ad delitias, abſtrahuntur. Et quia homines certatim abſq; vlla intermiſſione cum ſecularibus ſiue carnalibus conuerſantur, hinc non poſſunt euadere, quin moribus eorum conformentur. Rarum enim eſt, inquit Iſidorus, vt quiſquis inter ſeculi voluptates poſitus, à vitijs maneat illibatus. In quibus, etſi non cito implicetur animus, tamen aliquando attrahitur; nec diu poteſt eſſe ſecurus, qui periculo fuerit proximus. Quot ſunt qui his diebus inuitant homines ad mundi contemptum, ad propria relinquenda, ad ſe pro ſuis peccatis totaliter contemnendum? Certe, vel nulli, vel pauci; immo tantus ſtrepitus eſt cantorū mūdi, qui dicunt voluptatis & mundi, quod illi qui dicunt inuitatorium Christi, vix in aliquo poſſint audiri. *Malitioſi* ſuum, quoque habent inuitatorium, quod Propheta deſcribit his verbis; *Venite & cogitemus contra iuſtum cogitationes. Non enim peribit lex à ſacerdote; neque conſilium à ſapiente; neque ſermo à Propheta.* Et notate quales homines malitioſè ponunt pro parte ſua, videl. ſacerdotes, ſapientes, & prophetas.

Ierem. 18.

Moraliter ſacerdotes ſunt magni Prælati; Sapientes ſunt iuſtitiarij, & Prophetæ ſunt religioſi; & nunquam videbitis in republica malitiam magnam factam, niſi vel ab iſtis omnibus, vel ab aliquo iſtorum procedat. Vnde iſti tres cantant inuitatorium malitioſorum, & iſti ſciunt facere conſpirationem contra optimum virum, dicendo illud Ieremiæ. *Venite & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuerſos ſermones eius;* Percutere hominem lingua, eſt præcludere ipſi viam reſpondendi, vt nihil poſſit dicere pro ſeipſo. Vel percutere hominem lingua poteſt eſſe cōſpirare falſum, & falſum teſtificari contra hominem. Et nota, quod iſti malitioſi tripex habent inuitatorium ſibi proprium, quo ad malitiam animant & inſtigant. *Primo* enim ſe colligunt ad conſpirandum ſubtiliter; dicentes *Venite cogitemus contra iuſtum cogitationes. Secundo* ſe recolligunt ad accuſandum ciuiliter, & ſub iuris colore, dicentes; *Venite & percutiamus eum lingua & non attendamus ad vniuerſos ſermones eius. Tertio* ſe recolligunt ad occidendum hoſtiliter, dicentes illud Matth. *Venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.* Et hæc eſt concluſio malitiæ vltimata. *Ambitioſis* etiam non deeſt, quo ſuos complices inuitent. Ita enim inquiunt, *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius cacumen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum.* Notandum, quod omnes ambitioſi exponūt ſe maximis laboribus pro honoribus conſequendis, in tantum, quod ſi decimā partem laboris facerent propter Deum, maximi meriti forent. Quantam vexationem ſuſtinent, qui curijs Regum & Epiſcoporum ſe mancipant? dant munera, diſſimulant & adulantur, mentiuntur, & ſe nequiter humiliant quibuſcunque. Vnde Innocentius. Ambitioſus, inquit, ſemper eſt pauidus, ſemper attonitus, ne dicat quod diſpliceat, humilitatem ſimulat, & honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur & obſequitur, cunctos honorat, vniuerſis ſe inclinat, frequentat curias, viſitat optimates, aſſurgit & amplexatur, applaudit & adulatur, & bene nouit illud Ouidij.

Matt. 21.

De vilit. condit. humana.

Et ſi nullus erit puluis, tu que excute nullum. Hæc ille.

Lib. 1. de arte amandi.

Chri-

Chriſtiani boni & religioſi hoc habent inuitatorium, *Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, &c.* Hoc inuitatorio omnes inuitantur, at a ſæcularibus propter ſæcularium negotiorum tumultum ita parum curatur, vt vel pauci, vel nulli veniãt, vti in præſenti Euangelio patet: *Omnes enim neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, & alius ad negotiationem ſuam.* Sed caueant ſibi iſti. Nam vbi venerit Chriſtus, qui ſeruos ſuos modo ad prædicandum, & ad inuitandos conuiuas ad nuptias agni mittit, tunc illos recipiet ad nuptias cœleſtes, qui inuitationi ſuæ obediunt, dicens dulce illud inuitatoriũ; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Alios verò inobedientes & negligentes agni nuptias excludet, dicens horribilem illam ſententiam; *Ite maledicti &c.* Ideo dum vocat nos Deus, & inuitat ad nuptias ſuas; præparemur bonis operibus, vt digni eſſe mereamur ad conuiuandum ſecum, &c.

I I.

Ad nuptias. Nuptiæ iſtæ multum ſuaues ſunt, quia in maxima dilectione & charitate aguntur. Nam ſponſus iſtarum nuptiarum eſt Chriſtus, qui Eccleſiam ſibi fide deſponſatam in charitate maxima copulauit, iuxta illud Ieremiæ. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans.* Videamus ergò hic de tribus, ſcilicet, de ſponſi magnitudine, de ſponſi pulchritudine, de nuptiarum dulcedine. De ſponſi magnitudine dicitur hic, quia ſponſus iſte eſt filius regis, cui rex pater fecit nuptias. Rex eſt Deus pater, qui *eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium.* De quo in Pſalm. *Quoniam rex omnis terræ Deus.* Filius huius regis, eſt filius Dei Patris, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. De quo Pſal. *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Sponſus ergò hic eſt, Chriſtus Deus noſter. Et ſponſus hic *magnus Dominus & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non eſt finis.* Verè magnus Dominus & excelſus ſuper omnes populos. Excellit enim omnes poteſtate, dignitate, & bonitate. De quibus omnibus dicit Apoſtolus. *Quem conſtituit,* ſcilicet Deus Pater, *hæredem vniuerſorum,* id eſt, Dominũ perpetuum & poſſeſſorem iure filiationis paternæ, patre tamen non mortuo. Et dicit notanter *vniuerſorum,* nõ vnius tribus, quia *data eſt ipſi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Non ſolum eſt hæres vniuerſorum poteſtate dominationis, quia *dominatur à mari vſque ad mare,* ſed etiam poteſtate creationis, quia per ipſum omnia facta ſunt, ideò Apoſtolus dicit; *Per quem Deus pater fecit & ſæcula,* non ſolum viſibilia, ſed etiam æterna ſeu perpetua. Eſt ergò iſte ſponſus potens & vigoroſus, quia conſtitutus à Deo; perpetuus, quia hæres; ſolus, quia vniuerſorum. Dignitatem verò eius ſubdit; *Qui cum ſit ſplendor gloriæ,* ſcilicet, Patris, *coæternus,* ſcilicet Patri vt ſplendor igni, *& figura ſubſtantiæ eius,* id eſt, perfecta repræſentatio Patris. *Imago Dei inuiſibilis.* De bonitate autem eius ſtatim ſequitur; *Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ,* id eſt, continens & gubernans omnia cœleſtia & terreſtria. *Ego feci, & ego feram, & portabo, & ſaluabo.* Et dicit, *verbo,* id eſt, ſolo imperio poteſtatis & bonitatis ſuæ. *Verbo Domini cœli firmati ſunt.* Et addit aliam bonitatem; *purgationem peccatorum faciens,* ſcilicet per mortem ſuam purgans nos à peccatis noſtris, ſcilicet tàm à culpa quàm à pœna. Vides ergo anima tui ſponſi magnitudinem, poteſtatem, dignitatem & bonitatem. Potens eſt, & ideò metuendus; quia cum occiderit corpus, habet poteſtatem animam mittere in gehẽnam. Dignus eſt, & ideò à te ſuper omnes præeligendus. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt.* Bonus eſt, & ideò ſuper omnia diligendus. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me, &c.* Licet autem iſte ſponſus fuerit ita potentiſſimus, ita digniſſimus, atque loco & habitatione cœleſti altiſſimus, tamen humilem thalamum eligere ſibi dignatus eſt. De cuius thalamo in pſal dicitur; *Tanquã ſponſus Dominus procedens de thalamo ſuo,* id eſt, de vtero B. Virginis. In hoc thalamo Chriſtus humanæ naturæ vt ſponſus ſponſæ copulatus, hoc eſt matrimonium Aſſueri & Heſter. Aſſuerus interpretatur Beat⁹, ſecundum Innocen & ſignificat Chriſtum.

Margin notes: Ierem 31. — Chriſtus ſponſus miræ magnitudinis. — Apoc. 19. — Pſal. 46. — Pſal. 2. — Pſal. 144. — *Heb. 1.* — *Matt. 28.* — *Pſal. 71.* — *Vbi ſup.* — *Ibidem.* — *Coll. 1.* — *Iſa. 46.* — *Matt. 10.* — *Apoc. 5.* — *Pſal. 118.* — *Thalamus Chriſti ſponſi vterus Mariæ.* — *Pſal. 18.* — *Sponſa Chriſti natura humana.*

Heſter interpretatur exaltata, & ſignificat humanam naturam. In cuius perſona poteſt dici illud Pſalm. *Et cum gloria ſuſcepiſti me?* Vnde quidam dixit; Maritari non potuit caro glorioſius. Hoc ſignificatum fuit per illud, quod Iſaac Iacob filio ſuo dicit; *Noli accipere vxorem de genere Chanaan, ſed proficiſcere in Meſopotamia Syriæ,* ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Hæc ſunt verba Dei Patris ad filium; vt exponit Innocent. Chanaan interpretatur poſſidens domum, & ſignificat Angelos, qui in cœleſti domo ſemper aſſiſtunt Domino. De quorum genere noluit Deus Pater, vt Filius acciperet vxorẽ, id eſt, eorum naturam, iuxta illud; *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ. Nuſquam*, id eſt, in nulla Scriptura legitur Angelicam naturam apprehendiſſe, vnde nec naturam Angelicam liberauit. Et hoc ideò, quia Angelus ſine aliquo inſtigante cecidit, ergo per alium releuari non debuit. *Secundo,* quia tota natura humana cecidit, non autem tota Angelica. *Tertio*, quia reparatio naturæ Angelicæ non proficeret vniuerſitati ſicut naturę humanæ, in qua totalis reparatio facta eſt, ſ. naturæ humanæ & Angelicæ, quæ ꝓpter hominẽ facta eſt; quia homo eſt omnis creatura in genere, non ſic Angelus. Meſopotamia interpretatur eleuata, & Syria ſublimis; & ſignificat humanam naturam, quæ eleuata fuit in incarnatione. Sed non ad quamcunque fecit ire, ſed ad domum Bathuel, id eſt, ad beatam virginem. Bathuel enim virgo Dei interpretatur. Et ibi accepit vxorem de filiabus Laban, qui interpretatur candidatio, id eſt, carnem de puriſſimis & mundiſſimis beatæ Virginis ſanguinibus, & de virgine naſci voluit, vt denotaret, quod virginem ſibi virgini Eccleſiam deſponſaret. ſecundo Corinth. vndecimo. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Pſal. 72. *Geneſ. 28.* *Cur Angelica natura non ſit liberata.*

De ſecundo, ſcilicet de ſponſæ pulchritudine dicitur in Cantic. *Tota pulchra es amica mea.* Sed quæ eſt iſta ſponſa Chriſti? Certè nulla alia quantum ad præſens ſufficit, niſi eccleſia ſeu congregatio iuſtorum, *quæ eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob* ſponſi. Sponſa Chriſti ergò nos ſumus cum reliqua multitudine peccatorum captiuorũ, quos ipſe nouit. Pulchritudo iſtius ſponſæ eſt multum admirabilis, eo quod dicit de ea ſponſus, qui mentiri non poteſt; *Tota pulchra es amica mea. Tota pulchra*, quia & per intentionem & operationem, vel *tota* propter coniugatos, continentes, & virgines; vel *tota* dicitur quantum ad Prælatos & ſubditos, & ita pulchra eſt, & in veſtibus & in membris. Oculi enim eius ſunt Prælati tanquam prouiſores; Os Doctores; Aures pœnitentiarij ac confeſſores; Naſus ſapientes, bonorum malorumque diſcretores; Collum clerici & cantores; Pectus ſunt Potentes & nobiles; Brachia ſunt milites; Manus operarij & artifices; Crura famuli; Pedes ruſtici. In his ergò membris tota debet eſſe pulchra ſpõſa, ſicut tunc erat cum per Chriſtum eſt redempta; quando non habuit maculam mortalis peccati, neque rugam duplicitatis. Sed, heu, hodiè conqueritur Propheta dicens, *Egreſſa eſt à filia Syon omnis decor eius,* Sed vnde hæc deformitas in membris Eccleſiæ? *Quia facti ſunt Principes eius velut arietes, non inuenientes paſcua. Abierunt abſque fortitudine.* Gloſſa exponit ibidem, quod Prælati debent eſſe velut arietes defendentes Eccleſiam auctoritatibus vtriuſque teſtamenti velut cornibus. Sed quando ſunt illiterati, tunc ſubditi non inueniunt ſub eis paſcua doctrinæ, & ſic abeunt de loco ad locum vagantes abſque fortitudine virtutum & bonorum operum. Moraliter autem loquendo quælibet anima eſt ſponſa Chriſti, quam diſpõſat ſibi in fide. *Sponſabo te mihi in fide.* Sed hæc frangit fidem ſponſo, cum adhæret diabolo per conſenſum peccati. Sicut conquæritur de ea Dominus per Prophetam. *Iuxta me ſuſcepiſti adulterum.* Sed multũ deberet timere iſta ſponſa, quando prouocat ſponſum ſuum. Nam ſi ancilla paupercula & ſeruilis conditionis filio regis eſſet deſponſata, & ipſa in ignominiam ſponſi ſui eſſet ſcortata, certè multum eſſet

Sponſæ pulchritudo. *Cant. 4.* *Pſal. 23.* *Sponſæ deſcriptio quoad membra.* *Thren. 1.* *Oſeæ 2.* *Iſa. 57.*

eſſet dolendũ ei pro tali offenſa. Sic anima poſtquam peccat, magnã ignominiã facit Chriſto ſponſo, a quo fuit deſponſata. Sed & quod deterius eſt, ſi diceret, etſi ſponſum offendi, habeo tamen ex patrimonio, vnde viuam, cum habeam hæreditatem. Eccleſiæ enim hæreditatem bonam perdidiſti. *Hæreditas noſtra verſa eſt in alienos.* Threń. vlt. Sed fortè diceret, etſi hæreditatem perdidi, adhuc tamen habeo notabilia bona. Sed certè hoc non, quia per peccatum omina bona mortificantur. Fortè adhuc diceret, etſi iſtum ſponſum perdidi, tamen adhuc pulchritudinẽ habeo, propter quã ab alienis concupiſcar. Sed hoc non, quia etiam pulchritudinem perdidit. *Egreſſus eſt à filia Syon omnis decor eius.* Et: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eius.* Fortè adhuc diceret; etſi ſponſum perdidi, amicos habeó, à quibus ſuſcipiar. Sed hoc non, quia omnes amiſiſti, quia *omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici.* Thren. 1. Sed forte adhuc diceret, etſi ſponſum perdidi & amicos, tamen ex quo mei iuris ſum & libera, adhuc alios amicos acquiram. Sed certè hoc non, quia de cætero eſt ſerua & ancilla illibera. *Seruietis Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Ierem. 16. Ex his patet, quantum debet timere ſponſa Chriſti, fidelis anima, nè ſponſum ſuum Chriſtum prouocet ad peccatum.

Sed nunc videamus de tertio, ſcilicet de dulcedine iſtarum nuptiarum. *Suauitas nuptiarum Chriſti eſca.* Tantum iſta dulcedo exuberat, quod non eſt modus dicendi de ea. Nam in eis eſt dulcis eſca, quia in Eccleſia præſenti propoſita eſt menſa altaris, in qua poſitus eſt panis vitæ, qui de cœlo deſcendit. Ioannis ſexto. In quo eſt omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitas, Sapient. decimo ſexto. *Vinum.* *Secundo*, in his nuptijs eſt vinum, id eſt, conſolatio Spiritus ſancti, *qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, vt dicitur ſecundo Corinth primo. Iſtud *vinum lætificat cor hominis*, vt dicit Pſalmiſta. Nec ſolum lætificat ſimpliciter, ſed multipliciter, quia *ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Pſal. 93. *Tertio*, in his nuptijs ſunt delectabiles miniſtri, quia Angelici ſpiritus, qui *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*, Hebræorum primo. *Miniſtri.* Et iſti non ſolum miniſtrant ordinando ea, quæ ſunt ſaluti neceſſaria, ſed etiam conſolantur, nè deficiamus, ſicut cantores & tympaniſtæ, de quibus dicitur in Pſalmiſta; *Præuenerũt Principes coniuncti pſallentibus; in medio iuuencularum tympaniſtriarum.* Pſal. 67. Sed omnia iſta nihil valerent, ſi deeſſent dona in nuptijs. *Dona nuptiarum.* Ideò Chriſtus prouidit multa dona, id eſt, diuerſa genera gratiarum. Nam alij datur ſermo ſapientiæ; Alij ſermo ſcientiæ; Alij Prophetia; Alij genera linguarum; Alij gratia ſanitatum; Alij interpretatio ſermonum; quæ omnia operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. *Dedit dona hominibus.* Dantur autem iſta dona non vni omnia, ſed ſingulis ſingula, propter quatuor cauſas. *Primo* propter myſtici corporis Chriſti integritatem, ſecundum illud, primo Corinth. duodecimo. *Si totum corpus oculus, vbi auditus?* *Secundo* propter Eccleſię pulchritudinem ex varietate reſultantem Pſal. *Aſtitit regina*, id eſt, fides vniuerſalis Catholica, *à dextris tuis, circumdata varietate.* Pſal. 44. *Tertio* propter ſingulorum membrorum vtilitatem, primo Corinth. duodecimo. *Non poteſt caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij.* *Quarto* propter officiorum expeditionem, in quibus Eccleſia non vult perturbari. Deuteron. primo. *Non poſſum ſolus onera portare.*

Illi autem neglexerunt, ſcilicet tam piam vocationem, tam delicatam refectionem, & non quidem caſu aliquo, ſed propria malitia neglexerunt, *& abierunt, alius in villam ſuam, alius in negotiationem ſuam.* Sciendum, quod primordialis cauſa pœnæ, tam in homine quam in Angelo, fuit negligentia. *Negligentia præcipua cauſa pœnæ.* Si enim homo vel Angelus à Deo creatus, benè fuiſſet vſus naturalibus & gratuitis ſibi datis, nunquam apparuiſſet Angelo conueniens excellentiam Dei appetere; vel nunquam homo iudicaſſet ſerpentis perſuaſionibus acquieſcere. Sed quia neglexerunt vti gratis ſibi datis, permiſſi ſunt cadere in errorem per peccatum negligentiæ, & de hoc in peccatum ſuperbiæ & inobedientiæ. Et ideò conqueritur de eis Salomon Sapient. tertio dicens;

dicens; *Quoniam neglexerunt iuſtum, à Deo receſſerunt*. *Iuſtum*, id eſt, iuſtitiam. Iuſtum enim fuit, quod omnis rationalis creatura per gratias a Deo acceptas, ſollicitè & diligenter Deum honoret, qui eſt earundem gratiarum largitor. Sunt autē

Negligentes ſunt quadrupliciter. homines hodie in mundo negligentes quadrupliciter: Negligunt quidam addiſcere morum ſanctitatem. Alij negligunt diſcutere propriam peruerſitatem. Tertij negligunt reuereri Dei maieſtatem. Quarti negligunt cœleſtem hæreditatem.

1. *Primò* aliqui negligunt addiſcere morum honeſtatem. Videmus, quod multi ſciunt addiſcere artes ſubtiles, iura ciuilia propter vtilitatem, artem bellandi propter ſtrenuitatem, artem negotiandi propter paupertatem, & ſic de alijs, quæ ad vitæ præſentis promotionem & adminiſtrationem ſpectant. Sed addiſcere artem benè viuendi, artem Deo ſeruiendi, artem peccata cauendi, omnes quaſi ſe exhibent negligentes. Vnde mundus inuitat ad errores & vanitates, & omnes obediunt; Deus vocat ad honores & nuptias, & omnes negligunt. Sicut hic conqueritur; *Illi autem neglexerunt*. Contra hos loquitur Seneca *Sen. Epiſt. 1.* dicens; Omnia negligenda ſunt, vt ſtudio benè viuendi aſſideamus, cum nullum tēpus ſatis magnum eſt, etſi à pueritia vſque ad humani æui terminos vita protendatur. Eſt autem cauſa negligentiæ in talibus tumor ſuperbiæ. Multi enim videntes, quod non poſſunt eſſe ſubito perfecti, nō curant per artem addiſcere benè viuendi modum. Et iſti ſunt fatui. Sicut ille lippus, qui ideo non curauit inungere oculos collyrio, quia non potuit ita acutè videre ſicut lynx. Quem deridens Horatius *Epiſt. 1.* dicit; *Non poteris oculos quantum contendere lynceus. Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.* Vnde dicitur; *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt.* *1. Tim. 4* Et hæc eſt prima mala negligentia quæ hic repræhenditur. Nam homo non poteſt intereſſe dignus nuptijs Chriſti, quæ celebrantur per fidem in Eccleſia militanti, niſi ſtudeat ſe bonis moribus ornare, alias enim fides ſine operibus mortua eſt.

Secundo ſunt homines negligentes in diſcutiendo propriam peruerſitatem. Multi aliorum conſcientias ſciunt bene iudicare, ſed proprias negligunt. Quibus dicitur per Chriſtum; *Vt quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras?* *Matth. 6.* Vbi Chryſoſt. dicit. Qualiter in alijs vides tam parua, & in tuis tam magna tranſcurris. Si te magis diligis quam proximum, quare procuras ipſum & non teipſum? Si autem teipſum contemnis, manifeſtum eſt, quod iam non eſt procuratio, ſed detractio. Hæc ille. Et certè ſi daremus pacem alijs, & non ita eorum vitia inſpiceremus, ſine dubio noſtra conſideraremus. Quia dicit Proſper; tamdiu quis peccata ſua, quæ noſſe & flere debet, ignorat, quamdiu curioſè aliena conſiderat. *Lib. 2, de vita contemplat.* Quod ſi mores ſuos ad ſeipſum conuerſus aſpiciat, non requirit, quod in alijs reprehendat, ſed in ſeipſo quid lugeat. hæc ille.

Tertio ſunt homines negligentes in reuerendo Dei maieſtatem. Nam omnes hodiè communiter declinauerunt; ſcilicet à iuſtitia & veritate ſimul, ſcilicet tam ſpirituales quam ſæculares, inutiles facti ſunt. *Eccl. 1.* Et vnde, niſi? *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Et ita abſq; vllo timore filij hominum perpetrant mala. Ideò præcipitur; *Obſerua & caue, nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atq; iuditia.* *Deut. 8.* Et patet hic, quod timor Dei facit hominem ſollicitè operari & exequi mandata Dei; iuxta illud; *Qui timet Dominum faciet bona*, imò non ſolum magna, ſed etiam minima, quę ſalutis ſunt pōderat, iuxta illud; *Qui timet Deum, nihil negligit.* *Eccl. 7.*

Sed diceres; Certè hoc eſt difficile, quod homo nihil negligat, & ſi negligit, videtur iniuſtum, quod debeat damnari. Ad quod reſpondeo, quod non omnis negligentia eſt damnabilis, ſed ſolum illa, quæ fit circa actum, vel circa circumſtantiam actus, qui actus eſt de neceſſitate ſalutis. Sicut ſi negligam dare eleemoſynam tempore extremæ neceſſitatis proximo indigenti, negligo actum de neceſſitate ſalutis. Similiter ſi dem eleemoſynam, ſed non ex charitate, vel non in charitate, pecco mortaliter, omittendo circumſtantiam, quæ debet eſſe in omni actu virtuoſo de neceſſitate

tate

tate ſalutis. Vnde 1. Corinth. vltimo. Omnia veſtra fiant in charitate. Vnde negligētia non eſt aliud niſi defectus debitę ſollicitudinis circa actum virtuoſum faciendū proueniens ex remiſſione feruoris in volūtate. Si autem contingit negligentia circa actum vel circumſtantiam actus, qui non eſt de neceſſitate ſalutis; Sicut ſi negligam dicere ſalutationem beatæ virginis tranſeundo eius imaginem, vel audiendo ſermonem cogito de alijs ſæcularibus negotijs ex remiſſione voluntatis; tunc eſt peccatum veniale, & faciliter purgatur, iuxta illud Eccl. 7. *De negligentia purga te cum paucis*. Alias illorum negligentia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis eſt mortalis, iuxta illud Ieremiæ. 48. *Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter.*

Quarto ſunt alij, qui negligunt inquirere cœleſtem hæreditatem. Et iſti ſignificantur per illos, de quibus dicitur in libr.
Iud. 18. quod licet quinque viri fortiſſimi de tribu Dan exploraſſent terram fertiliſſimam, & locum, in quo nullius rei fuit penuria, & iſta nunciaſſent fratribus ſuis, tamen ipſi negligenter agebant, nec ſollicitè curabāt inquirere terram illam. Vnde dicitur ibidem; *Nolite negligere nolite ceſſare; Surgite aſcendamus. Videmus enim terrā valde opulentam & vberem.* Terra iſta eſt terra cœleſtis patriæ, de qūa dicitur Pſal. 141. *Portio mea Domine ſit in terra viuentium.* Terra iſta fertilis & vbertima, quia nullius rei penuria poteſt eſſe, vbi habetur Deus. Iſtam terram explorauerant quinque viri, ſcilicet quinque ſtatus electorum, patriarcharum in lege naturæ; prophetarum in lege ſcripta; Apoſtolorum, martyrum, & confeſſorum in lege gratiæ, qui omnes annunciauerunt nobis gaudia illius patriæ, & tamē adhuc negligimus aſcendere cum eis, per contemplationem. Vnde nobis dicitur; *Nolite negligere; nolite ceſſare*, ac ſi diceretur; Nolite ita negligenter agere bona, ſed ſollicite ambulate in operibus bonis per gratiam, vt tandem perueniamus ad gloriam. Ad quam nos perducat Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS.

SERMO II.

Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem. Matth. 22.

IN omnibus ſcripturis ſupereminētiſſima via ſupereminētiſſimū locum charitas obtinet, per quam quidem viam & Deus ad hominem, & homo ad Deum accedit. Hæc ſola eſt per quam homines conformantur Deo; Et qua ſola habita omnia proſunt homini, & ſine qua nihil valent cætera ad ſalutem. Omnia enim præcepta referuntur ad charitatem. Propter quod, qui habet charitatem, ſecurus eſt de vita perpetua & æterna, eò quod in ea habet mandatorum diuinorum perfectam impletionem. *Finis enim præcepti eſt charitas.* Hæc ſola eſt, quæ finaliter diſcernit inter filios regni æterni & perditionis æternæ. Nam reprobis etiam dantur alia per Spiritum ſanctum munera, ſed tamen, quia ſunt ſine charitate, nihil eis proſunt. Sicut ait Apoſtolus enu- 1. Cor. 13.
merans donum ſcientiæ, donum fidei, donum pietatis, donum prophetiæ, donum martyrij, quæ omnia ſine charitate nihil proſunt finaliter ad præmium. Vnde licet fides ſit fundamentum omnium virtutum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; tamen Heb. 11.

men non poteſt eſſe vtilis ſine charitate. Fides enim ſine charitate poteſt prodeſſe. Jſtud patet hic in iſto homine, qui licet cæteris virtutibus videlicet ſide & ſpe &c. fuiſſet ornatus, quia tamen charitatem nõ habuit, dicitur quaſi nudus & veſte nuptiali carens. Hæc eſt tunica Chriſti incõſutilis, à patre & Spiritu ſancto contexta deſuper, id eſt, de cœlo, quam quia iſte non habuit, ideo merito audire meruit verbum terribile; *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* In quibus verbis tria deſcribuntur. *Primo* allocutio diuina multum affabilis, cum dicitur; *Amice. Secundo* proponitur quæſtio dura multum difficilis, cũ dicitur; *Quomodo huc intraſti? Tertio* ſubiungitur increpatio ſerioſa multum confuſibilis; *non habens veſtem nuptialem.*

Propoſit.

I.

Amice. Magna affabilitas diuina alloqui hominem peccatorem tam dulciter, vt eum amicum appellet, quem tamen dãnet, vnde inimicum amicum appellat. Erat enim iſte & amicus, quia fidem de Deo habuit; & inimicus, quia charitatem non habuit; & per conſequens non verus, ſed fictus amicus Dei fuit. Et tamen quia in Deo nihil deficit, quantum in ipſo eſt, eum amicum vocat & reprobat. Ex quo patet, quod perfecta amicitia hominis non eſt, niſi in charitate. Vnde Tullius in libro de amicitia dicit. Quod amicitia eſt diuinarum humanarumque rerum cum beneuolentia & charitate conſummatio. Patet; quia fundamentum amicitiæ eſt charitas, Et ideò, qui volunt cum Deo contrahere amicitiam, ante omnia habeant charitatem. Et quia charitas & cupiditas ſunt eis contraria; ideo nemo habens huius mundi cupiditatem poteſt eſſe verus amicus
Iacob.4. Dei, quia *amicitia huius mundi inimica eſt Deo;* Et *qui vult eſſe amicus huius mundi, inimicus conſtituetur Dei* Non enim ſolum qui blaſphemant & perſequuntur Deum, ſed etiam omnes amatores mundi, inimici Dei ſunt. Duo amores ſunt contrarij, ſcilicet amor Dei, & amor mundi, & ſi amor mundi inhabitat, non eſt quo amor Dei intret. Sed diceres; libenter acquirerem amicitiam Dei, ſi ſcirem, quomodo ſit acquirenda. Ad quod reſpondeo, quod amicitia Dei ſex virtutibus acquiritur. *Amicitia Dei acquiritur ſex virtutib.*
Primo enim acquiritur per munditiam vitæ, ſiue per puritatem innocentiæ. *Secundo* per veritatem pœnitentiæ. *Tertio* per amorem obedientiæ. *Quarto* per donum patientiæ. *Quinto* per virtutem miſericordiæ. *Sexto* per donum charitatis. 1.
Primo acquiritur per munditiam vitæ. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem.* *Prou.22.* Notanter dicit, *cordis munditiam,* quia cor eſt quaſi fons omnium operationum. Vnde ſi aqua immunda eſt in fonte, non mirum, quod & in riuo. Et ſi arbor eſt putrida in radice, non mirum, quod & in ramis. Sic homo, ſi infectus eſt in corde, non mirum, quod & in ſenſibus. Patet ergo illos inimicos Dei eſſe, qui malè loquuntur ore, vel malè vident oculis, aut delectantur in turpium auditu. Et hoc ideò, quia non habent cor mundum, quod Deus requirit principaliter in amico ſuo. 2.
Secundo acquiritur per veram cordis pœnitentiam. Nam qui inimicus Dei erat per culpam, fit amicus Dei per pœnitentiam veram, ſcilicet per amaritudinem cordis, per confeſsionem oris, & per ſatisfactionem operis. De quo poteſt exponi illud Eccleſiaſt. vigeſimo ſecundo. *Ad amicum ſi produxeris gladium; non deſperes.* Amicus noſter Deus eſt, qui nobis in bonis naturæ, gratiæ, & fortunæ amicitiam oſtendit. Sed ad eum gladium producimus cum peccamus. Non eſt tamen deſperandum, quia dum verè pœnitemus, ad amicitiam reparamur; immo quandoque maiorem. Sicut patet de Petro, Dauid, Magdalena. Vnde Dominus dicit in Pſal. de talibus; *Mihi alienigenæ amici facti ſunt,* id eſt, qui per peccatum fuerunt facti extranei, per pœnitentiam mihi in amicitiam ſunt reparati. *Tertio* acquiritur per bonum obedientiæ. Vnde Dominus dicit Apoſtolis. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* *Ioan.15.* Ac ſi diceret, quamdiu non reuelaui ſecreta patris vobis, non

non fuiſtis amici ſed ſerui, ſed iam amplius eſtis amici, hoc autem non fuit, niſi merito obedientiæ. Videmus in curijs, quod, qui magis ſunt obedientes principibus, ad maiora ſecreta admittuntur. Obedientia autem probatur per impletionem mandatorum. Vnde Ioan.15. dicitur; *Vos amici eſtis ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Ex quo patet, quod obedientia multum eſt accepta Deo, quia facit amicos Dei. E contra verò inobedientia facit de filijs Dei inimicos. Sicut patet de rege Saul, qui propter inobedientiam factus eſt de rege iuſto reprobus & dæmoniacus.1.Regum.15. Et de Adam patet, quia qui dicebatur præpoſitus paradiſi, factus eſt agricola miſerabilis terræ. Geneſ.3. De lucifero quoque patet, ꝙ ꝓpter inobedientiã de angelo factus eſt diabolus Iſaiæ 14. Legitur de quodam nobili Romano, qui dicebatur Poſtumius, quod pro eo, quod filius ſine ſcitu ſuo hoſtes perſecutus eſt, ipſum victorem reuerſum occidi mandauit. O ſi ſic inobedientia mundana punita eſt, quantomagis diuina?
4. *Quarto* acquiritur per donum patientiæ. Nam per aduerſa maximè probatur amicus. Sicut enim dicit Salomon;
Prou.11. *Simulator decipit ore amicum ſuum.* Vnde idem dicit; *Si poſſides amicum in tentatione poſſide illum.* Et quidam metriſta; *Si fueris fœlix multos numerabis amicos, Tempora ſi*
Iudith.8. *fuerint nubila, ſolus eris.* Hinc dicitur de Abraham, quod tentatus per multas tribulationes amicus Dei factus eſt. Philippus rex Macedonum redarguit Alexandrum filium ſuum, quod illos ſibi amicos veros æſtimabat, quos præcio comparabat. Sed non ſic Deus probat amicos. Ipſe enim di-
Matt.10. cit ſuis; *Dico autem vobis amicis meis; Nolite timere eos qui occidunt corpus, & poſtea non habent amplius quid faciant. Sed potius hũc timete, qui poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet mittere in gehennam.* Ecce quomodo per aduerſa probat eos ſolum amicos, qui timentes perdere animam, perdunt corpus pro Chriſto amico ſuo.
5. *Quinto* acquiritur per donum miſericordiæ. Miſericors enim multos habet amicos. Sicut dicit Dominus; Luc.16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* *Sexto* acquiritur diuina amicitia per 6
donum charitatis. Non enim eſt vera amicitia, niſi charitatis glutino copulata. Per has ergo virtutes quærenda eſt amicitia Chriſti, & maximè per virtutem charitatis. Vnde Auguſt.in.libr.1.ſuper Geneſ.contra Manich. Non efficitur quis amicus Dei niſi purgatiſſimis meritis. Quod non poteſt fieri melius, quã p charitatem, in qua omnia merita concurrunt. Et ideo iſti in Euangelio præſenti ſine charitate dicitur ironicè *amice*, quaſi dicat, immo inimice re ſed amice nomine. Eo.n. quod defecit iſte in virtute charitatis, licet etiã multas alias habuerit virtutes, amicus fictus dicitur. Patet ergo, quod nihil ſic amicum Dei facit ſicut charitas. Nam alia dona Dei etiam dantur inimicis. Vnde multi erunt, qui dicent in nouiſſimo die; *Domine in nomine* Matt.7.
tuo dæmonia eiecimus, & multas virtutes fecimus; quib⁹ dicetur à Domino. Diſcedite à me operarij iniquitatis quia neſcio vos. id eſt, facta veſtra nunquam approbaui. Quod vtique non eſt propter aliud, niſi quia erant ſine charitate, ſine qua nihil valent omnia.

II.

Quomodo huc intraſti? Difficilis quæſtio, *Difficilis quaſtio, quomodo huc intraſti.*
quia terribis & horribilis & inſolubilis. Nã homo ſine charitate in iudicio finali non poterit Deo reſpondere vnum pro mille. *Iob 9.*
Vnde Chryſ.dicit; Quando venerit Deus in maieſtate ſua, nemo erit auſus garrula contentione ſermonem aut mendaciũ defendere aut contradicere veritati. Nã modo os loquitur, & opus abſconditur, ſed tunc contra erit; quia opera ſingulorũ loquentur, & ora tacebunt. Modo enim perſona interrogatur, & conſcientia non videtur, ſed tunc erit econuerſo; quia conſcientia diſcutietur, & perſona cõfundetur; quãdo nemo excuſabit peccatorem, ſed omnes accuſabũt. Hæc ille. *In opere imperf. ſuper Matt. Hom.19.* Inter omnia autẽ, quæ iuſtus iudex obijciet tunc peccatoribus, erit iſta dura quæſtio. ſc. *Quomodo huc intraſti?* ſc. nõ benè ornatus virtutibus. Dixiſti.n. te Chriſtianum nomine, re tamen paganus

 fuiſti;

fuiſti; *& quomodò huc veniſti?* Qui enim Chriſtianum dixiſti te, quare Chriſtum non es imitatus? *Quomodo ergo huc intraſti ad Chriſtum, qui operibus eum negaſti?* Chriſtiani nomẽ ille fruſtra ſortitur, inquit Auguſt. qui Chriſtum minimè imitatur. Quid enim tibi prodeſt vocari, quod non es, & nomen vſurpare alienum? Hęc Auguſt. Erit ergo iſta quæſtio multum dura atque difficilis omnibus ſictis Chriſtianis, quorum vnicuique dicetur; Quomodo huc intraſti. Quæretur enim quilibet Chriſtianus de tribus; *Primo* quomodo alijs miſericordiam fecit. Nam ille verus Chriſtianus eſt, qui omnibus miſericordiam facit, qui miſeris ſubuenit, qui ad fletum fletibus prouocatur alienis. Quæretur ergo ab eo merito, quomodo miſericordiam vult in iudicio conſequi diuino, qui miſericordiam denegauit poſtulanti in mundo Cum ſcriptum ſit; *Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui miſericordiam denegauit poſtulanti.* Iacob. 2. *Secundo* quæretur, quomodo intrare auſus eſt aulam tanti Domini, cuius ſignum in ſe habere & portare neglexit. Nemo enim Chriſtianus dici poteſt, niſi qui Chriſto moribus adæquatur. *Tertio* quæretur, quomodo intrare auſus eſt ad recipiendum ſalarium, qui nunquam pugnare viriliter viſus eſt. Delicatus es miles, Chriſtiane, inquit Chryſoſt. in hom. ſi putas poſſe te ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare. Hæc ille Et merito huic dicitur; *Quomodo huc intraſti?* Non enim quęritur tunc in iudicio diuino à te, quomodo intraſti fidem Catholicam, aut quomodo intraſti Eccleſiam, ſed quomodo huc inſtraſti? ſcilicet ante diuinum conſpectum, & tanti iudicis maieſtatem. Licet autem omnibus dura tunc proponetur quæſtio, *eo quod omnes nos tunc oportet aſtare ante tribunal iudicis, vt referat vnuſquiſque iuxta opera ſua, ſiue bona ſiue mala;* 2. Cor. 5. tamen ſpecialiter dura, imo durior erit quæſtio prælatis & præſidentibus. *Prælati iudicium duriſſimũ ſubibunt.* Sap. 6. *Iudicium duriſſimum erit his, qui præſunt. Exiguo enim concedetur miſericordia, potentes autem potenter tormẽta patientur.* Et notanter dicit *duriſſimum.* Erit enim durum, quia malè intrauerunt; durius, quia malè rexerunt; & duriſſimum, quia malè vixerunt. Tunc enim erit eis triplex quæſtio Prima, quomodo intraſti? ſecunda, quomodo rexiſti? tertia, quomodo vixiſti? Durum iudicium erit ſæcularibus; Durius malis religioſis; Sed duriſſimum peruerſis prælatis. Dura quæſtio, quia à pauperibus extorſionem fecerunt; Durior qualiter bona pauperum conſumpſerunt; Duriſſima, quia Chriſto & Eccleſiæ de perceptis eleemoſonis non ſeruierunt. Dura quæſtio, quia Chriſti oues non pauerunt in temporali ſubſtantia; Durior, quia non pauerunt verbo doctrinæ; Duriſſima, quia non pauerunt exemplo bonæ vitæ. Dura, quia bonos non informauerunt; Durior, quia malos non increpauerunt; Duriſſima, quia ipſimet non benè vixerunt. Ergo iudicium duriſſimum his, qui præſunt tam ſpiritualibus quam ſæcularibus.

Sed diceres; Quomodo iuſtum eſt, vt prælatis durius iudicium fiat, quam ſubditis? *Cur prælati duriſſimũ ſubituri iudicium?* Reſpondeo quod hoc fiat ex rationabili proportione valdè iuſtum. Nam iuſtũ eſt, quod ſic ſe habeat pœna Pilati ad pœnam Iudæ, ſicut culpa Pilati ſe habuit ad culpam Iudæ, in illa proportione, in qua culpa prælati excedit culpam ſubditi. Et quia iſte exceſſus eſt talis, quo maior eſſe non poteſt; ideo vocatur iudicium duriſſimum, quod infligetur prælatis. Et ideo cõſequenter dicitur; *Exiguo concedetur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur* *Ibidem.* *Exiguo,* id eſt, ei, qui peccat per ignorantiam aut fragilitatem, *conceditur miſericordia,* hic eſt minor pœna, *ſed potentes,* id eſt prælati ſcientes, id eſt, ad ſcientiam obligati, *potenter,* id eſt, abundanter, *tormẽta patienter;* iuxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit ſe & in delitijs fuit, tantum date ei tormentũ & luctum.* Attendant ergo, qui currunt ad prælationes, & eas intrant taliter qualiter, per fas & nefas, quos potius introducit cupiditas quam charitas, ſimonia quam ſanctimonia. A quibus quęretur, *quomodo huc intraſti?* Certè inter omnia nihil nocet ita prælatis ad damnationem, ſicut malus ingreſſus ad beneficium. Ex quo prouenit, quod cum vitioſè intrant, vitioſius viuũt, & vitioſiſſimè moriũtur. Vnde dicit canõ; Raro, vel nunquã bono peraguntur

Ioan. 10. tur exitu, quæ malò principio ſunt inchoata. Vnde talis, *cum ſit fur & latro,* quomodò poteſt aliud cogitare, niſi vt mactet, & perdat? *Aliunde enim aſcendit, quam per oſtium,* & ideò non mirum, quod non paſcit, non nutrit, non ædificat, non educit ad paſcua, ſed intra ouile mortificat & deuorat. Sicut conqueritur Dominus per prophetam; *Deuorant,* inquit *plebem meam ſicut eſcam panis.* Exponit Innocent. 4. Deuorant ſpoliando, detrahendo, occidendo. Verbum enim deuorãdi auiditatem notat, in quo notatur eorum maius peccatum. Mich. 3. *Qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper oſſibus eorum, qui comederunt carnes populi mei.* Hoc autem peccato, vt dicit Innocent. ibidem, peccant principes terræ & ſub ipſis pedelli, aduocati, & officiales. In hoc autem quod dicit, *plebem meam,* tangit magnam crudelitatem, quia nec canis canem comedit, quod tamen iſti faciunt, ideo dicit *plebem,* non ſubſtantiam, quia *ſubſtantia pauperis vita eius eſt,* vt dicitur Eccl. 24. Vnde iſti homines deuorant quodammodo. Iſa. 3. *Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? Sicut eſcam panis* dicit, quia delectantur in talibus ſicut in eſca. Et tantum de ſecundo.

(Margin: Ioan. 10. 1. q. 1. Ordinatiões. Ibidem. Pſal. 13.)

II.

Non habens veſtem nuptialem. Ac ſi diceret; Licet habes veſtem ferialem & communem, tamen iſta non decet nuptias, ergo iudicaberis ac ſi nudus eſſes, ex quo nõ habes nuptialem. Sciendum, quod loquendo naturaliter, triplex veſtis eſt homini neceſſaria; ſcilicet ad calefaciendum, & ad hoc ſufficit qualiſcunque ſimplex. *Secunda* ad protegendum, & ad hoc requiritur veſtis dura & fortis. *Tertia* ad decorandũ, & ad hoc requiritur ſolennis & deaurata, quæ propriè dicitur nuptialis. Sic moraliter loquendo homini neceſſaria ad ſalutem eſt triplex veſtis; prima ad calefaciendum, ſecunda ad protegendum, tertia ad decorandum. De prima dicitur Prouer. vlt. in perſona animæ ſanctæ. *Non timebit à frigoribus niuis; Omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Frigus animæ eſt refrigeratio feruoris charitatis. De qua dicitur apud Matthæum: *Refrigeſcet charitas multorum.* Contra quod frigus neceſſaria eſt veſtis ſubducta & calida, ſcilicet virtutes interiores & exteriores; vel intentio ſancta interius, & opera iuſta exterius. Et iſta calefaciunt & incendunt in homine calorem diuinæ dilectionis. Sed de multis hodie verũ eſt, quod dicitur in Pſal. 108. *Induantur, qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.* Mala veſtis pudor in culpa, & confuſio in pœna; vel pudor coram hominibus, & confuſio interius in conſcientia. De ſecunda veſte, quæ eſt ad protegendam animã, dicitur ad Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, loricam iuſtitiæ, & galeam ſalutis aſſumite,* id eſt, ſpem, *& gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Matth. 10. *Non veni pacem mittere, ſed gladium,* qui ſeparat patrem à filio per fidem, vt exponit Gorra. Et notanter hic præmittit fidem ante omnes virtutes, appellans eam ſcutum. Sicut enim ſcutum cætera arma protegit, & primum occurrit, ita & fides. Ipſa .n. eſt prima in conſtructione, & vltima in deſtructione. Et ſic diabolus, licet plus oderit charitatẽ, tamen prius impugnat fidem, vt illa deſtructa noſcat etiam deſtruere charitatem. Et ſic fides eſt prima in impugnatione, & vltima in deſtructione. Vnde gloſſ. *Prima petit campum dubia ſub ſorte duelli. Pugnatura fides.* Et quia fides eſt tantum in vita iſta, ideò quaſi ſcutum portatur in ſiniſtra parte. Hæc Gorra. Iſta arma petit propheta à Chriſto ſibi dari in auxilium Pſal. 34. dicens; *Apprehende arma & ſcutum &c.* Innocentius exponit, id eſt, arma virtutum ad expugnandum inimicos, quæ Chriſtus habuit, ſcilicet humilitatem contra diabolum, paupertatem contra mundum, & vitæ auſteritatem contra carnem. Sed certè multi hodie armati ſunt armis diaboli, quibus ſe protegunt, ne verbo Dei ſicut ſagitta ſagittentur. Iſti habent arma Saul ponderoſa, quæ Dauid abiecit tanquam ad pugnandum inepta. vt habetur 1. Reg. 17. Vnde talia arma finaliter comburentur. Pſalm. 45. *Arma & ſcuta comburet igni.*

(Margin: Triplex veſtis neceſſaria corporaliter & ſpiritualiter. 1. Ad calorem. 2. Ad protectionẽ. Fides ſcutum.)

Vnde excuſationes peccatorum ſunt quaſi ſcuta fuſilia. De quibus Iob 41. Vbi Gregor. lib.31. moral. dicit, quod in ſcuto ſignificatur obſtinata duritia defenſionis peccatorum. Et illud peccatum abũdat in multis, prout tangit Seneca epiſt. 52. Ideo, inquit, difficiliter ad ſanitatem peruenimus, quia nos ægrotare neſcimus. Dicimus enim, non ſum ambitioſus, ſed vrbs ipſa expenſas magis exigit, & ſic de alijs, quæ ibi enumerat Seneca, quibus ſe homines excuſant à peccatis ſuis. Propter quod dicit Seneca epiſt.118. Nullum vitium ſine patrocinio eſt. Et iſti ſunt ſimiles erinacio, qui deprehenſus in globum ſe colligit, vt nec caput nec pedes videatur. *De tertia* veſte, quæ eſt ad decorem, dicitur; *Expoliate vos veterem hominem, & induite nouum, qui renouatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem eius, qui creauit eum.* Et ſequitur, vnde iſta veſtis componitur: *Induite vos ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſuper omnia autem charitatem habentes.* Ecce ex quinque virtutibus iſta veſtis nuptialis contexitur, & ex ſexta, ſcilicet ex charitate, perficitur. Niſi enim adeſſet charitas, omnes alię virtutes non ornarent hominem, ſed deturparent. Vnde 1.Pet.4. *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes.* Et ratio, quia vt dicitur ibid. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Vbi glo. ordinaria dicit, Cum per alias virtutes culpę diluantur, maximè per charitatem. Vnde dicitur in Prouerbijs *Vniuerſa delicta operit charitas.* Licet enim aliæ virtutes hominem perficiunt, tamen charitas eas colligit inuicē, ne ſeparentur, ſicut tectum domum, ne corrumpatur. Et ideò dicitur opertorium valdè decorum. Hęc eſt veſtis aurea, in qua ſola ſpōſa Chriſti debet aſtare à dextris eius, Pſal.44. *Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Exponit Innoc. quod ſponſa Chriſti eccleſia *aſtitit* Chriſto per fidem, ſpem, & charitatem; non nuda, ſed *in veſtitu*, id eſt, in cōnexione & ornatu virtutum, *deaurato*, id eſt, ſapientia, quæ eſt ęternorum contemplatio & præguſtatio decorata. Per aurũ enim intelligitur illa præcipuè ſapientia, qua ſapiunt nobis æterna. Sed quia nō integre poſſumus habere hic illam ſapientiam, ideò dicit, *deaurato*, non aureo. Aliter enim ſecundum eundem Innocent. per veſtitum intelliguntur opera, ſine quibus homo nudus eſt, iuxta illud Apoc 16. *Beatus, qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet.* Per aurum intelligitur charitas, quæ eſt optima inter virtutes, ſicut aurum inter metalla. Veſtitus autē deauratus ſunt opera in charitate facta, quæ ornant Eccleſiam, vt aſſiſtat ſponſo. Hæc ille.

Sed multi hanc veſtem male tractant. Nam quidam eam deturpāt peccato ſicut ſanguine, vt ſũt vſurarij, & raptores, & pauperum oppreſſores. Sed terribile eſt, quod eis dicitur; *Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem.* Iſai.9. Quidam ſordidant, quod alijs fœtet per malam famam. Et iſti ſunt ſimiles Iudæ; de quo dicitur; *Induit maledictionem ſicut veſtimentum.* Magnus fœtor veſtimentorum Iudæ, qui huc-uſque ſordet & ſordebit vſque in ſæculum ſæculi. Econtra verò boni odorant per exemplum bonę famę. Cant 4. *Odor veſtimētorum tuorum ſicut odor thuris.* Quod gloſſ. exponit ordin. de operibus virtutũ, quādo ſunt informata charitate, quæ tunc redolent, alias ſine charitate ſordent. Quidam etiam hanc veſtem ſuperducunt alteri veſti, cum tamen deberent ſe expoliare de veteri veſte, vt nouam induerent. Coll. 3. *Expoliantes vos veterem hominem*, habitum peccatorum. Taliter fecit ſponſa Chriſti, quæ de ſe ait; *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* quaſi dicat, nullo modo. Sapiens videtur eſſe ille, qui licet habeat adhuc bonam tunicam, tamen ex quo datur melior, deponit veterem bonā, vt meliorem nouam recipiat. Sic ſapiens eſſet Chriſtianus, ſi pro tunica charitatis præmij æterni deponeret bona temporalia, & ea ad opera miſericordiæ daret, ſicut fecit Ionathas. 1. Reg.18 *Expoliauit ſe Ionathas tunica, qua indutus erat, & dedit eam Dauid.* Sic Martinus exuit ſe clamyde, & dedit eam Chriſto. Alij autem iſtam tunicam tanquam alienam induerunt, vt illi, qui in alienis bonis & meritis confidunt.

Veſtis nuptialis deturpatur peccato.

dunt, ſed ipſimet nihil faciunt; & hi induuntur veſte peregrina. Contra quos Dominus dicit Sophon. 1. *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.* Alij autem, quod peius eſt, ſcindunt iſtam veſtem, vt hæretici, ſchiſmatici. De quibus conqueritur Dominus in Pſal. 21. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea* Et hi ſunt peiores Iudæis crucifixoribus Chriſti, qui non ſciderunt veſtem Chriſti, ſed ſortem miſerunt ſuper eam, vt dicitur Ioan 19. Alij, quod peſſimum eſt, omninò eam amittunt propter vanam gloriam, & de ea ſe ſponte ſpoliare permittunt; vt illi, qui faciunt opera bona, vt videantur ab hominibus. De quibus Gregor. *Deprædari deſiderat, qui aurum publicè in via portat.* Non enim eſt cõgruum in bona & deaurata veſte in via publica inter latrones procedere, ſed intus in domo. Quia, *Omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis. Ab intus,* id eſt, in conſcientia, iuxta illud 2. Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et de talibus conquæritur Chriſtus in Pſal. 21. dicens, *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem, &c.* Notanter dicit, *ſibi,* id eſt, non ad vtilitatem meam, ſed gloriam ſuam & vanam lætitiam, *veſtimenta mea,* id eſt, virtutes meas. De quibus Apoſtol. ad Col. 3. *Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ &c.* Et quod per vanam gloriã amittantur bona hominis, figuratũ fuit, vbi Ezechias nuncijs regis Babyloniæ oſtendit omnia, quæ erant in domo ſua. Et venit Iſaias ad eum dicens; *Quid viderunt iſti in domo tua?* Et reſpondit: *Omnia quæ ſunt in domo mea viderunt, & nihil eſt, quod non monſtrauerim eis in theſauris meis.* Et ſtatim ei Iſaias dixit. *Audi ſermonem Domini; Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua in Babylonem, non remanebit quicquam, ait Dominus.* Per nuncios Nabuchodonoſor ſignificantur ſuggeſtiones diaboli, vel ipſi dæmones ſuggerentes vanam gloriam, quibus tamen, cum oſtenduntur bona opera, omnia diripiuntur per eos. Et ſicut mittentes ſortem, ſuper eandem rem ſinguli ſingulas & diuerſas ſortes ponũt, ita ſinguli dæmones diuerſas tentationes mittunt ſuper veſtem noſtram, vt auferant eam Hæc omnia Innoc. Sed nos non ſic fratres chariſſimi, ſed potius veſtem iſtã caute ſeruemus, ſoli Deo per eam placere curantes. Quatenus ſic pro veſte huiuſmodi gratiæ mereamur indui ſtola & veſte gloriæ Quod nobis præſtare dignetur pater, & filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMINICA VICESIMA PRIMA POST TRINITATEM.

SERMO I.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan. 6.

QVAMVIS omnipotens Deus magnã ſuæ bonitatis gratiam oſtendit hominibus in dando & multiplicando eis bona tẽporalia, quæ omnibus etiam malis & bonis indifferenter communicat. *Pluit enim ſuper iuſtos & iniuſtos, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos*; In hoc tamẽ excellentem & abundantẽ copiam ſuæ bonitatis manifeſtat, ꝙ etiã mala corporalia huiuſmodi in ꝑfectũ ſalutis ordinat & diſponit. Vnde dicit Greg. ſup illud Iob, *Beatus homo qui corripitur à Deo,* quod Deus aliquãdo percutit in corpore, vt mentem ſanet. Et glo. ordi. ſuper illud 1. Pet. 4. *Tem-*

pus

pus eſt, *vt iudicium à domo Dei incipiat*, dicit; Nunc vnuſquiſque homo aut exercetur ad purgationē, aut mouetur ad cōuerſionem Iſtud ſtatuit in regulo iſto, cuius filius infirmabatur Deo ordinante, ad hoc, vt per hanc infirmitatem ipſe regulus conuerteretur ad Chriſti fidem. Vnde quia iſtud eſt multum mirabile, eccleſia ſancta recolit iſtius filij infirmitatem tam notabiliter, cum dicit; Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. In quibus verbis tria tanguntur. *Primò*, deſcribitur perſona patris, ſcilicet reguli petentis curationem, cum dicitur; *Erat quidam regulus.* *Secundo* ſubditur perſona filij patientis moleſtiam, cum dicitur; *Cuius filius infirmabatur.* *Tertiò* ſubiūgitur deſcriptio loci continentis infirmi afflictionem, cum dicitur; *Capharnaum.*

Propoſit.

I.

Erat quidam regulus. In regulo iſto ſignificatur omnis homo moraliter, qui poſtquam amittit dominium rationis ſuper ſēſualitatem, non meretur dici rex, ſed regulus; imò quamdiu eſt in ſtatu vitæ præſentis, non poteſt dici verus rex, ſed regulus. Pro quo ſciēdum, quod licet homo habeat totius mundi diuitias, ſicut habuit Magnus Alexander, adhuc non poteſt dici verus rex, ſed potius paruus regulus. Et hoc ex tribus cauſis; *Primò* propter bonorum & diuitiarum diminutionem & inſufficientiam. *Secundò* propter temporis breuitatem & breuem ſubſiſtentiam. *Tertiò* propter ſolicitudinis anxietatem & laborum ſuſtinētiā. Primò nullus poteſt dici verus rex aut Dominus in hac vita propter bonorum diminutionē & inſufficientiam. Omnia enim quæcunq; ſunt in mundo, non poſſunt hominem ſufficienter & perfectè ſatiare. Nam ſicut dicit Bernar. in lib. de diligendo Deo cap. 3. omni vtenti ratione naturaliter ineſt pro ſua æſtimatione aūt intentione appetere potiora, & nulla eſſe re cōtentū. Et exemplificat ibidē dicens; nā qui habet vxorē ſpecioſā, petulanti oculo reſpicit pulchriorem. Et qui veſte præcioſa indutus eſt, ſpecioſiorem affectat. Et poſſidens multas diuitias, inuidet ditiori. Et ſubdit; vides iam multos prædijs & poſſeſſionibus ampliatos, adhuc tamen indigentes agrum agro copulare, atq; in infinitum dilatare terminos ſuos. Et ex hoc ipſe cōcludit, quod extremæ dementiæ eſt ea ſēper appetere, quæ nunquam, non dico ſatiant, ſed nec temperant appetitum; dum quicquid talium habueris, nihilominus nō habita cōcupiſcas. Hæc ille. Patet ergo quod cum homo non poteſt habere ſufficientiam nec perfectam ſatietatē in iſtis bonis, merito nō poteſt dici rex ſed regulus. Iſta .n. omnia, quæ ſūt in mundo reſpectu cœleſtium, videntur quaſi nihil, vel quaſi paruus punctus, vnde dicit propheta; *Aſpexi terram, & ecce erat vacua & nihil. Terra erat inanis & vacua. Tranſierunt omnia velut vmbra.* Refert Seneca epi. 93. quod Alexander didicit geometriā, vt ſciret quam magis foret terra, cui imperabat. Cumq; artificioſe fuiſſet eleuatus in aëra, ſubleuatus vidit terram quaſi vnius puncti reſpectu cœli, & ſtatim confuſus intra ſe reputauit ſe infælicem, & quod falsū nomen gereret, ſc. vocando ſe Magnū Alexādrū. Quis, inquit, magnus dicit poteſt in pugillo? Cū ergo regis eſt habere omnia ad abundātiam, patet ꝙ homo non poteſt dici rex verus in iſtis tēporalibus, quæ non poteſt habere etiam ad ſufficientiam, eo quod quantumcunq; magnæ ſint diuitiæ, magnæ voluptates, nihilominus non ſatiant animam, ſed ſitim continuā accendūt. *Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum.* Et Eccleſ. 5. *Auarus non implebitur pecunia.* Et eiuſdē 6 *Anima eius nō implebitur bonis.* Et ſic patet, quia homo non poteſt dici verus rex in hac vita, cum nō poſſit habere ſufficientiam pro ſua neceſſitate, & per continens dicendus eſt mendicus & pauper. Vnde Apoc. 3 Æſtimanti ſe talē verum regem dicitur; *Dicis quia diues ſum, & nullius egeo, & neſcis quia miſer es & cæcus & nudus.* Hoc benè ponderauit Dauid, qui quamuis eſſet rex ditiſſimus, tamē videns omnia iſta eſſe quaſi nulla, de ſe dixit; *Ego autem mendicus ſum & pauper.* Et ſic patet de primo.

Rex non eſt, qui nō dominatur ſenſualitati.

Homo eſt regulus propter tres cauſas.

Omnia mūdi bona nō poſſunt hominem ſatiare.

Secundo nemo debet dici verus rex aut Dominus in hac vita propter temporis breuitatem & breuem ſubſiſtentiā. Nam eſto, quod homo habeat omnia mundi delectabilia, quę deſiderat anima ſua, nihilominus

in his

in his ſubſiſtere non poteſt, vnde potius eſt peregrinus & aduena, quam rex in hoc mũdo, iuxta illud Eccl. 10. *Omnis potẽtatus breuis vita.* Refert Valerius in lib. vltimo. & Hieron. in epiſt. 115. quod Xerxes rex Perſarum aſpiciens multitudinem militiæ ſuæ fleuiſſe dicitur, eò quod poſt breue tempus eam amittere deberet, & nullus de ſuis remaneret. Quomodo ergo rex dici poteſt quis, cui quaſi ad vnius horæ ſpatium omnia iſta cõceſſa ſunt? Corpora enim noſtra, in quibus habitamus, nõ ſunt niſi quædam tabernacula militantium, aut ſtabula viatorum, vt dicit Bernard. ſuper Cant. ſer. 27. Qualis ergo eſt rex in tabernaculo, aut in ſtabulo? certe nullus. Vnde Auguſtin. ſuper Pſal. 36. exponens illud; *Adhuc puſillum, & non erit peccator,* vocat iſtam auram matutinam. Et Iacobus vocat eam vaporem ad modicum apparentem Et verè ſic eſt. Nam videmus quandoq;, quod aura matutina ſit multum ſerena, & apparet huiuſmodi, quod ſic duraret tota die, ſed orto ſole ſtatim mutatur & diſparet in nihilum. Sic vita hominis apparet, quod deberet durare lõgo tempore, & tamen, cum non ſperat, moritur. Iob 21. *In puncto ad inferna deſcendũt.* Et ideò propheta nihil aliud vocat eã, niſi vanitatem & mendacium dicens: Pſal. 4. *Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.* id eſt, tẽporalia, quæ dicuntur mẽdacium multis rationibus. Primò, quia promittunt ſecuritatẽ & ſoluũt timorẽ. Iob 15. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cũ pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Pſal. *Poſuiſti firmamentum eius formidinẽ.* Vnde Seneca, Videt pauperem & ſuſpicatur furem, videt diuitem & æſtimat prædonẽ. Secũdò quia promittunt ſatietatem, & ſoluunt eſuriem. iuxta illud poëtę: *Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.* Tertiò quia promittũt delectationem, & dant punctionem. Vnde Domin⁹ vocat eas ſpinas. Quartò promittunt honorẽ, & ſoluũt opprobriũ. Pſal 122. *Opprobrium abũdantibus & deſpectio ſuperbis.* Et ſic patet ſecundum.

Iacob. 4.

Tẽporalia tur vocẽtur mẽdacium.

Luc. 8. Matt 13.

3. Curarũ anxietas magna in hac vita.

Tertiò nemo poteſt dici veraciter Dominus & rex in hac vita propter ſolicitudinis anxietatem & laborum ſuſtinentiam. Semper enim diuites ſunt in continua ſolicitudine. Matt. 6. *Ne ſolliciti ſitis.* Sollicitì enim ſunt in continuo labore, quomodo prouideant familiæ multæ de neceſſarijs, quia Eccl. 5. *Vbi multa ſunt opes, multi & qui comedũt eas.* Vnde frequẽter ſeruus dormit & Dominus cogitat, quid mane comedat cum ſeruo. Et in hoc dñs minor eſt, q̃ ſeruus. Quia qui imperãt, ſeruiunt eis quibus videntur imperare. Et certè ſic eſt. Domini enim portant onera ſubditorum potius, quam ſubditi dominorum. Vnde Greg. exponens illud Iob 26. *Ecce gygantes gemunt ſub aquis,* dicit, Qui elatum honorem in hac vita aſſequi cupiunt, ſub ponderibus populorum gemunt. Nam quanto quis altius erigitur, tanto plus curis grauioribus oneratur, ipſiſq; plus mente & cogitatione ſu ponitur, quibus ſupraponitur dignitate. Propter has moleſtias, ſollicitudines, & labores, multi etiam gentiles refutabant honores regales. Vnde refert Valerius li. 7. c. 5. de quodam qui cum debuiſſet coronari in regem, aſpiciens coronam dixit; O pannum, nobilem magis, quam fœlicem, quẽ ſi quis conſideraret, quantis ſollicitudinibus ſit reſperſus, nec humi quidem eum iacentem tollere vellet. Legitur etiã de quodam rege Conoto qui fuit rex Daciæ, Angliæ & Norrvagiæ, qui poſtquam poſuit ſedem ſuam in littore maris, & ait. Mare non tranſeas nec aſcendas terram, nec mẽbra, nec veſtes dominatoris tui madefacias. Sed manè nihilominus mare aſcendit. Quo facto iſte reſiliens ait; ſciant omnes habitatores terræ vanam & friuolam regis eſſe potentiam, nec regis quempiam nomẽ dignum habere, præter eum, cuius nutui cœlum, mare, & terra obediunt; Et nunquã poſtea coronam auream impoſuit capiti, ſed eam ſuper imaginem imponi fecit crucifixi in laudem regis æterni. Ex his patet prima pars noſtri ſermonis, quæ indicat defectum humanæ dominationis.

III.

Cuius filius infirmabatur. Bona fuit iſta infirmitas, ex qua prouenit patris & filij conuerſio. Ad hoc enim filius infirmabatur in corpore, vt cum patre ſanaretur in a-

nima, ſicut dicit finis Euangelij. Infirmitas ergo corporalis vtilis eſt interdum homini ad conuerſionem, & fit ſæpius occaſio citius conuertendi ad Deum, iuxta illud Pſal. 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum & poſtea accelerauerunt.* Vnde Grego. Mala, quæ nos hic præmunt, ad Deum ire compellunt. Et iterum pſal 82. *Imple facies eorũ ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Iſtud patet Lucam: *vbi cæci, claudi & debiles compulſi ſunt venire ad cœnam Domini; Sani autem ſe excuſauerunt.* Vnde Inno. exponẽs hoc verbum; *poſtea accelerauerunt*, dicit, quia huiuſmodi tribulationes & paupertates ſunt quaſi compendium citius veniendi ad Deum. Circa quod ſciendum, quod infirmitates corporales vtiles ſunt ad quatuor. *Primò* ad purgandum culpabilem vitã. Multa enim mala cõmittit homo corpore ſimul & anima, ſed quia anima ſtatim, vt exit de corpore, pœnam patitur pro peccato, aut in inferno, aut in purgatorio; Corpus autẽ iacens in ſepulchro nihil patitur, niſi corruptionem, pœnã autem ſenſus nullam vſque ad generalem reſurrectionem. Vnde ſtaret quandoq;, quod anima ſoluto debito in purgatorio euolaret in cœlum, corpus aũt in reſurrectione generali ſurgeret ad gaudium, nullo pœnali debito ſoluto, ideò Deus ex iuſtitia punit hic corpus, moleſtijs, infirmitatibus, laboribus, aduerſitatibus, animam autem in purgatorio, vt vtrumq; luat pœnas, ſicut vtrumq; habuit delitias. Vnde Petrus Rauanen. in quadam epiſt. Ideò te forſitan temporaliter punit Deus, vt æternæ mortis ardores pœna temporalis redimat. In ędificatione enim templi Salomonis lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum poſitione ſonus mallei audiretur; nec in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis & triturantium pedibus fuerit excuſſum. Hæc Petrus Rauanẽſ. *Secundo* tales infirmitates corporales ſunt vtiles ad confitendum propriam culpam. Vnde facit nobiſcum Deus, ſicut Dominus cum ſeruo, quem ſcit eſſe ſcelera tũ. Deprehendit eum in carcerem, & tãdiu tenet eum, donec confiteatur furtum cõtra ſe & cõtra alios complices. Caro noſtra eſt ſicut fur, quia furatur prohibita, ſicut Eua pomum. Socij eius ſunt ſenſus noſtri, qui adiuuant corpus ad ſpoliandũ animã, ſed iſtum furem Dñs capit & incarcerat, & ponit quaſi furẽ ad quæſtiones & torſiones, quando immittit illi fortes febres, vel guttam, vel paralyſim, & tamdiu tenet eum in infirmitate, donec confiteatur peccata ſua cõtra ſe & cõtra ſenſus ſuos, quibus peccauit. Vnde videmus, ꝙ illi, qui ſunt ſani, vix confitentur in anno, qui tamen, poſtq̃ infirmantur, ſtatim mittunt pro confeſſore. Vnde Pſal. 77. *Cum occideret eos, quærebãt eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eũ. Tertio* vtiles ſunt infirmitates corporales ad conſeruãdum gratiam diuinã. Vnde Apoſtolus, vt melius cõſeruaret reuelationes ſibi in tertio cælo factas, & bona alia gratuita, paſſus eſt ſtimulum. Quod exponẽs quædam gloſſa, ſatis notabilis dicit, quod paſſus eſt dolorem capitis, licet alij dicunt tentationem carnis. *Cum infirmor, tunc fortior ſum & potens.* 2. Cor. 12. Vnde iterũ dicit: *Libente gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Ibidem. Ac ſi dicat aperte, libenter dolore corporali affligar, vt firmum vas ad conſeruandum gratiam Dei effici merear. Eſt enim infirmitas corporis quaſi ciſtę precioſæ concatenatio. Quantò enim ciſta eſt fortioribus cathenis alligata, & quanto pluribus ſeris ferreis eſt clauſa, tãto eſt aptior ad conſeruandũ precioſum theſaurum, qui intrinſecus eſt reconditus. Sic quãdo corpus vinculatur infirmitate exteriori, tunc eſt aptius ad conſeruandum virtutes animæ, quę ſunt theſaurus abſconditus in agro. Matth. 13. Sunt ergo illa vincula gratanter ſuſtinẽda, quãdo Deus ea immittit, ſicut conſulit Salomon Eccl. 6. *Subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis eius.* Et ſequitur: *Vincula eius alligatura ſalutaris.* Ex his infero duo; *Primo*, quod nihil ſic reprimit in nobis elationis ſuperbiã, ſicut infirmitas corporis. Iſtud patet per illud Iob 6. *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.* Dicit interlinearis: Spiritum elationis. Et Hieronymus ibidem dicit; Sagittæ Domini ebibunt ſpiritum, cum ſupernæ animaduerſiones mentem ab elatione compeſcunt. Vnde Iob optabat

Luc. 14

Afflictionũ & infirmitatũ corporaliũ vtilitates.

ptabat talibus doloribus affligi dicẽs; *Hæc mihi conſolatio ſit, vt affligens me dolore non parcat.* Vbi dicit Greg. Cum dolor nos percutit, elatio mentis ſucciſa cadit. *Secundo* infero, quod ſignum gratiæ diuinæ ad hominem eſt afflictio infirmitatis corporalis, vt communiter Vnde dicit Apoſt *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Et ex hoc conſequẽter ſequitur, quod talis afflictio eſt ſignum ſalutis futuræ. Nam Deus, quos ſaluat æternaliter, tẽporaliter punit. Vnde dicit Greg. vbi ſupra, quibuſdam hic parcit, vt in æternum feriat. Feriat ergo non parcens, quod eſt mihi conſolatio. Et Hierony. ſuper Iob tractans eandem ſententiam dicit ibidem; hic quibuſdam parcit, vt in æternum feriat & non parcendo in æternum ſaluet. Et ſubdit ad propoſitum; ex afflictione enim cõſolor, quia ad ſpẽ ſalutis ex vulnere certus reddor. Ecce notabilis ſpes ſalutis. Et ex hoc iam apparet ecõtrario, ꝙ qui ſunt hic excepti à dolore, excipiẽtur in futuro à ſalute. Nam dicit Hierony. ſuper illud Iob 6. *Nec fortitudo mea fortitudo eſt lapidum*; Reproborum mens, quia ſola præſentia diligit, plerumq; aliena tãto exiſtit à verbere, quanto poſt extranea manet ab hæreditate. Ex hoc patet, quod multum debet timere homo in continua ſanitate, quæ quãdoq; eſt occaſio multorum vitiorum. Vnde dicit Hieronym. quod electi conſiderantes, quia nulla aduerſa patiuntur, in formidinis pauore tabeſcunt. *Quartò* infirmitates corporales vtiles ſunt ad hoſtis noſtri debilitationem. Hoſtis noſter domeſticus, cum quo eſt continua pugna, & rara victoria, eſt caro noſtra, quæ continuè concupiſcit aduerſus Spiritum. Gal. 5. Vnde ſi fuerit infirmata doloribus, multum debilitatur, vt non concupiſcat cõtra animam, ſed potius vt obediat animę, ſicut ſeruus vapulatus à Domino. Vnde Eccl. 31. *Infirmitas grauis ſobriam facit animam.* Et Bernardus tractans illud Apoſtoli. *Cum infirmor, tunc fortior ſum,* dicit: Quid mirum, ſi fortior efficeris hoſte debilitato? niſi forte inſaniſſimum amicum dicam, qui non ceſſat concupiſcere aduerſus Spiritum. Hæc ille.

2. Cor. 12.

Quintò tales infirmitates vtiles ſunt ad quærendum velocius regni cœleſtis conſolationes. Vnde Deus facit homini, ſicut mater puero, quem ablactando acu compungit in os, vt reſipiſcat & ceſſet à lacte. Vnde Auguſt. in l. confeſ. de ſe dicit; Exceſſi omnia præcepta tua, nec euaſi flagella tua. Et ſequitur: Nam tu ſemper aderas ſæuiens miſericorditer, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iucunditates meas, vt in te quærarn ſine offenſione iucundari. Et ſic dicit Gregor. Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Iſtud patet in iſto regulo, qui Deum, quem non curauit in ſanitate, quæſiuit in filij infirmitate.

III.

Capharnaum. Hieronymus in ſuis interpretationibus dicit, quod Capharnaum interpretatur villa, vel ciuitas pinguedinis, vel conſolationis. Et ſignificat delitias, conſolationes, & voluptates ſæculi, quibus homines infirmantur ſpiritualiter in anima, vt dicit Apoſtolus. 1. Tim. 5. *Vidua* id eſt, quælibet anima, *in delitiis* huius mũdi, quæ ſunt aquæ ſubmergentes animam, *viuẽs, mortua eſt,* vita gratiæ in anima, quãuis viuat vita naturæ in corpore, cuius ſepulchrum eſt corpus delitiis vacans. Romanor. 8. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Sed circa hæc aduertendum, quod mundus iſte congruè ſignificatur per Capharnaum ciuitatem. Eſt enim mundus ad inſtar ciuitatis valde ſolatioſæ. Vnde tres ſunt ciuitates; ſcilicet ſuperior, media, & infima. Quarum media eſt mundus. Superior, in qua ſunt omninò boni, de qua dicitur in Pſal. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Et Iſaiæ 33. *Oculi tui videbunt Hieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.* Notanter dicit, quod habet *fundamenta hac ciuitas in montibus,* & ideò eſt immobilis, ad ſignificandum, quod noſtra ciuitas huius mundi non habet fundamenta, & ideò non eſt ſtabilis. Heb. 13. *Non habemus hic manentẽ ciuitatẽ.* Illa ergo ciuitas eſt omni cõſolatione plena. *Glorioſa di-*

Capharnaũ ſignificat mundũ vel eius voluptates.

cta ſunt de te, ciuitas Dei. Eſt enim manſio in ea amœna, quia *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Eſt deſideranda, quia Apoc. 21. dicitur. *Ipſa ciuitas aurum mundum.* Eſt læta: *Sicut lætantiũ omnium noſtrũ habitatio eſt in te.* Eſt fertiliter perfecta, quia *ædificatur vt ciuitas.* Eſt iucunda perpetuè. Pſal. 47. *Sicut audiuimus ſic vidimus in ciuitate Dei noſtri.* Ibid. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri in monte ſãcto eius.* Alia eſt ciuitas infima, in qua habitant omninò mali, & eſt infernus. Naum. 3. dicitur: *Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mẽdacij dilaceratione plena.* Et hæc fugienda, quia ibi eſt manſio deformis. Iſa. 35. *Poſuiſti ciuitatem in tumultum.* Ibi concio horribilis ſeu ſocietas; Apoc. 18. *Facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia ſpirituum immundorum.* Ibi defectus omnis gaudij. Iſa. 14. *Vlula, porta, clama ciuitas.* Iſai. 1. *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ.* Tertia ciuitas eſt media, in qua habitant boni & mali, ſcilicet mundus. De quo Hebr. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Eſt tamẽ nihilominus ciuitas dicta, quia in ea negotiandum eſt, ſicut in ciuitate, prudenter, inſtanter, & innocẽter. Et hoc, quia hic habetur facultas merẽdi ex diuina largitate, iuxta illud Pſal. 30 *Benedictus Dominus, quoniã mirificauit miſericordiam ſuam nobiſcum in ciuitate munita.* Iſta eſt ciuitas, in qua potes ſaluare animam. Gen. 19. Sed quia eſt lubricitas viæ, ideò prudenter eſt ambulandum in ea. Eccle. 9. *Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius.* Eſt autem differentia inter iſtas ciuitates. In prima nulli ſunt infirmi, quia ibi eſt tota cõſolatio perfecta, & ideò ibi *non eſt vllus dolor.* Apoc. 21. Vnde de eis poteſt dici illud Pſal. 104 *Et nõ erat in tribubus eorũ infirmus.* In ſecunda oẽs ſunt mortui, quia dicitur in pſal. 48 *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* In tertia ciuitate, ſc. mundi, multi ſunt infirmi. Pſal 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.* Multiplicatæ ſunt infirmitates iſtæ, & continuè multiplicantur ex nimia pinguedine diuitiarum & delitiarum. Vnde conqueritur Dominus. Deut 32. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus:* Incraſſatus diuitijs, impinguatus delitijs, dilatatus honoribus. *Dereliquit Deum factorem ſuum.* Dicunt naturales, quòd ex nimia pinguedine multæ infirmitates proueniunt corporales. Sic eſt de mundo iſto, qui eſt ciuitas Capharnaum abundans pinguedine delitiarum & voluptatum, ex quibus multæ proueniunt infirmitates. Ex nimia namque pinguedine cœcitas generatur, maximè quando eſt in capite, vel circa oculos, vt dicit Innocen. 4. ſuper Pſal. 21. Sic diuitiæ, quę ſunt quædam pinguedo, quæ generatur in prælatis & Dominis magnis, qui sũt capita vel oculi ſubditorum, cæcant. Iob. 15. *Operuit faciem eius craſſitudo.* Facit etiam pinguedo hominem ponderoſum; ſic diuitiæ vel delitiæ. Luc. 18. *Quam difficile, qui pecunias habent, intrabũt in regnum cœlorum?* Et ita delitiæ faciunt hominem cęcum in ratione, vt non intelligat, vt benè agat. Id conqueritur Pſalm. 35. *Noluit,* inquit, *intelligere, vt benè ageret.* Et accidioſum in voluntate, vt non poſſit moueri ad bonum, imò dicunt bono malum. Iſa. 5. *Væ qui dicitis bono malum & malo bonum.* Sic pinguis dicit dulci amarum. Prouerb. 27. *Anima ſaturata calcabit fauum.* Iſta etiam pinguedo conſolationis terrenæ quodammodo inducit phreneſim animæ, ita quod anima fit vaga & inſtabilis huc illucque diuagando. Vnde apud Ieremiam conqueritur Dominus dicens; *Vſquequo delitijs diſſolueris filia vaga?* Nec ſolum iſta pinguedo delitiarum facit vagum, ſed etiam rebellem Deo, ſicut caſtrum abundans rebellat Domino, & equus impinguatus recalcitrat. Sic ſeruus delicatè nutritus. Prou. 29. *Qui delicatè nutrit ſeruum, ſentiet eum poſtea contumacem.* Nec ſolum delitiæ ſunt occaſio infirmitatum prædictarum, ſed etiam ſunt occaſio mortis. Sicut dicitur hic de iſto infirmo, qui febribus correptus appropinquauerat ad portas mortis, quia incipiebat mori. Ecce quanta mala proueniunt in iſto mundo, quaſi in quadam ciuitate Capharnaum, quæ dicitur villa pinguedinis; ſeu conſolationis ex voluptate delitiarum.

Pſal. 84.

Pſal. 121.

Infernus malorum ciuitas.

Mũdus bonorum & malorum ciuitas.

Sed diceret quis; Ex quo tanta eſt in mũdo ſpe-

ſpecioſitas & multiplicitas à Deo creata ad vſum hominis, quare in ea dicitis eſſe peccatum? Reſpondeo, quod non eſt imputandum bonitati creaturarum, ſi homines in amore delitiarum contra honorem Dei figuntur, ſed tantummodo peruerſitati hominum, qui malè vtuntur creatis. Vnde Aug. de vera relig. cap. 28. dicit; Nec aqua malum eſt, quod homo ſubmergitur, ſed malum eſt voluntaria præcipitatio & ſuffocatio in aqua. Omnis creatura Dei bona eſt homini, dummodo vtatur ea debite. Sicut idem cibus in eadem menſa vni prodeſt, qui ipſum debite & competenter ſumit, & alteri nocet, qui ipſum immoderatè ſumit. Inde eſt, quod pauperes, qui modicam habeat ſubſtantiam, minus contra Deum peccant peccatis ſupradictis, quia competenter vtuntur creaturis, & ideò minus infirmantur infirmitate animæ, quæ eſt peccatum. Diuites vero immoderatè vtuntur creaturis, quia ſicut bruta bibunt quantum volunt, quotiens volunt, quãdo volunt, & qualiter volunt. Similiter comedunt, ſimiliter dormiunt, ideo ſæpius infirmantur multis infirmitatibus animæ. Sicut iſte filius reguli, qui propter abundantiam bonorum fuit infirmatus. Sed nos nõ ſic, ſed potius, *vtamur hoc mundo, quaſi nõ vtentes*, vt ſic tandem vitam æternam conſequamur, & infirmitatem euadamus animæ ſempiternam. Amen. *1. Cor. 7.*

DOMINICA VICESIMA PRIMA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Occurrerunt ei ſerui nunciantes, quia filius tuus viuit. Ioan. 4.

INter cætera diuinæ potentiæ opera illud maximè videtur eſſe præcipuum & inſigne, quod ad eius nutum omnia ſine quaque mora aut negligentia obediunt & obſequuntur. Nam etſi mirabilis potentia eſt, quod tam magna creauit ex nihilo, mirabilior tamen, quod tam ſubito. Neque enim artificem commendamus, quod ſcit, ſed quod ſubito & expeditè ſcit. Mirabilia ſunt omnia, quæ creata ſunt, vt durent ſine tempore & ſine fine; ſed multo mirabiliora ſunt, quod producta non ſunt ex tempore. Nam ſtatim, vt dixit Deus, omnia facta ſunt; mandauit & creata ſunt vniuerſa. Nec enim tractu temporis creata ſunt vt eſſent, ſed mox vt iuſſa ſunt fieri, illico in eſſe prodierunt. Vnde Baruch; *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt aſſumus.* Et quia hoc opus eſt ſolius Dei, in cuius ditione omnia ſunt poſita, ita *vt non ſit, qui poſſit reſiſtere ipſius voluntati*; *Iudith. 13.* Ideo Saluator volens in ſe diuinam naturam & æqualitatem potentiæ patris perfectè oſtendere in ſignis & miraculis, ſubito languores curabat, morbos ſanabat, mortuos ſuſcitabat, ita quod ſolo imperio eius omnes curabantur. *Tantum dic verbo*, inquiebat Cẽturio, *& ſanabitur puer meus*. Iſtud apparuit benè in iſto filio reguli, quẽ Dominus in momento & ſubito, & quod mirabilioris potentiæ eſt, abſens abſentem corporaliter & perfectè ſanauit. Vnde mox, vt patri eius dixit; *Vade filius tuus viuit*, ſtatim pater reuerſus eſt ad videndum filij ſanitatem, qui cum eſſet in via, ſerui eius occurrerunt nunciantes, quia filius eius viueret. Et pater quæſita hora, qua conualuiſſet, cognouit quia illa hora erat, qua dixit ei Ieſus; *Vade filius tuus viuit.* Nulla enim hora inter Chriſti facere & dicere. Ne igitur latuiſſet patrem curatio filij, & ne diuinæ potentiæ operatio ſubito celaretur, *occurrerunt ei ſerui dicentes, quia filius tuus*

Propoſit. *viuit*. In quibus verbis tria conſiderare debemus ſecundum triplices perſonas in eis deſcriptas. Nam tanguntur perſonæ ſeruorum, cum dicitur; *Occurrerunt ſerui*. In quo notatur eorum ſtudioſa fidelitas. *Secundo* tangitur perſona Domini, cum dicitur, *ei*, ſcilicet regulo, qui fuit eorum Dominus. In quo notatur venerabilis dignitas. *Tertio* tangitur perſona filij, cum dicitur; *filius tuus viuit*. In quo notatur amoroſa caritas. Sic ergo ſerui inſtruunt ſeruorum conditionem ſubiectionis; Dominus inſtruit dominorum poteſtatem prælationis, & filius inſtruit filialem charitatem paternæ dilectionis. Et iſti tres ſtatus hic informantur per ſingula.

I.

Occurrerunt ſerui. Magna certè & ſollicita fidelitas iſtorum ſeruorum, qui ſicut contriſtati fuerunt cum Domino de infirmitate filij ſui, ita congaudere ſtudebant de vita ipſius. Vnde ne Dominus in triſtitia vlterius maneat, ne de vita deſperet, ſed potius alacritatem reſumat, nunciauerunt occurrentes ei de longinquo, *quia filius tuus viuit*. O fideles ſerui, qui & aduerſitati compatimini, & proſperitati congaudetis. O ſolliciti ſerui, qui de longinquo occurriſtis, nec expectare aduentum ſeu reditum Domini veſtri potuiſtis, nec potẽtiam Dei celare voluiſtis! ſcientes *quia opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt*. Tob. 12. Circa quod ſciendum de tribus. *Primo*, vnde proceſſit ſeruitus: *ſecundo*, quomodo ſeruus debet eſſe fidelis Domino ſuo; *tertiò*, quomodo punitur infidelis. *Seruitutis cauſſa peccatum. Aug. l. 19. de ciu. Dei cap. 15.* Quod ad primum attinet, dicit Auguſtinus, quod ſeruitus primario à peccato procedat. Vnde nũquam in ſcripturis legimus ſeruum, antequam Cham filius Noe irriſiſſet patrem, qui propterea maledictionẽ cum ſua poſteritate accepit. Hinc dicit Ambr. quod non eſſet hodiè ſeruitus, ſi ebrietas Noe non fuiſſet. Et ſic patet, quod ſeruitus non prouenit ex natura, ſed ex culpa. vt dicit Greg. in paſtoral. Vlterius patet, quod in ſtatu innocentiæ non fuiſſet ſeruitus, quia non fuiſſet peccatum. In ſignum cuius antiqui patres in lege naturæ potius dicti ſunt paſtores pecorum, quam reges hominum, vt habetur Geneſ. 47. Iam ordo peccatorum, imo deordinatio exigit, vt alij alijs ſubijciãtur. Et ex hoc infero, quod ſecundum legem diuinam & humanã debent homines obedire hominibus, iuxta illud; *Serui obedite Dominis ſicut Chriſto*. Et quo ad hoc dicit Greg. quod ex quo propter culpam hominis æqualitas omniũ ſtare non poteſt (vt ſcilicet vnus ſit æqualis alteri) diuino iudicio factum eſt, vt vnus regatur ab altero. *In regiſt. ca. 16.* Sunt autem diuerſæ cõditiones ſeruorum. *Serui diuerſimodè fiunt.* Nam quidam ſtatim, vt naſcuntur, ſerui efficiuntur, vt qui de ancilla naſcuntur. Quidam fiunt ſerui iure gentium, vt qui capiuntur in bello iuſto. Quidam iure ciuili, vt qui exiſtens maior viginti annis permiſit ſe venundari ad prærium participandum. Quidam aũt iure canonico fiunt ſerui, vt illi, qui violenter deflorãt virginem. Nam ſecundum Canones tales dantur tali virgini in ſeruitutem. Sed de his omnibus hic non dicitur, quia ſolum hic dicitur de ſeruis voluntariè dominis ſuis ſubiectis, vt ab eis regantur, vt dictum eſt. *De ſecundo*, quomodo ſeruus debet eſſe fidelis Domino, dicit Apoſtol. Ephe. 6 *Serui obedite dominis veſtris carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino & non ſicut hominibus, ſcientes quoniam vnuſquiſq; quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus ſiue liber.* *Seruus ſit Domino fidelis.* Vbi dicit Gorra. quod ſerui debent habere quadruplicem conditionem. *Serui 4. conditiones debẽt habere.* *Primo*, vt ſeruiant omnibus generaliter, non ſolum ſpiritualibus bonis ſed etiam carnalibus malis. *Eſtote ſubiecti dominis, non tantum bonis, ſed etiam diſcolis.* *1. Pet. 2.* *Secundò*, vt ſeruiant reuerenter, ſc. cum timore mentis & cũ tremore corporis, quod eſt proprium ſeruorum. *Tertio* ſimpliciter. Vnde dicit; In ſimplicitate ſc. intentionis, vt ſicut exterius oſtendunt, ſic in voluntate habeant. *Quarto* fideliter. Vnde dicit; Cordis veſtri ſicut Chriſto, ſc. cum timore & cum tremore. Et hoc latius declarans dicit,

dicit,non ad oculum,id eſt, non ad cõplacentiam hominum, tãquam ad finem non meritorium, ſed potius ad cõplacentiã diuinam. *Homo videt,quæ foris ſunt,. Deus autem intuetur cor.* Et quo ad hoc ſubdit, vt ſerui Chriſti. Ecce finis meritorius. Quod exponit Gorra. id eſt, quaſi iubente Chriſto, non ipſis ſed Chriſto ſeruientes, cui ſc. ſeruitur ad veritatem, non ad ſimulationẽ. *Si adhuc hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem.* Hominibus enim debemus placere ad rationẽ,nõ ad volũtatẽ. Eandẽ ſententiã proſequitur idẽ Apoſtolus ad Col.3. dic. *Serui obedite per omnia Dominis veſtris carnalibus,nõ ad oculũ ſeruientes, ſed in ſimplicitate cordis timẽtes Dominũ,quodcũq; facitis ex animo operamini ſicut Dmino,& non hominibus.* Et ſequitur retributio; *ſcietes, ꝙ à Domino recipietis retributionẽ hæreditatis.* Ex his patet, quod conditio ſeruilis placet Deo in Eccleſia ſua, exquo eam tãtum cõmendat & remunerare promittit. Ex quo iam ſequitur,quod illi male murmurãt dicentes; Vtinam me mater potius abortiuiſſet invtero,quam genuiſſet ſeruum in mũdo. Hoc.n.eſt murmurare contra diuinam prouidentiam & iuſtitiam. Vnde Apoſtolus dicit. *Seruus vocatus es,non ſit tibi curæ* Et ſequitur; *Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus,libertus eſt Domini.*

1.Reg.16. Gal.1. 1.Cor.7.

Fidelitas ſeruorum in quibus conſiſtat

Fidelitas autem ſeruorum erga dominos debet eſſe in pluribus, ſicut habetur. 22 q. 5.De forma. Et plura notauit Hoſtien in ſumma ſua de feudis.verſus. *incolume facile,tutumque,poſſibile,honeſtum, Vtile, conſilium,fidus,dabis auxiliumque.* Qui ſic exponunt. *Primo incolume.* id eſt, ſeruus debet eſſe fidelis Domino; ne ſit in damnũ Domini ſui,ſed omne venenum,omnem infirmitatem;& mortem, & omnem corporis læſionem pro poſſe ſuo vitabit. *Secundo facile,* ne ſcilicet id, quod Dominus facilè intendit,& faciliter facere poteſt,reddat ei difficile. Sicut multi faciunt latenter impedimẽta procurando. *Tertiò,* ne ſit Domino ſuo in damnum de ſecreto ſuo reuelando alicui, qui poſſet obeſſe munitionibus ſuis, per quas poſſet ipſe eſſe tutus, ipſas prodendo alteri,ſed pro poſſe ſuo ſubueniat & defendat. *Quartò,* ne illud,quod Domino eſt poſſibile facere,reddat impoſſibile. *Quintò,* ne ſit ei in damnum in ſua iuſtitia vel in alijs cauſis, quæ ad honorem pertinent. Sicut in vxore & filiabus ſuis, vel ne aliquid faciat per quod fama Domini diminui poſſit, componat, dicat vel faciat, nec audiendo vel diſſimulando conſentiat. *Sextò,* ne ſit in damnum de ſuis rebus vel poſſeſſionibus, quinimo ne in aliquo ipſius vtilitatem impediat, ſed ipſam fieri bona fide procuret. *Septimò,* ne det conſilium cõtra ipſum,ſed quicquid pro ipſius bono ſciat, conſulat. Maximè autem in tribus fides ſerui conſiſtit. *Primò* in conſeruatione vitæ Domini. Narrat Valerius, Panopionem ſeruum ita fidelem fuiſſe,vt dum ſciret quod Dominus ſuus quæreretur ad mortẽ, permutata veſte & annulo loco Domini occultè ſe poſuit & occidi permiſit. Refert idem alibi;quod cũ quidam miles Cæſaris Auguſti captus duceretur ad Antonium, reſpondit; Fac quid vis,nec ſalutis beneficio,nec mortis ſupplicio abduci poſſum, vt Cæſaris miles eſſe deſiſtam,& tuus eſſe incipiam. Cui Antonius pro tanta fide vitam donauit. Seneca narrat,quomodo duo ſerui capta vrbe ab hoſtibus,fugerunt ad hoſtem,& hoſte cum exercitu intrante vrbem, illi ſerui præſcij cucurrerunt ad domum Dominæ ſuæ & eam abduxerunt. Quærentibus autem quænam eſſet, dixerunt quod crudeliſſimam fœminam duxerant,vt torqueretur, & ita eam liberauerunt. Quo comperto,ille hoſtis ambos liberos miſit *Secundo* fideles debent eſſe ſerui in rerum diſpenſatione. Nã peiores ſunt alijs furibus domeſtici fures, quia non cauentur;& ſunt culpabiliores, quia ingrati dominis, à quibus ſuſtentantur,damna inferre præſumunt. Ideo Iudæ ſcelus valdè in Euangelio exprimitur, eo quod ſubtrahebat pecuniam Chriſti, quæ pauperibus debebatur. Nec culpatur,quia malè acquiſitã pecuniã ſeruaſſet, ſed quia malè diſpenſaſſet. Ideò Chriſtus commendans ſeruum fidelem dicit Matth. 25. *Euge ſerue bone & fidelis.* Vnde Ambroſ. in Homilia de villico iniquitatis dicit Luc. 16.quod villicus non laudatur eo, quod bona Domini ſui diſſipaſſet, vel ſubtraxiſſet Domino ſuo,ſed quia ſibi prouidit;non tamen vult Deus, ꝙ in aliquo dominis noſtris dãnũ inferamus. Hæc ille. 3. non ſolum debent

Conſiſtit maximè in tribus. 1. *li.6.c.8.* *li.3.de beneficijs ca.14.* 2. 3.

debent eſſe ſerui fideles & ſolliciti de bonis fortunæ & naturæ dominorum ſuorum, ſed etiam de titulis famæ ipſorum, vt potius dominorum quam propriam laudem & gloriam acquirant. Talis fuit Ioab, qui noluit capere vrbem, ne victoria nomini ſuo aſcriberetur, ſed potius Domino ſuo Dauid. *1.Reg.12.*

Seruorum infideliũ pœna. Sed quæ eſt pœna ſeruorum infidelium? Reſpondeo, quod in his, quæ ſunt minora, eſt pœna temporalis, vt caſtigatio corporalis. *Eccl.33.* *Seruo maleuolo tortura & compedes.* In his autem, quæ ſunt grauiora, vt quæ tangunt honorem Domini vel vitam, in quibus incurritur crimen læſæ maieſtatis, eſt mors corporalis. Vnde narrat Valerius lib. 3.c.3. quod quidam ſeruus barbarus quendam ſeruum Aſdrubalem, eò quod Dominum ſuum occidiſſet, ſubito aggreſſus interemit. Maximè autem ſerui debẽt fugere detractiones dominorum ſuorum, & vbi audierint eas, debent condicere, quia grauiter vlciſcitur Deus tales detractiones, maximè in ſeruis. Vnde Eccl.19. *In cogitatione tua ne detrahas regi, & in ſecreto cubilis tui ne maledixeris diuiti.* Et ſequitur; *Quia aues cœli,* id eſt, angeli boni, *portabunt vocem tuam,* id eſt, talem maledictionem. Eſt contra illos, qui facta dominorum ſuorum dijudicant, aut coram alijs confundunt. Et tales ſunt peſſimi ſerui & diabolici canes mordentes in ſecreto dominos ſuos. Et tantum de primo.

II.

Ei, ſcilicet regulo. In hoc notatur venerabilis dignitas, per quam inſtruit omnium dominorum poteſtatem prælationis. Iſte enim regulus fuit in dignitate conſtitutus, & à ſeruis ſuis multum honoratus in eo, quod exierunt ei obuiam à Chriſto reuertenti, erga quos ipſe habuit ſe multum fauorabiliter, interrogando eos de vita filij, colloquendo cum eis de circumſtantijs ſanitatis eiuſdem, & quod omnium eſt potiſſimum, ita eos dilexit, quod ſecum omnes ad fidem & ſalutem conuertit, vt dicit finis Euangelij; *Credidit*, inquit, *ipſe & domus eius tota*, id eſt, ſubditi. Et hoc eſt contra auſteros dominos & dedignantes loqui cum ſeruis ſuis. Contra quos dicit Eccl.33. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, & quaſi fratrem, ſic eum tracta.* Iſti ſunt mali Domini, qui obliti ſuæ fragilitatis; putant, quod eorum ſerui ſint quaſi canes reſpectu ipſorum. Circa quod ſciendum, quod ad hoc, vt Dominus ſeruum ſuum bene tractet, debet moueri ex tribus. *Dominus ſeruum bene tractare debet.* *Primo* ex ſimilitudine naturæ, quia æqualiter cum eo genitus eſt; iuxta illud Iob. 31. *1.* *Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum?* ſcilicet ſeruum. Vbi Gregorius dicit; Potẽtibus viris magna virtus eſt humilitatis conſiderata æqualitas conditionis. *Lib. 21. moral.* Vnde ſeruus poteſt dicere Domino ſuo illud Iob 33. *Ecce me ſicut te fecit Deus, & de eodem quoque luto formatus ſum.* Iſtud bene conſiderauit Salomon, qui de ſe ait; *Et ego*, inquit, *natus accepi communem aerem, & ſimiliter cecidi in terram factam, & primã vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.* *Sap.7.* Et ſequitur; *Nemo .n. ex regibus aliud habet principium. Vnus ergo introitus ad vitam omnibus, & ſimilis exitus.* Vnde Seneca Epiſtola 49. Cum ſeruis viuere familiariter, decet prudentiam tuam. Serui ſunt, imo homines; ſerui ſunt, imo humiles amici. Et poſt multa; Sic cum inferiori viuas, quemadmodum ſuperiorem tecum velis viuere. Et Cato dicit; *Qui ſeruus quamuis, hominem tamen eſſe memento.* Et hoc maximè debet mouere dominos ad humilitatem erga ſuos ſeruos. *Secundo* ad hoc debet moueri Dominus, vt affabiliter tractet ſeruũ ſuum, recogitando quia aliquando Dominus fuit etiam alterius ſeruus, vel nunc eſt. *2.* Sic miles eſt principis, & princeps regis, rex autem ſeruus Imperatoris. Et tamen de iſto ſtatu dominationis multi ceciderunt ad ſeruitutem viliſſimam, quod eidem contingere poteſt. Vnde Seneca Epiſtola 48. dicit; Neſcis qua ætate Hæcuba illa regina Troiæ ſeruire cœpit; qua Crœſus rex; qua Darij mater; qua Plato; qua Diogenes? quaſi dicat; Omnes iſti poſt dominationes ſuas venerunt ad ſenectutem in ſeruitium. Propter quod ſubdit ibidem. Viue cum ſeruo clementer, viuo communiter, & eum

eum in conſilium & in conuictum admitte. Hæc ille. *Tertio* debet ad hoc moueri Dominus, recogitando, quia etſi ſeruus eſt conditione, liber tamen virtuali libertate, ſcilicet mentis, cum eſt abſque peccato. Vnde Seneca dicit; Seruus eſt, ſed fortaſſe liber animo: ſeruus eſt, hoc enim illi non nocebit. Oſtende quis non ſit, alius libidini ſeruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes ſeruiunt timori. Nulla ſeruitus turpior quam voluntaria. Hæc ille. Maximè autem debet recogitare Dominus, quia ſeruis ſuis imperat fortè in damnum ſuum perpetuum. Nā ſicut dicitur Eccl. 8. homo, qui dominatur homini affligendo & contemnendo eū, dominatur ei in malū ſuum. Exēplo ſit Saul qui dominatus eſt alijs rex, & hoc in malum ſuum, quia non bene rexit. Et Pilatus accepit poteſtatem ſuper Chriſtum, tamen in malum ſuum. Non eſt ergo dominandum hominibus ex ſuperbia & ambitione, ſed humilitate & neceſſitate. Nam Gregorius ſuper Job ita dicit; Superbus ad culpā apoſtataſſe dicitur, quotiens homini præeſſe delectatur. Gloſſa etiam quædam exponit hoc. Homo dominatur homini in malum ſuum, ſcilicet ad maiorem occaſionem præcipitij: vnde contingit, quod ſubditi ſub eo ſaluantur, & ipſe damnatur Iuxta illud Iob. 36. *Deus non ſaluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* Super quo Gregorius libr. 26. moral. circa medium dicit: Magna eſt potentia temporalis, quæ habet apud Deum meritum ſuum de adminiſtratione bona regiminis: exiſtentibus tamen iuxta oppoſita aliquando nocet, ſcilicet ipſa dominatio. Vel poteſt ſic exponi; In malum ſuum, id eſt, propter grauiorem tentationem ab hoſtibus. Sæpè enim contingit, vt hi, qui regendo alijs præſunt, tentationum maiora certamina patiantur. Vel ſic; In malum ſuum; id eſt, ad maiorem accuſationem in iudicio. *Iudicium duriſſimum erit his, qui præſunt.* Vnde Iob *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Dicit Gregor. lib. 24. moral. quod ad malum ſuum, id eſt, ad pœnā maiorem in futuro. Attendat ergo Dominus, quia non ex natura, ſed ex vitio

Eccl. 8. — *Greg. libr. 39 moral. in fine.* — *Iob 36.* — *Lib. 26. moral. circa medium.* — *Sap. 6.* — *Lib. 24. moral.*

dominatur ſeruo. Homo enim animalibus irrationalibus natura prælatus eſt, non homini; ſed propter vitia homo homini præfertur. Et dicitur natura quo ad ſtatum ſuæ primæ conditionis, ſicut creatus fuit. Et ideo antiqui homines & Patres, vt Abraham, Iſaac & Jacob non dixerunt ſe eſſe dominos hominum, ſed paſtores ouium, Geneſis quadrageſimo ſeptimo. Et verè multum deberent fugere homines inſufficientes & minus idonei tàm honores ſpirituales quàm ſæculares, ne pœnam ſibi accumularent vltra alios in futuro. Honoris enim magnitudo, vt Chryſoſt. dicit, his qui non viuunt ſecundum honorem additamentum eſt pœnarum. Ideò breuem regulam Apoſtolus præſcribendo dominis erga ſeruos dicit, Epheſ. ſexto. *Vos domini eadem facite ſeruis veſtris remittentes illis minas, ſcientes, quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis.* Vbi dicit Gorran. Jta habete vos, ſicut vultus ſummi Domini ſe habet ad vos. Iob trigeſimo primo. *Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, quid faciam cum ſurrexerit ad iudicandum Deus?* Quaſi dicat. Conſideraui; quod idem Dominus iuſtus me & ipſum iudicabit. Notanter dicit Job; *Si contempſi ſubire iudicium*, ad ſignificandum quod dominus non debet corrigere ſeruum ex ira, ſed ex deliberatione & cum iudicio rationis. Eccleſiaſtic. trigeſimo tertio. *Si non audierit te, curua illum compedibus.* Et ſequitur; *Veruntamen ſine iudicio nihil facias graue.* Et tantum de ſecundo.

Gen. 47. — *Epheſ. 6.* — *Iob 31.* — *Eccl. 33.*

III.

Filius eius. In hoc notatur amoroſa charitas, per quam iſte filius inſtruit omnes filios ad filialem charitatem paternæ dilectionis. Inter alia, quæ debent filij parentibus, eſt præcipuum dilectio affectuoſa, qua debent diligere parentes ſuos. Vnde certum eſt, quod iſte filius Reguli infirmus multum fuit affectus patri multumque eum

VVV dilexit.

dilexit, quia de eius vita tantum ſollicitus fuit, vt Chriſtum ad eum deſcendere, & ipſum curare poſtularet, quod degeneri filio non feciſſet. Inſtruuntur ergò filij, vt exemplo eius habeant affectum dilectionis filialis erga ſuos parentes, à quibus multa bona ſuſceperunt. Vnde non eſt dubium, quin iſte filius poſt curationem ſuæ infirmitatis multum dilexit Patrem pro beneficio impetratæ ſanitatis.

Filij parētibus debent 8. Sunt autem octo, quæ debent filij ſuis parentibus. *Primò* amorem mentis. Vnde Canticorum ſecundo dicitur; *Ordinauit in*

1. *me charitatem.* Ordo charitatis eſt, vt prius diligamus parentes, deinceps filios.

2. *Secundò* debent honorem in factis, Mala-

Malach. 1. chiæ primo. *Filius honorat patrem, & ſeruus dominum.* *Tertiò* debent ſeruitutem

3. in obſequijs, Eccleſiaſt. tertio. *Qui timet Dominum, honorabit parentes, & quaſi dominis ſeruiet his, qui eum genuerunt.* *Quartò* ſuſtentationem in neceſſarijs, Eccleſiaſt. tertio. *Eleemoſyna patris non erit in obliuio-*

Exod. 20. *ne.* Et ſuper illud Exodi, *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram*; dicit Gloſſa. Honorare parentes, eſt reuerentiam exhibere, & neceſſaria miniſtrare. *Quintò* reuerentiam in ver-

5. bis, Hebræorum tertio. *Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos*, id eſt, timebamus & honorabamus eos. Reuereri enim eſt cum timore honorem impendere, Exodi vigeſimo; *honora patrem*. *Sextò* obedienti-

6. am in honeſtis, Deuteronom. vigeſimo

Deut. 21. primo. *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patrem, & contempſerit obedire, &c.* Et Apoſtolus; *Filij obedite parentibus veſtris in Domino.* Et ſubdit rationem; *Hoc enim iuſtum eſt.*

7. *Septimò* veniam in offenſis, Eccleſiaſt. ter-

Eccl. 3. tio. *Si defecerit pater ſenſu, veniam da illi.* Hoc eſt contra illos, qui parentes ſenio confectos ſubſannant & derident, & eis illudunt, non vt filij, ſed præuigni maledicti, ſimiles Cham filio Noe, qui patrem ſuum vino ebrium & denudatum irriſit, propter quod maledictionem perpetuam incurrit. *Octauò* tolerantiam in aduerſis,

Eccleſiaſt. tertio. *Fili ſuſcipe ſenectam pa-* 8.

tris tui, & nè contriſtes illum in vita illius. *Ibidem.* Hoc eſt contra illos, qui in ſenectute relinquunt parentes, & permittunt eos mēdicare, & ſoli lautizant in bonis paternis cum vxoribus ſuis. Contra quos dicit Eccleſiaſt. tertio. *Quam malæ famæ eſt, qui relinquit patrem, & eſt maledictus à Deo.* E contra verò parentes debent filijs tria.

Primò prouiſionem neceſſariorum, Coll. *Coll. 3.* tertio. *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, vt non puſillo animo fiant.* *Epheſ. 6.* Et rurſus alibi; *Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos,* Gorra. prouidendo eis neceſſaria. *Secundò* debent filijs parentes morum eruditionem in verbis, Prouerbiorum quarto. *Diſciplinam patris audite filij.* *Tertiò* correctionem ſeu caſtigationem in verberibus, Eccle- *Eccl. 30.* ſiaſtic. trigeſimo. *Qui diligit filium, aſſiduat illi flagella.* Vnde Apoſtolus ad E- *Epheſ. 6.* pheſios ſexto dicit; *Educate illos in diſciplina,* Gorra. verborum ſcilicet, & correctione verberum Et hoc in correctione nō ſimplici, ſed domini, id eſt, hoc facite propter Deum, vt tandem poſſimus cum eo regnare in gloria æterna. Amen.

*

DOMI-

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Redde quod debes. Matth. 18.

In Enchirid. cap. 68.

NOn ſolum ille miſericors dicitur, inquit Auguſtinus, qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtimentum, peregrinanti hoſpitium, fugienti latibulum, ægro vel incluſo viſitationem, captiuo redemptionem, debili ſubuentionem, cæco deductionem, triſti conſolationem, infirmo medelam, erranti viam, deliranti conſilium, verum etiam, qui dat veniam peccanti, eleemoſynas dat. Hæc ille. Et quãquam multa ſint eleemoſynarum genera, tamen nihil eſt maius ea, qua ex corde dimittimus, quæ in nos quiſque peccauit. Cuius ratio eſt, quia non eſt magnum facere miſericordiam, vel oſtendere illi beneficium, qui tibi nihil mali fecit, ſed certè maximum & magnificentiſſimæ bonitatis eſt ſignum, ſi tuum quoq; inimicum diligas. Ecce inter opera miſericordiæ maximum iudicat & reputat Auguſtinus dimiſſionem iniuriarum proximis nos offendentibus. Hanc tamen miſericordiam malè ponderauit iſte ſeruus, qui proximum ſuum debitorem inueniens ſuffocabat dicens; *Redde quod debes.*

Offenſam remittre maximũ pietatis opus.

Propoſit.

In quibus verbis homo peccator compellitur ad reſtitutionem debitorum. Sed quia hominis ſtatus triplicem habet conſiderationem, eò quod habet erga ſe ſuperiorem, inferiorem, & æqualem, ideo tripliciter admonetur ad reſtitutionem eius, quod vnicuique iſtorum debet, iuxta illud Romanorum decimo tertio. *Reddite omnibus debita.* *Primò* ad reſtitutionem debitorum ſui ſuperioris; *Secundò* inferioris; *Tertiò* ſui æqualis.

Rom. 13.

I.

Debitor.

Superior hominis eſt Deus, cui homo debitor eſt, ratione delicti, ratione beneficii, & ratione depoſiti. *Primo* ratione delicti. Omnes enim contra eum deliquim⁹, & ideo omnes ei pro offenſa emendam debemus. In figura huius dictum eſt Philiſtæis, qui arcam Domini detinuerant iniuſtè, & ideo diuerſimodè fuerant afflicti; *Quæ debetis, reddite pro peccato, & tunc curabimini.* Dicitur autem peccatum debitũ propter ſex cauſas. *Primò*, quia affligit & onerat hominem. Sicut enim homo debitor pecuniæ alicuius, quamdiu non ſoluit, multum oneratur, ita quod interdum non poteſt dormire propter cogitationes affligentes; Jta homo peccator affligitur per remorſum conſcientiæ, iuxta illud Auguſtini in lib. Confeſſ. Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt ſit ſibi pœna inordinatus animus. *Secundò* quia obligat ſicut ſeruum Dominus. *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Et certè ſeruus miſerabilis, quia tot dominorum, quot vitiorum. *Tertio* confuſionem inducit. *Quem fructum tunc habuiſtis, in quibus nunc erubeſcitis.* *Quarto* contemptibilem reddit. Sicut homo minus curatur, qui multa debet. *Irritum feciſtis pactũ, propter hoc dedi vos in contemptum.* *Quinto* animam affligit fuga. *Perijt fuga à me.* *Sexto* incarcerat, ſicut hic patet de iſto ſeruo, qui pro debito fuit miſſus in carcerem. Sic homo in carcerem inferni pro peccato mittetur. Huius debiti ſatisfactio eſt pœnitentia, quam tamen multi malè ſoluũt. Nam quidam eam vſq; in ſenectutem differunt; quidam verò nunquam ſoluunt, ſicut qui ſine charitate decedunt; ſed iſti decipiuntur, quia ea, pro quibus hic negligunt ſatisfacere temporaliter, reddent æternaliter. *Nec exibunt, donec reddent ad nouiſſimum quadrantem.* *Secundo* ſumus Deo debitores ratione beneficij. Recepimus enim à Deo bona naturæ, fortunæ & gra-

Debitor Dei homo eſt tripliciter.
1. Ratione delicti.
Peccatum vocatur ob ſex cauſſas.
1.
2.
Ioan. 8.
3.
Rom 6.
4.
Malac. 2.
Pſal. 141.
6.
Matth. 5.
2 Ratione beneficij.

& gratiæ. pro quibus omnibus meritò ſeruire debemus. *Tertio* ſumus debitores Deo ratione depoſiti. Omnia enim bona, quæ nobis ſunt collata, magis ſunt depoſita quam data, vnde de omnibus reddituri ſumus rationem villicationis. Circa hoc ſciendum, quod homo ad reſtitutionem triplicis debiti maximè tenetur ad ſimilitudinem hominis debitoris alterius. Nam debitum contrahitur tribus modis; aut quia alteri aliquid rapuit, aut quia promiſit, aut quia mutuo accepit. Iſtis tribus modis homo debitor eſt Dei, vnde ei dicitur; *Redde quod debes*, ſcilic. quod rapuiſti, quod promiſiſti; quod mutuo accepiſti. Rapuit homo Deo *primo* gloriam, cum eam de bonis operibus ſibi appropriat. *Gloriam meam alteri non dabo*. Et quæ maior eſt rapina, quam recipere ſponſam Domini ſui, quam nulli præter ſe deſponſare voluit? *Secundo* rapuit iudicium, quando de occultis iudicat manifeſtè, vel de incertis certa affirmat, vel temerè de veris ſemit vi dictã. *Pater omne iudicium dedit filio*. Hinc Apoſtolus arguit tales, *Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum?* *Tertio* rapuit homo vindictam. *Mea eſt vltio*. Ratione huius triplicis rapinæ homo debitor eſt Dei. Sed quid accidit raptori. Certè ſecundum leges punitur, in quadruplum, computata ipſa re, & hoc ſi agitur ciuiliter. Si autem agatur criminaliter punitur in tertia parte bonorum ſuorum, & fit infamis; vt ff. de vi bonorum raptorum. l. [illegible]. Et hoc verũ eſt, ſi fecit rapinam ſine armis, ſi autem fecit cum armis, punitur exilio, & deportatur ad inſulam, & deperdet omnia bona ſua, vt dicitur inſtitutis de publicis iudicijs. §. [illegible] lex. Secundum canones verò excommunicatur *primo*; ſecundo denegatur ei pœnitentia, donec reſtituat; tertio, ſi impœnitens decedit, negatur ei ſepultura canonica & eccleſiaſtica.

3. Ratione depoſiti.

Homo tripliciter contrahit.

1. Raptu triplici.

Iſa. 42.

Ioan. 5.

Deut. 32.

Raptoris pœna quæ.

Applicat.

Sic Deus faciet ſuis raptoribus. Nam
1. *primo* omnes tales erunt infames perpetuò, quia nomen eorum delebitur in ſecula. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Ecce primum. *Secundo* eijciet eos ad
2. inſulam inferni dicens; *Diſcedite à me operarij iniquitatis*. *Tertio* auferet ab eis omnia bona, quæ hic fecerũt in peccato mor-
3. tali, quia eis non proficient ad ſalutem. *Vnde habenti dabitur, & qui modicum habet, etiam quod videbitur habere, auferetur ab eo*. *Quarto* excommunicabitur, id eſt,
4. perpetuo maledicetur. *Ite maledicti in ignem æternum*. *Quinto* negabitur eis venia,
5. donec ſatisfecerint: vt dicitur hic; *Donec reddant vniuerſum debitum*. *Sexto* denega-
6. bitur ei ſepultura electorum, per quã *corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt, & viuũt nomina eorum in æternum*. Iſtorum enim ſepultura erit aſinina, iuxta illud Ieremiæ. *Sepultura aſini ſepelietur impius*. Sic ſepultus eſt ille peſſimus diues epulo. De quo dicitur, *quod mortuus eſt diues & ſepultus eſt in inferno*. Mala ſepultura, vbi nunquam ſuper defuncto requiem æternam cantatur; ſed tribulatio æterna, vbi pro ſonitu campanarum reſonant mallei & incudes; vbi luminaria non lucent, ſed ardoribus conſumuntur; vbi nulla aſperſio aquæ benedictæ, ſed ſitis perpetua. *Mitte Lazarum, vt intingat digitum in aquam, quia crucior in hac flamma*. *Secundo* debitor eſt homo ratione promiſſi. Vnde ei dicitur; redde, ſc. quod promiſiſti. Eſt autem duplex promiſſio fidelium. Nam quidã ſimpliciter promittunt ſine iuramento; quidam verò etiã cum iuramento, vel fide data, & hoc dicitur votum. Sic quidam Deo ſimpliciter promittunt obedientiam præceptorum, vt omnes fideles. *Omnia, quæcunq; mandauit nobis Dominus faciemus*. Quando ergò non facit, nec viuit iuxta præcepta, debitor eſt pœnæ grauiſſimæ. O quanti ſunt hodiè debitores tranſgreſſores præceptorum diuinorum, adulteri, fures, homicidæ, &c. quibus dicitur, Redde quod promiſiſti. Tales autem, qui fidem promittunt & non faciunt, dicuntur infideles, ea ratione, per hoc quod animũ mutant ſicut dicit Th. Et ex hoc patet, quare Chriſtianus licet fidẽ dicat ſe tenere, & tamen opera fidei non facit, dicitur infidelis. Non ſolum ergò Gentilis vel Iudæus dicitur infidelis, ſed etiam malus Chriſtianus. Nam illi dicuntur infideles, qui fidem non habent Chriſtianam. Iſte autem dicitur infidelis, quia opera fidei non habet, ſine quibus mortua eſt fides, imò dico, quod Chriſtianus malus magis dicitur infidelis, quam paganus.

Pſal. 15.

Matt. 7.

Matt. 25.

Ierem. 22.

Luc. 16.

Prou. 19.

2. Ex promiſſo.

Exod. 24.

22. q. 1. 10.

Iacob. 2.

nus vel Iudæus: Nam Iudæus & Paganus etſi negant fidem ore, Chriſtianus tamen negat opere. Sed plus eſt Deum offendere opere quam ſermone, ſicut plus eſt occidere hominem quam maledicere. Ex patet quod offenſa Chriſtianorum eſt maxima in comparatione ad Gentiles vel Iudæos, eò quod dicit Petrus; *Melius fuit illis viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam retroire.* Vnde Poeta. 2.Pet.2.

Turpius eijcitur, quã non admititur hoſpes. Vnde peccatum Chriſtiani ad peccatum Gentilis vel Iudæi habet ſe per ſimilitudinem, ſicut peccatum illius, qui occidit fœtum inanimatum in ventre matris nondum viuificatum, & illius qui occidit fœtum animatum iam natum, quorum peccata maximè differunt quo ad grauitatẽ, vt patet 32. q. 2. Moyſes Iudæus enim, licet Gentilis occidit fidem Chriſti in ſe, quam nondum fuit profeſſus, & per conſequens nunquã fuit viuificata. Sed Chriſtianus occidit fidem in ſe iam viuificatã per opera priora bona; Et ideò quodammodo talis Chriſtianus magis dicitur infidelis quam Iudæus. Sunt alij, qui vouent Deo cum iuramento vel fide data, vt ſunt religioſi, qui vouent paupertatem rerum. Matt. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Item refrænationem concupiſcentiarum, vt omnes clerici & ſpirituales in ſacris ordinibus conſtituti promiſerunt caſtitatem in ordinibus, vt dicitur apud Matth. *Sunt Eunuchi,* Ibidem. *qui ſe caſtrauerunt pro regno Dei.* Et his dicitur; *Redde quod vouiſti. Si quid Deo vouiſti,* Eccl. 5. *redde,* Pſal. *Redde altiſſimo vota tua.* Pſal. 49. Et iterum. Pſal. 75. *Vouete & reddite*, quaſi dicat; Antequam vouiſtis, liberi fuiſtis, ſed cum vouiſtis, iam debitores eſtis. Vnde Auguſtinus in epiſtola. Quia vouiſti, iam te Deo obligaſti, ergo benè dicitur; Redde. Deut. 23. *Cum votum feceris Domino Deo tuo non tardaueris reddere.* Gloſſa quædam ſuper illud Eccl. *Si quid Deo vouiſti, redde*, dicit; Vouere eſt voluntarium, ſed reddere neceſſarium. Et idẽ habetur in Gloſſ. ſuper illud; *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Et ratio omnium iſtorum eſt; Quia. Eccl. 5. *Diſplicet Deo infidelis promiſsio*, id eſt, non impleta, *& ſtulta*, id eſt, indiſcreta. Et Gloſ. dicit; *Infidelis eſt*, in qua non eſt veritas nec fidelitas. *Stulta autẽ*, in qua non eſt recta conſiderabilitas. *Si nolueris polliceri abſq; peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum fuerit ab ore tuo, obſeruabis.* Deut. 23. Et ex his concluditur, quod multo melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere, quia vouere & non reddere eſt prouocare. *Ruina eſt homini deuorare ſanctos, & poſt vota retractare.* Vnde Iſa. *Vota vouebunt Domino & ſoluent.* Iſa. 19. Sed occurrunt duo dubia. Primum, ex quo dicitur, quod non debet homo tardare reddere quę vouit, vtrum vouens ſtatim tenetur reddere. Ad quod reſpondeo, quod vota reddenda ſunt cito. Fœlix enim neceſſitas eſt, inquit S. Aug. quæ ad meliora cõpellit. An verò ſine mora ſunt reddẽda, nõ determinant ſancti. Tamen quidam Doctor ſuper Eccleſ. 5. cap. dicit, quod debet reddere eo tempore, quo iudicat vtilius eſſe animæ ſuæ, & niſi fuerit aliquod impedimentum vel ſpes de maiori profectu, tũc poteſt differri, alias ſecurius eſt ſoluere, ꝙ promiſſum eſt ſine mora. Secundo dubitatur, vtrum omnia, quæ vouet homo, tenetur implerẽ, quia dicitur hic. *Quæcunque voueris redde*, Ad quod reſpondetur, quod ſtulta vota, quæ nocent vouenti, vel quæ ſunt de ſe mala, vel ſi ſunt bona non tamẽ ordinata, vel ex eis malum ſequitur. Ita D. Th. Et de hoc Hugo dicit, vota ſtulta fugienda ſunt. Lib. 1. de ſacram. par. 2. c. 18. Ambroſ. & Tullius dicunt, ꝙ non ſemper promiſſa ſunt ſoluẽda, niſi ſint vtilia promittenti, vel cui promittuntur, alijs non, quia dicit Iſid. In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. Sed dices: tamen Iepte commendatur, quod ex voto occidit filiã ſuam. Iud. 11. Hebr. 11. Ad ꝙ dicendũ ſecundum Gorra. quod laudatur non in hoc, ſed quia confidendo in Domino hoſtes ſuperauit. Ex quibus patet, ꝙ vota ſtulta potius ſunt irridenda quã ſeruanda, vt eſt votũ de non pectinando capite in ſabbatho, & alijs ſimilibus, vt dicit Th. Imo ſecundum Albert. etiam talia, ſi fiant pro honore ſanctorũ, ſeruanda non ſunt, quia ſimilitudinem quandam habẽt cum idololatria. Votum tria requirit. Tria ergo debẽt concurrere ad hoc, quod votum ſit licitum. 1. deliberatio; 2. propoſitum; 3. promiſſio. Solum propoſitum non obligat, vt dic. Tho. Quãti aũt ſit meriti vouere & reddere dic.

Rabbi

Rabbi Moyſes lib. 5. quod vota ſunt ſtipes ſanctitatis, hoc eſt, ſunt opera ſupererogationis, & ſuperaddunt perfectionem operibus præceptorum, vt patet apud Matth. *Vade & vende omnia*. Et ita talia opera ſunt magis meritoria. Vnde Hieron. Maioris eſt mercedis, quod non cogitur, ſed offertur. Et ſic patet, quomodo Deo ſunt reddenda vota noſtra. *Vltimo* debet homo mutuum reddere, vnde & debitores ſumus ratione mutui accepti. Omnia enim quæcunque habemus, ſunt nobis mutuata. *Quid habes, quod non accepiſti?* Dona naturæ. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c.* Dona fortunæ. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Dona gratiæ iuxta illud; *Dedit dona hominibus.* Et iſta omnia vult Deus à nobis habere cum vſura bonorum operum, ſicut patet apud Matth. & Luc. Ipſe enim eſt Dominus, qui abijt in regionem longinquam, & tradidit bona ſua ſeruis ſuis dicens. *Negotiamini dum venio.* Nihil autem vult à nobis recipere viceuerſa, niſi ſit multiplicatum, aut in ſimplo, aut in duplo, aut quintuplo. Et ideo prouideat quilibet, vt de omnibus bonis lucrum ſalutis acquirat.

Matt. 19. *Hieron.* *3. Ex mutuo eſt debitor.* *1. Cor. 4.* *Iacob. 1.* *1. Para. 29* *Ephes. 4.* *Matt. 25.* *Luc. 18.*

II.

Hoc loco homo etiam monetur ad reſtitutionem ſeu redditionem debiti ſui inferioris. Iſte autem inferior eſt corpus noſtrum, quod eſt infra nos. *Subter te erit appetitus tuus.* Ratio enim eſt ſuperior in homine, corpus autem inferius, quia graue eſt, iuxta illud; *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Anima autem eſt cœleſtis naturæ, & ideo ſemper ad cœleſtia leuatur. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Et quia anima eſt rector corporis, ideo ſollicitè debet de eo gerere curam, vt non viuat ſecundum appetitum corporis, ſed ſecundũ legem ſuam, de quo Apoſtolus. *Debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus.* Et ratio; *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini, Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Tria igitur anima debet reddere carni, videlicet ſuſtentationem, caſtigationem, & exercitationem ſeu laborem. Suſtentari enim debet, ne deficiat; deliciari non debet, ne inſoleſcat; vnde Gregor dicit. In hoc mundo cum noſtris tentationibus naſcimur, & caro nobis aliquando adiutrix eſt in bono opere, aliquando autem ſeductrix in malo. Si ergò plus ei quam debemus, tribuimus, hoſtem nutrimus. Et ſi neceſſitati eius, quæ debemus, non reddimus, ciuem necamus. Satianda eſt itaque caro, ſed ad hoc, vt nos in bono opere ſuſtentet. Nam quiſquis ei tantum tribuit, vt ſuperbiat, ſatiari penitus ignorat. Hæc ille. De hoc ita Seneca. Fateor inſitam nobis noſtræ carnis charitatem, fateor nos hic ipſius tutelam. Non nego indulgendum illi, ſeruiendum autem nego, vnde gerere nos debemus, non tanquam propter corpus viuere debeamus, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore. Et ſequitur. Inhoneſtũ eſt, inquit, & vile, cui corpus eſt nimis carum. Caro igitur ſuſtentari debet, non impinguari, ne contra ſpiritum fiat hoſtis, iuxta metricum;

Gen. 4. *Sap. 9.* *Phil. 3.* *Rom. 8.* *Anima corpori tria debet* *1. Suſtentationem.* *Hom. 7. part. 2. ſuper Ezechiel.* *Epiſt. 49.*

Si bene ſum paſta, dicit caro non ero caſta.

Et alter Poeta.

O mihi cara caro, rationi conſona raro;
Dum tibi multa paro fercula, littus aro.

Secundo carni debemus caſtigationem per abſtinentias, vigilias, & afflictiones rationabiles. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Eſt enim caro ſicut equus laſciuus propter nimiam præbendam, qui Dominum proijcit in lutum. Vnde Gregor. ſuper illud Iob. *Verſa eſt in luctum cithara mea.* Sicut ſi corda in cithara minus tenditur non ſonat; Si amplius raucum ſonat; Sic homo debet moderatè carnem caſtigare, vt non ſuperbiat, & tamen officium rectitudinis in operatione ſubſiſtat. *Tertio* debemus carni noſtræ exercitationem ſeu laborem, non otium ſeu vacationem. De iſto loquitur Seneca. Nullus per otium diues erit, partem noctium ſtudijs vendico, non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadenteſque in opere detineo. Ecce labor pagani hominis pro laude tranſitoria, Et vbi eſt Chriſtiani pro laude æterna? Semper aliquid operis facito, inquit Hieronymus. vt te

2. Caſtigationem. *1. Cor. 9.* *Iacob. 30.* *3. Exercitationem.* *Epiſt. 8.*

vt te diabolus inueniat occupatum. Non enim facile capitur à diabolo, qui bono occupatur exercitio, vnde, Otium & voluptas ſunt arma hoſtis antiqui ad miſeras animas capiendas. *Multa enim mala docuit otioſitas.*

Eccl. 33. *Anima ſibiipſi tria reddat.*

Non ſolum autem anima ea corpori, ſed etiam debet reddere aliqua ſibiipſi. Tria autem anima debet ſibiipſi reddere. *Primo* peccatorum attributionem Oſeæ. 13 *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo ex me auxilium tuum.* Notanter dicit, *perditio tua ex te*, quia homo non habet, quid imputet Deo cum peccat. vnde patet quod grauiter peccant qui ſe de peccatis excuſant, iam per Dei operationem; iam per Dei permiſſionem; iam per Dei diſpenſationem; iam per gratiam deficientem; iam per Dei prouidentiam. In quibus omnibus multū cōmouent Deum, cum hic dicatur, quia *perditio tua ex te*, id eſt, totalis cauſa peccati tui eſt ex teipſo homine; & ex libero arbitrio. Ex his verificatur illud Pſal. 20. vbi dicit de talibus ad Deū; *Quoniā declinauerūt in te mala*, in te Domine volentes ſe iuſtificare, ſicut exponit Innoc. Et hoc ipſi faciunt multis modis; *Primo* enim excuſant ſe per Dei operationem. Sicut fecit Adam. *Mulier, quam dediſti mihi in ſociam.* Dicunt enim, quare fecit nos Deus, vt poſſemus peccare. Sed conſiderare deberent, quod Dominus fecit tales, vt poſſent non peccare ſi vellent, ſaltem mortaliter. Nam ſicut dicit Innoc. 4. ſuper dicto verbo pſal. In arbitrio illorum eſt peccare vel non. *Appoſui tibi aquam & ignem, vt ad quod volueris, porrigas manum tuam. Secundo* excuſant ſe per Dei permiſſionem; dicunt enim, quod Dominus permiſit eos cadere in peccatū Sed conſiderare deberent, quod ipſi renuūt auxilium Domini dicentis; *Extendi manum meam*, ſcilicet ad iuuandum, *& non fuit, qui aſpiceret. Tertio* excuſant ſe per Dei diſpenſationem. Dicunt enim quod Dominus permiſit eos cadere, vt fortiores reſurgerent, vt ſic appareret diuina miſericordia & gratia in redimendo, contra quos dicitur, *Permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Abſit. Item. *Si iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus* *eſt Deus, qui infert iram? Secundum hominem dico, Abſit. Quartò* ſe excuſant per gratiam deficientem. Dicunt enim ſe peccare, eo quod Dominus non dat eis gratiam ſuam, ſecundum illud *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Sed iſti conſiderare deberent, quod *ipſi deſint gratiæ Dei*, & non gratia eis, quæ ſemper præſto eſt. Hebræorum duodecimo. Vnde primo Pet. primo. *Eſtote parati accipere eam, quæ vobis offertur, gratiam. Quinto* excuſant ſe per Dei prouidentiam Dicunt enim, quod Dominus ita prouidit, vt peccarent Sed conſiderare deberent, quod prouidentia Dei non infert neceſſitatem rebus, ſicut nec memoria præteritæ rei infert neceſſitatem, vt propter illam memoriam contigiſſe ſit neceſſarium. Ita licet Dominus prouiderit, quod facturi ſunt, tamen in voluntate eorum eſt peccare & non peccare. *Si fortè vel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant.*

1. Peccatorum attributionem.

Pſal. 20. Excuſatio in peccatis ſit varijs modis.

1. Gen. 3.

Eccl. 15.

2. Prou. 1.

3. Rom. 6. Rom. 3.

4. Rom. 9. 1. Pet. 1. 5.

Secundo debet anima ſibiipſi miſericordiā & compaſſionē, iuxta illud Eccl. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Notanter dicit: *Miſerere animæ tuæ*, Prius enim miſerendum eſt animæ quam corpori. Et ideò non dicit, Miſerere corporis, quia naturaliter quilibet miſeretur corporis, vnde non indiget præcepto de miſericordia corporis, iuxta illud, *Carnem ſuam nemo vnquam odio habuit.* Et quod dicit animæ tuæ, vult dicere, quod prius homo debet animę ſuę miſereri, & poſtea proximi, quia Eccleſiaſtic. decimo tertio dicitur. *Qui ſibi nequam, cui bonus?*

2. *Miſericordiam.*

Ephes. 5.

Tertio debet homo animæ ſuæ cuſtodiam ſollicitam, Prouerbiorum quarto. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Laudabilis ergò debitor, qui reddit Deo iſta duo, corpus ſcilicet & animam. Iſte poteſt cantare illud, modo reddo tibi creatori animam tuam. Iſta ſunt duo minuta, quæ vidua paupercula miſit in gazophylacium. Luc. vigeſimo primo; & duo denarij, quos Samaritanus reliquit ſtabulario ad curandum vulneratum, Lucæ decimo. Sed de multis econtra verum eſt illud Pſalm. trigeſimo ſexto. *Mutuabitur peccator, & non ſoluet.* Exponit Innocentius

3. *Cuſtodiam.*

Luc. 21.

xcentius. *Mutuabitur* à Deo duo minuta, ſcilicet corpus & animam, *& non ſoluet* Deo, quia tradet diabolo tam corpus quã animam peccator. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

Geneſ. 14.

III.

Verbis præmiſſis homo quoq; monetur debitorum ſui æqualis, qui eſt proximus; & huic tria debet, ſcilicet dilectionẽ, inſtructionem, & ſupportationem. Dilectionem debemus omnibus, iuxta illud, *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Vbi dicit Gloſſ. Quædam debita ſic redduntur, quod amplius non debẽtur, ſicut pecunia, granum, vinum, & cætera temporalia, ſed charitas, quæ omnibus eſt debita, ita ſoluitur [illegible] quod ſoluta omnibus debetur. Null[illegible] enim tempus eſt, quo affectu non ſit maior impendenda. Iſta enim ſola eſt, quæ reddita ſemper retinet debitorem, nec cum redditur, amittitur, ſed potius reddendo multiplicatur, & tantò magis acquiritur, quantò magis redditur. Ex quo patet, quod Apoſtolus iſtud debitum valdè ponderat. Ac ſi diceret, cætera debita ſic ſoluite, vt amplius nemini quicquam debeatis, charitatem autem ſic ſoluite, vt eam ſemper debeatis. Vnde Aug. Charitas quantò plus impenditur, tantò plus debetur, & nos tanto magis eam debemus, quantò magis impendimus. Cuius nos perpetuos debitores oſtẽdit Apoſt. dicens; *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Et rurſus; Semper debeo charitatem, quæ ſola reddita ſemper detinet debitorem. Redditur enim cum impenditur, debetur, etſi reddita fuerit, quia nullum tempus eſt, quando impendenda non ſit. Hæc ille. Qualiter aũt homo tenetur opera dilectionis & ſalutis ex charitate impendere, oſtendit Gregor. dicens; Habens intellectum, curet omnino ne taceat; habens rerum affluentiam omnino non torpeſcat; habens artem qua regitur, vſus illius cum proximo partiatur; habens loquendi locum apud diuitẽ pro pauperibus intercedat. Talenti nomine cuilibet reputabitur, etiam minimũ quod accepit. Hæc Gre. O fęlix debitum quod impenſum & redditum non minuitur, [illegible] [illegible] *Secundo* proximus debet [illegible], ſicut dicit Apoſtolus, *[illegible] ſapientibus & inſipientibus* [illegible] Hoc dicit & inſipientibus, contra illos qui nolunt prædicare niſi coram magnatibus & ſapientibus huius ſæculi. Sed contra Chriſtus prædicauit omnibus indifferenter, quia *ſedens de nauicula docebat turbas*, id eſt, populares & ſimplices. Sæpius etiam prædicauit tantum Apoſtolis; & ſemel prædicauit ſoli mulieri Samaritanæ. *Tertio* debet proximo ſupportationem. Nec immerito. Si enim hoc faciunt bruta, multò magis homines. De ceruis dicit Iſid. quod cum flumina tranſnadant, capita ſua clunibus ſeu poſterioribus præcedentium imponunt, ſibique inuicem iſto modo famulantur, ita quod quaſi nullum ponderis laborem ſentiunt. Conſilij modo deberet eſſe in omni ſtatu & congregatione, qui prouectiores & fortiores fuerint, infirmorum defectus, & imbecillitates ſuſtinere deberent. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorũ ſuſtinere.* Sed vbi poſſunt hæc diſcerni, cũ omnes hodiè nec propria onera ferre volunt? ſed vnuſquiſque, prout poteſt, ſubterfugit & euadit laborem officij ſui ſicut malus mercenarius. Non mirũ ergo, quod aliena onera non tangunt, qui etiam propria reijciunt vbi poſſunt. Sed nos non ſic, quando potius alter alterius onera portãtes adimpleamus legem Chriſti, vt tandẽ pro huiuſmodi oneribus mereamur requiem ſempiternam. Quã nobis. &c.

*

Rom. 13. Proximo tria debemus. 1. Dilectionem

Epiſt. 77. ad Senenam Epiſ.

Epiſt. 2. ad Cœleſtinum.

Greg. homil. de talento.

2. Inſtructionem. Rom. 1.

Luc. 5.

Ioan. 1.

3. Supportationem. Lib 12. Etymol. cap. 1.

Rom. 15.

DOMI-

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS.

SERMO II.

Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Matth. 18.

Iniuriam ignoſcere Deo aſſimilat.

NIhil ita aſſimilat hominem Deo, inquit S. Chryſoſtomus in Matthæum, ſicut iniuſta facientibus ignoſcere. Et ideò Sancti viri, qui meruerunt remiſſionẽ peccatorum propriorum à Deo, maximè per dimiſſionem fraternæ iniuriæ leguntur obtinuiſſe. Sic Dauid dimiſſum eſt homicidium & adulterium; quia ipſe viro peſſimo & iracundo, Semæi, ſibi maledicenti iniuriam dimiſit. Similiter legitur, quod Nabal conuitiantem & maledicentem ſibi, ad petitionem Abigail vxoris eius impunitum dimiſit. Vnde pro firma regula dicit Dominus. *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter dimittet vobis peccata.* Ad quod ſignificandum ipſe nos ſic orare docuit, cum dixit; Sic enim orabitis; *Pater noſter, &c.* Et ſequitur; *dimitte nobis debita noſtra, &c.* vbi Chryſoſtomus dicit, ꝙ Deus ex ſua pietate & miſericordia iudiciũ ſuæ retributionis voluit pōere in noſtra ꝑ teſtate, vt ſi nos voluerimus remittere, remittet nobis; & econuerſo. Et ob hoc dicit Cyprianus; Nulla tibi eſt excuſatio in die iudicij, cum ſecundum propriam tuam ſententiam iudiceris & quod alijs feceris, tuipſe patieris. Iſtud bene patuit in iſto ſeruo nequam, qui pro eo, quod noluit dimittere conſeruo ſuo iniuriã modicã, cum tñ ei dimiſſa fuiſſet magna, & cũ ille magnam miſericordiã fuiſſet conſecutus, proximo noluit etiam miſericordiã exhibere; *Ideo ei iudicium ſine miſericordia factum eſt. Qua n. menſura mēſus eſt, eadem remenſum eſt ei.* Merito igitur audire meruit verbum increpatorium à Domino; *Serue nequam, omne debitum dimiſi, &c.* In quibus verbis tria tanguntur. *Primo* obiurgatur humanæ crudelitatis iniquitas, cum dicitur; *ſerue nequam. Secundo* commendatur diuinæ miſerationis liberalitas, cum ſubditur, omne debitum dimiſi tibi. *Tertio* oſtenditur deuotæ orationis vtilitas, cum additur; *quoniam rogaſti me.*

2. Reg. 12.
2. Reg. 19.
1. Reg. 25.
Matth. 6.
Iacob. 2.
Luc. 6.
Propoſit.

I.

Serue nequam. Meritò iſte obiurgatur pro ſua nequitia. Nequam enim dicitur quaſi non æquus, id eſt, non rectus, vel nō iuſtus erga Deum & proximum. Verè aũt iſte non erat rectus nec iuſtus erga Deum, quia eius pietatem contempſit, per quem tamen remiſſionem debitorum obtinuerat. Vnde magna iniuſtitia fuit, quod pauca dimittere noluit, cui multa fuerũt dimiſſa. Erga proximum etiam fuit iniuſtus, quia iniuſtum eſt proximo non dare locum veniæ ſpe ſatisfactionis, ad quam ſe hic offerebat conſeruus dicens. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Sciendum quod quinque genera ſeruorũ legimus in Euangelio, quorum ſolum vnũ eſt Deo fidele. *Primus* ſeruus eſt, de quo dicitur. *Seruus, qui non cognouit voluntatem Domini ſui, vapulabit plagis paucis.* Et ſecũdum Lyranum per hunc ſeruum ſignificatur ſtatus ſubditorum, qui, vt in pluribus ſunt illiterati, minus punientur; quia tales peccant per ignorantiã, quę diminuit pœnam, niſi fuerit affectata; vt ſi quis vult ignorare id, quod tenetur facere, vel vitare, vt licentius peccet: Ex magna enim libidine ſeu voluntate peccandi prouenit, quod aliquis vult ignorare illud, cuius ſcientia poſſet eum à peccato impedire vel retrahere; vnde in perſona taliũ dicitur Iob 21.

Seruorum genera 5.
1. Neſcius.
Luc. 12.

Iob 21. *Qui dixerunt Deo; Recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Hæc Lyran. Et notanter dixi, quod ignorantia diminuit pœnam, non autem omnino liberat à pœna. Nam ignorantia, quæ non eſt affectata, liberat à tanto, ſed non à toto. Si autem fuerit affectata, tunc in nullo excuſat, ſed eſt ſpeciale peccatum. Ex quo patet quam periculoſum ſit homini vitare ſermones Doctorum & aliorum peritorum. Similiter vitare eorum conſilia vel confeſſiones aut collationes, in quibus homo poſſet inſtrui de grauitate peccatorum, de circumſtantijs, & alijs ſaluti neceſſarijs, quibus cognitis poſſit euitare peccatum. Ponunt autem Doctores duplicem ignorantiam, ſcilicet iuris & facti. Ignorantia iuris eſt, vt ſi quis neſcit furtum eſſe peccatum mortale; vel ſi neſcit fornicationem ſimplicem eſſe mortale, vel neſcit, quod laborare diebus feſtiuis eſt mortale peccatum, vel in eis inebriari, vel vanas choreas exercere; omnia iſta neminem excuſant à peccato, quia omnes tenentur ſcire communiter, quæ ſunt fidei & vniuerſalia iuris præcepta. Singuli autem ea, quæ ad eorũ ſtatum vel officium ſpectant. Et hoc dico, ſi poteſt ſcire; quia ſi non poſſet ſcire, nec vincere illam ignorantiam, ſicut infantes & amentes, ſeu furioſi à natiuitate, iſti excuſantur à toto. Similiter ſi quis conſuluit peritos de aliquo dubio, à quibus aliter informatus eſt, quam veritas ſe haberet, excuſatur per talem ignorantiam, ex quo fecit, quod potuit. Si quis autem culpa ſua ex opere licito, ſcilicet propter multas vigilias, abſtinentias, ſtudia, incidat in amentiam, tunc ignorantia excuſat eum à toto, eò quod feruoris exceſſus veniale peccatum fuit. Si autem incidit in talem amentiam culpa ſua ex opere illicito, vt ex ebrietate, luxuria, & alijs, tunc non excuſatur à toto, ſed à tanto. Quidam tamẽ dicunt, quod peccatum ſequens excuſatur à toto, ſi nullum habuerit vſum rationis. Et hoc verius. Ignorantia autem facti, vt ſi quis neſcit hanc rem, quam accepit, eſſe alienam, ſed æſtimat eſſe ſuam. Et talis ſępè excuſat. Et tantum de iſta ignorantia.

2. Sciens. *Secundum* genus ſeruorum eſt ſciens, ſed inobediens. De quo etiam Luc. *Seruus ſciens voluntatem Domi, vapulabit plagis multis.* Tales ſerui ſunt mali Chriſtiani, qui ſcientes voluntatem Dei, & continuè audiẽtes prędicari de operibus miſericordiæ, iuſtitiæ, &c. nihilominus non curant facere. Et hi grauius peccant quam pagani, vt oſtenſum eſt in præcedenti ſermone. *Scienti enim bonum & non facienti, peccatum eſt illi.* Refert Hieronymus, quod Macharius Eremita inueniens caput mortui cuiuſdam in Eremo, quæſiuit cui eſſet; quod reſpondit, quia caput Athilæ pagani; quęſiuitque deinde, an eſſent aliquæ animæ profundiores in inferno, quam animæ paganorum; reſpondit quod animæ Chriſtianorum. Et cum quæreret quantum profundius eſſent, reſpondit. Sicut cœlum diſtat à terra, ſic ipſę à nobis profundius in inferno. Specialiter tamen iſte ſeruus ſciens, multum punietur, quia talis non peccat per ignorantiam, ſed ex certa malitia. Vnde dicit Gregorius. Vbi maius eſt donũ ſcientiæ, tranſgreſſor maiori ſubiacet culpæ. Ex quo infero, quod homo doctus in ſacra Scriptura grauius peccat, quam vetula exiſtens in charitate, à qua cadit per peccatum. Iſtud eſt dictum Guilhelmi Altiſiodorenſis. Vnde licet vetula etiam habeat ſcientiam, quia donum Spiritus Sancti, & multò clariorem quam iſte doctus, tamen iſte doctus habet abundantiorem, & plura ſcit diſcernere, & conferre nocumentum peccati, & ideo magis peccat. Hæc ille

Luc. 12.
Iacob. 4.
In vitis Patrum.
In 1. ſent. lib. 2. cap. 26.

3. Piger. *Tertius* eſt ſeruus piger, de quo apud Matthæum. *Serue male & piger.* Et ſequitur; *Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores.* Et dicitur hoc de ſeruo, qui nihil lucratus eſt de talento ſibi tradito. Per talentum intelliguntur bona fortunę, naturæ & gratiæ, vt diuitiæ, fortitudo & ſcientia &c. de quibus vult Deus à nobis lucrum habere O ſi iſtum ſeruum damnauit, quia non eſt lucratus de pecunia Domini, qui tamen pecuniam integrè reſtituit; Quantò magis ille damnabitur, qui non ſolum non lucratur, ſed etiam bona domini ſui inutiliter diſſipat, vt villicus infamatus?

Matt. 25.

4. Voluptuoſus. *Quartus* ſeruus eſt voluptuoſus, de quo Luc.

Luc. 12. Luc. duodecimo. *Si autem ſeruus dixerit in corde ſuo; Moram faciet Dominus meus, & cœperit percutere ſeruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemq́; eius ponet cum hypocritis*. Et eandem ſententiam ponit Dominus Matth. vigeſimo quarto. Quod exponit Gorran. de prælato voluptuoſo & ſcandalizante ſubditos verbo & exemplo, quos dicitur percutere. Et talem Dominus multipliciter puniet. *Primo diuidet eum*, ſcilicet à conſortio bonorum. Mala diuiſio, vbi diabolo dabitur anima, corpus vermibus, pecunia mundo. *Secundo* aggregabit eum conſortio malorum, quia *partem eius ponet cum hypocritis*, id eſt, animam & corpus cum damnatis. Generaliter autē poteſt intelligi de quolibet Chriſtiano, quem non decent delitiæ, quia nō eſt ſeruus maior Domino ſuo. Cum ergo Chriſtus ab eis abſtinuit, igitur & Chriſtianus.

5. *Nequā ſeruus.* *Quintus* eſt ſeruus nequam, qui fuit crudelis in conſeruum ſuum, de quo hic dicitur; *Serue nequam*. Sciendum, quod Dominus non loquitur de dimiſſione debitorum pecunialium, ſed de dimiſſione iniuriarum proximorum, ſicut per illa verba; *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, Chriſtus docet nos furoris & iræ radices expellere, ita non loquitur hic de debito iuſtitiæ vel pecuniæ, quam quis poteſt iuſtè ab aliquo petere, dum habeat, vnde ſoluat, ſed de inimicitia & rancore, quem concepimus contra illum, qui nos offendit. Et iſtud debitum vult Deus, vt dimittamus proximis noſtris. *Odium ſiue rancor dimittendus.*

Pro iſto latius intelligendo eſt aduertendum, quod tria ſequuntur in læſione, qua quis læditur ab aliquo, ideò tria ſunt conſideranda. *Primo* rancor in affectu ſeu in animo offenſi, vt quia eum odio habet, & ei malè cogitat. *Secundo* ſignum rancoris in affectu, ſcilicet in exteriori cōuerſatione, vt quia ſecum non conuerſatur. *Tertio* actio iuris, id eſt, repetitio rei in iudicio. Inter quæ tria talis eſt ordo, quia *primum*, ſcilicet rancorem & odium ex corde tenemur dimittere, etiam non rogati. Et hoc vult canon de pœ. diſt. 5. *Ex læſione tria ſequuntur. 1. Rancor. 2. Signa rancoris. 3. Actio iuris.*

Fratres; vbi dicitur. Falſa eſt pœnitentia illius, qui offenſus offendenti non indulget. Et pro iſto ſunt multa iura, vt patet vigeſimo tertio, quæſtione quarta. Cum in lege. & vndecimo quæſtione tertia. Inter verba. Quia non licet aliquem odio habere etiam per ſupplementum oculi, ideò ſtatim non rogatus debet dimittere ex corde, hoc eſt, vt non habeant eum odio, nec cogitet mala, nec intendat ſe de eo vindicare iniuſtè, publicè, vel occultè, directè vel indirectè. Et hoc eſt præceptum diuinum hic, quod Dominus præcepit ſub pœna carceris, vt patet in euangelio. Vnde durante tali odio in corde, nullus poteſt verè pœnitere, quia ei nihil dimittitur, qui alteri non dimittit, vt dicit finis euangelij. Tantum enim Deus nobis dimittit, quantum nos alijs remiſerimus. *Secundum* verò, ſcilicet ſignum rancoris in conuerſatione exteriori non tenetur homo dimittere, niſi rogatus eſſet perfectus. Sed *tertium*, ſcilicet actionem iniuriarum non tenetur homo dimittere etiam rogatus, niſi ſatisfactione habita ab eo, qui poteſt ſatisfacere. Si tamen eam dimitteret non rogatus, eſſet perfectus; quia tollenti tunicam, relinquendum eſt pallium, & percutienti vnam maxillam, debet præberi altera, quæ omnia loquuntur de perfectis; Matthæi quinto; vnde diſtinguendum inter perfectum & imperfectum; quia perfectus debet omnem offenſam indulgere etiam non petenti; imperfectus autem non tenetur ſatisfactionem debitam condonare. Ex his omnibus pro meliori memoria infero plura documenta memorabilia. *Matth. 5.* *Documēta.*

1. *Primum* quod homo tenetur ſtatim dimittere rancorem, etiam non ſatisfaciente reo nec petente, ſub pœna damnationis æternæ. Iſtud patet de pœ. diſtin. quinta, capite vltimo, & in Gloſſa, nonageſima diſtin. Si quis. Cuius ratio, quia nullo tempore licitum eſt aliquem odio habere.

2. *Secundo* infero, quod homo non tenetur dimittere ſatisfactionem, ſi tamen offertur, & ille eam non vult accipere, poteſt ad hoc per eccleſiam compelli. Vnde dicit Canon 90. di. Si quis contriſtatus noluerit reconciliari fratri ſuo, ſatisfaciente eo qui contriſtauit, acerrimis maceretur

inedijs. Et Gloſſa exponit, id eſt, excommunicetur vſque dum gratanti animo ſatisfactionem accipiat. *Tertio* infero, quod actionem iniuriarum non tenetur homo dimittere; vt patet 23. q. 4. Si illic. Immo bene facit, qui dimiſſo rancore agit in iudicio pro iniuria, eo animo, nè crimina maneant impunita 45. diſtinctione. Qui emendat. 23. quę. 5. De occidendis. Nam publicæ rei intereſt, id eſt, multum proficit communitati, ne crimina remaneãt impunita 23. qu. 4. Eſt iniuſta 45. diſt. Sed illud.

Cur ſeruus nequam punitus. Nec punitur hic ſeruus nequam, quia ſatisfactionem à ſeruo exigebat, ſed quia rãcorem dimittere nolebat, & pro iniuria iniuſte vindicabat, & dilationem ſolutionis non concedebat. Sed hic quæritur finaliter, vtrum iniuriæ ſemper ſint patienter tolerandæ, etiam à perfectis. Ad quod reſpondeo ſecundum Tho. *2.2. q. 18.* quod iniurias noſtras perſonales patienter tolerare debemus; quia dicit gloſſ. ſuper illud Cant. *Cant. 2.* *Sicut lilium inter ſpinas*; Non fuit bonus, qui malos tolerare non potuit; ſed iniurias Dei nequaquã debemus tolerare. *Dei iniuria non ferenda.* Vnde Elias fecit ignem deſcẽdere ſuper illos, qui venerant ad capiendũ eum. *3. Reg. 1.* Similiter Heliſæus maledixit pueris eũ irridẽtibus. *4. Reg. 2.* Et Silueſter papa excommunicauit eos, qui eum miſerunt in exiliũ. vtitur 23. q. 4. Guiliſarius. Quod ergo dicitur, quod percutienti maxillã debet præberi altera, dicit Auguſtinus, quod huiuſmodi præcepta intelligenda ſunt quantum ad præparationem animi, *De ſerm. Domini.* & magis ad præparationem cordis, quã ad opus, quod fit in aperto, ita vt in ſecreto teneatur animi patientia, in manifeſto autem illud fiat, quod eis videtur prodeſſe, quibus bene velle debemus. Vnde & Donatus ſe percutientem repræhendit. *Ioan. 18.* Et Paulus percuſſus in facie dixit; *Act. 23.* *Percutiet te Deus paries dealbate.* Si autem prodeſt, tunc percutienti vnam maxillam debet præberi altera, nec reſiſtendum malo, quia per patientiam perſecutores lucrati ſumus Deo. Ex his infero, quod vbi non eſt aliqua vtilitas ex tali patientia, bene faciunt etiam perfecti, ſi iniurias ſuas perſequuntur in iudicio. Vnde dicit Lyranus, quod licet offenſa ſit remittenda, non tamen iniuria & pœna debita, vnde ſi ex remiſſione iniuriæ & pœnæ debitæ ſequeretur pronitas in eo, cui remittitur, ad facilius peccandum, non eſſet ei bonũ remittere. Similiter ſi ex tali remiſſione eſſet ſcandalum aliorum, & omiſſio iuſtitiæ, & in conſimilibus caſibus. Hæc Lyranus. Patet ergo, quod in tali caſu, vbi nulla eſt vtilitas patientiæ, etiam perfecto ſufficit præparatio animi, hoc eſt, vt in animo ſit præparatus pro Chriſto adhuc maiorem iniuriam ſuſtinere, ſi opus eſſet.

I I.

Omne debitum dimiſi tibi. Verè magna liberalitas dimittere 10. millia talentorũ. *Liberalitas Dei in dimittendis talentis.* Eſt autem talentum genus ponderis centum viginti librarum, per quod ſignificatur innumerabilis multitudo delictorum contra decem præcepta commiſſorum. In duobus his apparet maxima liberalitas Dei erga hominem, videlicet in multitudine & magnitudine dimiſſorum. Dimittit homini peccata mortalia, quæ ſunt magna debita; & venialia, quæ ſunt multa. Peccata mortalia ſunt magna velut grauia pondera. *Sicut onus graue grauata ſunt ſuper me.* *Pſal. 37.* Quænam illa ſint, vtile eſſet ſcire, vt homo ponderet ipſorum remiſſionem, & cautior vitando ſit eorum occaſionem. *Quænam peccata mortalia.* Sunt autem peccata mortalia *primo* omnes tranſgreſsiones præceptorum diuinorum, quæ hic intelliguntur per decem millia talentorum. *Secundo* illa omnia ſunt mortalia, quæ enumerat Apoſtolus ad Roman. primo, ſcilicet *fornicatio, auaritia, inuidia, homicidium, contentio, dolus, ſuſurratio, detractio, contumelia, ſuperbia, malorum inuentio, inobedientia parentum.* Et quod ſint iſta mortalia, patet per hoc, quod dicit ibidem; *Qui talia agunt, non effugiunt iudicium, & digni ſunt morte.* Omnia autem iſta reducuntur ad decalogum, & ideò intelliguntur per decem milia talenta. Multa quoque enumerat Apoſtolus ad Galat. cum dicit; *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio,* ſc. in exteriori actu, *immunditia*, in conſenſu; *impudicitia*, in geſtu; ſicut in tactibus & alijs; *luxuria*, in habitu; *auaritia*, quæ

quæ eſt idolorum ſeruitus; *veneficia*, id eſt, confectio & propinatio veneni; *inimicitiæ*, id eſt, inueterata odia, ex quibus oriuntur veneficia; *contentiones*, in verbis, ex quibus naſcuntur inimicitiæ; *æmulationes*, in factis; *iræ*, id eſt, ſubita incenſio in affectu nocendi; *rixæ*, in affectu nocendi, quando ſe ad inuicem percutiunt; *diſſenſiones* ſchiſmatum; *ſectæ*, hoc eſt, hæreſes; *inuidiæ*, de alienis bonis; *homicidia*, de facto, vel in animo: *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* (1. Ioan. 4.) *Ebrietates*, id eſt, potationes aſſiduæ, quo ad ſuperfluitatem in potu. *Comeſſationes*, in cibo; de quibus etiam habetur Roman. 1. Et de his omnibus dicit Apoſtolus. *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Et per hoc patet, quod ipſa ſunt mortalia. Alia autem ſunt venialia, quę enumerat Auguſt. 25. diſt. §. Criminis, dicens. Quoties aliquis in cibo vel in potu plus acceperit quam neceſſe eſt, ad minuta peccata pertinere nouerit, quoties plus loquitur, quam oportet, plus tacet quam expedit, quoties pauperem importunè petentem exaſperat, vel ſi ſanus alijs ieiunantibus prandere voluerit, aut ſomno deditus tardius ad eccleſiam ſurgit, aut vxorem excepto deſiderio filiorum cognoſcit, quoties incarceratos tardius requiſierit, vel infirmos tardius viſitauerit, ſi diſcordes concordare non curauit, ſi plus vxorem, filiū vel ſeruum exaſperauit ſeu increpauit, aut correxit, ſi fuit blanditus, id eſt, adulatus alicui plus quam expedit, ſi pauperibus eſurientibus nimis delicatum cibum præparauerit, ſi in eccleſia aut extra eccleſiam iocoſis fabulis, & iocoſis verbis inſtiterit, ſi aliquid incautè iurat, quod poſtea implere non poteſt, vel cum facilitate, vel cum temeritate maledicat. Hæc Auguſt. Ecce quanta debita homo tenetur Domino, quæ cum ei dimittuntur, per iſta omnia magna liberalitas Domini oſtenditur. Propter quod Dominus ad oſtendendum magnā miſericordiæ ſuæ liberalitatē, dic. *Omne debitum dimiſi tibi.* Maior liberalitas in hac vita non poteſt intelligi, in hoc quod dicit; *Omne debitum dimiſi tibi*; nullo penitus reſeruato. Nam aliquando De⁹ remittit mortalia tantum, remanentibus tamen venialibus multis, vt dicit Thom.

Venialia peccata quænam?

Aliquando dimittit vnum veniale ſine aliis, licet nunquam dimittatur veniale ſine mortali, nec vnum mortale ſine alio. Et ideò magna fit & ſuperabundantiſſima miſerationis diuinæ liberalitas, quando omnia iſta homini in hac vita dimittit. Vnde verè & perfectè beatus eſt, qui in hac vita audire meruit. *Omne debitum dimiſi tibi, &c.* (*In 4. ſent. diſt. 16.*)

III.

Quoniam rogaſti me. Tripliciter homo liberatur à debito. *Primo* per ſatisfactionē debitam, ſicut per ſolutionem pecunię vel ſeruitij, vel alterius rei æquiualentis. *Secundo* per recompenſationem, vt cum proximis dimittimus, vt nobis dimittat Deus. *Tertio* per quitationē, vt cū ſine omni ſatisfactione ſolutionis dimittitur homini debitum ad ſolam nudam eius petitionem. Et iſta eſt magna gratia, ita fuit factum iſti, ita fit & hodiè peccatori, cum ad ſolam deuotam orationem Deus remittit ei omnia peccata, iuxta illud Ezechiel. *Quacunq; hora ingemuerit peccator, omniū iniquitatū eius nō recordabor.* (*Ezech. 18.*) Si ergò ad ſolū gemitū dimittit peccata Deus, multò magis ad orationem? Sed dices: hoc eſt mirabile, quod Deus dimittit peccata peccatori adhuc in ſtatu peccati exiſtenti ad ſolam petitionem, cum tamen dicitur, *Deus peccatores non exaudit.* (*Ioan. 9.*) Et Eccl. dicit; *Altiſſimus odio habet peccatores.* (*Eccl. 12.*) Reſpondeo ſecūdum Tho. quod Deus non exaudit peccatorem ſecundum deſiderium peccati, quia ſic orans plus peccat, iuxta illud Pſalmiſt. *Oratia eius fiat in peccatum.* (*2. 2 q. 83. a. 16. Pſal. 108.*) Quod tunc fit, quando peccator orat aliquod malum à Deo, vt mortem inimici, vel ſimilia. Sic etiam fur orās pro eo, vt non ſuſpendatur, aut quod cautè furetur, non audietur. Similiter adulter orans, vt non deprehendatur, non exaudietur. Neſcit enim diuina pietas patrocinium dare ſceleratis, inquit Chryſoſtomus. Sed quando peccator orat ex deſiderio naturæ, quod eſt bonum, tunc exauditur. Et licet non exaudiatur ex iuſtitia, tñ ex miſericordia. Sed dices: tamen impoſsibile eſt aliquem ſine gratia placere Deo, & opera eius accepta-

Debita tripliciter ſoluuntur

ri & per conſequens nec ſatisfacere, quomodo ergo peccator poteſt orare, efficaciter & meritoriè exiſtens in peccato & ſine gratia? Reſpondeo ſecundum Bonauenturam in quarto ſententiarum, diſtinctione vigeſima ſecũda, quod verum eſt, quod homo non poteſt placere ſine gratia, nec poteſt exaudiri à Deo, quamdiu non habet gratiam, poteſt ſe tamen præparare, etiam ſine charitate ad habendam charitatem & faciendam ſatisfactionem. Sed tunc eſt dubium, vtrum gratia diuina detur neceſſario homini ſe, quantum poteſt, ad gratiam præparanti; quodammodo videtur quod non, quia gratia datur gratis & liberè ex ſola miſericordia. Igitur quantumcunque ſe homo diſponat ad gratiam, in libera Dei voluntate eſt dare gratiam. Vnde Propheta. *Sicut lutum in manu figuli, ſic nos in manu Dei.* Sed lutum non accipit formam ex neceſſitate quam vult, ſed quam lutifigulus dat. Sed in contrarium eſt Auguſtinus ſuper illud. *Iuſtificati per fidem, pacem habeamus.* vbi dicit; Deus recipit confugientes ad ſe, aliàs eſſet iniquitas ſeu iniuſtitia in eo, quod non eſt dicendũ. Item dicit Dominus. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo.* Sed iſte, qui diſponit ſe, faciendo quod in ſe eſt, aperuit ipſi, ergo intrat neceſſario. Et patet hoc ſic; quia iſto aperiente, aut intrat aut non. Si non intrat, ergo fruſtra pulſat, quod non eſt dicendum. Si intrat, ergo gratiam dat. Item Anſelmus dicit, quod illa eſt cauſa, quare Deus non dedit diabolo gratiam, id eſt perſeuerantiam, quia ipſe noluit accipere, vnde non ideo non accepit diabolus, quia Deus non dedit, ſed ideo Deus non dedit, quia ipſe non accepit. Ergo quicunque ſe præparat vt accipiat, recipit neceſſario. Ad iſtam dubitationem dicendũ ſecundum Holcoth, quod duplex eſt neceſſitas, quædam enim eſt neceſſitas coactionis, quæ nullo modo cadit in Deum. Sed benè neceſsitas infallibilitatis ex promiſſo ſuo & pacto, ſiue lege ſtatuta. Et hæc non eſt neceſsitas abſoluta, ſed neceſſitas conſequentiæ. Vnde non ſtat cum lege ſtatuta, quod viator faciat, quod in ſe eſt, diſponendo ſe ad gratiã, quin habeat gratiam. poſſet tamen Deus legem mutare circa aliquam perſonam, ſi vellet, & talis quantumcunque ſe diſponeret nec haberet, quia diſpoſitio hominis nullam cauſalitatem habet reſpectu gratiæ de neceſſitate, ſed tantum de congruo, quia gratia excedit omnem operationem naturalem, nec eſt poſſibile, quod homo mereatur per quodcunq; bonum naturale morale primam gratiam de condigno. Quando ergo dicitur, quod Deus dat gratiam gratis & liberè ex miſericordia ſua, verum eſt pro tanto, quia talem legem miſericorditer ſtatuit & obſeruat, ſed ſtante lege, neceſſario dat gratiã neceſſitate cõſequẽtię Similiter, quãuis ſumus lutũ reſpectu Dei, non tamẽ ſimilitudo currit in omnib. quia non eſt pactum inter artificem & lutum; & dato, quod foret, artifex tamen poſſet frangere pactum pacti lege manente, quod non poteſt Deus pacto ſuo manente; nec lutum poteſt aliquid apud artificem promereri, nec ex congruo, nec ex condigno. Hæc Holcoth. Ex quo igitur tam pius eſt erga nos Dominus, quod omnibus inuocantibus ſe in veritate omnia debita dimittit, nos deuoto mentis affectu eum hodiè imploremus, vt nobis dimittat debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, dimiſſiſque culpis det gratiam, & tandem gloriam. Ad quam nos, &c.

*

An præparanti ſe ad gratiam detur ea neceſſariò.

Ierem. 18.

Rom. 5.

Apocal. 3.

De caſu diaboli cap. 3.

Reſponſ. In lib. ſap. 12. circa princip.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS.

SERMO I.

Cuius eſt imago & ſuperſcriptio hæc. Matth. 22.

Magna hominis nobilitas ex creatione.

INter omnia, quibus Deus hominem nobilitauit, præcipuum eſt excellens dignitas creationis, quam ſi homo attẽderet, magnam occaſionẽ habere poſſet ad bene agendum. Cum enim Deus omnia alia pręter hominem creauit, ſtatim vt dixit facta ſunt. Creare verò hominem quadam æterni conſilij deliberatione voluit, dicens; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Tantò igitur homo gradu dignitatis eſt cæteris excellentior, quantò imagini Dei vicinior. Hæc ille. Ex quo patet magnam eſſe dignitatem hominis; tum quia cum deliberatione conſilij ſanctæ Trinitatis factus; tum quia ad imaginem eius creatus; tum quia omnibus creaturis prælatus. Et ideò homo multum deberet ponderare conditionem honoris ſui. Sed ecce ſcriptum eſt; *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Itaque imaginem diuinam in ſe non attendens, multis eam maculis infecit, ita vt qui prius à Deo tanquam imago præ cæteris cognoſcebatur, iam poſt lapſum in peccatũ cum quadam admiratione requirebatur; *Adam vbi es?* ac ſi apertè diceretur, vbi eſt imago mea in te inſignita? Sed & hanc hodiè Deus in diſcuſſione cuiuslibet conſciẽtiæ peccatoris indubitanter, facere videtur interrogationem, cum in ſtatu culpę eſt, in quo audire meretur, vt ab eo quęratur; *Cuius eſt imago hæc?* Hanc inſuper indubitanter facturus eſt Dominus omnibus hominibus in iudicio finali quæſtionem, cum facta ſingulorum diiudicare & præmiare voluerit dicens; *Cuius eſt imago, & ſuperſcriptio hæc?* In quibus verbis reſpõdere compellimur ad interrogationem per Chriſtum, propoſitam de imagine cuius eſt. Et quia triplex eſt imago in mundo, ideo poteſt triplex eſſe interrogatio. Et ſecundum hoc etiam triplex eſt danda nobis reſponſio. Eſt namque quædam imago materialis ſiue artificialis, quæ ponitur in templo materiali. Eſt ſecunda imago naturalis, quæ ponitur in corpore naturali humano. Eſt inſuper tertia imago ſpiritualis, quæ ponitur in ſpiritu mentali & virtuoſo. Et de qualibet Chriſt⁹ quęrit, vt reſpondeamus; *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio.*

Iſid. lib. 1. de ſum. bon. ca. 11. — *Pſal. 48.* — *Gen. 3.* — *Propoſit.* — *Imago triplex.*

I.

Cuius eſt imago hæc? Quęritur hic primo de imagine artificiali. Et verè iſta quæſtio eſt difficilis omnibus gentibus & paganis, & inſolubilis omnibus idololatris, qui cultũ ſoli Deo debitum imaginibus luteis, ligneis, aureis, argenteis, & ſic de alijs impendunt. Cũ tamen Apoſt. clamet dicens; *Soli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* Vnde in Exod. dicitur. *Non facies tibi omnem ſimilitudinem eorum quæ in cœlo, vel in terra, vel in aquis, vel ſub terra ſunt.* Item in Leuit. *Non facietis idolum, neq; imagines.* Item in Deut. *Ne forte decepti facietis vobis ſculptam imaginem.* Et Dauid dicit; *Simulacra gentium, argentum & aurum.* Et iterum. *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.* Ecce quam reprehenſibiles ſunt a Deo idololatræ, quos æterna confuſio repentè ſequitur. Quid ergò iſti reſpondebunt ad interrogationem cum eis dicetur; *Cuius eſt imago hæc*, ſcil. Saturni, Iouis, Martis, Veneris, Mercurij, Mineruæ, Neptuni, Autũnis, & ſic de alijs. Vnde aũtortũ habuit hęc maledicta idolorũ inuẽtio? Iſid. refert, ꝙ ex nimia dilectione ad mortuos.

Imago artificialis quæ. — *1. Tim. 1.* — *Exod. 20.* — *Leuit. 26.* — *Deut. 4.* — *Pſal. 113.* — *Pſal. 96.* — *Idola vnde inuenta.* — *Lib. 8. c. 2.*

Nam

Nam filij poſt mortem parentum in memoriam ipſorum conſtituebant imagines, & econuerſo. Sic Ninus rex Niniue fecerat principaliter imaginem Beli patris ſui, vt per eam patrem repræſentaret, poſt hoc dæmones ingredientes illas imagines dabant reſponſa, & ſe coli à malis hominibus perſuaſerunt. Apud Iudæos Iſmael primus ſimulacra de luto inuenit, & ſanctum Iſaac puerum cogebat adorare. Gentiles verò dicunt, quod apud eos primus Promotheus vſum imaginum inuenit. Apud Græcos autem Cecrops idololatriam inuenit, vt refert Theodolus in his verſibus;

Egregio Cecropi debetur cauſa litandi,
Ille bouis primo rimatur viſcera ferro.
Sacra Iouis ſtatuit, quæ poſteritas celebrauit.

Idololatræ tripliciter confunduntur. Et hoc tangit Aug. prolixè 18. libr. de ciuit. Dei cap. 10. Tales autem tripliciter deridentur & confunduntur. *Primo* à propheta Elia, qui videns idolatras inuocantes Baal idolum, & eis idolum non prodeſſe, dixit; *Exaltate clamorem, forte Deus veſter dormit, aut cum alio loquitur, aut in diuerſorio eſt.* *Secundo* deridetur à Salomone. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei*, id eſt, fides de Deo per prophetas reuelata. Hæc ſcientia eſt timor & reuerentia Dei. Et poſt pauca; *Infelices ſunt & inter mortuos ſpes illorum, qui appellauerunt Deos opera manuum ſuarum, ſcilicet aurum, & argentum, & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem.* Et ibi ſtatim deridendo eos dic. quomodo magna eſt confuſio homini, quod ſecans vnum & idem lignum in ſilua, de vna parte facit aratrum, de alia ignẽ, de tertia imaginem. Et ſequitur deriſio magna. *Non erubeſcit cum illo loqui qui ſine anima eſt, & pro ſanitate infirmum deprecatur, pro vita mortuum rogat, & in adiutorium inutilem inuocat, pro itinere petit ab eo, qui ambulare non poteſt.* *Tertio* tales deridentur etiam à ſeipſis, puta ab alijs gentilibus. Refert Valerius l. 1. ca. 2. de Dionyſio tyranno, quod ingreſſus templa Deorum Deo Ioui veſtem auream graui ponderis depoſuit, & eidem laneum pannũ circumdedit. Cũq; circumſtantes mirarentur, quod hoc facere præſumpſiſſet; Reſpondit quod magnum commodum in hoc Deo ſuo fecit. Nã

1. ab Elia. *3. Reg. 18.* *2. A Salomone.* *Sap. 13.* *3. A ſeipſis.*

aurea veſtis grauis erat Deo in æſtate, & frigida in hieme, ſed lanea apta eſt pro vtroq; tempore. Item alteri Deo, qui dicebatur Eſculapius, habenti auream barbam, ipſã depoſuit & abſtulit dicens, quod indecens eſſet habere Eſculapium barbam, ex quo pater ipſius Apollo imberbis eſſet. Item alijs dijs abſtulit aureas coronas, & ſciphos, quos in manibus tenebant dicens, quod ex quo dij porrigũt nobis, merito ſunt ab eis recipienda, ne ingrati videamur. Ecce triplex deriſio. Sed maior erit deriſio in futuro à Chriſto cum quæretur; Cuius eſt hæc imago, quoniam tot annis coluerunt in mundo? Sed dic. quis. Tamen Chriſtiani etiam colunt imagines Chriſti, matris ipſius & ſanctorum, & eas fabricant ſatis præcioſè, videtur ergo quod ſint deridendi eadem ratione, qua gentiles, quia creaturam adorant, puta lignum, vel aurum, vel illud metallum, de quo fiunt imagines. De nullo enim alio hic increpantur idololatræ, niſi quia adorabant opera manuum ſuarũ. Ad iſta omnia breuiter eſt dicendum ſecundũ Rob. Holc. & beatum Th. quod imago poteſt dupliciter conſiderari. *Vno modo*, vt eſt res quædã, & ſic nullus ipſi debetur honor, ſicut nec alteri ligno, vel lapidi. *Alio modo* conſideratur prout eſt imago alterius. Et quia idem eſt motus in imaginem, & in rẽ cuius eſt imago, ideo vnus & idem honor debetur imagini & imaginato. Ex quo infero, quod crux Chriſti inquantum eſt imago Chriſti in ea crucifixi, eadem adoratione adoratur, qua Chriſtus in ea crucifixus. Et loquor de ipſo ligno benedictæ crucis. Inquantum vero eſt res quædã pertinens ad ipſum Chriſtum per ipſum nobilitata, non tamen conſiderata vt eſt imago Chriſti, ſic adoranda eſt adoratione hyperdulię, ſicut & mater Chriſti, cui licet nõ debeatur latria, q̃ ſoli Deo debetur, debetur tamẽ ei excellentior veneratio duliç quam alijs creaturis, & hæc vocatur hyperdulia. Hæc Th. Dicit autem Robert. Hol. vbi ſupra, quod flectens & adorans coram imagine Chriſti, non adorat quia lignum crucis, nec quia imago, ſed adorat Chriſtum corã imagine Chriſti, quia imago Chriſti excitat eum ad adorandum Chriſtũ. Et ſic exponit adorationẽ iſtam Damaſ. l. 4. ſen. ſua-

An Chriſtiani idololatra propter cultum imaginũ.

In li. Sap. cap. 13. *In 3. ſent. d. 9. q. 2.* *Imaginis duplex acceptio.*

rum

rum c. 8. vbi allegando Baſiliũ dicit, quod honor imagini ad prototypum, id eſt, ad exemplar eſt faciendus. Ex his patet, quomodo eccleſia vtitur imaginibus, & quomodo eas dicitur adorare, quia ſolum per repræſentationem adorat ſanctum coram imagine ſua, vnde metriſta.

Effigiem Chriſti dum tranſis pronus adora,
Non tamen effigiem, ſed quę deſignat adora.
Nec Deus eſt, nec homo præſens, quam cernis imago,
Sed Deus eſt & homo ſacra quam ſignat imago.

Iſtum autem vſum imaginum dicuntur introduxiſſe SS Patres, prout refert Damaſ. vbi ſupra, imò dicit Hol, vbi ſupra. Etiam Apoſtoli eum introduxerunt, licet in Canon. Biblię non legatur; vnde Luc. dicitur depinxiſſe imagine Chriſti & Virginis glorioſæ, quæ adhuc habentur Romę. Et Magiſter in ſcholaſtica hiſtor. narrat, quod Chriſtus Abagaro regi imaginem ſuæ ſcenæ faciei deſtinauit. Triplex autem cauſa fuit inſtitutionis imaginum in eccleſia ſecundum Damaſ. *Prima* ad inſtructionem laicorum, quibus imagines adhibentur loco librorum. *Secundo* vt paſsionis Chriſti myſterium & ſanctorũ exempla nobis frequentius & recentius inſigerentur. *Tertio* ad excitandum deuotionis affectum, qui magis ex viſis quã auditis cauſatur. Vnde Gregor. dicit ad quendam Epiſ. arguendo eundem. Dudum ad nos peruenit, quod ſanctitas veſtra quoſdam imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem de eccleſijs imagines confregit & proiecit. Quem quidẽ zelum nos, nè quid manufactum adorari poſſit, laudamus, ſed frangere n[illegible] debuiſſe eaſdem imagines iudicamus. Idcirco enim picturæ in eccleſijs adhibẽtur, vt qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus legere nõ valent. Et li. 1. ad Seuerum Epiſc. dicit. Si quis imagines facere voluerit, minimè prohibeas, adorare verò imagines omnino veta. Sed hoc fraternitas tua diligenter admoneat, vt ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius trinitatis proſternantur. De hoc habetur de conſec. diſtin. 3. Perlatum. vbi Gregorius pręcipit cuidam Epiſcopo contra factas per ipſum imagines ad priſtinum reparare decorem. Non ergo tales adoratores imaginum modo præmiſſo deridentur aut damnantur, ſed potius commendantur, cum per eas non res viſibiles, ſed inuiſibiles adorantur. Nempè ſi commendatur Abraham, quia tres Angelos adorauit; Et Loth duos Angelos, quantò magis qui Dominum Angelorum per inſpectionem ſui ſigni & imaginis adorat? Nathan laudabiliter adorauit Dauid regem; quantò laudabilius, qui adorauerit Regem Regum & Dominum dominantium. Iſti ſic adorantes ad interrogationẽ factam per Chriſtum, cuius eſt imago, quam adoraſtis, reſpondere poterunt; Imago tua Domine Ieſu Chriſte. Ad cuius aſpectum non imaginem, ſed te adoramus viuentem in ſecula &c.

Imagines quare inſtituta.

Regiſt. lib. 9. Epi. 63. li. 3. ep. 85.

Gen. 18.

3. Reg. 1.

II.

Secunda imago, de qua Chriſtus quærit, eſt naturalis, quæ poſita eſt in corpore humano & naturali, de qua dicitur. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram.* Et notanter dicit, *ad imaginem.* Non autem dicit; Faciamus hominem imaginem noſtram. Solus enim filius Dei eſt perfecta imago Dei Patris, vt dicitur ad Hebr. vbi Apoſtolus vocat eum perfectam figuram ſubſtantiæ diuinæ. Sed homo eſt ad imaginem Dei, quia non eſt per omnia ſimilis & ęqualis Deo, ſicut eius fili⁹ Chriſtus, vt Sap. dicit, *eſt candor lucis æternæ & ſpeculũ ſine macula, Dei maieſtatis & imago bonitatis illius.* Vnde ex quo ſecundum Auguſtin li. 83. quæſt. q. 51. æqualitas eſt de ratione perfectæ imaginis, tunc ſolus filius Dei eſt perfecta imago Dei patris, homo autem ad imaginem Dei creatus, quia gerit aliqualem ſimilitudinem diuinam. Vnde in Pſal. dicitur. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Exponit Innoc. 4. id eſt, in ſuperiori parte noſtri, id eſt, in anima, *lumen vultus tui*, id eſt, luminoſus vultus tuus, id eſt, ratio. *Poſuit oculum ipſorum ſuper corda illorum.* Vultus Dei dicitur ratio, quia ſicut per vultum homo homini aſſimilatur, & homo cognoſcit hominem, ita per rationem ſimiles ſumus Deo, & Deum cognoſcimus. Poteſt etiam ſecundũ eũ

Anima imago naturalis.

Gen. 1.

Heb. 1.

Sap. 7.

Libr. 83. quæſt q. 51

Pſal 4.

Eccl. 17.

Ratio noſtra abſq; gratia informis

ſic dici. Vultus Dei eſt ratio; Lumen huius vultus eſt gratia. Quia ſicut moneta eſt informis, donec imago regis ei p malleũ imprimatur, ita ratio noſtra deformis eſt, donec per gratiam Dei illuſtretur. Ratio enim eſt imago creationis, ſed gratia eſt imago recreationis. Ratio Deum cognoſcit ex natura, ſed quod imitatur eum habet ex gratia. Iſtud lumen ſignatum eſt ſuper nos. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Item. *Nolite contriſtare Spiritũ ſanctum Dei in quo ſignati eſtis.* Sed quidam tantum ſignati ſunt exterius, vt hypocritæ. Sed boni interius in corde. Cant. 8 *Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Dicitur etiam vultus Dei eſſentia vnitatis & trinitatis perſonarum, iuxta quę conſimiles ſumus Deo. Nam ſimiles ei ſumus, quantum ad eſſentiam, quia ſicut Deus æternus, ita & nos perpetui; & quantum ad trinitatem perſonarum, quia ſimiles ſumus patri per memoriam, filio per intelligentiam, Spiritui ſancto per dilectionem. Hæc autem imago ita fortiter homini eſt impreſſa, vt eam non poſſit delere etiam in peccato exiſtens. Vnde pſal. 38. *Veruntamen in imagine pertranſit homo*, ſcilicet ad peccatum, ſecundum Inno. Imago enim, in qua creatus eſt homo, eſt ratio, in qua pertranſit homo, quia non dimittit eam homo etiam quantumcunque malus ſit, quia etiam habet eam diabolus, licet benè homo perdat imaginem recreationis, ſc gratiam per peccatum. De quo dicitur in Pſal. 72. *Imaginem ipſorum ad nihilum rediges.*

Epheſ. 1.
Epheſ. 4.

De ſpiritu & anima ca. 19. Comparatio animæ cum Deo.

Act. 17.

Tangit autem pulchrè beatus Aug. cõparationem animæ ad Deum, cuius eſt imago. *Primo*, inquit imago Dei in homine interiori, in hoc parte eſt conſideranda, in eo quia ſicut Deus vnus ſemper vbique totus & omnia viuificans, omnia mouens & gubernans, ſicut ait Apoſt. *In eo viuimus, mouemur, & ſumus.* Sic anima in ſuo corpore vbique tota viget viuificans illud & mouẽs & gubernans, nec enim in maioribus ſui corporis membris maior, & in minoribus minor, ſed in minimis tota eſt, & in maximis tota. Sic infuſa eſt corpori, vt nec per membrorũ partes ſit diuiſa. Nam in quolibet loco, quandò pars corporis percutitur tota dolet. Miro autem modo vna eademque viuificatione membris præſidens, cum ipſa per naturam non ſit diuiſa. Ipſa namque eſt, quæ per oculos videt, audit per aures, odorat per nares, guſtat per os, membra omnia tangit, & tangendo lene ab aſpero diſcernit, & cum non eſt diuerſa, per ſenſus operatur diuerſa. Ex quo Augu. infert ibidem, quod ita eſt anima per ſuum modum in ſuo corpore, ſicut Deus in ſuo mundo, interius ſiquidem, exterius, inferius, ſuperius. Eſt regendo ſuperior, portando inferior, replendo interior, circundando exterior, ſic eſt intus, vt extra ſit; ſic circundat, vt penetret; ſic præſidet, vt portet; ſic portat, vt præſideat. Et ſicut nec creſcẽtibus creaturis creſcit, nec decreſcentibus decreſcit; Sic anima nec minutis membris minuitur, nec auctis augetur. Hæc eſt imago & ſimilitudo omnipotentis Dei quam anima habet in ſe. Habet *ſecundo* imaginẽ ſanctæ Trinitatis in eo, quod ſicut Deus eſt, viuit, & ſapit, ita anima ſecundum ſuũ modum eſt, viuit, & ſapit. *Tertio* quia ſicut Deus eſt vnius naturæ, tres tamen ſũt perſonæ, ſic anima licet vnius ſit naturæ, tres tamen in ſe vires habet, id eſt, intellectum, voluntatem & memoriam. Ex hoc infert Auguſt. quod merito ex his tribus viribus Deum diligere præcipitur, cum dicitur; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, id eſt, ex toto intellectu, & ex tota volũtate, & ex tota memoria tua. Nam ſicut ex patre generatur filius, & ex patre filioque Spiritus S. procedit, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria, ſicut facilè à quolibet ſapiente poteſt intelligi. In his tribus ſecundũ Aug. diuinam imaginem gerit interior noſter homo. Et ex his quaſi excellentioribus viribus iubemur diligere Deum conditorem noſtrum, vt quantum intelligitur diligatur, & quantum intelligitur ſemper in memoria habeatur. Nec ſufficit de eo intellectus, niſi fiat in amore eius voluntas; immo nec hæc duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, quod ſemper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, vt ſic nullũ poteſt eſſe momentum, quo præſentem eum non habeat in memoria. Et ideò iuſtè videtur homo imaginem interiorem Dei habere. Hæc Augu. Ideo Eccl. monet pro tanto be-

Matt. 22.
Marc. 12.
Luc. 10.

to beneficio ad laudandum Deum, dicens; *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.* Gloſſ. quædam exponit; Memento intime ſeu præcordialiter, continuè ſeu indelebiliter, feruenter ſeu virtualiter, iucundè ſiue gaudenter, quia memoria eſt firma rerum perceptio. vnde ex quo memoria eſt quaſi quidam theſaurus, in quo recondita abſconduntur, & frequens imaginatio ſaluat memoriam, vt dicit Ariſt. meritò debet anima fidelis recordari diuinæ bonitatis cognoſcendo Deum, & iugiter memoriam eius recogitando, & nunquam mente ſe auertendo ab eo. *Cunctis diebus tuis cogita illum.* Iuxta illud Pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* ſc. propter immenſa Dei beneficia. Et innuit hic in hoc verbo creatoris totam trinitatem. Nam quia Deus operis, ideo creator, quia ipſi ſoli cōpetit create ratione omnipotentiæ, vt dicit Auguſt. Deinde innuit eius bonitatē. Ex eo enim, quod bonus eſt, creat hominem. Sicut dicit Aug l. 11. de ciu. Dei c. 21. vbi dicit. Quia Deus bonus igitur creauit nos ad extra. Tertio innuit eius ſapientiam, *quia omnia in ſapientia feciſti.* Et ideo, ex quo homo recepit à Deo tanta bona in creatione ſuæ imaginis, quia ibi oſtenſa eſt ſapientia, potentia, & bonitas, meritò debet recordari tantorum beneficiorum. *Miſerationum Domini recordabor.* Et iterum; *Memoriale tuū in deſiderio animæ tuæ.* Nec ſolum recordetur pro beneficio creationis, ſed etiam recreationis, quia non ſolum dedit Deus homini eſſe naturale, ſed etiam beatificum præparauit, ſi perſeuerauerit. Nam inquit Hugo, qui creauit te, dedit tibi eſſe, qui te redemit, dedit tibi beatum eſſe. Voluit igitur Deus eſſe creator, & redēptor. Verè igitur iſte, qui hic Deum cognouerit per rationem, dilexerit per voluntatem, & recordabitur per memoriam, optimè & intrepidus poterit Deo in futuro reſpondere ad interrogationē præſentē; *Cuius eſt hæc imago?* quia tua Domine Ieſu Chriſte, qui ſicut me creaſti in eſſe naturali, ita imaginē tuā ſeruaui in eſſe gratuito. Modo ergo tibi creatori animam meam reddo.

Eccl. 12. *Prou. 3.* *Pſal. 76.* *Libr. 3. de Trin. c. 12.* *Pſal. 103.* *Iſa. 63.* *Idem 26.* *Lib. 1. de Sacram. par. 10. cap. 7.*

III.

Imago ſpiritualis quænam?

Cuius eſt hæc imago & ſuperſcriptio? Non ſolum creauit hominem ad imaginem, ſed etiam ad ſimilitudinem ſuam, quæ quidem ſimilitudo conſiſtit in donis & virtutibus gratuitis. Hoc declarat Aug. dicens, quod ſicut Deus eſt charitas, bonus & iuſtus, patiens atque mitis, mundus & miſericors, & ita de cæteris ſanctarū virtutum inſignijs, quæ de eo leguntur; ita homo creatus eſt, vt creatorem diligeret, vt bonus eſſet & iuſtus, patiens atque mitis, mundus & miſericors. Quas virtutes quanto plus quiſque in ſe habet, tanto proprior eſt Deo, & maiorem conditoris ſui gerit ſimilitudinem. Si verò, quod abſit, aliquis per deuia vitiorum & diuerticula malorum ab hac nobiliſſima ſui creatoris ſimilitudine oberret, tunc fiet de eo, quod ſcriptum eſt; *Homo, cū in honore eſſet, non intellexit &c.* Quis maior honor potuit eſſe homini, quam vt ad ſimilitudinem ſui conditoris conderetur, vt eiſdem virtutum veſtimentis ornaretur, quibus & conditor? De quo legitur. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt,* id eſt, omnium virtutum ſplendore & totius bonitatis decore indutus eſt. Et econuerſo; Quod maius homini dedecus eſſe potuit, aut infœlicior miſeria, quam vt hac ſimilitudinis gloria ſui conditoris amiſſa ad informem & irrationalem brutorum & iumentorum ſimilitudinem dilabatur. Quapropter quiſque diligentius attendat primæ cōditionis ſuæ excellentiam, & venerandā ſanctæ trinitatis in ſeipſo imaginem cognoſcat, honoremque ſimilitudinis diuinæ, ad quam creatus eſt, nobilitate morum, exercitatione virtutum, dignitate meritorum habere contendat, vt quando apparebit qualis ſit, tunc ei ſimilis appareat, qui eum mirabiliter ad ſuam ſimilitudinem in primo homine condidit, mirabiliuſque in ſecundo, id eſt, in ſeipſo reformauit. Hæc ille. Sed certè pauci iſtam ſimilitudinē diuinæ imitationis attendunt, qui potius beſtijs ſimiles eſſe volunt per vitia, quam Deo per virtutes. Nam, ſicut dicit Bern. mala aduenientia, quæ accidunt homini turbant & conturbant hominis naturam. Inde anima hominis diſſimilis fit Deo. Inde diſſimilis eſt & ſibi. Inde comparata eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis facta eſt illis. Inde legitur commutaſſe gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.

Li. de ſpiritu & anima c. 2. *Pſal. 48.* *Pſal. 92.* *Hom. vlt. ſuper Cāt.*

num. Inde homines tanquam vulpes duplicitatis & fraudis foueam habent, & quia pares ſe vulpibus fecerunt, partes vulpium erunt. Inde iuxta Salomonem vnus eſt exitus homini & iumento. Nec mirum, ſi ſimiliter exeat, qui ſimiliter vixit. Hæc ille. Qualiter autem homo comparatur iumẽtis oſtendit Boetius lib. 4. de conſol. proſ. 3. dicens; Ex quo ſola probitas vltra homines quemquam prouehere poſſit, neceſſe eſt, vt quos ab humana conditione deiecerit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit ergo, vt ſi quem transformatũ videas varijs vitijs hominem æſtimare nõ poſſis. Et ibi exemplificat diffuſe dicens, quod auarus propter continuam eius ſitim diuitiarum lupo ſimilis eſt, detractor ſimilis cani, inſidiator occultus vulpeculę, iracundus ſimilis leoni, timidus ſimilis ceruo, acedioſus ſimilis aſino, inconſtans ſimilis auibus, immundus & fœtidus ſimilis porco. Et infert quod neceſſario ſequitur, vt qui probitate relicta homo eſſe deſierit, cum in diuinam clementiam tranſire non poſſit, mutetur in belluam. Et cõcludit, quod non ſolum talis mutatur in vnam beſtiam, ſed etiam in plures, ſecundũ pluralitatem vitiorum, prout etiam deducit Chryſoſt. ſuper Matth. Vnde Hieron. Epiſt. 80. Tot habemus pecorum ſimilitudines, quot peccata. Ad ꝙ concordat illud Pſal. 81. *Facies peccatorum ſumitis.* Et Seneca Epiſtola 170. Effigies habent hominũ, animos verò ferarum. Iob 33. *Reſpiciet homines & dicet, peccaui.* vbi Greg. li. 23. moral. poſt princi. dicit. Qui affectioni ſuccubuerint, non homines, ſed iumenta in ſtercoribus ſuis erunt. Sed de talibus beſtialiter viuẽtibus ita dicitur Eccl. 3. *Spiritus iumentorum*, id eſt, iumentaliter viuentium, *deſcendent deorſum*, ſcilicet in infernum, vt exponit Gloſſ. iuxta illud. *Deſcendent in infernum viuentes.* Pſal. 54. Propter quod hortatur Apoſtolus, vt hanc imaginem beſtialem & terrenam deponentes aſſumamus cœleſtẽ dicẽs: *Sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* 1. Cor. 15. Et ad Roma. 12. *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri.* Nam, vt ait Auguſtin. Epiſt. 77. Deo erimus ſimiliores, quanto in eius cognitione & charitate proficimus. Similis, inquit, erit Deo in filijs Dei. Hæc ſimilitudo vocatur ſuperſcriptio iſtius denarij, quem Dominus à quolibet noſtrum requiret in iudicio. Non enim requirit tantum in anima noſtra rationẽ, voluntatem, & memoriam naturalem, ſed etiam requirit decorem & ornatum ipſius animæ in his tribus viribus & potẽtijs animæ, ſine quo decore ipſa anima eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, vt dicit Ariſtot. 2. de anima. Ideoque ſicut denarius habens imaginem ſine ſuperſcriptione nihil valet, ſic nec anima ſine virtutibus gratuitis, per quas Deo fit quodammodo ſimilis, hic per gratiã, in futuro per gloriã. vnde Pſ. petit; *Illuſtra faciẽ tuã ſuper ſeruũ tuũ.* Pſal. 30. Exponit Innoc. quartus, id eſt, infundendo gratiam imprime animæ meæ ſimilitudinem, quæ ſimilitudo maximè conſiſtit in cognitione Dei. Et eſt ſenſus ſecundum eum. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, id eſt, fac ſeruum tuum ſimilẽ faciei tuæ. 1. Ioan. 3. *Nondum apparet, quod erimus, ſed cum apparuerit, ſimiles ei erimus.*

Cuius ſimilitudinis nos participes faciat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſine fine viuit & regnat. Amen.

★

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST TRINITATIS.

SERMO II.

Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Matth. 22.

AD hoc diſpenſationis diuinæ prouiſio gradus diuerſos & ordines cõſtituit eſſe diſtinctos in mũdo, inquit Gregor. vt dum minores potioribus reuerentiã exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Et ſequitur: neque enim vniuerſitas alia ratione poterit ſubſiſtere, niſi eam huiuſmodi magnus differentiæ ordo ſeruaret. Hæc ille. Vnde patet quantum neceſſaria eſt prælatio tam ſpiritualis quam ſæcularis, quam etiam temporalis in Eccleſia militante, ſine qua nullo modo eccleſia Dei poteſt ſubſiſtere. Vnde Apoſtolus dicit; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* (Rom. 13.) Et merito; Nam iſte ordo etiam ſeruatur in cœleſtibus hierarchijs, vbi archangeli præſunt angelis, angeli ſupremi medijs, medij infimis, purgando, illuminando, & perficiendo, prout patet per Dionyſium in cœleſti hierarch. Sed quia, ſicut ſuperiores nõ poſſunt melius præeſſe ſubditis, niſi per iuſtitiam. Sine iuſtitia enim inquit Auguſt. regna quid ſunt niſi latrocinia? (lib. 4. de ciuit. Dei cap. 4.) Ita econuerſo inferiores non poſſunt melius ſubeſſe ſuperioribus, niſi per iuſtitiam, quæ vt ait Macrobius 1. lib. eſt vnicuique ſeruare quod ſuum eſt. Et ſecũdum Bernardum eſt virtus, ſuum vnicuique tribuens, ſcilicet ſuperiori, inferiori, & æquali. Ideoque Saluator, qui non venit ſoluere legem ſed adimplere, volens ordinem militantis Eccleſiæ ſeruare, conſultus de redditione cenſus Imperatoris, ſalubre dedit conſilium dicens: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* In quibus verbis tria ſunt conſideranda, quæ circa ſtatum cuiuslibet reipublicæ, cuiuslibet regni, principatus, & dominij diligenter ſunt obſeruanda. *Primo* namque deſcribitur in verbis noſtri thematis ſubditorum ſtatus & conditio humilis ad ſoluendum obligatoria, cum dicitur; *Reddite.* *Secundo* tangitur regum, principum, & dominorum prælatio ſublimis & eximia cum dicitur; *Quæ ſunt Cæſaris.* *Tertio* adiungitur eorundem auctoritas terribilis & præceptoria, cum dicitur; *Cæſari.*

I.

Reddite. Inter ſubiectos non omnes ſunt vnius conditionis, ideò ſubditorum conditio non æqualiter ſuis præſidibus ad reddendum obligatur. Sunt enim in republica ſub principe quidam eius officiales & præfecti; quidam bellatores & ſtrenui; quidam populares & laboribus dediti. Et omnibus dicitur; *Reddite,* eo quod omnes ad reddendum ſecũdum ſuum ſtatum principi, quæ ſua ſunt, obligantur. *Primo* quidam ſunt ſub principe in republica, vt eius officiales & præfecti, & iſti ſunt triplices, ſcilicet præſides prouinciarum, terrarum, ciuitatum, & locorum iudices, & conſiliarij. Præſides prouinciarum debent eſſe ſapientes in gubernando & Deum timendo, veraces & auaritiam fugientes. Vnde Iethro

Princeps habet ſub ſe Officiales ſiue præfectos, milites, et Populum.

1. Præfecti ſiue officiales ſunt triplices.

1. Præfecti prouinciarũ & quales hi debeãt eſſe.

thro conſuluit Moyſi dicens; *Prouide de omni plebe viros potentes*. Alia litera habet, ſapientes & timetes Deum, *in quibus eſt veritas, & qui oderunt auaritiã, & conſtitue de eis tribunos decanos & centuriones*. Ecce qualis forma eis deſcribitur. Tales deberent conſtituere principes, qui nõ excoriarent, nec ſpoliarẽt pauperes ſubditos. Talis fuit ſeruus Abrahæ, de quo Geneſ 24. dicitur, quod præerat omnibus. Talis erat Ioſeph, qui ſub Pharaone præfuit toti terræ Ægypti, Gen. 41. Vnde Saluator Matth. 24. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibũ in tempore*. Notanter dicit, *vt det cibum*, non vt auferat. Hinc Princeps committens tale officium procurationis vel capitaneatus alicui auaro vel crudeli, grauiſſimè peccat. Patet, quia dat lupos ſuper oues Christi, & ſic facientes & conſentientes pariter punientur, vt dicitur de ſen. excommunicationis. Et quid dicam de his, qui talia officia vendunt raptoribus? Certè neſcio, tamen ſcio, quod B Thom. in quadam epiſt. ad duciſſam Brabantiæ omnino diſſuadet tales venditiones, quia fiunt in maximum grauamen ſubditorum. communiter enim illi, qui ſunt peiores in ſubditos, talia officia emunt. Et quid mirum ſi ſacra Scriptura diſſuadet, quod etiam gentiles feciſſe leguntur? Refert Valerius quod cum quidam conſuleretur, vter ex duobus mittendus eſſet ad Hiſpaniam ad regendum prouinciam, an diues & auarus, an pauper & bonus, Reſpondit; nihil primo ſatis eſt, quia auarus; ſecundus nihil habet, & ideo cogetur rapere, vt ſuſtentetur. Vnde de Tyberio Cæſare legitur, quod nunquam vel raro mutabat procuratores. Et quærentibus cauſam dixit, ſe parcere vel obtemperare plebeculæ. Nam ſcientes ſe breuiter duraturos extorquent vſque ad ſanguinem. Et poſuit exẽplum de quodam milite vulnerato, qui prohibuit, ne muſcæ ſatiatæ ſanguine à vulneribus repellerentur, ne ſuperuenientes famelicæ grauius eum torquerent. Et ideò dicit Valerius de vetula quadam, quæ orabat pro Dionyſio tyranno, à qua cum ille quæreret, quare hoc faceret, aut quo ſuo merito hoc fieret, reſpondit;

Lib. 6. cap. 4.

Quando puella eram grauem habebamus tyrannum, & eo carere cupiebamus. Quo interfecto, deterior regnum occupauit, eiuſque dominationẽ omnes finiri cupiebãt Tandem te nunc importuniorẽ, id eſt, grauiorem omnibus habere cœpimus rectorẽ. Timens itaque, ſi tu fueris abſumptus, deterior in locum tuum ſuccedat, caput meũ pro ſalute tua deuoueo. Hoc audiens Dionyſius, tam facetam audaciam punire erubuit. Hæc ille. Si ergo voluerint præfecti huiuſmodi & officiales reddere, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, reddant fidelitatem principibus ſuis, fideliter eorum ſubditos gubernantes. Alias ſi eos ſpoliabunt & auaritiam ſuam theſaurizabunt, non reddent quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quinimò erunt fures & latrones, & lupi rapaces, ſibijpſis tantum & non Cæſari prouidentes

Secundi officiales & præfecti ſunt iudices, de quibus dicitur Sap. 1. *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram*. Et iſti tunc reddent quæ ſunt Cæſaris Cæſari, cum fuerint in reddenda iuſtitia animoſi & fortes, ſapientes & periti. Vnde Deut. 1. dicitur; *Date ex vobis viros*. Ecce animoſitas & fortitudo. Et ſequitur; *ſapientes & gnaros*, ecce peritia legum. Et ſequitur, *Audite illos, & quod iuſtum eſt iudicate* Et Deut. 16. dicitur; *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis*. Notanter dicit, *& magiſtros*, ad ſignificandum, quod magiſtraliter debent cognoſcere veritatem, & ſubtiliter eam inueſtigare. Sed prohdolor multi inueniuntur magiſtri in condemnando ad culpas & pœnas, ſed pauci in abſoluendo innocentes à talibus. Ad hoc autem, vt iudex rectè iudicet, tria ſunt neceſſaria. Primò, vt exquiſitè diſcutiat cauſſam. Secundò, vt non faciliter credat cuilibet. Tertiò, vt examinata benè cauſſa deliberatè proferat ſententiam. Iſta tangit Gregor. lib. 19. moral. dicens; ad proferendam ſententiam idcirco nequaquam præcipites eſſe debemus, ne temere indiſcuſſa iudicemus. Nec quælibet mala audita nos commoueant, ne paſſim ſine probatione credamus. Vnde Deuter. 1. dicitur. *Ita paruulum audietis vt magnum, nec accipietis perſonam cuiuſquam, quia Dei iudicium eſt*. Et quia iudex

2. Iudices hi debent eſſe iuſti.

iudex eſt communis perſona, ideò nulli debet fauere niſi iuſtitiæ: non enim debet miſereri pauperi cum detrimento alterius. Vnde dicitur; *Non acquieſces in iudicio plurimorum ſententia, vt à vero deuies. Pauperis quoque non miſereberis in iudicio*, ſcilicet deuiando a vero & iniuſtè ſententiando.

3. Conſiliarij qui debent eſſe ſine vitijs, benè morati, & experti. Tertiò officiales & præfecti ſunt conſiliarij. Et hi ſi volunt reddere principi recta conſilia, debent eſſe à vitijs immaculati, virtutibus præditi, & moribus probati, ac experientia induſtrij. Et breuiter debent eſſe præſtantiores illo, qui ab eis petit conſilium. Propter quod Ambroſius lib. 2. de officijs dicit, quod in requirendis conſilijs plurimum adiungit veritati probitas, virtutum prærogatiua, beneuolẽtiæ vſus, facilitatis gratia. Et ponit exempla; quis in cœno fontem requirat? quis ex turbida aqua potum petat? vbi luxuria? vbi intemperantia? vbi vitiorum confuſio? Et ſequitur: Quis vtilem cauſæ alienæ exiſtimet, quem videt inutilem vitæ ſuæ? Hæc ille. Ante omnia & ſuper omnia caueant, ne conſulant ad voluntatem principis, ſed ſecundum veritatem, prout docet Seneca lib. 6. de officijs cap. 123. Et vt non moueantur timore, vel amore, vel cupiditate, & quod conſulant non ſecundum capita propria, ſed ſecundum iuſtitiam diuinam. Vnde malus conſiliarius eſt, qui conſulit domino ad acquirendum bona temporalia & perdendum bona æterna, ad acquirendum pecuniam & perdendum animam, de quo Eccl. 37. *A malo conſiliario ſerua animam tuam.* *Eccl. 37.*

2. Milites debent eſſe ſtrenui & defenſores Eccleſiæ. Secunda pars ſubditorum in republica eſt nobilitas militaris, quæ ſi debet reddere, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, debẽt eſſe milites ſtrenui, pauperum & eccleſiarum totiuſq; reipublicæ defenſores. Vnde Polycratus l. 6. Et Boetius li. 4. cap. 1. dicunt, quod milites olim iurabant ſuis principibus infraſcripta ſub hac forma; iuro per Deum & Chriſtum & Spiritumſanctum, & per maieſtatem principis, quæ ſecundum Deum humano generi diligenda eſt & attollẽda, me facturum omnia, quæcunq; præcipit princeps, quod nũquam deſeram militiam, nõ mortẽ recuſabo pro republica. Tria tamẽ iurabant præcipua. Primò fidem debitam Deo ſeruare. Deinde fidelitatem principi. Tertiò incolumitatem ſeu protectionem patriæ. Et licet hoc hodie non fit expreſſe, tamen nihilominus omnes milites ad hoc iuramentum tacitè obligantur. Ex quo patet, quod milites noſtri videntur facere contra iuramentum tacitum, ſi non defendunt eccleſiam Chriſti. Et multo fortius peccant, ſi bona eius inuadũt, quorum debuerunt eſſe tutores. Si ergo volunt reddere, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſũt Dei Deo, reddent primo Deo & Eccleſiæ rectã fidem, pro qua etiam mori debent; principi fidelitatem, vt eius bonum pro omnibus viribus promoueant; & reipublicæ defenſionem, vt eam integrè conſeruent.

Tertia pars reipublicæ ſunt populares & laboribus dediti, vt ſunt agricolæ, mercatores, & artifices diuerſi. Agricolæ debent eſſe laborioſi, vt non pigritia torpeant. Debent eſſe fideles, vt Deo bonas decimas dent, ſicut Abel. Cuius accepta munera leguntur à Domino, non ſicut Cain, qui pro eo quod peiora dabat reprobatus eſt, & vt non ſint inuicem inuidi, ſicut Cain contra Abel, ſed de aliena felicitate gaudeant, & de aduerſitate compatiantur, & vt etiam dominis ſuis cenſus, redditus, & prouẽtus ſtatutis temporibus reddant. *3. Populus, in quo reperiuntur. 1. Agricola.* Mercatores debent eſſe veraces, non doloſi in põderibus, menſuris, & ſimilibus; hoc enim eis prohibetur. Deut. 25. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera.* *2. Mercatores, Deut. 25.* Non debent etiam in diebus feſtiuis forizare 15. q 4. c. 2. Non debent rem carius vẽdere quã valeat. Et licet eis cõcedatur lucrũ moderatũ, non tñ exceſſiuum. Nec debent carius vendere ad præſtam quã ꝓ paratis pecunijs, quia hoc eſt vſura. vt de vſuris. In ciuitate. niſi certum eſſet, quod plus valerent tempore ſolutionis, vt de vſuris. Nauiganti. Artifices debent etiam attendere, vt non adinueniant multas curioſitates in ſuis artificijs. *3 Artifices.* Quia dicit Thomas 2. 2. quæſt. 169. Licet artifices ornamenta pro decentia mulierum, vt placeant viris ſuis faciant, non peccant, tamen ſi adinueniãt aliqua ſuperflua peccant. Vnde Chryſoſt. ſuper Matth. dicit, quod

quod ab arte calceatorum & textorũ multa oportet abſcindere, quę ad luxuriam deduxerunt neceſſitatem, corrumpentes artẽ & bonam artem malè commiſcentes. Hæc ille. Et hi omnes debent reddere ſuis ſuperioribus cenſum eis debitum, de quo cum eis conuenerunt bona fide & ſine vlla coactione; ſicut ſolet fieri cauſa manſi vel villæ, vbi promittitur annuus cenſus. Omnia enim iſta dummodo non ſint turpia, vel contra Deum, licitè exiguntur. Nam quilibet in traditione ſuæ rei poteſt ponere legem quam vult, vt notatur de conditionibus appoſitis, cap. 1. 18. qu. 2. Eleutherius. Nam ſcienti & volenti non fit iniuria, neque dolus, de reg. iu. lib. 6. Scienti. Quicquid ergo huiuſmodi ſubditus ſubtraheret Domino, furtum eſſet. Sed quid ſi Dominus coactè vltra iſta exigit, vt qui ſubtrahit iuſtitiam & alia niſi dent. Reſpondeo, iniuriam facit, & tenetur reſtituere 18. diſt. de Eulogijs 1. quæſt 2. Placuit. &c. quam pio. Et patet quod grauiter peccant Domini, qui allegantes conſuetudinem, accipiunt à ſubditis de mobilibus quicquid volunt, & præcipuè ſpoliant, quando ſuſpicantur eos recedere velle ad alium. Nam ſecundum Guilhelmum tales grauiter peccant, & tenentur ad reſtitutionem, niſi certum eſſet, quod impoſitum foret à principio. Et dico notanter à principio, quia omnia talia, quorum memoria non exiſtit, videntur ex cauſis legitimis impoſita. Et ideò iuſtè exiguntur. Alias enim ſi de nouo imponuntur, & iuſta cauſſa non apparet, non debent exigi. 14. quæſt. 6. Si res. Ex hoc patet quod princeps vel Dominus non debet nec poteſt ſalua conſcientia aliquid imponere ſubditis in eorum grauamẽ ſine iuſta cauſa. Et ſic patet prima pars quæ fuit de ſubditis.

II.

Quæ ſunt Cæſaris. Ac ſi diceret; iuſtum eſt, vt reddatis quæ ſunt Cæſaris Cæſari; Omnia enim ſunt Cæſaris lege humana, vt dicit Auguſt. 8. diſt. Quo iure. Magnæ igitur eſt poteſtatis & auctoritatis Cæſar, & quilibet Dominus naturalis legitimè inſtitutus, quia habet iuriſdictionem ſuper omnibus bonis & poſſeſſionibus ſuorum ſubditorum. Et quia quidam contrariantur diuinæ voluntati in eo, quod nolunt ſubeſſe dominis temporalibus legitimè inſtitutis, vt faciunt reprobi Huſſitæ, ideò de hoc videndum eſt breuiter de tribus. Primò quomodo poteſtas temporalis ad regendum ſubditos Chriſti eſt neceſſaria. Secundò quomodo congruè ſit inſtituenda; Tertiò qualibus moribus ſit inſtruenda; Primò poteſtas eſt neceſſaria & hoc primo iure naturæ. Secundò iure ſcripto legis diuinæ. Tertiò iure legis Euangelicæ. De primò, ſcilicet quod iſta poteſtas neceſſaria ſit de iure naturæ, patet, nam ſicut dicit philoſophus 1. politicorum, quidam ſunt diſpoſiti ad principandum, quidam ad famulandum naturaliter. Vnde dictat natura ſuperiora & meliora debere regere minus bona ſeu inferiora. Hinc eſt, quod homo regit beſtiam, anima corpus, maſculus regit fœminam à natura. Illi ergo homines, qui ſic ſe habent ad alios, ſicut homo ad beſtias, vel ſicut anima ad corpus, vel ſicut maſculus ad fœminam, apti ſunt & idonei ad regendũ. Ex quo infero, quod homo naturaliter excellens alium ratione, dignus eſt excellere alium honore & dignitate. Patet hoc, quia excellentia hominis ſuper hominem non eſt niſi ex perfectione rationis & ſapientiæ, vt hic dicitur; igitur perfectior in ratione & ſapientia, dignus eſt principatu & dominatione. Ex quo conſequenter infero ſecundum philoſophum, vbi ſupra, quod fortes ingenio & ratione, quamuis ſint debiles corpore, ſunt idonei & habiles ad regendum; Et econuerſo, fortes corpore & debiles ratione ſunt apti ad ſeruiendum, ita quod naturaliter pro republica totius humanæ communitatis eſt, quod ſapientes regant, & minus ſapientes ſubſeruiant. Sicut anima, quæ ratione claret, corpus diſponit & regit, & corpus ei ad vtrumque emolumentum ſubſeruit. Et ideò dicit Seneca 4. de beneficijs. Homini cui non eſt vnguium aut dentium ſeueritas, duas res dedit natura, quibus fecit eum terribilem & validum, ſcilicet rationem & ſocietatem. Per ratio-

1. Poteſtas tẽporalis ad regẽdos ſubditos neceſſaria iure naturæ.

rationem enim præeſt animalibus, & per ſocietatẽ hominibus dominatur. Hæc illę. Ex quo patet, quod rationabiliter & iuſtè homo homini etiam à natura prælatus eſt. Vnde dicit Petrus Rauanenſ. Ad extollenda iuſtorum præmia & reprimendas inſolentias tranſgreſſorum proſpiciẽs de cœlo iuſtitia erexit in populis regnantia ſolia & diuerſorum principum poteſtates. Caruiſſet namque libenter humana conditio iugo dominij, nec libertatẽ à ſe, quam eis natura donauerat, homines abdicaſſent, niſi quod impunita licentia ſcelerum in euidentem perniciem humani generis redundabat, & ſic neceſſitate quadam naturam oportuit ſubeſſe iuſtitiæ.

Lib. 5. ſui epiſt.

Sed diceres, quare angelus non eſt prælatus homini, ſed homo? Ad quod reſpondet idem, non decuit extrinſecus exquiri ſpeciem aliam creaturæ, cui ſe repræſentata per hominem cœleſtis imago ſufficeret, ſed homo prælatus eſt homini, vt gratiorẽ prælaturam efficeret identitas ſpeciei. Hæc ille. Ex quibus verbis ſoluuntur duæ quæſtiones. Prima quare neceſſe fuit inter homines regimẽ regum aut principum introduci, cũ homo naturaliter deſideret libertatem. Et reſpondetur, ideò ne impunita licẽtia ſcelerum iuſtitiam extirparet, & ideò libertatem oportuit ſubeſſe iuſtitiæ. Secũndo, quare nulla creatura alia aſſumpta eſt in regimen hominis? Reſpondeo, quia homo eſt animal ratione, habens in ſe imaginem ſanctæ Trinitatis, & ideò nulli creaturæ debuit ſubijci, corporali vel ſpirituali, quæ imagine tali caret. Hæc Robert. Holc. 18. c. lib. ſapientiæ. ad idem Iſido. l. 4. cap. 9. & 10. *Secundo* iſta poteſtas eſt neceſſaria ex iure ſcripto legis diuinæ. Nam ſicut patet ex decurſu veteris teſtamenti, Dominus pręcepit Ierem. dicens *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna.* Ier. 1. Per quod datur intelligi, quod de iure diuino eſt, vt vnus regnet ſuper alium. Ideò notanter dicit; *Ecce conſtitui te.* Vnde illud Pſal. *Ego autem conſtitutus ſum ab eo*, ſcilicet Deo, *rex ſuper Syon montem ſanctum eius.* Vnde tota lex diuina veteris teſtamenti multa ponit de ſtatu regali, ſicut patet in lib. Deute. & Regum, & in Paralipom. Vnde ſapientia diuina gloriatur de ſe dicens; *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Prouerb. 8. Ecce patet de iure diuino eſſe, quod principes imperant & dominantur.

Poteſtas tẽporalis neceſſaria iure ſcripto.

Tertio hoc idem patet eſſe neceſſarium de iure legis euangelicæ. Nam Dominus & Saluator voluit ſubeſſe regibus & principibus, ſub quibus natus eſt. Vnde in ſignũ huius voluit, vt & parentes eius hora natiuitatis ſuæ ſoluerent cenſum capitalem imperatori Octauiano, vt patet Luc. 2. Et poſtea præcepit Petro, vt ſolueret dydragma pro eo, vt patet Matth. 17. Erat autem conſuetudo cuilibet homini capitaneo domus ſoluere didragma, id eſt, duplex dragma, quod valuit ſex obolos, ſecundum Lyran. Et hoc iuſſit Petro pro ſe & ipſo ſoluere. Hoc etiam voluit hic ſignificare, faciendo reddi cenſum Cæſari. Hoc etiam ſuadet Apoſtolus dicens; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Rom 13. Item Petrus: *Obedite prepoſitis veſtris.* Et iterum: *Obedite ſiue regi tanquam præcellenti, ſiue principibus tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malè factorum, laudem verò bonorum* Ex quibus patet, quod ex voluntate diuini beneplaciti eſt regnare homines. Vnde Apoſtolus Roman 13. arguit formaliter dicens; *Non eſt poteſtas niſi à Deo; quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt.* Et poſt pauca ſubdit; *Non ſine cauſſa rex gladium portat; Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit.* Et poſt pauca: *Reddite ergò omnibus debita; Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Hæc ille. Ecce quomodo Apoſtolus probat principem eſſe vicarium Chriſti. Vnde Policratus li. 4. c. 1. vocat eum in terris diuinitatis imaginem.

Poteſtas neceſſaria eſt iure legis Euangelicæ.

1. Pet. 2.

Secundò, hæc poteſtas eſt congruè inſtituenda. Quandoque inſtituitur diuina prouiſione, vt Samuel & Dauid. *Secund.* prælati electione, ſicut Moyſes elegit Ioſue, Deuteron. 31. Et Samuel vnxit Saul *&* in regem. Per quod ſignificatur, quod ius con-

2. Poteſtas tẽporalis congruè inſtituenda.

1. Reg. 8. & 16.

confirmandi regem vel principem de nouo electum, eſt apud prælatum Eccleſiæ, vt de electione. Venerabilium. *Tertio* inſtituitur generis ſucceſſione, ſicut Salomon poſt Dauid. Denique vnanimi populi electione. Sicut refert Solinus in lib. de mirabilibus mundi, de Thracia quadam prouincia, in qua non propter nobilitatem generis, ſed propter merita bonorum operum eligebantur à populo principes. Sed hoc dicit mirabile, quod ita cuſtodiunt, ne fiat hæreditarium regnum, vt ſi talis exiſtens in principatu filium genuerit, ſtatim eijcitur de principatu. Hæc Solinus.

3. Reg. 1.

3. Qualibus moribus poteſtas instruenda

Tertiò qualibus moribus ſit poteſtas talis inſtruenda. Sunt autem plura concernentia ſtatum principum & præſidentium. Primò, vt ſint erga eccleſiam humiles & deuoti. Ex quo enim omnis poteſtas à Domino Deo eſt, & cum illo ſemper fuit, & eſt ante æuum, meritò princeps debet Deum timere, ne ſi alias fuerit rebellis Deo & Eccleſiæ, poteſtatem mereatur amittere. Nam penes ordinationem Dei eſt auctoritas confirmandi vel minuendi eam, vt dicit Policratus l. 4. c. 1. Neque enim, ſecundum ipſum, potêtis eſt ſæuire, cum vult, in ſubditos, ſed diſpenſationis diuinæ pro beneplacito ſuo punire vel coercere ſubiectos. Hæc ille. Et dixi notanter, quod debet erga eccleſiam eſſe deuotus. Nam vt dicit Policratus lib. 4. c. 3. Princeps eſt ſacerdotij quidam miniſter, & qui ſacrorum officiorum illam partem exercet, quæ ſacerdotij manibus videtur indigna. Vnde, vt hic iam ſubſequitur inferius, timere debent, ne propter inobedientiam ab eccleſia deponantur, à qua gladium ſuſceperunt. Sic Samuel in Saulem ex cauſſa inobedientiæ depoſitionis tulit ſententiam, & in eius locū humilem Dauid ſubrogauit. Secundò debent eſſe caſti & continentes in ſtatu eorum cōiugali. Vnde Deut. 17. dicitur; *Non habebit vxores plurimas.* O ſi prohibetur pluritas legitimarum vxorum, quanto magis concubinarum? Et certè iſte eſt ſæpius in cauſa, quod cum reges vel principes immerguntur fornicationibus, Deus aufert eis legitimam prolem & ſucceſſionem; vel ſi dat, ex tūc dat ſimilem paternis moribus. Vnde patet periculum iſtorum in Salomone, cuius cor mulierum pluralitas infatuauit. Tertiò debent iudicare ſecundum dictamen legis diuinæ, non ſecundum caput proprium, ſicut hodie multi faciunt confingentes quædam ſtatuta diabolica contra legem Dei, contra canones ſanctorum patrum, contra libertatem eccleſiæ permittentes vſuras, obligationes vſurarias, & alia multa illicita. Contra quos dicitur Deut. 17. *Poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi deuteronomium legis huius in volumine.* Et ſequitur: *Accipiat exemplar à ſacerdotibus leuiticæ tribus.* Quod tractās Policratus lib. 4. c. 6. dicit; Rectè quidem omnium legum inanis eſt cenſura, ſi non diuinæ legis imaginem gerat, & inutilis eſt conſtitutio principum, ſi non ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ conformis. Iſtud benè attendebant antiqui principes, qui omninò ſtatuerunt, vt nulla eorum conſtitutio, ſi quæ foret, contra canones eccleſiaſticas in aliquo haberet vigorem. Vnde dicit lex Imperialis in autentico, vt clerici apud proprios Epiſcopos, collat. 6. quod ſacræ leges non dedignantur Sacros canones imitari. Quartò debet eſſe ſeuerus contra malos, ne crimina maneant impunita, iuxta illud Prouerb. 20. *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, intuitu ſuo diſſipat omne malum.* Quintò debet eſſe clemens in bonos. Nullum enim, vt principem, magis clementia decet, vt dicit Seneca. Vnde dicit poeta.

1. Principes ſint in Eccleſiā deuoti.

2. Sint caſti & continentes.

3. Iudicēt ſecundum legē Dei.

4. Sint ſeueri cōtra improbos.

5. Sint clementes in bonos.

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quiq; dolet quotiens cogitur eſſe ferox.

III.

Cæſari. Cæſar à cædendo dictus eſt, vnde officium eius eſt, vt cedat maleficos, iuxta illud; *Maleficos non patiaris viuere ſuper terram.* Cæſari enim incumbit vltio malorum. Nam, vt dicit Policratus, lib. 4. c. 2. In eo princeps perſonam publicam gerit, quod omnium iniurias & damna, ſed & crimina omnia æquitate media perimit. Videat tamen princeps, ne fundendo ſanguinem,

Exod. 22.

guinem, vir ſanguinum ſit, ne incurrat nomen homicidæ vel reatum. Nam vt dicit Auguſt. Dauid vir ſanguinum dictus eſt, non propter bella ſed propter Vriam. Et Samuel nuſquam vir ſãguinum aut homicida ſcribitur, qui tamen Agag regem iniquiſſimum in fruſta concidit. Ex quo infero, quod princeps debet vlciſci mala ſine odio perſonarũ. Nam ſicut lex culpas perſequitur ſine odio perſonarũ, ita & ipſe punit delinquẽtes ſine motu iracundiæ. Vnde etiã ipſe dicitur lictor quaſi legis vltor, eò quod ipſius ſpectat ad officium ferire, quem lex iudicat feriendum. Et ex hoc patet, quod ex quo ipſe eſt legis vltor, ante omnia debet prouidere de legis æquitate, vt habeat legem iuſtam & æquam. Ad hoc autem, vt lex ſit iuſta & vtilis reipublicæ quatuor ſunt neceſſaria ſecũdum Robert. Holcoth. ſuper lib. Sap c 18. Primò enim requirunt leges ſubtilitatem maturæ deliberationis. Vnde Moyſes accepturus legem cum Deo 40. diebus in monte in ieiunio morabatur. Exod. 32 ad ſignificandum deliberationem & ſobrietatem eſſe neceſſariam circa ordinationem legum Leges enim ſunt ſicut medicinæ, vt dicit philoſophus 3. politicorum. Et ideo ſine magna præmeditatione dandæ non ſunt. Hinc Iuſtinianus in prologo inſtitutorum dicit, quod cum ſumma diligentia & vigilijs & virorum prudentum ſolertia leges fecit.

Lex vt iuſta ſit & vtilis reip. 4. requirit.

1. Deliberationem maturam

Sed diceres; quæ eſt legis neceſſitas, vt ſtatuatur à principe? Reſpondeo, quia ad faciendum homines virtuoſos non ſufficit ſolus ſermo perſuaſiuus, ideò lex fuit neceſſaria, quæ ad hoc compelleret, vt dicit Ariſtotel. 3. politicorum. Nec ſolum lex eſt neceſſaria, ſed etiam bona conſuetudo, per quã ipſe appetitus humanus inclinatur ad bonum. Vnde conſuetudo habet violentiam quandam inclinantem ad bonum. Sed quia nec conſuetudo bona poteſt eſſe ſine lege, ideò ſicut lex ſine conſuetudine non eſt perfecta, ita nec conſuetudo ſine lege Nam licet bona conſuetudo inducit quãdam neceſſitatem ad bonum, tamen hæc neceſſitas ſine legibus benè ordinatis non habetur. Sicut autem bona conſuetudo multa bona facit in ciuitate, ita mala conſuetudo multa mala facit Narrat Valerius l. 7. c. 3. in fine, quod Cretenſes, cũ acerbiſſima execratione vti volebant aduerſus eos, quos vehementer oderãt, optabant eis, vt mala conſuetudine delectarentur. Et in hoc, dicit Valerius, licet modeſto voto vterentur, efficaciſſimè tamen ſe vlciſcebantur. Secundò leges requirunt vtilitatem ſecuræ cohabitationis. Hac eſt enim cauſſa finalis legum, vt homines poſſint cohabitare concorditer. Hinc ciuiles leges non poſſunt melius ſeruari, niſi per concordiam ciuium, vnde Ariſtot. 3. politicorum dicit, quod ciuitas eſt communicatio bonarum actionum propter bene viuere. Et 8. Ethicor cap. 1. dicit, quod amicitia maximè videtur continere ciuitates. Vnde Iſidor. 2. ethimolog. ca. 4. definit, quod populus nihil aliud eſt, niſi humanæ multitudinis in vno iuris conſenſu & concordi cõmunione ſocietas. Et Aug. in lib. de verb. Domini ſer. 16 Da vnum multis & populus eſt; tolle vnum & turba eſt Idem etiã l. 2. de ciu. Dei c 21. dicit, quod Scipio vocat populum non omnem cœtum multitudinis, ſed cœtum iuris conſenſu & vtilitatis cõmunione ſociatum. Cõſimilẽ ponit ſententiam 19. de Ciuit. Dei c. 21. Vnde nulla multitudo communitatis poteſt dici populus ſine concordia Et ex hoc conſequenter ſequitur, quod ſine tali concordia nulla res publica patet dici, cum non habeat populum. Vnde patet quod princeps maximè debet vigilare ad hoc, vt concordet in populo diſcordantes, vt dicit Ariſt 8. Ethico. Alioquin res publica eius non durabit. Nam ſicut exemplificat Aug. 2. de Ciu. Dei c. 21 Sicut in cithara harmonia non eſt niſi ex concordia ſonorum, ita in ciuitate ex concordia actionum ſiue morum infimorum, & mediorum Et hæc vnanimitas & dilectio finis eſt, quem lex intendit. Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Et 1. Thimot. 1. *Finis præcepti eſt charitas.* Ex quibus omnibus infero, ꝙ homines magis debent intẽdere cõcordiæ in cõmunitate, quã iuſtitiæ, intelligendo de iuſtitia particulari. Iſtud patet, quia dicit Tullius. Si oẽs eſſent

2. Cohabitationem ſecuram.

Populi definitio.

amici, non indigeremus iuſtitia, ſed quantumcunque eſſemus iuſti, indigeremus amicitia. Et ideò cõcludit Ariſt. 5. & 8. Ethicor. quod amicitia continet & conſeruat ciuitates & leges. Et per conſequens eſt magis neceſſaria quam iuſtitia. Hæc ille. Tertiò requirunt leges ſtabilitatem durationis, hoc eſt, vt non frequenter mutentur per nouas leges, niſi ex maximis & vtiliſſimis cauſſis. Vnde pro modica vtilitate, quę poſſet prouenire ex lege vel ſtatuto, nõ debet mutari lex antiqua ſiue antiquum ſtatutum. Diſputat Ariſt. 2. politic. Vtrum liceat mutare leges antiquas. Et reſpondet ꝙ non, quia hoc eſt debilitare legis virtutem, & aſſueſcere homines ad paruipendendũ, & non curandum leges principum. Hinc dicit ipſe, quod qui freqũẽter leges mutãt, plus nocent quam proficiunt. Si vero aliquæ leges continerẽt manifeſtam perniciẽ ciuitatis, de maturo conſilio poſſent mutari. Sicut eſt lex apud quoſdã gentiles, quod vxores poſſunt vendi pro ferro. Et dicit Valerius lib. 2. de inſtitutis Marſilienſ. quod in eorum ciuitate ſeruabatur gladius, quo noxij iugulabantur, ita rubiginoſus, quod vix ad hoc miniſterium ſufficiebat. Et lex Moyſi data eſt in tabulis lapideis. Lex verò Romanorum in duodecim tabulis eburneis ſcripta erat, vt refert Trogus Pompeius li 3. de Lycurgo. Quæ omnia ſignificabant legis durationem & ſtabilitatem perpetuam. Quarto leges requirunt æqualitatem diſtributionis & menſuræ, vt videlicet omnib⁹ æqualiter ſint cõmunes, qui ſunt eiuſdem conditionis, vt quod vni licet, omnibus liceat; quod vni eſt interdĩctum, omnibus ſit illicitum eiuſdem conditionis. Et ideò, qui cõſtituunt ciuitatem ex inæqualibus perſonis, neceſſario deſtruunt ordinem & pulchritudinem reipublicæ, quæ ſtat in diuerſorum graduum conuenienti proportione. Hinc Auguſt. dicit, quod pax omnium rerum eſt tranquillitas ordinis. Ordo verò eſt parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. Et per conſequens, vbi eſt omnimoda diſparitas, ibi nullus eſt ordo. Iſta ergo princeps & rector debet attendere, ſi vult dignè præſidere, & debitè regere populum ſibi ſubiectum, cum quo ſimul coronam poſſit conſequi ſempiternam. Ad quam nos perducat Pater, & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DOMINICA VICESIMA QVARTA POST TRINITATEM.

SERMO I.

Ecce princeps vnus acceſsit ad Ieſum, & adorabat eum dicens; Domine filia mea modo defuncta eſt. Matth. 9.

PECCATVM hominis inquit Iſidorus, eſt quaſi quoddam vinculum & quaſi quędam cathena, qua peccator tenetur cõſtrictus, ita vt ab ea nequaquã euelli valeat, niſi diuina gratia manum iacentis apprehendat. Hæc ille. Ex quibus verbis patet, quod homo per ſe poteſt cadere in peccatum, ſed per ſe non poteſt reſurgere. iuxta illud prophetæ Oſeæ 13. *Perditio tua ex te eſt Iſrael, tantummodo auxilium tuum ex me.* Vnde quia peccator ex ſe non meretur accedere ad Deum pro impetranda ſibi gratia,

gratia, qua remitterentur ei peccata, neceſſe eſt, vt ab alio iuuetur, qui eſt in gratia. De quo ſub figura dicitur in lib.3.Regum 13 vbi Ieroboam, cui manus aruerat, petiuit per prophetam dicens; *Depracare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi.* Sic ad petitioné reguli ſanatur filius eius à febre. Ioan.4. Et ad fidem aliorum ſanatur paralyticus; Sic ad petitionem Centurionis curatur ſeruus. Matt.8. Et ad fletus & ad lacrymas viduæ ſuſcitatur filius. Luc.7. In quibus omnibus oſtenditur, quod ad curationem peccatorum neceſſaria eſt interceſſio Eccleſiæ militantis, vt dicit Ambr. Niſi vnitas Eccleſiæ ſuccurrat, niſi quod deeſt peccatori, ſua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. In ſignum ergo huius iſte princeps acceſſit ad Ieſum pro reſuſcitatione filiæ ſuæ, ſicut verba thematis præſentis dicunt; In illo tempore. *Ecce princeps acceſſit ad Ieſum, & rogabat eũ dicés: Domine filia mea &c.* In quibus verbis tria tanguntur. *Primo* namque deſcribitur principis huius deuota ſuſcitationis poſtulatio, cum dicitur, *Acceſſit & adorabat.* *Secundo* oſtenditur filiæ corporalis recens mortificatio, quia filia mea modo defuncta eſt *Tertio* deſcribitur ſaluatoris, quem princeps poſtulabat, miſeratio, cum dicitur, *ad Ieſum.*

Matth.9.

Propoſit.

I.

Acceſſit & adorabat. Jſte princeps multum ſe reuerenter ad Chriſtum habuit, ideò vitam filiæ impetrauit. Nam non per nuncios, non per litteras, ſed per ſe acceſſit, & accedens adorabat. Quæ duo multum valent ad impetrationem curationis ſpiritualis animæ. Pro quo ſciendum, quod homo per peccatum recedit longè à Deo, & accepta portione bonorum naturalium & gratuitorum conſumit eam cum dæmonibus, vt dicitur de filio prodigo Luc.15. Ideo ſi impetrare debet ſalutem, debet ipſe appropinquare & accedere ad Deum per humilitatem, & cordis deuotioné. Circa quod tria ſunt conſideranda; *Primo* qualiter peccator à Deo recedit. 2. qualiter accedit. 3. qualiter adorat ipſe vel alij pro eo, Quãtũ ad primum, ſciendum quod peccator ſeptem modis recedat à Deo. *Primo* per gulã, ſicut primus noſter parens, & filij eius poſtea. Quod fit cum per gulã bonis temporalibus abutitur, de quo dicitur; *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* O quam multi hodie iſto vitio laborantes recedunt à Deo! Hi nimirum, qui in tabernis quotidiè vorant & bibunt, quorum venter Deus eſt, & gloria eorum in confuſionem ipſorum *Secundo* recedit à Deo peccator per luxuriam, ſicut filius prodigus Luc.15. Qui recedens à patre cõſumpſit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè, & adhæſit vni ciuium, & pauit porcos. Sic luxurioſi exponunt bona, corpus, & animam, opes & famam perdunt, & patriã ſuam cœleſtem. Sed taliter recedentibus dicitur. Iere.17. *Maledictus homo qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* *Tertio* recedit per auaritiam, ſic Eſau à Iacob Gen.36. Abijt Eſau in alteram regionem, receſſitque à fratre ſuo Iacob. Diuites enim erãt valdè & ſimiliter habitare non poterãt, nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorum pre multitudine gregum. Sicut enim aues prædatoriæ nunquam ſimul congregantur, ſed magis foliuagæ ſunt; Ita nec diuites ſeſe cõpatiuntur, nec intra ſe contractus faciunt, ſed eorum cogitationes, contractus, & fraudes conuertuntur in pauperes. Sap.3. *Impij autem ſecundum quæ cogitauerunt correptionem habebunt, qui neglexerunt iuſtum & à Domino receſſerunt.* Fraudes enim machinantur in corde, iuſtitiam negligunt in opere, & à Domino recedunt non compatientes ei in paupere. *Quarto* recedit homo à Deo per iram, ſicut Cain Sap.10 *A ſapientia receſſit impius in ira ſua.* Iſti ſunt ſicut animalia ſilueſtria, quæ cum receſſerint ab hominibus, mutantur in brutalem ferocitatem. Ita iracundi, cum recedunt à fraterna caritate per odium, mutantur in beſtias per crudelitatem. Vnde Seneca; Ferina rabies eſt ſanguine & vulnere lætari, & à vero homine in animal tranſire ſilueſtre. *Quinto* receditur à Deo per inuidiam, ſicut Saul. 1. Reg. 16. *Spiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam.* Nunquam enim Deus recedit ab homine,

Peccator 7. modis à Deo recedit.

1

Deut.32.

2.

3.

4.

Seneca.

5.

niſi ipſe prius recedat à Deo. Spiritus nequam diabolus eſt, qui tentat per inuidiā, vnde maximè habet diabolus poteſtatem ſuper inuidos, quia inuidia proprium eſt vitium diaboli Sap. 1. *Per inuidiam diaboli mors intrauit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui ex parte illius ſunt.* Eſt autem peſſima conſuetudo huius receſſus; quia inuidus nunquam habet recedendi ab alio per inuidiam aliquam iuſtam rationē, ſed inuenit ſibi occaſionem. Vnde Prou. 18. dicitur; *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Sic fecit Saul [illegible] *dederunt*
1.Reg. 18. 6. *mille, & Dauid decem milia.* *Sexto* recedit a Deo per acediam, quia tædium eſt & anxietas cordis, cum animus remittitur à feruore ſpirituali, credens nihil proficere in pœnitentia, dolet ſe deſtitutum gratia, incertus eſt de ſtatu ſuo, incertus eſt de perſeuerantia & præmio. Sic receſſerunt filij Iſrael in deſerto. Et dicitur de illis, quod ad tem-
Luc. 8. 7. pus credunt, ſed tempore tentationis recedunt. *Septimo* recedit homo à Deo per ſuperbiam, ſicut Dathan & Abiron receſſerūt
Num. 16. a Moyſe. *Initium ſuperbiæ hominis eſt apo-*
Eccl. 10. *ſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor eius.* Ecce quam damnabilis eſt iſte ſeptuplex receſſus peccatorum à Deo. Sed quia Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat; vult, vt accedamus ad ſe, ſicut hortatur Pſal. 33. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Iſte autem acceſſus non eſt corporalis, ſed mentalis; Non fit per greſſum pedum, ſed affectuum bonorum, vt dicit Iſid. li. 2. de ſum. bon. ca. 14. Et quia, ſecundum Innoc. quantum acceſ-
Gradus ad Deum accedētis. ſus non fit vno paſſu ſed pluribus, ideo accedentem ad Deum ſpiritualiter, oportet plures habere gradus. *Primus* eſt doctrina fidei & humilitas. *Secundus* fides. Hebr. 10. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* ſcilicet omnium credendorum. Item Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere* Gorra. Accedere volentem ad Deum, paſſibus mentis non corporis, credere oportet inquam, quia omnium eſt creator, & quia ſit remunerator inquirentibus ſe. *Tertius* gradus eſt dilectio crediti, quia caritas Dei dat eſſe, vt forma. *Quartus* gradus eſt conformitas operis. Quia dicit Auguſt. Non locis, ſed meritis accedamus ad Deum. *Quintus* gradus eſt perſeuerantia Matthęi 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* *Sextus* diſſolutio corporis & animæ. Hi ſunt ſex gradus, per quos acceditur ad thronum Salomonis. 3. Reg. 10. Accedite ergo ad eum. Sed ne fruſtra credat ſe quis accedere, ſtatim ſubdit; *Et illuminamini.* Eccl. 4. *Appropinqua, vt audias.* Et hoc eſt illuminari ab eo, quia *ipſe eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. Qui ergo ad eum accedit illuminatur, & qui propius accedit, magis illuminatur. Vnde & Ioann. qui ſupra pectus Domini recubuit, & familiarius ei adhæſit, præ alijs illuminatus, de eius diuinitate altius diſſeruit. Vnde per aquilam deſignatur, quæ alijs ſupraponitur. Ezech. 1. *Facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Deut. 33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius.* In ſignum huius congruè iſte princeps, qui ad eum acceſſit, dicitur Iairus, qui interpretatur illuminatus, ad ſignificandum, quod qui ad Chriſtum accedit; neceſſario illuminabitur luce gratiæ. Sed quia quis poſſet terreri accedendo ad tantum Dominum, & præſertim grauatus onere peccatorum, ideo Pſalm. dat confidentiam dicens; *Et facies veſtræ non confundentur.* quaſi dicat ſecundum Innoc. Accedite ſecuri, & Dominus vos non repellet. Pſal. 94. *Quia ipſe non repellet plebem ſuam.* Confuſio eſt enim alicui, quando accedit ad aliquem magnum, & turpiter ab eo repellitur, ſed hoc non facit Dominus, qui recipit hic libenter ſuos in gratia, & in futuro in gloria, qui ad eum fideliter acceſſerint. Vnde dicit Auguſtin. Proijce te in Deum; Non enim crudelis eſt, vt ſe ſubtrahat & te cadere permittat. Et hoc eſt quod dicitur; Facies veſtræ non cōfundentur, quando accipiet Deus vos hic in gratia & in futuro in gloria. Ioan. 5. *Et eum, qui venit ad me, non eyciam foras* Iſa. 50. *Scio quoniam non confundar.* Et quia pecca- Ioan. 6.
tor quamdiu eſt in culpa, non eſt dignus per ſe accedere ad Deum, eo quod peccatores Deus non exaudit, ſcilicet quantum ad deſiderium peccati; ideo prælati eorum

debent

debent pro eis accedere & interpellare pro remiſſione culpæ eorum In figura huius iſte princeps hic acceſſit ad Chriſtum pro impetranda vita filiæ, qui accedens ad Chriſtum humiliter, adorauit deuotè & fideliter. Vnde per orationem impetrauit ſuſcitationem. In quo oſtenditur magna eſſe efficacia orationis prælatorum, qui dum in forma Eccleſiæ & eius perſona orant Deum, impoſſibile eſt, vt pro peccatoribus non exaudiantur. Vnde dicit Ambroſius de pœnitentia. Multorum, ſcilicet prælatorum, impoſſibile eſt præces contemni. Sed terribile eſt quod Gregor. de prælato dicit; Cum is, inquit, qui diſplicet ad intercedendum, mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Talis ergo ſecundum ipſum, requirendus eſt ad orandum, qui ſit idoneus ad placandum. Iſtud deberent ponderare, qui indignos prælatos ſcienter eligunt, præſentant, inſtituunt ad curam animarum, & cætera beneficia, quos eo ipſo, quod eos ſic præſentant, eligunt, vel inſtituunt, ad Deum pro interceſſione ſuorum delictorum quaſi quoſdam inimicos mittunt, quo fit, vt Deum magis per eos prouocent ad iracundiam quam flectant ad veniam. Ideò prouideant tales cum diligenti examinatione, & matura deliberatione peritorum, cum ſe tempus offert, de perſonis idoneis, quas præſentent, eligant, vel inſtituant. Prouerb. 26. *Sicut enim, qui mittit lapidem in acervum mercurij, ſic qui tribuit ſtulto honorem.* quaſi dicat. Sicut mercator, qui dicitur mercurius, ab illo Deo, qui præeſt mercibus, quando computat faciendo rationem & ponendo nũ cumulum de numeris, ſi immittat in illum cumulum lapidem, omnem rationem diſſipat, ita ille qui præfert indignum prælatum, omnem cumulum ſanctitatis & bonitatis in plebe diſſipat.

I I.

Anima eſt filia. *Filia mea modo defuncta eſt.* Iſta filia ſignificat animam cuiuslibet Chriſtiani, quæ habet patrem cœleſtem Deum, ad quem clamamus, *Abba pater.* Gal. 4. Et cui dicimus quotidiè; *Pater noſter, qui es in cœlis.* Matth. 6. Habet & patrem ſpiritualem terreſtrem, cui cura de ipſa commiſſa eſt, ſcilicet prælatum. Luc. 10. *Curam illius habe.* Sed iſta filia moritur, quando perdit vitam gratiæ, ſcilicet Deum, *in quo viuimus, mouemur, & ſumus.* *Act. 17.* Notum eſt, quod homo conſtat ex corpore & anima; Caro autem viuit ab anima; Vita vero animæ Deus eſt. Sicut ergo fugiente anima à corpore ſoluitur corpus, ita deſerente Deo animam, perit vita animæ. Sicut enim corpori viuere eſt vegetari, & moueri ab anima, & diſpoſitione eius motibus animę acquieſcere, & quadam obediendi neceſſitate concordare; Sic & anima ex eo viuit, quod ſuo modo vegetatur & mouetur verè à Deo, & hoc ſi ei ſubiecta deuotione obtemperat, & in omnibus acquieſcit. *Anima vita Deus eſt.* Quod ſi non acquieſcit, etiam non viuit. Nam ſicut corpus, qua parte ſui non mouetur ab anima, in ea torporem mortis incurrit, dum ergo totum viuit, ad eam totum diſponitur, quę ſe per partes diffundit, partibus ſed tota eſt & operat in vniuerſis & ſingulis. Sic & Deus animam perfectè viuentem totam occupat, totam poſſidet, regit, & figitur in tota, nullus ei angulus exceptus eſt. Quomodo autem Deus inhabitat partes animæ, ſcilicet intellectum & voluntatem, oſtendit idem, dicens: Cum intellectus Deum, qui ſumme bonus eſt, ſui acumine viſus, quantum valet, apprahendit, & bonum, quod ille videt, incorrupta voluntas appetit, & ratio ne declinet ad dexteram vel ad ſiniſtram, viam aperit, tunc dicitur perfectè Deus inhabitare in anima. Ex quo dicto ego infero duo; *Primo*, quod licet Deus implet omnem creaturam, quia per ipſum omnia facta ſunt, & in ipſo omnia viuunt & ſubſiſtunt, quia ſine eo nulla eſt ſubſiſtẽtia creaturæ, tamen ipſe eſt ſpecialiter in anima, & ſpecialis vita animæ rationalis. In cæteris enim creaturis eſt per naturam, ſed ſolam rationalem inhabitat per gratiam. Quomodo autem anima priuatur iſta vita gratiæ, reſtat breuiter videre. *Anima quomodo vita gratia priuatur.* Progreſſus ſiquidem mortis animæ eſt ad ſimilitudinem mortis corporalis. *Primo* enim incipit infirmari; *Secundo* febricitare. *Tertio* agonizare. *Quarto* mori. *Quinto* inuolui

ſcis.

ſeu velari *Sexto* exportari. *Septimo* tumu-
1. lari.Poſtquam igitur primus homo pecca-
uit,grauem languorem incidit, qui prius
ſanus fuit,ita vt omnibus membris debitè
vteretur.In anima enim noſtra ſunt mem-
bra ſpiritualia.Vt caput eſt mens reſpectu
corporis peccati;Crines cogitationes, qui
iam albi,iam nigri ſunt, & fluunt ſæpè de
capite noſtro;Oculi ſunt intellectus & af-
fectus;Nares diſcretio; Aures intelligen-
tia; Quæ omnia ex primo peccato cœpe-
runt infirmari,nec aliquod ſtat in ſanitate,
cum omnia iſta non ſunt in Deo totaliter
defixa. Ideo Iſaias conquæritur de capite,
dicens;*Omne caput languidum, & omne cor*
mœrens. A planta pedis vſque ad verticem nõ
Iſa.1. *eſt in eo ſanitas.* Et alter clamat; *Caput meũ*
4.Reg 4. *doleo, caput meum doleo.* Hinc iterum alius
clamat. Thren. 3. *Oculus meus deprædatus*
*eſt animam meam.*Item alter clamat contra
dolorem aurium Ierem.6.*Cui loquar,& quẽ*
conteſtabor,vt audiat. Ecce incircumciſa ſunt
aures eorum,& audire non poſſunt. Item al-
Ierem. 4. ter clamat contra dolorem ventris. *Ventrẽ*
*meum, ventrem meum doleo.*Sic & aliorum
manus plenæ ſunt ſanguine, & cor eorum
vanum, & veloces pedes ad effundendum
ſanguinem. Ideo Dauid pro omnibus di-
cit;*Miſerere mei Domine, quoniam infirmus*
*ſum.*Et licet peccatum originale, propter
quod iſta patimur, ſublatum eſt per bap-
tiſmum,tamen reliquiæ ipſius manent, vt
videntes tot mala prodijſſe ex primo pec-
2. cato,ipſum diligentius caueamus. *Secundo*
oportet morientem febricitare. Nullus ex
prædicta infirmitate moritur, niſi eadem
infirmitas amplius inualeſcat. Quod fit,
cum ex praua cogitatione totum corpus
incenditur ad delectationem, licet nondũ
3. conſentit. *Tertio* oportet eum agonizare,
id eſt,rationẽ cum ſenſualitate pugnam &
luctum habere,importunitate tentationũ
bellante,& iam rationem vincere,iam vin-
ci,ex qua lucta fit proceſſus ad mortem
criminalem, ſi contigerit rationem ſuccũ-
4. bere.*Quarto* inualeſcente ægritudine, im-
portunitate impugnationis victus dat ma-
nus hoſtibus, vt conſentiat in peccatum,
& ex hoc ſtatim exalat ſpiritum & mori-
tur. Quod fit quando conſenſum præbue-
rit peccato. Sic enim ſtatim vita Chriſtus
euolat, & relinquit animam mortuam.
Hinc dicitur Leuit. 20. *Si quis dederit de ſe-*
mine ſuo idolo Moloch, morte moriatur, id
eſt, ſi dederit anima conſenſum peccato.
Figura.Holofernes dixit eunucho. Vade & Iudith.12.
ſuade Hebræam illam,vt ſpontè conſenti-
at habitare mecum. Holofernes interpre-
tatur diſſenſio,& ſignificat diabolum, qui
mittit eunuchum,id eſt,carnalem delecta-
tionem ſeu voluptatem nondum opere
perpetratam ad Hebræam,id eſt,animam,
vt ſpontè conſentiat habitare cum ea. Cõ-
tentus enim eſt diabolus, vt anima ſolum
conſentiat in peccatum,id eſt, peccet ſolo
conſenſu.Hinc Tob.*Caue,ne vnquam con-* Tob. 4.
ſentias peccato Quinto mortuus pannis in- 5.
uoluitur;quamprimum enim quis in pec-
catum conſentit; ſtatim occultat ea quæ
diſponunt ad hoc,vt nulli pãdantur. Quod
ſi perpetrauerit,eo amplius velat & inuol-
uit. Sicut Adam; *Audiui Domine vocem* Gen.3.
tuam & timui. Et ſtatim occultando ſeu
excuſando peccatum dixit; *Mulier, quam*
dediſti mihi ſociam,dedit mihi & comedi. E-
ua vero dixit;*ſerpens decepit me.* Sic Dauid
miſit occultè pro Berſabee,vnde ei dictum
eſt:*Tu feciſti occulte, ego autem faciam ver-*
bum iſtud in conſpectu omnis Iſrael,& in con- 6.
ſpectu ſolis huius.Sexto effertur, quãdo pec-
catis crebrius repetitis,audacter peccat in
aperto,nihil erubeſcens, ſed magis glori-
ans in malitia.Prouerb. 1. *Lætantur cũ malè* Ierem.3.
fecerint. Frons mulieris meretricis facta eſt ti- 7.
bi,noluiſti erubeſcere.Septimo tumulatur, cũ
longa conſuetudo & malitia peccandi trã-
ſit in habitum,ita vt etiam peccare deſide-
ret,cum nullum habeat incentiuum, eti-
am cum omnia impugnantia quieſcunt.
Affectus enim volendi in talibus nunquã
quieſcit. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eo-* pſal.72.
rum,tranſierunt in affectum cordis. Quod
improperat Dominus animæ; Ezech. 16.
Nec facta es quaſi meretrix faſtidioſa augens
pretium,ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper
virum ſuum inducit alienos. Oportet ergo
tranſire animam per has alterationes pec-
catorum,donec vltimo venerit in ſeptimũ,
à quo difficulter cõuertetur,ſcilicet à con-
ſuetudine peccati. Et hæc omnia colligun-

tur

tur & reducuntur in tria genera mortuorũ. *Primò* enim aliquis moritur per occultam conſenſus inclinationem; *Secundò* per apertam operationem; *Tertiò* per continuam & intrepidam aſſuefactionem. Hi tres figurantur per tres mortuos, quos Chriſtus ſuſcitauit, puellam, adoleſcentem, & Lazarum. Puella in domo mortua ſignificat peccatorem per conſenſum tantum, licet nondum per opus. Adoleſcens delatus extra portam ſignificat peccatorem per opus apertum. Lazarus quatriduanus peccator aſſuetus, qui fœtet etiam apud longinquos. Et tantum de ſecundo.

Ad Ieſum. Chriſtum dupliciter vocat, ſcilicet Ieſum; *Acceſſit ad Ieſum*, & Dominum, cum dicit; *Domine filia mea &c.* Hæc duo mouebant Chriſtum ad miſerandum huic principi ſuper mortem filiæ, vt eam ſuſcitaret. Quia enim Ieſus ideò Saluator. Matth. 1. *Vocabis nomen eius Ieſus*, quod interpretatur Saluator; *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Et quia Dominus, ideò omnipotens, & ex hoc debet miſereri Sap. 11. *Miſereris omnium, quia omnia potes.* Circa huius puellæ reſuſcitationem igitur eſt videndum, quomodo Chriſtus ſuſcitat animam peccatricem. Tanguntur autem hic ſex neceſſaria ad reſuſcitationem ſpiritualem. *Ad ſpiritualem animæ reſuſcitationem 6. neceſſaria* *Primò* deuota oratio, quod notatur in hoc, quod pater orauit pro ea. *Oratio fidei*, id eſt, fideliter facta, *ſaluabit infirmum* 1. *Secundò* tibicinum excluſio; per quod deſignatur voluptatum, & malæ ſocietatis, 2. & adulatorum, & aliorum, quæ hominem fouent in peccato expulſio. Vnde Eccleſ. Eccleſ. 5. *Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eò quod Deus occupet delitijs cor eius.* 3. *Tertiò* turbæ, id eſt, cogitationum malarum expulſio. Cogitationes enim circumdantes mentem non permittunt intrare ad Chriſtum. Vnde in libro Eſdræ dicitur; I. Eſd. 3. *Populus terræ impediebat populum Iuda ab ædificatione templi* Vnde turba retardauit ſanitatem Ioan. 5. languido ante piſcinam. Item increpauit Luc. 18. cœcum vt taceret. Item paralyticum excluſit de domo. Matth. 9. Item compreſſit Ieſum, & deriſit eum, vt hic patet. Luc. 8. Item impediuit Zachæum, ne videret Ieſum. Luc. 19. Et hic impediuit Chriſtum, ne ſuſcitaret filiam principis. Per quæ omnia ſignificatur, quod importunitas malarum cogitationum impedit ſalutis noſtræ profectum. *Quartò* Petri Ioannis & Iacobi aduocatio. 4. Per Ioannem ſignificatur gratia, quæ datur homini in cõtritione. Per Petrum cognitio peccati in confeſſione. Per Iacobum luctatio in ſatiſfactione. Hi tres tantum diſcipuli familiarius Chriſto leguntur adfuiſſe in transfiguratione, vbi Dominus oſtendit gloriam futuræ reſurrectionis in ſuo corpore. Per quod ſignificatur, quod qui habuerit contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem peccatorum, peruenire merebitur ad gloriam reſurrectionis ſanctorum, iuxta illud Apoſtoli; *Si compatimur & conregnabimus, & ſi fuerimus ſocij paſſionum, erimus & conſolationum* *Quintò* requiritur patris & matris, 5. tanquam notorum coaſſumptio, id eſt, infirmitatis retroactæ cognitio. Poſtquam enim redit ad ſe poſt perpetrationẽ culpæ, ſtatim intelligit fragilitatem infirmitatis humanæ in ſe. Vnde Petrus, qui de ſe prius præſumebat, antequam ei propria Matt. 26. fragilitas innoteſceret, mox vt cecidit, reuerſus eſt ad ſe, & fleuit amare. Hinc Ierem. *Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, & egi pœnitentiam.* Ierem. 31. Ex quo patet, quod cognitio ſui multũ valet ad contritionem. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Iob 17. Iſtam cognitionem Policratus dicit primam contemplationem cuiuslibet hominis ſapientiam affectantis, Lib. 3. c. 2. id eſt, ſapienter & diſcretè pœnitentiam volentis, vt videlicet conſideret, quid ipſe ſit, quid intra ſe, quid extra ſe, quid infra, quid ſupra, quid contra, quid ante, quid poſt. Hæc ille. Conſideret ergò homo quid ipſe ſit, quia creatura fragilis in corpore, eò ꝗ homo natus de muliere breui viuens tempore; & homo de humo; limus de limo; quia Geneſ. 3. terra eſt & in terram reuertetur. In anima Geneſ. 2. verò eſt nobilis creatura ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta. Quid intra ſe habeat, quia non aurum, non gemmas, ſed fimũ, cum corpus eius non ſit niſi vas ſtercorum, ſecundum Innoc. quartum. De vilit. humanæ conditionis. Quid extra ipſum, quia mundus cum ſuis delectationibus, proximus cum ſuis neceſſitatibus & indigentijs. Conſiderat quid ſupra, quia Deus cum cœleſtibus præmijs, Angeli cũ ſuis gaudijs, cœlum & ſidera cum ſuis ſplẽ-

doribus. Conſideret quid infra, quia infernus cum ſuis ſupplicijs. Conſideret quid contra, quia dæmō cum ſuis aſturijs. Quid ante, quia mors cum ſuis ſtimulis. Quid poſt, corruptio & putredo cum ſuis flagitiis. Hoc eſt ergo cognoſcere ſeipſum & vocare ad ſuſcitationem animæ humanæ parentes ſuos. Pater hominis Deus eſt; Mater eſt terra. Conſanguinei alia omnia, vt Angeli & proximi cæterique iuxta hominem. Pater nobilis eſt, & ideò timeamus eum offendere. Mater vilis & ignobilis, & ideò timeamus cor noſtrum extollere per ſuperbiam. Conſanguinei nobiles, & ideò honorandi, diligendi, & amicabiliter ac gratioſè tractandi. Et certè, qui hoc non nouerit, non nouit ſeipſum; & qui ſeipſum ignorat, quid vtiliter nouit? Vnde & Apollo idolū fertur pro ſumma ſapientia dediſſe reſponſum homini, cognoſce teipſum. Hinc Ethicus dicit;

Diſcite & miſeri cauſas cognoſcere rerum:
Ordo quis datus aut mente quam mobilis fluxus.
Quid ſumus aut quid nam victuri gignimur. & vnde.

Hæc ille. Et talis cognitio, ſecundum Policratum, quadruplicem homini fructum affert; ſcilicet ſui vilitatem, charitatem proximi, contemptum mundi, & amorem Dei. Non enim ſuperbit, qui paruulus eſt in oculis ſuis, ſed potius dicit; *Humiliatus ſum vſq; quaq;, viuifica me ſecundum eloquium tuum.* (*Pſal. 118.*) *Sexto* requirit manus puellæ tentio (6.) & Chriſti vociferatio dicentis, *ſurge.* Manū tenet Chriſtus, quando hominem in bono opere conſeruat. Quod fit dupliciter, vel per amorem, vel per timorem.

Manum Chriſtus dupliciter tenet. 1. Per amorem. 2. Per timorem.

Per amorē quidem, quando inſpirat dulcedinem cœleſtium, quarum ſpe delectata anima operatur bona. Et iſta eſt manus Domini dextra. Per timorem autē tenet manum, quando horrore pœnarum infernalium abſtrahitur, ne faciat de cætero illicita. Et iſta eſt ſiniſtra, de qua dicitur in Pſal. *Etenim illuc manus tua*, ſcilicet ſiniſtra, *deducet me.* ſcil. ne faciam mala, *& tenebit me dextera tua.* vt faciam bona. (*Pſal. 138.*) Tunc anima poterit dicere; *Anima mea in manibus meis ſemper*, imo in manib: potius Dei. (*Ibidem.*) Vociferatio vero Chriſti, qua dixit puellæ, ſurge, ſignificat neceſſariam eſſe verbi Dei auditionem; per quā peccator inſtruitur de cætero vitare mala. iuxta illud; *Domine audiui auditum tuum & timui.* (*Abac 3.*) Verbum enim Dei ſanat omnes languores noſtros. *Omnipotens ſermo tuus Domine qui ſanat omnia.* (*Sap. 16.*) Ideo fratres libenter verbum Dei audiamus, vt à morte culpæ reſurgamus, & ad patriam cœleſtem perueniamus. Ad quam nos perducat Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

Amen.

DOMINICA XXIV. POST TRINITATIS. SERMO II.

Confide filia fides tua te ſaluam fecit. Matth. 9.

Qvamuis omno meritum ſalutis noſtræ penes gratiam diuinam conſiſtat, velut circa cauſam efficiētē, vt dicitur in lib. de regulis fidei. Quod etiam Apoſt. confitetur dicens, *Gratia Dei vita æterna.* Et iterū; *Gratia ſaluati eſtis, & non ex operibus.* Et iterum; *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* (*Rom. 6. Epheſ. 2. Tit. 3.*)

Liberum arbitriū ad remiſſionem peccatorū accipiendam neceſſarium.

Nihilominus tamen ad remiſſionem peccatorum & meritum ſalutis humanę requiritur liberum arbitrium, eo quod dicit Aug. qui creauit te ſine te, non vult te ſaluare ſine te. Vnde etſi meritum ſalutis humanæ conſiſtat penes gratiam efficaciter, tamen penes liberum arbitrium conſiſtit occaſionaliter. Vnde quamuis Apoſt. dixerit. *Non eſt volentis*, ſcil. velle, *neq; currentis*, ſcil. currere per ſe & ex ſe meritoriè, eo ꝙ *Deus operatur in nobis velle & perficere*, tamē ita operatur in homine per gratiam, vt nullam (*Rom. 9. Philip. 2.*)

lam

Iam vim ſeu violentiam inferat libero arbitrio. Licet namq; liberum arbitrium hominis poſsit inflectere ad bonum, ſicut patet in Paulo, quem proſtrauit in via, non tamē poteſt compellere abſolutè. Ideo dicit Eccl. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Glo. id eſt, in libertate proprij arbitrij. Ex quibus infero, quod licet ad remiſsionem peccatorum requiritur gratia animam excitans, & adiuuans, & confortans, eò quod dicit Aug. Gratia præuenit hominis voluntatem, vt velit bonum, ſubſequitur ne fruſtra velit, quaſi dicat, non poteſt eſſe anima grata ſine gratia; nihilominus tamen ſtatim requiritur liberum arbitrium ad hoc conſentiēs, & quod in ſe eſt faciens. Nam Dominus ſecundum communem legem nulli dat gratiam niſi volenti & conſentienti, & quod in ſe eſt facienti. Sicut enim videmus, quia nūquam medicus dat medicinam purgatiuā ſeu expulſiuā, niſi prius diſponat, & præparet materiam, & Deus nunquam infundit corpori animā, niſi benè organizato. Iſtud ergo volens Saluator oſtendere, quod nullum ſaluat niſi volentem & conſentientem per liberum arbitrium, ſanaturus mulierē Hemorroiſſam, quæ ſignificat animā peccatoris ſanguine fluentem, vt eam gratiæ ſalutaris reddat capacem & aptam, primo hortatur eam ad præparandum liberum arbitrium, vt confidat in eum, tanquam in ſalutis auctorem, à quo eſt omnis ſalus, & qui adiuuat liberum arbitrium hominis ad accipiendam & conſeruandam gratiam, vt dicit Anſelmus. Vnde excitando eam ad ſuſcipiendum gratiam præparat eius animū di. *Confide filia &c.* In quibus verbis tria tāguntur. *Primo* Saluator excitando animam ad diuinā clementiā erigit eam per ſpē, cum dicit; *Confide filia. Secundo* recommendando eius beneuolētiam laudat eam per fidē, cum dicit; *Fides tua. Tertio* annunciando magnam ſibi factā gratiam conſolatur per vitā ſpiritualem, cum addit; *te ſaluam fecit.*

Act. 9. *Eccl. 15.* *Lib. de li. arbit. c. 3. Propoſit.*

Confide filia. Ac ſi diceretur animæ fideli per Chriſtum curandæ, prius oportet te ſperare veniam poſſe conſequi, & tunc me decebit gratiam & veniam conferre. In me enim debet eſſe omnis ſpes vitæ æternæ & virtutis gratiæ. Non ergo confidendū eſt tibi in aliquo bono creato, aut temporali, aut caduco, non in naturali, non in fortuito, ſed tantum in me, quia omnia præter me te ſaluare non poſſunt. Vnde cum omnia exhauſerit anima, quæ habet in curationem ſui, nihil proficiet niſi ad Chriſtū recurrat. Sicut patet in muliere, quæ multum conſumpſerat in cura ſui, nec tamen profecit, niſi cum ad Chriſtum acceſsit, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati & liberati ſumus, & ideo in ipſo ſuper omnia eſt confidendum. Sciendū quod homines ponunt confidentiam diuerſimodè in diuerſis. Quidam enim ponunt eam in bonis naturalibus, quidam in fortuitis, & quidam in gratuitis. primi qui ponunt eam in bonis naturalibus, ſunt illi, qui ponunt totam ſuam delectationem in potentia, ſapientia, & pulchritudine, quæ ſunt bona naturalia. Sed iſta confidentia eſt omnino friuola, inutilis, infructuoſa & vana. De potentia patet. Nam quidam ſunt per ſe potentes, & hi confidunt in potentia aliena. Sed talis potentia eſt friuola & quaſi nulla. Nā omnis potentia, quæ non eſt à ſeipſa, ſed fluit ab alia, eſt omnino nulla, niſi quantum dat illi potentia prima. Nulla eſt enim virtus arboris, niſi quantum ſuſcipit à radice. Et nulla eſt virtus membri cuiuslibet animalis, ſi in eam non influat virtus cordis. Et breuiter, nulla eſt virtus poſterior, niſi in eam influat virtus prior. Cum ergo diuina potentia ſit omnium potentiarum prima & ſumma, nulla eſt potētia humana ſine ea, & ſemper fruſtra nititur, niſi ab ipſa adiuuetur. Vnde quid profuit potentia Iulio Cæſari, qui à Romanis proditoriè fuit interfectus? Quid Neroni, qui ignominioſè à Romanis fuit expulſus? Quid Alexandro, qui veneno ab amicis eſt interemptus? Quid Nabuchodonoſor, qui à filio ſuo in trecentas partes fuit diſſectus? Quid Balthaſar, qui cum concubinis in conuiuio fuit occiſus? Quid Holoferni, qui ab vna fœmina Iudith fuit decapitatus? Quid Cyro, qui à regina Thamaris fuit decollatus? Et quid me neceſſe eſt referre omnes, cum liquide conſtat potentiam nō eſſe niſi à Deo? Romanorum decimotertio. Et ideo dicitur in Pſalmo. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus nō eſt*

In Deo confidendum eſt. *Eccl. 24.* *Non eſt confidendum in bono aliqua creato.* *Confidētia in potentia inutilis eſt.* *Rom 13. Pſal. 145.*

eſt ſalus. Et iterum; Bonum eſt ſperare in Do- *Pſal.117.* *mino, quam ſperare in principibus.* Vnde qui confidunt in tali potentia, quæ ſe iuuare non poteſt, ſimiles ſunt illis, qui innituntur ſuper baculum arundineum, qui cum innitente cadit, & manum ſibi perforat, & illi qui per filum ſtuppæ vult ſe de maxima rupe deorſum mittere. Propter quod dicit Ie- *Ierem.17.* rem. *Maledictus homo qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium ſuum.* Benè dicit carnem, quia caro eſt res fragilis, niſi teneatur beneficio oſſium. Et certè ad experientiam vidimus, quod qui in ſua potentia multum confidentes alijs iniuriabantur, noſtris temporibus ceciderunt cum caſtris, munitionibus, fortalitijs, & populis.

Confidētia in ſapientia vana eſt. *Eccleſ.1.* Alij ſunt, qui confidunt in ſua ſapientia. Et hi ſimiliter friuolè confidunt. Nam omnis ſapientia à Domino Deo eſt; Ergò nulla eſt ab homine, licet benè aliqua ſit per hominem, vt per inſtrumentum. Anima enim humana naturaliter eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt depictum. Vnde ſi non haberet Doctorem, eſſet ſicut brutum. Nullus autem Doctor poteſt aliquid docere, niſi habeat à Deo, qui mentes hominū illuminat, & veritatem oſtendit. Nam licet homini concreatum eſt lumen naturale ingenij & intellectus, vt dicitur in Pſal. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine,* *Pſal 4.* illud tamen lumen lucere nō poteſt niſi illuminetur à lumine increato diuinæ ſapientiæ, vt dicit Gregorius. *Hom. 9. partis 1. ſuper Ezechiel.* Nam fruſtra Doctor exterius illuminat, ſi Deus interius nō illuminat, vt dicit Greg. ſuper illud: *Si quis diligit me.* Vnde Beda ſup. illud, *Nemo venit* *Ioan.6.* *ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Et ſi homines, inquit, ab hominibus audiunt, tamen, quod intelligunt, intus datur, intus reuelatur. Ille ergò veraciter ſolus ſapientiam docet, qui in cœlo cathedram tenet, dicit Greg. in li. de magiſterio. Hinc dicit *Matt.23.* Saluator; *Ne vocemini plures magiſtri, Vnus eſt magiſter veſter.* Patet ergò quod anima debet potius ad Deum recurrere pro ſapiētia, à quo eſt omnis ſapientia. Etſi enim ab homine doceatur, illum tamen petat, vt aperiat cor ad intellectum, qui & Doctori dedit vt doceat. Non ergo quis confidat in propriam aut alienam ſapiētiam ſine Deo, quia omnis talis eſt cœca. Confidis te ducem cæcorum eſſe, & lumen eorum, qui in tenebris ſunt. Talis fuit ſapientia philoſophorum; qui eam à ſe habere arbitrantes, reprobati ſunt à Deo, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. De his verificatur illud; *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudenti-* *1.Cor.1.* *am prudentium reprobabo.* Et quod Domin⁹ dixit, ſic & fecit. Nam plures eorum propter ſapientiam perierunt, nec prodeſſe ſibiipſis per ſapientiam potuerunt. Quid enim profuit Socrati ſapientia, propter quam veneno perire eſt coactus? Quid Senecæ profuit ſapientia, propter quam mortis ſupplicium eligere eſt compulſus? Quid Catoni profuit ſapientia, qui dum Cæſaris poteſtati inuidit, ſe propria manu occidit? Quid Homero, qui dum paruam nautarū quæſtionem ſoluere non valeret de pediculis, verecundia tactus ſe præcipitauit in mare? Quid Ariſtoteli, qui dum profundum maris penetrare ratione non poſſet, fundo maris ſe iniecit? Ecce ſapientia animalis & diabolica, quæ niſi ad mortem perducere poteſt.

Confidētia in pulchritudine vana & fallax. Alij quoque confidunt in corporis pulchritudine, de quibus Ezechiel in perſona Ieruſalem dicit; *Habens fiduciam in pul-* *chritudine tua fornicata es Sed fallax & va-* *Ezech.16.* *na eſt pulchritudo.* Et verè fallax, quia pro- *Prou.31.* pter eam multi perierunt. Fallax eſt, quia non diu durat ſicut fœnum & flos agri, qui modo floret, ſed orto ſole areſcit. Vnde Ia- *Iacob.1.* cob. *Ortus eſt ſol & exiccatum eſt fœnum, & flos eius decidit; & decor vultus eius deperiit.* Et hoc videmus ſæpius, quod pulchritudo talium medica febricula aut puſtulis ſubitò deturpatur, aut ægritudine diuturna denigratur, & deformatur.

Confidētia in bonis fortunæ vana eſt. *Secundò* quidam confidunt de bonis fortunæ, vt diuites & auari, qui confidunt in multitudine pecuniarum. de quibus in Pſal. *Qui confidunt in virtute ſua;* id eſt, in fortitudine, *& in mul-* *Pſal.48.* *titudine diuitiarum ſuarum gloriantur* Sed talis confidentia eſt etiam fallax, quia tales pereunt propter diuitias, in quibus confidunt. Vnde quærit Dominus eos dicens; *Vbi ſunt principes gentium, qui dominantur* *Baruch.3.* *ſuper beſtias, & in auibus cœli ludunt. Qui argentum theſaurizant & aurum, in quo cōfidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum,* quaſi dicat, vbi ſunt, ex quo apud me non ſunt. Vnde ſequitur, *Exterminati-*

ſunt

ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij in lo-
Sap 5. *cum eorum ſurrexerunt.* Et ideò conqueruntur damnati hodiè dicentes illud Sapient. *Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia?* certè nihil. Legitur quod in India ſunt tantæ formicæ ſicut canes, quę aurum tanta auiditate cuſtodiunt, ꝙ prius ſe permitterẽt occidi quam aurum perderent, & tamen aurum non comedunt. Sic auarus cuſtodit aurum, & tamen nullam interdũ vtilitatem ex eo conſequitur, ſicut ſcriptũ
Eccl. 5. eſt *Qui amat diuitias fructum non capiet ab eis.* *Tertio* quidam confidunt in Dei boni-
Confidẽdum donis gratuitis Deo illa attribuendo. tate, & iſti confidunt in donis Dei gratuitis. De qua confidentia Ierem. *Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Eſt tamen magna differentia in hoc, quia quidam confidunt in Dei bonitate;
Ierem. 17. Quidam in donis Dei gratuitis, eadem do-
Luc. 18. na ſibi appropriantes. Et iſti ſunt de numero iſtorum, qui confidebant in ſe tanquam iuſti. Alij vero ſunt qui dona ipſis diuinitus collata non ſibi, ſed Deo appropriant; Sed iſti tantum in Domino confidunt. De quo-
Pſal. 10. rum numero erat ille qui dicebat; *In Domi-*
Pſal. 124. *no confido, quomodo dicitis animæ meæ.* Et iterum; *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum* Ac ſi diceret; Qui confidunt in potentia, commouebuntur, quia non eſt tanta potentia, quæ non deſtruatur. Vnde petra duriſſima à gutta minima deſtruitur, iuxta illud; *Gutta cauat lapidem non vi ſed ſæpè cadendo.* Ferrum licet ſit durum, molli tamen rubigine deſtruitur. Cætus magnus piſcis eſt, & tamen ſæpè à crocodilo vincitur. Elephas ab vnicorne in ventre perfoditur. Crocodylus à quadam parua auicula, quæ per os eius intrat ventrem, dirumpitur. Sed quid diſcurro per bruta, cum in rationalibus melius iſta patent? Nam Samſon, licet inuictiſſimus, à fœmina tamen victus eſt. Ideò benè dixit Poeta.

Nil adeò validum, quod non quandoq; te-
rerur.
Hoc etiam in v ilido ſæpè videre potes.

Similiter qui confidunt in ſapientia propria, commouebuntur. Nam vt Salomon ſapientiſſimus deceptus eſt amore mulierum; Et Dauid ſpiritum prophetię habens, captus eſt amore Berſabeæ. Similiter, qui confidunt in diuitijs commouebuntur, ſi- Luc. 16.
cut patet de diuite epulone. Similiter de 2. Reg. 14.
pulchritudine, ſicut Abſolon; Solus ergo, qui confidit in Domino, benedicitur. Vnde Iſa. *Qui habuerit fiduciam in Domino hæreditabit montem ſanctum eius.* Et tantum de primo.

Fides tua. Ac ſi diceret. Sicut credidiſti, fiat tibi. Quia enim me credidiſti Deum, qui poſſum infirmum curare, ideo ſis à paſſione tua ſalua. Sciendum, quod fides multa
bona facit homini. *Primo* enim eſt animæ Fides animam viuificat.
viuificatiua, mundanæ abundantiæ contemptiua, & miraculorum impetratiua.
Primo eſt animæ viuificatiua. *Iuſtus enim ex* Abac 2.
fide viuit. Exponit Gorr. Viuit in præſenti Heb. 10.
vita gratiæ, & in futuro vitæ gloriæ. Et ſe-
quitur; *Quod ſi ſubtraxerit ſe à fide, non pla-* Hebr 11.
cebit animæ ſuæ. quia ſine fide impoſsibile eſt
placere Deo. Qui incredulus eſt non erit recta Abac. 2.
anima eius in illo. Et ex hoc patet quantum homo debet cuſtodire & ſeruare in ſe fidem illibatam & illæſam, ex quo tota vita eius pendet in ea. Vnde ſi animalia laborãt pro iſta vita temporali, multo magis homo pro vita ſpirituali animæ ſuæ. Dicunt naturales, quod apes & formicæ fugiunt loca putrida, & quærunt odorifera, ne moriantur. Falco licet ſit quantumcunque famelicus, tamen omnia putrida fugit. Aquila in nido lapidem pretioſum filijs ponit, ne à ſerpente mortificentur. Et ita omnia mortem fugiunt, & vitam conſeruant. Sic etiam deberet homo vitam animæ conſeruare, quæ eſt fides ſua. Sed dices; quomodo fides viuificat animam, ex quo charitas dicitur
eſſe vita hominis? *In hoc ſcimus* inquit Io- 1. Ioan. 4.
an. *quoniam tranſlati ſumus de morte ad vi-* ad Heb.
tam, quoniam diligimus fratres. Reſpondeo 10. in fine.
ſecundum Gorr. quod hic loquor de fide
informata charitate, vnde dicitur; *Si habue-* 1. Cor. 13.
ro omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt Sed adhuc diceres; Quomodo fides viuificat? Reſpondeo quod ex quo fides habet culpam expurgare & ani-
mam ab ea purgare. *Fide purificans corda eo-* Act. 15.
rum, habet & gratiam conferre, quæ eſt vita animæ, & per conſequens viuificare. Eſt autem fides ſecundum Apoſtolum *ſubſtan-*
tia rerum ſperandarum, argumentum non ap- Hebr. 11.
parentium. Expone ſic. *Fides eſt ſubſtantia*

rerum ſperandarum, id eſt, cauſa ſubſiſtendi in nobis res ſperandas, ſcilicet, bona futura, & hoc vel in futuro, quia faciet in nobis ſubſiſtere res ſperandas per apertam viſionem; vel in præſenti, quia iam facit eas in nobis ſubſiſtere per ſpem & expectationem. Vnde Gloſſ. Matth. 1. dicit; quod fides generat ſpem, ſicut Abraham, Iſaac. Et eſt etiam fides *argumentum*, id eſt, probatio ſiue monſtratio quædam, *rerum non apparẽtium*. Vnde quia ita antiqui crediderunt, concludimus, quia ita eſt; vel ex quo dicit ita fides noſtra, ergò ita eſt. Hæc Gorr.

Fides mundana contemnit.

Secundo fides eſt humanæ abundantiæ contemptiua. Nihil enim ſic contemnit omnia mundi proſpera, ſicut fides vera. Quomodo enim quis nõ contemneret omnia temporalia, tam modica, tam vana, qui abſque hæſitatione crederet ſe accepturum bona æterna, quæ ſumma & infinita. Vnde dicit Hieronym. quod qui veram fidem de Deo habet, non quærit in his miſerijs fieri diues. Iſtud benè attendebant Patres antiqui, qui fidem habentes de æternis, noluerunt hic habere manentem ciuitatem in terris.

Heb.13.
Heb 11.
Gen.12.

Sicut patet de Abraham, de quo dicit Apoſt. quod obediuit Deo, ſcilicet, præcipienti ſibi exire de terra ſuæ cognationis, quæ fuit terra Chaldæorum, in locum quem accepturus erat in hæreditatem, id eſt in terram Chanaan. *Semini tuo*, inquit, *dabo terram hanc.*

Gen.15.

Et ſequitur; *Fide demoratus eſt in terra aliena habitando in caſulis*, id eſt, in domibus paruis, & non pallatijs, & propter quid? ſubditur, ſcilicet *propter promiſſionem*, vnde dicitur; *Expectabat enim ciuitatem*, ſ. cœleſtem habentem fundamenta, id eſt, ſtabilem & firmam perpetuitatem, cuius conditor & artifex eſt Deus. Hæc ibi ſecundũ Gorr. Ecce quanta fides in Abraham fuit, per quam ſpreta temporali patria expectabat æternam. Hoc etiam fecerunt & alij patres noui teſtamenti, ſicut Apoſtoli & alij, qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum, vt patet in multis locis Euangelij.

Fides miracula impetrat.

Tertio fides eſt miraculorum impetratiua. Dicitur autem miraculum, quod eſt ſupra rationem, & ſupra naturam. Et quia fides eſt ſupra rationem, eò quod oportet captiuari intellectum in obſequium fidei, vt dicit Apoſt. Et ſupra naturam, quia eſt opus potentiæ infinitæ; Natura autem habet potẽtiam finitam, ideo merito impetrat fides miracula. Vnde Saluator mittens diſcipulos ad prædicandum ait; *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eijcient &c.* Iſtud patet non ſolum de ſanctis noui teſtamenti, ſed etiam veteris, de quibus Apoſtol. dicit; *Fide tranſierunt filij Iſrael mare rubrum* Gorr. quia credebant Deo promittenti. vnde ibant per mare tanquã per aridam terram. *Viam feciſti in mari equis tuis.* Verè magna fides, ſicco pede tranſire mare. *Exodi 14.* *Abac.3.* Similiter fide muri Iericho corruerunt, id eſt, omnes muri ſimul ruerunt, in quo fuit maius miraculum, ſecundum Gorr. *Ioſue 6.* vnde vnuſquiſque eſt ingreſſus locum, contra quem ſtabat. Hiſtoria dicit, quod præceperat Dominus, vt ſeptem diebus circumirent filii Iſrael ciuitatem cum arca Domini & tubis ſacerdotalibus, quotidiè ſemel, & in octaua die ſepties. In ſeptima autem circuitione clangentibus tubis & vniuerſo populo clamante, muri corruerunt, & non propter eorum clamorem, ſed propter eorum fidẽ. Ecce magnum miraculum. Similiter Raab meretrix, quia credidit terram Iericho Iudæis tradendam, propter iſtam fidem ſaluata eſt. *Ioſue 6.* Apoſtolus ponit exemplum de meretrice, quaſi dicat, Erubeſcite, ex quo fides in meretrice efficacior eſt quam in vobis. Non ſolum autem hoc oſtenſum eſt in Patribus veteris teſtamenti ante obtentam terram promiſſionis, ſed etiam poſt obtentam. Nam Gedeon in paucis vicit Madianitas. *Iudic. 7.* Et hoc fecit per fidem, quia ſolum acceperat ſignum roris in vellere. Similiter Barach credens propheti ſſæ Delboræ ad præceptum Domini deuicit Iabin regem Syriæ. Et Samſon multipliciter Philiſthęos deuicit. *Iud. 4.* *Iud 14. 16.* Similiter Iepte per fidem Ammonitas ſuperauit. *Iud 11.* Et Dauid Goliam, quia dixit; *Tu venis ad me cum haſta & clypeo, Ego autem in nomine Domini*, *1. Reg. 17.* vnde concludit Apoſtolus, quod *ſancti per fidem vicerunt regna*, Nec ſolum ſancti, ſed etiam gentiles. Legitur de Alexandro Magno in ſcholaſtica hiſtoria, quod ad eius preces Dominus incluſit Iudæos Ruffos in montibus, & eos montibus hinc inde circumdedit, vt exire vſque ad tempora Antichriſti non poſſint.

Ecce

Ecce fides quanta operatur non ſolum in catholicis, ſed etiam paganis. Quia ergo iſta fides fuit in iſta muliere, ideo Dominus eam curauit. Et tantum de ſecundo.

I I I.

Te ſaluam fecit. Ac ſi diceret; Ecce nullo genere medicorum curari poteras; Ecce vnica fides te ſaluam fecit. O quam iucundũ & precioſum donum ſalutis. Sciendum, q̃ tripliciter ſaluat hominem. Sumus enim infirmi, & ideo indigemus ſalute corporali. Sumus naufragi, & ideo indigemus ſalute ſpirituali. Sumus clauſi & peregrini, & ideo indigemus ſalute cœleſti.

Deus hominem ſaluat triplici ſalute.

1. Salute corporali. *Eccl. 30.* De primo dicit Eccl. *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* Hac ſalute ſaluat Dominus tã bonos quàm malos, quando alleuiat eos à corporali infirmitate. *Pſal. 35.* *Homines & iumenta ſaluabis Domine.* Saluat autem iſta ſalute tripliciter, quia & ab infirmitate corporis quo ad ſe. *2. Mac. 1.* *Populus qui eſt Ieroſolymis & in Iudæa his qui ſunt per Ægypti Iudæis ſalutẽ & ſanitatem.* *Iacob 5.* Et Iacob; *Oratio fidei ſaluabit infirmum.* vnde ſequitur; *Orate pro inuicẽ vt ſaluemini.* Item quo ad Deum. *Iſa. 33.* *Domine miſerere noſtri, te enim expectamus, Eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.* *Pſal. 33.* *Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.* *Ierem. 15.* Item ac hoſtium perſecutione, quo ad proximum. *Dabo te populo huic in murum æreum fortem; & bellabunt aduerſum te, & non præualebũt, quia ego tecum ſum, vt ſaluem te, & eruem te, dicit Dominus.* Iſta ſalute ſaluauit Dominus iſtam mulierem in corpore, vt eſſet ſana quo ad ſe in corpore; & quo ad Deum, ne tribularetur infirmitate; & quo ad proximum, ne opprobrium pateretur, propter fluxum ſanguinis ab homine. *Secunda ſalus* eſt ſpiritualis, de qua Eccl. *Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ.* *2. Salute ſpirituali.* Hac ſaluat Dominus ſolos ſanctos. *Salus autem iuſtorum à Deo eſt.* *Eccl. 30.* Saluat autem iſtá ſalute triplices homines. *Pſal 36.* Primò humiles, iuxta illud; *Tu populum humilem ſaluum facies.* *Pſal 17.* Et ad Philip. *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* *Philip. 3.* Secundò ſaluat pauperes, iuxta illud; Pſal. *Saluos faciet filios pauperũ.* *Pſal. 71.* Tertiò ſaluat ſperantes in ſe, iuxta illud Pſalm. *Pſal. 36.* *Saluabit eos, qui ſperauerunt in eo.* *Eccl. 34.* *Spes illorum in ſaluantem illos, & oculi Domini in diligentes ſe.* *Tertia* eſt ſalus cœleſtis. *3. Salute cœleſti.* *Saluatus eſt in Deo ſalute æterna.* Hac ſaluat Deus ſolos bonos. *Iſa. 45.* *Dabo in Sion ſalutem, & in Iſrael gloriam meam.* *Iſa 46.* Hac ſaluat remouendo penitus culpam. *1. Reg. 11.* *Cras enim erit vobis ſalus, cũ incaluerit ſol.* Sol calidus omnes immunditias ſiccat. Tunc autem calidiſſimus eſt, cum eſt in meridie. *Cant. 1.* *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Hoc autem erit in gloria æterna, vbi erit feruentiſſimus amor hominis ad Deum. quia tunc erit caminus in Ieruſalem charitatis, qui modo eſt igniculus paruus, iuxta illud Iſa. *Iſa. 31.* *Ignis eſt in Sion, ſed caminus in Ieruſalem.* Tunc erit ſalus à Deo perfecta, quia remouebit non ſolum culpam, ſed etiam omnem miſeriam. *Iſa. 60.* *Pro eo quod fuiſti derelicta, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, & ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Tunc etiam erit ſalus inſuper à Deo perfectiſsima, quia remota culpa & miſeria dabit ſecuritatem & fiduciam de ſalutis æternitate. *Ierem. 23. & 33.* *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter.* Et apud Ioan. *Ioan. 16.* *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Quam ſalutem nobis concedat auctor ſalutis, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

TABVLA

TABVLA SERMONVM PARTIS Aeſtiualis.

Dominica Pentecoſtes ſermo primus. pagina 1. Secundus 9. Tertius, 18.
Feria 2. Pentecoſtes Sermo Primus, 24. Secundus, 32.
Feria 3. Pentecoſtes Sermo primus, 37. Secundus, 44.
Dominica Trinitatis Sermo, pag 49.
In die Corporis Chriſti, Sermo, pag. 59.
Dominica 1. poſt Trinit. Sermo primus. pag. 67. Secundus, 78.
Dominica 2. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 83. Secundus, 89.
Dominica 3. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 94. Secundus, 100.
Dominica 4. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 106. Secundus, 114.
Dominica 5. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 120. Secundus, 126.
Dominica 6. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 133. Secundus, 140.
Dominica 7. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 147. Secundus, 154.
Dominica 8. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 159. Secundus, 168.
Dominica 9. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 173. Secundus, 180.
Dominica 10. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 186. Secundus, 194.
Dominica 11. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 200. Secundus, 209.
Dominica 12. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 216. Secundus, 224.
Dominica 13. poſt Trinit. Sermo primus, pag 229. Secundus. 234.
Dominica 14. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 242. Secundus, 249.
Dominica 15. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 253. Secundus, 260.
Dominica 16. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 267. Secundus, 274.
Dominica 17. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 280. Secundus. 286.
Dominica 18 poſt Trinit. Sermo primus, pag. 291. Secundus, 298.
Dominica 19. Poſt Trinit. Sermo primus, pag. 302. Secundus, 308.
Dominica 20. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 315. Secundus, 321.
Dominica 21. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 327. Secundus, 333.
Dominica 22. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 339. Secundus, 345.
Dominica 23. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 351. Secundus, 357.
Dominica 24. poſt Trinit. Sermo primus, pag. 364 Secundus, 370.

INDEX

INDEX RERVM MAXIME NOTABILIVM QVAE HAC parte æſtiuali continentur.

A.

Ex Abuſu rerum homo ſe malè habet. 227,2
Accuſatores noſtri in extremo iudicio. 174, 2. Conſcientia, diabolus. Ibid. Sancti Angeli & creaturæ, 175, 1
Actionis origo, eſt cogitatio. 302,2
Adoleſcentia periculoſa. 274,1. Comparata ceræ. Ibid. Similis terræ non fructuoſæ. Ib.
Adoleſcentibus tria neceſſaria. 274,2. Tria præcauenda. 275,1. nempe otium. Ibid. mala ſocietas. 276,2. Æſtus præſumentis tumiditatis. Ibid.
Adoleſcētibus vnde præſumptio. 276,2. tria præcipienda. 277,1. Obedientiæ promptitudo. Ibid. Conſcientiæ ſanctitudo. Ibid. 2 Continentiæ ſolicitudo. 278,1
Adoleſcentibus tria prædicenda. 278,2
Afflictionum & infirmitatum corporalium vtilitates. 330,1
Agnus Paſchalis. 62,1
Amaritudines vt dulcorandæ. 122,2
Amicus triplex. 183,1. pernicioſus. Ib. fictus. Ibid. 2. Verus. 184,2
In amico vtilitates quæ 295, 2. Communicatio boni ipſius & tui. Ibid. Communicatio mali tui. Ibid.
Amoris ſigna. 11,2. Gradus. Ibid. & 240, 2
Amoris affectus quinque. 253, 1. Carnalis ſigna. 235,2
Amoris obiectum maximè delectabile, Deus 294,2
Amoris cauſſæ ſpeciales. 296,1. Conſanguinitas. Ibid fidelitas. Ibid. 2
Angeli peccatore conuerſo lætificantur. 105, 2. fratres noſtri ſtabiles. 118,1
Anima iuſti comparatur arbori bonæ. 169,2
Anima præbet corpori vitam ſenſum, & motum. 297,2. corpori debet ſuſtentationem. 142,1, & 2. Caſtigationem. Ibid 2. Exercitationem. Ibid.
Anima ſibiipſi tria reddat. 343,1. peccati attributionem. Ibid. Miſericordiam, & cuſtodiam. Ibid. 2
Anima eſt filia. 367,1. Vitâ gratiæ quomodo priuetur. Ibid. 2
Animæ imago naturalis. 353, 2. comparatio cum Deo. 354,1. vita, Deus. 367,2
Animæ illabi quid ſit. 303,2
Arbitrij libertas probatur. 285,1
Arbor triplex. 169,1
Arboris bonitas ex tribus cognoſcitur. 169,2
Arcus doloſus. 187,2
Aſcendendum in templum quatuor gradibus. 204,2
Aſcendens à pœnitentia ad iuſtitiam, & à iuſtitia ad contemplationem, aſcendit ad tria, 205,2
Aſcenſus in templum, corporalis & myſticus. 203,1
Auaritia, ciuitatis foſſa. 187,1
Auaritiæ ſpecies. 284,1
Auarus cæcus eſt. 255, 1. Similis inferno, ſatiari nequit. Ibid. Idololatra. 257,1. perpetuò ſolicitus Ibid.
Auaris à terrenis ad cæleſtia ſurgendū. 311,1

B.

Babylonis ciues. 201,1
Beatitudo cur vocetur manſio. 23, 2. eſt cognoſcere Deum. 224, 1, mundanorum eſt fallax. Ibid. Chriſti fidelium eſt vera. 231,2. Sanctorum in cælo eſt glorioſa. Ibid.
Beneficentia & gratitudo ſimilis ludo pilæ. 79,2
Bona operādi difficultas, magna pœna. 126,1
Bonis vtiles mali. 153,1
Ex Bonis vt oriantur mala. 225,2
De Bonis dijudicandis mundani decipiuntur. 265,2
Bonorum labor vt facilis reddatur. 132,1. hominum fructus. 171,1
Bonorum ſumus diſpenſatores. 177,1
Bonorū & malorum ciuitas, mundus. 332,1

C.

Ad Cælum viam parat eleemoſyna. 183,1. via, humilitas, 209,1. via, iuſta vita. 264,2

Pro Cælo poſſidendo agendum ſtrenuè, 263, 1
Calamitatis futuræ conſideratio humilem facit. 290, 2
Canum fidelitas. 184, 1
Capharnaum quid ſignificet. 331, 2
Caritas origine digniſſima. 292, 2. Virtutũ mater. Ibid. diuturna. 293, 1. Coſummatrix omnium bonorum. Ib. Suauis. Ib. 2. Lata. Ibid. vtilis. 294, 1. Cur dicta præceptum Chriſti. Ibid.
Caritatis ignis hodie propè extinctus. 14, 2
Iam genitæ ſigna. 237, 1. Iam radicatæ ſigna. Ibid. Iam perfecta ſigna. Ibid. 2 præceptum perfectiſſinium. 292. 2. Perfectio ex quibus appareat. Ibid.
Caritatis virtute Deum nobis amicum facimus. 323, 2
Per caritatẽ puritas mentis acquiritur. 292 1. *Quære, dilectio.*
Carnem refrænat mortis memoria. 268, 2
Caſtigans diligit. 18, 2
Charitas. vide Charitas.
Chriſtiani falſi, ſunt falſi prophetæ. 166, 2
An Chriſtiani ſint idololatræ quod imagines colant. 352, 1
Chriſtianorum fides. 31, 1. diuitiæ quæ. 231, 2
Chriſtus lux. 33, 2. pane ſeptuplici ſuos reficit. 154, 2. videt cognoſcendo mala. 188, 1
Chriſtus fleuit in infantia ſua. 189, 1. In reſuſcitatione Lazari. 190, 1. Super ciuitatẽ Hieruſalẽ. Ibid. Super Iudã proditorẽ. Ib.
Chriſtus appropinquauit miſericorditer. 189, fleuit. Ibid & 190, 1 infirmo cur digitos immiſerit. 218, 2. in cælum ſuſpicit inge miſcẽs 219. 1 ſurdi aures ſaliua linit. 219, 1. hominem reparauit. 228, 1
Chriſtus medicus perfectiſſimus. 280, 2. Ex magna benignitate. Ibid Ex arte. 281. 1. Sanans totaliter. Ibid Celeriter. Ibid 2. Faciliter Ibid Multipliciter. 282, 1
Chriſtus ſponſus miræ magnitudinis. 317, 1. Thalamum habens, Mariæ Virg. vterũ. Ibid. 2. Sponſam habens naturam humanam. Ibid.
Chriſti verũ corpus ſub ſpecie panis eſſe probatur. 61, 1. Scriptura. Ibid Naturæ ſimilitudine Ibid Exemplis figurarum. 62, 1. Miraculis. Ibid. Naturali ratione 63, 1
Chriſti corpus dignè manducantium vtilitates. 66, 1. indignè manducantium damna. Ibid.
Chriſti conuiuia. 87, 1. patientia. 98, 1. prudentia Ibid, 2. Benignitas. 99, 1
Chriſti lex perfectiſſima: 136, 1 prohibet omnia mala perfectiſſimè. Ibid. Ordinat mores perfectiſſimè. Ibid. ordinat homines ad felicitatem perfectiſſimè Ibid. 2. Oſtendit planiſſimè veritatem Ibid.
Chriſti miſericordiam victus mouet inopia. 153, 1
Chriſti tẽpla varia. 195, 1. vterus Mariæ. Ib. Eccleſia militans Ibid. 2. Templum materiale. Ibid. anima humana. 196, 1. Cælum. Ibid.
Chriſti humilitas. 212, 2. fidelium beatitudo vera. 231, 2. præceptum caritas. 294, 1
Chriſti ſponſa, natura humana. 317, 2. Eccleſia, ſeu fidelium congregatio. 318, 1, 2
Chriſti menſæ nuptialis ſuauitas. 319, 1. Et vinum. Ibid nuptiarum dona. 319 2
Chriſto vt præparetur hoſpitium, 65, 1. miſereri proprium. 151, 1
In Chriſto tria excellentiſſima. 94, 2. deſideria ſancta. Ibid verba ſancta. 95, 1. Opera eximia. Ibid.
Ad Chriſtum peccator adducitur. 217, 2. Idq́ue varijs per Eccleſiam modis. 218, 1
Cibus ſimplex & vniformis ſanior. 77, 1
Ciuitatis muri diuitiæ ſunt. 187, 1
Clementia maximè decet principem. 147, 1
Cœna triplex. 84, 1. Diaboli fugienda Ibid. 2. Gratiæ appetenda. 85, 2. gloriæ deſideranda. 87, 1
Ad Cœnam venire nolentium excuſationes. 88, 2 punitio. 89, 1. 2
Cogitatio actionis eſt origo 302, diuerſimode mouet ad delectationem & conſenſum. 304, 1
Cogitationes malæ ſunt ex nobis & diabolo. 303, 1. an in noſtra ſint poteſtate Ibid. ambitioſæ & voluptuoſæ. 306, 1. repelluntur, principij reſiſtentia. 307, 1. Occaſionum fuga. Ibid. Occupationis perſeuerantia. 308, 1
Cognitio ſui in quibus conſiſtat. 193, 1
Cognoſcenda in ſeipſo tria. 192, 1. Iniquitas propria. Ibid. Spiritualis infirmitas Ibid. 2. Incerta mortis hora Ibid.
Ad Communionem fructuoſam quæ neceſſa-

ceſſaria. 66,2
Concionatorum duo genera. 156,1
Condonare offenſam maximè pium eſt. 339,1. Deo aſſimilat. 345,1
Confeſſio quid, 245,1. propter humilitatem noſtram inſtituta maximè. 245,2
Confiteri ſacerdotibus doctioribus vtile. 247,1
Conſcientiæ ſanctitudo adoleſcenti præcipienda. 277,2. domus fundanda doctrinæ ſoliditate. 314,1. Ornanda virtutum imaginibus. Ibid. Tegenda conuerſationis honeſtate. Ibid. 2
Conſiliarij ſint ſenes & maturi. 148,2. Sancti & probatæ vitæ. 149,1. veridici. Ibid. Experti. Ibid. 2. Stabiles. Ibid.
Conſiliarios quales conueniat eſſe. 359,1
Conſilium quærere neceſſarium. 148,2
Conſilij & prudentiæ differentia. 47,1. Et ſcientiæ. Ibid. 2
Conſilia qualia debeant eſſe. 150,1. abſque ira. Ibid. abſque feſtinantia. Ibid. Secreta. Ibid. abſque ſuæ voluntatis manifeſtatione. Ibid.
Contemplatio cæleſtium nos incitat ad Dei dilectionem. 6,2
Continentiæ ſolicitudo præcipienda adoleſcenti. 278,1
Contritio ſola coram Deo non ſufficit ad remiſſionem peccatorum. 246,2
Conuerſationis ſanctæ gloria nos incitat ad amorem Dei. 7,1
Conuerſationi tria neceſſaria. 47,1
Conuiuia Chriſti. 87,1
Cordis requiritur ſimplicitas. 263,1. proprietates. 296,2
Corda vitiorum vaſa. 307,1
Corona ſpinea. 139,2. Oleagina. Ibid. Laurea. Ibid.
Corporalium afflictionum & infirmitatum vtilitates. 330,1
Corpus habet ab anima vitam. 297,2. Senſum & motum. Ibid.
Corpori ſeruire, viliſſimum eſt. 259,1. deteſtabile. Ibid. debet anima ſuſtentationem 342, 1,2. Caſtigationem. Ibid. 2. Exercitationem. Ibid.
Creaturæ decor. 57,2
Creaturæ omnes peccatore conuerſo lætificantur. 405,2
Creaturarum immenſitas. 57,2

D.

Damnatorum pœna multiplex. 196,2. mors. 270,2
Debiti nomine peccatum dicitur, & quare. 339,2
Debita noſtra ponderanda, 178,2. tripliciter ſoluuntur. 349,2
Delitiarum cæleſtium affluentia. 31,1
Deſidioſis ad laborem ſurgendum. 309,2
Detractionis vitium. 97,1. modi tres. 97,1. Remedium triplex. Ibid. 2. ſagittæ. 187,2
Deus multipliciter venit in hominis mentem. 7,2. cur libenter inhabitat quoſdam. 9,1 amore præuenit nos. 25,1. guloſorum, venter. 76,1. pater noſter. 117,1. Et pater nobiliſſimus. Ibid. 2. vſuram deteſtatur. 155,1. cur differat exaudire. 208,2. vt omnia gubernet fortiter. 226,2. Suauiter. 227,2. hominem ſibi dilectionis dono copulauit. 234,1 diligendus maxime. 241,2. quærendus in ſimplicitate cordis. 263,1. amoris obiectum ſummè delectabile. 294,2. delectat vniuerſaliter, intimè, & æternaliter. Ibid. Cur amandus. 295,1. amandus ob conformitatem, præſentiam, vtilitatem. Ibid. & 2. ex corde toto diligendus. 296,2. diligendus ex tota mente. Ibid. 2. eſt anima vitæ. 367,2
Dei mandata leuia. 4,2. iudicium. 5,2. mandata vt obſeruanda. 6,1. mandata quid ſint in hac vita. 6,1. triplex domus. 23,1. dilectio multiplex erga nos. 25,1
Dei dilectio in miſerendo. 27,1. In tolerandis & iuſtificandis peccatoribus. Ibid. 2. in temperanda iuſtitia. 28,1. In liberalitate retributionis. ibid. 2
Dei dilectionis vtilitas. 31,1. amor in creatione. 25,2. Et in gubernatione. 26,1. bonitas maxima 33,2. filius dilectionem ſuam quatuor præcipuè modis oſtendit. 30,1. reſpectu quæ recordanda 78,2. memoriam impediunt tria. 79,1. nuntios eſſe varios. 83,1. vocatio generalis. 88,1. Et ſpecialis. ibid. beneficium in recreando homine maximum. 100,1. miſericordia fortis. 118,2. erga peccatores miſericordia. 151,2. miſericordiam prouocat in tribulationibus perſeuerantia. 152,1. præcepta toleranda. 152,1

amicitiam parit eleemoſyna. 180, 2. *iudicia inſcrutabilia.* 201, 1. *opera omnia propter hominem facta, vel ſunt creationis, vel reparationis.* 315, 1.
Dei amicitia comparatur per munditiam vitæ. 322, 2. *per veram cordis pœnitentiam.* Ib. *per obedientiæ donum.* Ibid. *per donum patientiæ,* 323. 1. *per donum miſericordiæ.* Ib. *per donum caritatis.* Ibid. 2
Dei debitores ſumus, ob delictum 339, 2. *Ob beneficium* Ibid. *ob depoſitum,* 340, 1
Dei iniuriæ non ferendæ. 348, 1. *liberalitas in dimittendis talentis.* 348, 2
Dei & diaboli opera diuerſa. 194, 1
Dei & proximi dilectio inter ſe cohærent. 298, 1
Ad Dei dilectionem quæ nos incitent. 6, 2. 7, 1
flagella ſit paratus homo. 152, 1
In Dei mandatis obſeruandis quæ notanda. 4, 1
Deo obmurmurare ſtultum eſt. 96, 1
Deo cur homines obmurmurent. 96, 1 *propter aeris intemperiem.* Ibid. *propter diuinam diſpoſitionem aduerſorum & proſperorum.* Ibid. 2. *propter tribulationes* 97, 1. *propter paupertatem inuoluntariam.* Ibid.
Deo gratiarum actio pro beneficijs debita, 250, 2. *Gratiæ referendæ magnanimiter.* 251. 2. *vniuerſaliter.* 25?, ?. *Hilariter.* Ibid.
Deo vt ſolicite ſeruiamus, quæ requirantur. 260, 1
à Deo peccator diuerſimode recedit. 365, 2
cum Deo comparatur anima. 354, 1
de Deo diligendo inſtruendus homo. 292, 1
In Deo miſericordia maxima. 114, 1. *tria conſideranda.* 193, 2
Deum eſſe probatur. 51, 1, 2, *& deinceps eſſe vnum, probatur ratione.* 56, 2. 53, 2. *lætificat homini pœnitentia.* 104, 2. *cognoſcere, beatitudo eſt.* 229, 1. *amare tenentur etiam pagani.* 237, 2. *diligere fructuoſum.* 240, 1. *diligere propter ſe.* Ibid. 2 *diligere propter ſuam bonitatem.* Ibid. *diligere ex toto corde quid ſit.* Ibid.
Deum diligere propter temporalia, eſt imperfecte diligere. 241, 2. *Sed propter ipſum Deum, eſt perfectiſſimè diligere.* 242, 2
Deum quærere, & cæleſte regnum, quod poſtulet 261, 1. *Tempus opportunum, ſcilicet ipſum nunc.* Ibid. *Rei pretioſitas magna.* 262, 2. *Simplicitas cordis.* 263, 1.
ad Deum accedendi gradus. 366, 1
In Deum dirigendi oculi cordis noſtri. 237, 1
Deorum pluralitas vnde. 54, 1
Diabolus pane ſeptuplici ſuos reficit. 157, 1
Diaboli ac Dei opera diuerſa. 194, 1
à Diabolo malæ ſunt cogitationes. 303, 1. *Quomodo cogitationes immittantur.* Ibid.
Digitus gratia Spiritus ſancti. 218, 2
Digitos infirmo cur immiſerit Chriſtus. 218, 2
Dilectio Dei & proximi inter ſe connexa. 298, 1
Dilectionis noſtræ defectus. 30. 2. *dono Deus hominem ſibi copulauit.* 234, 1. *vide, Caritas.*
Diligere Deum, fructuoſum, 240, 1. *propter ſe.* Ibid. 2. *propter ipſius bonitatem.* Ibid. *Quid ſit.* Ibid.
Diligere ſe propter ſe. 240, 2. *ſe propter Deum.* 240, 2 *ſe propter ſe, malum eſt,* 241, 1. *Deũ, propter temporalia eſt imperfectè diligere.* Ibid. 2
Diſpenſatores bonorum ſumus. 177, 1
Diuinæ dulcedinis effectus. 83, 2
Diuites non habent cognitionem Dei, 69, 1. *neque ſui.* Ibid *neque proximi.* Ibid.
Diuitibus neceſſaria quæ. 183, 1
Diuitiæ triplices. 68, 2. *Temporales periculoſæ.* Ibid. *Spirituales & virtutum, veræ.* 69, 2. *æternæ.* 70, 1 *appellatæ, nihil.* Ibid *cur iniquitatis mammona.* 182, 1. *præcipitant in tria mala præcipuè.* 182, 2. *ſunt muri ciuitatis,* 187, 1
In diuitijs ordo rationis ſeruandus. 68, 2
Diuitiarum abuſus reprehenditur. 68, 1
Documenta. 347, 2
Dominus bene ſeruum tractare debet 336, 2
Domini reſpectu quæ recordanda. 78, 2
Domino fidelitas à ſeruis debita. 334, 2
Domus Dei triplex. 23, 1
Dulcedinis diuinæ effectus. 83, 2.

E.

IN Eccleſia orare, meritorium. 103, 2
Eleemoſyna facit amicum Dei. 180, 2 *eſt ad cælum via.* 183, 1
In Eleemoſyna quæ conditiones requiſitæ. 107, 2. 108, 2. 109, 1, 2. 110, 1, 2
Eleemoſynæ requirunt animæ innocentiam. 107, 2. *de propria faciendæ ſubſtantia.* 108, 2 *vt peccata redimant.* 108, 1 *in peccato mortali factæ quid proſint.* 108, 2
Eleemoſynarum largitio nos incitat ad amorem Dei, 7, 1 *genera quæ,* 111, 2
Elephantis fortitudo. 102, 2

Epulæ naturæ aduerſantur. 75, 2. ad Idololatriam trahunt. Ibid.
Eucharistia cur panis Angelorum. 62, 2. Quot modis ſumatur. 64, 1. an quotidie ſumenda. 65, 1. Et ſumpta quos fructus habeat. Ibid. 2
Exactionis in extremo iudicio ſeueritas. 175,
Exaltatio humilium tripliciter ſublimis. 215, 2
Exceſſus veſtium à mundanis excuſatus. 72, 1. 73, 2. 74, 1. Quintuplex. Ibid. 2
Excuſationes, ſcuta. 187, 2

F.

Falſi prophetæ, tres. 60, 1. hypocritæ. 164, 1
Falſi Christiani, ſunt falſi prophetæ. 166, 2
Famulorum duo genera. 154, 1
Felicitas temporalis varijs comparata rebus. 67, 2
Feſtiuitatis pentecoſtes fructus. 3, 1
Fidelitas ſeruorum ſit erga Dominos. 334, 2. In quibus conſiſtat. 335, 1. & ſeq.
Fides remedium tribulationis. 22, 2. Christianorum 31, 1. ſcutum. 325, 2
Fidei formatæ vtilitas. 22, 2
Filij noſtri, opera noſtra. 118, 1. parentibus quæ debeant. 328, 1, & ſeq.
Flagella diuina toleranda 152, 1. Et ad illa ſit paratus homo. Ibid.
à Fœtore ſurgant luxurioſi. 311, 2
Fortitudo quid 67, 1. Comparata rebus varijs. Ibid.
Fragilitatis propriæ recognitio. 212, 2
Fratres noſtri ſtabiles, Angeli. 118, 1

G.

Gentilium in orando prolixitas. 206, 2
Gloria cœnæ deſideranda. 87, 1. mundanæ leuitas menſuranda. 177, 2. vanitas quando mortale peccatum. 288, 2
Grabatum tollere quid. 311, 2
Gratia dicta manè, ſeu aurora. 129, 1
Ad Gratiam præparanti ſe an detur ea neceſſaria. 249, 2. Quatuor de cauſſis. Ibid Pro beneficijs Deo debita. 250, 2
Ad Gratiarum actionem duo mouent. 157, 2
Gratitudo & beneficentia ſimilis ludo pilæ. 79, 2
Gula quintuplex 77, 1
Guloſorum Deus, venter. 76, 1

H.

Ad hæreſim duo requiſita. 160. 1
Hæreticus quid. 160, 1
Hæretici cognoſcuntur ex doctrina & vita. 161, 2. 162, 2. vt puniendi. 163, 1. Cur vitandi. Ibid.
Hieroſolymæ ciues. 201, 1
Homo ſubiacet infirmitatibus. 7, 1
Homo ceræ ſimilis. 104, 1 an mereri poſſit vitam æternam. 19, 2. ſit paratus ad flagella Dei. 152, 1. comparatur arbori 168, 2. tria debet cognoſcere. 192, 1. alterius culpam cur agnoſcat facilè. Ibid. 2. cur nequeat à peccato per ſe reſurgere. 217, 2 ſe malè habet propter abuſum rerum. 227, 2. pœnitentiæ Sacramento reſurgit ad vitam. 242, 1. de caritate erga Deum inſtruendus. 292, 1 regulus, & quare 328, 1. Omnibus mundi bonis inſatiabilis Ibid.
Homo Dei debitor eſt, ratione delicti. 339, 2. Ratione beneficij Ibid Ratione depoſiti. 340, 1. Ex raptu Ibid. Ex promiſſo. Ibid. 2. Ex mutui acceptione. 342, 1
Hominis miſericordia debilis, 18, 2. primi conditio. 216, 1. cauſſa facta ſunt omnia. 226, 1 reparatio conſiſtit in tribus. 228, 1. magna nobilitas ex creatione. 351, 1
In Hominis mentem venit multipliciter Deus. 7, 2
Homines Deo quare obmurmurent. 96, 1. tripliciter in terra radicantur. 170, 1. Boni quos proferant fructus. 171, 1
Hominum malorum fructus. 72, 1. genera duo. 201, 1
Hoſpitalitatis conditiones. 115, 1. Cōmoda. 116, 2
In hoſpite requiſita quæ. 116, 1
Humiles exaltantur & in hac vita. 291, 1. Et in altera. Ibid. 2
Humilium exaltatio tripliciter ſublimis. 215, 2
Humiliatio malorum ignominioſa. 214. 2
Humilitas ad cælum via. 209, 1. Chriſti. 21., 2. ante omnia præcipitur. 286, 1
Humilitatis gradus tres. 188, 1 efficacia 213, 1. acquirendæ ratio. Ibid. Gradus. Ibid. 2. Exempla in Sanctis. 214, 1 ſigna. Ibid. 2
Ad humilitatem ſeruandam tria iuuant. 289, 2. vilitatis propriæ conſideratio. Ibid. Et propriæ iniquitatis. 290, 2. Et futuræ calamitatis. Ibid.
Hydropiſis ſpecies. 284, 1 per hydropiſin tria ſignificantur peccata. 282 2. Superbia. Ibid. auaritia. 283, 2. Luxuria. 284, 2
Hypcritæ cōparatur hirco. 164, 2 Lupo. 166, 2
Hypocritæ ſunt falſi prophetæ. 164. 1.

I.

IDola vnde inuenta. 351,2
Idololatræ confunduntur, ab Elia. 352,1 à Salomone. Ibid. à ſeipſis. Ibid.
An Idololatræ ſint Chriſtiani, propter imaginum cultum. 352,1
Ignoſcere offenſam, pietatis opus eſt maximũ. 339,1 Deo aſſimilat. 345,1
Imago triplex. 351,2. artificialis quæ. Ibid. ſpiritualis quænam? 355,1
Imaginis acceptio duplex. 352,2
Imagines cur inſtitutæ. 353,1
Ob Imaginum cultum an Chriſtiani ſint idololatræ. 352,1
Impius & iuſtus differunt vita & morte. 82,1. Patientia & præmijs. Ibid.2
Impiorum labor vanus. 132,1
Infernus malorum ciuitas. 332,1
Infirmitas ſpiritualis agnoſcenda. 192,2
Infirmitatum & afflictionum corporalium vtilitates. 330,1
Ingrati memoriam beneficiorum non habent. 252,1. Beneficia non compenſant. ibid. 2. beneficia exprobrant. 253,1. Deum beneficijs oppugnant. ibid.2
Ingratitudo maximè damnat hominem. 78,1. deteſtanda. 249,1
Ingratitudinis peruerſitas. 35,1. origo. 36,1. malitia. 252,1
Inimici diligendi. 135,1
Ab inimicis moleſtiæ tolerandæ. 152,2
Iniquitas propria agnoſcenda. 192,1
Iniquitatis mammona. 182,1. propria conſideratio facit humilem. 290,2
Iniuriam condonare maxima pietas eſt. 339,1. Deo aſſimilat. 345,1
Iniuriæ Dei non ferendæ. 348,1
Innocentia animæ requiſita ad eleemoſynam. 107,2
Innocentiæ puritas nos incitat ad amorem Dei. 7,1. meretur amicitiam Dei. 322,2
Inopia victus mouet Chriſtum ad miſericordiam. 153,1
Intellectus donum quid proſit. 47,2
Intellectus noſter informis abſque gratia. 354,1
Intentionis ſimplicitas incitat ad amorem Dei. 7,1
Inuidus optima quæque interpretatur peſſimè. 302,1
Ira ſeparat hominem à Deo. 140,1. Triplex. 141,1. impiorum. ibid. mala trium generum. ibid. periculoſa. ibid. 2. peſti ſimilis 143,1. Febri ſimilis ibid. iuſtorum. ibid. 2. Triplici ſpecie virtutis occultat ſe 145,1. iuſtorum (ſeu per zelum concepta) qualis. ibid. 2. diuinorum iudiciorum formidabilis. ibid. diuina quas habeat conditiones. ibid. & 146,1,2
Iudices decet eſſe iuſtos. 358,2
Iudicium diuinum. 5,2. temerarium cur prohibitum. 113,1
Iudicia Dei inſcrutabilia. 201,1
Iuſtitia boni operis nos incitat ad amorem Dei. 7,1
Iuſtitia quadruplex. 137,1. Scribarum deficiens Ibid. ſufficiens. ibid. 2. abundans Ibid. Super erogans. 138,1
à Iuſtitia ad contemplationem aſcendens, aſcendit ad tria. 203,2
Iuſtitia legis Chriſti fructus. 138. munimẽtum prælianti. ibid inſtrumentum iudicantis. ibid. ornamentum triumphantis. 139,1
Iuſtitiam Chriſtianam operandi modus. 135,2
Ad Iuſtitiam Chriſtianã duo neceſſaria. 134,2
Iuſtus & impius differunt viuendo & moriendo. 82,1 patiendo, & præmijs. Ibid.2
Iuſto vitæ neceſſaria deeſſe non poſſunt. 265,1
Iuſti cur tribulationibus exponantur, temporalium laborantes inopia. 153,2

L.

LAbor bonorum quomodo facilis. 132,1
Ad Laborem ſurgendum. 309,2
Lacrymæ vnde prouocentur optimè. 191,2
Ex Læſione ſequuntur, rancor, ſigna rancoris, actio iuris. 347,1
Lectum tollere quid. 311,2
Lex naturæ innouata fuit. 133,1. quid operetur. 136,1. Chriſti perfectiſſima. 136,1. iuſta & vtilis Reipublicæ, requirit, maturam deliberationem. 363,1. Cohabitationem ſecuram. ibid 2
Legis antiquæ & nouæ differentia. 3,2. nouæ veteris, & cæleſtis differentia. 138,1
Liberum arbitrium probatur. 285,1
Luxuria. 284,2
Luxurioſis è fœtoro ſurgendum. 311.2
Luxurioſorum corda ſimilia viæ lutoſæ. 221,1

M.

MAli bonis vtiles. 153,1
Mala ex bonis vt oriantur. 225,2 noſtra quæ. 296,1. infamia, inopia, ægritudo, inimicitia, mors. ibid.

Malo-

Malorum hominum fructus 172,1. humiliatio ignominioſa. 214, 2
Malorum & bonorum ciuitas, mundus. 332,1
Malorum ciuitas, infernus. 332,1
Mammona iniquitatis. 182,1
Mandata Dei leuia. 4.2. vt obſeruanda. 6,1. Quid ſint in hac vita. ibid.
in Mandatis Dei obſeruandis quæ notãda. 4,1
Mandatorum opera. 5,2
Manna. 62,1
Manſionis vocabulo cur dicta beatitudo. 23,2
Manum oſculari quid ſit. 229 1
Mariæ Virg. vterus, Chriſti thalamus. 317,2
in Maris periculis tria metuenda. 124, 2
Mater humillima, terra 148,1. duces. 183,1
Medicus perfectiſſimus Chriſtus. 280,2
Melchiſedechi oblatio. 62,1
Mentis deuotio nos incitat ad dilectionem Dei. 61 2 puritas acquiritur per caritatem. 292,1
Mercatores duplices. 197, 2. ſpirituales triplices. 199,1 auari, Simoniaci, hypocritæ. Ibid. & 2
Milites quales erunt; 359,1
Miſereri Chriſto proprium. 151,1
Miſericordia neceſſaria. 106,1. in mundo ibid. in extremo vitæ. ibid. 2. in iudicio. ibid. in Deo maxima. 114,1
Miſericordia Dei fortis. 118, 2. Humana debilis. ibid erga peccatores. 151,2
Miſericordia eſt ad cælum via. 183,1
Miſericordia dono Dei nobis acquirimus amicitiam. 323,1
Miſericordiam Dei prouocat in tribulationibus perſeuerantia. 152, 1. mouet inopia victus. 153,1
Moleſtiæ ab inimicis toleranda. 152,2
Mors incerta 80,1. triplex eſt 269,1. Corporis, & omnium eſt: ibid Spiritualis per culpam, & eſt malorum tantum. 270, 1. mors vitæ ſanctæ, eſtque ſanctorum duntaxat. 271,2
Mors damnatorum: 270,2
Mors culpæ comparatur morti naturali. 270, 2 propter finalem defectum. ibid. propter ſimilem effectum. 271, 1. propter ſimilem aſpectum. ibid. 2
Mortis & iudicij extremi tempus importunum. 174,1
Mortis incerta hora cognoſcenda. 192,2
Habenda memoria, 267, 1. Eſt mundi contẽptrix. 268, 1. Carnem refrænat. Ibid. 2. Tentationibus reſiſtit. Ibid.
In Morte ſperandum. 22,1.
Mortalia peccata quæ. 348,2.
Mortui boni deflendi non ſunt, ob multas cauſas. 272,2. Deflendi ſunt propter tres cauſas. 273,2
Mortuorum exequijs intereſſe prodeſt, 272,1
Mundanæ gloriæ menſuranda leuitas, 177,2
Mundani in iudicio de bonis decipiuntur, 265,2
Mundanorum beatitudo fallax. 230,1
Munditiès vitæ meretur amicitiã Dei, 322,2
Mundus cur mare dicatur, 121 1. Inquietus, Ibid. Amarus, 122,1.
Infirmus,. 123,1
Eſt ciuitas, 186 2
Bonorum & malorum ciuitas, 332,1.
Mundi ſeptem vitia, tanquam ſeptem plateæ, 188 1
Contemptrix eſt mortis memoria, 268,1.
Mundo ſeruire graue eſt, 254,2.
Munera diuina numeranda, 178,2.
Muri ciuitatis, diuitiæ ſunt, 187,1
Mutus & ſurdus peccatorem denotant, 219,2

N.

NAtura noſtra tripliciter conſiderata, 9,1
Humana, Chriſti ſponſa,. 317,2
Nauiculæ & pœnitentiæ comparatio, 123,1
Nauis tranſiens; 67,2
Naui periclitanti vt ſuccurrat; 124,1.
Negligentia, præcipua cauſſa pœnæ, 319,2
Negligentibus ad laborem ſurgendum, 309,2
Negligentium quatuor genera, 320,1
Negotiatio quando illicita, 197,2
Nobilitas ingens hominis ex creatione, 351,1
Noſſe ſeipſum in quibus conſiſtat, 193,1
Nuntius præcurrens, 67,2
Nuntios Dei varios eſſe, 83,1
Nuptiæ filij Dei magnæ, 86,1.
Nuptiarum Chriſti dona, 319,2
Nuptialis veſtis deturpatur peccato, 326,2
Nuptialis menſa Chriſti ſuauitas, 319,1.
Vinum,. Ibid.

Obedie

O.

OBedientiæ promptitudo adoleſcenti præcipienda. 267, dono conciliamus nobis Deum. 22,2
Oblatio Melchiſedechi. 62,1
Obmurmurare Deo ſtultum eſt. 96,1
Obſecratio. 207,1
Occaſionum fuga cogitationes malas repellit. 307,1
Occupationis perſeuerantia cogitationes repellit malas. 308,1
Oculi cordis noſtri in Deum dirigendi. 232,1
Odium, ſeu rancor dimittendus. 347,1
Offenſam quæ ſequantur. 12,1. remittere, maxima pietas eſt, 339,1. Deo aſſimilat, 345,1
Officiales ſeu præfecti triplices. 357,2
Opera noſtra filij noſtri. 118,1
Orandi conditiones ex parte mentis. 207,2. ex parte corporis. 208,2
Orandum in templis. 203,2
Orans qualis eſſe debeat. 206,1
Orare in Eccleſia, meritorium. 203, 2. prolixè, an bonum. 206,2
Oratio propriè. 207,2
Orationis forma qualis. 206, 1. circa orationis prolixitatem error gentilium. 206,2
Orationum ſpecies. 207,1, & 2
Oſculari manum quid ſit. 229,1
Otium vitent adoleſcentes. 275,1
Ouis proprietates. 43,1
Oues malæ comparantur iumentis inſipidis. 44,1

P.

PAgani tenentur etiam amare Deum. 238, 2
Panis Angelorum cur Euchariſtia. 62, 2 naturalis. 154, 2 Scripturæ. 156, 1. Gratiæ. Ibid. 2. Pœnitentiæ. Ibid. Euchariſtiæ. Ibid. deuotionis. 157, 1 Conſolationis cæleſtis. Ibid. erroris, mendacij, delectationis carnalis, adiuuãs ad malũ. 157, 1. Hypocriſeos, rapinæ & oppreſſionis pauperum, damnationis infernalis. ibid. 2
Pane ſeptuplici ſuos reficit Chriſtus. 154, 2. Et Diabolus. 157,1
Panes propoſitionis. 62,2
Parentibus quæ debeant filij, 338, 1. & ſeq.
Paſchalis agnus. 62,1
Paſtor oues paſcit. 37, 2. Et per oſtium introducit. 38, 2. defendere debet. 39, 2. malus vnde cognoſcatur. 40, 2. per Canonicam electionem debet ingredi ad curam. ibid. ad regendum conſtituitur. 41, 2. malus ſæpe vituperatur. 42, 1 malus varijs rebus comparatur. ibid. & 2
Pater noſter, Deus. 117,1
Patientiæ gradus. 81, 1. virtute Dei paramus amicitiam. 323,1
Pauperes noſtri ſunt in cælum duces. 183,1
Peccantes in Spiritum S. excluduntur à præmio maximè. 48,1
Peccator conuerſus lætificat Angelos 105, 2. Et omnes creaturas. ibid. ad Chriſtum adducitur. 217, 2. idq; variè. 218, 1. dicitur mutus, quia non laudat Deum. 222, 2. Quia non confitetur peccata. ibid. Quia non corrigit peccantes. 223, 1. diuerſimodè à Deo recedit, 365,2
Peccatores cõparati varijs rebus. 44, 1. & 2
Erga Peccatores Dei miſericordia. 151,2
Peccatoribus grauia quæ. 5, 1. tribus maximè ſurgendum. 309, 2, negligentibus ad laborem. ibid. auaris à terrenis ad cæleſtia. 311,1 Luxurioſis è fœtore. ibid. 2
Peccatorum onera quæ. 5, 1. opera mala. 36,1 via deſerenda 242, 2. via montoſa. 243. 2 Spinoſa. 244, 1. Lutoſa. ibid. ſtatus diuerſi. 309,1
Peccatum in Spiritum S. cur irremiſſibile 48, 2. nullum ſine ſuperbia. 257, 1. ſeruitutis eſt cauſſa. 334, 1. quare vocetur debitum. 339,2
in Peccato mortali factæ quid proſint eleemoſynæ. 108,2
à Peccato cur nequeat homo per ſe reſurgere. 217,2
de Peccato ſurgendum. 309,1
Peccata eleemoſynis vt redimantur. 108, 1. cõparantur nocti 127, 1. quare confitẽda. 245, 1. mortalia quæ. 348, 2. Et venialia. 349,1
in Peccatis excuſatio diuerſimodè fit. 343,1
ad Peccatorum remiſſionem ſola contritio non ſufficit. 246,2
Pentecoſtes feſti fructus. 3,1
Perſeuerantia in tribulationibus Deum facit miſericordem. 152,1
Phariſæorum zelus. 95,1
Pietas tria largitur. 46,2
Pietatis donum in tribus poſitum. 46,2
Pigris ad laborem ſurgendum. 309,2
Pœna damnatorum multiplex, 196,2
Pœna futura emendationem impedit ignorantia

rantia

rantia. 186, 1
Pœnitentia Deum lætificat.104,2. vera meretur Dei amicitiam. 322, 2
à Pœnitentia ad iuſtitiam aſcendens, aſcendit ad tria. 205,2
Pœnitentiæ impedimenta. 102,1. pudor propalandi ibid. timor ſatisfactionis & relapſus. ibid.2. delectationis ardor. ibid. præſtolandi torpor. 103,1
Pœnitentiæ vtilitates. 103, 2. Chriſti reconciliatio. ibid noſtra reformatio. ibid. dæmonum confuſio.104, 1. Angelorum lætificatio. ibid.
Pænitentiæ Sacramento reſurgit homo, & reparatur ad vitam. 242,1
Pœnitentia & nauiculæ comparatie. 123, 1. propter figuræ qualitatem. ibid. propter iacturæ poſſibilitatem 124,1
Pœnitentiam tria reddunt grauem. 312,1. diuinæ gratiæ defectus. ibid. ignorantia ſui ipſius. ibid. 2. priſtinæ voluptatis conſuetudo. ibid.
Ad Pœnitentiam quæ incitent 100, 2. amor Chriſti. ibid. 2. dolor ex amiſſa gratia. 101, 1. horror pœnæ. ibid. mortis timor. ibid. 2.
Ad Pœnitentiam feſtinandum. 243,1
Populi definitio. 363, 2
In Populo diuerſæ profeſſionis & conditionis homines. 359,2
Poſtulatio. 207,2
Potentum vita breuior. 77,1
Poteſtas temporalis ad regendos ſubditos neceſſaria, iure naturali. 360, 2. Iure ſcripto. 361,1. Iure legis Euangelicæ. ibid.2
Poteſtas temporalis inſtituenda congruè. 361, 2. Et cuiuſmodi moribus. 362,1
Præceptorum Dei tolerandum onus. 152,1
Prædicator. vide Concionator.
Præfecti prouinciarum quales debeant eſſe. 357,2. vide, Officiales.
Prælati ſubituri iudicium duriſſimum. 324,1. Et quare. ibid. 2. vide, Paſtor.
Præmia cæleſtia non appetuntur, & quare. 233, 2
Præmiorum cæleſtium abundantia conſpicienda. 233,1
Præſumptio in adoleſcentibus vnde. 276,2
Præſumptionis tumor adoleſcenti cauendus. 276, 2
Principi ſubijciuntur Officiales ſiue præfecti, milites, & populus. 357,2
Principem decet maximè clementia. 147,1
Principes ſint in Eccleſia deuoti. 362,1. Caſti & continentes. ibid. iudicantes ſecundum legem Dei. ibid 2. Seueri contra improbos, clementes in bonos. ibid.
Prophetæ falſi tres. 160,1. hypocritæ. 164,1
Proximus diligendus. 298, 2. neceſſitate naturæ. ibid legis diuinæ. 299, 1. Legis humanæ. ibid.
Proximus diligendus propter vtilitatem. 299, 1. abundantiæ copioſæ. ibid. maximæ ſecuritatis. 299,2. Sufficientiæ. ibid.
Proximus diligendus ob iucunditatem. 300,1
Proximi reſpectu recordanda tria. 80,1
Proximi & Dei caritas inter ſe cohærent. 298,1
Proximo tria debemus. 344, 1. dilectionem. ib. inſtructionem, & ſupportationem. ibid. 2
In Proximo tria cognoſcenda. 193,2
Proximum diligendi forma. 300,2
Proximorum facta benignè iudicanda. 112,2
Prudentiæ & conſilij differentia. 47,1
Pſeudoprophetæ, tres. 160,1. hypocritæ. 164,1
Puritas mentis per caritatem paratur. 292, 1. innocentiæ meretur amicitiam Dei. 322, 2

Q.

QVæſtio difficilis, quomodo huc intraſti? 323, 2

R.

RAncor odium ve dimittendum. 347,1
Raptoris pœna quæ. 340, 1
Raptus triplex. 340,1
Ratio de quibus exigenda in iudicio ſupremo. 175, 2
Ratio noſtra ſine gratia informis 354,1
Rationis in vltimo iudicio poſitionem quæ impedient. 174,1
Recreationis humanæ beneficium Dei maximum. 100,1
Regnum triplex 263,2
Pro Regno cælorum ſtrenuè agendum. 263,1
Religioſi rectè mortui dicuntur. 271,2
Remittere offenſam, pietas eſt maxima. 339, 2. Deo aſſimilat. 345,1
Rex nō eſt, qui nō dominatur sēſualitati. 328, 1

S.

SAcerdotes dignitatis maximæ 247, 2. honorandi. ibid. mali an honorandi. 248,1
Sacerdotibus confiteri doctioribus vtile 247. 1
An Sacrificandum quotidie. 65,1
Saliua ſapientiam notat. 219,1
Saliua Chriſtus ſurdi linit aures. 219,1

Salutis recordandum. 78,2.
Sanctorum beatitudo glorioſa. 231,2
Sapientia quid. 47,2
Cum labore paranda. 130,1
Sapientia donum præſtantiſſimum. 48,1
Diſcretio nos incitat ad amores Dei. 7,1
Scientia quis actus. 47,1
Scientia & conſilij differentia. 47,2
Senſualitati non dominans, rex non eſt. 328,1
Seruitus eſt effectum peccati. 334,1
Seruus Domino ſit fidelis. 334,2. nequam. 347, 1. nequam cur punitus. 348.1
Seruum benetractare Dominus tenetur. 336,2
Serui diuerſimodè fiunt. 334, 2. Quas debeant habere conditiones. Ibid.
Seruorum fidelitas erga dominos in quo conſiſtat. 335.1. & ſeq. Infidelium pœna. 336,1 genera quæ. 345,2.346,1.2.347,1
Simoniacus nocet electoribus ſuis, Eccleſiæ, Deo. 199,2
Societas mala vitanda adoleſcentibus. 276,2
Sperandum in morte. 22,1
Sperandum ac timendum. 100,1
Spiritus ſanctus cur ita dictus 11.1. Dei perficit amorem. Ibid. mittitur à Patre & filio: 3,1 tria docet. 17,2
Spiritus S. viſitationem quæ impediant. 8.1 æterna proceſſio. 12, 1 miſſio viſibilis. 14.1. miſſio neceſſaria. 10. 1. Temporalis. 13,1. miſſio inuiſibilis ad quos fiat. 16,2. Miſſionis fructus 17,1. ad miſſionem viſibilem neceſſaria quæ 16 2. præſentiæ ſigna. 15, 2. dona ſeptem 45,1. gratia per digitum ſignificata. 218,2.
in Spiritum S peccantes, excluduntur à præmio maximè 48,1. peccatum cur irr miſſibile. 48,2.
Spirituum genera. 11,1
Sponſa Chriſti humana natura. 317,2. Eccleſia, ſeu congregatio iuſtorum. 318,1,2.
Sponſæ deſcriptio. 86, 1. Chriſti pulchritudo. 318.1. Deſcriptio, quoad membra. Ibid. 2
Sui ipſius reſpectu recordanda tria. 80,1. notitia in quibus poſita. 193,1
Superbi deprimuntur. 290,2
Superborum vana ſolicitudo. 259,1
Superbia quantum malum. 210, 2. Ortu ſuo generoſa. Ibid. Inuadendo animoſa 211. 1. Alliciendo cauta. Ibid. Difficulter cognoſcitur. Ibid. 2. Occultat ſe ſub triplici virtutũ ſpecie. Ibid. Optimæ cognoſcitur ex vana gloria. 211, 1. Fugatur tribus medijs. Ib. 2 quale vitium. 287, perfectionem impedit maximè. 257,1. Deteſtabilis. Ibid. 2
Superbia ſublata, tollũtur omnia vitia. 257,2
Superbia comparatur aquæ intercuti. 282,2
Qualiter punita. 288,1. Magnã vitiorum turbam adducit. Ibi. 2
abſq; Superbia peccatum nullum. 257,1
Superbiæ damna 212,2. remedia. 289,1
Superſtitioſæ obſeruationes cauendæ. 55,1
Surditas ex oppilatione malorum humorum prouenit. 219.2. Ex pulueris aut Capillorũ iniectione in aurem. 220.1. Ex nimio vento incluſo. Ibid. 2
ex Surditate ſpirituali maxima damna proueniunt. 221,1
Surdus & mutus peccatorem ſignant. 219,2
Suſtinenda tria. 152.1. Onus præceptorum Dei. Ibid. Flagella. Ibid. Moleſtia ab inimicis illata. Ibid. 2

T.

Tabernaculum cœleſte dilectum. 185.1. Tribus gradibus ſcanſile. Ibid. 2
in Talentis dimittendis liberalitas Dei. 348,2
in Templum aſcenſus duplex. 203, 1. quatuor gradibus aſcendendum. 204,2
è Templo eiectio quid ſignificat. 196,2
Templa Chriſti varia. Vide, Chriſti templa.
in Templis orandum. 203,2
Temporalia quare dicta mendacium. 329,1
Tempus noſtræ mortis & extremi iudicij importunum. 174,1
Opportunium requiritur ad Dei cultũ. 261.2
Tentationibus reſiſtit mortis memoria. 268,2
Terra mater eſt humillima. 118,1
à Terrenis ad cœleſtia ſurgant auari. 311,1
Timendum & ſperandum. 100,1
Timor varijs rebus comparatur. 46,1. Cœleſtis Ibid.
Timoris ſpecies. 45.1, Vtilitas. 46,1
Toleranda tria. 152,1, & 2
Tribulatio corrigit. 19. 2. deiicit hoſtes animæ. 20,2
Tribulationis remedium fides. 21,2
Tribulationes patienter ferendæ. 18,2
in Tribulationibus perſeuerantia Deum ad miſericordiam prouocat. 152,1
Trinitas oſtenditur ſcripturis. 57,1. In figuris. Ibid. 2. In creaturis. Ibid Apparet in homine. 58,1
Trinitatem deſcribere periculoſum. 49,1

Trina-

Turbatio multiplex. 20. 2. *Ex variis cauſſis prouenit.* 21,1
Ne Turbemur. 21,1.

V.

Vana gloria quando mortale peccatum. 288 2
Vani deſcriptio. 91,1
in Vẽdita re triplex defectus attẽdendus. 198,2
Venialia peccata quæ. 349,1
Venter, Deus guloſorum. 76.1
Veritatis doctrina nos incitat ad amorem Dei.
Veſtis neceſſaria triplex, tàm corporalis, quàm ſpiritualis 325.1. *Ad calefaciendum.* Ibid. *Ad protegendum.* Ibid. 2. *Ad decorandum.* 326,1. *nuptialis deturpatur peccato.* 326,2
in veſtium pompa excuſationes. 82,1. *Muliebrium.* 73. 2. *Prælatorum, aliorumq́; Eccleſiaſticorum.* 74,1
Exceſſus quintuplex. 74.2
Vicinum beneficium. 5,2
Victus inopia mouet ad miſericordiam Chriſtum. 153. 1
Vilitatis propriæ conſideratio humilem facit, 289,2.
Villici officium. 179.1
Virginitatis incorruptio nos incitat ad amorẽ Dei. 7,1
Virtutum mater charitas. 292.2
Vita potentum breuior. 77,1
Vitæ huius onus grauiſſimum. 129,2. *noſtræ ratio timenda.* 174,1,2. 175,2 *neceſſaria iuſto deeſſe non poſſunt.* 265,1. *mundities meretur amicitiam Dei.* 322,2. *magna curarum anxietas.* 329.1
Vitia omnia tolluntur ſublata ſuperbia. 257,2
Vitiorum vaſa, corda. 307,1.
Vocatio Dei generalis, 88,1. *Et ſpecialis.* ibid.
Voluptas carnalis vxori comparatur. 90,1 *vana.* ibid. 2 *diſſuadetur.* 92,1. *noxia.* ibid. 2. *Effœminat.* ibid *accumulat dolorem.* 93,1. *obfuſcat decorem & ſapientiam.* ibid. *api ſimilis.* ibid.
Contra Voluptatem cautela. 91,1
Votum tria requirit. 341,2
Vſura Deo cur deteſtabilis. 155,1

Z.

Zelus Phariſæorum. 95.1

FINIS.

R. D.

NICOLAI POLONI,

DECRETORVM DOCTORIS,

ET REVERENDISS. EPISCOPI POSNANIENSIS SACELLANI, AC CONCIONATORIS celeberrimi,

SERMONES

DE PRAECIPVIS SANCTORVM FESTIS totius anni, ad populum inſtruendum exquiſitiſſimi,

Vulgò

VIRIDARIVM

nuncupati.

OPVS MVLTIS IN LOCIS RECOGNITVM, MENDIS SVBLATIS, notis marginalibus illuſtratum, & ad Concionatorum vtilitatem denuò editum.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Ioannem Crithium ſub ſigno Galli.

ANNO M. D. CXIII.

INSTYTUT OSSOLIŃSKIEGO

DE S. ANDREA.

SERMO I.

Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Matth. 4.

S. Auguſtinus in quadam homilia ſuper Iohannem, & etiam in gloſſa ſuper epiſtolam. 1. ad Thim. ait: Nulla alia cauſa veniendi Chriſtum in hunc mundũ fuit, niſi peccatores ſaluos facere. Idem dicit S. Ambroſius ſuper Lucam. Ille iuſtus venit ad nos peccatores, vt ex peccatoribus faceret iuſtos; pius venit ad impios, vt nos faceret pios; Humilis ad ſuperbos, vt ex ſuperbis faceret humiles. Ex quo patet magna Dei erga genus humanum miſeratio. Vnigenitus Dei filius, etſi humanum genus potuit ad viã ſalutis & veritatis reuocare per potentiam, in qua æqualis eſt Deo patri, voluit tamen hoc facere per ſapientiam, vt tanto mirabilior appareret benignitas, & excellentiſſima bonitas tanti redemptoris. Mira autem Dei tum ſapientia, tum benignitas, quod ipſe veniens in mundum, quoſdam de hominibus ſimplicibus & idiotis in ſuam vocare dignatus eſt familiaritatem, quales fuerunt Petrus & Andreas, quos de captura piſcium in capturam hominum vocauit. Vnde dicit Chryſ. ſuper Matthęum, quod inter cætera, quæ mundus de Chriſto mirabatur, fuit vnum hoc, quod totum mundum per tam paucos idiotas conuertit. Verè mirabilis ſapientia filij Dei in hoc apparauit, inquit S. Auguſt. *Epiſt. 2. ad Voluſianum.* quod ex pauciſſimis, imperitiſſimis & abiectiſſimis, multiplicata, nobilitata, & ſublimata ſunt, copioſiſſima agmina, clariſſima ingenia, dulciſſima eloquia doctorum, acutorum & facundorum. S. Hieronymus lib. 1. ſuper Matth. tractans verba thematis ita inquit. Hoc occulto Dei iudicio & abſcondito conſilio Dei actum eſt, vt piſcatores illiterati mitterentur ad prædicãdum, ne fides credentium virtuti humanæ, & eloquentiæ, ſed doctrinæ Dei deputaretur. Ideò Chriſtus vocat eos, dicens. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Aue Maria. In themate tria deſcribũtur; Primò Chriſti inuitatio, qua Apoſtolos ad ſe vocauit, cum dicitur, *Venite.* Secundò inuitationis ratio, quam in ſe Chriſtus demonſtrauit, cum dicit, *poſt me.* Tertiò venientium ad Chriſtum & imitantium magna remuneratio, cum ſubditur, *Faciam vos fieri piſcatores hominum.*

I.

Venite. Sciendum, quod præter Chriſtum plures ſtudeant homines ad ſe pellicere. Sunt autem mundus, caro, dæmon, & quiuis horum ſuum *venite* ingeminat, plurimique ſequuntur, ſenes & iuuenes & pueri à cunabulis extracti ſtatim alliciuntur, ſtatim inuitantur, & animantur ad colendum mundum. Iſte, vt fiat mercator, ille vt fiat miles, alius vt fiat diues, & ſic de alijs. Ita quod in mundo vnus alterum inuitãs dicit, *Venite fruamur bonis.* Iſido. de ſummo bono dicit, quod valde difficile *Sap. 2.* eſt homini in mundo conuerſanti cũ mundanis, quando adhæreat, & ita à vicijs maneat illibatus, in quibus etſi nõ cito implicatur, aliquando tamen attrahitur, nec diu poteſt eſſe ſecurus, qui periculo fuerit proximus. Quot ſunt, qui diebus iſtis inuitant homines ad mundi contemptum, ad propria ac ſe, pro ſuis peccatis totaliter relinquendum? Certè vel nulli vel pauci. Imò tantus ſtrepitus eſt mundi, vt vox Chriſti vix audiatur. Diabolus etiam per ſuos malicioſos inuitat ad ſubuertendum multos. Vnde malicioſi homines quæ bonis inui-

 dent,

dent, cantant illud Hiere. *Venite cogitemus contra iuſtum cogitationes, percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuerſos ſermones eius.* Percutere hominem lingua eſt præcludere illi viam reſpondendi, vt nihil poſſit dicere pro ſeipſo, vel percutere hominē lingua, poteſt eſſe falſum conſpirare & teſtificari contra hominem. Diabolus etiam inuitat ad ſuperbiam & ambitionem, iuxta illud: *Venite faciamus nobis ciuitatē & turrim, cuius cacumen pertingat ad* Gen. 11. *cœlum, & celebremus nomen noſtrum.* Notanter dicunt faciamus nobis ciuitatem, vt innuant quod cum labore peruenitur ad ambitionem. Omnes enim ambitioſi in maximis laboribus ſunt pro honoribus conſequendis, intantum, quod ſi tertiam partem laboris facerent propter Deum, maximi meriti forent. Sudant enim, patiuntur diſcrimina viarum, & defectum victualium, mentiuntur, adulantur, ſimulant ſanctitatem, humiliantur, & ſic ſemper ſunt pauidi & attenti, ne dicant quod diſpliceat. cunctos honorant, cunctis ob- *Innoc. lib. de vilitate cōditionis hum.* ſequuntur, aſſurgunt, amplexantur, applaudunt, blandiuntur, inquit Innocent. Vnde de talibus verificatur illud Ouidij in libr. de arte amandi. Et ſi nullus erit puluis tu excute nullum. Caro etiam per ſuos cantat inuitatque voluptatem, & concupiſcentiam, iuxta illud, *Venite & fruamur bo-* Sap. 2. *nis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino precioſo & vnguento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* Duo dicunt, ſcilicet precioſitatem vini, & nimiam quantitatem, vino precioſo impleamus nos. Non ſufficit enim guloſis & intemperātibus bibere vinum qualecumque, ſed precioſum: nec bibere ad menſuram, ſed ad plenitudinem, cum tamen natura hūmana modico ſit contenta vt dicit Boetius Et Apoſtolus. *Ha-* *Boetius 2. de cōſola. proſ. 5. 1. Thim. 6* *bentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Addunt autem: & vnguento, per quod intelliguntur electuaria ad iucundè bibendum, vel ad vngendum corpora & facies, vt magis reſplendeant. Addunt: *& non prætereat nos flos temporis*, quin ſcilicet de ſingulis floribus noſtras delicias habeamus. Sequitur ibidem; *Coronemus nos roſis*, ſcilicet laſciuiæ ſecundum Robertum Hol. ſed certè poſtea coronabuntur tribulatione. Vnde Iſa. *Coronans coronabit te Dominus tribulatione.* *Iſa. 2. Thre. vlt.* Tunc dicent reprobi illud Threnorum. *Defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter, cecidit corona capitis noſtri, væ nobis, quia peccauimus.* Præter iſtos malos inuitatores inuitator eſt optimus Chriſtus, qui ſuis hic in euangelio dicit, venite: *Venite*, inquit, *filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* *Pſalm. 33.* Bonus inuitator & creator, qui incipit inuitare ad timorem, à quo incipit ſalus humana, eò quod *initium ſapientiæ ſit timor Domini.* *Eccl. 1.* Venite ergo, paſſibus mentis, audite me aure intelligentiæ & obedientiæ, timorem Domini docebo vos, non mundi, non hominum, ſed Domini, qui eſt timor filialis. Hunc Chriſtus docet, vt bonus magiſter apud Matth. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hæc nihil habent, quod faciant, verumtamen oſtendam vobis quem timeatis; timete eum, qui dum occiderit corpus, habet poteſtatem mittere animam in gehennam.* *Matt. 10.* Venite ergo non ad mundi vanitatem, ſed ad cœli claritatem. Venite non ad diaboli aſtucias & fallacias, ſed ad Dei iuſticias. Non ad carnis delicias, ſed ad æternas delicias. O ſi obediendum eſt papæ, imperatori, regi, duci, aut cuicunque Domino, qui inuitat ad conuiuium terrenum, vel ſęculi ſolacium; quantò magis huic Domino, regi regum immortali, tam potenti cui nullus poteſt reſiſtere; tam ſapienti cui nullus poteſt contradicere, aut coram eo ſe excuſare; tam benigno qui non poteſt aliquid incongrui perſuadere? Hoc ponderabant iſti Apoſtoli Petrus & Andreas in Chriſto: ideò ſtatim relictis omnibus ſecuti ſunt eum, vt dicitur in fine euangelij.

II.

Inuitationis rationem Chriſtus demonſtrauit, cum dicit: *Poſt me*: quaſi dicat. Non pigeat vos ſequi dominum & ire viā, per quam ego prius ambulaui, quia non eſt ſeruus maior domino ſuo. *Ioan. 15. in lib. de vera relig.* Ad hoc .n. (vt dicit Aug) omnia bona Chriſtus cōtem-

pſit,

pſit, vt contemnenda monſtraret; et omnia mala ſuſtinuit, vt ſuſtinenda præciperet. Vnde tota vita Chriſti in terris, quam geſſit per hominem, diſciplina morum fuit. Ad hanc ergo inuitans apoſtolos & nos in apoſtolis dicit & hodie: Venite poſt me. Magna enim ratio eſt ſequi Chriſtum, ex quo ipſe præceſſit & viam fecit faciendo, quod monuit, vt dicitur actuū 1. Circa quod eſt ſciendum, quia quoſdam Dominus ad ſe vocat, quoſdā ſecum, quoſdam poſt ſe. Ad ſe vocat incipientes vel actiuos; ſecum vocat proficientes ſiue contemplatiuos; poſt ſe vocat prælatos & perfectos. De primo, ſcilicet quando vocat ad ſe, dicitur. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos.* Duo dicit, laboratis, & onerati eſtis. Laborat enim peccator ex eo, quod habet difficultatē ad benè operandum, cum ſit vulneratus & debilis, imò ſemiuiuus in naturalibus relictus, poſt peccatum primi parentis. Vnde pſal. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* In hoc verſu inſinuatur nobis proceſſus tentationis. Tria autē ſunt, quibus comparatur tentatio, ſcilicet aqua, ignis & onus, per quæ poteſt apparere qualiter tentatio procedat. Et primò proſequitur de aqua, cum dicit. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Qui enim tentatur, primò, quaſi intingit pedem in aquam vſque ad talos, & hoc cum malum cogitat. Secundò ad vmbilicum deſcendit, cum vſque ad delectationem peruenit. Tertiò ad medium colli, cum de procurando peccato in verba exit. Quartò ad nares & oculos mergitur, quando nec fœtor peccati ſentitur, nec Dei iudicium formidatur. Quintò frons immergitur, cum peccatum manifeſtè facere vel iterare non confunditur. Sextò aquę caput ſupergrediuntur, cum multitudine peccatorum inuoluitur. Secundò comparatur tentatio igni, qui primò mediocre ſtramen comburit; deinde ad trabes & tectum ſerpit, & accendit domum; & de domo in domum tranſit, & ſuccendit totā ciuitatem. *A ſcintilla vna augetur ignis.* Cōparatur etiam tentatio oneri. Primò enim proijcit diabolus quaſi vnam palam terræ ad cumulationem peccatorum, cum vnam

Vocat Christus quoſdam ad ſe, quoſdam ſecum, quoſdam poſt ſe.

Matt. 11.

Pſal. 37.

Tentatio comparatur aquæ.

Igni.

Eccl. 11.

Oneri.

carnalem vel terrenam cogitationem immittit. Secundò humat, cum cogitationes immittit, & malarum affectionum congeriem. Ad vltimum lapidem obſtinationis ſupponit per conſuetudinem. Treno 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea: poſuerunt lapidē ſuper me.* Hoc eſt ergò onus graue, de quo dicit dominus: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis,* ſupple onere peccati. Tripliciter onerant peccata, vel quia multa in numero, vel quia altè aſcendūt in loco, vel quia in ſeruitutem redigunt. Vnde. Eſdræ 9. *Iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerūt vſq; ad cœlū.* Vnde Ioannes. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Quantumcunque tamen his grauatus eſt homo, adhuc dicitur ei à Chriſto; Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis. Secundò vocat Chriſtus quoſdam ſecum: de quo Ioannis 1. vbi diſcipuli quæſiuerunt à Chriſto. Rabbi, vbi habitas? qui dixit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt, vbi maneret, & apud eum manſerunt die illa. Taliter petijt manere cū Chriſto latro ille à dextris, qui dixit. *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Cui dictum eſt: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Iſtud pertinet ad proficientes & contemplatiuos, qui requieſcunt cum Chriſto tanquam pueri in cubili. De quibus dicit ille pater euangelicus. *Amice iam pueri mei mecum ſunt in cubili.*

Peccata onerant.

Ioann. 8.

Luc. 23.

Luc. 11.

Tertio vocat Chriſtus quoſdam poſt ſe, vt prælatos & perfectos, de quibus hic. *Venite poſt me.* Super quem locum, *poſt me,* dicit Bern. Quam pauci ô Domine poſt te ire volunt: volunt tecum frui, ſed non imitari; conregnare cupiunt, ſed non compati. Et ibi inducit hiſtoriam de Balaā propheta, qui optabat, vt anima eius moreretur morte iuſtorum. Optabat ſibi extrema iuſtorū, ſed non præſentia. Sic dicit Bernard. quod multi optant hodie mortem ſpiritualium, etiam carnales exiſtentes, quorum tamen vitam abhorrent: non curant quærere, quæ tamen deſiderant inuenire, cupientes conſequi, ſed nolunt ſequi. Non tales fuerunt iſti Apoſtoli, quibus Chriſtus aiebat: vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Hi enim ſecundum Bern. ſe-

Bern. ſer. 16. Super Cantica.

cuti ſunt Chriſtum, & pedibus & affecti-
bus, quibus ipſe fecit notas vias vitæ, qui
via veritas & vita eſt, dicēs eis. *Venite poſt*
me. Inter iſtos autem eſt differentia. Nam
primi qui vocant ad Chriſtum, vt incipien-
Matt. 19. tes, veniunt per viam mandatorum. *Si vis*
ad vitam ingredi, ſerua mandata. Secundi
qui vocantur cũ Chriſto, vt proficientes &
contemplatiui veniunt per ſemitam conſi-
Ibidem. liorum, quibus dicitur. *Si vis perfectus eſſe,*
vade & vende omnia, & da pauperibus & ſe-
quere me. Tertij qui vocantur ſequi Chri
ſtum, vt prælati, veniunt per compendium
virtutis ſupererogationis. *Curramus ad pro*
Hebr. 12. *poſitum nobis certamen.* Prælati enim debēt
eſſe parati ad ponendum animas, pro ſub-
ditis velociter. Vnde Petrus ad Chriſtum
Matt. 14. dixit. *Domine, iube me ire ad te ſuper aquas.*
Hoc eſt dicere, paratus ſum & in mortem
& in carcerem ire pro ouibus tuis. Talis
fuit B. Andreas, qui Chriſtum perfectè ſe-
cutus eſt, ita vt pro eo & pro ſuis fidelibus
eandē mortem crucis ſicut Chriſtus pro eo
ſubiret, in quo magna gloria dignus eſt.
Eccl. 23. Quia *Gloria magna eſt ſequi dominum ſuum.*
Serm. 21. Et in hoc, vt dicit Bernard. expreſſa eſt for-
ſup. Cāt. ma omnium prælatorum, qui non poſſunt
melius ſequi Chriſtum, quam vt teneant
normam vitæ ſuæ, & morum eius apprehē-
dant diſciplinam. vt & ſic abnegent ſemet-
ipſos & tollant crucem ſuam & ſequantur
Chriſtum.

III.

Venientium ad Chriſtum & imitantiũ
eum magna remuneratio eſt, dicitur nam-
que. Faciam vos fieri piſcatores homi-
Matt. 8. num: Vbi Matthæus dicit, quod *Chriſto aſ-*
cendente in nauim cum diſcipulis factus eſt
motus magnus in mari. dicit gloſ. Quod ma-
re ſignificat præſens ſæculũ. Vbi nauis eſt
eccleſia, diſcipuli in naui fideles chriſtiani.
Hoc mare turbatur periculis & tentationi-
In mari bus tribulationis. Sunt autem triplices fi-
huius ſe- deles in hoc mari. ſcilicet peregrini, merca-
culi tri- tores, & piſcatores. Et ſecundum hoc tri-
plices fi- plex eſt nauis in hoc mari; ſcilicet peregri-
deles, & norum, mercatorum & piſcatorum. Pere-
t' p x grini ſunt pœnitentes. Quia ſecundum
nauis. Hieron. Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt
naufragium. Ad iſtam multi confugiunt,
ſed pauci ad littus perueniunt, quia multi
ſunt vocati, pauci verò electi. *Secunda na-*
uis eſt mercatorum, hominum actiuorum.
De qua Prouerb. vltimo dicitur. Facta eſt
quaſi nauis inſtitoris. Gloſſ. quæ acquiren-
nis mercibus ſedulè inſtat. Sed certè iſta na-
uis cito ſubmergitur, ſi non habeat bonum
vectorem, quia conſcientia hominum acti-
uorum in hoc ſeculo cito periclitatur, ſi nō
habeat bonum ductorem, informatorem,
conſultorem, prædicatorem, confeſſorem.
Tertia nauis eſt piſcatorum. Piſcatores ſūt
prædicatores & ſucceſſores Apoſtolorum
in verbo Dei, qui piſcatores capiunt piſces,
id eſt, animas ab aquis voluptatum & diui-
tiarum huius ſeculi ad littus quietis & con-
templationis. Hoc autem fit tripliciter, ſe-
cundum quod piſcatores tripliciter piſcan- *Prædica-*
tur piſces, ſcilicet lutana ſeu gurguſtio, ha- *tores tri-*
mo & rati. *Primo* ergo piſcantur prædica *pliciter*
tores animas fidelium gurguſtio, & hoc e *piſcantur*
xemplo bonæ conuerſationis & exhibitio- *animas.*
nis. Lutana eſt ſporta de pluribus lignis fa-
cta, repagulum intra aliam ſportam habēs.
Sic bonum exemplum de operibus factũ,
habet ſportulam conſcientiæ, vt quod fo-
ris oſtendit in vita, intus habeat in con-
ſcientia: ne cum alijs prædicet, ipſe repro-
bus efficiatur, & hoc eſt proprium piſcato-
ris Chriſti, vt prius doceat opere, poſtea
verbo. Sic fecit Chriſtus. *Cœpit Ieſus facere,* *Act. 1.*
poſtea *docere* quia multum docet bona vi
ta, ſecundum illud. Melius docet bona vi-
ta quam litera prædicationis. *Secundò ha-*
mo confeſſionis, quia ſicut hamo tantũ vnus
piſcis depræhenditur, ſic in confeſſione tā-
tum vnus homo capitur. Heu Domine quā
pauci piſces ſunt qui hamo capiuntur, id
eſt, purè confitentur, & ſi pœnitentiam ac-
cipiant tamen reijciunt, & ideo extrahi nō
poſſunt de aquis peccati. *An extrahere po-* *Iob. 40.*
tero leuiatan hamo, Petrus hamo piſcem ex-
traxit in cuius ore ſtaterem inuenit Matth.
17. Per ſtaterem in ore confeſſionem acci-
pe. Multi piſces capiuntur, ſed non habēt
ſtaterem in ore, quod fit cum non purè cō-
fitentur. *Tertio* capiuntur piſces animarum
reti prædicationis, quo multi ſimul capiũ-
tur. *Aſcendit Petrus & traxit rete plenum* *Ioan. 21.*
magnis piſcibus, Rete iſtud prædicationis ſę-
pe rumpitur tunc, quando prædicatio poſt
receſſum non curatur. De Apoſtolis piſcā-
tibus

tibus ſcribitur, quia non eſt ruptum rete eorum poſt reſurrectionem Domini, quod tamen ante reſurrectionem legitur fuiſſe ruptum Luc. 5. Per quod ſignatur, quod cũ populus ſurgit à vitijs ad virtutes non rumpitur rete. Et cum prędicator viuit ſicut docet, fortificatur rete. Cum autem populus non curat præcepta prædicationis, & prædicator non addit, nec apponit virgam correctionis, nec reſurgere facit negligentes, rumpitur rete & fruſtratur fructus prædicationis. Quia igitur B. Petrus & Andreas fuerunt boni prędicatores, quorum rete nõ eſt ruptum, ideo multa ceperant, multa dico millia animarum Chriſtifidelium, pro quorum conuerſione multa præmia reportauerunt. Nam ſecundum Chryſoſt. prædicator verbi Dei habebit multiplicia gaudia, iuxta illud. Super omnia bona ſua conſtituet eum. *Matt. 24.* Quia non vt alij ſed præ cæteris alijs habebit æterna gaudia, tum pro ſua bona vita, tũ pro gregis cuſtodia. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. *1. Tim. 5.* Et ſic ſecundũ Chryſoſt. ex proprijs vitis habebunt auream; ex ſubditorum acquiſitione, aureolam. Primum quia bene vixerunt, Secundum quia alios bene viuere docuerunt. O quam bona remuneratio piſcatorum, qui & hic honorantur à fidelibus, & in futuro à Chriſto præmiantur æternis gaudijs; Ad quæ nos perducat ęternus Pater.

DE EODEM SERMO II.

Relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Matth. 4.

LICET ad commendationem ſãctæ paupertatis poſſit ſufficere, quod hominem replet virtutibus; (nã, vt dicit Caſſiod. ſuper Pſal. 101. Pauperes Chriſti egent in ſeculo, ſed ſunt locupletes ex Deo. vicijs vacui, ſed virtutibus pleni; deſpecti hominibus, acceptabiles Deo) tamen ſuper omnia paupertas ſancta redditur commendabilis, ex eo quod ita locuples eſt, vt ea ditius nihil inueniri poſſit. De quo ita Aug. Tam locuples eſt paupertas quod cœlum emit. *Aug. de verbis Apoſt. Serm. 28.* Quibus enim theſauris cõferri poſſit quod paupertati videmus indultum. Vt ad regnũ cœlorum veniret diues poſſeſſione ſua obtinere non potuit, nunc obtinet vt per contemptum perueniat. Hæc ille. Hoc attendẽtes Apoſtoli Petrus & Andreas, ſapienter pro Chriſto omnia relinquentes ſecuti sũt eum, vt tantò perfectius perueniant in cœlum. *Propoſitio* Verba thematis tria tangunt, ex quibus iſti Apoſtoli commendantur. Primò namque reddunt commendabiles ex volũtaria paupertate, cum dicitur. *Relictis omnibus.* Secundò ex perfectæ obedientiæ promptitudine, quod *ſecuti ſunt.* Tertiò ex Chriſti conformitate, cum dicitur, *eum.*

I.

Apoſtoli redduntur commendabiles ex voluntaria paupertate, quia pro Chriſto aſſumpſerunt. Multum commendabiles ſunt qui ſua libenter pauperibus Chriſti largiũtur. Quia talibus dicitur. *Date & dabitur vobis* ſcilicet regnum cœlorum. *Luc. 6.* Et in Pſal. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperẽ.* *Pſal. 40.* ſed multò commendabiliores ſunt Apoſtoli, qui omnia ſimul pro Chriſto reliquerunt. Vnde Auguſt. Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominum inſimul donare, & abſolutum à ſollicitudine egere cum Chriſto. *In lib. de eccleſiaſticis dogmatibus.* Hæc ille. Sunt autem nobis tria relinquenda quæ Sancti Apoſtoli reliquerunt; ſcilicet peccata, mundum, & ſeipſos. *Tria relinquẽda.* Primum ergò relinquendum eſt peccatum, quod nemo rectè incedit qui portat illud. *1. peccatũ.* Vnde ſcriptura: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur.* *Prou. 28.* id eſt, non recta via ducetur: Meritò aũt relinquẽda ſunt peccata, quia ſunt quaſi res furtiua, quæ relinquenda eſt & proijcienda à ſe, ne cum eis homo capiatur, & in inferno ſuſpendatur. Vnde Pſalm. *Proijciamus à nobis* *Prou. 5.*

iugum

Prou. 5. *iugum ipſorum*.ſcil. peccatorũ. Et ratio, *quia iniquitates ſuæ capiunt impium*. Ideò Ezech. conſulit di: *Proijcite à vobis peccata veſtra, & non erit vobis iniquitas veſtra in ruinã*. *Ezec. 18.* Notanter pſalm. & Ezechiel dicunt: *proijcite*. id eſt, procul à vobis iacite; quod fit, quando homo non ſolum vitat peccata, ſed etiã occaſionem & circumſtantiam peccati. Nõ procul iacit peccatumm, qui poſt confeſſionem ſuam iterum conuerſatur perſonæ, cum qua peccauit; vel locum aptum & cõgruum peccato, aut alias ſuſpectum nõ vitat, vel non fugit tempus oportunum. *Secundo mũdus relinquẽdus.* Secundò relinquendus eſt mundus, eo modo quo Chriſtus dicit *Iterum relinquo mundũ, & vado ad Patrem*. *Ioan. 16.* Non dico mundanam habitationem, ſed mundanam poſſeſſionem. Vnde Apoſtoli, etſi habitauerunt in mundo, non tamen voluerunt habere poſſeſſiones mundi *Ecce nos reliquimus omnia*. *Matt. 19.*

Dupliciter relinquuntur omnia. Duobus autem modis ſunt relinquenda omnia. *1. Quoad poſſeſſionem,* *Primò*, relinquenda ſunt, quo ad poſſeſſionem, vt nihil homo velit habere de poſſeſſione mundi; & hoc eſt perfectorum & verorũ Apoſtolorum. Nã vt dicit Hierõ. in quadam epiſtola, Apoſtolicum eſt faſtigium, perfectioque virtutum, omnia ſimul vendere, & pauperibus erogare, & ſic expeditum cum Chriſto ad cœleſtia volare. Tales fuerunt Apoſtoli, quia audacter Chriſto dicebant. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Super quo dicit Hieron. Grandis fiducia, Petrus piſcator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen lætus & cõfidenter dicit: *Reliquimus omnia*. Omnia relinquit, qui voluntatem habendi deſerit. Ideo dicit Hieron. quod Apoſtoli reliquerunt totum mundum, non quantũ ad diuitias, quibus caruerunt, ſed quantum ad voluntatem, quia habere eas noluerunt. *Hom. 6.* Hinc Gregor. *Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit,* Multum reliquerũt Petrus & Andreas, quando deſideria habendi reliquerunt. Multum dimiſerunt, qui cum re poſſeſſa etiam concupiſcentijs renuntiauerũt. A ſequentibus autem Chriſtum tanta dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt.

2. quoad amorem. *Secundo*, relinquenda ſunt omnia, etſi non quoad poſſeſſionem, tamen ſaltem quoad amorem. *Hugo.* Hugo dicit, quod ſunt nonnulli in mundo qui rebus abundant; ſunt tamen pauperes ſpiritu. Et hæc ſecundum ipſum eſt aurea paupertas, quia licet affluant diuitiæ, tamẽ corda non apponunt. Gregor. in hom. dicit de talibus; *Gregor.* Si nihil in hoc mundo amãdo poſſederitis, etiam poſſidendo cuncta relinquitis. *Paupertas etiam cum diuitijs eſt.* Ex his infero, quod paupertas ſtat cum diuitijs, quia diues poſſeſſionibus, ſed humilis, non ſuperbus, non auarus, poteſt eſſe ſpiritu pauper, vt dicit Auguſt. *Pſal. 48.* ſuper illud Pſalm. *Simul in vnum diues, & pauper*. Ex quo ſequitur, quod poſſeſſio diuitiarum ſecundum ſe non eſt illicita, quia diuitiæ ſunt bonis adiumenta virtutum inquit S. Ambroſius. Cum enim homines ex poſſeſſis rebus ſubſidia egentibus miniſtrãt, in bonis, quę faciunt, ſacrificium Deo offerunt, inquit Gregor. *In quadã hom ſuper Ezechielem.* Secundò hinc infero, quod habet D. Thomas, ſcilicet, hominem cum diuitijs perfectum eſſe poſſe, quia nec fidem, nec ſpem, nec charitatem excludunt. *Lib. 3. cõtra Gẽtes.* Hinc ab Eccleſiaſt. dicitur. *Beatus diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in theſauris pecuniæ*. *Eccl 31.* Vnde Abraham, qui fuit ſatis diues, dictum eſt à Deo. *Ambula coram me, & eſto perfectus*. *Gen. 17.* Sic Dauid legitur fuiſſe diues rex, & tamẽ de ſe dicit: *Cuſtodi me Domine, quoniam ſanctus ſum*. Et Deus de ipſo dicit. *Inueni Dauid virum ſecũdum cor meum, qui facit omnes voluntates meas*. Quod tamẽ ad ſolum perfectum pertinet, ſcilicet facere voluntatem præceptorum & conſiliorum. Sic in nouo teſtamento leguntur diuites fuiſſe Sancti Epiſcopi Gregor. Auguſt. Ambroſ. De quibus tamen nullus dubitare debet, quin fuerint ſanctiſſimi. *Ordo rationis in diuitijs obſeruandus.* Non ſunt ergò diuitiæ malæ, ſi rationis ordo in eis obſeruetur. Ordo autem rationis eſt triplex. Primò quod homo eas iuſtè poſſideat, nè acquirat auarè, vel nè ſuccedat in diuitijs auarè acquiſitis. Secundò, quod in eis finis non conſtituatur, nec ſpes ponatur. Tertiò, quod eis debito modo vtatur, ad ſuam videlicet, & ad aliorum vtilitatem. *1. Tim. 6.* Vnde Apoſtolus diuites non condemnat, ſed eis certam regulam vtendi diuitijs præſcribit dicens. *Diuitibus præcipe, non ſublimè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, benè agere, facilè tribuere, communicare, & theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum.* Sed

hic

hic occurrit dubium. Ex quo enim poteſt quis ſanctificari, & eſſe perfectus cum diuitijs, quare ergò Apoſtoli omnia reliquerunt, & hodie aliqui relictis proprijs monaſteria intrãt. Et quare Chriſtus conſulit ſuis
Luc. 14. diſcipulis dicens. *Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipu-*
Matt. 19. *lus.* Et *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* Ad quod reſpondeo. Quod licet quis poſſit eſſe perfectus, & ſanctus cum diuitijs per fidẽ & opera caritatis, quia in hoc conſiſtit principaliter perfectio, tamen iſta perfectio in paupertate inchoatur, & ideò paupertas ſuadetur, & cõſulitur per Chriſtũ. Vnde Lyra. exponit illã literã. Si vis perfectus eſſe, id eſt, aſcendere ad ſtatum perfectionis, ſupra communem ſtatum ſaluti neceſſarium, vade contemnendo temporalia, & vende, quæ habes, & da pauperibus propter Deum. Dominus itaq; ſuadet paupertatem, propter facilitatem implendi ea, quæ Dei ſunt, & quæ ad charitatẽ pertinẽt; & quia venenum charitatis eſt cupiditas, ideò ſuadetur contemptus diuitiarum, non quod cum eis ſit impoſſibile, ſed quia difficile. Vnde non dixit Saluator impoſſibile eſt diuitem intrare in regnũ cœlorum, ſed dixit difficile. Hoc ideò dicit, quia difficile eſt tenere diuitias, & nõ teneri nimis amore earum. Sicut patuit de illo adoleſcente, qui audito conſilio Chriſti de voluntaria paupertate, abijt triſtis. Ideò triſtis abijt, quia nimis amabat poſſeſſiones terrenas, & ideò non potuit ad perfectionem aſcendere. Patet igitur, quod poſſeſſio diuitiarũ ſolum diſſuadetur, vt eſt impedimentũ perfectionis; & paupertas, vt eſt principium perfectionis, conſulitur. Vnde dimiſſio tẽporalium per voluntariam paupertatẽ tria ſu-
Lib. 30. Moral. peraddit ſuper poſſeſſionem diuitiarũ benè diſpenſatarum. Nam primò, ſecundum Gregor. facit hominem quadam libertate gaudere, per hoc quod eſt ſolutus à ſolicitudine, & nullo aduerſitatis coarctatur terrore. Secundò, quia facit hominem in certamine tentationum cõtra diabolum, carnem & mundum fortiorem. Nudus eſt diabolus, quia nihil poſſidet hic: Nudi ergò & nos debemus eſſe à poſſeſſionibus, qui cum eo pugnamus. Nam cum veſtitus cum nudo pugnat, citius deijcitur. Hæc Greg. Tertiò, quia in triumpho facit hominem fortiorem. Nam qui hic relinquit, illic profectò culmen iudiciariæ poteſtatis obtinebit. De qua dicitur. *Qui reliquiſtis omnia, ſedebitis ſuper ſedes &c.* Matt. 19. Tertiò relinquere homo debet ſeipſum, id eſt, propriam voluntatẽ. Vnde Matth. 14. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſeipſum.* 3. Seipſum relinquere debet. id eſt, proprium ſenſum, propriam voluntatem: Vnde abneget, id eſt, abiectum neget ſe in omnibus, quorum ipſe eſt cauſa, quia vel vana ſunt, vel mala. Vel abneget ſemetipſum; nõ tantum ſua, & ſuos, ſed ſuum intellectum, ſuum affectum, ſuum ſenſum. Intellectum rationis, affectum voluntatis, ſenſum carnis. Primum abnegatur per fidem; ſecundũ per charitatem, tertium per ſpem. Chryſ. ponit pulchrum exemplum de iſta abnegatione; Sicut .n. aliquis abnegat alium, ſi videns ipſum afflictum, ſi ligatum, ſi ægrotũ, ſi hoſtibus infeſtatum, non iuuat; ita non vult Chriſtus nos corpus noſtrũ agnoſcere, ſi comburatur, ſi flagelletur, ſed abnegare. Sed dices: Quid eſt propria voluntas hominis. Reſpondeo, quod illa, quæ eſt cõtra voluntatem Dei, vel ſui ſuperioris. Cum .n. aliquis vult, quod Deus velle prohibet, nullum habet auctorem ſuę voluntatis, niſi ſemetipſum, & ideò dicitur propria volũtas hominis; quæ ſemper mala eſt, quia Deo ſubiecta non eſt. Si .n. Deo ſubiecta eſſet, propria non eſſet. Nullus debet propriã voluntatem habere niſi Deus, cuius voluntas nulli eſt ſubiecta. Propter quod nõ eſt homo ſub cœlo, qui licitè poſſit eſſe ſuæ volũtatis; cum omnis anima ſublimioribus poteſtatibus debeat eſſe ſubdita, & maximè diuinæ voluntati. Et hoc eſt abnegare ſeipſum. i. obedientẽ eſſe Deo per omnia, vel ſuo ſuperiori in his, quę ad Deũ pertinent.

11.

Apoſtoli redduntur commendabiles ex obedientiæ promptitudine, cum dicitur. *ſecuti ſunt*, & pręmittitur *cõtinuo*, i. ſtatim vel mox, vel ſine procraſtinatione, ſine mora, ſine excuſatione. Duo ergo hic dicuntur. Primò *ſecuti*, ſecundò, quia *continuo*. Talis debet eſſe obediẽtia Chriſtianorum, vt ſtatim pareant & exequantur, quæ eis pręcipiũtur. In hoc ergò primo, quod ſecuti ſũt,

arguuntur multi negligentes, qui ſedēt, vel iacent. Item ex hoc arguuntur præſumptores, qui non ſequuntur, ſed præeunt arripientes, & aggredientes difficilia proprijs viribus: quæ non niſi cum gratia diuina eſſent attentanda. *1. Cor. 15.* Non ſic fecit Paulus, qui dixit: *Gratia Dei ſum, id quod ſum* Item arguuntur ambitioſi, qui currūt, non ſequūtur. Currunt enim hoc modo, frequentant curias, girant prouincias, pertranſeunt regna, transfretant maria, vt honores conſequantur. Item arguuntur recidiuantes, qui retrocedunt. *Matt. 20.* Negligentibus dicitur. *Quid ſtatis hic tota die otioſi?* *Idem 6.* Præſumentibus dicitur. *Vade poſt me Sathanas.* *Hebr. 5.* Ambitioſis dicitur. *Nemo aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo:* *2. Petr. 2.* Recidiuantibus dicitur. *Melius eſt viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam retroire.* *Luc. 9.* Et *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* *Gen. 9.* Vnde vxor Loth, quæ retroſpexit ad Sodomam, verſa eſt in ſtatuam ſalis. *Obedietiæ forma.* Secundò in hoc, quod dicitur continuò, innuitur obedientiæ forma. Debet enim eſſe ſequela fidelium prompta per ſubitam executionem mandatorum. *Eccl. 5.* *Nè tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* *Idem 31.* *In omnibus operibus eſto velox, & omnis infirmitas,* ſcilicet culpæ, *non occurret tibi.* Secundò debet eſſe ſequela libera per temporalem abrenunciationem. Vnde hic dicitur. *continuò relictis retibus.* Hoc eſt contra cupidos, qui in aquis maris huius auari ſeculi, reti cupiditatis piſcantur ranas, hoc eſt, diuitias terrenas, & lutoſas. *Iob 18.* De quibus: *Immiſit in rete pedem ſuum,* id eſt, affectum, *& in maculis eis ambulat.* quaſi dicat. Diues, qui vult piſcari diuitias, oportet, quod mittat affectum cupiditatis in rete auaritiæ, quod à *1. Tim. 6.* Paulo vocatur laqueus, cum dicit. *Qui volunt diuites fieri, in tentationes incidunt, & in laqueum Diaboli.* Tertiò, ſequela fideliū, dicitur eſſe perfecta per mortis conformationem. *Matt. 16.* Vnde dicit Saluator. *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam.* Vel per mortificationem ſui, vel per compaſſionē proximi, vel per ſuſtinentiam martyrij, ſi neceſſe fuerit, hoc eſt, vt ſit paratus in anima ſuſtinere ignominiam crucis. Bene ergò obediuit Beatus Andreas Chriſto, quia promptè ſecutus eſt eū, quia liberè dimiſſis retibus, quia durè vſque ad crucem. *Veſtigia eius,* ſcilicet Chriſti. *ſecutus eſt pes meus.* dicit Iob. *Iob 23.* O quam multi hodie vix ſequuntur, & obediunt præceptis Eccleſiæ; imò caſtigati, & excommunicati vix faciunt, quæ debent. Alij etſi ſequuntur ſtatim, & exequuntur, quæ mandantur, non tamen dimittunt impedimenta, quæ eis ſunt prohibita, ſcil. retia, circunſtantias peccatorum, per quæ poſtea à Diabolo comprehenduntur. Nam multi agunt pœnitentiam eis iniunctam, ſed non abſtinent à conuerſatione perſonarum illicita, quę eis eſt per cōfeſſorem inhibita. Alij etſi ſtatim parent, & dimittunt omnia impedimenta eis inhibita, non tamen aggrediūtur difficilia, & ardua. Contra hoc crucem ſubierunt Petrus, & Andreas, quę eſt ignominioſiſſima inter genera mortis. Debet ergò pœnitens prōptum affectum, & liberum exhibere ad omnia difficilia. alias non verè pœniteret, nec contritus eſſet de peccatis, nec ſic perfectè cum Andrea ſequeretur Chriſtum.

III.

Apoſtoli redduntur commendabiles à Chriſti conformitate, cum dicitur ſecundū Chriſtū. Nihil prodeſſet Apoſtolis reliquiſſe omnia, ſi ſecuti fuiſſent alium, quā Chriſtum. Ideò dimiſſio temporalium nō commendatur, niſi in ratione, ſiue comparatione ad hunc finem, vt Chriſtum poſſent expeditè ſequi. Quod ergò dicitur, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum, ſenſus eſt, ac ſi diceretur, propter Chriſtum ſequendum reliquerunt omnia, vt Chriſtum lucrifacerent, Talis fuit ille Apoſt. qui dicebat. Omnia arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtū lucrifaciā. Multi multa dimiſerunt, ſic Diogenes, Socrates Thebanus homo quidem ditiſſimus, cum Athenas ad philoſophandū pergeret, magnum pōdus auri proiecit in mare, quia non putauit, ſe poſſe ſimul virtutes & diuitias poſſidere. Abite, inquit, malę cupiditates, ego vos mergā, ne mergar à vobis. Hoc autem, vt dicit Hiero. ipſe fecit gratia vanę laudis. Et hoc arguit multos diuites, qui ſua dant pauperibus, ſed quia ipſi ex hoc ſuperbiunt, animam perdūt. De quibus ita Aug. Quid prodeſt diſpergēdo dare pauperibus, & pauperē fieri, cum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat poſſidendo? Ille ſapienter omnia re-

lin-

linquit, qui pro Chriſto conſequendo, qui eſt ſuper omnia, dimittit. Ita S. Bernardus. Sed fortè diceres. Quid magni eſt conſequi Chriſtũ, vt pro eo omnia dimittantur? Reſpond. tibi. Certè nil eo pretioſius, nil vtilius, tam in præſenti, quam in futuro. Qui enim habet Chriſtum hic per gratiã, & cũ ſequitur imitando dicta, & facta ſua, tria conſequitur hic, & tria in futuro. In præſẽti ſiquidem primò cõſequitur mentis illuſtrationem, quia ipſe eſt ſol illuminans intellectum, vt intelligamus voluntatem Dei. *Ioan. 8.* *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lucem vitæ.* Secundò, quia talis euadet ſpiritualem turbationem. Vnde ipſe dicit Saluator: *Ioan. 16.* *In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem.* De quo Propheta: *Ierem. 17.* *Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens.* Tertiò, quia talis conſequitur familiarem dilectionem à Chriſto. *Qui ſequitur iuſtitiam, diligitur ab eo.* inquit Salomon. *Prou. 15.* In futuro autem cõſequetur tria, ſcil. iudicia, ſiue poteſtatẽ. *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis &c.* Secundò *Matt. 19.* conſequitur talis ad regnum cœlorum introductionem. Tertiò conſequitur Chriſti conformationem in gloria. *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* *Ioan. 12.* Propter iſta bona in Chriſto, & cum Chriſto prouenientia, boni viri ſequuntur Chriſtum, tanquam lucẽ, tanquam tutorem, tanquam amicum & dilectorem in præſenti, tanquam aptum remuneratorem in futuro. Sic iſti duo Apoſtoli pro eo, quod ſecuti ſunt eum in præſẽti gratia ſecuti ſunt, eum in futuro in gloria. Ad quam nos &c.

DE SANCTO NICOLAO, SERMO I.

Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus venturus eſt. Matth. 24.

Aug. in epiſt. ad Dioſcorũ. Auguſt. dicit: Qualẽ cũq; quẽlibet inuenerit ſuus nouiſſimus dies, in hoc eũ ſimiliter cõprehendet nouiſſimus dies mundi; quoniam qualis homo in die vltima vitæ ſuæ inuenitur, talis in die nouiſſima iudicabitur. Vnde vigilare debet omnis Chriſtianus, ne eũ imparatum inueniat Domini aduentus. Volẽs igitur Dominus noſter ſuo imperio nos eſſe paratos, voluit occultari diem exitus noſtri, vt diligentius cuſtodiamus oẽs dies noſtros. Nam ſerò parantur remedia, cum mortis imminet [illegible]. Platonis ſententia fuit, omnem ſapientum vitam meditationem eſſe mortis. Quod & Saluator noſter videtur docere voluiſſe, dũ nos propter incertam illam aduentus ſui horam ad vigilandum hortatur, dicens: *Vigilate.* *Propoſitio* In his verbis Saluator noſter monet tria. Primò, ad iugem mentis in Deum eleuationẽ. ibi, *Vigilate.* Secundò ad incertam vitæ noſtræ reſolutionem, cum dicit, *quia neſcitis, qua hora.* Tertiò, ad expectandum terribilẽ redemptoris noſtri viſitationem, cum dicitur. *Dominus veſter venturus eſt.*

I.

Vigilare ſecundum Grego. non eſt aliud niſi in vero lumine oculos mentis tenere. Vnde benè vigilat, qui oculos mentis, ſcil. intellectum, & affectũ in ſalutaribus conſiderandis, intelligendis, appetendis, & conſequendis exponit. Vigilate ergò. Vigilandum autẽ nobis eſt præcipuè propter tria. *Cur vigilandum.* Primò, propter hoſtilitatẽ crudelis rebellionis. Secundò, propter vtilitatem fidelis adminiſtrationis. Tertiò, propter debilitatẽ terreſtris noſtræ habitationis. Quantum ad primũ videmus, quod in bello homines noſtri poſſunt ſõno ſecurè vacare. Nos autẽ ſumus cõtinuò in multis bellis. Vnde in pſ. dicitur. *Conculcauerũt me inimici mei tota die, quoniã multi bellantes aduerſũ me.* *Pſal. 55.* Ergò neceſſe habemus vigilare. Grues ſicut dicũt naturales inter ſe vigilias diuidũt. Et ille qui vigilare debet, lapidẽ tenet in pedibus, vt ſi dormiat, lapis cadens, alios excitet & ſeipſum. Si auis inſenſata, quæ vigilare nõ tenetur ſic ſibi prouidet contra ſomnũ corporis, multò magis cõtra ſõnũ peccati cautelam continuam habere debemus. *Fratres, ſobrij eſtote, & vigilate, quia ad* [illegible] *diabolus circuit ſicut Leo rugiens* [illegible] *1.* [illegible]

[illegible]

deuoret. Benè præmittit ſobrietatem vigiliæ. Nam ebrietatem ſequitur neceſſariò multus ſomnus. Sobrietas autem hic intelligitur modeſtia & temperãtia in omnibus actibus noſtris, vt non excedamus plus debito. Nã virtus conſiſtit in medio. Carthaginenſis quidam Dux habuit bellum cõtra

Iulius Sextus. lib. 2. c. 1. quoſdam nos Africa qui Carthaginenſibus rebellabant: fuerunt autem iſti Africani auidi nimis ad bibendum vinũ. Quod intelligens Dux, vſus eſt contra eos tali cautela. Accepit multa dolia vini, & miſcuit cum vino ſuccum cuiuſdam herbæ, quæ vocatur mandragora, quæ quidem herba mirabili-

Ariſt. lib. de ſomno, & vigil. ter eſt ſomnifera, ſicut docet Ariſtot. Facit enim ita homines profundè dormire, vt fiant inſenſibiles. Et ideò ſolet dari hominibus, qui ſunt propter aliquam infirmitatem ſecãdi pro curatione eorum, vt poſſint ſine dolore ſecari. Dolia autem vini ſic infecti, dimiſit iſte Princeps in tentorijs ſuis, & fugit tẽtoria derelinquens. Africani autẽ gaudentes tentoria inuadunt, & inuenientes victualia cum vino in abũdantia, comedunt, & bibunt de iſto vino confecto, & ſtatim omnes ſic oppreſſi ſunt ſomno, vt nullo modo ſe iuuare poſſent. Hæc explorans Dux prædictus, de nocte redijt, & cecidit ſuper eos, & miſeros, ſicut voluit, trucidauit. Iſta cautela moraliter ſic intelligitur. Dux eſt diabolus contra homines. Vinum, quod lætificat, ſignificat lętitiam vel laſciuiam ſæcularem. Iſtam lætitiam ſiue iucunditatem mundi diabolus ſic commiſcuit ſucco mãdragorę, id eſt, delectatione luxurię, quod omnes ex eo biberunt, & ſunt quaſi inſenſibiles. Mandragora enim eſt herba habens formam maſculi, & fœminæ, & omnia lineamẽta humani generis; & dicitur conferre fœcunditatem mu-

Gen. 30. lieribus, ſicut patet de Rachel, & ideò mãdragora voluptatem carnis deſignat. Quia ergò tota mundana iucunditas inter homines his diebus diabolo procurante, qui nos cautè debellat, de ſucco voluptatis eſt infecta, Ideò homines vitioſi dormiunt in peccatis, & ad correctiones Prælatorum, & prædicationes Doctorum reperiuntur inſenſibiles, vt dicat quilibet eorum illud.

Prou. 23. *Verberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi.* Non ſic nos chariſſimi, ſed *in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei mi-* *2. Cor. 6.* *niſtros, in vigilijs, in ieiunijs, in charitate non ficta.* Sic patet prima cauſa. *Secunda cauſa vigilandi,* eſt vtilitas fidelis adminiſtrationis. Sumus. n. ſicut ſerui vigilantes de nocte, & expectantes aduentum Domini ſui de nuptijs redeuntis. Nuptiæ ſunt in cœlo ineffabilis gaudij de ſacroſancta vnione Deitatis infinitæ ad naturam humanam. De his nuptijs Dominus noſter venturus eſt in die iudicij, deſcenſurus ad totum mundum. Et ideò dicitur hic. *Vigilate.* Et Lucæ 12. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.* Et licet omnes vigilare debeãt, tamẽ maximè Prælati, quorum curæ animæ ſunt commiſſæ. In cuius ſignum, cum Chriſtus diſcipulos dormientes inueniſſet, ſpecialius cæteris increpauit Petrum dicens. *Simõ* *Matt. 26.* *dormis? Sic non potuiſti vna hora vigilare mecum?* quaſi dicat. Non miror de cæteris, ſed de te, qui non ſolum pro te, ſed pro alijs vigilare debes. *Tertia cauſa vigilandi* eſt debilitas terreſtris noſtræ habitationis. Homo, qui iaceret in domo ruinoſa, ex omni parte debili, & ſimul cum hoc ſciret, quod aliquis exterius continuè foderet muros, ad eum occidendum, non daret ſe ſomno, ſi eſſet prudens, ſed ſolerter vigilaret. Domus animæ eſt corpus luteum & terreum. *Qui habitant domus luteas, conſumentur ve-* *Iob 3.* *lut à tinea.* Tollor eſt mors, qui indefeſsè nititur perfodere domum noſtram, vt furetur animam cum peccatis, ſi poſſit: vel cum pœnis debitis pro peccato. Et ideò dicitur hic; *Si ſciret parerſamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Sed timendum eſt, nè de nobis ſit, ſicut de pueris recenter natis. Di- *Ariſt. libr. de vigilia, & ſomno.* cit Ariſtoteles, quod pueri, quando pariuntur, dormiunt, & habent oculos clauſos propter conſuetudinem dormiendi in matrice. Sic in multis tamdiu inualuit conſuetudo dormiendi in negligentia, pigritia, deſidia & acedia, vt euigilare non poſſint. Sed cauendum eſt à tribus malis paſſionibus, quę accidũt in ſomno, ſicut dicit Ariſt. lib. 2. de ſõno & vigilia; quæ ſunt epilepſia, ephialtes & letargia. Epilepſia eſt quædam paſſio cerebri faciens hominem cade-

cade-

cadere ſubito, & ex inopinato. Ephialtes eſt paſſio in ſomno faciens homini apparere, quod aliquis opprimit & nititur eum ſuffocare. Vnde illis, qui habẽt hanc paſſionem, videtur communiter quod vetula aliqua incubat ſuper eos & nitatur ſuffocare. Letargia eſt quædam infirmitas compellens homines dormire & dormiendo mori. Moraliter iſtæ tres paſſiones tria generalia vicia ſignãt, quibus inuoluitur totus mũdus. Superbi nãq; & ambitioſi, qui ad gradus & honores nituntur aſcẽdere, epileptici ſunt, quia ſuperbia caſum habet. Maligni tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Lubrici & luxurioſi patiuntur ephialtem, quia vetula illa, quę eſt caro corrupta per peccatum ſuperuenit, & dominatur eis & opprimit eos, nè reſurgant. Auari verò ſunt quaſi letargici, id eſt, obliuioſi, quia quãtò plura bona eis Deus dat, tantò magis obliuiſcuntur tam ſui, quam Dei. Vnde gloſſ. ſuper illud pſalm. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, dicit, Ad Deum vigilat qui verè Dei memor eſt. Ad Deum dormit qui Deum obliuiſcitur. Non ſic vos chariſſimi: ſed ſicut Apoſtolus dicit: *Non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigelemus & ſobrij ſimus.*

II.

Neſcitis qua hora. Tria ſunt nobis abſcõdita, quæ in hac vita poſiti nullo modo per ingenium humanum aut per aliquam ſcientiam certitudinaliter poſſumus inueſtigare aut ſcire, quorum ſcientiam Dominus voluit nos vtiliter, tripliciter ignorare. Primò neſcimus, vtrum amore, an odio digni ſumus. Secundò quando aut quomodo de hac vita exibimus. Tertiò quãdo coram diſtricto iudice in iudicio vltimo & finali apparebimus. De primo dicitur, *Neſcit homo an odio vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta.* Neſcitur igitur, quis finaliter dignus ſit odio vel amore, licet ſecundum præſentem iuſtitiam benè poteſt ſciri ex manifeſtis peccatis. Quia dicit Apoſtolus, *quod manifeſta ſunt opora carnis, quæ ſunt fornicatio, homicidium, ebrietas, iræ, rixæ, inuidiæ.* Et ſequitur, *quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte.* Vnde ſicut benè à gentes ex manifeſtis operibus iudicamus dignos amore, ſic ex malis manifeſtis iudicamus dignos odio. Sed tamen finaliter ignoramus, qualiter vnuſquiſque finem ſuum concludet, cum ſemper videamus mutationem in vtriſque, quia quidam de malo reſurgunt ad bonum, & boni de bono cadunt ad malum. Solus Deus talia nouit; nobis ſunt abſconſa: *Mirabilia enim opera altiſſimi ſolius, & glorioſa & abſconſa,* inquit Eccleſiaſt. Et iterum: *Plurima illius opera ſunt in abſconſis.* Sed dicet quis. Nonnè quilibet homo vel eſt in gratia vel in peccato; Si in gratia, dignus eſt amore; Si in peccato, dignus eſt odio, & ſic de quolibet homine ſcitur. Reſpondeo quod de quolibet homine ſcitur hoc in generali, ſed de nullo in ſpeciali poteſt hoc ſciri. Sed adhuc dices: tamen Apoſtolus dicit, *Spiritus ſanctus reddidit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus.* Si igitur filij Dei ſumus igitur digni amore. Item Apoſtolus dicit ibidem. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti; ergò ipſe ſciuit quod eſſet dignus amore, qui ſe ſciuit in charitate. Itẽ, nihil eſt certius homini, quam ſua fides; ſi igitur homo eſt in fide formata, ipſe ſcit ſe dignũ amore; ſi non; igitur ſcit ſe dignum odio. Itẽ quilibet ſcit de ſeipſo, vtrũ ipſe dimitteret omnia propter Deum, aut non. Si ſcit; igitur ſcit ſe amore dignum; ſi non, igitur dignus eſt odio. Item poteſt quis ſcire de ſe, dum eſt in peccato mortali, aut cum proponit peccare; mortaliter igitur poteſt ſcire, ſi eſt odio dignus. Ad iſta eſt dicendum breuiter, quod nullus poteſt ſcire an ſit dignus amore diuinę prædeſtinationis, an odio præſcientiæ eius, quia dicitur Rom. 9. Antequam nati eſſẽt illi fratres Eſau & Iacob, dictum eſt de eis. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Hoc ergò ſolus Deus ſcit. Secundò dicendum quod conſiderando merita noſtra non poſſumus certam & determinatam notitiã de hoc habere, an propter illa opera & merita noſtra digni ſimus amore vel odio, tamen benè poſſumus coniecturalem notitiam de hoc habere per aliqua ſigna. Et primo an odio dignus ſit homo, poteſt exiſtimare ex octo ſignis. Primum eſt proſper ſucceſſus continuus in tẽporalibus, qui ſecũdũ Amb. eſt ſignũ dãnationis,

Eccl. 11.
Eccl. 16.

tionis: ducunt in boniſ[...]s ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Quando proſperitatem habet malus, malum capitis ſui eſt. Cum enim pro illis paucis bonis retributionem hic accipit, illic iam plenius punietur. Secundum eſt proſperitas in peccatis, hoc eſt, quod talis habet proſperitatẽ ad peccandum, quando vult, & quid vult, poteſt implere pro ſua voluntate. Si vult inebriari, adeſt ſibi potus ſufficiens. Si vult fornicari, habet opportunitatem ſine omni impedimento, & ſic de alijs. Tertium ſignum quia nihil ſe ſentit pati, & ſi patitur tamen impatientur. Quartum recidiuatio frequens & reſumptio peccatorum poſt confeſſionem. Sicut ille qui recidiuat in eandem infirmitatem, ſignum eſt quod morietur. Quintum eſt incurabilitas ſcripturæ, ſicut nolle audire vel obſequi dictis euangelicis & ſanctorum doctorum. *Qui ex Deo eſt verba Dei audit.* Et ſequitur, *propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Sextũ ingratitudo de beneficijs acceptis, vel quando putat ea ſuis meritis data. Septimum non ceſſatio à peccato, ſeu continuatio peccati, hoc enim ſignũ eſt quod talis caret cuſtodia Dei. Octauum eſt propria voluntas, quando omnia vult habere ad placitum & voluntatem; non vult corrigi ſed ad nutum blandiri. *Qui odit correctionem veſtigium eſt peccatoris.* Hæc omnia ſequitur odiũ bonorum, quando talis odit quemlibet hominem bonum, etiam qui nunquam læſit; & nulli bonitati acquieſcit niſi inuitus vel fictus ex apparentia humana. Hoc fuit ſignum ab initio omnium damnatorum. Sicut Cayn qui odiuit Abel iuſtum, ergo occidit eum. Et Eſau Iacob, & Iſmael Iſaac, & Iudas Chriſtum. Vnde reprobi dicunt illud Sap. *Circumueniamus iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris; grauis eſt nobis etiam ad videndum.* Ex aduerſo autem ſunt alia ſigna ſalutis. Primò voluntaria paupertas aut in effectu, vt quando diues multum ſibi ab vſu victus ſubtrahit & more pauperum viuit. *Beati pauperes ſpiritu &c.* Vult enim Deus vt pauperes ſimus. Nam ipſe ſolus paupertatem amauit in ſeipſo, & in matre ſua, & in Apoſtolis. Ita pauper fuit quod natus vilibus pannis inuolutus, pauper natus,

Ioan. 8.

Eccleſ. 21.

Sap. 2.

Signa ſalutis.

Matth. 5.

in paupertate vixit, hoſpitium proprium non habuit, pauper mortuus &c. Secundum humilitas in actibus virtutum, cum quis multa facit pro Deo, nihil tamen exiſtimat ſe feciſſe, dicens ſe ſeruum inutilem. Tertium eſt impedimentum in nobis, vt cum quis tempore tentationis impeditur ne perficiat quod intendit ſecundum illud. *Sepiam viam tuam ſpinis.* Quartum eſt continuus profectus in bonis, cum quis ſemper deſiderat proficere. *Ibunt de virtute in virtutem.* Quintum eſt patientia in aduerſis, vt ſi quis ea quæ patitur, iuſte ſe pati arbitratur. Iuxta illud. *Merito hæc patimur, quia peccauimus.* Sextum eſt obedientia verbi Dei, cum quis nititur implere quæ audit in ſermone & delectatur in audiendo. Septimum eſt reuerentia ad ſacerdotes. Signum eſt enim reuerentiæ ad Dominũ quando eius miniſtri honorantur. Octauum eſt gaudium de bono proximi. Perfecta .n. charitas cõgaudet veritati. Verum licet ex his poſſit homo exiſtimationem recipere an ſit in odio vel gratia, tamen ſemper debet timere, quia dicitur. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Licet ergo homo ſciat ſe amore dignum. *quando eum cor eius non reprehendit,* tamen timendum eſt, quia *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Maximè etiam ex quo omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt ſicut pannus menſtruatæ. Vnde Greg. *Ideò homo debet timere, quia etſi recta ſe agere intelligit, ſub diſtricto tamen examine quo tendit ignorat.* Vnde infero ex his, quod licet homo iuſte agat, non tamen certus eſſe poteſt quod amore dignus ſit, etiam ſi perſeuerat in iuſtitia ſua. Nam, *Quis hominum intelligere poteſt viam ſuam?* quaſi diceret, nullus. igitur nullus glorietur de iuſtitia ſua, nec aliquis deſperet de malitia ſua, quia erunt nouiſſimi primi, & econuerſo. Et iſta cauſa quare ſuſtinemus multos malos, quia non deſperamus de eis. Iſta eſt etiã cauſa quare Deus voluit hoc nobis eſſe incertũ, vt nullus de bonis operibus extollatur, nec de peccatis deſperet. Nã Iudas apparebat bonus, & finaliter dãnatus eſt, latro malus & finaliter ſaluatus eſt. Hoc eſt ergo primũ quod Deus voluit nobis eſſe occultũ. Secundo neſcimus quan-

Luca. 17.

Oſea. 2.

Pſal. 83.

1. Ioan. 3.

Iſa. 64.

Greg. 29. Moral.

Prou. 20.

Matth. 20.

quādo aut quomodo de hac vita exibimus. *Neſcit homo finē ſuū, ſed ſicut piſces capiūtur hamo, & aues cōprehēduntur laqueo, ſic hoīes capiūtur in tēpore malo*, ſcilicet mortis quia homo credēs ſe viuere rapitur morte, id eſt, tēpore malo, ſcilicet mortis vel cuiuſcūque

Iob. 3.

aduerſitatis: *Viro cui abſcondita eſt via & circumdedit eum Deus tenebris*.

In morte tempus, locus, modus incerta.

Sunt autem tria incerta circa mortem, ſcilicet tempus, quia neſcimus an in æſtate vel in hieme; in die vel in nocte; mane vel ſero. Locus quia neſcimus an in domo vel in campo; an in patria vel extra. Vnde Seneca

Seneca Epiſt. 17.

Neſcis quo te loco mors expectat, tu quoque in omni loco eam expecta. Tertio qualitas, quia neſcimus quo moriemur, an igne vel aqua; an ferro an ſubito, vel ſucceſſiue, vel caſu, vel naturali morte. Sed diceres, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, igitur deberet eis notificare finem, vt melius ſe præpararent ad ipſum, ergò malè, quia abſcondit hoc. Vnde Pro-

Pſalm. 38.

pheta petijt. *Notum fac mihi Domine finem meum*. Reſpondeo ſecundum Gregorium 12. moralium tractans illud Iob. 15. Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum eius incertus eſt. Vbi dicit. Ad hoc enim conditor latere voluit nobis finem noſtrum, vt dum ſumus incerti quādo moriamur, ſemper ad mortē parati ad finem inueniri debeamus. Hæc ille. Non ergo putandum eſt Deum male in hoc feciſſe quod diem illum, id eſt, nouiſſimum nobis occultat; quia per hoc nos à multis malis præſeruat, ſemper præparari facit & in bonis exerceri operibus. Tertio

Matt. 24.

neſcimus quando coram diſtricto iudice in nouiſſimo die aſtabimus. *De die autem illa nemo ſcit neque angeli Dei in cœlo.* Illam autem diem voluit eſſe incertam vt ſecundum Greg. habeatur ſemper ſuſpecta, & nos ad eam ſemper præparemus.

III.

Dominus veſter venturus eſt. Certe terribile verbum peccatoribus, contra quos Deus rex cœli & terræ venturus eſt ad damnandū eos, licet ſit ſolatioſum bonis quod Dominus eorū venturus eſt ad præmiandū eos. Maxime ergo debēt timere peccatores audientes, quia Dominus eorū ad iudiciū venturus eſt ad eos, vel in morte cuiuslibet ſpecialiter, vel in nouiſſimo die generaliter ad omnes. Et hoc propter tres cauſas quæ erunt in Chriſto tanquam iudice ſeueriſſimo & iuſtiſſimo. Erit enim iſte Dominus ſicut iudex inflexibilis. Secundo infugibilis. Tertio infallibilis. Et ideo aduentus eius ad iudicium erit tremendus.

Chriſtum iudicem timebunt peccatores tres ob cauſſas.

Erit inflexibilis, quia nullus poterit eius flectere iuſtitiam. Iuxta illud pſalm. *Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum*. Et iterū. *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua.*

Pſal. 118.

Tanta autem erit iuſtitia eius quod etiam iuſtitias iudicabit. Iuxta illud pſalm. *Cum accepero tempus ego iuſtitias iudicabo.*

Pſal. 74.

In primo aduentu Chriſtus non accepit tempus iudicandi ſed miſerendi, de quo dicitur. *Tempus miſerendi aduenit.* 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile. Sed cum dicit quod iuſtitias iudicabit, terribile verbum, quia non ſolum peccata iudicabit, ſed etiam bona opera examinabit. *Colabit filios Leui. Colabit*, id eſt, examinabit diſtrictus iudex.

Malach. 3

Erit infugibilis, quia nullus poterit effugere ſuam vindictam. Vnde pſalm. *Dixi iniquis nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus, quoniam Deus iudex eſt*.

Pſal. 74.

Non erit locus fugiendi quia Deus vbique eſt. Pſalmiſt. *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam. Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me*.

Pſal. 138.

Vnde dicit Gregorius. Fugiendi via deeſt, quia ille iudicabit qui vbique eſt. Ecce Dominus cuius poteſtas eſt infugibilis. *Erit iſte Dominus vt iudex infallibilis*. Non enim eſt ſapientia creata quæ falli poteſt vel corrumpi precio, vel fauore vel timore. In ipſo enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, & ipſe nouit abſcondita cordis noſtri, *quia omnia nuda & aperta ſunt ei.*

Hebr. 4.

Ideò decipi non poteſt, quia ſibi nihil occultari poteſt. Nō igitur falletur Ariſt. Syllogyſmis vel Platonis demonſtrationibus & probationibus; non Socratis argumentis, vel legiſlatorum allegationibus; non iuriſtarum rationibus, ſed faciet iudicium in iuſtitia & iudicio, &

omnia in veritate iudicabit. Nos igitur chariſſimi tanti Domini aduentum ſtudeamus bonis operibus præuenire, & vt eius iuſtitiam tam diſtrictam valeamus euadere, laboremus nunc in eius gratia exiſtentes pro poſſe conſcientias noſtras præparare, vt tunc poſſimus in omnibus perfecti ſtare in regno cælorum: ad quod nos perducat pater & filius & ſpiritus ſanctus. Amen.

DE SANCTO NICOLAO

SERMO II.

Seruus fidelis & prudens. Matth. 24.

AMBROSIVS in ſuo libro paſtorali dicit, quod nihil in hoc ſeculo excellentius ſacerdotibus, nihil ſublimius epiſcopis reperiri poteſt. Nec immeritò, quia honor & ſublimitas epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Et ponendo exemplum dicit. Si regum fulgori compares & principum diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metalla ad auri fulgorem compares: & dans huius rationem dicit, quia principes & reges huius ſæculi colla ſubmittunt genibus ſacerdotum, & deoſculata eorum veſte ſe credunt communiri. Hæc ille. Et iterum: magna ſublimitas magnam debet habere cautelã: honor grandis grandiori debet ſollicitudine circumuelari; quia cui plus creditur magis ab eo exigitur. Hinc eſt quod difficile eſt inuenire talem epiſcopum, qui ſicut præeſt dignitate, ita præſit & ſanctitate: & ideo meritò poteſt hodie quæri de talibus, quis eſſet talis prælatus, qui eſſet ſeruus fidelis & prudens ſicut fuit beatus Nicolaus. Nec miretur quis, me hodie ita de talibus quærere. Si enim ſaluator quæſiuit inter familiam ſuam, quam ipſe ante mundi cõſtitutiõem elegerat, vt eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, de quibus ipſe dixit. Ego vos elegi de mundo; quantò magis hodie poteſt quæri, quis ſit ſeruus fidelis & prudens, quando nunc multi eligunt ſeipſos per impreſſionem vel ingeſtionem propriam vel amicorum potentiam, & quando ſibi aſſumunt dignitates propria temeritate, non vocati tanquam Aaron. De quibus meritò quęritur, quis ſit ſeruus fidelis & prudens, qualis fuit beatus Nicolaus, qui à ſpiritu ſancto fuit electus, & ſicut dignitate, ſic morum ſanctitate ſedi epiſcopali præſedit: de quo dignè verbum noſtri thematis proponitur, quod ipſe eſt ſeruus fidelis & prudens. In quibus verbis tria tanguntur, à quibus beatus Nicolaus meritò commendatur. Primò commendatur ab humilitate, cum dicitur, *Seruus.* Secundò à fidelitate, cum dicitur, *fidelis.* Tertiò à ſagacitate, cum dicitur: *prudens.* Quę tria licet in quolibet fideli debent eſſe, tamen maximè in prælato. Per primũ enim debet habere ſe rectè, quoad Deum, per ſecundũ iuſtè quoad proximũ, per tertium ſanctè quoad ſeipſum. *Propoſitio & partitio.*

I.

Ab humilitate commendatur B. Nicolaus, cum dicitur, *ſeruus.* Seruus nomen ſubiectionis eſt. & ſic humilitatis. Vnde Eph. vi. *Serui obedite Dominis.* Et: *Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tãtum bonis ſed etiam diſcolis.* Ecce humilitas. Rarum eſt inter Chriſtianos inuenire humilitatem erga Deum: igitur meritò quærit; Quis putas eſt ſeruus? rarius autem inter prælatos. Serui varij. Igitur magis quęritur inter eos, quis putas eſt ſeruus? Sunt autem multiplices ſerui, ſed nullus eorum eſt ſeruus Dei, niſi

Seruus ignarus. Luca 12.

niſi vnicus. Primus ſeruus inſcius, ignarus, indoctus: *Qui autem non cognouerit voluntatem, Domini vapulabit paucis plagis.* Ecce ignorantia licet excuſat a tanto, tamen non a toto. Multi ſunt hodie qui dicunt, vtinam ſciuiſſem hoc fuiſſe peccatum, non feciſſem illud; ſed ignoraui. Sed certè audiant tales *ignorans ignorabitur*. Quomodo enim excuſatur per ignorantiam, qui quærere noluit, ſcire contempſit, conſulere ſapientem non curauit; imo quod deterius eſt, vbi potuit, vitauit tam in prædicatione, quam in confeſſione. Secundus ſeruus eſt ſciens voluntatem Dei, ſed inobediens.

Seruus inobediens. Luca. 12.

Seruus ſciens voluntatem Domini & non faciens eam vapulabit multis plagis. Hic ſignificat omnes malos Chriſtianos qui audiunt multa in prædicatione, ſed nolunt obedire; & ideo vapulabunt multis plagis; quo profundius ardebũt in ſupplitijs. Legitur de ſancto Machario, quod inuenerit caput cuiuſdam pagani in eremo, à quo cum quæreret an aliquę gentes eſſent profundius in inferno quam anima Attilæ pagani; reſpondit quod ſic. Et cum quæreret, quæ, reſpondit Chriſtianorum malorum qui ſciunt & non faciunt.

Seruus piger. Matt. 25

Tertius ſeruus eſt piger. *Seruum inutilem mittite in tenebras exteriores.* Et hoc dictum eſt illi ſeruo qui talẽto ſibi credito à Domino nihil ſup lucratus eſt. Attendant diuites nihil facientes talẽtis ſuis. Attẽdant docti qui non prædicant. Attendant fortes qui Deo ſeruire negligunt. Et ſi iſte damnatus eſt, quia non eſt lucratus, qui tamen pecuniam Domini reſtituit; quid fiet de illis, qui non ſolum non lucrantur ſed etiam totum conſumũt & nihil reſtituunt Deo, ſed diſſipant, ſicut malus villicus.

Luca. 16. Seruus voluptuoſus. Luca. 12. Matt. 18.

Quartus ſeruus voluptuoſus: *Si dixerit in corde ſuo malus ſeruus, moram facit Dominus meus: manducet autem & bibat & incipiat conſeruos ſuos percutere, veniet Dominus eius die qua non ſperat. & hora, qua non credit, & diuidet eum à ſe & à ſuis Angelis, partemq; eius ponet cum hypocritis*, id eſt, *cum dæmonibus.* Hic ſignificat voluptuoſos Chriſtianos, qui ſe aſſerunt eſſe Chriſtianos, ſed in delicijs more paganorum viuunt frangentes ieiunium, immò etiam non ſeruantes ſextam feriam.

Prou. 19.

Prou. 19. dicitur. *Non decent ſtultum delitiæ.* Et hoc ideò, quia non eſt ſeruus maior Domino ſuo: ſi ergò Chriſtus tẽperatus fuerit, quare Chriſtianus vult eſſe delitioſus.

Seruus nequam.

Quintus ſeruus nequam, de quo Matth. 18 *Serue nequam omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Iſte ſignificat iracundos & crudeles Chriſtianos, qui nolunt citò dimittere iniurias proximis. Sed quid dicitur de iſto ſeruo? *Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuerſum debitum.*

Seruus indecenter ſeruiens.

Sextus ſeruus indecenter ſeruiens, ſicut ille qui vult ſeruire duobus contrarijs. De quo Matth. 6 *Non poteſtis Deo ſeruire & Mãmonæ.* Hoc notãt Chriſtiani qui miſcẽt bonis mala, ieiunant & inebriantur; dant eleemoſynas, ſed committunt vſuras, ſimiles crocodilo qui occidit hominem & plorat ſuper illum.

Seruus humilis & timoratus. Hebr. 6.

Septimus ſeruus eſt humilis & timidus ſeu timoratus, de quo dicit Apoſtolus *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis ſicut Chriſto: Non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo bono, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino & non ſicut hominibus.* Ecce quomodo præceperit Apoſtolus ſeruire Dominis temporalibus? Quanto magis Deo omnipotenti. Inter omnes tamen iſtas conditiones, principalis eſt timor & tremor.

Pſal. 2.

Vnde in pſalm. *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Scimus enim quia timor humiliat; vnde qui ſeruit ex timore reuerentiæ humiliatur veraciter, & tunc eſt gratum Deo ſeruitium, quando cum reuerentia exhibetur. In hoc deficiunt ſuperbi, quia non ſeruiunt reuerenter, vt patet in Lucifero. Et quia Angelis non pepercit, quomodo ſuperbis. vt dicit Petrus in canonica ſua. Sed notanter dicit cum timore & tremore vt excludat negligentiam & præſumptionem. Qui enim timet, nihil negligit; & qui tremit, non præſumit. Quando enim homo timet vermem conſcientiæ qui erit in inferno, & ignem corporalem gehennæ, de quibus Iſaiæ vltimo; tunc incipiet cum timore & tremore ſeruire Deo.

Seruiendum Deo, quia iuſtum, honeſtum, vtile.

Sed forte dices, quare debemus ſeruire Deo? Reſpondeo quod tribus de cauſis videlicet quia iuſtum eſt, quia honeſtum eſt, quia vtile eſt. Iuſtum eſt vt ſeruiamu

ei; quia

ei; quia nos fecit; quia nobis ſeruiuit; quia nos emit. Nos fecit. Pſalm. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos.* Et quantò dignius nos creauit, tantò deuotius debemus ei ſeruire. Seruiuit omnibus nobis per totum tempus vitæ ſuæ, & operatus eſt ſalutem in medio terræ. *Seruire me feciſtis in peccatis veſtris.* Et quantò indignius fuit iſtud ſeruitium, comparatum eius dignitati, ſcilicet curare infirmitates & immunditias noſtras, tantò deuotius debet eſſe ſeruitium. Præterea emit nos. *Empti eſtis pretio magno.* Quantò præſtātiori precio nos emit, tantò deuotius debemus ei ſeruire. *Non corruptibilibus auro & argento empti eſtis.* Secundò eſt honeſtum ſeruire tantò Domino. *Cui ſeruire regnare eſt*; cuius ſeruitium quanto ſubiectius & humilius fuerit, tanto eſt magnificentius, & per conſequens ſumma libertas eſt. *Gloria magna eſt ſequi Dominum ſuum.* Tertiò vtile eſt. *Volo pater vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.* Ecce quanta vtilitas ſeruiendi Deo omnibus generaliter; ſed ſpecialiter prælatis & epiſcopis, quibus ſpecialis merces reſeruatur; ideò ipſi debent deuotius ſeruire Chriſto, exemplo ſancti Nicolai, qui in omnibus ſe exhibuit vt miniſtrum Chriſti ſeruiendo Deo in timore humilitatis: quæ virtus magis commendat prælatum, quā aliæ virtutes, quia, *ſubtiliſſima res viuendi eſt culmen tenere, gloriam reprimere; eſſe quidem in potentia, ſed neſcire potentem ſe.* Ita Gregorius. Et Bern. In alto poſito non alte ſapere, difficile eſt & omninò inuſitatum, ſed quantò magis inuſitatum tantò glorioſius. Hæc ille. Hoc benè ponderauit beatus Nicolaus, qui vt de eo legitur ſemper humilem Chriſti ſeruum ſe profeſſus eſt. Deprehenſus enim à conciue ſuo, cuius filiabus proiecit maſſam auri, & interrogatus, quis eſſet, reſpondit, Nicolaus ſeruus Chriſti. Sic & circa electionem deprehenſus per quendam ſanctum epiſcopum interrogatus, quis eſſet. Reſpondit, Nicolaus ſeruus Chriſti. Bonus ſeruus qui ſic Domino ſeruiuit cum timore, & exultauit ei cum tremore, vt inde hodie gaudeat coronatus gloria & honore.

Eſa. 43. *1. Cor. 6.* *1. Pet. 1.* *Gregor.* *Eccl. 23.* *Ioan. 12.* *Greg. 7. moral.*

II.

Fidelitas ſerui ad Dominum in multis conſiſtit, quæ his verſibus continentur. *Incolume, facile, tutumq́; poſſibile, honeſtum, Vtile, conſilium, fidus, dabis auxiliumq́;.* Qui ſic exponuntur. *Primò* requiritur in ſeruo vt intendat incolumitatem Domini, hoc eſt, nè illud, quod facit, ſit in damnum Domini; ſicut venenum, infirmitas, mors & omnes corporis læſiones. Moraliter ſeruus Chriſti tunc eſt fidelis quando omnia nocumenta animarum & corporum a fidelibus Chriſti procurat amoueri. Nam Chriſtus omnia quæ fuerint eius pauperibus facta, ſibi reputabit impenſa. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* *Secundò* vt procuret ita bonum Domini ſui, nè faciat illud difficile, quod potuit eſſe facile. Moraliter. Deo valdè facile eſt conuertere peccatorem, quando vult peccator, quando autem non vult, difficile multum eſt. Nam ſecundum Auguſtinum facilius eſt Deo creare cœlū & terram, quam peccatorem contra velle ſuum reducere ad viam veritatis. Qui ergò diſponit hominem aliquem ad conuerſionem ad Deum, procurat facilitatem Deo conuertendi ipſum, quod fit per doctrinam & exemplum. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam ſuam.* Econtra verò dicitur. *Qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, expedit ei vt ſuſpendatur in collo eius mola aſinaria & demergatur in profundum maris.* *Tertiò* debet obſeruare diligenter conſilium Domini ſui, nè in aliquo prodat conſilium, quod poſſet nocere caſtris, villis vel ciuitatibus eius, in quibus ipſe poſuit tutelam ſuam. Ciuitas Chriſti Eccleſia militans eſt, de qua Matth. 5. *Non poteſt ciuitas abſcondi.* Hanc ciuitatem prodit, qui indignis & hæreticis reuelat ſecreta fidei, cum Dominus dicat: Nolite proijcere margaritas ante porcos. In ſignum huius ſaluator à Pilato interrogatus, *non reſpondit ei quicquam, ita miraretur præſes vehementer.* *Quartò* ſeruus intendere debet, vt non faciat Domino impoſſibile quod alioquin erat poſſibile. Sic moraliter, licet omnia Deo ſunt poſſibilia: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*; tamen quodammodò Deo videtur impoſſibile illud, quod ſalua iuſtitia non poteſt facere; vt peccatorem inquina-

Fidelitas ſerui in quibus conſiſtat. *Matt. 25.* *Ezech. 3.* *Iaco. 5.* *Matt. 18.* *Ioan. 19.* *Luca. 1.*

tum

[...]m peccatis ſaluare : & ideo qui prædica-
ret peccatoribus ſemper de miſericordia &
nunquã de iuſtitia, faceret Deo de poſſibili
impoſſibile . *Quintò* debet intendere vt
non faciat contra bonũ Domini honeſtũ:
Honeſtas autem Domini conſiſtit in vxore
illius , in fi[li]is, in affinibus , per quos
Luca. 3. fama Domini [a]ugetur. Vxor Dei eſt gloria
eius, de qua ipſe dicit. *Gloriã meã alteri non
dabo.* Vnde cantabant Angeli gloriã Deo.
1. Tim. 1. Et Apoſtolus; *Soli Deo honor & gloria*. Filij
Dei ſunt oẽs fideles qui credunt in nomine
Ioan. 1. eius. *Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri.* Affines
ſunt qui faciunt volũtatẽ eius, Iuxta illud.
Matt. 12. *Qui fecerit voluntatẽ patris mei, qui in cœlis
eſt, ipſe meus pater ſoror & frater eſt & mater.*
Qui ergò aliquid facit quod eſt in detrimẽ-
tũ gloriæ Dei, vt impedimentũ Chriſti fi-
deliũ, vt puta nocet eis in corporalibus vel
in ſpiritualibus, ipſe violat fidelitatẽ. *Sextò*
debet intendere vt non faciat contra bo-
nũ Domini vtile. Vtilitas Dei eſt ſalus no-
ſtra, nõ quod ipſe ea indigeat, ſed quod nos
indigeamus ea ; quã qui impedit, infidelis
eſt ſeruus; vt ſunt hæretici & alij qui ſalutẽ
impediũt animarũ. *Septimò* debet intẽdere,
vt det conſilium ſalubre Domino. Et licet
Rom. 11. Deus nõ indigeat conſilio noſtro; *Aut quis
conſiliarius eius fuit?* tamen hoc ſibi reputa
bit factum quod fuerit ſuis impenſum. Qui
ergò nõ ſolũ ad præcepta ſed etiã conſilia
inducit alios, vt ad ſeruandam virginitatẽ,
1. Cor. 7. paupertatẽ, obedientiã, ille eſt fidelis, ſicut
Paulus, qui dicebat de ſe. *De virginibus præ-
ceptum Domini non habeo, cõſiliũ autẽ do tã-
quam miſericordiã conſecutus à Deo, vt ſim
fidelis.* Reuera talis fuit beatus Nicolaus qui
omnia quæ ad laudem & honorem & glo
riam Dei pertinent in membris Chriſti &
ſuis fidelibus procurauit, ideoque de ipſo
meritò dicitur, quod fuit ſeruus fidelis.

III.

2. Rhetor. S. Nicolaus commendatur à prudentia,
Prudentia qualis debeat eſſe in ſeruis Chriſti. cum dicitur . *Et prudens* . Eſt autem
prudẽtia, vt dicit Tullius , memoria
præteritorum , intentio præſentium , &
præuiſio futurorũ. Iſtã prudentiã debet ha-
bere ſeruus Chriſti, vt memoretur propria
peccata, & cognoſcat Dei beneficia, & præ-
uideat Dei iudicia. Eſt aũt quadruplex pru-
dentia Chriſti ſeruis neceſſaria; ſcilicet le-
galiũ ſtatutorũ, temporaliũ theſaurorum,
perſonaliũ meritorũ, regaliũ reſpõſorum:
Primã prudẽtiam tenentur ſeruare reges,
principes, prælati, iudices, conſiliarij, &
miniſtri, vt videlicet leges iuſtæ inſtituan-
tur, quæ cõmunes tã diuitibus, quã paupe-
ribus oſtẽdantur. Hæc aũt prudentia debet
eſſe de theſauro ſacræ ſcripturæ: Lex. n. quę
obuiat ſacræ ſcripturæ, nullius debet eſſe
momẽti. *Sicut dicitur in Canone diſt.* 10. *Non
licet.* Et ratio, quia dũ menſura cæleſtis diſ-
poſitionis exceditur cauſatur contumelia
diſponentis. De theſauro igitur ſacræ ſcri-
pturæ debet ſumi prudẽtia legaliũ præce-
ptorũ & ſtatutorũ, ſine quibus impoſſibile
eſt pacẽ habere inter homines. Onias vi-
debat, quia ſine legali prouidẽtia eſſet im- 2. Mach.
poſſibile pacẽ rebus dari, vt dicitur 2. Mach. 4.
4. Secundã prudentiã habere tenentur Ec-
cleſiaſtici prælati pro pauperibus ſuſtẽtan-
dis. Ipſi . n. ſunt ſpirituales miniſtri Chriſti
qui de ipſius patrimonio familiam eius Bern.
tenentur ſuſtentare . Vnde Bern. *Res pau-* lib. 4. ad
perũ pauperibus nõ dare, eſt ſacrilegiũ cõmitte- Eugeniũ
re. Tertia prudentia eſt perſonaliũ merito- cap. 7.
rũ, ad quã oẽs obligantur; de qua Apoſto- Rom. 12.
lus; *Nolite eſſe prudẽtes apud voſmetipſos; nul-
li malũ pro malo reddentes, prouidentes bona*
non tantũ corã Deo, ſed etiã corã omnibus
hominibus. Bona dicit, vt eleemoſynas &
pia opera, de quibus videre eſt exemplum
mercatorũ. Transferamus ergo bona tem-
poralia noſtra per alios de nũdinis præſen-
tis vitæ ad ſtatũ gloriæ: ſic enim nobis ſal- Luca. 19.
uator eundo in cælũ dixit . *Negotiamini dũ
venio.* Fatuus eſſet qui ſentiens ſe ſpolian-
dum venientem de nundinis in via , non
committeret ad cambium . Quartam pru-
dẽtiam tenetur quilibet pro ſeipſo ſeruare Deuter.
in iudicio . Iuxta illud; *Vtinam ſaperent &* 32.
intelligerent ac nouiſſima præuiderẽt, Nouiſ-
ſima ſunt mors, iudiciũ, cælum , & gehen-
na , de quibus homo in præſenti de-
bet præuidere quid reſpondeat ad interro Iob. 9.
gata. Vnde Iob. *Quantus ſum ego vt reſpon-
deam ei.* Benè iſte prouidebat de futuro. Sic
& beatus Nicolaus fecit, qui fuit fidelis &
prudens ſeruus , quia ſtatuta legalia iuxta
formam legis diuinæ regulauit. Nam quos
ſententia iudicis innocentes plecti decre-
uerat , iuxta ſanctiores leges legales
ipſe accurrens reuocauit . Secundo, quia

regis æterni theſauros pauperibus fideliter
dispenſauit. Tertio quia multa bona merita
ſibi pro tẽporalibus cõparauit. Quartò, quia
ita vixit, vt in die nouiſſimo ad interrogata
Pſal. 111. Dei audacter reſpõderet. Iuxta illud. *In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala nõ timebit.* Mala auditio; Ite maledicti in ignẽ æternum. Bona vero; Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis ab initio creatum: ad quod nos perducat Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DE CONCEPTIONE B. MARIAE VIRGINIS.

SERMO I.

Pulchra vt luna, terribilis vt caſtrorum acies ordinata Cantic. 6.

Auguſt. in quodã ſermone ita inquit; Adeſt nobis dilectiſſimi dies beatæ Mariæ Virgini dedicatus, & ideò gaudeat terra noſtra tãtæ virgini debitum obſequium exhibendo. Hæc enim eſt flos campi, de quo ortum eſt precioſum lilium conuallium, per cuius partum mutatur natura, prothoplaſtorum quo deletur culpa. Hæc ille. Ex quo patet quod feſtũ Mariæ quodlibet debet eſſe maximæ reputationis apud Chriſti fideles vltra cæteros ſanctos, præſertim cum per eam magis, quam per ſancti cuiuſcunque meritum nobis gratia inuẽta ſit apud Deum. Vnde Anſel. in contẽplationibus ſuis dicit, eam aulam vniuerſalis propiciationis, & generalem cauſam reconciliationis, vas & templum vitæ & ſalutis vniuerſorum. Et quia, vt dicunt iura, quod cõmune eſt omnib[9], ab omnibus debet approbari, & per conſequens venerari & celebrari, ideò feſtiuitas tantæ Virginis merito eſt appetenda, venerãda, & cunctis ſæculis prędicanda: maximè autẽ illa feſtiuitas, quę magni beneficij à Deo exhibiti eſt memoria, cuiuſmodi ẽ feſtũ sãctificationis ſeu cõceptionis, quod hodie agitur à Chriſti fidelibus. In quo Eccleſia cum Chriſti fidelibus Virginem glorioſam hodie in ſanctificatione eius prædicat, pulchram vt lunã hiſce verbis; *Pulchra vt luna.* In quibus verbis Beata Virgo tripliciter commendatur
Propoſitio. propter tria virgini Mariæ appropriata. *Primo* modo cõparatur lunæ ratione nominis, quod habet ex impoſitione. *Secũdo* cõparatur lunæ ratione pulchritudinis, quã habet ex ſolis irradiatione. *Tertio* comparatur lunę ratione virtutis, quam exhibet in recepti luminis diffuſione.

I.

Virgo glorioſa commẽdatur ex comparatione lunæ ratione nominis ipſius lunæ; appellatur autem luna triplici nomine, dicitur enim luminare minus. *Fecit Deus luminare minus vt praeeſſet nocti.* Luminare minus quod minuitur. Secundo dicitur regina cœli. Vnde Hiere. *Sacrificemus reginæ cœli.* Tertiò appellatur vas caſtrorum. *Vas caſtrorum in excelſis in firmamento cœli reſplendẽs.* In primo ſignificatur meritum perfectę humilitatis. Sicut enim luna eſt minor corpore omnibus ſtellis cœli excepta illa quæ eſt ſoli coniuncta, ſc. Mercurio; ita Beata Virgo omnibus ſanctis humilior excepta humana natura vnita ſoli diuinitati. Ideò quãtò plus habuit de humilitate in terra poſt Chriſtum, tantò plus de fælicitate habet in cælis poſt eum. Si autem volumus comparare corpus lunæ ad ſolem, tunc expreſſior erit figura pręſentis ſolennitatis. Nam ſicut luna eſt inferior loco & dignitate; ita Virgo Beata inferior eſt in ſua conceptione filij Dei conceptione, natiuitate & omnibus alijs Et ideò ſuppoſito iſto, quod nõ ſit concepta in orginali peccato, vt quidam piè credunt, tamen adhuc nõ æquiparatur, nec aſſimilatur Chriſto in omnibus. Dicit enim Prolomeus in Almageſti propoſitione. 18. Quod ſol excedit lunam quadragies octies; Sic Chriſtus excedit Virginem matrem ſuã ſua cõceptione & natiuitate. Ille. n. de virgine conceptus, iſta quia de coniuge. Secũdo,

Gen. 1. *Eccl.* 43. *Iere.* 44. *Eccl.* 43. *Maria humilitas.*

iſte de:

ille de Spiritu ſancto, hæc de viro. Tertio
quia ſanctificatio Chriſti in conceptione
fuit plenior, quam Mariæ, eò quod ab in-
ſtanti conceptionis fuit anima Chriſti bea
ta, non tamen ſic Mariæ. Et ideò patet
illorum proteruia & durities, qui nolunt
concedere illam conceptam ſine originali
peccato, timentes eam per omnia aſſimila-
ri Chriſto, ac per hoc metuentes offendere
maieſtatem ſingularem Chriſti, ſi eam illi
in conceptione aſſimilent; quia etiã dato
quod ſic eſſet concepta, non tamen per o-
mnia ſimilis eſſet Chriſto, ſicut ſupra di-
ctum eſt, eò quod Chriſtus reſpectu ipſius
ſe habet vt ſol ad lunam, quæ maximè di-
Maria dignitas. ſtant à ſe inuicem magnitudine, loco, & di-
gnitate. In ſecundo nomine inſinuatur
præconium regiæ maieſtatis & dignitatis.
Sicut enim luna poſt ſolem tenet principa-
tum in cælo æthereo, ita & Beata virgo
poſt Chriſtum dominatum poſſidet in cæ-
lo empyreo. Vnde ipſa figuratur in regina
Heſter, cui Rex conceſſit medietatem re-
gni ſui. Regnum Dei in duobus conſiſtit,
in iuſtitia & miſericordia. Iuſtitiam reſer-
uat ſibi iuxta illud; *Mihi vindictam & ego
retribuam*: Sed miſericordiam conceſſit
diſpenſandam matri ſuæ. Vnde dicit Bern.
quod Maria omnibus miſericordiæ ſinum
Maria pietas. aperit, nec eſt qui ſe à gratia eius abſcon-
dat. In tertio nomine inſinuatur officium
ſedulę pietatis. vt enim luna dũ noctis te-
nebras illuminat, deſeruit exiſtentibus in
caſtris. Sic Maria pugnantibus in certami-
ne vitiorum contra diabolum. Et ideo di-
citur, terribilis vt caſtrorum acies ordina-
ta. Nulla ſtella magis vtilis caſtrorum cu
ſtodię quam luna, quia in luce eius facilior
eſt cuſtodia, defenſio & pugna in nocte. Sic
nullus ſanctus ita eſt propitius hominib. ad
pugnãdum cõtra diabolũ, & ad præuiẽdũ
eius inſidias ſicut patrociniũ huius virgi-
nis: Et ideò ſicut luna ſpecialiter præeſt
nocti, ſic beata virgo defenſioni peccato-
Gen. 1. rum in tenebris ignorantiæ errãtium. Vn
de dicitur. *Fecit Deus luminare maius vt
præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet
nocti, & ſtellas fecit & poſuit in firmamento.*
Luminare maius quod præeſt diei gratię, ẽ
Chriſtus, qui eſt verus ſol iuſtitiæ ortus ti
mentibus Deũ. Quamdiu iſte ſol lucet per
per gratiã ſuã, tãdiu eſt dies ſalutis. *Nox præ-
ceſſit, dies autẽ appropinquauit: Ecce nũc tẽpus* *Rom. 13.*
acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Luminare
minus quod præeſt nocti peccatorũ, virgo
beata eſt, quæ per compaſſionem & mi-
ſericordiam ſuam plus adiuuat peccatores
quã cæteri ſancti. Luna habet ſingulare do-
miniũ ſuper mare, quantum ad augmentũ
eius, vt dicitur, primo, metheor: Sic virgo
habet poteſtatem augendi contritionem &
deuotionem in amaritudine peccatorũ. In
comparatione autem Mariæ alij ſancti di-
cuntur ſtellę. & ideò addit: *& ſtellas poſuit in
firmamento.* Sicut .n. ſtellæ habẽt multipli-
cẽ diſtinctionem & multiplicem effectum,
ſic & Sancti. Aliæ enim ſunt alijs cla-
riores, aliæ alijs viciniores; aliæ alijs
altiores; aliæ alijs velociores: aliæ alijs effi-
caciores. Vnde Apoſtolus. *ſtella differt à ſtel-* *1. Cor. 15.*
la in claritate. eodẽ modo eſt de Sãctis reſpe-
ctu Dei, quia quidã ſũt clariores in cogniti-
one diuinitatis & viciniores Deo; alij altio-
res ſpeculando & videndo Deum; alij velo-
ciores ad iuuandum nos; alij efficaciores in
exhibẽdo nobis beneficia. Sunt & aliæ ſtel-
læ, quæ ſunt fixæ in firmamento, & mouẽ-
tur cum eo. Hæ ſignificant angelos, qui ſẽ-
per mouentur ad motũ voluntatis diuinæ.
Aliæ præcedunt mane ſolem, vt ſtella ma-
tutina, quales fuerũt prophetæ pręnũciãtes
Chriſti natiuitatem. *Quaſi ſtella matutina
in medio nebulæ.* Aliæ coniunctæ ſoli, vt pa- *Eccl. 50.*
triarchę. qui per opera miſericordiæ fuerũt
coniuncti Deo. Aliæ currunt contra firma-
mentum. & ſignificant Apoſtolos, qui cur-
runt per doctrinã cõtra mundum iſtum, nè
ruat. *Qui ad iuſtitiã erudiũt multos, fulgebũt* *Dan. 12.*
quaſi ſtella in perpetuas æternitates. Aliæ ſe-
quuntur ſolẽ, vt eſt Heſperus Hæ ſignificãt
martyres, qui per martyrij paſſionem ſecu-
ti ſunt Chriſtum. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes* *Iob. 23.*
meus. Et ſaluator. *Tollat crucem ſuam & ſe-* *Matt. 16.*
quatur me. Aliæ dicuntur erraticæ, quia
modo iſtam, modo illam tenent viam: &
ſignificant cõfeſſores qui diuerſis vijs me-
ruerunt merita æterna. Nam quidam in vi-
ta eremitica, quidam clauſtrali, quidam
in ſtatu laicali, quidam ſacerdotali quidam *Baruch. 3*
ieiunijs, quidam orationibus. Vnde Baruc.
Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis. Alijæ
ſunt ita aliæ [illegible] ſole vix vi-

 deantur.

dantur. Hæ ſignificant virgines quæ ſingulare habẽt meritũ, & ita obumbrãtur à ſole Chriſto vt vix videantur: quia videntur ab hominibus nullius eſſe meriti, cum non faciant fructum ventris, iuxta illud, maledicta ſterilis. Aliæ ſunt ſtellæ, quæ non recedunt à ſtella maris, ſicut currus, qui vocatur maior vrſa &c. Hæ ſignificãt viduas, quę licet virgines nõ ſint, tamen ſunt caſtæ, & adhærẽt beatæ virgini quantum poſſunt per deuõtionem ſpecialem erga eam, vnde Apoſtolus. *Inter quos lucetis ſicut luminaria, verbum vitæ continentes*, id eſt, verbum Dei vita implentes. Aliæ ſunt quæ faciunt viam per medium cœli lucidam propter multitudinem nimiam; & dicitur via lactea, ſeu galaxia; & ſignificant coniugatas, quæ multæ ſunt, vndè Eccl. *Species cœli gloria ſtellarum mundum illuminans in excelſis*, Hoc promiſit Dominus Abrahæ. *Suſpice cœlum & numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum*. Sic ergò patet primum principale, ꝙ Maria rectè comparatur lunæ, propter nominis impoſitionem; ſicut enim Chriſtus dicitur verus ſol iuſtitiæ, ſancti verò tàm in præſenti, quàm in futuro dicuntur ſtellæ; ſic Maria inter Deum & homines, ſicut inter ſolem & ſtellas tenet proprietatem lunæ quoad nominis eius virtutem.

Philip. 2. *Eccl. 43.* *Gen. 15.*

II.

Luna recipit à ſole ſub triplici gradu pulchritudinem; ſiquidem pulchra eſt in principio quando eſt noua; in medio pulchrior, quando eſt plena; pulcherrima in termino, quando eſt ſoli coniuncta, licet nobis tunc non appareat: tunc enim magis perfunditur luce quam antè, vt probatur per Aſtronomos. Similiter B. virgo habuit triplicem gradum pulchritudinis à ſole Chriſto: fuit pulchra in ingreſſu ſuæ conceptionis, quando anima eius ingreſſa eſt corpus; tunc enim fuit quaſi noua luna, per donum gratiæ ſanctificationis illuſtrata, quæ ipſam emundauit à macula originali; vndè miratur Salomon. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna?* Item fuit pulchrior in proceſſu, velut luna plena in diebus ſuis, per donum gratiæ fæcundantis; tunc enim fuit mundata à fomite carnalis concupiſcentię; ſicut enim luna pulchrior in plenilunio eſt, quam in nouilunio, quando ex nulla parte eſt vacua lumine; ſic & beata virgo in conceptione filij Dei pulchrior fuit, quando nulla ſui parte vacua, ſed plena diuinitate fuit; vndè dictum eſt ei, *Aue gratia plena*; ſed pulcherrima fuit poſtea in egreſſu velut ſoli coniuncta per donum gloriæ eleuantis & beatificantis; ſicut enim luna in coniunctione ſua cum ſole eſt clariſſima, vtpute radijs ſolaribus illuſtrata magis, licet nobis non appareat, quia tunc habet lucem inacceſſibilem; ita beata virgo quãdò in aſſumptione ſua fuit eleuata & ſoli inacceſſibili iuſtitiæ Chriſto aſſociata.

Cant. 6.

III.

Luna virtute luminis ſui tria facit ſecundum philoſophos in inferioribus; replet conchylia humidum augmentando; attrahit maria fœtidum humorem de profundo extrahendo; temperat aduſtum de nocte aëra, ardorem ſolis reprimendo; hæc ſunt tria beneficia, quæ erant valdè neceſſaria habitantibus nobis in regione vmbræ mortis, quibus ad ſolatium eſt conceſſa; ſiquidem peccatores vacui erant gratia, & ideò indigebant repletione; ponderoſi culpa, ideò indigebant eleuatione, & de profundo laci extractione; aduſti iuſtitia diuina, & ideò indigebant diuinę iuſtitiæ temperantia per propitiationem; hæc tria facit beata virgo in nobis lumine & beneficio ſuæ gratiæ: primò replet conchylia, id eſt, corda noſtra, gratiam nobis impetrando, vndè de ipſa dicit Angelus. *Inueniſti gratiam apud Dominum*. Nec dubium, quia nobis eam dicatur inueniſſe, licet ipſa ſola plena gratia dicatur extitiſſe, ac per hoc non ſibi, ſed nobis acquiſiſſe; ideò ipſa comparat ſe aquęductui. *Ego quaſi aquæductus exiui*. O quam optimam aquam gratiæ propinauit nobis iſta virgo; certè talem aquam qui biberit, non ſitiet in æternum, ſed nunquid eam nobis in parcitate vel penuria propinat? certè non, ſed in maxima copia; vndè ipſa de ſe dicit. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini*. Non dicit bibatis, ſed adimplemini ad copiã, & abundantiam, ſaturitatẽ, & plenitudinẽ; nec mirũ: nõ eſt enim

Tria operatur luna. *Maria replet.* *Luc. 1.* *Eccl. 24.* *Ioan. 4.*

enim gratia iſtius virginis ſicut aliorum ſanctorum, quibus Deus dedit ad gratiam ſufficientiam, ſicut dicitur de B. Stephano, quod erat plenus gratia; quod vtique fuit ad ſufficientiam. Sed iſti data eſt gratia ad plenitudinem: Vnde dicitur *Gratia plena.* Virgo Maria inquit D. Ambroſius, nullo genere virtutum caruit, cui Angelus pleni tudinem nunciabat. Et concludit Bernardus ſuper miſſus eſt, quod de plenitudine eius accepimus vniuerſi. æger curationem; triſtis conſolationem; Peccator veniam; Iuſtus gratiam; & ſic de alijs. Omnibus enim omnia facta eſt, & de plenitudine eius recipiunt vniuerſi. Secundo, maria eleuat, & attrahit vaporem fœtidum, id eſt, culpam extrahendo. Vnde in Canticis clamat peccator ad eam dicens. *Trahe me poſt te.* Tractus iſte non fuit inuitus, aut moleſtus, ſed valdè ſuauis, & dulcis. Vnde ſicut mater attrahit puerum, vt poſt eam currat, oſtendendo ei pomum, vel blandiendo manibus; ſic hæc virgo oſtenſione exemplorum ſuorum attrahit ad ſe. Vnde in Canticis; *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Odor vnguentorum ſunt exempla virtutum in hac virgine, quibus illecti peccatores plus, quam exemplis aliorum ſanctorum currunt per viam mandatorum, & ſemitam conſiliorum ad Chriſtum. Tertiò, hæc virgo eſt reconciliatrix inter Deū, & peccatores. Vnde, ſicut *nemo venit ad patrem, niſi per filium, vt dicit Saluator,* ita nemo ad filium, niſi per matrem. Et ſicut nemo eſt aptior ad mitigandum iram patris contra filios degeneres ſæuientem, niſi mater: ita nemo ſanctorum eſt aptior ad intercedendum pro nobis ad Deum, ſicut iſta virgo, quæ cum Deo Patre meruit habere eundem Filium, cui non eſt fas, vt ei Deus Pater aliquid neget, ex quo Pater ei voluit dare vnigenitum filium, & dilectiſſimum. Vnde Apoſtolus. *Nonne cum illo donauit nobis omnia.* Similiter filius non poterit negare quicquam matri, à qua recepit omnia, quæ habet ſecundum ſanctam humanitatem à matre. Sic nec ſpiritus ſanctus poterit ei quicquam negare, qui in eā ſuperueniens plenitudinem donorum illi non dubitatur contuliſſe. Adeamus ergò cum fiducia thronum gratiæ, vt gratiam conſequamur per eam, & poſt hoc gloriam; ad quam nos perducat Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

Lib. 2. de virgini.

Maria attrahit vaporem.

Maria reconciliat.

DE SANCTO THOMA.

SERMO I.

Quia vidiſti me Thoma, credidiſti; Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Ioan. 20.

INTER cætera homini neceſſaria ad ſalutē quatuor videntur præcipua eſſe hæc. *Primò,* vt homo ſit gratus de beneficijs diuinis: Ingratitudo enim eſt vētus vrens, ſiccans fontē pietatis, vt dicit Bern. *Secundò,* vt ſit ſeruus Dei vtilis, ne ſit ira, & pęna dignus. *Seruum inutilē mittite in tenebras.* Vnde Prou. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens. Tertiò.* vt ſit non ſolum ſeruus vtilis, ſed etiam prudēs, nè ſit quaſi gubernator ſopitus in medio maris amiſſo clauo. Prou. 23 *Quartò,* vt ſit ſeruus non ſolum vtilis & prudens, ſed etiam fidelis, nè ſcilicet ſibi vſurpet dominium, vel alteri quam debeat, red dat ſeruitium. *Euge ſerue bone, & fidelis.* Iſta quatuor acquiruntur maximè per fidem, per quam homo primò cognoſcit, à quo, quod habet, acceperit; & per hoc homo redditur gratus Deo. Secundò, per fidem cognoſcit homo, ſub quo Domino ſit, & ſic ſe ſentit ſeruum, ad laudandum Deum, & operandum ſalutem propriam. Tertiò, per fidem cognoſcit, quomodo in hoc mundo conuerſandum ſit, quid contēnendum,

Quatuor ad ſalutē præcipuè neceſſaria.

Matt. 25. Prou. 14.

Matt. 25.

nendum, quid appetendum, quò tendendũ, quid amandum. Ecce prudentia. Quartò per fidem homo cognoſcit, cui ſeruiendum eſt, & cui totum dominium attribuendum, & quod nulli alteri, quam Deo ſeruiendum eſt *Soli Deo honor, & gloria in ſæcula.* (1.Tim.1.) Cum igitur tot, & tanta ex fide proueniant, meritò fides videtur homini eſſe neceſſaria ad ſalutem, ad quã, vel per quã beatitudinẽ conſequitur æternã, de qua dicit verbum noſtri thematis. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* In quibus verbis tria tanguntur Primò, Thomæ dubitatio, quia reſurrectionem Chriſti credere noluit, niſi eum corporaliter videret, cũ dicitur. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Secundò deſcribitur fidei remuneratio, cum dicitur. *Beati, qui non viderunt.* Tertiò ſubiungitur fidelium commendatio, cum dicitur. *Et crediderunt.*

I.

D. Gregorius in homilia ſuper hunc locum ita inter cætera habet: Minus nobis Maria, ſcilicet magdalena profuit, quæ citò credidit, quam Thomas, qui diu dubitauit. Profuit autem nobis Thomas per ſuam dubitationem ad duo, ſcilicet ad timorem diuinum ſemper præ oculis habendum, & erigẽdum ſpem in Deum. (*Dubitatio Thomæ nobis prodeſt.*) Dubitatio enim eius ad hoc in Eccleſia in anno bis refertur, ſemel in octaua Paſchæ; ſecundò hic; non vtique propter aliud, quam propter timorem nobis præſumptuoſis, & aſſecuratis de noſtris operibus incutiendum. Ex quo enim tam Sanctus Apoſtolus cecidit de fidelitate in errorem, quid fiet de nobis? Secũdò ad hoc refertur eius dubitatio, nè homo deſperet de venia ſuorum malorum commiſſorum, ſed potius erigatur ad ſpem de Dei pietate, quæ ſicut poſt lapſum ſuſcepit clementer Thomam, ita ſuſcipiet & nos peccatores, quocunque genere peccati infectos. Videamus igitur de vtroque, ſcilicet de præſumptione compeſcenda, & ſpe erigenda. Nos enim hic debemus eſſe in medio, inter vtrumque intuendo Thomã, iuxta illud; *Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur: Nè declines ad dexteram, neq; ad ſiniſtram.* (Prou. 4.) Dextera eſt præſumptio; Siniſtra eſt deſperatio. Thomas per dubitationem cecidit, nè tu præſumas; per confeſſionem fidei ſurrexit, nè deſperes. Vide ergò primò Beati Thomæ lapſum & habebis præſumptionis remedium. Sex faciunt hominem præſumere, & ſecuritate torpere. (*Præſumptionis cauſæ ſex.*) *Primum* natura fortis, vt in his, qui non multum à tentationibus inquietantur. Sed quomodo ſecurus erit quis noſtrum cum videt viros fortes cecidiſſe? Dauid cum leonibus luſit; vrſum, & leonem interfecit; Goliam proſtrauit; Gigantem ſola funda, & lapide interfecit; & quod plus eſt, Dauid decem millia occidit, vt teſtatur etiam de eo inimicus eius Saul, & tamen vnius fœminæ pulchritudine illectus cecidit in adulterium. Sampſon mille viros aſini mandibula occidit, & triginta viros percuſſit, portas ciuitatis Gazæ abſtulit, columnas domus inimicorum ſuorum conquaſſauit, & tamen per vnicam fœminam deuictus eſt; & ecce hic Thomas vir fortis cecidit, quomodo ergò mulier dicit ſe ſecuram, cum videt viros fortes cecidiſſe? Quid faciet homo fragilis, cum videt Angelum fortiſſimum expertem calamitatis cecidiſſe? *Ecce, qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* (Iob 4.) Timendum eſt ergò nobis in ſeruitio Dei, iuxta illud. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* (Eccl. 2.) *Secundò*, præſumere facit ſocietas bona: Et hac tentantur quidam in clauſtris, in collegijs, in communitatibus, in vniuerſitatibus, ſcientes, quia *qui cum ſapiẽtibus graditur, ſapiẽs erit.* (Prou. 13.) Et. *Cũ viro ſãcto aſſiduus eſto, & diſces ab eo ſapientiam.* (Eccl. 27.) Vnde in Pſal. *Cum ſancto ſanctus eris.* (Pſal. 17.) Sed nec præſumendum ibi, quia ecce Thomas in ſocietate Apoſtolica cecidit, quorum congregatione nulla adhuc in mũdo ſanctior. Non eſt confidendum de ſocietate, quia Domin' dicit. *Erũt duo in lecto vno*, vnus aſſumetur ad gratiam, alter ad iram; vnus ad gloriam, alter ad gehennam. (Luc. 17.) Patet de Petro & Iuda, de latrone dextro, & ſiniſtro, Nicolao & Stephano. *Tertiò*, præſumere facit ipſa ſecuritas. Hac homines torpent in clauſtris, in muris, in cauernis, in eremo, & in ſpeluncis. Sed hæc præſumptio hic tollitur, quia Thomas in ciuitate ſanctiſſima Ieruſalem; Adam in paradiſo; Angelus in cœlo; Chriſtus tentatur in deſerto.

Vnde

Greg. diſt. 40. Nos qui. & c. ſeq. In cap. quemlibet.

Vnde Gre. Non loca, non ordines nos Deo proximos faciunt, ſcilicet nos aut merita noſtra bona cõiungũt, aut mala diſiungũt. & iterum: quęlibet loca occulta ſine gratia animam ſaluare non poſſunt, & exemplificat de Loth, qui in ipſa peruerſa ciuitate iuſtus fuit; in monte verò peccauit; hinc

Chryſ. di. 40. Multi

Chryſoſtom. Non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum. *Quartò*, præſumere facit ſcientia ſeu ſapientiã; hac torpent ſcientifici. Sed ecce Thomas eruditus à Chriſto, & maximus Theologus, de via veritatis ſpecialiter inſtructus;

Ioan. 14.

Neſcimus quo vadis, & quomodo viam poſſumus ſcire; dicit ei Ieſus: Ego ſum via. Ecce Salomon ſapientiſſimus, Dauid ſpiritu prophetiæ plenus: Vndè glo. ſuper illud Eccl. 7 *Non te iuſtifices antè Deum; nulla præſumptio periculoſior, quam de propria iuſtitia aut ſcientia ſuperbire.* Et ratio, quia multo plura in infinitum ſcit diabolus ad decipiendũ hominem. *Quintò*, facit præſumere voluntas feruida, quæ homo ſciẽs incipit quandoq; torpere; per hoc enim incipit ſocietatem deſerere, & negligens fieri, præſumens, vel nimis credens experto, vel habito affectui; ſed certè Thomas ille feruidus, qui dixit;

Ioan. 11.

Eamus & nos, & moriamur cum illo, nunc *factus eſt incredulus*, ſimiliter Petrus, qui dixit: paratus ſum in carcerem, & in mortẽ ire, eccè ter negauit, propter quod Bernard.

S. Bern. ad Eugen.

Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc eſt, nihil tàm fixum animo, quod neglectu atque tempore non aboleſcat: hæc ille. *Sextò*, pręſumere facit diuina familiaritas, ſicut faciunt contemplatiui habentes reuelationes, & perguſtationes ſpiritus: ſed eccè Thomas vnus ex xij. non dicitur lxx. ſed vnus de maioribus familiaribus Chriſti cecidit:

Hebr. 6.

vndè Apoſtolus. Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonũ Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pęnitẽtiã rurſum crucifigentes filium Dei in ſemetipſis, & oſtentui habentes: homo enim de facili, de alto cadit, id eſt, de gratia in peccatum, per ſe autem reſurgere eſt difficile. Et ratio: nam quò gradus altior, eò caſus grauior, & reditus difficilior. His attentis dicitur. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu. In timore incolatus veſtri tempore conuerſamini.*

Eccl. 5. 1. Pet. 1.

Sed nè quis deſperet de commiſſo, intueatur etiam Thomã, intueatur etiã alios ſanctos; ſi enim cecidiſti per adulterium: eccè Dauid; ſi per homicidium: eccè idem; ſi per periurium: eccè Petrus; ſi per vanitates ſeculi, eccè Magdalenam; ſi per percuſſionẽ Chriſti fidelium, eccè Paulus; ſi per auaritiam: eccè Zacheus; eccè Matthæus; ſi per latrocinium, eccè latro crucifixus dexter; ſi per hæreſim & errorẽ, eccè Thomas; tot fideiuſſores ponit Deus, quot pœnitentes.

II.

Beati qui non viderunt. Sciendum quod licet cæteris virtutibus debetur beatitudo, ſicut patet Matth. 5. tamen excellentius & principalius beatitudo debetur fidei, ex qua procedit tota efficacia operum noſtrorum. *Nam iuſtus ex fide viuit.* Beati qui non viderunt.

Hebr. 10.

Nam licet beati oculi fuerint qui viderunt humanitatem exterius, & crediderunt diuinitatem interius, tamen ſpecialiter beati dicuntur, qui verumque non viderunt & crediderunt; credere & non videre valdè glorioſum, meritorium, & laude dignũ ex tribus cauſis: nam glorioſum eſt principi, ſi ſimplici verbo eius credatur ſine cautione pignoris vel iuramenti, vel fideiuſſorum. Ignominioſum verò eſt ei è cõuerſo: diſplicet etiam cuilibet viro notæ famæ, & bonitatis, & ſufficientis facultatis, ſi ſimplici verbo eius non credatur, quantò magis diſplicet regi gloriæ, qui nec falli, nec fallere poteſt, ſi non credatur verbis eius ſine cautione rerum quam quærunt gẽtiles, vel ſignorum, quam quærunt Iudæi.

Credere & non videre, eſt glorioſum meritoriũ & laude dignum.

Iudæi ſignũ quærũt græci ſapientiam; ideò cõtra nos dicitur. *Generatio mala & adultera ſignum quærit. O generatio mala & peruerſa vſquequo patiar vos?*

1. Cor. 1. Matt. 12. & 16. Ibid. 17.

Secundò, eſt meritorium valde, ex eo, quia homo cum aſſentit Deo in his quæ non ſunt ſenſui manifeſta, nec per ſe nota intellectui, nec violentia neceſſariæ probationis oſtenſa; iſta libera aſſenſio eſt meritoria. Aſſenſio verò qua homo aſſentit, manifeſtis ſenſui, vel per ſe notis intellectui, vel notoriè probatis, meritũ nõ habet, quia quaſi coacta eſt illa aſſenſio. Vndè gloſſa ſuper illud; fiduciam habentes

Hebr. 12.

in introitu ſeculorum, dicit. Fides non habet meritũ, cui humana ratio præbet experimentũ. Tertiò eſt laude dignũ. Sic enim nõ eſt virtuoſum videre lucidũ, ſic nec credere quod manifeſtè probabile eſt; ſed laude dignũ eſt credere Deo in illis, quę ſenſus vel ratio videntur diſſuadere, ſicut Abrahã

Rom. 4. *qui contra ſpem in ſpem credidit*; cũ ergò credere & non videre ſit glorioſus modus cognoſcendi Deũ, & per hoc meritoriꝰ & laude dignus, certè meritò *beati ſunt qui non viderunt & crediderunt.*

III.

Et crediderunt. Vt quis mereatur eſſe credẽs in Chriſtũ & fidelis Chriſti, plura requi-

Vnde quis verus fidelis fiat. runtur. Primò .n. requiritur ſimplicitas. Secundò viuacitas. Tertiò magnitudo. Quartò feruor. Quintò integritas. Sextò ſtabilitas: Hæc faciunt verũ fidelẽ Chriſti. *Primò*,

Prou. 10. in fide debet eſſe ſimplicitas. *Qui ambulat ſimpliciter*, in his quę ſunt fidei, *ambulat cõfidenter*, tunc aũt eſt ſimplicitas, cũ homo non propter aliqua argumenta credit, ſed quia aſſentit primæ veritati; & ita credit eſſe ſimpliciter verũ quicquid Deus pręcepit, vel quod ei de Deo dictum, aut ab eo præcipitur: vndè Ambr. Auſer argumenta, vbi fides perquiritur. piſcatoribus creditur, nõ prophetis. Ad hanc ſimplicitatẽ monemur

Exod. 20. in Exod. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædifices illud de ſectis lapidibus. Si .n. leuaueris cultrum tuũ ſuper eo, polluetur*, id eſt, nõ pręferas ingenium tuũ auctoritati ſacræ ſcripturæ in his quæ fidei ſunt; & eſt hoc contra noſtrates, qui non aſſentiũt alicui veritati, donec eis probationibus & rationibus euidentiſſimis demonſtretur. *Secundò*, in fide requiritur viuacitas, quod tunc fit cum homo operatur bona; ſic .n. ille qui amicũ amat, voluntarius eſt ad credendũ de eo bona, mala verò de eo credere non vult; ita amor Dei in vero fideli Chriſtiano, omnia bona credens placere Deo, operatur, & omnia mala credens diſplicere ei, nõ operatur, ſed fugit illa: vnde Apoſtol. *Caritas omnia*

1 Cor. 13. *credit.* Dicitur aũt fides viua quæ operatur per dilectionẽ, pro eo, quia ſicut motus eſt ſignũ vitæ in animali, ita operatio eſt ſignũ caritatis in fide, quia caritas, ſecundũ Greg. non poteſt eſſe otioſa; & ideò Bern. dicit fidẽ ſine operibꝰ eſſe cadauer exanime, quod nec ſe, nec alios mouere poteſt ad bene operandum. Ex præmiſſis patet, quod fides ſine operibus non eſt fides Chriſtianorum, ſed dæmonũ: vnde Apoſt. *Dæmones credũt & contremiſcunt*, imò dico quod eſt peior *Iacob. 2.*

fide dæmonũ, quia dæmones credunt iudicẽ, & contremiſcunt corã eius iuſtitia; hoĩes aũt nõ cognoſcunt eũ ſaluatorẽ & benefactorẽ, vt dicit Auguſt. in glo. ibid. hinc dicit Aug. ſuper illud ad Titũ 1. Confitentur *Auguſt.*

ſe noſſe Deũ, factis aũt negãt. *Nolite* inquit *ſecuri eſſe de fide, adiungite rectæ fidei recta opera vt Chriſtũ confiteamini verbis & factis. qui .n. confitentur Chriſtũ verbis & non factis, fides talium propè eſt fidei dæmoniorũ imò fides Chriſtianorũ, qui Deũ non timent inferior eſt fide dæmoniorum, qui contremiſcunt*: hæc ille: Ex quo infero, quod fides talium eſt in augmento culpæ per conſequẽs & pœnæ, quia ſicut cognitio aggrauat culpã, ita ignorantia attenuat ipſam. Cũ ergò quis nouit de Deo plura, certè plus punietur, ſi ſecundũ ea non fecerit. Seruus ſciens voluntatẽ domini & nõ faciens, vapulabit plagis multis. *Tertiò*, requiritur magnitudo, vt ſc. homo magna de Deo teneat, ſicut Centurio. *Luc. 12.*

Dic verbo & ſanabitur puer meus. Item vt pro Deo omnia contemnat. *Fide Moyſes grandis factus, negauit ſe filium filiæ Pharaonis.* item vt in aduerſis de Deo confidat *Modicæ fidei, quare dubitaſti.* Itẽ vt retributionẽ bonorũ ſuorũ longanimiter expectet; principes .n. longã credentiam requirunt *Qui crediderit non feſtinet.* Et alibi. *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit.* Et item. *Hodiè fœneratur quis & cras repetit, odibilis eſt homo huiuſmodi.* *Quartò*, in fide requiritur feruor. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Gloſſa dicit, quod ideo grano ſinapis comparat fidẽ, quia eſt in peccatore feruẽs, & licet vile & paruum videatur, tamen attritũ oſtendit virtutẽ ſuam; ſic fides noſtra quæ in proſperitatibus non apparet, in tribulationibus & preſſuris attrita virtutẽ oſtendit miraculorum, ſi fuerit oratio feruida in homine fideli. *Quintò*, requiritur integritas, vt omnes articuli credantur explicitè vel implicitè, vt habetur de ſumma trinitate & fide catholica, ca. Firmiter *Sextò*

Matth. 8. *Hebr. 11.* *Matt. 14.* *Iſa. 28.* *Prou. 20.* *Eccl. 20.* *Matt. 17.*

requi-

Tob. 2. requiritur ſtabilitas; vt videlicet homo nō facile relinquat fidem ſuam, de quo Tobias filio ſuo. *Vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquā mutant ab eo:* vnde valde repræhenſibiles ſunt, qui videntes aliquem hæreticum magnæ abſtinentiæ vel humilitatis exterioris, credunt propter hoc, quod ſit ſanæ fidei, & relinquunt fidē ſuā, in qua longo tempore vixerunt, & parentes ſui mortui ſunt. Contra tales dicitur. *Qui citò credit, leuis eſt corde.* Eccl. 19. Nos ergo fratres cariſſimi ſtudeamus, vt fidē ſanā habeamus, & habitam cuſtodiamus, vt tandem oculo ad oculum, quod credimus, videre mereamur, Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum. Quod nobis &c.

DE NATIVITATE CHRISTI SERMO I.

Peperit filium ſuum primogenitum. Luc. 2.

Propoſitio

IN verbis iſtis tria deſcribūtur. Primò modus Dei in mundo apparentis, & in mundū veniētis, cum dicitur, *Peperit.* Secūdo deſcribitur perſonæ dignitas ex virgine naſcētis, cū dicitur, *filium ſuum.* Tertio ſubiungitur virginis parientis integritas, quia *primogenitum.*

I.

Peperit. Tria ſunt videnda hic. Primò, quare non per alium modum Deus voluit mundo apparere, quam per partum virginis. Secundò, quare non aliter, quam per partum virginis. Tertiò, qualis iſte fuit partus, aut quomodo poſſibilis. De primo ſciendū, quod licet aliter Deus potuiſſet hominem reparare, nullus tamen modus fuit ita congruus ſicut modus incarnationis, qui erat conueniens reparationi, & reparabili, & reparatori. Nam ſicut Deus omnia fecerat potenter, ſapienter, & benigniter; ita debuit reparare potētia, ſapientia, & benignitate. Potentia ergo apparuit in coniunctione ſummæ diſtantium in vnā perſonā; ſapientia in coniunctione primi, ſcilicet verbi Dei, & vltimi, ſcil. humanæ naturæ; beneuolentia in coniunctione, ſc. ſerui & domini: Et ita fuit congruū & conueniēs Deum incarnari quantum ad reparationē; quantū ad reparatorē fuit conueniēs, quia cū ex peccato primi hominis, homo cecidiſſet à potentia, ſapiētia, & beneuolentia, in infirmitatē, ignorantiā, & malignitatē, factus fuit carnalis, animalis, & ſenſualis, & ſic ineptus ad veritatem cognoſcendam, virtutem imitandam, bonitatem diligendam, decuit vt hoc fieret per Deum, in quo hæc tria perfectè ſunt, potentia, ſapientia, & bonitas. Tertiò, quo ad reparabile congruum fuit, quia homo non perfectè potuit reparari, niſi recuperaſſet mentis innocentiā & ſuam excellentiam, qua ſoli Deo ſuberat; hoc autem non potuit fieri niſi per Deū, qui cū ſit excellentiſſimus, ſua humilitate potuit hoc facere, & non aliter; quia humilitas cuiuſcunque hominis nō fuit ad hoc ſufficiens, vt compenſaretur ſuperbiæ primi parentis, per quam perdidit excellentiam; Et ideò quantum ad reparabile, ſc. ad hominem, conueniēs fuit Deū incarnari, & per conſequens per partum venire in mundū. Nā ſi aliter recuperaſſet, magis per violentiam quam iuſtitiā videretur feciſſe.

Incarnatio ad reparandū hominem conuenientiſſima.

1. reparationi.

2. reparatori.

3. reparabili.

2. Sed quare non aliter venit, quā per partū virg.? Reſpōdeo, ꝓpter perfectionē vniuerſi. Nā triplex fuit generatio in mundo. Prima ſine patre & matre; vt Adæ. Secunda de patre ſine matre; vt Euæ. Tertia de patre & matre; vt noſtra. Quarta autem nondū fuit, ſc. ex matre ſine patre. Et ideò ne quis putaſſet Deum iſtam vltimam facere nō poſſe ad oſtendendum opus ſuæ potentiæ, voluit Chriſtū incarnari de virgine, vt eſſet genit' ex matre ſine patre in terris: vnde Apoſtol. *Miſit Deus filium ſuum natum ex muliere.* ſc. ſola. Et iſta eſt generatio Abrahæ promiſſa, per quam erat ad gratiam redeundum. Gal. 4. Gen. 15.

3. Tertiò, quomodo ille partus fuit poſſibilis? Reſpondeo, ſi Deus potuit de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, multò magis potuit ꝓducere hominē de homine ſolo. Secūdo nō ſolū fuit poſſibile Deo, ſed etiā conueniens. Sicut enim Eua creata fuit de viro ſine Luc. 3.

fęmina, ita filius Dei debuit creari de fęmina ſine viro. Item poſſibile fuit hoc facere Deo quod conceſſit naturæ. Nam ſimilia videmus in naturalibus. Sol enim intrat per vitrum, igniculus per cryſtallum, flos per herbam, verbum per aurem, cogitatio per cor, intuitus per oculum, ignis per rubum. Ad maiorem confuſionem Iudæorū inquirendum eſt quomodo virga Aaron arida floruit, aut vellus Gedeonis maduit, aut per portam clauſam Ezechiel princeps tranſijt, aut quomodo muſtela ore concipit & aure parit. Vultur & apis vermis ſine commixtione maſculi generatur. Si ergo creaturis hoc Deus conceſſit, multo magis filio ſuo hoc tribuit. Vnde canimus; *Talis decet partus Deum.*

Num. 17. Iud. 7. Ezech. 44.

Quod enim naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, dicebat Angelus ad virginem. Conuenit autem magis filio Dei incarnari, quam Patri vel ſpiritui Sancto. *Primò*, quia magis conuenit filium ſupplicare patri quam aliam perſonam. *Secundò*, quia primi parentes in filium peccauerunt, eius ſapientiam concupiſcendo. *Tertiò*, quia filius Dei eſt medians inter patrem & ſpiritum ſanctum, ideo debuit eſſe mediator noſter. Nullū enim decet magis reducere hominē ad conformitatē Dei patris, quā illū qui eſt virginis filius. *Quartò*, quia conuenientius mittitur qui eſt ab alio, quā qui à nullo. Et ideò pater non eſt miſſus. Spiritus autem ſanctus nō debuit mitti, quia conuenientius eſt vt filius Dei eſſet filius in cęlo & in terra, ne Deus putaretur habere duos filios. *Quintò*, vt oſtenderet Deus pater quod nihil eſſet ita carū, quod nollet dare nobis, ex quo vnigenitū dedit nobis. *Sic Deus dilexit mundū vt filium ſuū vnigenitū daret. Sextò*, vt digna fieret & ſuperefficiens ſet operatio Deo, nō ſolum ęqualis peccato, ſed etiā maior in infinitū. *Septimò*, vt accenderet humanū deſideriū ad ſe diligendum. Etenim filius Dei ex magna charitate incarnatus eſt ad hoc, vt accenderet corda noſtra. Iuxta illud. *Ignē veni mittere in terrā.* Et quia Deus pater totā dilectionē poſuit in filio, ideo vt oſtēdatur homo inexcuſabilis à dilectione Dei, ecce Deus miſit eū portātem ignem quaſi infinitū qui ſufficiens eſt accendere totū mūdū. Sic aūt fuit Christus verus filius Dei, ita & fil.[9] virginis. Et ideò dicit hic emittere filium ſuū, id eſt, ex ipſa Maria genitū, non ſolum localiter vt Arrius finxit. Vnde in ſymbolo. Natus ex Maria virgine, id eſt, ex materia virginis ſolius. Ex quo patet, quia totam materiam pro corpore, ſcilicet Chriſti formando miniſtrauit, quod non faciūt aliæ mulieres. Vnde ipſe poteſt filio ſuo imperare, cū ab ea habeat omnia ſecūdū carnē. Sed dices, cū dicimus quod Chriſtus eſt conceptus de ſpiritu ſancto, quomodo eſt ergo de ſola virgine? Inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Et. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Reſponſio. verū eſt, nō tamē de ſubſtātia ſpiritus ſancti, ſed bene operatione ſpiritus ſancti formatum eſt corpus Chriſti. Quia ſpiritu ſancto operante diuiſa eſt quędā portio carnis puriſſima in Virgine ab alia carne poſt conceptionē Chriſti. Et ita ibi notat de ſpiritu ſancto cauſā efficientē non materialē. Hoc autē ideo attribuitur ſpiritui ſancto ſpecialiter, licet etiam tota trinitas operata ſit ad conceptionē Chriſti, quia charitas quæ attribuitur ſpiritui ſancto, fecit Deum incarnari. Vnde ſpiritus ſanctus non poteſt dici pater Chriſti.

Magna eſt perſonæ venientis dignitas, eſt enim Mariæ imo filius Dei.

Incarnari magis cōuenit filio, quam Patri aut ſpiritui S.

Ioan. 3.

Matth. 1. Luca. 1.

III.

Primogenitū. Fuerunt quidā hæretici qui dicebant, Mariam alios filios habuiſſe poſt Chriſtū, ideò quia hoc dicitur primogenitū. Ad hoc reſpondetur, quod Chriſtus dicitur primogenitus per abnegationem prioris & poſterioris ſimiliter. Nō ergò dixit primogenitū quod poſt eū fuiſſent alij, ſed quia voluit maximè præbere teſtimonium virgini de tēpore ante partū, de quo magis potuerat dubitari. Vnde dicitur primogenitus, ante quē nullus & poſt quē nullus, vel primogenitus quia à patre genitus ab ęterno. *Generationē eius quis enarrabit?* Vel quia ipſe fuit primus ſine peccato. *Qui peccatum non fecit.* Vel quia nouo modo genitus, *Nouū creauit Dominus ſuper terrā fœmina circūdabit virū.* Eſt autē ſciendum quod in natiuitate illius primogeniti multa mira & inaudita facta ſunt, & ideò dicitur primogenitus, quaſi non habēs ſecundū in talibus. *Primo*, quia virgo concepit eū, perfectè corpore & anima. *Secundò*, quia mater & virgo fuit.

Quare Chriſtus primogenitus.

Iſa. 53. 1. Pet. 2. Ierem. 31

Tertiò,

Mira in Chriſti natiuitate facta.

Tertiò, quia Deũ & hominẽ genuit, *Quartò*, quia ſine dolore genuit. Apparuerunt autẽ tunc alia in cælo & in terra, qualia nunquã fuerunt. *Primò*, in cælo, quia apparuerunt Angeli in magna luce & in multitudine maxima. *Subitò facta eſt multitudo militiæ cæleſtis.* Et hoc fuit in ſignũ poteſtatis Chriſti nati, qui habebat miniſtros Angelos. *Poſſum rogare patrem & exhibebit mihi pluſquã duodecim legiones Angelorũ*, etiam in ſignũ, quod Chriſtus venit illuminare mundũ, vel tenebras mundi. *Secũdò*, in aëre apparuerunt tres ſoles qui tunc paulatim in vnũ conuenerunt. Ibi etiam apparuit quaſi circulus aureus circa ſolẽ, ad deſignandũ, quod in Chriſto conuenerunt caro & Deitas. *Tertiò*, apparuit Octauiano Imperatori pulchra domina cum puero, in ſignũ quod imperium Romanorum debuit ceſſare & dari Chriſto. *Quartò*, quia tẽplum pacis Romæ corruit, de quo fuit prophetatum per quandã Deam, quod ſtaret quouſq; virgo pareret, in ſignũ deſtructionis Idololatriæ. *Quintò*, quod omnes Sodomitę eadẽ nocte mortui ſunt, in ſignum puritatis natiuitatis Chriſti. *Sextò*, quia Romæ fuit taberna in qua milites emeriti reficiebãtur, de qua fluxit fons olei in Tyberim, in ſignum pietatis & miſericordiæ, quæ debuit omnibus copioſe fluere &c.

Luc. 2. *Luc. 22.*

DE NATIVITATE CHRISTI SERMO II.

Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Luc. 2.

Qvemadmodum mirabiles creaturæ, ita etiã mirabilia inueniuntur tẽpora atq; momenta. Inter quæ multũ mirabile eſt tẽpus diei natiuitatis Chriſti, de quo dicitur, *Hæc dies quã fecit Dominus.* Caſſiodor⁹ dicit, quod licet Dominus Deus cunctos dies creauit, ſingulariter tamen hanc feciſſe dicitur, in qua meritò exultare & lætari cõuenit, quoniam in ea diabolus vim perdidit & mundus ſalutẽ accepit. In ſignum cuius Angeli hodie huius diei dignitatem declarantes plura noua & ſæculis inaudita feciſſe leguntur. Nã primò in multa ſocietate apparuerunt. Secundò dulciter cantauerunt. Tertiò noua deſideria attulerunt. Quartò nos de ſalutis noſtræ reparatione certificauerunt, dicentes paſtoribus: inuenietis infantem pannis inuolutum. In quibus verbis tria tanguntur. Primò Angelus certificat genus humanum de expectatione deſiderabili, cum dicit, *Inuenietis*. Secũdo proponit & perhibet Deum humanatũ in veſtitu & habitu mirabili, *quia inuenietis infantem pannis inuolutum &c.* Tertiò aſſecurat de loco determinato & humili, quia *poſitum in præſepio.*

Pſal. 117.

Propoſit.

I.

De primo, ſciendũ quod licet multa deſiderabilia fuerunt generi humano ab initio lapſus ſui propoſita, iuxta illud Pſalm. *Quã multipliciter tibi caro mea.* Vbi Auguſtinus dicit, quod ſecundum diuerſos defectus corporis & animę diuerſimode deſiderabat cõſolari; tamẽ inter omnia deſiderabilia mai⁹ fuit incarnatio Chriſti, qua habita omnia pariter cũ illa generi humano venerunt, iuxta illud: Venerũt mihi omnia bona pariter cum illa. & ideò ſãcti patres, licet mũltis cõſolationibus diuinis conſolabãtur & viſitabantur, tamen in comparatione natiuitatis Chriſti omnia pro nihilo reputabantur, iuxta illud, *Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt & non viderunt bonũ.* Quod Greg. tractãs dicit; licet quæ creauit Deus omnia bona ſunt, tamẽ ille, qui creauit hæc, principale & ſummũ bonũ eſt, qui cũ habetur, omnia alia pro nihilo habentur. Ex quibus infero quod natiuitas Chriſti eſt donũ maximæ charitatis & pietatis diuinæ, quia cõtinet omnia bona ſecum, qui enim nobis dedit filiũ quomodo nõ omnia ſecũ donauit? Nullibi tantã gratiam exhibuit ſicut in natiuitate filij ſui Alibi creaturas in cõſolationẽ dabat, quæ in ſe finitæ conſolationis ſunt; hodie autem dedit donum quo maius cogitari nõ poteſt Hinc Apoſtol⁹ eã appellat nimiam charitatẽ: *Propter nimiam* inquit *charitatẽ qua dilexit nos &c.* Secundo infero,

Pſal. 62. *Sap. 7.* *Iob. 9.* *Greg. 9. moral.* *Epheſ. 2.*

licet multa dona data ſint ſanctis patribus ab initio mundi in veteri teſtamẽto, tamẽ iſtud eſt maius, quod datũ eſt in noua lege Chriſtianis. Iſtud patet quia illi habuerunt tantum promiſſa, nos autem exhibita. Illi in ſpe, nos in re. Vnde dixit Balaam. *Videbo*
Num. 24. *eum ſed non modo.* Et ſaluator. *Multi reges & *
Luca. 10. *prophetæ voluerunt hoc videre & non viderũt.* Ex quo ſequitur quod homines huius temporis plus obligantur Deo ad ſeruiendum, quam illi veteris legis, quia Deũ & creatorem ſuum habent in carne propria, & ſic familiarius. Vnde tenentur corpora eorum plus & magis in ſanctitate & iuſtitia ſeruare quam illi. In ſignum huius omnes Sodomitæ nocte natiuitatis Chriſti ſubitò perierunt. Ad ſignificandum ſecundũ Auguſtinum quod Deus voluit humanã naturã de cætero in magna honeſtate conſeruare. O ſi dictũ fuiſſet antiquis. Inuenietis infantem. Quantum putas fuiſſent gauiſi, ſi eis dictum fuiſſet tãtum, expecta hic modicum. Iſa. 28. Nobis autem dicitur, *Quærite & inuenietis.* Sed diceres; Vnde eſt quod ſancti Patres non potuerunt mereri, incarnationẽ Chriſti Reſpondeo, ſecundũ Tho-
3. diſt. 4. q. mam ex tribus. *Primò*, quia meritum in ho-
2. a. 1. mine non ſe extendit ad totam naturã humanam, ſed incarnatio eſt medicamentũ totius generis humani, ergo non potuit ab aliquo homine puro mereri. *Secundò,* quia incarnatio quodammodo eſt principium merendi, igitur non poteſt cadere ſub merito, quia omnia merita habent efficaciam à Chriſto. *Tertiò*, quia meritum humanum non extendit ſe vltra conditionem humanam, quę in hoc conſiſtit, vt aliquis mereatur aliquã diuinæ bonitatis participationẽ, ſed quod tota plenitudo Deitatis habitet in homine, hoc excedit conditionem humanam & omne meritum humanum; ergò nullo modo poteſt cadere ſub merito. Ex quo patet quod incarnatio eſt opus ſo-
Tit. 3. lius miſericordiæ & gratiæ diuinæ. *Apparuit gratia ſaluatoris noſtri, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus &c.* Vnde Thomas, de-
3. diſt. 4. q. 1. cuit vt Chriſtus non prius incarnaretur, quã eo tempore, quo factum eſt. Primo, vt defectum ſuum agnouiſſet primo in cognitione, & hoc tempore legis naturæ. Secundo in virtute, & hoc tempore legis ſcriptæ. Vnde iſta duo fuerant quaſi præparatio ad incarnationem.

II.

Verè magnũ & mirabile opus incarnationis diuinæ tã ex parte generantis, quam geniti, quã etiã ex parte modi generãdi. Nã Incarnatio mirabilis.
mirabile fuit quod mulier ſine viro concepit; ꝙ concipiens virgo manſit; ꝙ in partu 1. Ex parte generantis.
clauſa permanſit; ꝙ pariendo dolorẽ non ſenſit, & ꝙ mater & filia ſimul fuit. Hæc eſt porta quã vidit Ezechiel perpetuo clau- Ezech. 44
ſam, quã nemo pertrãſiuit niſi ſolus Deus. Secũdò ex parte geniti, quia vt dicit Bern. 2. Ex parte geniti,
AEternum, antiquũ, & nouũ iuncta ſunt. AEternũ quia perſona filij. Antiquũ quia caro ab Adã. Et nouũ quia anima. Itẽ coniuncta ſunt mirabiliter Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanũ; ibi ſumma maieſtas humanata humiliata eſt, virtus infirmata, immenſitas breuiata, ſapientia muta facta & æternitas initiata. Vnde Iſa. 9. dicitur. Vocabitur admirabilis, Deus, fortis. Tertiò ex parte modi generandi. E- 3. Ex parte modi generandi.
ius enim partus fuit ſupra naturam, quia virgo concepit. Supra rationem, quia Deum genuit. Supra humanam conditionem, quia ſine dolore concepit & peperit Super conſuetudinem, quia de ſpiritu Sancto cõcepit, & ſic quartum modum mirabilem producendi hominem oſtendit. Primus .n. fuit ſine viro & fœmina vt Adam. Secũdus de viro ſine fœmina, vt Eua. Tertius ex viro & fœmina, vt cõmuniter. Quartus de fæmina ſine viro vt Chriſtus. Quo ad hoc dicit Tho. in quodlibeto, quia natiuitas Chriſti eſt de perfectione accidentali mundi, quia iſte modus nondum fuit producẽdi hominẽ. Ex his infero quod in natiuita- Mirabilia in natiuitate Chriſti.
te Chriſti, plura quam alibi in aliquo opere Chriſti concurrunt mirabilia & vtilia. *Primò*, quia Deus abſconditus à ſæculo fuit viſibilis mundo. Ad quod ſignificandũ natus eſt in domo aperta ſine oſtio. Vnde dictũ eſt. *Inuenietis,* quod tamen prius non fuit. *Verè tu es Deus abſconditus.* Iob. 36. Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram. *Secundũ* mirabile, quia Deus altus inclinatus eſt & repoſitus in præſepio. Vnde patet quod facilè inuenitur, pſalm. *Inclina cælos tuos & deſcende.* *Tertium* mirabile, quia Deus magnus factus eſt paruus, vt laudari poſſit à nobis, pſalm. Magnus Dominus & lauda-

laudabilis nimis. *Quartum* mirabile, quia Deus fortis ſic ab homine inuoluitur, vt ſecurè ad eū accedamus tanquā ligatum manibus & pedibus. Prius dicebat propheta. A fortitudine manus tuę ego defeci, hodie verò dicitur, venite ad me oēs. *Quintū* mirabile, quia Deus nimis facundus, cui non potuit homo reſpondere vnū pro mille, factus eſt quaſi mutus. Vnde dicitur, Inuenietis infantē, quaſi non fantē; propone ergo contra eū quicquid vis & nō reſpondebit tibi. *Sextū* mirabile, quia Deus iracūdus factus eſt māſuetus. Prius dicebatur in pſal. Quis nouit poteſtatē irę tuæ, hodie dicitur Matth.11. *Diſcite à me quia mitis ſum.* Ex his infero quod natiuitas Chriſti eſt opus mirabile non tantū ſummæ curioſitatis, ſed etiā vtilitatis. patet quia omnia quæ ibi facta sūt, ad noſtrā vtilitatē facta sūt. vt ſupra III.

Poſitū in præſepio, Magna humilitas inter duo animalia iacere, in duro præſepio, in domo cōmuni, quę omnia voluit facere ad oſtendendā ſuā humilitatē, & ad contemnendā ſęculi ſuperbiā & vanitatē. Sicut.n. primus homo amiſit honores, diuitias & delitias per viā per quā nunquā potuit acquirere; quia honorē per ſuperbiam, diuitias per auaritiā, delitias per luxuriā voluit adipiſci. Ita econtra Chriſtus venit in mūdum triplici via contraria, ſcilicet paupertatis contra mundum, humilitatis contra diabolū, aſperitatis contra carnem. Propter quod de eo dicitur. *Quod initiauit nobis viā nouā*. Ex quo infero quod natiuitas Chriſti fuit opus deſiderabile expectantibus, ſicut deductū eſt in primo membro; mirabile contemplantibus, ſicut patet ex ſecundo membro; & inſuper imitabile proficere volentibus. Nam datum eſt in exemplum omnibus ſtatibus. Vnde qui volunt mundū contemnere, honores abijcere, carnē ſubijcere Chriſtū intueantur. Omnia enim circa eū ſunt humillima. Ad cōfuſionē ſuperbię noſtræ voluit naſci ex modica gēte, in modica ciuitate, ex paupercula matre, in vili tugurio, in pannis rudibus, in duro pręſepio, in cōmuni diuerſorio. Vnde Auguſt. dicit, quod ex quo homines diuitias appetebant, ideò pauper eſſe voluit; honoribus inhiabant, Rex noluit fieri; mala omnia fugiebant, ideò omnia mala ſuſtinuit. Ex his patet quod volens eſſe particeps gaudij præſentis, tria debet habere præcipua, quibus poterit Chriſtū inuenire. Primò vt ſit paruus & humilis in ſua reputatione; hoc ſignificat infans inuentus. Secundo vt ſit pauper & contemptor ſęcularis vanitatis; hoc ſignificat inuolutio pannorum. Tertiò quod ſit vitæ temperatæ & pro Deo patiēs aſpera; hoc ſignificat in præſepio poſitus. Hinc patet quod triplices homines excludūtur à præſenti ſolennitate. Primo ſuperbi & inflati de ſe pręſumentes. Secundo diuites auari inſatiabiles de pecunijs cogitātes. Tertiò delicati & luxurioſi voluptatibus vacantes. Quæ tria nos abijcientes virtutibus prædictis inſiſtamus, quatenus Chriſtum hodie natum inuenire mereamur &c.

DE NATIVITATE CHRISTI. SERMO III.

Verbum caro factum eſt. Ioan. 1.

SI cōſideremus fratres chariſſimi præſentis ſolennitatis beneficia nobis à Deo exhibita, nō ſolū ad gratiarum actiones pro tātis beneficijs aſſurgere, ſed etiā tā mirabilē bonitatē nobis miſericorditer oſtenſā admirari atque ſtupere conuenit. Miro namq; modo ſed gratioſo pietatis affectu tota ſancta Trinitas incarnationem filij Dei & æterni verbi ordinauit per quod bonitatē ſuā immēſam nobis communicauit & ab æterno mortis interitu quo fuimus addicti, tam ſapienter quā clementer præſeruauit & liberauit, ſicut latius deducit Bern. dicens in hæc verba; cum bonitas diuina infinitis bonis abundaret, & offerret ea omnibus, nec eſſet qui reciperet, vel ſciret recipere, vel

Bern. lib. de amore Dei c.12.

vel doceret recipere, nec qui illuc poſſet aſcendere, vbi dona hæc diſtribuuntur, qui huc poſſet deferre; opus erat mediatore inter nos & Deum, per quem noſtra bona opera appropinquarent Deo, & bona Dei nobis; iniuit ergò conſilium tota trinitas, conſilium illud de quo propheta dicit. *Cõſilium antiquum verum fiat*. Videbat quippe Deus, quantum ad hominem, omnia confuſa, omnia turbata, nihil ſtare in loco ſuo, nihil procedere ordine ſuo; videbat hominem in regione diſſimilitudinis tàm longè, vt per ſe nec poſſet, nec ſciret redire; Angelus enim præſumebat ſimilitudinem Dei dicens. *Ponam ſedem meam ad aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo.* Homo ſimiliter Deus eſſe voluit, cui perſuaſum erat eſſe ſicut dij. Ergòne, inquit Deus, filius meus ſplendor gloriæ meæ & figura ſubſtantiæ meæ in ipſa mei ſimilitudine tot habebit & pares & ſocios? præcipitatus eſt vterq; tàm homo, quàm angelus; videns imago Dei filius angelum & hominem qui facti erant ad imaginem (non tamen quod ipſa imago Dei eſſent) per inordinatum imaginis & ſimilitudinis eius appetitum perijſſe, heu, inquit, ſola miſeria caret inuidia, ſed ſubueniendum eſt ei, cui ſubuenire nõ prohibet iuſtitia. Exhibeo igitur me homini hominem deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & vt celet & imitetur in me humilitatem, per quam perueniat ad gloriam. hæc Bernard. Ex quibus verbis colligitur breuiter, quod incarnatio verbi hodiè facta nobis maximè gratiam pietatis oſtendit in eo quod dictum eſt; cum homo ex ſe non haberet recuperationis remedium, Dei filius homo factus eius ruinæ compatiens ipſum reconciliauit, vndè verbum illud diuinæ mentis à ſeculo abſconditum nobis factum eſt caro viſibilis, vt medium ille faceret inter Deum & hominem more boni mediatoris, & perſonam induit, & actu factus eſt homo. Circa materiam ſermonis de generatione verbi diuini inſiſtentes triplicem conſiderationem obſeruabimus Chriſti fidelibus profuturam, altiorem doctoribus relinquentes: non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes; nè (quod abſit) tamquam temerarij perſcrutatores opprimamur à gloria; generationem illam diuini verbi in natura diuina quis enarrabit: nam etſi licet ſcire, quia Dei filius de Deo patre natus ſit, non tamen licet ſcire modum quomodo natus ſit; credi poteſt illa generatio, inquiri non poteſt, inquit Ambroſius in lib. contra gentiles; ad temporalem igitur generationem verbi diuini hodiè factam venientes, *Primò*, videamus generationis huius verbi neceſſitatem. *Secundò*, ex generatione collatam vtilitatem. *Tertiò*, generationis modum & qualitatem per ſcripturam ſignificatam. Euangelium hodiernum neceſſitatem oſtendit cum dicit, *Erat lux veſtra, &c.* vtilitatem cum dicit; *In propria venit*, modum & qualitatem, cum ſubdit, *Et verbum caro factum eſt.* *Propoſitio.*

I.

Sciendum, ꝙ per verbum diuinum intelligitur congruè filius Dei. *Primò*, quia ſicut verbum de ſolo corde procedit, & per ipſum ſapientia cordis innoteſcit, ſic per filium Dei patris claritas declaratur, ſcilicet, potentia, ſapientia, & bonitas; ſed dices, hoc etiam Spiritus ſanctus facit. Reſpondeo, quod licet in ſe loquitur totam eſſentiam patris (quia etiam illa tria ſunt in eo) non tamen in ſe alloquitur proprietatem patris, qua producit alium ex ſe; & ideò non dicitur (ſicut nec eius productio) generatio, ſicut productio filij; vndè in patre eſt omnis veritatis conceptio, in filio prolatio, in Spiritu ſancto auditio, iuxta illud; *Non enim loquetur à ſeipſo, ſed quecunque audiet, loquetur.* Et hoc eſt verum de locutione interiori, quia exterior fit etiam per operationem Spiritus ſancti. *Secundò*, quandò aliquis ceſſat dicere verbum, vox eius euaneſcit & deſinit eſſe; ità ſi pater ceſſaret generare verbum ſuum, deſineret tota vniuerſitatis machina, quæ per ipſum ſubſiſtit, & eſt quaſi vox eius; *Dixit enim, & facta ſunt*, ſecundum Gregor. & Thomam; vndè Apoſtolus *Portans omnia verbo virtutis ſua*, vndè ſubſtantia totius creaturę eſt æterna generatio verbi; ſed dices, verbum æternaliter generatur à patre, quare mundus non eſt ab æterno? Reſpondeo, quod non oportet hoc concedi, quia licet poſſit eſſe Ioan. 16. Hebr. 1.

eſſe verbum noſtrum ſine hoc, quod ſequatur opus, tamen non poteſt eſſe opus quin præcedat verbum in corde; ita etiam filius Dei potuit generari ab ęterno ſine productione mundi, ſed mundus non potuit produci ſine verbo Dei. *Tertiò*, ſicut verbũ noſtrum nullius eſt cognitionis ſine voce, ita Deus non eſſet à nobis cognitus niſi per illam ſapientiam filij ſui illuſtraretur, & ad cognitionẽ eius duceretur: vnde ipſe dicit ſe magiſtrum. *Vos vocatis me magiſter.* Iſtis præmiſſis videamus de neceſſitate generationis huius verbi. Et reuera magna neceſſitas fuit ſuæ generationis; totus enim mũdus iſte fuit tenebroſus peruerſitate, & defectibus ac ignorantia plenus, ita quod humanum genus non cognoſcebat Deum. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, Iſrael autẽ me non cognouit.* Secundo, non cognoſcebat homo ſtatum ſuum. *An non cognouiſtis voſmetipſos quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi forte reprobi eſtis.* Tertiò, non cognoſcebat imminens periculum. *Si cognouiſſes & tu:* venit ergo filius Dei per incarnationẽ ſuã, & illuminauit abſcondita tenebrarum harum, ita homo iam cognoſcat creatorem ſuum & eum melius ac feruentius diligat quam prius; ſicut dicit Thomas contra gẽtiles lib. 4. Vnde Apoſtolus *Eratis aliquãdo tenebræ; nunc autẽ lux in domino:* Et *Nos verò omnes reuelata facie gloriam domini ſpeculantes in eandem imaginẽ transformamur.* Secundò homo cognoſcit ſtatũ ſuum: vnde poſt incarnationem Chriſti homines multum penſant nobilitatem conditionis ſuæ, & contaminare erubeſcunt; ſicut dicit Auguſtinus de ſe ipſo. *Poſtquam intellexi me ſanguine Chriſti redemptum nolui membra mea venalia exhibere.* Tertiò cognoſcit homo imminens periculum. Sic enim ab ipſo dictum eſt, *mali ibunt in ſupplicium æternum.* Iſtam ergo neceſſitatem incarnationis Chriſti tangens euangeliſta dicit. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ioan.13.

Neceſſitas incarnationis, vt homo illuminaretur.

Iſa.1.

2.Cor. vl.

Luc.19.

Epheſ.5.

2.Cor.3.

Auguſt.

Matt. 25.

Sed dices: nonne adhuc multi ſunt in tenebris ignorantiæ, perfidiæ & peruerſitatis, quomodo ergo illuminat omnem hominem? Reſpondit Chryſoſt. quantum eſt in Chriſto, illuminat omnem hominem, quia nulli deeſt, imò *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ſuam venire;* ſed multi ponunt obicem peccati, ne illuminentur; ſicut patet exemplum de feneſtra, quæ ſi aperitur, illuminatur domus. Non eſt tamen culpa ſolis, ſi non illuminat per clauſam feneſtram: vnde illud intelligitur ſecundum Auguſtinum de voluntate antecedente & non conſequente. Lyra ponit exemplum de iudice ciuitatis, qui omnes vult ſaluos eſſe in vita eorum, quantum in ipſo eſt, ſaluo ordine iuſtitiæ. Propter quod Euangeliſta benè dicit, oſtendens iſtum defectum cognitionis *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit;* quaſi diceret, iſte defectus non eſt ab eſſentia verbi, quia in mundo erat per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, nec ex inuiſibilitate ſua, quia fecit opus ſuum ita euidens, vt euidentia ſua creatorem declararet. *A magnitudine enim creaturæ poterat creator intueri.* Romanor. *Inuiſibilia Dei &c.* quo ad hoc dicit Iohannes. *Et mundus per ipſum factus eſt*, ſcilicet, vt in ipſo lux manifeſtaretur, ſicut artificium in artificiato: vnde autem ſit defectus cognitionis huiuſmodi ſubdit, *mundus enim nõ cognouit;* quod intelligitur duobus modis, ſcil. primò, ſecundum naturã; quia licet homo ſciat prædicta auxilia non humana virtute impendi, tamen homo deficiens eſt in ſe ab hac cognitione, ſcilicet, à quo huiuſmodi auxilium impendatur. *Vnuſquiſq; intuetur eum procul.* Deinde ſecundum culpam non cognouit eum mundus, id eſt, amatores mundi inordinatis; quia ſecundum Auguſt. amor mundi maximè retrahit à cognitione Dei, eò quod ſecundum Iacobum in canonica, inimicũ Dei conſtituit. Ex quo infero, quod falſa eſt locutio mundanorum hominum inordinatè amantium quaſcunque creaturas, dicentium, ſe cognoſcere Deum; quia qui non diligit Deum, non poteſt eum cognoſcere. *Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt.* Ex his omnibus ſecundo infero, triplicem fuiſſe cauſam incarnationis verbi Dei. *Prima eſt*, humanæ naturæ peruerſitas, quæ ex ſua malitia iam obtenebrata erat viciorum & ignorantię obſcuritate: vnde quia tenebræ hanc lucem non poterãt comprehendere, venit in carnem Deus, vt

1.Tim. 2.

Augu.in enchridio

Sap.13.

Rom. 1.

Ioan.1.

Iob. 36.

Iacob. 4.

1.Cor. 2.

Triplex incarnationis cauſa.

1.

Iſa.9.

tenebræ poſſent lucere, id eſt, ad cognitionē eius pertingere. *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Secunda inſufficientia prophetici teſtimonij. Venerant enim prophetę, venerat Ioannes, ſed ſufficienter illuminare non poterant, quia nō erat ille lux: vnde neceſſe erat, vt poſt prophetarū vaticinium, poſt Ioannis aduētum, lux ipſa veniret, & ſui cognitionem mundo traderet. Hoc eſt quod dicit Apoſtolus:

Hebr.1.

Multifariè multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio. *Tertia*, creaturarum defectus: nam creatæ erant inſufficientes ducere in cognitionem creatoris, vnde mūdus per ipſum factus eſt, & mūdus eū nō cognouit, & ideò neceſſe fuit vt ipſe creator per carnem in mundum veniret & ſeipſum notum faceret. Et hodie verificatur illud quod dicit Apoſtolus:

1 Corin. 1.

Quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.

II.

In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot aūt receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ecce vtilitas conſecuta ex incarnatione verbi diuini, in qua attendamus magnam Dei liberalitatem, quia ampliorem fecit ſolutionem quā faceret promiſſionem, promiſſio facta fuit ſolum ſuis, id eſt, iudæis

Iſa 33.

Dominus legifer noſter, ſed ſolutio nō ſolum fuit ſuis facta, quotquot receperunt eum, id eſt, omnibus in eum credentibus.

Romā. 15.

Dico Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis ad implendas promiſſiones patrum, gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, quia miſericorditer ſunt recepta. Vnde dicitur, *& in nationes gratia Chriſti diffuſa eſt*, quia no ſolum liberis ſed etiam ſeruis, non ſolum maſculis

Act.10.

ſed etiam fœminis. Col 3 in Chriſto Ieſu nō eſt maſculus neque fœmina: ponit autem fructum huius generationis, quia dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Ecce fructus magnitudo, quia per hos homines fiunt filij Dei

Vtilitas incarnationis 1.

Gal.4.

Miſit Deus filium ſuum natum ex muliere factum &c. vt adoptionem filiorum reciperemus. Circa quod nota quod homines fiūt triplieiter filij Dei ſecundum triplicem aſſimilationem ad Deum.

Homines fiūt tripliciter filij Dei.

Primo per infuſionē gratiæ Dei, quicunque habet gratiam gratum facientem, efficitur filius Dei.

Rom.8.

Accepiſtis ſpiritum in quo clamamus abba Pater. ad Gal 4.

Gal. 4.

Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus filium ſuum. *Secundo* aſſimilatur Deo per operum perfectionem, vnde quicunque operatur opera iuſtitiæ, eſt filius Dei.

Matth. 5.

Diligite inimicos & benefacite his, vt filij patris veſtri ſitis. *Tertio* aſſimilatur Deo propter gloriæ adeptionem; & quantum ad animam per lumen gloriæ

Ioan.3.

Cum apparuerit, ſimiles ei erimus. Et quantum ad corpus.

Philip.3.

Reformabit corpus humilitatis noſtræ. Sed dices, quomodo hoc eſt verum. Si enim dedit Deus hominibus hanc poteſtatē, filios Dei fieri, ergo in poteſtate noſtra eſt habere gratiam infuſionis per quam ſumus filij Dei; ad quod reſpondetur ſecundum Thomā, quod in datione gratiæ requiritur in adultis conſenſus liberi arbitrij ad iuſtificationem. Vnde quia hoc eſt in poteſtate hominis, vt conſentiat vel non conſentiat, per hoc dedit ei poteſtatem, ſcilicet ſuſcipiendi gratiam ſe præparando; Deus autem principaliter dat gratiam infundendo & hominibus proponendo. Sic enim ille, qui facit librum & proponit homini ad legendum, dicitur dare poteſtatem ad legendum; ita Chriſtus, per quem gratia facta eſt, quia operatus eſt ſalutem in medio terræ, dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, per gratię ſuſceptionē, ſed quia hoc non ſufficit cum etiam liberum arbitrium indigeat ad hoc vt moueatur ad gratiæ ſuſceptionem auxilio gratiæ, diuinæ non quidem habitualis ſed mouentis. Tren. vlt.

Quomodo in poteſtate hominis filium Dei fieri.

Rom.8.

Conuerte nos Domine & nos conuertemur: & hæc motio vocatur vocatio interior: *Quos vocauit*, ſcilicet in caſtigando ad conſentiendum gratiæ, *hos iuſtificauit*, gratiam infundendo: quia verò per hanc gratiam homo habet poteſtatem conſeruandi ſe in diuina filiatione:

1. Ioā. 5.

Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio Dei qua generamur in filios Dei conſeruat eum. Sic ergo dedit nobis filios Dei fieri per gratiam gratum facientem, per operum perfectionem, & per gloriæ adeptionem; & hoc præparando, mouēdo, & conſeruando gratiam. Secunda vtilitas incarnationis fuit redēptio noſtra.

2. vtilitas.

Fidelis ſermo

August. *mo, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ peccatores ſaluos facere.* Super quo dicit Auguſt. Nulla cauſa veniendi Chriſtum niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit cauſa medicinæ. *Luc. 19.* *Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* Ex quo ſequitur, quod ſi Adam nõ peccaſſet, Chriſtus non veniſſet, quantum ad illum finem, vt per mortem redemptionem faceret; natus tamen fuiſſet, propter perfectionem vniuerſi, quæ in hoc conſiſtit, vt finis cõiungatur ſuo principio, naturę namque perfectio fuit finis incarnationis. *3. vtilitas.* Tertia cauſa & vtilitas incarnationis fuit perfectio beatitudinis æternæ: nam nõ ſolum habemus per eam redemptionem à pœna inferni, ſed perfectionem abundantiorem beatitudinis, iuxta illud, *Psal. 129.* *Ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant.* Vnde dicitur, *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Si enim Chriſtus non fuiſſet incarnatus, aut homo non peccaſſet, aut per alium redemptus fuiſſet, humana natura in ſtatu gloriæ defeciſſet à quadam magna gloria, quam habet per incarnationem Chriſti; ſcilicet à viſione humanitatis Chriſti, per quam omnes ſenſus noſtri exteriores reficientur, iuxta illud; *Ioan. 10.* *Ingredientur & egredientur,* ſupple, electi, *& paſcua inuenient,* quantum ad gaudium corporis id eſt ex corpore Chriſti; & gaudium animę ex diuinitate Chriſti. Vnde Auguſt. *August. in lib. Cur, quando, & quomodo Deus homo. c. 4.* Deniq; genus Adæ non mediocriter gaudebit, quia pro tali culpa fœlici primorum parentum talem promeruit habere redemptionem; quia multa maiora & cariora contulit hominibus, quam per Adam, ſi non peccaſſet, conſecuturi eſſent. Quippe Adam ſolummodo angelis coæquandus erat non præficiendus. Sed modo gratia redemptionis caro noſtra ſuper angelos eleuata eſt: nam diuinitati vnita ſicut Deus & Dominus dominatur angelis & hominibus. Adhuc aliquid maius per ipſum ſperantes, quam per Adam primum habuiſſemus, ſcilicet familiarius diuinitatis dulcedinem guſtare; quia caro illa vnita eſt cum diuinitate, quam ſancti habebunt æternaliter præſentem. Hæc Auguſtinus.

III.

Modus *Verbum caro factum eſt,* id eſt Deus factus eſt homo. *generationis Chriſti.* Circa quod ſciendum, quod hoc quidã malè intelligẽtes ſumpſerunt occaſionẽm erroris, dicentes, Verbũ ita caro factum eſt, ac ſi ipſum vel aliquid eius ſit in carnẽ conuerſum, ſicut cum farina fit panis, aër ignis. Et hic fuit Eutiches, qui poſuit commixtionem naturarum in Chriſto, dicens in eo tantum fuiſſe Dei & non hominis naturam. Sed hoc eſt falſiſſimum & ſtultiſſimum, quia ex quo, vt dicit Euangeliſta, verbum erat Deus, Deus autem eſt immutabilis, vt dicitur apud Malachiam. *Ego Deus & non mutor.* *Malach. 3* Vnde nullo modo poteſt eſſe quod in aliam naturam conuertatur. Eſt ergò ſenſus. *Verbũ caro factum eſt,* id eſt, verbũ carnẽ aſſumpſit, nõ quod ipſum verbum caro ſit, ſicut ſi dicimus, homo factus eſt albus, nõ quod ipſe ſit ipſa albedo, ſed quod albedinem aſſumpſit. Aſſumpſit aũt nõ ſolũ carnem, ſed etiam carnem animatã, licet hoc non exprimatur. Vnde Arius dixit ipſum aſſumpſiſſe carnẽ ſine anima, dicẽs diuinitatẽ eſſe loco animę, quod falſum eſt, quia ipſe Chriſtus fatetur ſe habere animã. *Triſtis eſt anima mea.* Item. *Cœpit tædere & mœſtus eſſe.* *Matt. 26.* Quæ ſunt paſſiones animæ. Item quia diuinitas non poteſt eſſe forma, ſicut nec Angelus vniri corpori per modum formæ, cum ſecundum ſuam naturam à corpore ſit ſeparatus. Item ſi nõ aſſumpſiſſet carnem animatam, nec per cõſequens carnẽ verã, quia caro ſine anima non eſt caro niſi æquiuocè, quia dicitur cadauer potius quam caro. Nec aſſumpſit aliã animam quam humanã, ſicut Appollinaris finxit, dicens tantũ animã ſenſitiuã & nõ rationalẽ aſſumpſiſſe, quia ſi ſic, tunc nõ reparaſſet animã rationalẽ, quia ad hoc humanam naturam aſſumpſit, vt eam repararet, & ſic nullus fructus ex incarnatione eius prouenisſet. Sed dices, quare hoc non determinat Euangeliſta ſolum de carne faciens mentionem. Reſpondeo propter quatuor. *Quare Chriſtus dicatur aſſumpſiſſe carnem.* *Primo* propter Manichęos, qui dicunt Chriſtum carnem phantaſticã aſſumpſiſſe & non veram, dicentes non decuiſſe eum aſſumere veram carnem tamquam diaboli creaturam. *Secundo* ad demonſtrandum erga nos magnitudinem pietatis & beniguitatis Dei. Si enim magnum pietatis ſignum fuiſſet, ſi Deus aſſump-

ſiſtet animam rationalem, tanquam magis conformem diuinitati, multò maioris pietatis eſt ſignum aſſumere carnem, quæ omninò elongata eſt à ſimplicitate Deitatis, quod eſt inæſtimabile ſignum pietatis; 1.Timo.3. ſecundum quod dicit Apoſt. *Magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtum eſt in carne. Tertiò*, ad demonſtrandam veritatē & ſingularitatem vnionis in Chriſto. Alijs enim hominibus ſanctis, vnitur Deus quā- Sap. 7. tum ad animam ſolum. *Per nationes in animas ſanctas ſe transfert. Amicos Dei & prophetas conſtituit.* Sed quod verbum Dei vniretur carni, hoc eſt, ſingulare in Chriſto; ſecundum illud Pſalmi. *Singulariter ſum ego.* Iob. 28. *Non adæquatur ei aurum. Quartò*, ad inſinuādam congruitatem humanæ reparationis; homo enim per carnem infirmabatur. Et ideò Euangeliſta volens aduētum verbi congruum eſſe reparationi noſtræ, mentionem ſpecialiter de carne fecit, vt oſtenderet quod caro infirma per carnē verbi reparata fuit; & hoc eſt quod Apoſt. dicit. *Nam quod impoſſibile erat legi, in qua* Rom. 8. *infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum.* Ex his omnibus patet iſte articulus fidei, quod Dei filius vniuit ſibi naturam humanam, id eſt, carnem & animam rationalem, ex quibus cōſtat vnum ſuppoſitum & vna perſona, ſicut ex anima & corpore factus eſt vnus homo. Ita quod mox, vt caro illa opere Spiritus ſancti ſanctificata, & à reliqua carne ſeparata fuit, verbum Dei cum anima vniretur; ſed tamen membrorum dominici corporis diſtinctio, in ipſo momento conceptionis & vnionis Dei & hominis, adeò erat parua, vt humano viſui vix poſſet ſubijci. Diebus tamen quadraginta perfecta eſt, & notabilis effecta; ſecundum Auguſt. ſuper il- Ioan. 2. lud. Quadraginta ſex annis ædificatum eſt hoc templum. Hoc magiſter in 3. ſentent. diſt. 3. notat. &c.

DE NATIVITATE CHRISTI SERMO IV.

Natus eſt nobis ſaluator mundi. Luc. 2.

NAtiuitas Chriſti per angelum paſtoribus annunciata in oculis hominum mirabilior & præſtantior vniuerſis, eò quod angeli nō conſueuerant ſolita & conſueta ac ſecundū curſum naturæ contingentia, ſed rara & inſolita, ac ſupra curſum naturæ occurentia nunciare.

Legimus triplicem natiuitatem. Prima Triplex natiuitas. 1. eſt vituperabilis, & eſt natiuitas humana, quæ eſt vilis & immunda, & per conſequēs miſerabilis. Ideò Iob. *Quis eſt homo qui im-* Iob. 15. *maculatus appareat natus de muliere?* Sapi- Sap. 7. ent. 7. *In ventre matris meæ figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine.* Item obnoxia eſt peccato. *Na-* Eph. 2. *ſcimur filij iræ.* Item pœnalis & miſerrima. Iob. 14. *Homo natus de muliere.* Item concupiſcentia fomitis inflammata. *Inflammat rotam* Iacob. 3. *natiuitatis noſtræ.* Item tenebris ignorantiæ Iob 3. inuoluta *Pereat dies illa in qua natus ſum.* Ioan. 9. *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat.* Ieſus vidit hominem a natiuitate cæcum. Item tranſitoria & infructuoſa. *Quid nobis* Sap. 5. *profuit ſuperbia.* Secunda eſt commendabilis natiuitas gratiæ, & ratione cauſæ & 2 natiuitas. ratione effectus. Cauſa ē fides; ratio in effectu. *Omnis qui credit quoniam Ieſus eſt Chri-* 1. Ioan. 5. *ſtus, ex Deo eſt. Dedit eis poteſtatem &c. qui* Ioan. 1. *ex Deo nati ſunt.* Charitas verò in effectu. *Omnis qui diligit fratrem ſuum, ex Deo eſt.* I- 1. Ioan. 4. tē iuſtitia operis in effectu. *Omnis qui facit* 1. Ioan. 2. *iuſtitiam ex Deo natus eſt.* Effectus huius natiuitatis ſpiritualis eſt triplex. Primò peccatum fugat. Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat. Item vincit mundum. *Omne* 1. Ioan. 5. *quod ex Deo natum eſt, vincit mundum.* Item ducit ad regnum. *Niſi quis renatus fue-* Ioan. 3. *rit.* E cōtrario natiuitas culpæ facit ſequi ad eligen-

Ioan. 9. eligendum. *Quis peccauit, hic cæcus aut pa-*
rentes eius. Indignum ad docendum *In pec-*
Ibidem. *catis natus es totus, & tu doces nos?* Infir-
mum ad benè operandum. *Quod natum eſt*
Ioan 3. *ex carne caro eſt*. Tertia natiuitas eſt mira-
3. natiuit. bilis, & eſt diuina, & hoc propter multa,
quia ibi naſcitur caro ſine macula. In quo
Matth. 1. puritas. *Quod in eo natum eſt*. Ideò dicitur
iuſtum. *Donec egrediatur vt ſplendor iuſtus*
Iſa. 62. *eius.* Item puer de puella, in quo nouitas.
Nouitas. *Quoniam virum non cognoſco, Ecce virgo*
Luc. 1. *concipiet, Porta hæc clauſa erit.* Item Deus de
Iſa. 7. fæmina in quo humilitas. pſalm. *Homo*
Ierem. 44. *natus eſt in ea.* Iſa. 9. *Paruulus natus eſt no-*
Pſal. 86. *bis. Vbi eſt qui natus eſt Rex?* Item fructus
humilitas de virgula, in quo vtilitas. *Annuncio vobis*
Matth. 2. *quia natus eſt &c.* Verè vtiliter natus. Pri-
vtilitas. mo quia in exemplum humilitatis. Vnde,
Luc. 2.

paruulus natus. Item in teſtimonium veri- Iſa 9.
tatis. *Ego in hoc natus ſum &c.* Item in ſi- Ioann. 18.
gnum dilectionis. *Per viſcera miſericordiæ.* Luc. 2.
De nuru tua natus eſt qui te diliget. Item Ruth. 4.
in fœdus reconciliationis. *Filius qui naſce-* 1. Par. 22
tur tibi, erit vir quietiſſimus. Vnde in nati-
uitate eius cantabant Angeli. *Gloria in ex-*
celſis Deo, Et in terra pax hominibus. Item in
officium ſalutis. *Cum natus eſſet Ieſus,* id Matth. 2
eſt, ſaluator. Propter hoc Eccl. *Nemo natus* Eccl. 49.
eſt in terra qualis Enoch. id eſt, Chriſtus,
propter puritatem, nouitatem, humilita-
tem, & vtilitatem. Ergo fratres chariſſimi
natiuitatem hodie in memoria ferentes
mereamur puritate & humilitate perueni-
re, vbi ipſe iam viuit & regnat in ſæcula ſæ-
culorum. Amen.

DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA.

SERMO I.

Hic eſt diſcipulus ille quem diligebat Ieſus Chriſtus. Ioan. 19.

HIC videndum eſt de ſex. *Primò* quæ fuit huius dilectionis cauſa. *Secundò* quæ fuerunt ſigna. *Tertiò* quomodo hæc dilectio fuit vera. *Quartò* de differẽtia dilectionis Petri & Ioannis ad Chriſtum. *Quintò* de differentia dilectionis Chriſti ad Petrum & ad Ioannem. *Sextò* quæ fuit differentia inter ſigna Chriſti ad Petrum & Ioannem.

D. Thom.
3. diſt. 31.
Cauſſa Chriſti amoris in Ioan.

I.

Secundum D. Thomam quatuor fuerũt
cauſæ dilectionis Chriſti ad Ioannẽ. Prima
puritas incorruptionis, quia Chriſtus ſimi-
lẽ diligit, cum ſit ſplendor gloriæ Dei, *di-*
Prou. 22. *ligit cordis munditiã* ſap. *Incorruptio proxi-*
Sap. 6. *mũ Deo facit*. Nec mirũ, quia *volatilia ad ſi-*
Eccl. 27. *bi ſimilia conueniunt*. Pulcra volatilia Chri-
Pſal. 101. ſtus, Maria, Ioannes. Chriſtus aſſimilabat
ſe pellicano, vt patet in pſalm. *Similis fa-*
ctus ſum Pellicano. Maria api, propter virgi- Eccl. 11.
nitatem partus. *Breuis in volatilibus apis.* Ezech. 1.
Item Ioannes aquilæ. Vnde Ezech *Quartũ* apoc. 4.
animal ſimile aquilæ. Secunda cauſa accele-
rata conuerſio. Ipſe enim inter Apoſtolos
citius conuerſus eſt, quia prima vocatione Thren. 3.
quod eſt Deo gratũ. *Bonum eſt viro cũ por-*
tauerit iugũ ab adoleſcentia ſua. Et excellit
Petrum in quatuor. Primò quia citius con-
uerſus eſt, quia vnica vocatione. Petrus aũt
per Andreã & per Chriſtum. Secundò quia
de maiori genere, ſcilicet regali & ſacerdo-
tali. Tertio, quia in ætate florida, quando
difficillimum eſt bene viuere. Quartò bo-
na maiora reliquit. Bona fortunæ, ſcilicet
nauẽ, rete; & naturæ ſcilicet parẽtes, quod
nõ legitur de Petro. Tertia cauſa frequens
dilectio ipſius ad Chriſtũ. Ideo feruentur
fuit dilectus. *Non quaſi nos dilexerimus Deũ,* 1. Ioan. 4.
ſed quia ipſe prior dilexit nos. *Ego diligentes* Prou. 8.
me diligo. Non quod dilectio noſtra ſit cau-
ſa dilectionis diuinæ, ſed eſt meritum quo
Chriſtus plus vel ſpecialiter diligit. Sene-

ca. Si vis amari ama. Quarta cauſa, futura in matris filium adoptio. Pater enim plus illum filium diligit, quem ſucceſſorem ſuum cognoſcit. Fecit autem Chriſtus Ioannem fratrem ſuum ſucceſſorem, cuſtodem, & theſaurarium ſuum dicens, *Ecce filius tuus, ecce mater tua.* Ioan. 19. Petro verò commiſit eccleſiam. Matt. 16. *Super hanc petram &c.* Patri animam. Ioan. 19. *In manus &c.* Ioanni matrem. Ibid. *Ecce mater.* O digniſſimus theſaurus mater Chriſti. Verè & magna fiducia petendus eſt iſte Apoſtolus qui etiam matrem Chriſti in cura habet.

II.

Signa huius dilectionis ſunt ſex. Primũ
1. reuelatio ſecretorũ. Reuelauit enim illi de natiuitate & aduentu antichriſti; de conſummatione ſæculi. Matt. 17. Oſtendit illi futuram gloriam in ſua transfiguratione. Marc. 5. Et alijs excluſis reſuſcitationi interfuit. Secundum
2. honoris exhibitio. Magnum enim ſignum amoris Dei eſt, ſi aliquẽ facit prophetam, Euangeliſtam, Apoſtolum, martyrem, virginem, confeſſorem, doctorem ſuum. Iſta omnia concurrunt in iſto Apoſtolo. Ter-
3. tiũ familiaritatis oſtẽſio, ſupra pectus ſuũ eum collocauit. Ioan. 13. Chriſtus quidẽ diligit omnes generaliter ſeruantes præcepta, Ioan. 15. *Vos amici eſtis,* tamen diligit dilectione ſpeciali eius ſecreta ſcientes. Ibidem. *Vos autem dixi amicos.* Sed dilectione ſingulari Ioannem quaſi deiformem & intimum & præcordialem.
4. Quartum donorum largitas. Magna dona dedit Chriſtus alijs, ſed maximum Ioanni, quia matrem ſuam. Ecce mater tua. Non dixit, nepos tuus, ſed filius. Non dixit Do-
5. mina, vel matertera, ſed mater. Quintũ diligens conſeruatio ab omni læſione, quia à peccato mortali, à corruptione carnis, quia eum à nuptijs eduxit & à dolore mortis. vt dicit Hieronymus, & à putrefactione præſeruauit, quia corpus nunc viuit in
6. gloria. Sextũ ſignũ in ſpeciali & perſonali viſione. Si magnum ſignũ dilectionis oſtẽdit ei Deus, ad quem mittit vnum Angelũ vel plures, Ioanni maius oſtendit, quem perſonaliter cum Angelis viſitauit dicens. Veni dilecte mi, tempus eſt &c.

III.

Hæc dilectio fuit vera. Eſt autem triplex dilectio; mundialis, ſocialis, & ſpecialis. Mundialis inter voluptuoſos, quæ non eſt vera, quia ſe oderunt qui diligunt iniquitatẽ. Secundo quia fraudulenter incedunt. *Omnis amicus fraudulenter incedet.* Ierem. 9. Tertiò, quia ad malum diligunt pſalm. *Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Pſal. 72. Socialis dilectio ſæpè non eſt vera, quia iã diligunt, & paulò poſt nõ diligunt. Secundo quia tẽpore aduerſitatis diligere deſinunt. Tertiò quia tantũ viuos diligunt. Sed nõ ſic Chriſtus qui diligentes ſe diligit, & omni tempore diligit, & poſt mortẽ. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.* Sap. 5. Specialis, quia Chriſtus diligit ſuos in vita & præcipuè Ioannem quem ſecum ſemper habuit. In morte, quia Chriſtus ad eũ venit, poſt mortem, quia eũ ad ſuum conuiuium introduxit. Nec mirũ, quia Ioannes ſic Chriſtum dilexit. Dilexit enim Chriſtũ in vita quia omnia reliquit. In morte quia ſub cruce ſtetit. Poſt mortẽ quia in ſepulcro quæſiuit.

IV.

Differentia dilectionis in Petro & Ioanne.

Chriſtus eſt diligendus dulciter, fortiter & ſapienter: Petrus dilexit fortiter, conſtanter, & ſapienter, quia in mortẽ, & in carcerẽ propter ipſum ire fuit paratus, & pro eo crucẽ ſuſtinuit. Ioannes dulciter, quia in eius ſinu recubuit. Vterq; ſapiẽter, quia nullis diabolicis tentationibus conſenſit, nec vllis voluptatibus mũdi ab eius amore abſtrahi potuit. Petrus dilexit Chriſtum in membris; Ioannes in perſona. Petrus dilexit quantum ad promptitudinẽ & feruorẽ, Ioannes quantum ad familiaritatem.

V.

Videtur quod Chriſtus magis dilexit Ioannẽ quã Petrũ, vt ex Euangelijs patet; & tamẽ Petrus videtur plus dilexiſſe Chriſtũ. Symon Ioannis diligis me plus his. Ioan. 21. Dicit Aug. quod Petrus plus dilexit Chriſtũ. Eſt tamẽ hic quæſtio duplex. Prima, quare Dominus plus dilexerit Chriſtũ. Secũda, quis eorum melior ſit, vtrũ qui minus diligitur & plus diligit, an qui magis diligitur & minus diligit. Secundũ Auguſtinum, melior eſt, qui plus diligit Chriſtũ, licet minus diligatur; fœlicior tamen eſt, qui plus diligitur à Chriſto, licet ipſe minus eũ diligit. Eſt tamen ſciendũ, quod dilectio apud nos habet ſe dupliciter. Vel quantũ ad exteriora ſigna; vel quantum ad animum. Exterior conſi-

conſiſtit in oſtenſione familiaritatis, in beneficiorum exhibitione; interior in præcordiali amore. Chriſtus plus dilexit Ioannẽ quantũ ad familiaritatis oſtenſionẽ, ſed Petrũ quantũ ad beneficiorũ exhibitionẽ. Quia Petro eccleſiã cõmendauit & claues, principẽ Apoſtolorũ fecit. Sed vtrumq; ad intimum amorẽ, quia ambo erant æqualis meriti apud Deũ. Petrus Damiani videtur præferre in multis ſanctũ Ioannẽ Petro dicens. Petro commiſſa eſt eccleſia mater Chriſtianorũ; Ioanni mater Chriſti. Petro regnũ in quo habitat ſanctorũ ſocietas; Ioanni cœlum. Petrus factus eccleſiæ fundamentũ, Ioannes conſtruxit eccleſiæ ædificiũ. Petrus miracula effecit; Ioannes protulit altiora myſteria. Sed dices, quare ergò nõ eſt factus Chriſti ſucceſſor ſicut Petrus. Reſpondeo propter quatuor. Primò quia fuit iuuenis; vnde non debuit præfici ſenibus. Secundò quia conſanguineus Mariæ, ergò ne putaretur per ſucceſſionẽ ſanguinis dari principatus eccleſiæ præfertur extraneus. Tertiò quia fuit ſufficienter beatificatus, dotatus, beneficiatus, ex commiſſione matris Chriſti. Quartò quia fuit vir maximæ contemplationis; prælatio autem diſtrahit à contemplatione.

VI.

Sicut Deus diuerſos ſanctos prædeſtinat ad diuerſos gradus gloriæ, ſic & diuerſa merita per diuerſos gradus gratiæ præuidet, hinc eſt quod ſumma Dei perfectio, cũ non poſſit per eandẽ creaturã ſufficienter oſtendi, per gratias, virtutes, & naturales perfectiones omniũ rerũ, potiſſimè autem per virtutes & merita ſanctorũ oſtenditur. Requiritur ergò diuerſitas effectuũ ad diuinã perfectionem oſtendendã. Cum autẽ illi duo Apoſtoli ſignificent duo principalia exercitia in eccleſia, licet ſint diuerſa; ſcilicet vitã actiuã & cõtẽplatiuã, & per conſequens diuerſa præmia, ſequitur quod meritò diſtincta ſigna dilectionis Chriſtus oſtenderit, vtpote ſigna ſuauitatis Ioanni, per quẽ vita beata ſignatur, & ſigna auſteritatis Petro, per quẽ ſtat⁹ huius vitæ & ſtatus meriti optimè ſignificatur. Martyrium ergo & cura paſtoralis Petrũ decet; Ioannẽ verò ſuauitas contemplationis & præſeruatio ab ignominioſa & crudeli morte. Nã ei dictũ eſt. Sic eũ volo manere. Nos ergo imitãtes ei⁹ facta, ſequẽtes eũ in exẽplo caſtitatis, poſſidebimus vitã æternã. Ad quã nos perducat Pater & filius & ſpiritus ſanctus. Amen.

IN DIE CIRCVMCISIONIS.

SERMO I.

Vocatum eſt nomen eius Ieſus. Luc. 2.

QVamuis Dei filius ſecundum immenſitatem ſuæ diuinæ eſſẽtiæ Deo patri manẽs coæqualis ſit ineffabilis, ita vt à nobis ad plenũ nec effari ſeu eloqui verbis humanis poſſit; *Virtutem magnitudinis eius quis enarrabit?* Eccl. 18. Tamen ſecundum formam humanæ ſubſtantiæ, in qua nobis apparuit ſimilis, exiſtit nominabilis. Hoc autẽ ex magis miſericordia nobis videtur conceſſum, antiquis patribus iuſtè negatũ, iuxta illud. Luc. 10. *Multi reges & prophetæ voluerunt hæc videre, quæ vos videtis & non viderunt, & audire quæ audiſtis, & non audierunt.* Sicut igitur illis ſalus fuit tantum promiſſa, nobis autem exhibita; ita nomen filij Dei per quem noſtra ſalus facta eſt, prius eis in vmbra promiſſum, nobis autem præſentialiter oſtenſum. Hinc eſt quod Angelus Mariæ nuncians conceptionem filij Dei, nunciauit pariter & impoſitionem nominis ſalutiferi. *Matth. 1.* Hinc & ipſi parentes Chriſti ex legis obſeruantia circumcidentes puerum vocauerunt nomen eius Ieſum. *Vocatum eſt*, inquit, *nomen eius Ieſus*. *Luc. 1.* Circa iſtud nomen ſanctiſſimum tria ſunt conſideranda. *Propoſit.* Primò quanti honoris & excellentiæ ſit. Secundò quanti amoris & beneuolẽtiæ. Tertiò quanti valoris & potẽtiæ. Et certè, ſi volumus prout debemus ad iſta tria reſpon-

reſpondere, iſtud digniſſimum nomen eſt ſſimi honoris & excellentiæ, ſummæ dilectionis & beneuolentiæ, ſummæ fortitudinis, & potentiæ. Quantum ad honoris excellentiam mirabiliter reuerendum, quia iſtud nomen eſt ſuper omne nomen.

Philip. 2.

Quãtum ad amoris beneuolentiam eſt ardenter diligendum.

Pſal. 118. *Ioel. 2.*

Aſpice in me & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. Quantum ad valoris potentiam eſt confidenter inuocandum.

Rom. 10.

Omnis qui innocauerit nomen Domini ſaluus erit.

I.

Quæritur, quanta ſit nominis Ieſu dignitas & excellẽtia. Et certè vt paucis, quod res eſt, dicatur, tanta ea eſt, vt humanis verbis edici nequeat. Quis rogo maior honor, aut excellẽtia dignior excogitari poteſt quam hominem dici Deum & veraciter eſſe. Hoc autem eſt hoc nomen Ieſus, quod donauit Deus pater domino noſtro Ieſu Chriſto filio ſuo per gratiam vnionis non adoptionis, nomen quod eſt ſuper omne nomen, hoc nomen, vt ſcilicet ille, qui eſt homo, dicatur Deus. Quę etiam excellentia maior poteſt inueniri quam quod ei incuruetur omne genu, cæleſtium terreſtrium, & infernorum, id eſt, angelorum, hominum & dæmonum. Nouum nomen voluit ſibi Chriſtus imponi, iuxta illud Prophetæ.

Iſa 62.

Vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit.

Noua nomina cur aſſumantur.

Solẽt homines noua nomina aſſumere triplici ratione. Quidam ratione adeptæ dignitatis, quidam ratione celandæ veritatis, & quidam ratione patratę probitatis. Ratione adeptę dignitatis, omnis quæ creatur in Papam, eligit ſibi nomen nouum, & nomen tale, quod virtutem, bonitatem & modeſtiam repræſentat. Quaſi diceret, qualitercumque fuerim ſub temporibus retroactis, rigidus vel iniuſtus, negligens aut ſeuerus, ero deinceps pietate modeſtus, & rectus virtute. Sed ratione celandę veritatis ſolent nonnulli noua nomina ſibi aſſumere, & maxime ij qui intrant regnum, in quo dominantur inimici eorũ, tunc ſolent ſtatum ſuum celare, & ſe extraneo nomine nominare, ne eorum conditio alijs innoteſcat. Tertio ratione patratę probitatis. Manlius Torquatus Romanus dicebatur Lucius Manlius, quem cum quidam gallicus ad ſingulare certamen prouocaſſet, cum eo congreſſus ipſum occidit, & torquem auream, quam in collo geſtabat, auferens ſibi impoſuit. A quo facto nomen Torquati tam ſibi quam poſteris conquiſiuit. Sic etiam propter auctam magnificè Romanam rempublicam Octauianus dicebatur Auguſtus. Propter iſtas tres rationes decuit Chriſtum Dei filium nouiter incarnatum ſibi aſſumere nomen nouum. Primo namque creatus fuit tamquam Apoſtolicus ſiue ſummus pontifex, & caput Eccleſiæ ſecundum humanitatem. *Ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam quæ eſt corpus eius.*

Eph. 1.

Et ad Hebr. *Conſiderate Apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum.*

Hebr. 3.

Fuit autem multum rigidus ante in natura diuinitatis, quia tunc erat *Deus vltionum Dominus*,

Pſal. 93.

in hoc autem nomine Ieſus voluit futuræ ſuæ clementiæ deſignare modeſtiam, vt de cætero dicatur, *Deus miſericordiarum & totius conſolationis.*

2. Cor. 1.

Secundo quia ipſe intrauit in mundum iſtum corporaliter, in quo erãt dæmones, qui grauiter ipſi inimicabantur, occultare ſe voluit ne depræhenderetur, vt latere poſſet principes & poteſtates tenebrarum harum. Tertiò ratione patratæ probitatis, quam fecit ſanguine proprio redimendo genus humanum. Vnde ſtatim effuſo ſanguine in circumciſione, qui fuit quaſi pignus & arra completæ redemptionis futuræ, impoſitum ibi fuit iſtud nomẽ nouum Ieſus, quod eſt nomen honoris & maximę excellentiæ. Ex quo nomine Chriſtus Dominus glorioſus eſt in toto orbe terrarum merito.

Fama hominis quomodo diuulgetur.

Nam fama hominis dupliciter diuulgatur ad multos. Primo per altitudinem magnorum ſtatuum. Secundo per magnitudinem bonorum operum. Propter primum reges & principes & omnes generaliter potentes magis ſunt noti quam aliæ perſonæ priuatæ. Propter ſecundum legimus apud veteres, quod perſonæ, quæ mira & magna fecerunt & multum vtilia reipublicæ, non ſolum in memoria diuturna fuerunt, ſed ſicut dij venerati & dij nominati ſunt. Vnde liber dictus eſt Bachus, id eſt. Deus vini, quia primum vinum colere docuit. Et Minerua dicta dea, quia oleum inuenit. Dei filius & ratione magni ſtatus debuit diuulgari in toto orbe,

quia

quia Deus verus erat per naturam., & potens & diues in omnes., & ratione magnorum operum, quia magna & mirabilia fecit in cælo & in terra., & in mari; ſicut patet ex diſcurſu euangelij: vnde, Matth. 8.
Matt. 8. *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.*
Ioan 3. Et Nicodemus, *Nemo poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis.* Hoc profeſſus eſt Iohannes baptiſta coram diſcipulis ſuis dicens.
Ioan. 1. *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt.* Ecce nomen honorabile & excellens eſt, quia ſuper omnes ſecundum Apoſtolum.

II.

Quicquid eſt in nomine Ieſu, id totum pietatis & clementiæ, totum deſiderabile, totum amabile eſt. Vnde apud prophetam.
Iſa. 26. *Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ meæ.* Et quomodo non eſt deſiderabile, quod omnibus eſt ſalutiferum & vtile. Non eſt enim aliud nomen ſub cælo datũ hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri; hinc propheta dicit.
Iſa. 7. *Vocabitur nomen eius Emanuel*: quod eſt, nobiſcum Deus, ꝙ vtique pietatem inſinuat; hinc eſt, quod propter vbique diffuſum amorem Chriſti, ad homines dicit ſponſa in canticis.
Cant. 1. *Oleum effuſum nomen tuum., ideò adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Quod Bernardus exponẽs dicit. Nomen Ieſu amabile oleo comparatur propter tria; oleum enim lucet, paſcit, & vngit; fouet ignem, nutrit carnem, & lenit dolorem. Eſt & vltimo lux, cibus, & medicina, quæ tria ſunt valdè deſiderabilia cuilibet homini; hæc autẽ tria facit nomen Chriſti, quia lucet prædicatum in ſermone; paſcit recogitatũ in affectione, lenit & vngit in inuocatione. Iſta tria facile eſt videre; nam vnde tanta & tam ſubita ſi dei lux in toto orbe., niſi de prædicato nomine Ieſu: nonne in nominis huius luce vocauit nos in admirabile lumen ſuum, ſicut dicit Apoſtolus.

Nomen Ieſu cur oleo comparatur.

Epheſ. 5. *Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino*; hoc denique nomen portabat Paulus coram regibus, & gentibus., & illuminabat patriam:
Act. 9. vnde ipſe clamabat adeſſe lucem dicens.
Rom. 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Nec ſolum lux huius nominis mentes illuminat, ſed etiam corpora, quia multos cæcos corporaliter illuminauit; ſicut de cæco nato. Non ſolum autem eſt lux, ſed etiam cibus. Totiens confortatur homo, quotiens de eo recordatur; nihil enim ita mentem cogitantis de bono impinguat, nihil ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, & caſtas fouet affectiones: vnde Bernardus, Aridus eſt omnis cibus, ſi non iſto oleo infunditur; inſipidus, ſi nõ iſto ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi ibi legero Ieſum; ſi diſputas aut cõferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit mihi Ieſus; Ieſus mel in ore., in aure melos, in corde iubilus; non ſolum autem eſt cibus, ſed etiam medicina: hinc Bernardus. Triſtatur aliquis veſtrum, veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os, & inde exortum nominis lumen, nubilum animæ deſugit, redit ſerenum; labitur quis in crimẽ, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando, nũc ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam; induratur quis corde, torpet & languet acedia; ſiccatur lachrymis, continuè omnia deſugiunt, & fons lachrymarum erumpit; palpitat quis, trepidat in periculis, inuocet nomen virtutis, ſtatim fiduciam præſtat, depellit metum; Eſtuat quis in dubijs, fluctuat animo, ſtatim inuocato iſto nomine emicat certitudo, & generaliter omni deficienti ad inuocationem huius nominis adeſt fortitudo. Nihil enim ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit fluxum luxuriæ, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, & totius dedecoris fugat pruriginem: iſta enim omnia effugantur, cum homo proponit ante oculos mentis hominem Ieſum mitem, humilem, benignum, ſobrium., caſtum, miſericordem, & omni bonitate & honeſtate conſpicuum, inquit Bernardus, vbi ſupra. Propter tot & tantas vtilitates corporales & ſpirituales ſancti martyres, Apoſtoli & confeſſores, virgines., & viduæ dilexerunt deſiderio toto iſtud nomen: Paulus multum dilexit iſtud nomen, quingentis vicibus ipſum in ſuis epiſtolis nominauit, decollatuſque ipſum ter nominauit. Hoc dilexit ardenter ſanctus Ignatus martyr,

S. Bernar.

tyr, qui inter tormenta coram paganis inceſſanter clamauit Ieſus Chriſtus: cumque quæreretur, quare totiens eum nominaret; reſpondit, quod in tantum ſit hoc nomen radicatum in corde ſuo, quod nullis tormentis inde poſſit eradicari, quod & factum eſt; nam occiſo eo, cor eius diuiſerunt, inſcriptum in ſingulis partibus inuenerunt aureis literis Ieſus Chriſtus. Hoc nomen dulcorauit Apoſtolorum paſſionem & tormenta diuerſa; de quibus dicitur *quod ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumelias pati*: vnde Bernardus exclamando dicit; ô nomen perſuaue & prędulce; ô nomen præclarum & præexcelſum & ſuperexaltatum in ſæcula ſæculorum: hæc ille.

Act. 5.

Bernar. ſuper cantica ſer. 16

III.

Nomen Ieſu tantę eſt fortitudinis & potentiæ, vt nihil nociuum, nihil diabolicũ, nihil phantaſticum poteſt reſiſtere, ſi dignè contra dæmones proferatur: vnde dicitur. *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquētur nouis, ſerpentes tollent, & ſi quid mortiferum biberint, non eos nocebit.* Gentilem quendam, antequam fuiſſet ad fidem noſtram conuerſus, dæmones frequenter corporaliter verberabant: iſte ad conſiliũ cuiuſdam ſancti viri in quatuor angulis lecti ſui fecit hoc nomen ſanctum inſcribi; dæmones autem quoties cameram intrauerunt, ſtantes à remotis dixerũt: diſcedite à Ieſu, ſed ad lectum nullatenus appropinquare potuerunt; ille conuerſus de nouo ſcripſit hoc nomen Ieſus, & ad quandam lanceam apendit; quotiens autem ad eum accedere volebant, totiens lanceam illam eis obiecit; & ſic ab eis fuit liberatus: vnde ipſo verificatur illud. *Omnis qui inuocauerit nomen domini, ſaluus erit.* Virtute huius nominis, etiam beatus Dionyſius fuit conuerſus: Nam cum Paulus diſputaret Athenis cum Dionyſio, occurrit eis in via cæcus: ad quem Dionyſius; ſi dixeris huic cæco vt videat in nomine Ieſu Chriſti, ego ſtatim credam: ſed ne vtaris magicis verbis, ego tibi hanc verborum formam præſcribam; cui Paulus. Vt omnis tollatur ſuſpicio, melius eſt, vt tu illis verbis vtaris; quod cum feciſſet Dionyſius, ſubitò illuminatus eſt cæcus; quo viſo ipſe fuit conuerſus. Ex præmiſſis patet, quod iſtud nomen benedictum multipliciter eſt à nobis tractandum. Primò enim eſt ardenter diligendum propter ſuam vtilitatem; res enim vtilior diligitur, & quid vtilius ſalute in hoc nomine: vnde Luc. 1. Vocabis nomen eius Ieſum, quod interpretatur Saluator. Matt. 1. Secundò eſt iugiter meditandum propter delectabilitatem, in omni enim opere delectabili eſt meditandum: quid delectabilius gloria nominis huius. *Glorioſum nomē eius in ſecula.* Tertiò eſt frequenter recitandum propter valorem; quid validius quam refugium. *Turris fortiſſima nomen domini.* Quartò eſt audacter prædicandum propter veritatem. in pſal. *Narrabo nomē tuum fratribus meis.* quid enim verius quam ille: *Ego ſum qui ſum.* Quintò eſt confidenter inuocandum propter neceſſitatem. *Omnis enim qui inuocauerit nomen domini, ſaluus erit.* Sextò eſt mirabiliter verēdum propter maieſtatem: res enim magna ſolet timeri. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtiũ, terreſtrium & infernorum.* quid autem maius omnipotenti. *Omnipotens nomen eius.* Septimò eſt patienter expectãdum propter ſanitatem: ſpes enim eſt de bono futuro. pſ. *Expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt.* quid autem melius ſummo bono, quod eſt Chriſtus; quod bonum nos conſequi facere dignetur idem dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius nomē benedictum in ſecula ſeculorum. Amen.

(?)

Marc. 16.

Ioel 2.

Magiſter hiſtoriarũ

ſuper actus Apo.

Dan. 3.

Prouer. 18.

Exod. 3.

Rom. 10.

Philip. 2.

Exod. 15.

DE

DE TRIBVS REGIBVS SERMO. I.

Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum. Matth. 2.

hom.14. & 15. ſu- lib. Num.

ORigenes refert, ꝙ genus triũ magorũ, qui hodie Chriſtum adorauerunt, in partibus oriẽtis, & in terra Meſopotamiæ fertur vigere. Qui deſcripta habẽtes apud ſe omnia quæ prophetauerat Balaã, etiam hoc habuerunt ſcriptum, quod orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael: hæc ſcripta habebãt magi apud ſemetipſos; & ideò, quando natus eſt Ieſus, agnouerunt ſtellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam, magis ipſi quam populus Iſrael, qui ſanctorũ prophetarum audire verba contempſit: illi ergo ex his tantum quæ Balaã reliquerat agnoſcentes adeſſe tempus, venerunt & requiſierunt. *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum.*

Propoſitio Circa iſtam inquiſitionem ſanctiſſimã tria nobis occurrunt conſideranda. Primò, qui ſunt qui Chriſtũ debent quærere, vt inueniant, quia tres reges. Secundò, quomodo debent quærere, quia his verbis. *Vbi eſt qui natus eſt.* Tertiò, ſub qua conditione Chriſtum debent requirere, quia ſub ſpecie magnifica; ibi. rex Iudæorum.

I.

De quærentibus Chriſtum tria dicuntur. Primò, quod fuerint magni ſtatus & dignitatis excellentis, quia magi. Secundò, quod numeri competẽtis; quia tres. Tertiò quia venerunt ex parte loci eminentis; quia ab oriente. Sic ſpiritualiter volentes quærere Chriſtum, vt eum inueniant per gratiam, debẽt eſſe primo magni ſtatus & dignitatis excellentis; vt reges. Tunc autem dicitur Chriſtianus rex, quando regnũ peccati de corpore ſuo depulit, & regnum iuſtitiæ parauit in membris ſuis. De talibus regibus dicit Petrus. *Vos eſtis genus electum regale ſacerdotium.* Specialiter tamen illi reges dicũtur in Eccleſia, qui ea, quæ docent alios, ipſi faciunt, iuxta illud. *Qui autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno celorũ*; hoc eſt dicere: hic erit rex in Eccleſia militanti: nam quid eſt eſſe regem niſi magnũ in regno; omnes ergo qui alios regũt, reges dicuntur. Generaliter tamẽ reges dicuntur oẽs fideles, quos dum Deus regit & ſenſus mentis illuminat, ſpiritus eorũ regnũ cũ iuſtitia tenet. Si aũt ſapientia carnis dominatur ſenſui noſtro, tunc omnia turbãtur, nec amplius reges dici poſſumus, inquit Orig. & ꝑpter hoc Saluator docuit nos indeſinẽter petere in oratione dominica, vt adueniat in nobis regnũ ſuũ, hoc eſt, vt ſicut huic ſeculo ante ſeruiuimus, ita donãte gratia Chriſti ſeruiamus ſibi, & ipſo largiẽte in virtutibus regnemus. Licet aũt omne vitiũ mentẽ hominis in ſeruitutẽ ſubijciat, & de rege iuſtitiæ faciat obnoxiũ ſeruũ iniuſtitiæ, eo quod *qui ſeruit peccato, ſeruus eſt peccati*; tamen tria vicia maximè ſubijciũt, & in ſeruitutẽ redigũt hominis libertatem, ſc. ſuperbia, auaritia, & luxuria: nam ſuperbia ita obijcit hominem, quod eũ facit ſeruũ diaboli, ſicut ſcriptũ eſt. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. O vilis ſeruitus, eſſe ſub tali, tantoque tyranno, *qui non dabit requiem die ac nocte. Et in cuius regno nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Cui horrori nihil poteſt ſuper terram comparari. Auaritia etiam ſubijcit hominem*, quia facit ſubditu idoli muti, ſurdi, & cæci. nam *auaritia* ſecundũ Apoſtolũ, *non eſt aliud niſi idolorum ſeruitus.* Dicit aũt Henricus de Vrmaria, quod licet quodlibet peccatum mortale contrariatur regno Dei, & ſanctificationi diuini nominis in nobis, & etiam diuinæ voluntati: ſpecialiter tamen auaritia contrariatur regno Dei propter inclinationẽ affectus ad ipſa terrena, quod non cõtingit in alijs vicijs. Tertio, luxuria ita ſubijcit hominẽ, quod eũ facit ſeruũ animalis bruti: vnde dicitur, quod *corpus quod corrũpitur iſto vitio, aggrauat animã & deprimit*, vt de homine fiat pecus, iuxta illud pſ. *Homo cum in honore eſſet, nõ intellexit, cõparatus eſt iumẽtis inſipiẽtibus & ſimilis factus eſt illis.*

Quærẽtes Chriſtum debent eſſe reges. — *1. Pet. 2.* — *Matth. 5.* — *Origenes homil. 3. ſuper Exod.* — *Ita exponit Henricus de Vrmaria de oratione dominica* — *Ioan. 8.* — *Tria peccata hominem maximè ſeruum faciunt.* — *Iob. 41.* — *Ierem. 16.* — *Iob. 10.* — *Sap. 1.* — *Coll. 3.* — *Sap. 9.* — *Pſal. 48.*

Quod vtique fit per luxuriam; quod aſſerit
etiam Ariſtot. ſcribens ad Alexandrum, &
2. Pet. 2. alludit verbis Beati Petri dicentis; *Sus lota*
Ioel. 1. *in volutabro luti.* Ioel. *Computruerunt iu-*
menta in ſtercore ſuo. Ecce quam vilis ſerui-
Sen epiſt. 40. tus, quæ tanto vilior, quanto magis volũ-
taria, vt dicit Seneca; Ex præmiſſis infero
tria. Primò, quod volens eſſe verus rex in
regno militantis eccleſiæ, debet Deo pri
Auguſt. ſuper Ioan. mo ſubeſſe in omnibus, vt à Deo regatur:
nam vti dicit Auguſtinus. *Qui vult vt ſer-*
uiat ſibi caro ſua, debet ipſe ſeruire Deo in a-
nima ſua, eo quod ſecundum ipſum debet
homo regi à Deo, vt poſſit regere. Secundò in-
fero, quod volens eſſe verus rex myſticus,
vt dictum eſt, debet ipſe per rationem ſen-
ſualitati per omnia imperare. *Non regnet*
Rom. 6. *peccatum in veſtro mortali corpore*: non di-
Auguſt. ſuper Ioã. xit, non ſit, ſed non regnet: vnde Auguſt.
Quod tunc rectè gubernata domus eſt, vbi vir
imperat, fœmina obtemperat; virum intelli-
Proſper in ſententijs. git rationem, fœminam ſenſualitatẽ: hinc
Proſper. *Non caret regia poteſtate qui corpo-*
ri ſuo nouit rationabiliter imperare. Verè do-
minator eſt terræ, qui carnem ſuam regit
legibus diſciplinæ. Tertiò infero, quod li-
cet omnia vicia ſtudioſè ſint vitanda, præ-
cipuè tamen illa tria: ſcilicet, ſuperbia, a-
uaritia, & luxuria, eò quod iſta regium ſta-
tum maximè deformãt in homine, & ſub-
ijciunt eum ſeruituti turpiſſimæ; hinc Gre
Greg. 25. moral. gor. *Sancti viri reges vocantur, quia prælati*
cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appeti-
tum infrænant, modo æſtum auaritiæ tempe-
rant, modo vanam gloriam declinant: hæc
ille. Tales ergo reges digni ſunt quærere
Chriſtum, & per conſequens inuenire, &
Sap. 5. talibus promittitur regnum decoris. *Acci-*
pient, inquit, *regnum decoris, & diadema ſpe-*
ciei. Regnum decoris dicitur ſecundum
Holkoth tunc, quando anima beata perfe-
ctum regnum obtinebit ſuper corpus glo-
rioſum, clarum, & ſubtile, agile & impaſ-
ſibile; tunc erit animæ glorioſum regere
corpus ſuum, quod tamen modo eſt valdè
tædioſum: & ideo regnum animæ ſuper
corpus erit tunc temporis regnum decoris,
quando anima humana perfectè erit ſubie-
cta voluntati Dei, & corpus voluntati ani-
2. Reges fuerunt mæ: hæc ille. Secundò, reges erant tres,
& ſic numeri competentis; Dauid enume-

rans eos dicit. *Reges Tharſis & Inſulæ mune-* *in nume-*
ra offerent, reges Arabum & Saba dona addu- *ro conue-*
cent. Sed quomodo tu dicis tres reges fu- *nienti.*
iſſe, cum ego audio quatuor extitiſſe, ſci- *Pſal. 71.*
licet, reges Tharſis, reges Inſulæ, reges A-
rabum, & reges Saba; ad quod reſpondeo,
quod iſti tres reges fuerunt vnuſquiſque de
ſpeciali regione, quæ regiones particulares
conſiſtebant in vno generali regno, quod
dicebatur Saba: vnde propheta *omnes de* *Iſa. 60.*
Saba venient: & ita ſunt tria regna ſpecia-
lia, vnum autem omnibus generale & cõ-
mune, vt ſic ſint quatuor ſimul; dicit autẽ
Innocentius: per hos quatuor, tanguntur *Innocent. ſuper pſa. 71.*
quatuor genera offerentium. Tharſis enim
interpretatur explorans gaudium, vel diſ-
ſipans ſpeculum; & ſignificat contempla-
tiuos, qui explorant æterna gaudia, & quã-
doque diſſipant ſpeculum, vt iam non vi-
deant in ænigmate, & per ſpeculum, ſed
facie ad faciem; ſicut Iacob. *Vidi domi-* *Gen. 32.*
num facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima
mea. Inſulæ reges ſunt actiui homines, qui
fluctibus & vnda, id eſt, tentationibus cir-
cumdantur, nec tamen mouentur; & iſti
ſunt viriles, ſicut illi, qui exiſtentes de ge-
nere nobili, licet incidant in aliquas op-
preſſiones, non tamen ſuam nobilitatem
in aliquo permittunt decolorari: vnde di-
citur de talibus. *Si ſpiritus poteſtatem haben-* *Eccl. 10.*
tis aſcenderit ſuper te, ne dimiſeris locum tuũ.
Reges Arabum interpretantur humiles, vel
occidentales, vel callidi; & ſignificant in-
cipiẽtes, qui humiliter recipiunt occaſum
ſuum, & inſidiari incipiunt cælo; ſicut Sal-
uator ait. Regnum cælorum vim patitur, *Matt. 11.*
& violenti rapiunt illud: hi autem omnes
debent venire de Saba, quæ interpretatur
captiua, vel conuerſio; & ſignificant om-
nes de omnibus ſtatibus prædictis. Omnes
enim iſti offerunt munera; Contemplatiui
munus deuotionis; Actiui munus alienæ
ſalutis, quantum ad prædicatores, vel mu-
nus eleemoſinarum; Incipientes offerunt
ſeipſos. Sed quia iſta omnia nihil valerent,
ſi non ex charitatis feruore procederent;
ideo dictum eſt, quod omnes iſti reges de
Saba veniunt, quæ interpretatur incendi-
um. *Si enim linguis hominum loquar & an-* *1. Cor. 13.*
gelorum, & cætera (quæ ibi enumerat) *faci-*
am, nihil ſum, & nihil mihi prodeſt. Si ergo
incipi-

incipientes, ſi actiui & proficientes, ſiue
contemplatiui aliquid Deo offerunt, om-
nia debent facere in charitatis feruore, iux-
1.Cor: 10. ta illud Apoſtol. *Siue bibitis, ſiue comeditis,*
ſiue quicquam aliud facitis, omnia in laudem
3. Reges à loco eminenti venerunt ab oriente. *Dei facite.* Tertiò veniunt ab oriente, & ſic
deſcribuntur ex parte loci eminentis. Iſtud
bene conuenit prophetiæ Dauid, de Chri-
ſto dicentis. *Orietur in diebus eius iuſtitia &*
abundantia pacis, donec auferatur luna. Hoc
Pſal. 71. tunc impletum eſt, quoniam, vt dicit In-
Vbi ſupra. nocentius, ipſe Chriſtus ortus de virgine,
Pſal. 84. eſt iuſtitia & veritas. *Veritas de terra orta eſt,*
id eſt, Chriſtus de beata virgine Maria; *Et*
1.Cor. 1. *iuſtitia de cælo proſpexit*; vt ſcilicet iuſtitiam
daret. *Qui factus eſt nobis ſapientia & iuſtitia*
ſanctificatio & redemptio, inquit Apoſtolus.
Iuſtitia enim ſemper eſt in cælo & etiam in
inferno; in terra autem eſt iniuſtitia, quæ
præcipuè antè aduentum Chriſti terrã oc-
cupauerat: vnde conquerebatur Iſa. *Con-*
Iſa. 59. *uerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia lon-*
gè ſtetit. Corruit in plateis veritas, & æquitas
non potuit ingredi; ſed ingrediebatur cum
Chriſto, qui eſt iuſtitia etiam perfecta; iſta
autem iuſtitia venit cum pace, quia Chri-
Iſa. 2. ſtus reformat pacem inter hominem & ho-
Luc. 2. minem. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres.*
Item inter hominem & angelum: vnde i-
pſo nato cantauerunt angeli. Gloria in ex-
celſis Deo, & in terra pax hominibus; item
2.Cor. 5. inter hominem & Deum, *quia ipſe Deus eſt*
in Chriſto mundum reconcilians ſibi; item fe
cit pacem inter ſpiritum & carnem; in ſe in
Pſal. 83. re, in nobis autem in ſpe: ipſe enim verè
ſolus potuit dicere. *Cor meũ & caro mea ex-*
ultauerunt in Deum viuum, quia in illo nũ-
quam erat rebellio carnis ad ſpiritum; iſta
autem beneficia aduentus ſui dicit pſal. nõ
eſſe tranſitoria, ſed æterna; ideo dicit: do-
Iſa 30. nec auferatur luna. *Erit lux lunæ ſicut lux ſo-*
Idem 60. *lis &c.* Iſa 50 dicitur. *Non erit tibi amplius*
Eccl. 17. *ſol ad lucendum*, id eſt, non indigebis eius
obſequio. *Quid lucidius ſole?* & hoc defici-
et, ſcilicet, quo ad iſtud obſequium, non
quo ad ſuam eſſentiam; vel auferetur ad
tempus in die iudicij, ſecundum quod di
Matt. 24. citur. *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lu-*
men ſuum. Ex præmiſſis infero, quod vo-
lentes iſtum regem Chriſtum quærere, tria
debent habere. Primò iuſtitiam quo ad De-
um, *Iuſtitia oriatur ſimul.* Quæ conſiſtit in Iſa. 45.
hoc, vt Deo debitum honorem reddamus.
Secundò pacem quo ad proximum. *Verita-* Zach. 8.
tem & iudicium pacis iudicate in portis veſtris
Tertiò contemptum temporalium, quo ad
ſeipſum, quæ per lunam intelliguntur; Eò
quod ſicut luna creſcunt & decreſcunt. Et
cum adſunt, pacem auferunt & iuſtitiam.
Saturitas diuitis non ſinit eum dormire. In Eccl. 5.
mundo preſſuram habebitis &c. Sic igitur pa- Ioan. 16.
tet, quales debent eſſe hi qui veniunt ad in-
quirendum Chriſtum.

II.

Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum, vidimus
enim ſtellam eius in oriente: Modus quæren- *Quomodo quærendus Chriſtus.*
di eſt duplex: vnus, quoad perſonam: alius
quo ad ſignum. De primo dicunt; vbi eſt
qui natus eſt. De ſecundo; vidimus ſtellam
eius in oriente, & venimus. Vbi ſciendum, *1. modus.*
quod Chriſtus in corde hominis exiſtens
per gratiam, concipitur per affectum, vt di-
cit Hugo. Qui ergo quærit Chriſtum per *Hugo lib. de arca myſtica.*
gratiam, non ſolum debet affici ad bonum
vt illud concupiſcat, ſed etiam vt illud con
cupitum & affectum ſeu deſideratum bono
opere perficiat; ſed nec hoc prodeſſet, ſi
homo in his non proficeret & perſeueraret;
ideo omnia tria ſimul ſunt neceſſaria. Be-
ne quæſiuit Chriſtum ille qui dicebat in pſ.
Ecce concupiui mandata tua: Et iterum. *Cõ* Pſal. 118.
cupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes Ibid.
tuas in omni tempore. Sed melius idem, qui
concupiuit hoc animo, perfecit opere di-
cens. *Ad omnia mandata tua dirigebar*, id
eſt, recta via ibam. Optimè autem quæſiuit
qui orando dixit: *Perfice greſſus meos in ſemi-*
tis tuis. Non ergo magnum eſt quærere, vbi
Chriſtus conceptus eſt, ſed vbi natus; quia
non ſufficit concipere bonum in animo,
niſi perficiatur in opere. Secundus modus
quærendi Chriſtum eſt quo ad ſignum: vn- *2. modus.*
de dicitur; vidimus enim ſtellam eius in
oriente. Stella iſta fidem ſignificat; nec e-
nim iſti reges veniſſent propter ſtellam, ſi
non habuiſſent fidem in illum, quem de-
ſignabat & oſtendebat ſtella: aliud ergo
credebant, aliud videbant. Videbant enim
ſtellam, ſed credebant Deum inuenire du-
ce ſtella: & hæc eſt probatiſſima fides ſecũ- *Bern. ſer. 76. ſuper Cant.*
dum Bernardum, cum videlicet creditur
quod non videtur. Stella hæc deſignat fi-

dem, per quam quilibet noſtrum debet inuenire Chriſtum. Iſti reges ſe habere magnam fidem in hoc declarauerunt, quia paruum puerum quaſi regem venerati ſunt, & magna munera ei obtulerunt: vnde dicunt. Vidimus ſtellam eius, & venimus cum muneribus adorare eum. Ad ſignificandum quia ſine muneribus bonorum operum inanis eſt fides noſtra: vnde Bernardus; ſine bonis operibus fides eſt mortua oblatio.

Iacob. 2. Bern. ſer. 25. ſuper Cant.

Benè autem fides per ſtellam iſtorum regum ſignificatur, ratione multiplici. Lux enim in ſtella primo de cælo imminet. *Stellæ dederunt lumen ſuum.* pſ. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Sic fides non niſi à ſolo Deo datur. *Alteri fides in eodem ſpiritu.* Secundò, quia tenebras fugat: vnde Iob. *Ad lumen eius ambulabam in tenebris.* Et *Ambulate dum lucem habetis.* Sic fides tenebras erroris effugat. Prouerb. 15. Per fidē & miſericordiam purgantur peccata. 2. Corinth. 4. Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere. Tertiò, quia aerem purificat, vnde & morbos alleuiat. *Erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur.* Sic fides mentem purificat. Actuū 15. *Fide purificans corda eorum.* Quartò, terrenaſcentia vegetat & viuificat. *Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumē ſuum, ſcilicet, ad viuificandum.* Sic fides animam iuſti viuificat. *Iuſtus ex fide viuit.* Quintò, quia viſum declarat. *Dulce lumen & delectabile oculis videre ſolem.* Sic fides viſum ſpiritualem delectat. Credentes exultabitis. Sextò, non apparentia vt colores manifeſtat. Diligentius intuens clara luce deprehendi non eſſe meum. *Ambulate dū lucem habetis.* Sic fides non apparentia manifeſtat. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Septimò, quia calorem generat. *Per quam viam ſpargitur lux, & diuiditur æſtus ſuper terram.* Ideò Zacharias. Non erit in die illa lux, ſed gelu & frigus. Sic fides generat charitatem feruidam: vnde Matth. 1. Abraham genuit Iſaac. Gloſ. Fides ſpem; Spes charitatem. Octauò, quia ad videndum adiuuat: vnde in pſalm. Ignem ſcilicet fecit, vt luceret eis per noctem. Sic Fides ad intelligendum iuuat. *Niſi credideritis, non intelligetis.* Hæc ergo duo neceſſaria ſunt omnibus quærentibus Chriſtum, ſcilicet fides in affectu, & operatio boni in effectu; quæ qui habuerit rectè dicere poterit. Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum, vidimus enim ſtellam eius in oriente.

Cur fides per ſtellā ſignetur. Baruch. 3. Pſal. 42. 1. Cor. 12. Iob. 29. Ioan. 12. Iſa. 58. Iob. 27. Abac. 2. Eccl. 17. 1. Pet. 1. 3 Reg. 3. Ioan. 12. Hebr. 11. Iob. 38. Iſa. 7.

III.

Quærendus eſt ſub ſpecie magnifica, quod notatur, cum dicitur. *Rex Iudæorum.* Circa quod notandū, quod Saluator quinque nominibus hic deſcribitur. Dicitur puer, Dux, Chriſtus, Ieſus, & rex. Exhibet autem ſe nobis puerum in remiſſione peccatorum; pueri enim faciles ſunt ad remittendum; Ducem in tentatione inimicorū; Chriſtum in vnctione donorum; Regem in coronatione præmiorum. Ieſum in ſalute horum omnium. O quā facilis eſt Saluator ad remittendum, qui de ſe per prophetam dixit. *Quacunque hora peccator ingemuerit, omniū iniquitatū ſuarū nō recordabor.* Et rurſus: *Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam, omnia peccata quæ peccauit non imputabuntur ei.* patet in latrone. Qualis autem dux eſt Saluator. *Dux fuiſti in miſericordia tua populo tuo quem redemiſti.* Non dicit, *in iuſtitia*, quia non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed *ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*. quod ille dux adiuuat ſuos cōtra hoſtes totum eſt ex miſericordia, non ex iuſtitia; & verè vbi ille præcedit exercitium, non eſt timor aliquis aduerſariorum. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et iterum. *Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?* quaſi dicat, à nullo *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Poſſunt ergo aduerſarij noſtri, videntes ſe non poſſe contra nos aliquid facere. Ergo *in exercitu veſtro dux Deus eſt.* Saluator dicitur etiā Chriſtus, qui interpretatur vnctus: vnde in pſ. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Spiritus domini ſuper me, eò quod vnxerit me.* Eſt autem ita abunde vnctus, quod de eius vnctione tota vngitur & nunc eccleſia. Vnguentū enim quod eſt in capite Chriſti, deſcendit in barbam Aaron, id eſt, prælatorum; & etiam vſque ad oram veſtimenti cuiuſlibet fidelis Chriſtiani. *Omnes enim de eius plenitudine accepimus.* Notandum de Dauid, quod ter fuit vnctus. Primò in domo patris ſui. Secundò in Hebron ſuper Iudā tantū. Tertiò in He

Saluator dicitur Puer. Ezech. 18. Idem 33. Dux: Exod. 15. Titum. 3. Pſal. 22. Idem pſal. 26. Rom. 8. 2. Par. 13. Chriſtus. Pſal. 44. Et Iſa. 61. Ioan. 1. 1. Reg. 16. 2. Reg. 2.

2.Reg.5. bron ſuper omnes tribus Iſrael. Ita vir iuſtus primo vngitur à domino, quando adhuc ei exiſtenti in domo patris ſui diaboli, ſiue in peccato mortali dat gratiam gratis
Pſal,44. datam, dicens illud in pſ. *Obliuiſcere domū patris tui*. Secundò inungitur in Hebron, quod interpretatur coniugium: quando enim datur ei gratia gratum faciens, tunc fit
Ozeæ 2. coniugium inter Deum & animam. *Sponſabo te mihi in fide.* Et ſicut Dauid poſt hanc vnctionem multas tribulationes paſſus eſt à filio ſuo & rebelliones, ſic vir iuſtus poſt
Eccl.2. hęc patitur magna mala à mundo, diabolo & à carne propria. *Accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & in timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Tertiò vngitur in Hebron, quod interpretatur aliter viſio ſempiterna. Quando in regno cælorū tradetur ei ſtola animæ, & quando tradetur ei ſtola corporis, tūc dabitur ei gaudium pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.
Iſa.61. Iſtæ etiam vnctiones ſignificant alias tres. Nam primò vngitur vir iuſtus in Bethlehē, id eſt, in corde, quando datur ei gratia contritionis pro peccatis. Secundò in Hebron ſuper Iudam, quando datur ei gratia cōtritionis confitendi peccata. Tertio ſuper omnes tribus, cum datur ei gratia ſanctificationis ſuper omnia membra corporis.
Rom.6. *Sicut exhibuiſtis corpora veſtra ſeruire nequitia, nunc exhibete ea ſeruire iuſtitiæ.* Ad hæc tria ſignificanda vngitur homo, id eſt, in Baptiſmo, in confirmatione, & in ægritudine.
Rex. Pſal 71. Vltimò, Saluator dicitur rex; de quo in pſ.
Apoc.1. Deus iudicium tuum regi da, id eſt, da iudiciariam poteſtatem Chriſto, qui eſt rex: vnde in Apoc. dicitur. *Princeps regum terræ.*
Ibid.19. Et ibidem. *In veſtimēto & in fœmore ſuo ſcriptum habebat. Rex regum, & dominus dominantium.* Per veſtimentum ſignificatur humanitas. Per fęmur diuinitas. Fęmur enim eſt principium generationis: & ipſe ſecundum quod Deus eſt totius bonitatis fons; & ſecundum vtramq; naturam rex eſt. *Regnabit rex, & faciet iudicium & iuſtitiam.* Nō
Ierem.23. ſolum autem iſte rex iudicat, ſed etiam regit: vnde ipſis dicitur. *Regit me, & nihil mihi deerit.*
Pſal.22. Sed optimus rex ſub quo nihil indigentiæ, nihil moleſtiæ accidit. Regit vt dux viatorem ne deuiet; vt lux in tenebris ambulantem ne exorbitet; vt paſtor gregem, ne à lupis pereat. Regit etiam vt nauem remus inter procellas, ne ſubmergatur; exercitum regit vt ſeſſor equum; regit peccatorem, vt manu ducens cæcū & ita multipliciter ſecundum multiplices noſtræ infirmitatis defectus, ita vt nihil deſit nobis ſub eius regimine: vnde Chriſtus.
Luc.23. *Quando miſi vos ſine ſacculo, nunquid aliquid vobis defuit?* Reſponderunt Apoſtoli: *non.* Verè nihil deeſt illi, qui habet Chriſtum, qui eſt omnia in omnibus. Nos ergo
1.Cor.15. ſequētes ducem iſtum benigniſſimum per ſtellam fidei & claræ cognitionis, offeramus ei hodie aurum puræ dilectionis ſicut regi magno, Myrrham contritionis amaræ vt puero, Thus deuotæ orationis, vt Chriſto ſacerdoti magno, vt ſic offerentes ei in præſenti, mereamur tandem ab eo in cælo remunerari; quod nobis præſtare dignetur, pater & filius & Spiritus ſanctus. Amen.

IN DIE PVRIFICATIONIS MARIAE.

Impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2.

SI conſideremus fratres excellentiſſimum huius diei myſterium, abſque dubio tantò deuotius ſolēnitatem eius celebrabimus, quā ò maioribus muneribus diuinæ pietatis videbimus decoratum. Dicit enim Ambroſius in ſermone feſtiuitatis præſentis, quod tantis muneribus diuina pietas diem hanc illuſtrauit, vt omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio hominum inde conſoletur. Hodie enim iuxta legis præceptum peractis à natiuitate Chriſti quadraginta diebus, in templo eſt a parentibus dominus noſter Ieſus Chriſtus Deo patri pręſentatus; hodiè à B. Simeone ſuſceptus,

patri

patri cum ſacris muneribus eſt oblatus. Hodiè redemptionem Iſrael expectantibus ab eodem Simeone & Anna publicè eſt prędicatus; & ſequitur. *O quam pium ſpectaculũ.* Stat hic virgo & mater, non cuiuſcunque, ſed Dei; ſuſcipitur hic paruulus virginis filius, cuius diuinitatem non capit mundus: occurrunt hinc inde prophetæ, prophetatque de puero vterque ſexus, offertur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emũdet, ſed quæ ſacramẽta declaret: hęc Amb. Ex quibus patet, quæ ſunt huius diei gaudia, quæ præſentis ſolẽnitatis oblatio, quæ noſtræ ſalutis myſteria; quoniam non ſolũ in laudem eximiæ virginis pręſens celebratur ſolennitas, ſed etiam ad honorem filij ſui, imò filij Dei, qui hodie oblatus eſt pro nobis Deo patri recenſetur memoria: de cuius oblatione & matris ſuæ benedictæ purgatione dicitur in verbis thematis: impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Circa iſtius feſti ſolennitatem tria ſunt conſiderãda. Primò glorioſæ Mariæ purificatio. Secundò Christi præſentatio. Tertiò munerũ pro ipſo oblatio: vt ſic non tantum dicatur in verbis præmiſſis: impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ad Mariæ purgationẽ poſt partũ; ſed ad præſentandũ Deo patri vnigenitũ eius, & offerẽdũ munera patri æterno, ſicut fieri ſolebat poſt partũ. Ad hæc itaque tria impleti ſunt dies purgationis Mariæ. *Propoſitio*

1.

Hæc dies ſecundum Latinos dicitur purificatio Mariæ, ideo, quia virgo glorioſa iuxta legis pręceptum voluit purificari poſt partũ 40. die, licet ipſa non indiguerit tali purificatione: fecit tamen hoc ad noſtram informationem; nam lex ſolum obligabat mulieres concipientes ex ſemine viri ad purificationem poſt partum. Conſtat autem, quod hæc virgo concepit ſine ſemine. *Ecce virgo concipiet*; non ergo tenebatur purificari, cum non fuerit contaminata: omnia enim munda mundis. *Et qui mundus eſt, non indiget lauari per conſequens nec purgari.* Fuit autem puritas virginis huius excellentiſſima triplici exemplo: nam ipſa fuit in vtero matris ſuæ ab originali peccato mundata, vel potius præſeruta, vt quidam piè ſentiunt. Vnde ratione mundationis à peccato originali fuit ſicut lux ſplendidiſſima, & per conſequens iteratò purgari non debuit. *Nihil inquinatum incurrit in illam.* Secundò exemplo ſpeculi, nam de ipſa dicitur: *quod non ſolum eſt candor lucis æternæ, ſed etiam ſpeculum ſine macula*; hoc eſt dicere, quod non ſolum fuit munda ab originali peccato, ſed etiam ab actuali, tã veniali quã mortali; non ſolum enim fuit ſanctificata in matre, ſed etiam cum fieri debuit Dei mater, quia tunc fuit multò copioſius ſanctificata, ita quod Spiritus ſanctus in eam deſcendens, illam ab omni peccato immunem cuſtodiuit. Per primam ſanctificationem fomes remanſit in ea, quantum ad eſſentiam; impediebatur autem per gratiam ſanctificantem, ne in peccatum inclinaret, aut à bono retraheret; contingit enim hunc ligari aliquando, ne in actum exire poſſit, vt ſcientiam per ebrietatem; ſed in ſecunda ſanctificatione fomes eſſentialiter ſubtractus eſt: immunitatem ergo peccati conſecuta eſt, nõ per gratiam confirmantem, ſed per ligationem fomitis, quo ad ſanctificationem, & per cuſtodiam diuinę prouidentię, ſine qua etiam fomite omni extincto peccare potuiſſet propter liberum arbitrium, vt dicit beatus Thomas, exponens illud Canticorum. Ecce tu pulchra es. vnde de hac peccati immunitate gloſ. exponens illud. Gratia plena, dicit. O domina mundi, angelica ſalutatione digna; miraculosè maternitatis electione exaltata, licet vas gratiæ dicta ſis; ſcriptum eſt enim Aue gratia plena, dominus tecum. Gratiam tu inueniſti, dum tanta pulchritudine pleniſſimæ innocentię ſplenduiſti: tu enim ſola es amicta ſole, nullis tranſgreſſionis tenebris obſcuraris. hæc gloſ. Tertiò puritas huius virginis nõ indigens purificatione, declaratur exemplo fontis puriſſimi, de quo apud Zachariam. *Erit fons patens domui Iuda.* Et iſta puritas referri poteſt ad peccatum veniale, quo virgo beata caruit, Auguſtinus tractãs illud Iohannis. Si dixerimus; quoniam peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus. Si omnes, inquit, ſancti quærerentur, an fuiſſent ſine peccato ſaltem veniali, nihil aliud dicerent, niſi verbum præmiſſum; ſi dixerimus &c. Cum ergo de peccatis mẽtionem facio, nullam volo de virgine habere

Iſa. 7.
Ioan. 13.
Puritas D. Virginis, declaratur triplici exemplo.
1. *Luce.*
Sap. 7.
2. *ſpe*
Ibid.
3. *fonti.*
Zach. 13.
1. *Ioan.* 1.

bere memoriam: hæc Auguſtinus. Ex quo patet, quod etiam veniali caruit; in ſignũ etiam huius matrimonio iungi noluit: cõſtat autem, quod actus matrimonialis, ſi fuerit cauſa prolis, fit ſine peccato; ſi cauſa vitandę fornicationis ſit, tunc cum veniali: ne ergo veniale committeret, elegerat eſſe ſine matrimoniali coniugio; & licet angelus ſibi promitteret filium Dei ex ea naſciturum, & ipſam matrem eius futuram, eligebat tamen magis eſſe virgo, quam tanti domini & filij Dei mater: vnde Gregor. exponens illud. Ecce tu pulchra es, introducẽs verbum illud, quoniã virum nõ cognoſco; ſic ait: Quid pulchrius aut purius caſtitate huius virginis, quæ ne virginalis caſtitatis pulchritudinem amitteret; maluit virgo permanere ſine tali filio, quã mulier fieri, & mater filij Dei. Denique, quia ſe ſibi recipiens totum, commiſit ei qui fabricator eſt mundi, & mater facta eſt diuino miraculo, & virgo permanſit in voto: hæc ille. Sicque patet, quomodo hæc virgo ab omni peccato originali & actuali tam veniali quam mortali fuit ſufficienter per ſpiritum Sanctum purgata; & ideò de cætero non debuit purgari, præſertim quæ ſpiritu ſancto concepit, & virgo poſt partum inuiolata permanſit: non ergo tenebatur ad purificationem; voluit tamen purgari ex triplici cauſa. Primò, vt myſterium natiuitatis Chriſti occultaret diabolo, quod maiori modo fuerat reuelandum, ſcilicet, in die paſſionis: ſciebat enim; *quia ſacramentum regis abſcondere honorificum eſt.* Per quod informat nos, vt omnia ſuo tempore faciamus, & ſic inſtruit tẽperãtiam in moribus: nam tempus tacendi, tempus loquẽdi, tempus laboris, tempus requiei. Secundo voluit purificari ad oſtendendum virtutem humilitatis: ſic conſulit ſapiens. *Quãto enim maior es, humilia te in omnibus.* Et alibi. *Eſto in illis quaſi vnus ex illis.* Tertiò, ad corrigendum noſtræ ſuperbiæ prauitatem, imo proteruitatem; ſi enim hæc purificari voluit, quæ ſine peccato fuit, quanto magis nos purificari debemũs, & illa quæ pro peccatorum myſtica purgatione inſtituta ſunt aſſumere, qui peccatis pleni ſumus? vnde Gregor. Penſandum eſt nobis, ſi ſine flagello hinc non exijt, qui ſine peccato fuit ſcilicet Chriſtus, quantis nos flagellis digni ſumus qui peccatis pleni ſumus. Exemplo enim huius virginis neceſſe habemus purgari ſpiritualiter in mentibus noſtris.

Cur Maria voluerit purificari. 1. *Tob.* 12. *Eccl.* 3. 2. *Eccl.* 3. *Ibid.* 32. 3. *Greg. ho.* 8. *ſuper Ezechiel*

Et quia triplex eſt ſtatus fidelium in Eccleſia Chriſti, ideò triplex erit purgatio. Iſti tres ſtatus ſunt incipientium, proficientium, & perfectorum. Incipientes purgant conſcientiam, proficientes ordinant eam, & perfecti vſque in finem confirmant. Primò ergo incipientes debent purgare domum conſcientiæ ab immunditia peccati, dicentes ad Dominum illud pſalm. *Cor mundum crea in me Deus.* Eſt autem conſuetudo apud nos, quod ancilla mundatura domum prius colligit ſordes, deinde eijcit eas. Sic incipiens debet prius peccatum præmeditari & colligere in mente antequam eijciat illud in confeſſione, ſecundum illud Ezechiæ. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ, ſcilicet per conſtritionem.* Ex quo patet quod confeſſio noſtra debet eſſe deliberata. Iſto facto debet incipiens pala linguæ eijcere ſordes conſcientiæ extra domum cordis per oſtium oris. Sed certè quædam domus ſunt ita profundæ, ita obſcuræ, quod vix poſſunt mundari, iuxta illud Hieremiæ. *Profundum eſt cor hominis & inſcrutabile. Quis cognoſcet illud?* Quantam enim diligentiam ponunt ad abſcondendum, tantam debent ponere ad mundandum. Sunt alia corda pinguia, quæ licet appareant exterius purgata, intus tamen remanent maculata, & neglecta, vt hypocritarum qui omnia exteriora volunt habere pulchra & ſpecioſa in conuerſatione, intus autem ſunt pleni omni ſpurcitia. Illud arguit noſtros curioſos, qui volunt habere pulchram caligam, ſed non animam; Tunicam non mentem; iopulam non conſcientiam; calceum ſtrictum, ſed conſcientiam largam. Hi ſciſcitantur in corde inhoneſta, exterius verò ſpecioſa, vt dicit Ambroſius. Multum autem fatui ſunt. Quia ſecundum Auguſtinum in quodam ſermone præferunt corporalia ſpiritualibus. Similes ſunt iſti pictoribus, qui formant exterius imagines pulchras, ſed cor vitale non poſſunt eis dare. Sic iſti omnia extra depingunt, cor autem in ſe mortificant. Sed audiant

Purgari debemus ſpiritualiter. *Incipientium ſtatus vt purgetur.* *Pſal.* 50. *Iſa.* 38. *Matt.* 23.

illud; *Deus intuetur cor; Homo autem ea quæ foris ſunt.* Sed diceret aliquis, tamen exterior pulchritudo ſuadetur per Apoſtolum. *Omnia in vobis fiant honeſte & ſecundum ordinem*. Ad quod reſpondeo ſecundum Thomam quod conuerſatio exterior dicitur honeſta, inquantum eſt demonſtratiua interioris rectitudinis. Et propter hoc radicaliter conſiſtit in interiori electione, quæ innoteſcit alijs per exteriores actus. Vnde honeſtas in exteriori conuerſatione ſignificatiuè tantum conſiſtit, id eſt, eſt ſignum interioris honeſtatis. Ex quo infero quod pulchritudo exterior in veſtitu & apparatu quocumque in homine vitioſo eſt potius hypocriſis quam honeſtas. Patet quia in talibus non concordat ſignum cum ſignato. Et per conſequens talis homo eſt fraudulentus & fallax. Et hoc eſt quod ſaluator dicit de quinque fatuis virginibus, quæ lampades habuerunt exterius pulchras, ſed oleo deuotionis interius & charitatis caruerunt. Quiſquis ergò vult purgare domum mentis ſuæ, incipiat ab interiori radice cordis ſui, omnem turpitudinem mentis ſuæ mundando, iuxta illud. *Perdam Babylonis nomen & reliquias & germen & progeniem*. Ecce tangit radicem peccati quæ eſt cogitatio, ex qua germinant omnia mala. *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ.* Hinc Ioannes Baptiſta dicit, quod ſecuris ad radicem non ad ramos ponenda eſt. Poſtquam autem noſtrum cor fuerit mundatum ab interiori ſorde, & tunc lauandum eſt & aſpergendum aqua lachrymarum ad abſtergēdum puluerem. Et hoc eſt aquę lachrymarum ex contritionis dolore procedentium. De qua dicitur. *Laua à malitia cor tuum*. Sic lauabat Pſalmiſta, dicens de ſe. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Iſto facto eijciendi ſunt pulueres aqua conſperſi, & hoc per confeſſionem totalem, vt nihil in angulis conſcientiæ lateat; vel nullam circumſtantiam omittat. De pœnitentia diſt. 5. Conſideret.

1. Cor. 14. D. Thomas 2. 2. q. 42. a. 1. Matt. 25. Iſa. 14. Matt. 15. Matt. 3. Ierem. 4. Pſal. 6.

Status proficientium purgandus. Secundus ſtatus fidelium eſt proficientium. Hi purgata conſcientia debent eam ornare floribus & graminibus bonorum operum & exemplorum. Præparate corda veſtra Domino, & ornate ea. Non ſicut pigra ancilla, quæ ſuper immunditias & pulueres ponit herbas. Et ſignificat illos, qui in mortali peccato, aliqua de genere bonorum operum faciunt. Et hi ſunt fatui, quia infundunt vinum bonorum operum in vaſa vetera acetoſa & corrupta & infecta, contra conſilium Saluatoris dicentis; Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres.

1. Reg. 7.

Status perfectorum, purgandus. Tertius ſtatus fidelium eſt perfectorum, quorum eſt purgatam & ornatam domum cuſtodire, & conſeruare pulchritudinem eius vſque in finem; ſicut conſulit ſapiens: *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum*. Quod fit cum homo in accepta gratia perſeuerat ſtabiliter, non cedendo quibuſcumque aduerſitatibus. Non ſicut quidam qui ſicut ventilegium, aliâs ventilabrum mouentur, nunc ad hunc ventum, nunc ad illum. Volentes nunc hoc, nunc illud; & cedentes perſecutioni etiam minutiſſimæ, immò trepidantes timore vbi non erat timor. Hinc Ambroſius libro ſecundo de officijs; Non mediocris virtus animi eſt fortitudo, quæ ſola defendit ornamentum virtutum omnium, & cuſtodit iudicia, & aduerſum omnia vitia manet inuicta. Ex præmiſſis patet quod circa purgationem conſcientiæ non omnes virtutes æqualiter ſe habent. Nam quædam iſtam purgationem inchoant in incipientibus, vt fides & pœnitentia. *Fide purificans corda eorum*. Et ad Corinthios; *Expurgate vetus fermentum*. Aliæ ſunt quæ ornant conſcientiam in proficiētibus, vt opera bona, & præſertim opera pietatis, quæ ſunt quaſi quidam rami oliuarum ornantes domum conſcientiæ, vt habetur Hieremiæ. 11. *Oliuam vberem, pulchrā, fructiferam & ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum.* Pſalmiſta. *Ego autem ſicut oliua fructifera &c*. Et ſi diceres quomodo proficientes purgantur, ex quo iam fuerunt purgati. Reſpondeo eo modo quo CHRISTVS dicit. *Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit vt fructum plus afferat.* Non enim dicitur purgari talis, quia non eſt purgatus à malo, ſed vt plus in bono proficiat. Nam niſi continuè proficeret deficeret, & ſic indigeret priſtina purgatione. Di-

Prou. 4. Act. 15. 1. Cor. 5. *Quomodo purgentur proficientes iam purgati.* Ioan 15.

ne. Dicitur ergo continuè purgari, quia quotidiè in bono proficit. Vnde apud Tobiam. *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt qua purgat peccata. Date eleemoſynam & omnia munda ſunt vobis.* Aliæ autem ſunt virtutes quæ omnia iſta conſeruant in perfectis, vt eſt perſeuerantia & conſtantia quãtum ad finalem conſummationem, quæ etiam dicitur purgatio, iuxta illud. *Ipſe quaſi ignis conflans purgabit filios Leui.* Sed dices, quomodo perfecti ſunt purgandi, cum ſint in ſummo ſtatu viæ. Reſpondeo quod licet ſint in ſummo ſtatu viæ, non tamen ſunt in vltimo gradu illius ſtatus, ideò mereri poſſunt. Vnde dicitur. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Quamdiu enim homo eſt viator poteſt creſcere in merito. De hæreticis in Clemen. Ad noſtrum, contra Begardorum errorem. Vnde Angeli dicuntur purgari, vt dicit Dionyſius de cœleſti hierarchia.

Tob. 12. Luc 11. Mal. 3. Quomodo perfecti purgẽtur. Apoc. 22.

II.

Secundo impleti ſunt dies purgationis Mariæ, vt præſentaret Chriſtum filium Dei, Deo patri in templo. Circa quod tria conſideranda. Primò à quo præſentatur, Secundo vbi. Tertiò à quibus præſentatus ſuſcipitur. De primo patet, quia à parentibus, ſcilicet à Maria matre eius vera, & Ioſeph patre putatiuo. Locus autem præſentationis erat templum in Hieruſalem, in quo ſuſceptus eſt à Simeone & Anna propheti ſa. *Moraliter.* Maria præſentans Chriſtum ſignificat ſtatum omnium verè pœnitentium, quia Maria interprætatur amara. Et pertinet ad pœnitentes, qui dicunt de ſe; *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Ipſi enim faciunt luctum vnigeniti planctum amarum. Tales ergo ſic pœnitentes digni ſunt præſentare Chriſtum per gratiam ab eis ſuſceptum. Secundò Ioſeph ſignificat bona opera facientes & continuantes; interprætatur enim creſcens. Vnde de iuſtis dicitur. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Suſcipitur etiam Chriſtus à duabus perſonis, ſicut à duabus præſentatur, ſcilicet à Simeone & Anna. Simeon fuit grandæuus & ſenex. De quo dicit Ambroſius; quod optabat ardentiſſimo deſiderio videre Chriſtum promiſſum diutius à Deo per prophetas. Vnde in orationibus ſuis dicebat quotidie. O quando veniet, quando naſcetur, quando videbo ipſum, putas durabo tanto tempore, putas oculi iſti videbunt per quem oculi cordis reuelabuntur. Et accepit reſponſum quod non guſtaret mortem, donec videret Chriſtum Domini. Quem cum virgo præſentaſſet quadrageſimo die à natiuitate ſua, ipſe accepit eum in vlnas ſuas benedicens Deum, atque dicens; *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine in pace.* Iſte Simeon ſignificat iuſtos, timoratos & perſeuerantes. Dicitur enim de ipſo quod erat iuſtus & timoratus expectans conſolationem Iſraël. Iuſtitia attenditur in homine quolibet in hoc, quod reddatur vnicuique quod ſuum eſt. Qua habita habentur omnes virtutes, eo quod iuſtitia eſt virtus generalis vt ſic conſiderata. Quiſquis ergo gratiam ſuſcipere cupit à Deo reddat & timorem. Hæc eſt enim prima pars iuſtitiæ, qua homo habet benè ſe ad Deum; Vnde de Simeone dicitur quod erat timoratus. Quantum autem timor iſte apud Deum valeat, dicitur in Pſalmo. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum.* Sed diceres, quomodo beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, cum timor non ſit virtus ſed paſſio, propter quam nec laudamur nec vituperamur, ſecundo de anima, & 3. Ethicorum, vbi dicitur quod timor eſt paſſio naturalis. Nam inueniuntur qui nihil timent, neque terræ motum, neque inundationes, & per conſequens nec Deum. Et tamen non laudantur. Sic econuerſo, qui quemlibet timent, ergo & Deum. Reſpondeo quod hic loquitur non de timore naturalis paſſionis ſed affectuoſę pietatis; & talis eſt ſemper cum amore Dei. Vnde omnis timor ex amore procedit, eo quod nullus timet niſi contrarium eius, quod amat. vt dicit Thomas: multo magis ergò qui amat & timet Deum, nil negligit. Et iſte vocatur timor ordinatus. De quo dicitur; *Beati omnes qui timent Dominum.* Iſto timore timuit Simeon, in quo, vt dicitur, ſpiritus ſanctus erat, qui eſt amor. Vnde Simeon time-

Circa præſentationem obſeruanda tria. Chriſtus præſentatur à parentibus. Iſa. 38. Ierem. 6. Prou. 4. Suſcipitur à Simeone & Anna. Simeon ſenex. Simeõ timoratus & iuſtus. Quis timor laudabilis. 2. 2. q. 25. art. 2.

timebat Deum vt patrem ne offenderet antequam videret Chriſtum Domini,& amabat timendo, vt viſum Chriſtum ſemper amare poſſet. O ſi Symeon iuſtus in quo ſpiritus ſanctus erat ſic fuit timoratus qui & reſponſum acceperat à Deo. Vbi erit peccator, vnde illi ſecuritas. Si enim iuſtus vix ſaluabitur, vbi peccator erit. Iuſtus etiam erat Symeon erga DEVM, quia gratiarum actiones reddebat Deo pro omnibus. Vnde de eo legitur quod gratias agebat benedicens DEVM. Secundò iuſtus erat Symeon iſte erga proximum. Vnde de eo dicitur quod expectabat conſolationem Iſraël. Ideò Ambroſius in ſermone hodierno. Benè dicitur Symeon iuſtus, quia non ſuam ſed populi totius conſolationem per aduentum Chriſti expectabat & requirebat. Tertiò iuſtus erat Simeon erga ſeipſum, quia pacem & requiem ſibi poſtulabat, dicens; *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Pulchra oratio in qua petit dimitti à ſeruitute in libertatem. Sic optabat Apoſtolus dicens. *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* O ſi Simeon optabat dimitti de hac vita, qui tamen conſolationem expectatam obtinuit, quid nos faciemus, quos hic miſeriæ premunt, nec tamen ad Deum ire aut clamare, vt de his liberemur, compellunt. O ſi Apoſtolus, in quo gratia DEI nunquam vacua fuit, petebat diſſolui & dimitti de carcere vitæ huius, vt eſſet cum CHRISTO, quanta eſt noſtra malitia, qui pleni peccatis & vinculis huius mundi irretiti non clamamus dimitti. Deteriores certè ſumus ſcrophis aut lupis, quæ deprehenſa clamant in laqueo. Nos autem ſumus quotidiè in laqueo, iuxta illud, *Laqueum parauerunt pedibus meis.* Et iterum; *Funes peccatorum complexi ſunt me,* & tamen non clamamus ad Deum pro liberatione. In eo autem quod iſte Simeon erat expectans nec deficiens ſed perſeuerans, notat conſtantes & perſeuerantes vſque ad mortem. Iuxta illud; *Eſto fidelis vſque ad mortem.* Sed quæritur vtrum in omni virtute neceſſaria ſit perſeuerantia, ita quod ſine ea nulla ſit virtus. Reſpondeo ſecundum

Iuſtus erga proximum.

Iuſtus erga ſeipſum.

Pſal. 118.

Apoc 2.

ſanctum Thomam quædam ſunt virtutes quæ habent finem ſuum determinatum, qui eſt terminus virtuoſi operis; ſicut quod miles perſeuerat vſque ad finem certaminis. Aliæ ſunt virtutes quarum actus non habent finem determinatum, ſed per totum tempus vitæ durare debent, ſicut fidei ſpei & charitatis, quæ reſpiciunt vltimum finem totius vitæ humanæ. Dicendum eſt ergo quod reſpectu harum virtutum vltimarum neceſſaria eſt perſeuerantia; quia actus earum, vt virtuoſi ſint, requirunt actum perſeuerantiæ vſque ad finem vitę. In illis autem virtutibus, quarum actus durant vſque ad finem determinatum virtuoſi operis, non requiritur quod perſeuerantia ſit vſque ad mortem. Et ideò ſaluator dixit; *Qui autem perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit,* non dicit vſque ad mortem.

2.2.q.138. art. 1.

Matt. 24.

Secunda perſona Chriſtum ſuſcipiens fuit Anna prophetiſſa, quæ commendatur à ſex virtutibus conuenientibus omnibus viduis & virginibus. Primò commendatur à caſtitate, quia poſt mortem viri vixit in caſtitate ſeptuaginta annis. Talis fuit Iudith, de qua dicitur; *Confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alium neſcieris.* Secundo à ſancti loci frequentatione, quia non diſcedebat de templo, id eſt, ſtatutis horis viſitabat templum. 1. Reg. 1. *Aſcendebat vir ille ſtatutis diebus vt adoraret & ſacrificaret Deo.* Tertiò de oris munditia, quia *Loquebatur de illo,* ſcilicet Chriſto. Quartò de parcitate cibi, quia erat inſiſtens ieiunijs, ſicut & Iudith, *quæ ieiunabat omnibus diebus vitæ præter ſabbatum* Quintò de orationum inſtantia, *inſiſtebat Anna orationibus & obſecrationibus.* Sextò commendatur de finali perſeuerantia; Quia dicitur; *Erat ſeruiens die ac nocte.* Talis ergo debet eſſe qui vult hodie Chriſto obuiare & eum deuotè ſuſcipere. Per primum arguuntur laſciuæ puellæ & viduæ, quæ ſtatim poſt mortem virorum nubunt, quod vtrique eſt ſignum incontinentiæ, ſecundum Hieronymum in Apologetico ſuo, licet in ſe non ſit peccatum, vt de ſecundis nuptijs. Super illa. & ca.

Anna commendatur.

Iudith. 15

Luc. 2.

Iud 8.

Luc. 2.

Ibidem.

Diuerſi ab Anna arguuntur.

Cum

1.Cor.7. Cum ſecundum. *Quia mulier mortuo viro ſoluta eſt à lege viri ſui.* Per ſecundum deſides rarò templum viſitantes. De quibus
Aggei. 1. propheta; *Nunquid tempus vobis eſt vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?* Per tertium turpia loquentes in eccleſia, quæ tamen eſt domus orationis. Per
Luc.19. quartum delicati & voluptuoſi, de quibus dicitur. *Vidua in delicijs viuens mortua eſt.*
Luc.18. Per quintum indeuoti raro orantes. Cum dicitur. *Oportet ſemper orare.* Per ſextum deficientes & puſillanimes, qui antequam ad metam perueniunt deficiunt. Cum tamen
2. Tim.2. dicat Apoſtolus; *Non coronabitur niſi qui legitimè*
1.Cor.9. *certauerit.* Et iterum. *Sic,* inquit, *currite vt comprehendatis.*

III.

Circa munerum pro Chriſto oblationem, quibus virgo glorioſa voluit redime-
Leuit. 12. re dilectiſſimum filium Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, ſciendum, quod lex purificationis requirebat, vt quælibet mulier ex viro concipiens, quadrageſimo die à partu in templum cum puero ſuo veniret; & ſi quidem diues foret, agnum anniculum offerret, & columbam aut turturem pro peccato. Si autem pauper, extunc duos pullos columbarum. Quamuis autem virgo ad huiuſmodi oblationem non teneretur, ſicut nec ad purificationem, tamen voluit facere. Non autem elegit oblationem diuitum ſed pauperum. Primò propter paupertatem. Secundò propter hoc, quia verum agnum offerebat Deo patri. Tertiò propter myſticam ſignificationem. Per hoc enim ſignificabatur quod qui non poteſt offerre agnum innocentiæ, currat ad lachrymas & gemitus pœnitentiæ. Per iſta tria ſignificatur triplex oblatio myſtica, quam debent habere fideles & offerre. Agnus ſignificat tria; Primò puritatem incorruptionis Vnde in Exod. dicitur, *Erit agnus ſine macula.* Et alibi, *debuit eſſe agnus maſculus ſine macula.* Sic homo fidelis debet eſſe ſine macula, quæ maculet corpus vel animam. De quo dicitur Salomoni. Dediſti maculam in gloria tua. Nec dubium quin loquitur de macula luxuriæ,

[Margin: Maria elegit oblationem pauperum. — Agnus quid ſignificet. Exod. 12. Leuit. 1.]

per quam fuit ipſe reſolutus. Secundo agnus iſte ſignificat humilitatem conuerſationis. Vnde dicitur ibidem, & anniculus, id eſt, paruus & humilis, non magnus agnus. Tales enim acceptat Dominus qui
paruuli ſunt reputatione ſua. *Nõne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus factus es.* Et alibi; *Reuelaſti ea paruulis.* Tertio designat manſuetudinem. *Quaſi agnus manſuetus coram tondente ſe.* Debet ergo quilibet fidelis eſſe humilis ad Deum, manſuetus ad proximum, immaculatus ad corpus proprium. Certè diues eſt in Chriſto qui talem ſe offert. Secunda oblatio, qua fuit pauperum, ſunt duo pulli columbarum. Et deſignant geminam caſtitatem corporis & animæ: ſimiliter duplicem ſimplicitatem, ſcilicet intentionis & operis. Vnde ſaluator; *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ:* Dicunt naturales quod in columba duo ſunt, ſcilicet ſimplicitas, & cautela. Sic in quolibet fideli debet eſſe primo ſimplicitas, quæ eſt duplex, ſcilicet intentionis & conuerſationis. Intentio non debet eſſe duplex, ſed ſimplex. *In ſimplicitate cordis quærite illum.* Væ enim *duplici corde.* Vnde Ambroſius, intentio tua operi tuo nomen imponit. *Si oculus tuus*, id eſt intentio *fuerit ſimplex, totum corpus,* ſcilicet operis, *erit lucidum totum,* id eſt, meritorium, item operatio noſtra debet eſſe ſimplex: *Nam voluntas eius in his, qui ſimpliciter ambulant,* id eſt, operãtur. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat cõfidẽter.* Secũdo in colũba eſt cautela, quarum vna vocatur prænoſcens, altera præcauens. Iſti ſunt duo oculi ſponſæ comparati oculis columbarum. Prima oculus ſiniſter; Secunda oculus dexter: De his oculis dicitur. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum,* id eſt, virtuoſorum, qui ſunt pennati, qui & mala prẹcognoſcunt, & præcognita vitant, de his oculis in Apocal. *Quatuor animalia plena oculis ante & retro.* Ante pro prouiſione præmij, & retro ad cautelam ex timore ſupplicij. Cautela prænoſcens in colummba eſt, quia præuidet vmbram accipitris in aqua, & ideò reſidet iuxta aquas. Cautela fugiẽs eſt, quia fugit ad feneſtram ſuam, vt euadat accipitres. Rex Naas non deſiderabat à filijs Iſrael niſi oculos eorum dextros, quia diabolus

[Margin: 1. Reg. 15. — Matt.1. — Iſa. 53. — Pulli columbarum quid deſignent. — Matt. 10. — Simplicitas. — Sap 1. — Ecl. 2. — Matt.6. — Prou. 11. — Prou 10. — Cautela eaq; duplex. — Cant. 4. — Prou.1. — Apoc.4.]

bolus non multum curat cauſam prænoſcentem cautelam, ſed plurimum odit & perſequitur cautelam præcauentem, vt dicit Thomas ſuper illud, Oculi tui columbarũ. Tertia oblatio fuit par turturum: in turture ſunt tria, quæ debent eſſe in qualibet fideli anima: *Primò* verecundia. Vnde Canticorum. *Pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* In genis notatur pudoris ſignũ: iſta verecundia in hoc attenditur in anima, vt caſtitatem promiſſę fidei nulla hęreticorum doctrina corrumpat, vt dicit gloſſa ordinaria. *Secundò* inflexibilis conſtantia, quæ tanta prioris mariti memoria tenetur, vt nullatenus poſterioris poſſit recipere conſortium. Iſta conſtantia attenditur in anima in hoc, vt nullum præter Chriſtum amatorem admittat. *Tertiò* in turture notatur miſericordia ordinata, quia ſicut turtur gemit pro morte comparis ſui, ſic iuſtus gemit pro ſuis & aliorum peccatis, vt dicit gloſſa ſuper iſta verba. *ſicut turturis*; quem gemitum pro incolatu præſentis vitæ, pro malis penę & culpę, nobis pręſtet pius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt ipſo præſtante, gemitus noſter & triſtitia vertatur in gaudium. Tunc complebitur in nobis vaticinium Iſai. dicẽtis, *Omnem gemitum eius ceſſare feci.* Et eiuſdem. *Et ambulabunt qui liberati fuerint & redempti à Domino, conuertentur & venient in Syon cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Amen.

A turture tria accipiat fidelis. | *Can.1.* | *Iſa.21.* | *Idem.35.*

DE SANCTA AGATHA ET DOROTHEA.

SERMO I.

Sponſus venit & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias. Matth.25.

QVAMVIS iuxta ſanctum Gregorium in quadam homelia, quilibet homo cum illis habitur' ſit mercedem in choris angelorũ in futura gloria, quorum officium viriliter hic geſſit in via; tamen virgines nõ ſolum habituræ ſunt in electis Dei & angelis gloriam communem, ſed etiam ſupra Angelos erunt ſpecialiter quodãmodo remuneratæ. *Supergreditur,* inquit, *virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis Dei ſimilantur.* Ecce præmium; Et ſequitur, *Maior tamen eſt victoria virginum quam angelorum: Angeli enim ſine carne viuunt, virgines in carne triumphant.* Hæc ille: Cum ergò virgines non ſolum æquantur angelis, ſed etiam in aliquo excedunt angelos, quid mirum, ſi dignè à Chriſto reputantur intromitti ad nuptias? De quibus dicitur in verbis thematis, quia ſponſus venit, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, in quibus verbis tanguntur tria, quæ ſacratum virginum ſtatum ſpecialiter commendant. Primo deſcribitur earum dignitas ex parte Chriſti eas adamantis ſpecialiter, cum dicitur; *Venit ſponſus.* Secundo deſcribitur ex parte ipſarum ornatus ſpecioſitas quantum ad meritum, quod eſt glorioſum, cum dicitur, *quæ paratæ erant.* Tertio deſcribitur præmij ipſarum iucunditas cum dicitur, *intrauerunt cum eo ad nuptias.*

Gregorius. | *Propoſitio.*

I.

Venit ſponſus. Certè magna dignitas habere talem ſponſum Chriſtum. De quo dicitur. *Ipſe tanquam ſponſus procedens de tha-*

Pſalm.1

thalamo ſuo. Quantæ autem pulchritudinis in ſpecioſitate, in diuitijs, & in omni copia dulcedinis æternæ ſponſus iſte ſit, dicitur in pſalmo, *Specioſus forma præ filijs hominum* Ecce pulchritudo, de diuitijs eius dicitur. *Gloria & diuitiæ in domo eius*. Et iterum *Longitudo dierum in dextra eius & in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria*. E conuerſo etiam talis debet eſſe virgo quæ cupit eſſe ſponſa Chriſti, vt primo ſit pulchra. Decus pulchritudine loquitur Salomon, *Pulchræ ſunt*, inquit, *genæ tuæ ſicut turturis*. In genis notatur verecundia. In turture ſolitudo. Quę duo in virgine requiruntur, vt ſcilicet ſit verecunda & ſolitaria. Dicitur de Rebecca: *Ecce egrediebatur habens hydriam in ſcapula ſua, puella decora nimis virgoq́ue pulcherrima & incognita viro*. Quæ poſtea, cum iret ad virum ſuum Iſaac, cooperuit caput ſuum pallio. Iſta verecundia debet apparere in virginibus, in velatione humili, in habitu decenti, in inceſſu, & in omni geſtu, in quibus ſe debent habere deuotè & regulariter. Vnde Auguſtinus *Dominica virgo ſine ornatu capitis ſui, in habitu communi, nec oculis elatis aut lætis, ſed crinibus ad terram cum vultu depoſito procedat*. Et cauſam huius ſubdit. *Ideò videlicet ne viles ex ſe inducat mores, quæ etſi non pereat, cauſſa tamen aliis perditionis exiſtat*. Hæc ille. De ſolitudine dicit Sanctus idem Auguſtinus vbi ſupra; *Dominica virgo*, inquit, *publicos debet vitare conſpectus, & platearum frequentiam deuitare, atque in domo poſita operi laniſico inſiſtere, vel lectioni diuinæ*. Hæc ille. Ecce dicit ſolitudinem virgini neceſſariam, non tamen ocioſam ſed laborioſam, quia cum opere laniſico. Et hoc eſt quod Rebecca portabat, hydriam in ſcapula ſua, quæ ſignificat laborem. Secundo ad hanc ſponſam requiritur vt ſit diues & glorioſa in diuitijs. Vnde de ea ita ſcriptura; *Multæ filiæ regum congregauerunt diuitias, tu ſola ſupergreſſas es vniuerſas*. Quia licet ſtatus coniugalis & vidualis, virtutes congregant quantum ad præmium eſſentiale, tamen virginitas ſupergreditur omnes, quo ad præmium accidentale, ſcilicet aureolæ. Vnde dicit Thomas, quod licet Abraham ſuo tempore æquatur Iohanni in caſtitate, hoc ſolum eſt quoad præmium eſſentiale, non autem accidentale, quod eſt aureola, & ſic intelligit Auguſtinus in libro de bono coniugali, quod caſtitas Iohannis non præfertur coniugio Abrahæ, vt dicit Thomas, Ex his reſpondeo ad quæſtionem, qua quæritur, vtrum continentia coniugalis poſſit eſſe par caſtitati virginali. Et breuiter reſpondeo loquendo de præmio eſſentiali quod ſic; immo dico cum beato Thoma, quod licet virginitas melior ſit quam continentia coniugalis; Poteſt tamen coniugatus melior quam eſſe virgo duplici ratione. Primo quidem ex parte ipſius caſtitatis; ſi ſcilicet ille qui eſt coniugatus, habeat animum magis paratum ad virginitatem ſeruandam, ſi oporteret, quam ille, qui in actu eſt virgo, vnde Auguſtinus inſtruens virginem dicit; *Ego non ſum melior quam Abraham, ſed melior eſt caſtitas virginalis quam caſtitas nuptiarum*. Et rationem ſubdit. *Quod enim nunc ago, melius illi egiſſent ſi tunc agendum eſſet*. Secundo quia fortè ille qui non eſt virgo, habet aliquam excellentiorem virtutem. Vnde Auguſtinus, *Vnde ſcit virgo ſe prælatam coniugatæ? Certè non ſcit, quia virgo quamuis ſollicita ſit quæ ſunt Domini, tamen neceſſe eſt vt timeat ne fortè propter aliquam ſibi incognitam infirmitatem non ſit matura martyrio, illa verò mulier, cui ſe præſcribit, iam poſſet bibere calicem Dominicæ paſſionis*. In quo autem præcellit virginitas coniugium? Dicendum eſt, quod in tribus ſecundum Thomam. Primò quia eſt bonum diuinum, quod eſt potius bono humano. In ſignum huius Chriſtus elegit matrem virginem, vt dicit Hieronymus, & Apoſtolus conſulit virginitatem. Secundo quia bonum eſt animæ, quod præfertur bono corporis. Tertiò quia eſt bonum vitæ contemplatiuæ, quæ præfertur vitæ actiuæ. Ex quo infert Thomas, quod indubitanter virginitas præferenda ſit continentiæ coniugali. Sed hic eſt dubium, an quælibet virgo habeat iſtam excellentiam, ſcilicet

Pſal.44. *Spōſa Chriſti qualis eſſe debeat.* *Cant.2.* *Gen.24.* *Auguſt. li. ad ſacras virgines.* *Prou. vlt.* *2.2.q.152. a.3.* *Cōiugalis continētia nō caſtitati virginali poſſit eſſe æqualis.* *Augu. de bono coniugali.* *Idem libr. de virginitate.* *Virginitas præcellit coniugium in tribus.* 1.Co

licet

Quamis virgo areolam non habet, Idem de virginit. 2.2.q.152.

ſcilicet præmium aureolæ. Ad quod reſpondeo quod non; ſed ſolum virgo Deo dedicata, vt dicit Auguſtinus: *Nec nos,* inquit, *de virginibus prædicamus, quod virgines ſunt, ſed quod Deo dedicatæ pia continentia virgines ſunt.* Ex quo infert Thomas quod propoſitū ſeruandi integritatē, illud facit virginem formaliter, cum ſit eius formale; integritas autem corporis eſt materiale, quam nos habemus à natura, ex quo ſequitur quod ſolum illæ virgines habebunt aureolam virginum, quæ propoſitum habuerunt virginitatem perpetuo ſeruandi. Quamuis hoc propoſitum interruptum fuerit, integritate tamen carnis manente; dummodo in fine ſuæ vitæ inueniatur ad præmium propoſitum rediſſe; quia virginitas mentis quantum ſcilicet ad ſolum propoſitum violatum reparari poteſt. Non autem virginitas carnis ſecundum Thomam in compendio libro.7. capit. penultim. Sed diceres, quid de illis quæ deceſſerunt ſic, cum propoſito nubendi. Reſpondeo ſecundum Thomam, vbi ſupra, in compendio, non eſſe dubium; quin habituræ ſint ſpeciale gaudium de corporis incorruptione, ſed non eſſentiale gaudium. Sicut etiam innocentes de eo gaudent, quod innocentes à peccato fuerunt, quamuis opportunitatem peccandi non habuerunt. Ex his patet quod multum valet votum in genere caſtitatis. Nam vt hic videmus, virgines non habent nec habebunt aureolam, niſi ex firmo propoſito ſeruandi caſtitatem perpetuam, quod eſt formale eius. Vnde poteſt reſponderi ad quæſtionem, an melius ſit ex voto vel voluntate ſeruare caſtitatem. Reſpondeo quod melius eſt ex voto triplici de cauſa, ſecundum Thomam. Primo quia eſt actus latriæ, quia eſt quædam promiſſio Deo facta in obſequium & in cultum ſuum. Secundo, quia qui vouet, magis ſe Deo ſubijcit, non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quantum ad poteſtatem, vt non poſſit de cætero aliud facere: ſicut dans arborem cū pomis, plus faceret quam dando pomum ſine arbore, vt dicit Anſelmus de ſimilitudinibus. Tertio quia per votum firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex deuotione firmata in bonū pertinet ad perfectionem virtutis, 2. Ethicorum, ſicut etiam peccare mente obſtinata aggrauat peccatum.

Virginitatē ex voto ſeruare melius. 2.2.q.8. art.7.

II.

Circa merită ſanctarū virginum.

Duo videnda; Primò de earū ornatu. Secūdò, de ornatu generaliter omniū fideliū animarū, qualiter ſe præparare debēt erga iſtū ſponſum. Quantum autem ad primum, dicendum eſt, quod ornatus iſte quo merentur virgines ſanctæ in præſenti, conſiſtit in triplici virtute. Primo ſcilicet in munditia caſtitatis. Secundo in pulchritudine humilitatis. Tertio in profeſſione paupertatis. De munditia caſtitatis dicit Eccl. *Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu eius ſuſcitabunt animas ſuas.* Ecce quomodo caſtitas includit in ſe timorem, qui præparat corda virginum pro cuſtodia caſtitatis, quæ debet eſſe in corde. Duo ergo hic dicit de virginibus. Primo quod debent eſſe timoratæ; Secundò quia debent præparare corda & animas ſuſcitare, ad ſignificandum quod timendum eſt virginibus, ne amittant virginitatem, quam reparare non poſſunt, 32.q.5. Si Paulus. De hac enim dicitur, quod virgo cecidit non adijciet vt reſurgat: vnde dicit Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium, quod cū Deus omnia poſſit, non poteſt virginem ſuſcitare poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœna, ſed non valet coronare corruptam, ſcilicet vt virginem, ſed diceres, tamen Deus exoculato poteſt viſum reddere, ergo virgini virginitatem reſtituere, quidā dicunt quod hoc intelligitur ſic, quod Deus non poteſt facere quin factum ſit factum, ſed omne deperditum poteſt reſtituere. Sed tunc idem eſſet de exoculato. Et idem dicendum eſt quod hoc non refertur ad carnis corruptæ reſtitutionem, ſed ad virginalis palmæ retributionem. Et dicit gloſſa. Non poteſt, id eſt, non congruit eius potentiæ, vt aureola coronet corruptas. Hoc enim eſſet contra iuſtitiam. Et ideo illud non poteſt eſſe. Et Thom. ponit exemplum pulchrū de hoc, dicens; Sicut illi magnifico, quo conſumpſit opes ſuas & diuitias, per pœnitentiam nō reſtituuntur diuitiæ; similiter

Ornatus virginum in tribus virtutibus conſiſtit. Eccl.2.

2.2.q.152. 4.3.

liter ille, qui peccando virginitatem amiſit, per pœnitentiam non recuperat virginitatis propoſitum, Vnde ipſe dicit, quod licet natura virginitatis ſcilicet corporis integritas poſſit reparari miraculosè in virgine; non tamen hoc poteſt reparari, vt expertus voluptatem veneream fuerit non expertus. Secundò ornatus virginalis conſiſtit in manſuetudine humilitatis virgineæ, vt etiam parata ſit ad tormenta ire propter eius ſeruationem, dicens illud pſal. Ego autem in flagella paratus ſum. Vnde dicit Auguſtinus in libro ad ſacras virgines, quod virgo dominica in paupertate ſpiritus Chriſto accepta, debet quamdiu vixerit, permanere.

Ornatus omnium fidelium animarum.

De ſecundo ornatu ſcilicet generali omnium Chriſti fidelium animarum qualiter ſe parare debent, eſt ſciendum quod omnes fideles debent ſe parare, vt puellæ in ornatu vultus & corporis, vt ſcilicet faciem & corpus decenter ornent. Secundò vt familia ad cibum corporalem lauans manus ſuas. Tertiò vt milites ad pugnam inſtantem. De primo ornatu qui debet eſſe in vultu & veſtitu dicitur in pſalm. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato. *Pſal 44.* Veſtitus deauratus ſunt opera clariſſimæ charitatis, quibus ornatur anima quælibet in vultu primo, vbi eſt imago Dei; & deinde in cæteris membris, quę ſunt membra Spiritus S. Hanc veſtem non habens homo eijcietur extra nuptias. *Matt. 22.* De ſecundo ornatu, familia ad cibum accedendo ſe lauat, ita anima accedens ad nuptias & ad refectionem æternam lauat manus, id eſt, opera, pedes, id eſt, affectiones Vnde Iſa. *Lauamini & mundi eſtote.* *Iſa. 1.* Quod alibi exponit propheta dicens. *Laua à malitia cor tuum.* Vnde pſalm. quærit, *Quis aſcendet ad nuptias cæleſtes?* *Pſal. 23.* Et reſpondet: *Innocens manibus,* id eſt, operibus. Ecce lotio manuum. *Qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet.* *Ioan. 13.* Sed prohdolor de multis dicitur hodie; *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Tertiò animæ fideles debent ſe parare vt milites ad pugnam inſtātem. Tota enim vita hominis eſt vt militia ſuper terram: in qua quidem pugna habemus multos aduerſarios & fortiſſimos. Deuter. 20. Vnicuiq; grauis aduerſitas & pugna; nūc occulta, quia inſidiatur vt Leo in ſpelūca ſua inimicus; nūc manifeſta, quia manifeſta ſūt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, auaritia; & inſuper quotidiana eſt pugna & rara victoria. dicit Auguſtinus de ſingularitate clericorum, & in libro de agone Chriſtiano.

III.

Intrauerunt cum eo ad nuptias. Tria deſcribuntur quantum ad iucunditatem iſtarum nuptiarum; Primò quia ſponſo occurrerunt; Secundò quia ad ſponſum ſe præparauerunt; Tertiò quia cum eo intrauerunt. Iſto modo ſpecialiter nos debemus primò præparare ad bonum opus, & quia bona opera maximè conſiſtunt in partibus pœnitentiæ, quæ ex ardenti charitate procedere debent; ideò dicitur, quod quinque in lampadibus habuerunt oleum, ſcilicet charitatis oleum, ſine quo nihil Deo placet. *Quomodo occurrendum ſpōſo.* Secundò debemus ei obuiare per deſiderium deuotionis. Dicitur apud Eccleſiaſticum *quod homines ſtulti non apprehendunt illum,* ſcilicet ſponſum cæleſtem, *ſed homines ſenſati obuiabunt illi:* *Eccl. 15.* Quis autem ſtultior illo qui ſine deuotione audet peruenire ad conſpectum tanti regis, coram quo Angeli contremiſcunt? Certè, vt videmus, ſtulti repelluntur ab aula regum *Non decet ſacco indutum aulam intrare regis Aſſueri.* dicitur in lib. Heſter. *Heſt. 4.* Tertiò debemus intrare per contemplationis guſtum, hic per fidem & tandem per apertam viſionem & fruitionem dulcedinis diuinæ. Vnde Pſalmiſta hortatur nos hic ad primum; intrate in conſpectu eius in exultatione. Nuptiæ autem illæ æternales ſignificatæ ſunt per nuptias agni de quibus in Apocal. *Beati,* inquit, *qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt.* *Apoc. 19.* Et bene iucunditas nuptijs cæleſtibus comparatur: Sicut enim in nuptijs fit ornatus veſtium ſolennium: Sic in gloria patriæ cæleſtis erit claritudo noſtrorum corporum. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Ideo dicit Chriſtus ad animam. *Veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hiacyntho & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus & ornaui te ornamento.* *Ezech. 16.* Secundo quia ibi erunt delicatiſſima fercula. *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* *Eccl. 24.* Tunc enim di-

Cant. 5. cet Chriſtus ſuis. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Sed de quo tunc inebriabimur? Certe ab vbertate dom⁹ eius & torrente voluptatis eius, vt ſecundum multitudinem dolorum in corde electorum conſolationes Dei lætificent animas
Luc. 12. & 2. 2. eorum: hoc eſt quod ait ſaluator de ſe, *quod præcinget ſe & tranſiens miniſtrabit illis.* O
Idem. 14. *quam beatus qui manducat panem in regno Dei!* Tertiò quia ibi erit ſuauis inſtru-
Tob. 14. mentorum melodia. *Per vicos eius cantabitur alleluia.* id eſt, laudabitur Deus in ſanctis ſuis ineffabiliter. Hoc admirans Bernardus dicit; *Vnde tibi ô anima mea, vnde tibi tam ineffabilis gloria, vt eius ſponſa merearis eſſe, in quem Angeli deſiderant proſpicere? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? vt ſis ſacræ menſæ regis conuiua, ſocia deniquè thalami, vt introducat te rex in cubiculum ſuum:* Bernardus. Ad quod nos producere dignetur, Pater & Filius & Spiritus ſanctus Amen.

Hi ſequentes ſermones vſq; ad ſermonem de corpore Chriſti excluſiuè ſunt ex Socco.

DE SANCTA DOROTHEA.

SERMO

Virgo cogitat quæ Domini ſunt, & quomodo placeat Deo, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. 1. Cor. 7

IN verbis propoſitis tria tangit Apoſtolus; ſcilicet ſtatum excellentem, actū competētem, & finē congruentem. Primū ibi. *Virgo.* Virginitas enim omni ſtatui excellentior eſt. Secundum ibi, *cogitat.* In quo tangit actum tali ſtatui competentem. Virgines enim quæ à maritali debito & à curis ſæculi ſunt per omnia ſolutæ, debent meritò cogitare quæ Dei ſunt. Coniugatę enim ex vinculo maritali compelluntur cogitare, vt viris ſuis placeant. Sic virgines Deo dicatæ debent Deo intendere & quomodo placeāt ſponſo ſuo. Tertiū ibi, *vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* In hoc tangit finem congruentē. Ad hunc enim finem omnes ſacrę virgines cogitationes, locutiones & operationes ſuas debent dirigere, vt ſint ſanctæ, quarum ſponſus ſanctus eſt. A quo & nullatenus in thorū maritalē aſſumuntur, niſi & ipſæ ſint ſanctæ. Ad hoc ſtuduit glorioſa virgo & martyr Dorothea, ſicut probat eius vita & miraculorum euidentia, quæ Deus per eam operatur & propter eam exhibet, & exhibebit clarificans eā toti mūdo, vt ex hoc innoteſceret, quāta deuotione ſtuduit, vt corpore & ſpiritu eſſet ſancta. Quā ideò Deus poſuit nobis in exemplū, vt, qui Dominum Ieſum, qui exultauit vt gygas ad currendum viam imitari non poſſumus, puellam teneamus & delicatam imitemur.

Quomodo autem ipſam in ſanctitate ſua imitari debeamus, vt & nos ſimiliter ſimus ſancti, docet nos beatus Bernardus dicens; tria ſunt quæ faciunt hominē ſanctū; victus ſobrius, actus iuſtus, & ſenſus pius. In quibus tribus plena conſiſtit perfectio. *Propoſit. Tria faciunt hominem perfectū.*

Eſt autē ſecundū vt definiunt doctores ſobrietas, moderatus vſus tēporalium circa ſolā neceſſitate reſtrictus. Cuius obſeruātia licet difficilis videatur his qui in carne ambulant, facilis tamen eſt illis, qui ſpiritualia bona guſtauerunt, qui parua bona reſpectu maiorum & meliorum pro nihilo reputāt; quod expreſſè oſtendit Gregorius dicens; *Sobrietas quid ſit, & an difficilis.* Greg.

Dul-

Dulce eſt eſſe in humanis rebus, ſed ei qui adhuc nihil nouit de cæleſtibus. Quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in tẽporalibus requieſcit. Sic qui iã cordis ore guſtauit quæ ſit illa dulcedo cæleſtium bonorum, quanto illud dulcius eſt, quod intus habet, tanto ei in amaritudinẽ vertitur omne, quod foris ſuſtinet. Et ideò facilè eſt ei, immo delectabile, vt foris propter Deũ ſobriũ victum habeat, qui dulciter intus paſcitur. Vt ergò ſpiritus Sancti præſentia conſolationes conſequi valeamus, qui talem habet in nos transfundere dulcedinẽ, neceſſe eſt vt per ſobriũ victũ carnis conſolationibus funditus renunciemus. Quia nullatenus iſtę cum iſtis miſcẽtur. De quo Bern. *Si animus habet vnde delectetur extrinſecus, ſine delitijs manet intus.* Vt ergò interiora noſtra in Deo proficiant, omnia exteriora de genere conſolationũ temporalium & carnalium per victũ ſobriũ amputemus, & ſola neceſſitas ab omni ſuperfluitate in omni vſu tẽporali ſit reſtricta. Ex quibus verbis colligimus, q non ſolum ſobrium victũ vocamus moderatam cibi & potus ſumptionem, ſed omnium rerum ad vſum noſtrum pertinentium reſtrictionem. In quibus omnibus ſobrietatẽ tenemus, ſi eis moderatè vtimur. Quod non ſolum expedit religioſis, ſed omni Chriſtiano proficit ad ſalutem. Quia ſicut per gulã primi parentis, & nos de illis paradiſi gaudijs ſumus expulſi, ſicut ait Gregorius; ſic per parſimoniam & ſobrietatem rectè viuendo nos regredi oportet, vt fiat nobiſcum ſicut de tribus magis dicitur. *Per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Et ideò ſicut diligimus patriam, à qua cecidimus per gulam, in omnibus vtendis victũ ſobriũ habeamus, vt ad eam reuertamur. Omnis autẽ ſobrius vſus conſiſtit in temporalium moderata fruitione; in exteriorum ſenſuum diſciplinata gubernatione; in interiorũ motuum cauta & vigilanti cohibitione. Primo dixi, ſobrietatem circa vſum tẽporaliũ conſiſtere in eo, quod in omnibus, quibus vti oportet, tantũ ad vitam conſeruãdam vtamur; vt eſt cibus, potus, ſumptus, veſtes & ſimilia, & omnem ſuperfluitatem ex omnibus his amputemus. Et hæc ſobrietas paupertas voluntaria vocatur, de qua dicitur. *Eſt pauper; cum tamen in multis ſit diuitijs.* De hac etiam ſobrietate dicit Bernardus. *Fælix ſecundum tempus viator, qui ſuorum beneficiorum curam, ſine qua tranſire non poſſet, in obſequium ſuum ſcit conuertere & vti ad vtilitatem.* Secundo ſobrium vſum debemus tenere in vſu ſenſibilium & ſenſuum, vt omnes ſenſus corporis à rebus vanis & nociuis cohibeamus, & ad ſola neceſſaria ordinemus. Sic fecit Iob, qui dicit; *Pepigi fædus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine*, & ſic de alijs ſenſibus. Vnde Bernardus. Habeat homo Dei ſenſus ſuos exteriores non duces ſed ſeruientes, vt dicat huic, vade, & vadit; & alio veni, & venit, & ſeruo ſuo, fac hoc, & facit abſque contradictione. Et ſubdit, quia magnus eſt, qui vſum ſenſuum ſuorum nouit expendere in ſuam ſalutem & vtilitatem, & omnes in obſequium Chriſti ſcit conuertere & ordinare. Et talis optimè ſibi credendus eſt in quacumque multitudine conuerſetur. Tertiò ſobrium vſum teneamus in vſu motuũ interiorũ, oẽs motus illicitos in ſuis principijs cohibentes; hoc. n. maximè placet Deo. Quod pulchrè figuratũ legimus in Philiſtæis, qui dixerunt ad regẽ ſuum; quomodo hic melius poterit placare Dominũ ſuum, quã in capitibus noſtris? Sic dæmones cõflantes intra nos motus illicitos, dicere poſſunt, quomodo quis placare poteſt melius Dominũ ſuũ, quã ſi principijs taliũ motuũ reſiſtat; Quod cum quis facit, facilius poteſt eos euadere. Et hoc vtique ſtat in poteſtate noſtra. *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quod exponens Bernardus dicit; poteſt quidem diabolus excitare in nobis tentationis motum, ſed in nobis eſt, ſi volumus dare conſenſum. Nemo enim in hoc certamine deijcietur inuitus. De hoc triplici vſu dicit poſtillator ſuper illud Prou. Mulier gratioſa inueniet gloriam. Meritò laudanda eſt mulier quæ res domeſticas ad vtilitatem, familiam ad honeſtatem, & ſeipſam ad morum honeſtatem benè regit. Sic anima deuota eſt glorioſa viro ſuo, id eſt Deo, quæ prædicta tria ſub decenti moderamine bene regit, ordinat & diſponit. Nam per hoc quod dicit res domeſticas tangit rerum fruitionẽ; per hoc quod addit familiã, tangit ſenſuum gubernationẽ; per hoc verò quod cõcluſit ſeipsã,

Bernardus. *Matth. 2.* *Sobrius vſus in quibus conſiſtat.* *Prou. 13.* *Bernardus.* *Iob. 31.* *Magnus qui ſenſibus ſuis benè vti nouit.* *1. Reg. 28* *Gen. 4.*

tangit interiorum motuum cohibitionem.

II.

Secundo iuxta Bernardum nos iuſtificat vel ſanctificat iuſtus actus: tunc autem actus noſtri iuſtificant nos, cum circa proximos noſtros iuſtè agimus. Vt ergo actus noſtros proximis exhibendos virtute iuſtitiæ informemus, inſpiciendum eſt illud glorioſum exemplar quod eſt Deus, vt ſecundum formam quam nobis ipſe in ſeipſo & in proximo agendo propoſuit, noſtros actus vt iuſti fiant, ordinemus. Dei enim filius in carne veniens, ſe totum & omnia quæ habebat, hoc eſt res, corpus, & animam pro nobis poſuit. De rebus dicit Hieremias. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam.* Et Apoſtolus, *Scitis quoniam propter vos egenus factus eſt cum diues eſſet, vt eius inopia diuites eſſetis.* De corpore dicit Iſa. *Corpus meum dedi percutientibus &c.* De anima iterum dicit Hierem. *Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum.* His ergo tribus taliter pro nobis poſitis dicitur *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, id eſt, in Chriſto. Et alibi. *Quomodo ego feci miſericordiam vobiſcum, & vos faciatis.* Si ergo actus noſtros iuſtificare volumus, debemus & nos res, corpus, & animam pro fratribus ponere. De rebus dicitur. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* De corpore verò ponendo, habemus exemplum in Chriſto, qui factus eſt pro nobis obediens Deo patri vſque ad mortem. De anima dicitur iterum. *Sicut ille animam ſuam poſuit pro nobis, ita & nos debemus animas ponere pro fratribus noſtris.* Incipientes ergo ab vltimo, hoc eſt, ab anima, eò quod ab illa tanquam a radice cætera ortum habent; nemo enim res vel corpus pro proximo ponit, niſi per charitatē prius ponat animam ſuam. Primo ſi iuſtificari cupimus actus noſtros ad exemplar Chriſti; ponamus pro proximo animas noſtras, nō vt Deus qui in cruce moriens pro nobis animam ſuam dedit, ſed ſic ponamus, vt quod ſalubre eſt animæ, hoc proximo exhibeamus. Et hoc fit cum eum ex omni corde veraciter diligimus, vt videlicet ſecundum regulas legis naturalis ei nolimus, quod nobis fieri minimè cupimus. & quod nobis fieri velimus, ei ſimiliter faciamus: Et iſte eſt facillimus modus ponendi animam pro fratribus. Ad quod ſaluator condeſcendens infirmitati noſtræ hortatur nos dicens; *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.* Nam omnia quæ Deus pro nobis poſuit & exhibuit, charitas eum vrgebat, quam ſi ſolam haberemus, facillimè immò gaudenter res & corpus & animam pro fratribus poneremus. Secundo ſi actus noſtros iuſtificari volumus ad exemplar Chriſti, ponamus pro fratribus noſtris corpus noſtrum; quod ſi ſicut Chriſtus in mortem dare non poſſumus, ſaltem omnes actus de corpore poſſibiles, vt ſunt verba conſolationis, actionis, exhortationis, de malo reprahēſionis, deuotæ orationis, benignæ conuerſationis ipſis exhibeamus, & quæcunque alia fideli exhibitione corporis eis exhibere poſſumus faciamus, taliter agentes vt omnium mores benigna charitate portemus, vt de quolibet noſtro verificari poſſit illud. 2. Machabæorum 15. *Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo &c.*

Actus iuſtus. — *Actus noſtri Chriſti actibus conformandi.* — *Ierem. 12.* — *2. Cor. 8.* — *Iſa. 50.* — *Ierem. 12.* — *Exod. 25.* — *Ioſue. 2.* — *1. Ioan. 3.* — *Ibidem.* — *Ioan. 13.* — *2. Mach. 15.*

Tertio ſi iuſtificari cupimus actus noſtros ad exemplum Chriſti, res noſtras per opera miſericordiæ proximo impertiamur quæ ſubuentio tanto eſt DEO acceptior, quanto res impertiendæ iuſtius habentur, laborioſius acquiruntur, tenuius poſſidentur. Quod in ſcriptura oſtenditur euidenter, quia munus Abel ex iuſta acquiſitione oblatum; aqua David ex laborioſo itinere & periculoſo Deo libata. & minuta viduæ ex tenui poſſeſſione ſacrificata, Deo fuerunt adeo grata & accepta, vt in ſacra ſcriptura æternaliter ſint memoriæ commendata. Nec rerum penuria quenquam poterit excuſare, quia ab vnoquoque hoc requiritur quod habet. *Si multum tibi fuerit abundanter tribue; Si exiguum hoc impertire.* Quod ſi nihil aliud habemus, ſaltem potum aquæ frigidæ

Tob. 4.

exhi-

exhibeamus, pro quo merces à Domino eſt promiſſa, quod ſi & illud non fuerit, ſaltem affectũ bonæ voluntatis exhibere nõ negligamus: quia, ſicut dicit Gregorius, *cor & nõ ſubſtantiam penſat Deus, nec attendit quantum ſed ex quanto offeratur, nec vnquam manus vacua erit à munere, ſi arca cordis repleta fuerit bona voluntate.*

Gregorius

III.

Prius ſenſus.

Tertium principale, quod ſecundũ Bernardum nos ſanctificat, eſt pius ſenſus: piũ autem ſenſum dicimus internam deuotionem, quæ Deo aſpirante tantum inualeſcit, vt in ea Dei præſentia fæliciter ſentiatur. Cum enim ſecundum Bernardum ſit cultus Dei, & maxime talis cultus, qui agitur in affectu, hic vtique cultus in tantum proficit, vt Deus in eo ſua mirabilia operetur. Iuſto ergò nomine pius ſenſus dicitur; pius ex pietate diuina; ſenſus à ſentiendo; per hoc intendſtur quod ille cultus in anima ſentiatur Et hæc videlicet deuotio, licet in noſtra poteſtate minimè ſit, nec iubeamur, quaſi ex nobis ipſis per piũ ſenſum ſanctificari; poſſumus tamen aliquid per hanc gratiam mereri, vt ab ea, tãquam ab infimo incipientes, tãdem aliquando ad hanc gratiam veniamus. Sunt autem tres gradus, per quos in hanc gratiam aſcendimus; ſcilicet per purum intellectum, operis effectum, & diuinum affectum. Si hæc tria in Deum ordinamus, hanc gratiam conſequemur: primò ergo exerceamus nos ad Deum per intellectum, ipſum per iugem memoriam ad Deum erigentes, vt videlicet ſine intermiſſione Deum cogitemus: hoc enim omnes poſſumus; nec eſt aliquis qui ſe de hoc valeat excuſare: & ideò hoc firmiſſimè eſt mandatum. *Caue nè vnquam obliuiſcaris Domini Dei tui.* Et, *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Et *In omnibus vijs tuis cogita illum.* Et pſalmiſt. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui;* Et ſic cogitatio ab infimis releuetur, eo quod terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, iterũ releuetur ſi iterũ defluat ad terrena. Et ſic noſtra cogitatio debet eſſe apud Deum continua. Quod faciebat Iob, qui dicebat, *Ad Deum ſtillat oculus meus,* intellectum oculum ſuum vocans, quem ad Deum ſtillare dixit, eò quod non continuè, ſed per interciſa tẽpora eũ ad Deum erexerit, & ſic nos debemus ſimiliter facere. Secundo exerceamus nos in Deo per operis effectũ, vt operari incipiamus omnia quæ Ieſus Chriſtus in ſua conuerſatione nobis propoſuit facienda. Ad hoc enim induit hominẽ, vt ipſum pro viribus imitemur ex eo pro uocati. Vnde dicit. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum.* quaſi diceret; Sicut ego deſcendens à patre & veniens in mundum non niſi per labores & ſudores doloreſque, patre ſic diſponente, ad eum redeo, ſic ego diſponam vobis, vt ſi poſt me ad eum venire cupitis, eiſdem veſtigijs incedatis, non declinando ad dexteram neque ad ſiniſtram: in quo ſi fideliter agimus, nihil de contingentibus omittentes, & in hoc merebimur vt nobis communicet ſuam diuinitatem: vt ſicut amara ſui hominis imitando bibimus, ſic etiam ſuæ diuinitatis dulcia deguſtemus. Tertiò exerceamus nos in diuino affectu, quam ex Dei præſentia inſtari diuinitus conſequimur, Et ideò vt verius dicamus, non ex noſtro exercitio ſed ex Dei beneficio tanquam principio prædictorum, accipiamus illud donum. Talis diuinus affectus operatur in nobis ardentem dilectionem, ſapientiæ illuſtrationem, Spiritus ſancti nobiliſſimam conſolationem. & multa ſimilia, quæ nemo ad dignum veraciter poterit explicare, niſi Domino Ieſu Chriſto operante. Hanc gratiam conferat nobis Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, Amen.

Cur pius ſenſus dicatur.

Tribus gradibus aſcẽditur ad pium ſenſum.

Deut. 8.

Tob. 4.

Prou. 3.

Pſal. 136.

IN

DE CATHEDRA S. PETRI

SERMO

Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in Cathedra ſeniorum laudent eum. Pſal.106.

DICIT beatus Gregorius. Quanto electi & dilecti Dei amplius diliguntur, tanto in tritura perſecutionis durius conterentur. Sed quia beatus Petrus in cœleſti patria, vt Catholicè & religioſe creditur, in multis eſt præ cæteris ſublimatus, ideò oportuit, vt in hac vita duros etiam ſuſtineret cruciatus. verum ſciendum eſt, quod antequam perueniret ad cœleſtis patriæ exaltationem, tribus vicibus & modis ſuper terram legitur exaltatus: fuit enim exaltatꝰ per electionē; per operationē; denique per paſſionem. Iiſdem modis & nos in terris exaltari oportet, priuſquam in cœlis exaltari mereamur.

I.

Prima Sancti Petri exaltatio Antiochiæ facta eſt, cum à Chriſti fidelibus ſiue ab Eccleſia in ſummum pontificem electus, & per cathedralem honorem ſupra vniuerſos ſublimatus fuit.

Quod tamen non ſolum factum eſt à fidelium electione, ſed Dei iam dudum præordinatione. Nam in eo quod dixit ei; *Petre amas me, paſce me oues meas*. in hoc ipſum ſuper eccleſiam pontificem ordinauit. Ter Dominus hæc verba repetijt, dans ei in eiſdem verbis pontificatus dignitatem, & ligandi & ſoluendi, aperiendi cœlum & claudendi auctoritatem, vt patet apud Matth. Etiam in hac trina replicatione verborum, *Petre amas me,* Dominus intendebat quod Petrus cum omnibus ſuis ſequacibus populum ſibi ſubiectum tripliciter deberet paſcere, quaſi diceret: Si diligis me, paſce verbo, paſce exemplo & paſcere oratione. In quibus verbis paſtorum conſcientia ſtrictiſſime conuenitur. De quo Bernardus: *Dignum quippe eſt, vt qui lana & lacte paſcuntur ab ouibus, ipſi prædictis tribus ſimiliter oues paſcant*. Et qui non fecerint audiant quid contra eos Dominus dicit, *Væ paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos: Nonne oues à paſtoribus paſcuntur, lac comedebatis & lanis cooperiebamini &c.* Et ſubdit. *Paſcebant paſtores ſemetipſos, & gregem meum non paſcebant. Ecce ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, &c.* In his verbis paſtores ad fideliſſimam cuſtodiam paſcendi oues admonentur. Quia *duriſſimum iudicium fiet his qui præſunt*.

Ioan.19. Matt.16. *Paſtorum eſt tripliciter paſcere.* *Bernard.* *Ezech.34.* *Sap.6.*

Secundo Petrus exaltatus eſt per operationem. Cum enim tam fideles quam infideles vidiſſent, quod tantis miraculis in ſuis operationibus coruſcaret, vocabant eum, non hominem, ſed Deum, dicentes. *Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* Quorum errorem in profundum humilitatis ſe proſternens correxit dicens. *Quid nos intuemini quaſi propria virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare. Deus autem Abraham, Deus Iſac, Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum.* quaſi dicat, non nos exaltate, ſed Dominum in his operibus, quia propter vos mirabilia operatur: intantum ergo Petrus extitit exaltatus & inſignitus prodigijs & miris operibus magnificatus, vt in plateis ponerēt infirmos in lectulis & grabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra eius obumbra-

2. exaltatus per operationē miraculorum. *Act.14.* *Act.3.*

ret

ret quemquam illorum , & ſanarentur à languoribus ſuis. Tertiò, Petrus exaltatus eſt in paſſione, cum à perſecutoribus leuatus à terra ſuſpenditur in cruce pedibus ſurſum, & capite demiſſo in terram per paſſionem crucis finiens vitam in nomine Ieſu Chriſti: & ideò ſciendum propter has tres exaltationes, quibus ſuper terram meruit exaltari; etiam ſponſa Chriſti Eccleſia ſancta triplex de eo feſtum inſtituit celebrare, volens vicem reddere ſuę triplici exaltationi. Nam propter primam exaltationem, ſcilicet electionis, præſens feſtum inſtituit. Propter ſecundam exaltationem, ſcilicet operationis, inter quæ non minimum fuit eius mirabilis ab angelo de carcere liberatio, celebratur feſtiuitas, quę vocatur Petri ad vincula. Propter tertiam exaltationem, ſcilicet paſſionis, etiam feſtũ ſpeciale ſolenniter celebratur. Has exaltationes intuens Bernardus, dicit: *Conſiderãs quod Petrum manus omnipotentis regni cæleſtis clauibus inueſtit, ſuper quem fundatur Eccleſia, cui poteſtas ligandi & ſoluendi traditur, qui cælos claudit & aperit, quod Cherubin & Seraphin habere non legitur, vehementer admiror.* Et ſubiungit: *Conſummatus honor & dignitas glorioſa hominem in terris poſitum, in cælis imperare, & in terra ſuper angelorum choros iudiciariæ poteſtatis habere virtutem. Aſſiſtũt angeli, præſident, imperium expectantes, & adminiſtrationem ſpiritus ſibi miniſterio ſortiuntur, ſed ligandi atque ſoluendi nullus eorum excipit poteſtatem. Adeſt Petrus, & ad eius imperium vniuerſitas orbis ſoluitur & ligatur. Et præcedit ſententia Petri ſententiã Saluatoris. Quia non quod Chriſtus ligat, Petrus liget. Sed quod Petrus ligat, Chriſtus ligat, & iudicia eius confirmat omnipotens.* Et ſciendum, quod hęc triplex exaltatio ex triplici radice ſumpſit exordium. Primò Petrus exaltatus fuit per electionem ex Chriſti inſtitutione prius. Audiens enim Eccleſia, quod Chriſtus in terris Petrum ſummum Pontificem inſtituit in his verbis. *Simon diligis me plus his, paſce oues meas*, eandem inſtitutionem per ſuam electionem producere voluit ad effectum.

3. Exaltatus in paſſione.

Propter tres exaltationes etiam tria feſta.

Bernard.

Triplex exaltatio vnde exordium ſumpſit.

Secundò exaltatus fuit per operationẽ propter cognitionem illuminatiorem, vnde cum Saluator quæreret à diſcipulis de ſua cognitione. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Reſpondit Petrus tamquam præ omnibus illuminatior. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Cui dominus. *Beatus es Simõ Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi*, quaſi dicat, hanc cognitionem non habes niſi ex infuſo lumine veritatis: & vt Deus hanc aſſertionem probaret eſſe veriſſimam, vtpote ſuper quam tanquam ſuper fundamentum ædificaret Eccleſiam, meritò debuit Petrum præ cæteris honorare, & tanquam ſectatorem profundiſſimæ veritatis ſignis mirabilibus in ſuis operibus exaltare. Tertiò exaltatus fuit in paſſione per charitatem feruentiorem, vt ſicut ipſe Deum præ cæteris plus dilexit, dicente domino, *Diligis me plus his*; ſic etiã eum debuerit in paſſione proximiꝰ imitari. Omnes enim martyres, qui digni inuenti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati & paſſionis ſubire tormẽtum, ex radice charitatis veraciter acceperunt. Quis enim dura tam gaudenter poſſit ſubire tormẽta, ſi non ad hæc patientia inclinaret & violentia charitatis. Hinc Auguſtinus: *Quomodo corruptibilis puluis contra tam immania tormenta duraret, niſi in eo Chriſtus habitaret, & hoc per affectum dilectionis.* De prima exaltatione dicit pſ. *Exaltaui electum de plebe mea.* De ſecunda ſimiliter. *Dextra domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me.* Per dexteram miracula intellige, quæ ſolus Deus in ſanctis ſuis operatur. De tertia dicitur: *Exaltauit eum de terra.* Et hæc de exaltatione huius glorioſi principis dicta ſufficiant.

Matth. 16.

Auguſt.

Eccl 46.

II.

Nunc dicẽdum eſt, quibus exercitijs nos exaltari debeamus, vt ſic electa exaltatione præmiorum, non terreatur exercitatio laborum. Si ergò huius principis exaltatione tamquam fimbriam tangentes, conſequi cupimus, oportet nos per prędictos modos tranſire; & inſiſtere exercitijs eorumdẽ. Primo cupientes exaltari hic per vitæ meritũ, & in patria per gloriæ præmium, incipiamus ab electione, quod tunc facimus ſi per gratiã S. ſancti intrinſecus compuncti incipimus inſpicere vitã noſtram, bonũ & malum

Exaltatio noſtra prouenit ex tribus. 1. Electione.

malum;cœlum & teram; cœleſtem iucunditatem;inferni calamitatem; momentaneam delectationem,& æternam damnationem,mentis noſtræ oculos intrantes, & inter iſta deliberato conſilio diſcurrẽtes, ipſa prout ſunt iuſta ponderatione conſiderantes, quid inter iſta potiſſimum ſit eligẽdum;acutiſſimè conſideremus. Ponderemus,inquam, vtrum propter momentaneam delectationem mereri expediat æternã damnationem. Et vtrum propter terrena bona expediat carere cœleſtibus; cum futura bona ſint præſentibus in infinitum meliora & omnibus præſtantiora.Nec dubium ſi bene ſine diſſimulatione vtrobique inſpicimus,quin Deum cũ ſuis bonis eligamus, & mundũ cum indignatione magna vt cõtrarium reſpuamus,iurãtes& ſtatuentes cuſtodire iudicia iuſtitiæ eius; quod ſtatim vt factum fuerit, eligit nos Deus, transferens nos de ſeruis diaboli:& facit nos filios Dei, & ex hoc nõ ſumus modicum exaltati, diciturque nobis Deus illud Deutero. *Dominum Deum tuum hodie elegiſti vt ſit tibi Deus & ambules in vijs eius En elegit te hodie Dominus,vt ſis ei populus peculiaris, & faciet te excelſiorem cunctis gentibus,quas creauit,in laudem & gloriãm ſuam.* An non ſumus vehementer multum nimis exaltati,cum de ſeruis diaboli adoptamur in filios Dei? Quid enim ignominioſius diabolo? Quid glorioſius Deo? Niſi quod adhuc neſcio quid ignominioſius ſonat, eſſe ſeruum diaboli, quam Dominum eſſe cœli: Omnes .n.ſerui dominis ſunt inſeriores, & omnis Dominus in quantum talis,ſuperior eſt ſeruo ſuo. Hinc apud Ioannem;*Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*; imo peccatum ex homine facit diabolum,iuxta illud *Nonne ego vos elegi,& vnus ex vobis diabolus eſt?* Ecce quanta ignominia &c.Et ſic patet quod ex noſtra electione, qua Deum eligimus exaltamur vehementer. Secundo exaltamur per operationem,cum iam filij Dei facti,& ſpiritu filiorum Dei inſpirati auidè currimus viam Dei. Quod tunc velociter & fideliter facimus,ſi omnia opera noſtra Deo exhibenda omni conatu facimus, cõmunẽ ſtatũ excedentes operum aliorum; non contenti communibus obſequijs, ſed quantum vires ſuppetunt cum diſcreto exceſſu ſingularia

Deut. 26. — Ioan. 8. — Ioan. 6. — 2. ex operatione.

faciamus,vt dicere poſſit vnus quiſque illud Eccleſ. *Magnificaui opera mea*. Exceſſus autem diſcretus reputetur ex duobus; ſcilicet ex multitudine & conamine,hoc eſt, vt multa faciamus bona opera & eadem cum conamine,hunc conatum operum tamdiu continuantes quouſque de exceſſu operum perueniamus in exceſſum mentis.Hunc exceſſum docet Bern. dicẽs.*Bonum eſt homini ſua obſequia ad cumulum dare*. verbi gratia. Sufficit ad ſalutem moleſtiam ſufferre patienter,ſcilicet cumulus eſt etiam in feruore deuotionis& ſpiritus,eas amplecti libenter. ſufficit ad ſalutem ſuperflua non requirere ſed nec propter ipſa ſi deſunt murmurare: Sed cumulus eſt exultare & libenter quærere,quomodo alius habeat, magis ipſe penuriam patiatur.Sufficit quidem ad ſalutẽ ſi nec impatientia nec fraude aliqua ad illud quod deſideras, velis inuitum animum prælati tui inclinare; ſed cumulus eſt etiam fugere ea.& oblata reſpuere in quibus voluntatem tuam ſenſeris oblectari. Tertio exaltamur per paſſionem, cum nos quibuſdam exercitijs paſſioni ęquiualentibus ſtrenuè exercemus; Nam cum per propriorum meritorum exercitia ſancti homines ad cõtemplationis gratiam admittuntur, tũc ab omni ſpecie terrenæ conſolationis ſe elongant,vt bonis cœleſtibus abundantius perfruantur; quibus vtcunque guſtatis,cũ more ſuo ſe ſubtraxerint,fit amaritudo amariſſima impatienti deſiderio & languere incipiunt vehementer. Cum enim ad carnales delectationes redire libeat nec liceat, ambobus carentes & tanquam inter cœlum & terram ſuſpenſi amariſſimè cruciantur, & tales cruciatus æquiualent paſſioni. De hac paſſione dicitur apud Iob; *Suſpendium eligit anima mea, & mortem oſſa mea.* Quod exponens Greg. dicit,quid per animã niſi mentis intentio, quid per oſſa niſi carnis fortitudo deſignatur? Omne autem quod ſuſpenditur, proculdubio ab imis eleuatur;Anima verò ſuſpendium eligit, vt oſſa moriãtur; quia dũ mentis intentio ad alta ſe ſubleuat,omnẽ in ſe carnis fortitudinem necat. Sancti enim viri certiſſimè ſciunt,quia habere requiem in hac vita nequaquam poſſunt,& idcircò ſuſpendiũ eligunt,quia terrena deſideria deſerentes ad

Eccleſ. 2. — Bernard. — 3. ex paſſione. — Iob. 7. — Gregorius.

alta animum tollunt; ſuſpenſi autem oſſibus ſuis mortem inferunt, qui amore ſupernæ patriæ virtutum ſtudijs accincti, qui prius fortes in mundo fuerant, ſuſpenſi occidunt: de hoc martyrio etiam dicit Greg. *Cum gratia contemplãtibus celerius non ſubuenit, fit obſeratum cælum æneũ & terra ferrea. Et cum relicta ſibi humani cordis duritia ad votum exaudiri non meretur, anxietas deſiderantis negari ſibi exiſtimat quicquid differtur.* Neſcio an ipſam gehennam experiri ad tempus horribilius pænaliusve dicatur, quam poſt ſpiritualis ſtudij guſtatam ſuauitatem exire denuò ad illecebras & moleſtias carnis. Tales ergo crucifixi, etſi nõ ferro ſanguinem fundant, Petri tamen corporali martyrio adæquantur.

Idem.

DE SANCTO MATTHIA. SERMO.

Sors cecidit ſuper Matthiam. Actuum 1.

SAlomon ex perſona Dei dicit. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.* In quibus verbis ſubtiliſſimè deſcribitur Dei commonitio, qui ſortem ſuæ cõmonitionis ſuper nos proijcit, vt quiſque audiat, vigilet, & obſeruet. Qui enim hos tres cuſtodes ad oſtium cordis ſui poſuerit, ſcilicet audientiam, vigilantiam, & obſeruantiam, quantumcunque furtivè venerit, non poterit ignorare: de hac diligenti cuſtodia dicit Bernardus. *Veniens ad nos, non facile obſeruatur vnde veniat, aut quo vadat, ac iſtud forte ſine damno ſalutis; licet quando veniat aut quando vadat, illud planè periculoſiſſimè quandoq; ignoretur.* Cum autẽ hæc tria, vt ſupra, nõ obſeruentur, ſic vt nec abſentem deſideres, nec præſentem glorifices, ideò recedit vt auidius quæratur, quo non adeſſe reſcitur, & dignanter ad hoc redit, vt conſoletur &c. Hinc eſt, quod qui ſortem Dei vocantis contempſerit, ideò damnandus eſt, quia nec præſentiam, nec abſentiam eius curauerit, propter quod tales cænam domini non guſtabunt, auertet ſe ab illis tanquam reprobatis, & conuertens ſe ad electos, ſortem ſuæ vocationis ſuper eos proijcit, qui pulſantem audiunt & intromittunt: Sicque contingit, vt vno eodemque modo dulciſſimo monente, alij indurentur vt pereant, alij emendentur, vt ſaluentur, ſicut de ſole vno & eodem aliæ res molleſcunt vt cera, aliæ indureſcunt vt lutum. Si ergo iam pulſans à reprobis non auditur, dicet eis: Amen dico vobis, neſcio vos. Intromiſſus autem ab electis ſtatim in medio eſt terræ ſalutis, & incipit operari ſalutem hominis, id eſt, dat gratiam ſuam ei, quem inhabitat: ex gratia enim adiuuãte & conſenſu ſe inclinante perficitur ſalus: iuxta illud *Ego ſto ad oſtium & pulſo, Si quis mihi aperuerit, introibo ad eũ & cænabo cum eo.* Vbi duo tanguntur, ſcil. gratia pulſans & cõſenſus aperiẽs. Intrat, quia intromiſſus, ſed æqualiter non inhabitat. Legitur enim in Euangelio, quod aliquando occultè, aliquando manifeſtè erat in templo. Sic occultè inhabitat nos per fidem. Cum autem homo bonis operibus & virtutibus fuerit exercitatus in corde ſuo per vehementem ignem charitatis. Tunc iam non ſolum ſicut puer pannis inuolutus per fidem iacet in præſepio cordis noſtri; ſed quaſi denudatus habetur manifeſte in cruce per charitatem affectus incenſi: intromiſſus ergo per conſenſus inclinationem, animam noſtrã perficiendo in nobis quinque paſſibus, tamquam quinque profectibus nos promouet vſque ad perfectum perficiens vitam noſtram. Primò conſcientiam purificat pænitentiam infundendo. Secundò mentem fortificat reſiſtẽtiam conferendo. Tertiò bona opera multificat, nobiſcum efficaciter operando. Quartò virtutes ædificat, animam coronando. Quintò nos ſanctificat ſiue perfectificat deuotionem

Sors Dei, quæ cadit ſuper nos.

Bernard.

Apoc. 3.

Propoſitio Quinque paſſibus projicitur vita noſtra perficitur.

tionem noſtram diuinitus aſpirando. Et his profectibus perficitur vita beata. Deus

1. *Paſſus profectus noſtræ vitæ.*

primò conſcientiam purificat à fœdis peccatis pœnitentiã infundendo, eò quòd nulla conuenientia ſiue commanſio poteſt eſſe lucis ad tenebras, diuinæ maieſtatis, & noſtræ iniquitatis. Statim ergò, vt ingreſſus fuerit per radios ſuæ diuinitatis impingit in tenebras, & diſſoluit, & diſſipat in momento, & in ictu oculi, quicquid inuenerit fœditatis; quod ſic contingit: nam ad lumen ſuæ præſentiæ non poteſt anima mala quæ commiſit, ignorare; ſed ſtatim, vt cognita fuerint, diſplicent vehementer, quæ autem diſplicent, pœnitet commiſiſſe. Sic ex Dei præſentia ſurgit animæ cognitio, & ex cognitione procedit diſplicentia, & ex illa pœnitentia, quam ſequitur peccatorum remiſſio: non enim ſe poterit continere illa benigna dulcedo & dulcis benignitas, quæ eſt in viſceribus miſericordiæ Dei noſtri; cum ex corde nos pœnitere & dolere cognoſcit, quin ad gemitum noſtrũ offenſam in ſe commiſſam miſericorditer indulgebit. Sed quid prodeſt pœnitere de culpa, ſi non datur animæ gratia continendi?

2. *Paſſus.*

Laui pedes meos, ait ſponſa in Canticis, *quomodo iterum inquinabo illos?* Idcircò ſecundo Dei præſentia mentem fortificat, reſiſtentiam conferendo. Modicum enim prodeſt prima gratia, ſcilicet remiſſio peccatorum, ſi non ſubrogatur virtus & gratia continendi: fieret enim ſine dubio error nouiſſimus peior priori, & recidiuanti ſecundum aliquid peius fieret quàm iacenti. Sed quia hæc gratia ex parte à nobis eſt, vt videlicet occaſionem recidiuandi nobis ſubtrahamus; ideò conſulitur nobis.

Occaſio recidiuãdi ſubtrahenda. *Eccl. 10.*

Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. ac ſi dicat. Si valida tentatio inuaſerit te, timore, ne conſenſeris, eligens magis vri quàm mori. Efficacior autem & cautio reſiſtentia eſt, vt cuilibet impugnationi in principio reſiſtamus, vt vitia impugnantia dicere poſſint illud.

1. Reg. 29.

Quo modo melius poterit placare dominum ſuum, quam in capitibus noſtris. Quia vitia in modum ſerpentum ſe habent, qui vbicunque caput inſerunt, facillimè ſequitur totũ corpus. Ergò principijs obſta; quia valde fœdum & indecens eſt coram Deo, ſi quis per gratiam emundatus à peccatis ad lutum redea, iterum ſpurcitijs peccati ſe deformãs. Tales enim immundiſſimis feris comparantur, ſcilicet, *cani qui redit ad vomitum, & ſui lotæ in volutabro luti.* Ideò Bernard. *Si dixerit mihi Ieſus, dimittuntur tibi peccata tua, & ego peccare non deſino. Quid proderit exui tunicam ſi reinduo.* quaſi diceret, non prodeſt, ſed plus nocet. Denique qui me ſaluum fecit ipſum mihi dixiſſe recordor. Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi contingat.

Prouer. 26. *2. Pet. 2.* *Bernard.*

3. Paſſus.

Tertiò inhabitans in corde noſtro bona noſtra multiplicat nobis cooperando: nam ſi ſoli ipſa faceremus, nihil nobis proderunt ad ſalutem, ſed valor & acceptabilitas eorum ex operante ſpiritu æſtimatur. Spiritus enim ſanctꝰ grata facit ea Deo patri, & format ipſa ad exemplar operum domini noſtri Ieſu Chriſti: opera autem Chriſti quinque ſignis perfectiſſimè comprobantur; in quibus quantũ ipſum imitabimur, tanto Deo magis erunt accepta.

Quibus ſignis Chriſti opera comprobentur

Habebant autem opera Chriſti difficultatem, promptam voluntatem, feruentem charitatem, perſeuerantem longanimitatem; & faciens omnia, non ad ſuam ſed ad noſtram vtilitatem. De primo, quod opera Chriſti habebant difficultatem, dicitur apud Marc. *Cepit Ieſus pauere & tædere, & mœſtus eſſe & dixit. Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.* Et apud Lucam. *Factus in agonia, prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, tanquam gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Quod reuera ex difficultate præcõceptæ mortis fuit, & ex imaginatione crudeliſſimæ paſſionis.

Marc. 14. *Luc. 22.*

Secundò, cum promptiſſima voluntate fecit opera ſua. *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* Et ad Hæbreos. *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.*

Ibid. *Hebr. 12.*

Tertio ex feruenti charitate fecit opera ſua. *Maiorem charitatem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, quaſi dicat, quam & ego etiam pro inimicis pono &c.

Ioan. 15.

Quartò ex perſeueranti lõganimitate Chriſtus fecit opera ſua; quia viuus de cruce non deſcendit, ſed conſtans permanſit vſque emitteret ſpiritum. Quinto, in omnibus his non quæſiuit, quod ſibi vtile

bi vtile eſſet, ſed q; nobis omnibus cederet ad ſalutem. His quinq; modis Chriſtus Ieſus exiſtens in hoc mundo opera ſua perfecit nobis in exemplum. Si ergò volumus facere opera Deo accepta, debemus facere opera difficilia, voluntaria & feruida, & cũ conſtanti perſeuerantia; & in his omnibus non noſtram vtilitatẽ, ſed Dei gloriã quęrere debemus; & ſic efficaciter operemur.

Noſtra opera iiſdẽ ſignis comprobanda.

4. Paſſus.

Quartò Deus inhabitans in nobis vlterius progreditur plantans & ædificans in nobis virtutes; nihil enim omnia prædicta placerent Deo, ſi non eſſent virtutibus adornata: ſicut dicit Bernardus. Deus qui virtutum dominus eſt, nequaquam cordis noſtri thalamum ingreditur, ſi non fuerit lectulus cordis virtutibus adornatus, & ſubdit. Quantumcunque te affligas, quantumcunque te crucies, non ſui copiam tibi tribuit niſi fueris virtutibus adornatus. Debemus ergò eſſe ornati, præcipuè tribus virtutibus theologicis, ſcilicet fide, ſpe & charitate; tandem etiam iudicio, miſericordia, & iuſtitia, de quo apud Michæam 6 *Indicabo tibi. ô homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat à te. Vtiq; facere iudicium & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum exhibẽdum eſt nobis. Secundum proximo. Tertium Deo. Primò ergò inſtauremus iudicium cõtra noſmetipſos de omnibus cogitationibus, affectionibus, locutionibus, & operationibus malis nos ſubtiliſſimè dijudicantes, nec aliquid iſtorum nos tranſeat, quod non diſcutiatur & dijudicetur; & ſi quid inuentũ fuerit, quod non liceat, deceat, vel expediat, puniatur, & in reliquum corrigatur. Tale iudicium ſupra modum placet Deo, & præparat locum Deo. Pſ. *Iuſtitia & iudiciũ præparatio ſedis eius.* Illud autem iudicium non niſi propter nos à nobis exigit: *quia ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur*; dicit Apoſtolus. Secũdo habeamus miſericordiam ad proximos, bona eorum opera magnificantes, & mala fideliter excuſantes: hinc Bernardus. *Caue ſerue Dei alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex; & ſi perperam rem comprehendis commiſiſſe, nec ſic proximum iudices, magis autem excuſa intentionem, ſi opus excuſare non potes. puta ignorantiam, puta occaſionem, puta ſubreptionem. Quod ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, dicito nihilominus apud te. Nimis vehemens fuit iſta tentatio, quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me poteſtatem?* Tertio ambulandum eſt ſollicitè cum Deo, qui tanta ſollicitudine nos & omnia opera noſtra intuetur, vt etiã dinumeret greſſus noſtros. teſtante S. Iob. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis.* Omni ergò cautela & omni diligentia eius debemus cauere diſplicentiam &c.

Mich. 6.

1. Cor. 11.

Bernard.

Iob. 14.

5. Paſſus.

Quintò Deus habitans in nobis omnem vitam noſtram ſanctificat, interiora noſtra diuinitus inſpirando: quod contigit cum per priora exercitia benè humiliati, diſpoſiti & præparati ſentimus in nobis flagrantem ignem charitatis, qui videlicet ignis ex abundanti copia omnium gratiarum copioſas benedictiones ſecum affert, ita quod impletur in nobis illud ex perſona Dei *Modicum habuiſti antequam venirem ad te, nũc autem benedixit tibi Deus ad introitum meũ.* Et licet Deus aduẽtu ſuo varijs benedictionibus nos replet, maximè tamẽ benedictione triplici, ſc. mutationis, augmentationis & benedictionis. Primò affert ſecũ benedictionem mutationis, mutans maledictionẽ veteris hominis in benedictionẽ. Nam antequã veniret dominus ad nos illi ſubiacuimus maledictioni, de qua dicitur in pſ. *Maledicti qui declinãt à mandatis.* Et iterũ alibi: *Maledictus qui ſeruit indignis ſe.* Et quia ſeruiuimus mancipio corporis noſtri, q; reuera indignius & ignobilius eſt quã nos, & per conſequẽs ſeruiuimus diabolo & peccato, de quo dicitur. *Qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati.* Et ſic ex his omnibus fuimus maledicti; & hęc maledictio mutata eſt in benedictionẽ, ex cuius virtute omnia in nobis cooperantur in bonũ. Secundò portat ſecum benedictionẽ augmentationis cumulãs ſuper nos merita, vt impleatur in nobis illud Gen. *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini.* Ac ſi benedicẽs dicat. *Creſcite,* ſc. in meritis, *& replete terrã* corporis veſtri virtutibus merita cumulãtes. Tertiò benedicit nos benedictione ſanctitatis vel ſanctificationis, quia ex eius benedictione intus & extra per omnia ſanctificamur: vnde pſ. *Hic accipiet benedictionem à domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Et hanc nobis præſtet &c.

Gen. 30.

Deus in aduentu ſuo triplicem affert benedictionẽ.

Pſal. 118.

Eccl. 25.

Ioan. 8.

Pſal 23.

DE SANCTO GREGORIO.
SERMO

Negotiamini dum venio. Luc.19.

INter ſupremos negociatores fidelis & prudens negotiator fuit S. Gregorius, qui nō ſolum in tempore ſuo, hoc eſt, in vita ſua, verbo & exēplo negotia domini fideliter peregit, ſed vſque ad finem ſeculi vel ad diem nouiſſimum ſcriptis ſuis dulciſſimis aurū & lapides pretioſos ad ædificationem Eccleſiæ non ceſſat cōportare, ita vt poſſit de eo verificari illud Zachar. *Non erit vltra mercator in domo domini*, ſcilicet ſimilis illi. Et illud Eccl. *Non eſt inuentus ſimilis illi*, ſcilicet, in doctrina veritatis; ipſe fuit, qui meritò audire meruit à domino: *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam &c.* hæc de laude eius breuiter dicta ſunt. Nunc conuertamus negotium ad noſmetipſos, eo quod etiam nobis dictum eſt verbum propoſitum. *Negotiamini dum venio.* Negotiemur ergo in ſpiritu interioris hominis, eo quod illa negotiatio melior eſt negotiatione auri & argenti. Illa loca apta ſunt ad lucrandum, vbi non longè ab inuicem ſunt loca forenſia & multæ nundinæ, & vicinæ, eo quod mercatores ſua mercimonia ad eadem loca vicina faciliter poſſunt tranſportare. Volentes igitur mercari & negotiari quod in æternum expedit, ingrediamur interiora noſtra colligantes ſarcinunculas noſtras. id eſt, intellectum & affectum mentaliter diſcurrentes ad loca vicina, quæ & ſi longè alicui diſtare videntur, vtpote cælum & infernus, ſpiritu tamen proxima ſunt, & mente omnia velociter percurrere poſſumus, ſine quouis obſtaculo retardante; quia in imagine velociter currit homo, & in ictu oculi pertranſit omnia loca. Primò ergo collectis ſarcinulis noſtris, ſcilicet intellectu & affectu, curramus introrſum ad nundinas.. Primò ad negotiationes peccatorum. Secundò ad nundinas defectuum noſtrorū. Tertiò ad conſiderationem beneficiorum. Quartò ad vanitates mūdi. Quintò ad nūdinas pœnarū infernaliū. Sextò ad forū regni cælorū. Septimò negotiemur aliquid apud Deū Deorū. Primò negotiemur circa materiam peccatorum noſtrorum, ponderantes & menſurantes & numerantes multitudinem & magnitudinem peccatorum; in his nundinis tamdiu nos exercentes, quouſque lucremur merces omnibus mūdi diuitijs meliores, quod eſt pœnitentia ſalutaris: nam in ponderibus & menſuris datur & accipitur aliquid; ſic & nos pro pondere peccatorum accipiamus pœnitentiam ſecundum qualitatem & quantitatem peccatorum: & hæc commutatio erit nobis melior & vtilior, quam omnes diuitiæ huius mundi; & hoc eſt primum lucrum, quod in hoc foro lucramur, ſine quo nullum lucrum in reliquis cōſequimur. Quod ſi hoc lucrum, ſcilicet pænitētiam iterum ad aliquid lucrandum (ſicut prudentes mercatores faciunt) exponimus, tunc conſequimur iterum illo theſauro meliorem, ſcilicet, remiſſionem omnium peccatorum; hoc enim conſequens eſt. Quam citò homo dat pænitētiam pro peccatis ſuis, tàm citò etiā accipit peccatorum ſuorum remiſsionem. Hinc Bernardus. Ad veram cognitionem peccatorum immediatè ſequitur pænitētia ſine vllo interuallo: nam qui verè cognoſcit malum quod ex peccato incurrit, à pænitētia ſe nullo modo cōtinere poteſt: multo minus Deus cuius proprium eſt miſereri ſemper & parcere, à remiſsione ſe continet; cum viderit pænitētiā veram eſſe. hoc ergo lucro magno conſecuto, ad alias nūdinas properemus.

Secundò ergò curramus ad nudinas defectuum noſtrorum: hæc enim mercatio immediatè ſequitur ad prædicta; homo enim

Marginalia: Zach.14. — Eccl.44. — Matt. 25. — Propoſitio — Prou 3. — *Negotiādum nobis circa* — *ſeptem.* — *1. negotiādum circa peccata.* — *Lucrum huius negotiationis pœnitentia & remiſſio peccatorū.* — *2. Circa defectus noſtros.*

nim ſentiens ſe per alleuationem conſciētiæ, & atteſtationem Spiritus ſancti remiſſionis gratiam conſecutum, mira deuotione accingit ſe ad gratias offerendas, ſed ecce aſſunt qui nos impediunt, videlicet defectus noſtri & reliquiæ peccatorum, inquietantes nos, vt ad gratias referendas caput erigere non valeamus, & tunc primum incipit apparere negotij noſtri difficultas. Cū enim ex prima gratia creſcit voluntas, vt prompta ſit ad faciendum quod nouit placitum eſſe Deo. Et ipſi defectus adhuc crudi ex vulneribus nouiter ſanatis impediunt nouam voluntatem, dolor ſuper dolorem cauſatur, & anxietas multa nimis, lugens plus defectus quam prius ipſa peccata. Vnde Bernardus. *Benignus Deus non permittit electum ſuum in principio plus lætari quam debet, ne forte ex nimia ſpe adepta gratia ſequeretur elatio & mentis diſſolutio.* Et ſic remanent aliqualis difficultas vt peccata præterita plus innoteſcant. In hoc ergo foro ſi ſaltem in his nundinis fideliter intenti fuerimus, mercabimur lucrum bonum & vtile quod non mediocriter niteſcit in theſauris ſpiritualibus, ſcilicet humilitatem quæ præ cæteris virtutibus multum Deo placet, & quæ ſuper omnes mundi diuitias facit homines ditiores. Et homines ſic gratos reddit Deo vt dicat per Iſaiam prophetam. *Ad quem reſpiciam niſi ad humilem & quietum & trementem ſermones meos &c.*

Lucrum huius negotiationis humilitas.

Iſa. 66.

3. Circa beneficia à Deo accepta.

Mitigatis aliquantulum defectibus noſtris, tertio diſcurramus ad nundinas beneficiorum noſtrorum à Deo receptorum, ruminantes in cordibus noſtris quæ & qualia & quanta beneficia nobis dedit, & inueniemus quam indebita miſeratio, quam gratuita dignatio, quam ſtupenda dulcedo ſit quæ inclinat Deum, vt miſereatur noſtri. Quis enim eſt iſte benefactor, reuera Deus, cuius magnitudinis non eſt finis; qui bonorum noſtrorum non indiget ſufficiēs ſibi; & tamen cor ſuum dulciter poſuit ſuper nos miſeros & indignos, ac ſi ex gratia noſtri dependeret omne bonum ſuum. Qualia autem & quanta beneficia nobis contulit Deus ſciendum, quod contulit nobis optima, quæ habuit. Omnia enim ſub pedibus homini ſubiecit & cæleſtia & terreſtria. Optimum theſaurum ſuum cælum aperuit, & de cœlis ad terram deſcendit, & ſeipſum homini contulit. Ex his ergo nundinis mercabimur nobiliſſimam & precioſiſſimam margaritam, ſcilicet charitatem, quæ ſuperat & excedit omne aurum & argentum, quæ eſt virtus nobiliſſima; & nihil hominem plus inclinat ad diligendū, ſicut beneficia creatoris; de quo Auguſtinus. *Ad Dei dilectionem in nobis excitandam, nutriendam, & augmentandam, nihil ita valet, ſicut beneficiorum eius diligens & frequens conſideratio.*

Lucrum charitas eſt.

Auguſt.

4. Circa mundum.

Quartò ergo ingredienda eſt regio diſſimilitudinis, ſcilicet mundus iſte, & vide quam frequentes ſint ibi nundinæ, quantæ geminent bonitates, vade, & per forenſes tumultus, & hinc inde decertantes circumſpice: & quantum colligo, in tribus rebus omnis voluptas conſiſtit; Alij enim diuitiis; Alij carnis delitijs; Alij gloriæ innituntur: de diuitijs dicit Bernardus. *Curris ad Indiam & Æthiopiam, citius pertranſis maria nauigando quaſi totum orbem vt diuitias congreges, fugis patriam, ignoras filios, diuelleris ab vxore, omnem rectitudinem oblitus quæris vt acquiras, acquiris, vt perdas, perdis vt doleas.* Et hoc de diuitijs; audi breuiter de honoribus. *Dominum te conſtituerunt, & data eſt tibi facultas, vt miſer ſis, & amplius non quieſcas. Nunquid in honore ſine tribulatione & dolore, in ſublimitate ſine vanitate eſſe quis poterit.* Si ergo quæris gloriam omnibus inuidiæ ſemina præbuiſti. Idem iudicium eſt de carnis delitijs; nam cum breuis ſit voluptas, & ipſa infectam, fœtidamque, & infelicem relinquit memoriā. Cōtemne igitur hæc omnia. Et ſic de his nundinis lucraberis mundi contemptum, qui plus tibi confert vtilitatis quam vniuerſa mundi machina.

Lucrū hic eſt mundi contemptus.

5 Circa infernum De Chriſto inferni Bernard.

Quintò, perge ad nundinas infernales, quas iterum deſcribit Bernardus, ſic dicens. *Eſt alia regio dura, locus afflictionis, terra obliuionis, terra miſeriarum, terra turbinis & caliginis, terra maledictionis & mortis, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Ibi fœtor intolerabilis, ibi percutientes mallei reſonant inceſſanter. Ibi confuſæ tenebræ, tumultuantium denſitates. Ibi confuſio peccatorum, horribiles facies dæmonum Ibi fletus & ſtridor dentium. Ibi pœnarum diuerſitas, acerbitas*

Lucrum eſt odium peccati.

bitas & æternitas. Per has tumultuantes nũdinas lucramur odium peccati, dicentes in cordibus noſtris: melius eſt nobis carere præſentibus voluptatibus, quam æternis ſubiacere cruciatibus, ideò ipſas declinemus viuentes, ne moriendo in profundum inferni deſcendamus.

6 Circa cælum.

Sextò currendum eſt ad nundinas regni cælorum, ad regionem glorioſam, voluptuoſam, & gaudioſam. Ibi vniti erimus glorioſi nimis, omnes reges & reginæ; Ibi tot ſunt gaudia, quot ſunt angeli & ſancti ibi congregati: vnde Bernardus. *Si haberes aliquem, quem ſicut teipſum amares, & de eius bono ſicut de proprio gauderes, & tu cum ipſo in ſummo ſolatio eſſes, vtiq; gaudium duplicatum haberes: Si verò duos vel tres aut plures tibi pares in amore poſſideres, & eos ſimili felicitate conſpicuos cerneres, nunquid pro illorũ numero tibi multiplicantur gaudia? vtique.* quomodo ergò modus illius gaudij ab aliquo homine penetrari poteſt, vbi vltra mille milia & decies centena milia, imo innumerabiles ſunt & omnes eadem beatitudine perfruuntur; nec aliquis eorum eſt, qui non æquè de alterius bono gaudeat, ſicut de proprio. Sic vnicuique electorum de cuiuſcunque alterius cœleſti gloria ſpeciale eſt gaudium: quanta ergò ibi poſſit eſſe iucunditas, non ſufficit penetrare aut capere mens humana in hac valle miſeriarum. Ibi etiam eſt maxima voluptas. vnde Pſal. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, de torrente enim voluptatis tuæ potabis eos.* Iuſto autem nomine torrentis cæleſtes delitiæ nuncupantur, quia torrentes ex multis riuulis confluẽtibus faciunt inundationem: ſic cæleſtes delitiæ ex Deo & angelis ac ſanctis hominibus in nos influunt, ita vt penitus quaſi inebriemur delitijs &c.. Hæc ergò ſi fideliter perſpecta fuerint, lucrantur in nobis glorioſum lucrum & vtile, videlicet deſiderium ſupernorum, quo adepto nihil amplius libet intueri, exemplo Apoſtoli qui dicit, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.*

Bernard. — *Pſal. 35.* — *Lucrum eſt deſiderium ſupernorum* — *Phil. 1.*

7. Apud Deum.

Septimò currendũ eſt ad nundinas glorioſas omnibus meliores, quas Deus poſſidet in ſeipſo; de quo, etſi nihil dignum dici poterit, eò quod lucem inhabitat inacceſſibilem, & eius ſcientia exuperat omnẽ ſenſum; aliquid tamen de his quæ ſub ipſo ſunt, balbutiendo loquamur: vnde Bern. *Anima Spiritu ſancto afflata per figuras quaſdam Deum videt, quæ ab ipſa diuina eſſentia ſunt, ſed ad veritatem eſſentiæ in hac vita nõ pertingit.* De his ergò quæ ſub ipſo ſunt tria contemplemur & contemplando ruminemus, videlicet iudiciorum profunditatem, dulcedinis bonitatem, & maieſtatis ſublimitatem; In quorum contemplatione, ſi tantum proficimus, vt affectus noſter habeat, & ſecundum ea diuinitus affletur & afficiatur, tria lucra inde reportabimus, omnibus diuitijs mundi meliora, ſc. pauorẽ, dulcorem, & ſtuporem, ita vt ſingula de ſingulis illis ſurgant. Pauor de iudiciorum profunditate; dulcor de dulcedinis bonitate; & ſtupor de maieſtatis ſublimitate contemplando reportatur. In prima contemplatione ſtetit ſanctus Dauid; qui dicit in pſ. *Iudicia tua abyſſus multa..* O quanto pauore ſtetit Apoſtolus, cum tremens & pauens dixit. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius &c.* In ſecunda ſimiliter ſtetit Iſa. quando dixit. *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ &c.* Et Sapien. 12. *O quã bonus & ſuauis eſt domine ſpiritus tuus.* De tertio dicit Bernardus. *Præcipua & maxima contemplatio eſt admiratio maieſtatis.* Hæc requirit cor purgatum, & à vitijs liberum atque virtutibus ornatum, vt ſe facile poſſit ad ſuperna eleuare, ac interdum per aliquas morulas ſtupore & extaſi in ſuſpenſum teneat admirantem. De quo etiam Gregorius dicit: *Tunc Dei maxime miramur maieſtatem, cum in contemplatione eius obſtupeſcendo obmuteſcimus, plus muſſitare cupientes, quam verbis exprimere valeamus, non inuenientes verba idonea ad tam ſublimia exprimenda.* Agente hoc in nobis domino Ieſu &c.

Bernard. — *Tria circa Deum cõtemplãda* — *Lucrum in hac negotiatione.* — *Rom. 11.* — *Pſal.* — *Bern.* — *Gregor.*

(?)

DE SANCTO BENEDICTO SERMO.

Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine. Pſal. 54.

HOdie nobis omnibus
vita beati patris Be-
nedicti proponitur ad
exēplū, de quo Bern.
dicit quod per doctri-
nam ſuā inſtruat nos
& dirigat greſſus no-
ſtros in viam pacis, &
per vitam ſuam ſanctam roboret nos & a-
nimet, vt magis accendamur ad agēda, quę
docuit, cū certi ſimus eū alia non docuiſſe,
quam quæ ipſemet opere adimpleuit: Viuus
ergò ſermo eius & efficax exemplum. Cu-
piens ergo vitæ ſuæ nos facere ſequaces di-
cit de ſeipſo, *Ecce elongaui fugiens & manſi*
Propoſit. *in ſolitudine.* In quibus his duo tāgit, ſcilicet
vitæ ſuæ demonſtrationem, & demonſtra-
tæ vitæ perfectionem. Primum ibi; *Ecce.* Se-
cundum ibi, *elongaui fugiens & manſi.* Vbi
oſtenderimus paucis, quomodo S. Benedi
ctus hæc in ſe exhibuerit; videndum erit,
qua ratione hæc ipſius exēplo exprimamus.

I.

Primò itaq; per aduerbium illud demō-
ſtrandi *Ecce*, vitam ſuam nobis demonſtrat,
ac ſi dicat illud Gedeonis, *Quod me videritis*
Iud. 7. *facere, omnes facite.* Vbi latius ſciendum per
hoc aduerbium *ecce* tria genera rerū demō-
ſtrari; ſcilicet, magnalia, mirabilia, & vtilia.
Magnalia ſicut patet in Zacharia Propheta.
Ecce rex tuus venit. Rex inquam iſte, de quo
Apoc.19. in Apoc. *Ipſe eſt Rex Regum & Dominus Do-
minantium.* Mirabilia, vt patet apud Iſa. *Ec-*
Iſa. 7. *ce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur
nomen eius Emanuel.* Quid iſto mirabilius?
Vtilia vt patet in Apoc. *Ecce noua facio om-*
Apoc.21. *nia.* Quid vtilius, quam quod à Deo in ſta-
tum glorioſum innouamur? Hæc omnia in
glorioſo patre ſancto Benedicto per hoc ad-
S. Benedictus magnus. uerbium *ecce* demōſtrantur: Fuit enim ma-
gnus in vitę ſanctitate, mirabilis in miracu-
lorum multitudine, vtilis in doctrinæ veri-
tate. De primo dicit Bernardus. O Abba, &
abbas, væ mihi ſi tam longè fuero à te Be-
nedicte in futuro, quā à tuæ ſanctitatis ve
ſtigijs longè reperior eſſe in præſenti. Ecce
neceſſe eſt eum eſſe magnū, quem tam ma
gnus, ſcilicet ſanctus Bernardus, aſſerit ſu-
pra ſe multò eſſe maiorē. Reuera magnus,
quia per eum tam veteris, quam noui teſta-
menti miracula ſanctorum Dominus ope-
ratus eſt. Quæ enim Dominus in ſingulis
exhibuit, in eo penè omnia renouauit: de
quo Bernardus. Mira ſunt & multum ſtu-
penda, quæ de miraculis beati patris colli-
go. Nam in aqua ex Petra producta Moy-
ſen; in ferro, quod ex profundo aquæ redijt,
Helizæum; in coruina obedientia Heliam;
in luctu mortis inimici Dauid; in aquæ iti-
nere Petrum video; & ſic multorum ſan-
ctorum patrum mirabilia & virtutes in ip-
ſo ſpecialiter perpendo. Congruè ergò
pater ille ſanctus per hoc aduerbium *ecce*
demonſtratur; quia magnus fuit in vita, &
mirabilis in virtutibus, nobiſque vtilis ex
ſua doctrina, interceſſione & moribus. Be-
nè ergò ad noſtram imitationem nobis
demonſtratur per hoc aduerbium *ecce &c.*
Sed nunc vitam ipſius attendamus, quæ o-
ptimè deſcribitur, hoc modo; *Elongaui fu-
giens, & manſi in ſolitudine.* In his verbis tria
dicuntur, quæ S. Benedictus in vita ſua ex-
preſſit; 1. ſeparatio, cum dicitur *fugiens*; 2. e-
longatio, cum dicitur, *elongaui*; 3. ſolitudo
cum dicitur, *manſi in ſolitudine.* Quod atti-
net ad ſeparationem, qua ſe S. Pater à do-
mo paterna, à fratribus, à diuitijs & omni-
bus alijs ſeparauit, de hac ita S. Greg. Cum
multos ire per abrupta vitiorū cerneret eū
quē quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, pedē
retraxit, nè ſi quid de ſcientia mūdi attin-
geret, ipſe poſtmodū in immane præcipitiū
totus iret. Deſpectis itaq; litterarū ſtudijs,
relicta domo & rebus, ſoli Deo placere deſi-
derans, ſanctæ conuerſationis habitū quęſi-
uit. Nō tamen iſta relictione contentus, am-
plius cępit ſe localiter procul à domo patris
elongare. En ſecundū, elongationē ſcil. de
qua ita pergit Gregor. Benedictus puer plus
appetēs mūdi mala perpeti, quā vitæ huius
laudibus honorari; plus laboribus fatigari,
quā fauoribus extolli; nutricē ſuam occultè
fugiēs deſerti loci ſeceſsū petijt, & in arctiſ-
ſimo ſe ſpecu abdidit, & trib⁹ annis excepto
Romano monacho hominib⁹ incognitus
manſit.

Sequi-

Sequitur tertium. *Et manſi in ſolitudine*; licet enim corpore cum hominibus conuerſaretur, ſemper tamen in ſpiritu ſolitudinem cum Deo peragebat: vnde Bernarnardus *Solus es in quacumque hominum frequentia, ſi non communia cogitas. ſi non affectas præſentia, ſed ſolum Deum cogitas.* Hoc fecit ſanctus pater Benedctus.

Quis ſit ſolus.

I.

Verum, veniamus nunc ad nos, & diſponamus domui noſtræ, quia moriemur: conformemus vitam noſtram glorioſo patri; ſi enim nos delectant eius præmia, etiam non deterreant ipſius merita; imitemur eum præcipuè in tribus exercitijs. Primò ſeparemur; ſecundò elongemur; tertiò in ſolitudine demoremur. Primò ſeparemur ab omnibus, quæ non ſunt Deus, & quæ non propter Deum poterunt retineri: hæc autem omnia in triplici differentia cōtinentur. De quibus philoſophus in ſua rethorica dicit; homo poſſidet triplex bonū, ſcilicet exteriorum rerum, corporis, & animæ. In his tribus habitibus; omne quod poſſidetur haberi poterit: bonum autem rerum offerimus Deo per votum voluntariæ paupertatis; bonum corporis per votum caſtitatis; & bonum animæ per votum obedientiæ propriæ voluntatis. Et quia ad religionem pertinet. Quod tendat ad ſtatū perfectionis; ad ſtatum autem perfectionis cuiuslibet religionis pertinet paupertas, caſtitas, & obedientia; quæ ſunt ſubſtantialia religionis; ideo ad quēlibet religioſū requiritur, vt ad hæc tria ſe conſtringat. Cum enim religio dicta eſt, vt nos per ipſam in Deum religemur, neceſſe eſt vt à prædictis denudemur, vt ſic denudati nudum Chriſtum ſequamur: de his tribus dicit Gregorius ſuper Ezech. de holocauſto. Cum quis omne quod habet, omne quod ſapit, omne quod videt, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum offer'; quod quidem pertinet ad eos, qui ſe totum Deo offerunt. Per votum ergo horum trium ab omni quod non eſt Deus, nos penitu. ſeparamus: horū autem trium oblationem ſanctus pater à Dei filio didicit offerre, qui pro nobis Deo patri obtulit res, corpus, & animā: de primis duobus, ſcilicet, rebus & anima dicitur apud Hier. *Reliqui domum meam &c. dedi dilectā animam meam.* De tertio apud Iſa. *Corpus meum dedi percutientibus &c.* Et ſic dicit Chriſtus apud Lucam. *Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcepulus* Et iterum. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum &c.* vbi dicit Gregorius. Aliquando monet nos dominus, vt noſtra relinquamus, aliquando noſmetipſos Sed fortaſſe non eſt homini laborioſum relinquere ſua, ſed valde difficile eſt relinquere ſemetipſum; non tamen ſufficit relinquere noſtra, niſi etiam relinquamus & nos. Sed dices; ſi noſipſos relinquere debemus, quo ibimus extra nos, vel quo vadit, qui ſe deſerit? Reſpondetur: aliud ſumus per naturam conditi, & aliud per peccatum lapſi; aliud quod facimus; aliud quod facti ſum⁹. Relinquamus noſipſos, quales nos peccando fecimus, & maneamus noſmetipſi quales per gratiam facti ſumus. Eccè qui ſuperbus fuerit, ſi ad Chriſtum conuerſus humilis fuerit, ſemetipſum reliquit, & ſic de aliis. Sic ergo per hæc tria nos ab omnibus ſeperamus.

In tribus imitandus S. Benedictus.

In ſeparatione, quæ fit à tribus.

Ierem. 12.

Iſa. 50.

Luc. 14.

Luc 9.

Secundò cupientes ſanctum patrem. B. imitari, iam ſeparati ab omnibus eiſdem nos elongemus; quod contingit iterum tribus modis, ſcilicet, per defectum fruitionis, vt qui propter Deū omnia quoad proprietatem dimiſimus, non aliquem vſum vel fruitionem ſuperfluam reſeruemus. Sunt aliqui religioſi, licet Deo omnia promiſerunt relinquendo, vſum tamen & fruitionem relictorum, iterum reſumunt, quorum relictio apud Deum pro nihilo reputatur, imo melius eſſet non relinquere quam ſic relicta reſumere. Melius enim eſt non vouere, quam poſt votum non ſoluere: de talibus dicit pſal. *Collocauit illic*, ſcilicet, in religione, *eſurientes, ipſi autem*, ſcilicet, de religione. *fecerunt ciuitatem habitationis & ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis.* hoc eſt tantam copiam fruendi bonis, quantam ante ingreſſum religionis habuerunt. Sed ne deuotis laqueum injiciamus, æſtimantes ex iam dictis, quod vſque ad rugitum ventris debeant eſurire; ſciendum eſt omnia regularia in refectionibus ad ſolam neceſſitatem ordinari: vnde ſi de eiſdem non debent ſumere quantum neceſſe eſt, no...

2. In elongatione, quæ tribus fit modis.

1. Per defectum fruitionis.

poſſunt

poſſunt in Dei ſeruitio ſuſtentari, quia ſaccus vacuus ſtare non poterit, ſed cogitur iacere, hoc ſolummodo præcauentes, vt ſicut populus in deſerto non flagrent deſiderio carnium, nè appetant delicata; & taliter agentes benè ab his quæ reliquerant ſe elongant. Sicut de rebus ſic etiam de corpore Deo tenemur, quod illo nunquam ad libitum noſtrum vtamur, ſed ſemper vt viuamus ei cui ſemel nos dedicauimus, à quo empti ſumus precio magno, ſcilicet precioſo ſanguine eius, vt glorificemus & portemus eum in corpore noſtro: Non vtique noſtro, ſed duplici iure ſuo, ſcilicet creationis & redemptionis. Hoc idē dicimus de anima quam ſimiliter Deo per voluntariā obediētiam dedimus, vt eā nunquā reſumamus, videlicet vt videamur facere propriam voluntatem, ne de his tribus illud Bernardi improperiū incurramus. Quid iterum vos intromittitis de vobiſipſis, qui vos tanta deliberatione Domino obtuliſtis? Taliter ergo vnuſquiſque viuat, vt poſſit dicere illud pſalm. *Factus ſum tanquam vas perditum*: vt nec in rebus, nec in corpore, nec in voluntate aliquid faciamus propter noſipſos, ſed ſic exananiti correſpōdeamus ei de quo Apoſtolus Philip. *Exananiuit ſemetipſum formam ſerui accipiēs propter nos vt nos offerret Deo*. Et ſic ab his quę primo reliquimus ſumus veraciter elongati. Secūndo elongemus nos per deſiderium affectionis, tamdiu nos à prædictis elongantes quouſque omnia in tantum deueniunt defectum, vt veraciter dicere poſſimus cum Apoſtolo. *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora*. tamdiu hæc agentes quouſque omnia veniant in contemptum; adeo vt ſi quid eorum quæ reliquimus per obedientiam, contingat reſumere, hoc plus grauet, plus cruciet quam prius relinquere grauabamur; nunc plus delectet carere, quam prius grauabat relinquere. Vnde cum ad hoc ventum fuerit, vt non ſolum relicta habere non libeat, ſed ad ſolam eorum memoriam in contemptum & deſpectum veniant, tunc per defectum affectus plusquam prius ſumus elongati. Tertio elongamur à prædictis per affectum deuotionis. Quod contingit cum in die Domini in tempore beneplaciti eius viſitati & illuminati guſtamus eius dulcedinem, qua guſtata deſipit omnis caro, intantum vt non ſolum derelicta arbitremur vt ſtercora, ſed vt ita dixerim propter ipſum crucifixum dicere poſſimus cum Apoſtolo. Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. Vnde Bernardus, dulce eſt eſſe in humanis rebus ei qui de cœleſtibus nihil nouit. Sed ſi quis ore cordis guſtet, quæ ſit illa dulcedo cœleſtium bonorum, quantò illud dulce eſt quod intus habet, in tantam amaritudinem vertitur omne, quod foris ſuſtinet, & iterum dicit Bernardus. Anima quæ didicit dulcedinem diuinæ præſentiæ deguſtare, neſcio an vel ipſam gehennam experiri ad tempus horribilius pœnalius vel dicat quam ſpiritualis ſtudij guſtantem ſuauitatem exire & ad deſideria carnis conuerti. Hæc ille. Sed heu pauci ad talem elōgationem perueniunt; Si quis tamen illac peruenerit, non ſuæ virtuti, ſed diuinæ gratiæ hoc aſcribat, nec ſe ſecurum exiſtimet, ſed timeat &c.

Philip. 2.

2. fit elongatio per deſideriū affectionis

3. elongatio fit per affectum deuotionis.

Et māſi in ſolitudine, vbi ſciendū quod duplex eſt ſolitudo, ſcilicet corporalis & ſpiritualis: in corporali ſolitudine ſanctus ille pater tribus annis permanſit in quadam ſpelunca, hominibus abſconditus & ſoli Deo cognitus. Spiritualis ſolitudo eſt, cum homo ab interiori tumultu temporalium ſe abſtrahit, vt in ſolo Deo abſcondatur. Vnde Gregor. ſolitudo eſt à ſecreto cordis terrenorum deſideriorum expulſio: in hac ſolitudine manſit ad diuina cōtemplanda, & vt Deus humilem inueniret, à terrenis tumultibus ſeipſum exhibuit alienum. Si ergò in hoc exercitio ſicut & in alijs ſanctum patrem volumus imitari, neceſſe eſt vt & nos corpora noſtra includamus, ſenſus colligamus, collectos in Deum ſuſpendamus. De his dicitur apud Ezechiel. *Ingredere & includere in medio domus tua, & ibi loquar ad te*. In hoc quod dicit *ingredere*, tangit corporis quietationem. In hoc autē quod ſubiūgit, *in medio domus tua*, tāgit ſenſuum collectionem: in hoc autem quod concluditur, *ibi loquor ad te*, tangit collectorum ſenſuum eleuationem, quæ nequaquam efficaciter eleuantur niſi per diuinam allocutionem. In his tribus cum fecerit homo quod poterit, Deus

5. *imitandus S. Benedictus in ſolitudine. quæ duplex eſt, corporalis & Spiritualis.*

Ezech.

animam viſitabit, & viſitando potentias il luſtrabit lumine vultus ſui, dans ineffabili modo ſe nobis, & nos ſibi, in quo Deo v-niti fruimur bonis, quæ ipſe Deus poſſide[t] in ſeipſo. Ad quod nos perducat pater, & filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

DE ANNVNCIATIONE MARIAE.

SERMO I.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Pſal. 18.

HAc ſimilitudine, inquit S. Bernardus, nulla in rebus mundi poteſt eſſe ſublimior; Nihil enim Spiritus ſanctus in viſibilibus naturis excellentius inuenire potuit, cui virginis excellentiã compararet: ideò dicit. In ſole poſuit tabernaculum ſuum; in quibus verbis tria deſignantur. 1. excellentiſſima glorioſæ virginis commendatio, cum dicitur; *In ſole.* 2. digniſſima filij Dei conceptio, cum dicitur; *poſuit.* 3. vtiliſſima omnium noſtrum promotio, cum dicitur; *tabernaculum ſuum.* De primo in præſentiarum copioſius dicendum; & ſic ſciendũ eſt D. Virginem ſolis nomine nuncupari, eò quod octo proprietates, quas ſol habet, conuenientiſſimè ipſi adaptentur. Has autem habet; puritatem in ſubſtantia, in ſplẽdore claritatem; in ſitu ſublimitatem, in motu continuitatem; in influentia fœcunditatem; ad omnia communitatem; in excellentia ſingularitatem; in ecclypſi videtur habere doloris calamitatem. Hæc omnia ſpiritualiter intellecta glorioſæ virginis ſtatui applicantur. *Primò,* ſol habet in ſe puritatem, & hãc tantã, vt inter omnia corporalia nil poſſit purius inueniri; adeò etiam vt omnium hominum viſus ex puritate eius offendatur: quis enim apertis oculis pleno intuitu ſine læſione ſolem poteſt intueri? Certè nullus. Hæc proprietas glorioſæ virgini optimè conuenit, quæ pręomnibus puris creaturis tam angelicis quã humanis excellẽtem habet puritatem, quã nulla creatura plena cognitione ſufficienter poterit intueri: vnde Anſelmus. Ea puritate nitebat, qua maior ſub Deo intelligi nequit. Omnes enim tam angelici ſpiritus quam humani admirando clamare poterant in eius aſſumptione illud Canticorũ. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto?* ſcilicet in tanta puritate, quam non ſolum nullus hominum, ſed nullus etiam noſtrum ad plenum cognoſcere poterit. Hinc Bernardus. Quis vnquam ſolem iſtum materialem ple[illegible] apertis oculis potuit intueri: Sic nullus Mariæ puritatem aliqua cognitione ſine [illegible], & videre. *Secundò,* ſol in ſplẽdore habet claritatem, per quam lucet & perlucet omnem ſuperiorem & inferiorem regionem, ita vt omnia cæleſtia luminaria in comparatione huius ſplendoris nõ luceant, imò penitus nihil videantur, quia ſtellæ & luna, quæ in nocte lucent, ex ſuperexcellenti claritate ſolis in die non ſolum nõ lucent, ſed penitus occultantur. Sic & B. Virgo Maria omnem creaturam lucentem tàm excellenter ſupereminet, vt in eius cõparatione etiam omnes ſancti angeli qua ſi non ſint, aut quaſi extincti videantur: & licet in eius comparatione nihil eſſe vel etiam apparere omnis creatura videatur, tamen non modicum ex eius fulgore illuſtratur, & ex eius præſentia tota cæleſtis curia & vniuerſa eius militia clarius incandeſcit. Hinc Bern. Sicut omnes ſtellæ pariter, & luna ſplendorẽ ſuũ habent à ſole, nec tamen in eius præſentia lucent; ſic omnes ſancti lucidius lucent ex eius præſentia, & tamen in comparatione eius, quaſi non luceant, latent. Vnde & contingit hoc mirabile, vt in eius præſentia magis luceant, & tamen nimis latere videantur. Sicut ſuper omnia luminaria cæli ſol ſuo lumine micat & coruſcat. Sic virgo beata ſanctitate ſuper omnes

Cant. 3.

Solis ſplendor.

Maria omnes excellit in ſplendore.

Puritas ſolis.

Maria omnes puritate ſuperat.

omnes

omnes ſanctos lucet &c.

Tertiò ſol in ſitu habet ſublimitatē, ita vt ex nimis remota altitudine paruus appareát, cū tamē ſit maior terra. Sic beata virgo Maria tam in terra per vitæ meritum, quā in cœlo per præmium ſuper oēs puras creaturas in altiſſimo eſt locata. V[illegible]ndum ſecūdū ſtatū viæ merita in tribus cōſiſtere; ſcilicet in gratijs, virtutibus, & deuotionibus: in quibus omnibus ſuprema & altiſſima attingebat. Supremū in gratijs eſt omnē gratiam abundantiſſimè poſſidere, & ſic de alijs. De hac abundantia ipſa gloriatur apud

Eccl. 24. Eccl. dicens; *Ego in altiſſimis habito.* In omnibus ergo altiſſimis gratiarum, virtutum

Motus ſolis & Mariæ continuus. & deuotionis cōtinuè morabatur &c. *Quartò* ſol habet in motu continuitatem, nunquā enim ad momentū vel ad ictum oculi requieſcit, ſed curſum ſuū continuat inceſſanter. Sic beata virgo Maria ſemper fuit in motu actionis meritoriæ: quicquid enim agebat, hoc cum tanta diſciplina & reuerentia faciebat, vt in omnibus ſuprema cumularet. Si enim alij ſancti in infinitum inferiores ad talem ſtatum promouente gratia peruenerunt, vt omnia quæcumque facerent, cederent eis in meritum; multo magis ſine omni ambiguo credendū eſt, quod de omni vita ſua nihil ei vacuum pertranſierit, nā in comedēdo, bibendo, aut dormiendo, ſine quibus humana natura durare non poterit, inceſſanter auxit ſuū meritū: quia de omnibus his nihil aliud ſumpſit, quam quod ſola eius neceſſitas requirebat. Hæc autem continuitas merendi augebatur ex continua exercitatione ſenſuū exteriorū & aliorum membrorum corporis in Deo. Similiter ex interiorū viuium ſuſpenſione continua, puta mentis & ſpiritus, rationis, memoriæ & voluntatis. Quod licet nobis ſit impoſſibile, & per conſequens de ea vix credibile, tamen quia beata virgo in ſe nullū habuit retractiuū, eò quod fomes peccati præcipuè per conceptionē filij totaliter in ea ſit ſublatus & extinctus; ideo ſuprema merita cumulabat. Quod ſi per corporis teneritatem aliquid de exercitio oportuit relaxari, hoc ipſum tamen ita virtuosè agebat, vt etiam per virtutem diſcretionis, quæ mater eſt omniū virtutum, ſuprema merita reportaret. *Quintò* ſol habet in influentia

Sol & Maria fœcundant. fœcunditatem; nihil enim eſt ſub ſole, quod ſine ſolis influentia valeat fœcundare, & ſine eius virtute de ſe fructum gignere. Sic de ea dicit Bern. *Maria velut alterum*

Bern. *ſolem induit ſibi, & quemadmodum ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur & in omnibus ſine differentia fœcundat: ſic ipſa beata virgo non diſcernit merita ſingulorum, ſed omnibus exorabilem omnibuſque clementiſſimam ſe præbet; omnium denique neceſſitatibus ampliſſimo animo miſeretur & affectu, ita vt nullus homo proficere poſſit, neque proficiet in æternum, niſi qui per virginem merendi fœcunditatem aſſequitur à DEO.* Opera enim noſtra non niſi per eam ad Deum perueniunt:

Dupliciter à D. Virgine iuuamur. dupliciter autem per eius auxilium adiuuamur, primo quia ipſa per nos operatur. Secundo, quia opera noſtra eius manibus Deo præſentantur: eſt ergò conuenientiſſima ſimilitudo, vt ſicut ſol eſt pater omnium naſcentium; ſic virgo ſancta mater ſit omnium ſaluantium; cum enim in ea ſint omnes gratiæ & virtutes, quicquid de eiſdem bonis conſequimur, totum à virgine glorioſa redundat; propter quod omnes electi dicuntur eius filij, quorū omnium [illegible] eius primogenitus, ſic & ipſi ſecundo geniti per gratiam ipſius. *Sexto* ſol habet ad omnia communitatem:

Solis & Mariæ communicatio. ſplendorem enim ſuum tam bonis quā malis communicat, ſpargens eum tam ad loca fœda quam munda. Sic beata virgo omni creaturæ ſe communicat, ſingulis pro ſua capacitate ſe tribuens, quod inſinuare curauit ſponſa in canticis dicens: *Ego flos campi.*

Cant. 2. Sicut enim flos campi omnibus exponitur & nulli clauditur; ſic beata virgo nulli ſe denegat, ſed communicat ſe vniuerſis. Nec ſolum nulli ſe denegat, ſed quod plus eſt omnibus ſe offert, iuxta illud Eccl. *Venite*

Eccl. 24. *ad me omnes, qui concupiſcitis me.* Hinc Bern.

Bern. *Maria omnibus omnia facta eſt, & de plenitudine eius accipiunt vniuerſi, captiuus redēptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angeli lætitiam, deniq; tota Trinitas ſumit gloriam; Filius ex ea ſumpſit carnis ſubſtantiam, vt non ſit qui ſe abſcōdat à calore eius. Meritò ad Mariam reſpiciunt & recurrunt vniuerſi,*

tam qui habitāt in cœlo, quam etiam qui ſunt in purgatorio, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui nos ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcuntur ab illis. Illi qui ſunt in cœlo vt reſarciantur, & qui ſunt in purgatorio vt liberentur, & qui præceſſerunt, vt prophetæ fideles inueniantur, & qui ſequuntur, vt gratiam conſequantur. Merito ergo ad te reſpiciunt oculi omnis creaturæ, quia per te & de te & in te benigna manus omnipotentis quidquid ordinauit recreauit. *Septimo* ſol in excellentia habet ſingularitatem, & hoc interpretatione nominis declaratur: Sol enim dicitur quaſi ſolus lucens, eo quod parem aut ſimilem non habeat ſuper terram, & ſic Maria. Vnde Bern. Etſi in aliquibus aliqui communicent virgini, vnum tamen eſt, in quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Optimā ergo partem eligit, in qua ei nō cōmunicat alienus: ſi enim bona eſt fœcunditas cōiugalis, melior vtiq; fęcūditas virginalis: Quod ſi adijcias, cuius mater eſt? Eius vtique quē etiam angelica lingua non ſufficit dignis extollere laudibus. Mater non cuiuſcunque nec de quacunque plebe, ſed Dei; duplex nouitas, duplex ſtupor, ſed dignè prorſus & aptiſſimè; quia conueniēs eſt virginem non alium niſi Deum & hominem gignere, neque Deum decuit alter partus. *Octauo* ſol in eclypſi videtur habere doloris calamitatem. Sic ſol iſte, id eſt, beata virgo Maria, in paſſione filij Dei ecclypſatus eſt ſuſſerens vim doloris iuxta prophetiā Simeonis dicētis, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Bern. Ille namque ſermo filij *Ecce filius tuus*, plusquam gladius fuit in corde virginis, animam pertranſiens, & pertingens vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ. O qualis mutatio! Ioannes tibi pro Ieſu traditur, ſeruus pro Domino, diſcipulus pro magiſtro, filius zebedei pro filio Dei. Ex his & ſimilibꝰ proprietatibus ſolis beata Virgo nomine ſolis nuncupatur, in quo ſole Deus poſuit tabernaculum ſuum, id eſt, Chriſtum, qui ideò tabernaculū Dei dicitur, quia in eo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitauit. Bern. iure ſola Maria perhibetur amicta ſole quæ profundiſſima diuinæ ſapientiæ vltra quam credi poſſit penetrabat abyſſum, vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa: ipſa enim meruit valdè efficaciter circumagi & operari vndique, & circūfundi vndique, & tanquam ipſo diuino igne concludi, agente hoc in ea Spir. S. qui in trinitate perfecta viuit & regnat. Amen.

Sol & Maria ſingularitatem habent.

Solis & Mariæ dolor.

Luc. 2.

In quo ſole Deus tabernaculum poſuerit.

DE ANNVNCIATIONE

SERMO II.

Dies boni nuncij eſt, ſi tacuerimus ſceleris arguemur. 4. Reg. 7.

IN verbis propoſitis intelligimus huius diei feſtiuitatē, feſtiuitatis hiſtoricā veritatem, noſtrā vtilitatē, & prædicatoris ad nunciandum neceſſitatem. Primum ibi *dies*. ſecundū ibi *nūcij*. tertiū ibi *boni*. quartum ibi *ſi tacuerimus*. Primū expoſitione nō indiget, quia in manibus eſt huius diei feſtiuitas; ideò deuotè videndum eſt de tribus ſequētibus mēbris. Vt aūt auditorum mētes auidius excitemus, ad maiorē etiā intelligentiā, neceſſe eſt aliqua dicere pro exordio. Dicit deuotus ille virginis amator beatus Bern. Videre videor mihi primū hominē quatuor virtutibus in exordio creationis ſuę eſſe amictum; ſcilicet pace, miſericordia, veritate & iuſtitia, dè quibus pſalm. *Miſericordia & veritas obuiarunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.* In his quatuor virtutibus eſt ſalutis noſtræ integritas, has enim accepit Deus de corde ſuo & iiſdem primos parentes veſtiuit iuxta illud Eccl. *Deus ſecundum ſe veſtiuit*

Propoſitio.

Homo in exordio creationis quatuor virtutes accepit.

Pſal. 84.

uit

uit hominem, & dedit ei poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram. Primo dedit eis pacem perfectam, vt nec intus eſſet nec extra aliquid, quod eos poſſet aliqualiter perturbare, vel ad aliquam inquietudinem prouocare, vt nec intus eſſet pugna nec foris timor; nec caro concupiſceret aduerſus ſpiritum, nec ſpiritus aduerſus carnem. Et poſt hanc virtutem dedit homini veritatem & inſtruxit eum & docuit, quid ei eſſet faciendũ &c. Cum dixit ei: De omni ligno paradiſi comedes, de ligno autem ſcientiæ boni & mali caue nè comedas. Tertiò dedit eis iuſtitiã, cum comminabatur eis pœnam dicẽs; quacunque die comederitis, morte moriemini. Quartò exhibuit miſericordiam cum poſt transgreſſionem Deus moroſè ambulauit in paradiſo, dans locum pœnitentiæ & occaſionem veniæ interrogando, Adam vbi es tu? Et quia ſponte dimiſit homo pacẽ & miſericordiam, dans manus iniquitatibus & peccatis. Ambo præuaricantes mandatũ Domini pomum vetitum guſtauerũt, & ſic relicta pace ſtatim inuenerunt aliam legem in membris ſuis repugnantem legi Dei; ideò duæ virtutes hæ, ſcilicet miſericordia & pax, redierunt in cor Dei & receſſerunt ab eis. Sed reliquæ duę ſcilicet veritas & iuſtitia remanentes cum ipſis, eos & omnem poſteritatẽ eorum ſine omni miſericordia quodammodo affligebant. Hinc eſt quod Deus plusquã per quinque millia annorũ nunquã de hoc peccato mitigari & placari potuit, ſed ad perſuaſionẽ veritatis & iuſtitiæ totum mundũ deleuit, paucis exceptis. Multa etiã millia hominũ pro vno peccato, videlicet pro murmure proſtrauit, ſæuiens & indignans homini, ſicut leo. His ergò duabus virtutibus, ſcilicet veritate & iuſtitia homini nõ parcẽtibus, interim nõ ceſſabat pax, nec dabat miſericordia ſilentiũ in corde Dei, ſed pio ſuſurro paterna poſtulantes viſcera Deo dulciter ſuggerebant dicentes; *Nunquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Et quamuis multum diuq; pater miſericordiarũ viſus ſit diſſimulare, vt interim ſatisfaceret zelo iuſtitiæ & veritati, non tamen infructuoſa fuit ſupplicantium importunitas, ſed exaudita

Pſal. 76.

eſt in tempore oportuno. Fortè enim interpellantibus dicitur tale dediſſe reſponſum. Vſquequo preces veſtræ? Debitor ſum, & ſororibus veſtris quas videtis accinctas ad faciẽdum vindictam in nationibus, ſcilicet iuſtitiæ & veritati, veniant & ſuper hoc verbo pariter conferamus. Feſtinant ergò legat cœleſtes, & vt viderunt miſeriam hominum & crudelem plagam, factum eſt ſecundum prophetam loquentem: *Angeli pacis amarè flebunt*. Qui enim fidelius, quæ ad pacem ſunt, quærunt, quam Angeli pacis? Sanè ex deliberatione, quoniam citata aſcendit veritas ad ſtatutam diem, aſcendit vſque ad nubes, necdum planè lucida, ſed obſcura & obnubilata zelo indignationis. Factumque vt impleretur illud Pſalm. *Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes*: Medius autem pater luminum reſidebat & vtraque pro parte ſua quod habebat allegabat, & quod vtilius poterat loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit intereſſe, & indicabit nobis quid audiuit, & inenarrabilia fortè enarrabit nobis, quæ non licet homini loqui. Sed miſericordia videtur interfuiſſe huiuſmodi controuerſiæ, quæ dixit: Eget miſeratione creatura rationalis, quæ miſera facta eſt & miſerabilis; & nunc venit tẽpus miſerendi eius. Et econtra veritas ait, Oportet, inquit, impleri ſermonẽ, quẽ locutus eſt Dominus, vt totus moriatur homo: neceſſe eſt aditum omnibus (qua die pomum vetitũ guſtauit in præuaricationẽ) regni cæleſtis præcludi. Econtra ait miſericordia: Vt quid me genuiſti citius periturã, Scit enim veritas, quoniã miſericordia tua perijt, & nulla eſt, ſi non aliquando miſerearis. Similiter illa econuerſo loquebatur. Quis enim neſciat, quod ſi prædictã præuaricationis ſententiam mortis euaſerit homo, perit nec permanebit in æternũ veritas tua Domine. Et ecce vnus de Cherubin ad regẽ Salomonẽ ſuggerit eſſe mittendum. quoniã filio datũ eſt omne iudiciũ. In eius ergò iudicio & in conſpectu eius prædictæ virtutes ſcil. miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: eadẽ quæ ſupradicta ſunt verba repetentes. Fateor autem ait veritas, zelũ bonũ habet miſericordia, ſed vtinã ſecundũ ſcientiã. Nunc autem quid? Præuaricatori iudicat plusquã ſibi parcendum.

Conciliũ inter Deũ, Angelos, pacem, veritatem miſericordiam.

Miſericordia & veritas diſceptãt.

dũ. Ac tu veritas, inquit miſericordia, nulli parcis, ſed tanta indignatione ſænis in præuaricatorẽ, vt inuoluas pariter & ſororem. Quid mali merui? Si quæ habes aduerſum me dicito mihi; ſin autẽ, quid me perſequeris? Grãdis cõtrouerſia fratres & intricata nimiũ diſceptatio &c. Cũq; veritas adijceret in ipſum iudicem partis ſuæ iniuriã retorqueri dicẽs. Cauẽdũ eſſe omnino, nè irrĩtũ fieret verbũ patris, ne ſermo viuus & efficax qualibet occaſione euacuaretur, ait pax;

Pax loquitur.

parcite quæſo, parcite verbis huiuſmodi non decet vos huiuſmodi altercatio verborũ, virtutum eſt inhoneſta contentio; porrò iudex inclinabat ſe & digito ſcribebat in terra. Erãt autẽ verba ſcripturę, quæ pax ipſa legebat in auribus omniũ dicens: perit veritas niſi Adam moriatur; perit iuſtitia, niſi ſequatur miſericordia; fiat ergò mors bona & habeat vtraq; quod petit. Omnes obſtupuerunt in verbo ſapientiæ & forma cõpoſitionis periter atq; iudicij. Siquidẽ manifeſtũ fuit nullã eis occaſionẽ querimoniæ remanere, ſi fieri poſſet, quod vtraq; petebat, vt & moreretur & veniã conſequeretur. Sed quomodo id fiet inquiunt; mors crudeliſſima & amariſſima, bona fieri qua ratione poterit? At ille. Mors peccatorũ peſſima, ſed pretioſa, ſi fuerit vitæ ianua aperta, & portæ gloriæ patebunt. Sed quomodo fiet iſtud inquiunt? At ille. Si quiſ ex charitate moriatur, qui nihil debet morti, cuius mors pretioſior erit in bono, quã omniũ hominũ; qui fuerunt, ſunt, & erunt, mors poteſt fieri in malo. Bonus vit⁹ eſt hic ſermo & fidelis & omni acceptione dignus. Sed vbi ille innocens poterit inueniri, qui mori velit, nõ ex debito, nec ex malo merito, ſed ex beneplacito ſuo? Circuit veritas orbẽ terrarũ, & nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terrã; ſed & miſecicordia cælũ omne perluſtrat, & in Angelis quoq; (ne dixerim prauitatẽ) minorem inuenit charitatem: Nec Angeli poſsẽt ſufficere pro omnib⁹, cũ ſint ſimiliter creatura. Redeunt ergò ad cõſtitutũ diem veritas & miſericordia anxiæ plurimũ, non inuento quod deſiderabant. Tunc ſeorſum pax conſolans eas, vos, inquit, neſcitis quicquã, nec cogitatis; nõ eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum; Qui conſilium dat, ferat auxilium. Intellexit Rex quid loqueretur, & ait; *Pænitet me feciſſe hominẽ.* Pæna, inquit, me tenet; mihi incumbit, vt pax ait, ſuſtinere pœnã, & pœnitentiã agere pro homine, quẽ creaui.

Iudex ipſe ſe offert ad pœnam.

Tunc ergo dixit; *Ecce venio.* Non poterit enim hic calix tranſire niſi bibam illum. Et accerſito Gabriele, protinus, inquit, vade, dic filię Syon. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Feſtinauit ille & ait. Adorna thalamũ tuũ Syon, & ſuſcipe regem Chriſtũ. Porrò veniente rege miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, ſcriptura atteſtante, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt &c.

Quod attinet ad Annunciationis huius vtilitatem quæ hoc verbo, *Boni*, deſignatur, ſciendũ eſt, hominẽ in prima ſua creatione accepiſſe triplicẽ dignitatẽ; primo naturalẽ excellentiã, in eo quod omnia noſtra interiora & exteriora ſurſum ad Deũ erant erecta, vt ſine labore & ſine omni impugnatione Deũ poſſemus contẽplari, ita vt ab hac excellẽtia nihil eũ foris impediret, nec intus retardaret.

Triplex dignitas in creatione homini collata.

Vnde Bern. *Rectus Dominus rectũ fecit hominẽ, vt omnia, quæ eſſent in homine, recto ordine erigerent ſe in Deũ.*

Bern.

Secundo accepit mentis innocentiã, quia ſine omni peccato creati ſumus. Ad imaginẽ quippè Dei, qui peccatũ nõ habuit factus eſt homo, ex cuius perſona dicit Pſalm. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum, redime me & miſerere mei.* Tertio homo ſtetit in magna Dei amicitia. Cum enim omnis dilectio & amicitia ſuper ſimilitudine fundetur, iuxta illud Eccl. *Omne animal diligit ſimile ſibi.* Eccl. 13.

Non potuit Deus non diligere hominem, quẽ ad imaginẽ & ſimilitudinẽ ſuã creauerat. Ab omnibus his dignitatib⁹ cecidit homo, cum guſtauit vetitum pomum præuaricando mandatum Dei; & nos in eo cecidimus vniuerſi, & cecidimus in triplicẽ miſeriã. Ab excellentia cecidimus in ignorantiã; ab innocentia ad culpæ miſeriã; ab amicitia Dei in inimicitiã: ex quibus tribus, nimis abominabiles facti ſumus.

Homo ex tribus dignitatibus lapſus eſt in triplicem miſeriam.

Propter quod de homine ſic lapſo dicitur in Pſalm. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.* Pſal. 48.

Ecce dignitas, in qua ſtetit: ſequitur *comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Ecce miſeriã, in quam incidit, ita vt ipſi etiã inſultando poſſint dicere beſtiæ terrę; *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.*

Hæc

Vtilitas Annuntiationis. Hæc autem tria ſcilicet excellentiam, innocentiam & amicitiam recuperamus, ex Dei & hominis in virginis vtero vnione. Maxima enim dignitas hominis eſt Deum habere hominẽ & fratrem noſtrũ. Vnde ex hac excellentia aliquando perueniemus ad infinitè digniore excellentiã in cœlo, vbi limpidius & immediatius quã Adã Deũ & hominẽ contemplabimur. Vnde cũ Dominus Ioannẽ cõmendaſſet Baptiſtam dicẽs: *Matth. 1.* *Inter natos mulier nõ ſurrexit maiorũ Ioanne Baptiſta*, ſubiunxit, *Qui autẽ eſt minimus in regno cælorũ, maior eſt illo.* Ex hoc patet, quod minimus in regno cælorũ digniori excellẽtia decoretur, quã Adã habuit. Licet enim Adã in magna ſtetit excellentia, peccare tamen poterat, quod in regno cœlorũ nullus poteſt. Secundo innocentiam recuperamus per Dominicã paſſionẽ: *Rom. 6.* *Ipſe enim*, vt ait Iſa. *peccata noſtra pertulit ſuper lignum.* Et Apoſtolus. *Liberati à peccato ſerui Deo habetis fructũ veſtrũ in ſanctificationẽ, finẽ verò vitã æternã.* Tertiò recuperamus amicitiam per ſanguinis effuſionẽ. Sic enim dicit. Apoſtolus. *Cum enim inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Sic dicere poſſumus quod recuperauimus excellentiam per incarnationis vnionẽ, ſecundò innocẽtiam per eius paſſionem; tertio amicitiam per eius reſurrectionẽ, vt tandẽ excellẽtius valeamꝰ peruenire ad æternã glorificationẽ.

Si tacuerimꝰ, ſceleris arguemur. In hoc prædicatoris ad annunciandũ neceſſitas declaratur. Qui enim ſcientiæ & eloquentiæ gratiam ad annunciandum verbum Dei accipiunt à DOMINO, grauiſſimè arguuntur, ſi eam gratiam ad lucrũ animarũ non poſuerit. Vnde Iſa. *Væ mihi quia tacui.* Conſiderauit enim, quod talentum ad prædicandũ acceperat, & ideò doluit ſe tacuiſſe. *Iſa. 6.* Quapropter talibus negligentibus dicitur. *Serue nequam quare non dediſti pecuniam meam ad vſuram, & ego veniens cum vſura recepiſſem eam.* *Luc. 19.* Hinc & Apoſtolus. *Væ mihi ſi non euangelizauero, quoniam diſpenſatio credita eſt mihi, igitur &c.* *1. Cor. 9.*

DE EADEM ANNVNCIATIONE

SERMO III.

Aue Maria gratia plena &c. Lucæ. 1.

IN verbis propoſitis & alijs condependibus Angelicæ ſalutationi virgo Maria ex multis miniſtè cõmendatur. Primò à puriſſimæ vitæ innocẽtia. ibi *Aue.* ſecũdò à virtutũ copioſiſſima ſufficientia. ibi. *Maria*: tertiò à gratiarũ pleniſſima ſuperefluentia. ibi *gratia plena.* Quartò à digniſſima Dei præſentia. ibi *Dominus tecum.* quintò à ſtatus ſui excelle[illegible]. Sextò à fructus ſui vtiliſſima magnificẽtia. *Propoſit.* ibi. *& benedictus fructus vẽtris tui.* Hæc præconia laudis per ordinẽ proſequamur. *Aue.* Hæc ſalutatio quæ virgini attribuitur tãtò glorioſior eſt, quãtò in ſcriptura rarior inuenitur; nulli .n. vnquã poterat veraciter applicari. Quis enim ſine væ à mũdi exordio eſt inuentus? Nec infans cuius eſt vnius dici vita ſuper terrã. Dicitur enim Aue quaſi ſine væ, id eſt, ſine culpa. *D. Virgo omni va libera.* Iuſto ergò ordine illi debetur aue, quia ſola hæc virgo fuit immunis ab omni macula; & hinc ſola hæc dictio & noua ſalutatio huic virgini debuit reſeruari. Eſt autẽ triplex væ à quo fuit libera beata virgo ſcil. væ culpæ originalis; væ culpæ venialis; & væ culpæ mortalis. De primo væ dicitur apud Hiere. *Væ mihi mater mea, vt quid me genuiſti virũ rixæ, virum diſcordiæ?* *Ierem. 15.* Rixas enim & diſcordias, quibus caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ, ab ori[illegible] nali peccato contraximus: quæ [illegible] rationi cõpeſcuntur. De ſecundo verò dicitur; *Væ nobis quia peccauimus.* [illegible] de veniali cõgruè dici poteſt, quia cõmuni modo oẽs tali væ inuoluti ſumus. De tertio væ dicitur *Væ eis qui receſſerunt à me.* *Oſea. 7.* Et iterum. *Væ eis* *Idem. 9.*

cum receſſero ab eis; quod de mortalibus peccatis oportet intelligi: quia nec Deus à nobis, nec nos à Deo recedimus, niſi cum culpam committimus mortalium peccatorũ. De omnibus his dicitur in Apocal. *Væ væ*
Apoc 18. *væ habitantibus in terra* Hæc fuit vox angeli de hominibus expreſſa, vt patet ibidem. Pro lucidiori intellectu ſciendũ, ſicut prædiximus, tria eſſe genera peccatorum, ſcilicet originale, veniale & mortale. Et ſicut ex Dei gratia nullum bonum manet irremuneratum, ſic ex Dei iuſtitia nullum malum remanet impunitum; ideò prædictis tribus, triplex væ datur, vel debetur triplex pœna. Originali enim peccato debetur pœna damni, non ſenſus: veniali purgatorium, per cuius ignem animæ purgentur: ſed peccato mortali debetur infernus, nõ vt animę purgentur, ſed vt ibi æternaliter crucientur. Cum ergò B. Virgo nullum prædictorũ habuerit, ideò adiudicabat ei angelus, quod meritò eſſet ab omni væ prouenientе de peccato penitus aliena, & dignè attulit ei in ſalutationis ſuæ exordio Aue.

Cur nouo modo D. virgo ſalutetur. Vbi ſciendum præterea, quod meritò beata virgo nouo ſalutationis genere debuit ſalutari, quatuor de cauſis. Prima, quia culpa Euæ in gratiam, maledictio in beneficium, totumque pondus mali in bonum fuit in Maria mutatum. : & in ſignum huius gratiæ nomen præuaricantis mulieris tranſuerſum fuit: Cum enim vocaretur pręuaricatrix Eua, reparatrix debuit ſalutari, Aue, id eſt, ſine væ, quia illa intulit væ, iſta
2. abſtulit omne væ. Secunda cauſa fuit noua virtutis, ſcilicet perpetuæ virginitatis inuẽtio; licet enim multæ virgines eſſent ante eam; nulla tamen ante eam conſeruandæ
Bernard. virginitatis propoſitum habuit: vnde Bern. *O beata virgo, quis te docuit, aut quæ pagina inſtruxit, vt virginitate domino ſic placeres.* Dicũt eius præcones, quod virginitatis ſuę votum emiſerat, hac cum conditione interpoſita, ſi diuinæ beneplacitum foret voluntati; propter quod angelo ſalutanti reſpondit humiliter: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco, id eſt non cognoſcere propono. Ante eã enim nemo votum virginitatis emiſerat; & ideò propter hanc nouam & Deo gratam inuentionem noua ſalutatione ab angelo ſalutatur.

Tertia cauſa nouæ ſalutationis fuit noua & inaudita conceptio: Concepit enim virgo non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine: In quo nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem; & propter hoc angelus inquit, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, cuius, ſcilicet virtute virgo concipies & virgo poſt conceptum permanebis &c. Quarta cauſa eſt nouus & inauditus & omni ſtupore & admiratione dignus partus Non enim virgo peperit quemlibet de plebe aut magnum principem huius mundi, ſed Deum verum mundi huius creatorem. De hac nouitate & ineffabili ſtupore dicit Bernardus. Si adijcias alijs eius excellentijs cuius mater eſt: quæ iam poterit lingua etiamſi angelorum ſit, dignis extollere laudibus virginem matrem non cuiuſcunque, ſed Dei &c. Ex his ergò quatuor nouitatibus virgo glorioſa nouo ſalutationis genere meruit ſalutari. 3. 4.

Maria hoc nomen copioſiſſimã virtutũ ſufficientiam in Maria declarat: Maria enim interpretatur mare, cuius proprietates, ſpiritualiter intellectæ benè Mariæ conueniunt. Scribitur in libro de natura rerum, quod mare ſit collectio omnium aquarum tàm dulcium, quàm ſalſarum; caput & hoſpitium omnium fluuiorum; ſubſidium in neceſſitatibus; refugium in periculis; iter agentium compendium; laborantium lucrũ: In qb⁹ maris proprietatibus omniũ virtutum cumulus accipitur; quod autem dicitur dulcium & ſalſarum, innuitur, quod non ſolum virtutes dulciter afficientes habuit, ſed etiam durè affligentes; & ideò propter compaſſionem amaritudinis, per quam materno affectu omnium hominũ miſerijs compatiebatur, dicitur ſalſarum. Si enim Paulus multum inferior ea dicere potuit; quis infirmatur, & ego non infirmor, quantò magis Maria ex vniuerſitate omnium virtutum: vnde Anſelmus exponens illud Eccl. *Vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo*, dicit, *Maria eſt vas auri propter diuinitatis continentiam, & ſtatus eminentiam, ſolidum propter omnium malorum reſiſtentiam, ornatum omni lapide pretioſo propter omnium virtutum affluentiam:* quod & pulchrè nobis exponitur in Gen. Maris deſcriptio. Maria omnibus virtutibus repleta. Eccl. 50.

vbi dici-

vbi dicitur. *Congregētur aquæ omnes quæ ſub* Gen.1. *cælo ſunt in locum vnum:* ſequitur. *Congregationes autem aquarum vocauit maria.* Ac ſi in eiſdem verbis ſilenter innuat, vbicunque & in quocunque loco videritis congregationem omnium aquarum, id eſt, virtutum omnium collectionem, ipſa eſt mater noſtra Maria. Secundò in prædicta maris deſcriptione ſubiungitur caput & hoſpitiū. Caput per aquarum effluentiam; hoſpitiū per aquarum refluentiam: quæ duo breuiter tanguntur ab Eccl. Eccl.1. *Ad mare, vnde exeunt flumina,* quantum ad caput, *iterum reuertuntur,* ſcilicet quantum ad hoſpitium. Sic B. virgo eſt caput omnium gratiarum, à qua, quicquid boni conſequimur, nobis Bernard. fluit. Hinc Bernardus *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non tranſit. Eramus omnes filij iræ & indigni, vt à Deo aliquid reciperemus, datum eſt ergò Mariæ quicquid ſalutis, quicquid gratiæ accipimus, vt per illam obtineamus, quoniam nec ſeipſum nobis dare voluit niſi per eam.* Eſt etiam mare non ſolum caput, ſed etiam hoſpitiū, per quod inſtruimur, quod omnia flumina gratiarū ab ipſo Deo accepta, per gratiarum actionem in ipſam refundere debemus, vt iterū vberius refluant. Tertiò mare eſt ſubſidiū in neceſſitatibus, ſubuenit vniuerſis, & quod ſingulis neceſſarium eſt, ſubminiſtrat, ſtās in publico, clamans ad nos omnes. Venite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Bernard. Bernar. *Maria ſinum pietatis aperit vniuerſis, & de plenitudine eius accipiunt vniuerſi. Captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, angelus lætitiam, filius Dei carnis ſubſtantiā, deniq; tota Trinitas gloriā.* Quartò mare eſt compendium itinerantium. Longiſſima enim via ſuper mare velociter tranſitur. Sic B. Virgo eſt compendium noſtrum, quo in hoc mari magno itineramur feliciter, & ſubitò tranſire poterimus: nam per ipſam tales gratias in breui temporis ſpacio obtinere poſſumus, quales alias per longiſſi- Idem. ma temporis ſpacia vix conſequi valeamus. Hinc Bernard. *Aduocatam noſtram præmiſit pater miſericordiæ, quæ tanquam iudicis mater ſuppliciter & fideliter noſtræ ſalutis negotia pertractabit, nec pati repulſam poſſumus vbi ante filium matrem, & matrem ante patrem cum filio habemus. Filius ante patrem oſtendit vulnera, mater ante filium pectus & vbera, nec poteſt eſſe repulſa, vbi tot ſunt charitatis inſignia.*

Gratia plena. His verbis oſtenditur pleniſſima gratiarum ſupereffluentia. D. Bernardus hæc verba exponens dicit. *In actibus Apoſtolorum legimus Stephanum plenum gratia, & Apoſtolos repletos fuiſſe ſpiritu Sancto: ſed longè diſſimiliter à Maria.* Quia nec ille plenus Deo, vt in eo habitaret plenitudo Deitatis ſicut in Maria. Nec illi conceperant de S. ſancto ſicut Maria: iure ergò Mariæ nuntiatur ab angelo gratia plena. Hæc autem plenitudo gratiarum in tribus cognoſcitur. Primò in multitudine gratiarum: habuit enim omnes gratias & omnia, quæ rationem gratiæ ſortiuntur; de quo Eccl. *In me omnis gratia viæ & veritatis.* Et Hieron. *Cæteris ſanctis per partes, ſed Mariæ totam ſe plenitudo gratiæ infudit.* Secundò gratia plena dicitur propter gratiarum magnitudinem: non enim exiles ſiue paruas gratias habuit, ſed in maxima virtute habuit vniuerſas. Hinc Bernardus. Non decuit virginem habere communes, vel paruas gratias, quæ ſummum & maximum geſtabat in vtero; ſed quicquid ſupremum, quicquid maximum in gratijs eſſe poterat, hoc habebat. Tertiò gratia plena dicitur propter gratiarum latitudinem: tantam enim ſuperlucrata eſt gratiam, vt eam in cælum & in infernum extenderet & in terram. De quo Bernardus. Super illud operatus eſt ſalutem in medio terræ, dicit, id eſt, in vtero virginis, quæ benè medium dicitur. Ad illam enim ſicut ad medium reſpiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui nos ſequuntur &c. Illi qui ſunt in cælo vt reſtaurentur; qui ſunt in inferno, vt inde eripiantur; qui nos præceſſerunt, vt prophetæ fideles inueniantur: & qui nos ſequuntur, & nos qui ſumus, vt omnibus nobis ſe mediatricem exhibeat ſua ſuperfluenti & copioſa immenſitate gratiarum. Alia hic deſiderantur.

Gratiæ plenitudo in quo conſiſtat. Eccl.24. 2. 3.

Videte, vigilate, & orate. Marci. 13.

IN his verbis ſapientia Dei patris humanæ perfectionis ſummã incluſit. Per verbum enim, *Videte*, à malis reuocamur; per ſecundum, ſcil. *Vigilate*, bona operamur per tertium, ſcilic. *Orate*, ad plenam perfectionem ſanctificamur. Qui autem à malis purgatur ſiue reuocatur, & bona operatur, & ſanctificatur, hic vir perfectus eſt. Et quia egregius iſte doctor beatus Ambroſius virtutem iſtorum verborum perfectè in ſe habuit, ideò placuit ad gloriam eius de his facere ſermonem. *Propoſit.*

I.

Videte. Videre idem eſt quod cognoſcere ſiue intelligere. Vſitato enim modo loquendi alicuius ſermonis dicitur, vides hoc id eſt, intelligis; quod etiam Bernardus aſſerit ſic dicens. Ille, qui videt omnia hortatur nos, vt poſtpoſitis oculis corporalibus, mentis lumine videamus. Illis quidem oculis, de quibus per Salomonem dicitur *Oculi ſapientis in capite eius*, id eſt, Chriſto, qui eſt caput noſtrum; qui cum corporalibus oculis videri non poſſit, conſequens eſt, vt hoc intelligatur dictum de oculis cordis. In huiꝰ ergò verbi virtute tria intelligamus, quæ ſequuntur adinuicem, per quæ à malis omnibus purgamur, ſcilicet, peccatorum cognitionem, contritionem, & remiſſionem. *Per tria purgamur.* Dicit ergò nobis Deus, videte oculis cordis introrſum, perluſtrate conſcientiam, & videte mala quæ feciſtis, quia nemo mundus à ſorde, nec infans cuius eſt vniꝰ diei vita ſuper terram: inueniemus ſanè infinita crimina peccatorum, ſi tamen oculos cordis dirigamus in directũ; quod facere monemur per Ieremiã. *Ierem. 31.* *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, & dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti.* Si enim propheta Prophetarum dicere potuit. *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus.* Et alius. *Peccaui ſuper numerum arenæ maris*, quid nos miſeri dicemus, qui peccauimus ſuper omnem æſtimationem? Quod peccatum inter omnia genera peccatorum eſſe potuit, quod non aliquandò aut affectu, aut operis effectu commiſimus; propinquiores & viciniores ſumus Deo, tantò plura cognoſcimus & videmus; de quo Greg. Sancti viri, quo apud Deum magis proficiunt, eò ſubtilius indignos ſe deprehendunt; & quantò proximius luci fiunt, tantò quicquid culpabile in ſe latebat, inueniunt. Hinc Ezech. *Adhuc conuerſus, videbis abominationes maiores his.* *Ezech. 8.* Quantò verius ad Deum conuertimur, tantò maiores abominationes videmus: & quia omne malum veraciter cognitum diſplicet, & quantò verius cognoſcitur, tantò magis diſplicet, & ſic diſplicẽtia cauſat dolorem, per quem omnia genera peccatorum conteruntur. Hinc in libr. Reg. *3. Reg. 19.* *Spiritus domini grandis & fortis, ſubuertens petras ante dominum, ſed non in ſpiritu dominus*; quaſi dicat, licet in tali diſplicentia & contritione veraciter ſit Deus præſens, tamen quia dulcis eſt dominus, & amara contritio, ideò dominus non ſentitur. Et Iſa. *Triturabis montes, & comminues colles; ventilabis eos, & ventus tollet & turbo diſperget eos.* *Iſai. 41.* Per montes & colles peccata parua & magna figurat: & ſequitur in prædicto loco. *Et exultabis in domino.* Hæc enim duo prædicta, ſcilicet cognitio & cõtritio certum ſignum ſunt remiſſionis peccatorum; nunquam enim pœnitens gaudet, ſed luget, donec percipiat veniam peccatorum: Et ſic tunc gaudet & exultat in domino. Iſta enim tria ſimul ſunt commixta, ſcil. cognitio, contritio, & remiſſio; quia cum peccaſſe nos cognoſcimus, meritò ſtatim compungimur, & in eo momento quo iſta duo ſimul facimus, etiam remiſſionem accipimus; & ſic ſunt ſibiinuicem coniuncta. Hinc dicitur de Dauid; *2. Reg. 12.* qui cum diceret, *peccaui.* Statim ſubiunxit propheta Nathan, *tranſtulit dominus peccatum tuum.* Lachrymæ pœnitentis & remiſſio ſecundum Chryſ. ſine omni interuallo ſimul ſunt; quod verum eſt, quantum ad culpam ſiue offenſam Dei, quam ſtatim remittit Deus ſine dilatione: oportet tamen nihil-

nihilominus hominem per multa diſtrahi, antequam peccatum penitus deſtruatur per pœnam.

II.

Vigilate. Hoc verbo Deus ſæpè vſus eſt in ſcriptura, hortans diſcipulos, & nos in illis, vt ſuper ſtatum noſtrũ ſollicitè vigilemus. *Vigilate itaq; quia neſcitis diem neq; horam;* & in pluribus alijs locis Euangelij. Sũt aũt tres vigiliæ omninò neceſſariæ, quas Greg. verbis breuibus tangit, dicens. Vigilat qui ſeruat operãdo quod credit; vigilat qui a ſe torporem & negligentiæ tenebras repellit; vigilat qui ad aſpectum Chriſti habet mentis oculos apertos. In prima vigilia Greg. proponit fructuoſam bonorum operum quantitatem; in ſecunda qualitatem; in tertia ſanctitatẽ; quæ tria ſi noſtris operibus adijcimus, vtiliter vigilamus. *Primo* ergo vigilemus ſuper omnia opera noſtra, ea noſtræ fidei commenſurantes, vt videlicet omne ꝙ credimus opere adimpleamus: cum enim iuxta Apoſtolum *Impoſſibile ſit ſine fide placere Deo* Neceſſe eſt, vt fidem quam Deus à nobis exigit, bonis operibus informemus. Quia *Sic corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ſicut fides ſine operibus.* Vnde Greg. Fidei noſtræ veritatem in vitæ noſtræ conſideratione debem⁹ agnoſcere. Tunc enim verè fideles ſumus, ſi quod verbis permittimus, operibus adimpleamus. Hinc Bern. Vigilemus ſuper omnia opera noſtra, vt omnia quæ præcepta ſunt faciamus, & quæ prohibita ſunt omittamus. Nam ſi vnũ eorũ quæ prohibita ſunt faciamus, opera noſtra non ſunt plena, nec ſuper gregẽ operũ noſtrorũ diligenter vigilamus; de quo Iac. *Qui totam legem impleuit, offendit autem in vno, factus eſt omniũ reus.* Sic patet, quomodo vigilare debeamus ſuper omnia opera noſtra. *Secundò,* vigilemus ſuper operũ noſtrorũ qualitatem, vt ſicut in prima vigilia vigilamus, vt opera noſtra ſint multa, ſic in ſecunda vigilemus, vt ſint bona. Erunt aũt bona, ſi oẽm negligentiam & torporẽ ab eiſdem repellamus. *Sit timor domini vobiſcum,* inquit Ioſaphat, *& cum diligẽtia cuncta facite.* tunc aũt agimus cũ timore domini cuncta, cum ea fideliter & corde perfecto facim⁹. Cui cõſonat Apoſt. *Quodcunq; facitis, ex animo operamini ſicut domino & non hominibus, ſcientes quod à domino accipietis retributionẽ hæreditatis.* de his duobus ſimiliter dicitur in Deut. *Iuſtè quod iuſtũ eſt exequaris.* Et Greg. dicit. Duo ſunt, quæ neceſſe eſt, vt in bonis operibus formidemus, ſ. deſidia & fraus. Deſidia per torporẽ naſcitur. Fraus vel ſeipſum quærit, vel nulla aut pauca operatur. Fraus vt dicit Greg. in noſtris operibus tribus modis committitur. Cũ aut gratia humani cordis, aut fauoris amor, aut res exteriores deſiderãtur. Solus ergò ille in opere fraudẽ non facit, qui nec ad corporales res, nec ad laudis verba, nec ad humani iudicij gratiã in bonis ſuis operibus anhelat. Hæc ergò prædicta duo, ſc. fraus & deſidia, in omnibus noſtris operibus abominabilia ſunt apud Deũ iuxta illud Hiere. *Maledictus qui facit opus domini fraudulenter & deſidioſe.* Hinc S. Iob. *Verebar omnia opera mea ſciens, quod non parceres delinquenti;* quaſi dicat, licet ea apertè conſidero, quid tamẽ in his lateat, penitus ignoro. igitur &c. *Tertiò* vigilandũ eſt per operũ noſtrorũ ſanctitatem: quæ tunc veraciter ſanctificantur, cũ dominus per occultã inſpirationẽ illabitur cordibus noſtris, & ipſa opera nobiſcũ operatur. Tunc ex eo, quod ipſe ſanctus eſt, erunt etiã opera noſtra ſancta *Ego ſanctus ſum qui ſanctifico vos.* Et ideò ante omnia & ſuper omnia vigilandũ eſt, quando Deus veniat aut recedat: quia omne bonum noſtrum ex eius acceſſu ad corda noſtra promouetur, & econtra. Idcircò vigilare debemus cũ venerit & pulſauerit, vt confeſtim aperiam⁹ ei *Beati ſerui illi quos cum venerit, inuenerit vigilantes. Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidiè, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Vos ſimiles hominibus expectantibus dominũ ſuũ, quandò reuertatur à nuptijs, vt cũ venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.* Vigilare nihil eſt aliud, quam diligentiſſimè obſeruare inter nos motus affectuum noſtrorũ, qui ex Dei præſentia alterantur & variantur ad diuerſa genera gratiarum; nunc enim premimur ad humilitatẽ, nũc accẽdimur ad charitatẽ nunc illuminamur ad aliqua myſteria cognoſcenda: & ſic varijs modis afficimur, ſecundũ quod S. ſanctus nos cognouerit indigere & nos dignatur promouere; & ideò valdè attẽtè obſecuãdę sũt vię ei⁹. vnde Iob.

Matt. 25. Vigiliæ tres neceſſariæ. Hebr. 11. Iacob. 2. Iacob 2. 2. Par. 19. Colloſ. 3. Deut. 16. Ierem. 48. Iob. 9. Leuit. 11. Luc. 12. Prou. 8. Luc. 12.

Quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. Quod exponens Gregor. dicit, Quaſi furtiuè venas ſuſurri ſui aperit nobis Deus, cum nobis latenter inſinuat, quibus modis ad noſtræ intelligentiæ aurem veniat: venit enim aliquandò ad nos amore, aliquandò timore. Compungit aliquandò præſentia ſuiipſius deſiderium noſtrum in diligendo; aliquandò mentes noſtras ad æterna, vt poſtmodum temporalia vileſcant; aliquādò nobis noſtra mala aperit, & ad hoc nos inſtruit vt de alienis malis etiam doleam⁹; aliquandò aliena mala noſtris obtutibus obijcit, & compunctos mirabiliter à noſtra prauitate nos corrigit. Venas itaque ſuſurri diuini audire furtiuè eſt diuinæ inſpirationis modos occultè ſuſcipere & tenere. Latenter quippè ad hoc venit ad nos, vt in eius præſentia promoueamur; & iterum ad hoc recedere ſe ſileat, vt iterum auidius requiramus, cogentes eum atque dicentes: *Mane nobiſcum domine.* Et hoc eſt quod dicit Bernardus. *Quandò Deus ad nos veniat, aut quo vadat, aliquandò periculosè ignoratur. Cum enim gratia ſua dona circa nos diſpenſat Spiritus ſanctus, vigilanter aduerte, ne aut ingratus aut tepidus exiſtas. nā cum aliquandò copiosè profundat, aliquandò gratiam ſubtrahat, ſi illæ viciſſitudines vigilantiſſimè non obſeruantur, in hoc genus miſeriæ incides, ſic vt nec præſentem glorifices, nec abſentem deſideres. Nempè quidem ad hoc recedit, vt auidius teneatur, & ſi abeſſe contingat, deſiderabilius quæratur. Cum autem abeſſe neſcitur, quomodo requiretur &c.* Vigilat ergò vt dicit Greg. qui ad aſpectum veri luminis oculos mentis apertos tenet. Iſta eſt nobiliſſima vigilia inter omnes, quæ citò perducit hominem ad perfectum.

Luc. 24.
Bern.

III.

Orate. Sicut per actū vidēdi purgamur, & per actum vigilandi ad bonum incitamur, ſic per actum orandi ſanctificamur. Dicit enim ipſa veritas. *Verba quæ ego locutus ſum, ſpiritus & vita ſunt.* Quantò crebrius ſumuntur, tantò ex eis homines verius ſanctificantur. *Sanctificatur homo per verbum Dei & orationem.* Eſt autem differentia inter ſanctitatem ſecundæ vigiliæ & iſtam. Quia illa eſt operum, iſta verò orationum, & vtriuſque exercitium facit affectiones ſanctas, & per conſequens homines ſanctos, dicente Bernardo. Affectio ſancta facit homines ſanctos. De his duabus ſanctificationibus dicitur in Apocal. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc,* quaſi dicat. Qui ſanctus eſt ſecunda ſanctificatione, ſanctificetur adhuc, ſcilicet per tertiam ſanctificationē. Sunt autem triplices ſpecies orationis præ cæteris ſanctiores, quæ ex triplici genere deuotionis domino offeruntur, ſcil. filialis, ſponſalis, & diuina. Filialis oratio eſt, quam filij offerunt Deo vt patri, quam tunc effundimus, cum per potiora & perfectiora exercitia ſublato timore peccatorum & horrore iudiciorum Dei, ex dulci affectu diu oramus ſtantes in eo affectu coram Deo ipſum dulciter amantes, & fiducialiter orantes, de patris affectu nihil omninò hæſitantes; ſicut filius ante patrem repræſentantes ſpeciem naturalis filij, qui ſemper dulciter & fiducialiter orauit. *Ego ſcio, quia ſemper me audis.* Hinc eſt quod dicit Apoſtolus. *Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba pater.* Dulciſſimum eſt nomen patris in ore filij. Si enim ſpiritu, qui à patre procedit in filium, oramus Deum, ſuſpirantes ad patriam, quomodo pater hanc orationē repellere poterit & eam non acceptare? Hanc orationem docuit nos Saluator noſter, dicens. *Sic orabitis, Pater noſter qui es in cœlis &c.* Ecce à paterno nomine docet orationem inchoare. Secunda oratio dicitur ſponſalis. Quæ ex tali affectu amoris Deo offertur, quaſi caſta ſponſa ſponſo ſuo, quæ non diligit aliud, nec quærit aliud, nec deſiderat niſi ſponſum; nam ſiue eam corripiat, ſiue durum ſe exhibeat, ſiue etiam percutiat, ſiue quocunque modo indignationis oculo ipſam reſpiciat, diligit eum vt ſponſum ſuum. Sic oratio ſpōſalis orat Deum, non propter gratiam impetrandam, vel quodcunque aliud, ſed propter ipſum ſolum; dicendo cum Pſa. *Quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram:* Et ſubdit. *Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* In hac oratione anima ſuſpenſa incipit languere & præ impatienti deſiderio æſtuare. In hoc affectu dicit ſponſa in Canticis. *Stipate me floribus, fulcite*

Ioan. 6.
1. Tim. 4.
Apoc. vlt.
Triplices orationes
Filialis.
Ioan. 11.
Galat. 4.
Matth. 6.
Sponſalis.
Pſal. 72.

fulcite me malis, quia amore langueo. Et iterum interpellans omnem cæli militiam dicit. *Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.* Vnde Bern. Subtractio rei amatæ eſt augmentatio deſiderij, quo neceſſe eſt affici mentem amantis vehementer eo abſente: Fruſtra enim, ni fallor, fit, vt languentis animæ quis tentet lenire dolorem, quem intus gerit ex vulnere amoris, niſi ſolus amator. Ad hunc affectum currunt omnes orationes, quæ petunt ſe Dei præſentia conſolari.

Diuina. Tertia oratio eſt & dicitur diuina, quæ de pleno promptuario omnium gratiarum ex fruitione diuinæ præſentiæ Domino exhibetur, per quā & omnes ſancti inebriā-

Pſal. 35. tur. iuxta illud pſalm. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Præ nimia delectationis dulcedine detrūcatæ orationes vel potius eructuatæ Domino euaporant vel deficiunt in oratione, neſcientes ipſi quid loquantur. Tam in figura quam in ſcriptura deuotis hominibus hoc legimus eueniſſe; in figura legi-

1. Reg. 1. tur hoc de Anna matre Samuelis, vbi dicitur de ea: *Mouebantur labia eius, & vox penitus non audiebatur.* Exiſtimauit ergò Heli ſacerdos eam temulentam, & dixit ei; *Vſquequo ebria eris? Digeere pauliſper vinum quo mades. Quæ reſpondit. Nequaquam Domine mi: Vinum enim & omne quod inebriare poteſt non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini &c.* Similiter in ſcriptura tales orationes inuenimus; de quo Bernardus ſuper illud canticorum, dilectus meus mihi & ego illi, dicit inter cætera; ad quid loquitur ſponſa mihi? ad nihil aliud niſi quod mirabiliter delectata, nec omninò tacere potuit: nec tamen quod habuit exprimere potuit. Flagrans enim amor, præſertim diuinus cum ſe cohibere non præualet, non attendit quo ordine quaue lege verborum ebulliat; interdum nec verba exquiruntur nec voces, ſed ſolis ſuſpirijs eſt contentus. Inde ē, q qui huiuſmodi ſācto amore flagrat, nō conſiderat quid, qualiter & quando loquatur, ſed quicquid in mentem venerit contingenti modo & caſualiter enunciat ſiue eructat; ad quam eructationem in præſenti, & in futuro ad plenam repletionem nos perducat Ieſus Chriſtus &c.

DE SANCTO MARCO.
SERMO

Similis factus eſt leoni in operibus ſuis. 1. Machab. 3.

SAnctus propheta Ezechiel in veteri teſtamento, & Ioannes in Apocal. beatum Marcum ſub figura leonis, cum alijs Euangeliſtis præuiderunt, nec immeritò, quia à voce clamantis in deſerto initium Euangelij ſui faciens leonem in montibus rugientem repræſentat. Eſt autem ſciendum quod leonis nomen diuerſimodè in ſcriptura ſacra accipiatur, eò quod leo, ex natura ſua habeat ſæuitiam & virtutem; Ex ſæuitia ſignificat diabolum, qui, vt S. Petrus inquit, circuit tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret: ex virtute autem ſignificat Deum & iuſtum hominem: de Deo dicit Ioannes in Apocalypſi; *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix* *Apoc. 5.*
Dauid: de homine iuſto ita inquit Salomon. *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore* *Prou. 28.*
erit. Quod exponens Gregorius dicit; qui ſua ſpontanea mortificatione contra omnia aduerſa fortitudinem ſecuritatis habet, leo meritò nuncupatur &c. Omittentes autem primum & ſecundum leonem, eò quod primi leonis ſæuitia & malitia abominabilis & ſecūdi virtus inattingibilis eſt, de tertio leone, id eſt, de homine iuſto aliquid dicemus, eidemque leonis proprietates applicabimus, quarum ſex in libris de rerum naturis aſſignantur. 1. veſtigia ſua *Propoſitio*
cauda delet; 2. rugitu ſuo catulos ſuſcitat; 3. beſtias in circuitu ſuo captiuat; 4. dorſum ſuum cauda verberat; 5. venatoribus obuiat; 6 dormiens vigilat. De his paucis or-

1. Proprietas. dine agendum. Primò proprium eſt leoni cauda veſtigia ſua delere, ne itinera eius deprehendantur. Quid per veſtigia niſi omnia temporalia, quæ ſunt veſtigia verorum & æternorum bonorum? veſtigium enim non eſt id cuius eſt veſtigiũ, ſed ſimilitudo eius: Similiter cauda eius finis eius, cuius eſt cauda. Si ergò in mentẽ venit delectatio tẽporaliũ bonorũ, quæ ſunt diuitiæ, honores & voluptates, cogitemus ad quẽ finem nos pertrahant ſcil. ad infernũ. Nõ ergò attendamus ad ea quæ apparent, ſed ad ea, quo pertrahunt, vt ergò omnia tẽporalia à noſtris affectibus penitus excludamus ne contra Deum diligantur, ſed per conſiderationẽ verorũ bonorũ tanquã per caudam deleantur, aduertamus illud Matt. *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur &c.* Gloſſa non prodeſt, ſed nocet, deletis

2. Proprietas. ergo veſtigijs per caudam finalis conſiderationis ſecũdo imitemur ipſum in rugitu, per quẽ catulos ſuos mortuos natos ad vitã ſuſcitat; ſic & nos omnes affectus noſtros pariter & animam noſtrã, quã propter prędicta tẽporalia, quibus adhæſimus, mortificauimus, per rugitum fortiſſimæ pænitentiæ ad vitã meritoriã ſuſcitemus, lugentes & validiſſimo clamore rugiẽtes animæ noſtræ detrimentum, quod ex malo vſu temporalium incurrimus, vt dicere poſſimus cũ ſancto Iob. *Tanquã inundantis aquæ ſic rugitus meus &c.* Quod exponens Gregor. dicit: Benè electi mentis ſuæ oculis iudicia diuina anteponunt, dũ ab occulta ſupra ſe ſententia trepidant, dũ ex vna parte culpas, & ex aduerſa diſtrictũ Dei iudicium cogitant. Ex quibus in eis viæ quædã aquarum colliguntur, vnde mæroris rugitus defluit. Hunc rugitũ etiã Dauid habuit, qui dicit in

Pſal. 37. Pſalm. *Rugiebã à gemitu cordis mei &c.* Sed quid prodeſt cõmiſſa pœnitẽdo diluere, niſi cũ ſumma diligentia etiã futura caueamus,

3. Proprietas. inanis nãq; eſt pœnitentia, quã ſequẽs culpa coinquinat. Idcircò tertio imitemur leonẽ in tertia eius proprietate, quia beſtias in ſuo circuitu nouit captiuare. In naturis rerũ legitur de leone, quod cũ vrgẽte fame prędã vult capere, horribilem rugitum emittit, ad cuius ſonitũ omnia animalia ſtant territa & ſtupefacta, & edictũ eius audiunt cum tremore; & tunc curſu ſuo circuit animalia quę nõ audent tranſgredi curſum illũ, ſic & nos, quia per rugitũ profundæ pænitentiæ nos ſuſcitamus, demũ cũ ſumma diligentia circumeamus noſtras beſtias, id eſt, motus beſtiales, ſtatuentes eis terminum regularis diſciplinæ quã nullatenus audeant trãſgredi ne iterũ peccãtes faciamus noſtra nouiſſima peiora prioribus, ſtatuẽtes talẽ terminum, vt ſolos ſenſus moueant & nequaquã ad conſenſum perueniãt, quia vt dicit Gregorius, tunc nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas, ſed quia vt dicit idem, non prodeſt mala facere, niſi quis ſtudeat bonis operibus inſudare, ideò quarto

4. Proprietas. imitemur leonẽ qui tempore commotionis dorſum percutit cauda ſua, quid per dorſum niſi laborem viribus commẽſuratum? quid per caudã, niſi finem debemus accipere: dorſum ergo cauda percutimus, ſi conſiderantes quod nõ diu perſiſtimus, ex hac cõſideratione cõmoti dorſo noſtro imponimus quicquid boni operis portare poſſumus, iuxta illud Eccleſ. *Quodcumq; facere poteſt manus tua, inſtãter operare, quia nec opus, nec ratio nec ſapientia nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas.* Ecce laborem (Eccl. 9.) & finis conſiderationem innuit. Et Apoſtolus. *Per patientiam curramus ad propoſitũ nobis certamen aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta,* & ſubdit ibidem. (Heb. 12.) *Recogitate cũ qui talẽ ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionẽ vt non fatigemini animis veſtris deficientes,* quaſi dicat, recogitate eum, qui pro vobis laborare non ceſſauit quouſque omnibus completis dixit in cruce, conſummatum eſt, & ſic per caudam etiam poſſumus recipere perſeuerantiam, per dorſum operationem. iubemur ergo in lege caput offerre in ſacrificijs cum cauda, id eſt, opus bonũ cũ perſeuerantia, ſi verò ex negligentia aliquid ſurrepſerit, vt non omni tempore ſecundũ quod poſſumus operemur, tunc cauda, id eſt, fortiſſima diſciplina dorſum noſtrũ tangamus, ne benignus Dominus, qui permortionem noſtram deſiderat, tanquam ſeruos inutiles flagellis ſuis nos caſtiget. Quæ tamen flagella qualiter ſuſcipiãtur & ſuſcepta offerantur, leo iterũ nos docebit.

5. Propr. Quintò legitur de leone quod cum ſenſerit

ſe à

ſe à venatoribus perſequi, glorioſum valdè ſe reputat, & vibrans caput & fremens animo, gaudens præparet ſe ad bellũ, nec tunc ſyluas repetat ne fugere videatur; ſed in apertũ campũ ſe recipit, vt à perſequentibus videatur, & ſic facilior ſit congreſſus, ſic & nos cum ſenſerimus nos tribulari, hoc nobis pro maxima gloria reputemus, & eiſdem gaudentes cum deſiderio occurramus; exemplo beati Andreæ, qui dixit; ô bona crux diu deſiderata & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, hæc enim eſt via per quam Deo placere debemus, iuxta illud. *Omnes qui tibi placuerunt ab initio, per varias tribulationes tranſierunt* Et de Thobia legitur; *Quia acceptus eras Deo, neceſſe erat vt tentatio probaret te.* Idcirco dicit Iacob. omne gaudium exiſtimate fratres cum in varias tentationes incideritis, & meritò quia vt dicit Apoſtolus. *Quod in præſenti momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, nec ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Sextò de leone legimus, quod apertis oculis quaſi vigilando dormiat, & quaſi ſimul vigilet & dormitet, per quod informamur, q̃ ſi poſt bonorũ operum laſſationẽ, & poſt fatigationem tribulationũ conſolari cupimus, tunc internę contemplationi ſtudioſiſſimè nos demus, quã ſi in nobis inſtaurari cupimus, primum poſtpoſitis actionũ tumultibus introrſum ingrediamur, & collectis affectibus de cunctis locis ſurſum omnia interiora ad Deũ erigamus, & in ipſũ nos ſuſpẽdamus, quod ſi fideliter agimus, cõdeſcendit nobis Deus & propinat nobis de ſua dulcedine aliquid, per quod inebriati omniũ bonorũ & tribulationũ quæ vnquã pertulimus mercedem copioſam mereamur, quod benè figuratum legimus de Moyſe qui cũ aſcenderet ad Dominũ in mõtem Synai, Dominus deſcendit ad eum. Per montem noſtra contemplatio intelligitur; cumque nos aſcendimus vt ad ea quæ vltra infirmitatem noſtram ſunt videndo ſubleuemur, in hunc montem Dominus deſcendit, vt aliquid de ſe ad guſtandum animæ exhibeat, quod quantumlibet paruum ſit, omnium tamen laborum pariter & tribulationum noſtrarum plenũ accipimus refrigerium & ſuperabundantẽ conſolationem. Et hoc promiſit Dominus, Iſa. dicens; *Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris,* id eſt, omnium gratiarum, de hac vigilia & dormitatione dicit ſponſa in Canticis. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Quod exponens Bernardus dicit; foris dormio, ſed intus cor vigilat, quia dum exteriora quaſi non ſentio, interiora ſuauiter appræhendo, dum per exteriores ſenſus ab huius vitæ tumultibus ſopio, viuacius interna appræhendo, tunc enim verba Dei mens viuacius penetrat, cũ admittere curarum ſæcularium tumultus recuſat. Ideò feliciter quieſcit hic in gratia, & ibi in gloria. Quod nobis præſtare dignetur pater &c.

Iudith. 8. Tob. 12. Iacob. 1. 2. Cor. 4. Rom. 8. 6. Proprietas. Exod. 34. Iſa. 60.

DE SANCTIS PHILIPPO ET IACOBO.

SERMO

Iſti ſunt viri miſericordiæ. Eccl. 44.

SANCTI Apoſtoli propter excellentem vitæ ſanctitatem, & innumeras gratias quas præ cæteris tanquam fundatores Eccleſiæ receperũt diuerſis nominibus ſunt appellati. Aliquando principes propter virtutum ſublimitatem; aliquando Angeli propter puritatem & nunciatorum veritatem; aliquando dij, vt dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt,

ſunt, idque propter miraculorum celebritatem. In propoſito themate vocantur viri miſericordiæ propter virilem eorum ſtrenuitatem & clementē pietatem; de his duobus paucis agendum.

I.

Virilem Apoſtolorum ſtrenuitatem declarat S. Bernardus dicens: ſancti Apoſtoli glorioſi in vita ſua, habebant in conuerſatione conſtantiam, in prædicatione ſapientiam & in paſſione patientiam. In his tribus claré patet eorum ſtrenuitas: primo habebant in conuerſatione conſtantiam; in omni conuerſatione ſua nihil penitus admittentes, in quo Deum poſſent offendere, aut propriam conſcientiam maculare, ſenſus exteriores ab omni illicito continētes: hæc autem vniuerſitas continentiæ in triplici genere conſiſtebat: continebant enim ſe à mundi diuitijs, eligentes nudam paupertatem, à carnis delitijs, aſſumentes puram caſtitatem; à diaboli aſtutijs, abnegantes conſenſum ſeu propriam voluntatem. In his tribus ab omni ſe proprio denudabant, plenè & perfectè res, corpus, & animam reſignantes. & in horum trium oppoſitis Deo ſtrenuè ſeruientes. Primò continebant ſe à mundi diuitijs, eligentes extremam paupertatem, reſpicientes in auctorem fidei Ieſum, qui pauper fuit in ingreſſu, in progreſſu, & in egreſſu, natus in diuerſorio, reclinatus in præſepio Lucæ. 2. In paupertate vixit; vltimo in cruce nudus pependit, in alieno panno inuoluitur, & in alieno ſepulchro ſepelitur. Quod conſiderantes ſancti Apoſtoli in profundam etiam valdè ſe paupertatem amore eius demerſerunt, in quorum omnium perſona dicit Apoſtolus. *Eſurimus & ſitimus & nudi ſumus & inſtabiles, tanquam purgamentum huius mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.* Secundò cōtinebant ſe à carnis delitijs reſpuētes omnem voluptatem, de quibus iterum Apoſtolus. *In carne ambulantes non ſecundum carnem militamus,* quaſi dicat, licet in carne viuamus, non tamen viuimus ſecundum carnem. Et alibi. *Non ſecundum carnem ambulamus ſed ſecundum ſpiritum.* Tertiò continebant ſe à diaboli aſtutijs ſiue à cordis vitijs abnegantes propriā voluntatem, de quo iterum Apoſtolus. *Nemo ſibiipſi viuit & nemo ſibi moritur,* id eſt, ſuæ voluntati. *Siue enim viuimus Domino viuimus, ſiue morimur, Domino morimur.* Ab his ergò tribus, ſcilicet rebus, corpore & ſpiritu ſeuiriliter continebant, vt in nullo iſtorum Deum vffenderent. Sed in iſtorum trium oppoſitis, ſcilicet paupertate, caſtitate & Dei voluntate Deo firmiter adhærebant. Et ſic in conuerſatione ſua habebāt conſtantiam, ab omnibus malis ſe præſeruantes. Secundò habebant in prædicatione ſapientiam per quam conſtanter prædicabant, doctrinam ſuam ſignis & prodigijs confirmantes: triplici autem ſapientia vſi ſunt in doctrina ſua, prædicabant enim ſine errore, & doctrinam ſuam impleuerunt opere & labore. Primò ſine errore omnes perfidias & hæreticas prauitates deſtruentes. Nā per Spiritum ſanctum quem acceperunt docti ſunt omnem veritatem. Hanc autem veritatem prædicabant purè propter Deum non propter ſuiipſorū oſtentationem, nec propter turpis lucri acquiſitionem, neque propter adulationem vel aliam quamcunque cauſam quæ poſſet curuare intentionem eorum: de quo Apoſtolus. *Fiduciam habuimus in DEO loqui euangelium Dei in multa ſolicitudine, exhortatio enim noſtra nō eſt de errore neque de immunditia, neque in dolo, ſed ſicut probati ſumus à Deo vt crederetur nobis euangelium; ita loquimur, non quaſi hominibus placentes ſed Deo qui probat corda.* Et ſubdit. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt, nec quærentes ab hominibus gloriam.* Hæc ibi. Secundo habebant ſapientiā ſine terrore: nam propter verbum Dei & ſalutem hominum vitam & corpora expoſuerunt. Hanc audaciam ſumpſerunt à Domino qui dixit eis. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Timete eum qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittere in gehennam.* Et hoc conſtanter fecerunt, quia propter nullam poteſtatem neque tyrannidem à verbo Dei ceſſauerunt, ſed cum magna conſtātia imperterriti loquebantur. *Oportet obedire Deo magis, quam hominibus.* Tertiò habebant talem ſapientiam, vt quicquid verbo docuerunt, Chriſtum ſe ſum imitantes opere & labore adimpleuerint, legitur de Chri-

Continentia Apoſtolorū tribus.
A diuitijs.
1. Cor. 4.
A carnis delitijs.
2. Cor. 10.
Rom. 8.
A diaboli aſtutijs.
Rom. 14.
Sapientia Apoſtolorum triplex.
1. *Sine errore.*
Ioan. 16.
1. Theſſ. 2.
2. *Sine terrore.*
Luc. 12.
Act. 5.
3. *Opere adimplebant.*
4.

Act. 1. Chriſto, cępit Ieſus facere & docere, primum facere poſtea docere. Sic beatus Iacobus hortatur nos in ſua canonica: *Iacob. 1.* *Eſto te factores verbi & non auditores tantum fallentes voſmetipſos.* Nulli dubium, quin prius fecerit quod monuit. Vnde Apoſtolus Paulus. *Rom. 15.* *Nō enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus, indicans non verè quidem prædicare eum qui prædicat & non facit.* Quia quicquid verbo prædicat, citius deſtruit ſi opere non implet, quod tamen eſt difficillimum, ideò veris prædicatoribus qui verbis prædicant & exemplis debetur aureola propter operis difficultatē. *Patientia Apoſtolorum.* Tertiò glorioſi iſti principes virilem conſtantiam in hoc exhibebant quod in paſſione habebant paticatiam nec murmurantes nec querimonias exhibentes, ſed tacita cōſcientia quicquid eis irrogatum fuerat sufferentes. Et hoc fecerunt propter tria, ſcilicet vt magiſtro ſuo ſe conformarent, vt prox[imis] ſuis exempla patientiæ relinquerent, & vt præmia inde cumularent, primum propter Deum; ſecundum propter proximum; tertium propter ſeipſos. Primo patientiam habebāt vt ſe magiſtro ſuo Ieſu Chriſto cōformarent. Sic enim prædixerat eis Ieſus. *Matt. 10.* *Nō ſit diſcipulus ſuper magiſtrū, nec ſeruus ſuper Dominum ſuum.* *Ioan. 15.* Et alibi. *Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Ad hanc conformitatem monuit nos Apoſtolus dicens. *Hebr. 12.* *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Et ſubdit. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes,* ſcilicet per impatientiam, quod & fecerunt, nam in omni preſſura eorum & anguſtia ad formam & exemplar à magiſtro eis traditū recurrerunt, ſic enim dixit eis magiſter. *Ioan 13.* *Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Secundo patientiam habebant, vt poſteris exemplum patientiæ relinquerent, ſicut & ipſi à magiſtro ſuo acceperunt hanc formam, & eam in poſteros transfuderunt, ſic legitur de ſancto Thobia. *Tob. 2.* *Hanc* tentationem permiſit Deus euenire illi, vt & poſteris daretur exēplum patientiæ, ſicut & ſancti Iob; Hæc ibi. Tertiò patientiam exhibebant ſancti Apoſtoli in ſuis paſſionibus vt præmia cumularent, nemo enim, vt ait Apoſtolus, coronabitur niſi legitimè certauerit. Legitimè aūt certat qui paſſioni patientiam ſuperaddit. Et hoc eſt maioris meriti. Vnde Apoſtolus *Quod in præſenti momētaneū eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* *2. Cor. 4.* Et ſic patet primum membrum, quomodo iſti duo principes viri ſunt, quia viriliter vixerunt, dicūtur etiam principes Angeli & dij, vt patet in ſermone Apoſtolorum Petri & Pauli huius poſitionis &c. II.

Cōmendantur etiam Apoſtoli à clemēti pietate. Extiterūt. n. circa ſeipſos duri & ſtrenui, & circa nos dicūtur miſericordes. Hæc eſt religioſa iuſtitia, vt quis ſit ſibi durus & alijs remiſſus; quamuis in multis religioſis cōtrariū inueniatur, videlicet vt ſibi ipſis ſint remiſſi & alijs duri. Dicūtur autem viri miſericordiæ, vt ait Bern. quia miſericordiam à Deo ſunt conſecuti, & nullis eorum meritis præexiſtentibus à Deo ſunt præuenti. *Non vos me elegiſtis ſed ego elegi vos, & poſui vt eatis & fructum afferatis & fructus veſter maneat.* *Ioan. 15.* Quod exponens Gregorius dicit: poſui ad aquirendam & augendā gratiam, plantaui in vineam, vt eatis volendo, & fructum afferatis operando. Nam velle aliquid facere mente ire eſt. Vnde pro omnibus nobis dicit Apoſtolus. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* *Tit. 3.* Secundo dicti ſunt viri miſericordię quia miſericordia pleni, quod in vita eorū & actib⁹ clarius inuenitur quomodo diſcipuli currebāt, quomodo ſeipſos impendebant, & quomodo omnibus miſericordiā deſiderantibus clementiā exhibebāt. Tertiò dicti ſunt viri miſericordię, quia miſericorditer nobis à Deo donati ſunt, vt videntes eorū lapsū & poſtea ad apicē tātæ ſanctitatis promotos nequaquā pro noſtris criminibus deſperemus. Hinc Gregor. Sacra ſcriptura narrat nobis ſanctorū geſta, vt ad eorū imitationem corda promoueat infirmorū. Dūq; victoriā illorū ſanctam cōmemorat, contra vitiorū prælia debilia corda noſtra cōfirmat. Et nonnunquā nō tantum eorum virtutes ſed caſus innoteſcit, vt & victoriam ſortiti videamus quid imitari, & in lapſis quid vincere debeamus quod nobis præſtare dignetur &c.

DE INVENTIONE S. CRVCIS.

SERMO.

Benedictum lignum, per quod ſit iuſtitia. Sap. 14.

DICIT gloſſa. *lignum per quod ſit iuſtitia* non eſt aliud niſi crux Chriſti. Nullum enim aliud lignum idoneum fuit ad faciendam iuſtitiam, niſi illud. Huius ergo rei occaſi- *Propoſit.* one circa verba thematis tria per ordinem proſequemur, ſcilicet de huius ligni benedictione, de eius diſtinctione, & iuſtitiæ exhibitione.

I.

Quoad primum quæri poteſt, cur hoc lignum dicatur benedictum: Vbi ſciendũ, quod in veteri teſtamento triplicem ob cauſam benedictio ſit exoptata, ſcilicet propter liberationẽ, ſeminis multiplicationem, cœli glorificationẽ; Propter eaſdẽ cauſas etiã reuerendũ crucis lignum meritò dicitur benedictũ. Primò Iudith legitur benedicta propter popul. liberatiõẽ *Benedixit te Deus in* *Iud.13.* *Iud.15.* *virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros*: & infra ibidem. *Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi tui, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum; ideò benedicta eris in æternum.* Sed quæ fuit cauſa huius benedictionis: non alia, niſi populi liberatio. Secundò legitur benedictus filius Tobiæ propter ſeminis multiplicationem, Gabelus enim cognatus *Tob.9.* Tobiæ veniens ad nuptias filij Tobiæ benedixit Deũ & dixit; *Benedicat te Dominus* *Gen. 28.* *Deus Iſrael, quia filius es optimi viri, & iuſti & Deum timentis & eleemoſynas facientis. Et dicatur benedictio ſuper vxorem tuam & ſuper parentes veſtros vt videatis filios veſtros & filios filiorum veſtrorũ vſque in tertiam & quartã generationẽ: & ſit ſemen veſtrũ benedictum à Deo Iſrael, qui regnat in ſæcula ſæculorũ.* Tertiò legimus Iacob Patriarcham a patre ſuo Iſaac benedictum, qui ſibi poſſeſſionẽ cœli adoptauit. *Deus omnipotens benedicat tibi, & det tibi benedictiones Abrahæ, vt poſſideas terrã peregrinationis tuæ, quã pollicitus eſt auo tuo.* His tribus benedictionibus benedixit Iacob filio ſuo Ioſeph in terra Ægypti. *Omnipotens* *Gen. 49.* *Deus benedicat te benedictionibus cœli* Ecce benedictio cœleſtis. *benedictionibus abyſſi iacentis deorſum*: ecce benedictionem liberationis *& benedictionibus vberũ & vuluæ*; ecce benedictionem ſeminis. His ergo tribus benedictionibus in vnã benedictione confluẽtibus venerandũ crucis lignũ meritò dicitur benedictũ: nã per id ſumus ab inferno liberati; meritis & gratia multiplicati; & ad cœlũ reuocati. Ideò ex profundo corde cum omni reuerentia proſtrati dicamus omnes. *Benedictum lignum per quod ſit iuſtitia.*

II.

Lignum hoc ab alijs diſtinguitur, præſertim à ligno præuaricationis, cuius fructũ primi parentes guſtantes præuaricati ſunt mãdata Dei, deinde etiã a ligno maledictionis, de quo dicitur *Maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno*, in quo ſcelerati pro ſuis ſceleribus ſuſpenduntur, in his enim non ſiebat iuſtitia hominẽ ſaluans, ſicut fit in noſtro ligno. Primò ergo dicitur benedictũ, quia per ipsũ ſumus liberati, in eo quod Chriſtus Ieſus cõpleta paſſione crucis deſcendit ad limbũ & per ſuæ præſentiæ illuſtrationẽ liberauit patres noſtros, & nos ſimiliter, vt illuc, niſi voluerimus, minime veniamus: de quo Gregorius. ecce nos qui redemptoris noſtri gratia liberati ſumus, hoc ex cœleſtis muneris gratia habemus, vt cũ a carnis noſtræ habitatione ſubtrahimur, mox ad cœleſtis gloriæ præmia perducamur, quia dũ redẽptor noſter clauſtra inferni penetraturus intraret, electorũ exinde animas eduxit, & nos illuc ire non patitur. Sed qui ante Chriſti aduentũ in hunc mundũ venerant, quantumcumq; de virtute iuſtitiæ haberẽt, ex corporibus educti in ſinum cœleſtis patriæ nullo

modo

modo recipi poterant. Sic Iacob Patriarcha audiens filiũ à beſtijs deuoratũ, dixit; *Deſcẽdã ad filiũ meũ lugens in infernũ*, id eſt limbũ; quantumcumq; enim homines ſancti erãt, in limbo detinebantur, donec per beneficiũ paſſionis Chriſti liberarẽtur. Secundò lignũ crucis benedictũ dicitur, quia per illud ſobole virtutũ, gratiarũ & meritorum ſumus per omnia ditati, nã merita Chriſti & ſanctorũ omniũ in virtute paſſionis crucis Chriſti vnita & coadunata participamus, & per omnia eis commmunicamus, ſic in figura legitur dixiſſe Iacob ad Labã. *Modicum habuiſti antequã venirẽ ad te*, ſcil. per beneficiũ paſſionis, *nunc autẽ diues factus es, & benedixit tibi Deus ad introitum meũ* Sic & Apoſtolus dicit. *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quoniam diuites facti eſtis in illo*, ſcil. vt qui in proprijs meritis deficimus, ex ipſius meritis ditemur. Tertiò dicitur benedictum propter cœleſtis ianuæ apertionẽ, quia per crucis lignũ aperta eſt ianua cęleſtis regni; quod pulchrè figuratũ legimus in lib. Num. *Exules & profugi ante mortẽ pontificis nullo modo in vrbes reuerti poterant ſed remanebant in vrbibus refugij donec ſacerdos magnus, qui oleo vnctus fuerat moreretur*. Hinc & Dominus per pſalm. *Singulariter ſum ego donec tranſeam.* Quia nullus quantumcunq; ſanctus intrare potuit, quouſq; in ligno crucis per mortem Chriſti debitum eſſet ſolutum.

Gen. 37. — Gen. 30. — 1. Cor. 1. — Num. 35.

III.

Pro tertij determinatione ſciendũ quod in paſſione Domini fuit triplex crux ſcilicet mali latronis, & boni latronis, & crux Chriſti. Et hæ tres cruces ſignificant triplex martyriũ, de prima enim cruce deſcenditur ad infernum; de ſecunda ad cœlũ; de tertia ad plenitudinẽ omniũ bonorũ, hæc aũt triplex crux vſque in finem ſęculi habet martyres ſuos. Oportet hominẽ velit nolit in aliqua illarum cruce pendere, & martyriũ ſuũ complere; mali enim homines pendent in cruce mali latronis, de qua, & ipſi tranſeunt cum malo latrone in infernũ. Boni autẽ pendent in cruce boni latronis, & cũ eo perueniunt ad regnũ cęleſte. Perfecti verò qui perfectè imitantur Dominum non declinantes ad dexteram neque ad ſiniſtram cum Chriſto pendent in eius cruce tranſeuntes de ipſa ad ſuperna præmia perfectorum. Eligat ergò nunc homo, in qua cruce cupiat ſuum martyrium adimplere, quia nemo declinare poterit, quin vnũ iſtorum martyriorum patiatur. nam ad labores & paſſiones ex præuaricatione prima addicti ſumus, vt nemo ex omnibus hominibus valeat has effugere; ſine paſſionibus nemo inueniri poterit ſuper terram. Eligat ergo homo ſalubriorem crucem à qua tandẽ fęliciter conſummatis paſſionibus huius ſæculi eat ad vitam & viuat cũ Domino in ęternũ, declinans crucẽ mali latronis, in qua filij huius ſæculi cruciantur, & de pœna huius cruciatus tranſeunt ad æternam damnationem. Nũc has tres cruces percurramus vt videamus, qui in qua cruce pendeant, & quos quilibet in ſua cruce ſufferat cruciàtus. Eſt prima crux mali latronis & cũ eo omnium peccatorum, qui cruciantur & fatigantur, vt ea ſibi attrahant, quæ in hoc ſęculo concupiſcunt, quorum alij inhiant honoribus, alij diuitijs, alij voluptatibus, quæ frequenter diuerſis afflictionibus conteruntur. *Non eſt ei benè qui aſſiduus eſt in malis*. Reuera non benè, ſed malè. Bern. *Sũt qui labores ſuſtinent, ſed non eſt illis pars in Domino; vigilant raptores circa noctem ferro veſtiti, vt prædam rapiant, vigilat fur, vt domum perfodiat, vigilat luxurioſus, vt ſuam adimpleat voluptatem, ſed hi omnes longè ſunt à labore & dolore, quem Dominus conſiderat & approbat. Hi de laboribus ſuis trãſeunt ad perpetuos cruciatus.* Habet autem hæc crux peccatorum vel filiorum huius ſæculi ad modum crucis quatuor cornua quæ eos ſic affligunt, vt numquam penitus requieſcant. Superior enim pars crucis eſt ſuperbia, qua laborant, vt alijs dominentur: inferior pars eſt luxuria, qua laborant, vt voluptate perfruantur, dextrũ cornu eſt auaritia, qua laborant vt diuitiæ acquirantur; ſiniſtrum cornu eſt inuidia, quæ inuidendo bonis aliorum cruciantur. Ex his quatuor infectionibus ita torquentur, vt nunquam requieſcant; de quibus dicit Iſai. *Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt*. Vel poſſet dici quod crux peccatorum ex quatuor timoribus conſtet. Semper enim ſunt in timore grauiſſimo conſtituti; nam ſuperior pars crucis eſt timor mortis; inferior eſt timor inferni; dexterum cornu eſt vel ſunt peccata inſequentia-

Tres cruces in paſſione Chriſti ſignant triplex martyrium. — *Crux peccatorũ.* — Eccl. 12. — Bern. — Iſa. 57.

tia vel accuſantia; ſiniſtrum ſcitecum eſt & durum Dei iudiciũ, ex quibus quatuor confluentibus in conſcientiã ſupra modũ torquent ipſam, idcirco dicitur in Prou. *Siue iraſcatur ſiue rideat*, ſc. impius, *nõ inueniet requiẽ*, & apud Iob, *Sonitus terroris ſẽper in auribus illius*. Ideò hac cruce dimiſſa cũ bono latrone cruci pœnitentiæ coniũgamur, nã de illa omni certò certi⁹ aut ad purgatoriũ aut ad cœlũ aſcendemus. Eſt ergò ſecunda crux boni latronis figurans vitã penitentiũ, & habet etiam quatuor cornua ſicut prima, ſuperior pars huius crucis eſt ſatisfactio de offenſa deitatis, cui omnia includimus quæ ad placandũ Deũ poſſumus exhibere, ſicut eſt contritio, confeſſio & ſatisfactio, dolor, gemitus lecti, flectiones deuotionis, quę de ſuperiori parte rationis ex corde dolenti videntur procedere. Hæc inquam omnia in vnũ cõgeſta ſurſum ad ſupplicandũ & placandũ Deum euaporata pro ſuperiori parte crucis accipimus. Secunda pars crucis inferior in qua pedes de terra eleuati duro clauo configuntur, eſt abdicatio omnis conſolationis terrenæ. Per pedes enim affectiones accipimus, quos de terra leuamus & cruci per clauũ affigimus, cũ eaſdẽ affectiones ab omni terrena conſolatione ſeparamus per clauũ diuini timoris, cruci Chriſti & paſſioni eius cõfigimur nihil aliud cogitãtes niſi Chriſtũ & hunc crucifixũ. Tertia pars huius crucis eſt cornu dextrum; cui etiam dextera manus configitur, per quã manũ, quæ prõpta eſt ad largiendũ, ignoſcibilitas (quæ eſt virtus inter alias virtutes largiſſima) intelligitur, hęc n. eſt virtus vt dicit Chr. quæ maximè hominẽ aſſimilat Deo; qui non ſolũ ſuis crucifixoribus indulſit, ſed etiã pro eis ad patrẽ interceſſit dicens. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*, propter quod de hac virtute ſępius in ſcriptura admonemur, Nunquam enim Deũ offenſum placabim⁹, niſi & noſtris offenſoribus ignoſcamus. Hinc dicitur apud Eccl. *Relinque proximo tuo nocenti tibi & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Qui enim in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam pro peccatis ſuis, quis exorabit pro delictis illius?* quaſi dicat, nullus, nec ſibi dimittentur: ſic & ipſa diuina veritas *Si dimiſeritis hominibus peccata, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Quod ſi vos non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Quarta pars iſtius crucis eſt cornu ſiniſtrũ per quod ablatarũ rerum reſtitutio deſignatur, quia vt dicit Auguſt. peccatum non dimittitur niſi ablatũ reſtituatur; & hoc nõ ſolũ intelligendũ eſt de rebus, ſed etiã de fama & honore & omni bono hominis indebitè ablata. Quia tales omnino corã Domino maledicti ſunt; niſi reſtituant &c. Tertia crux dicitur crux Chriſti. Sed talis ablata eſt & nimis ſublimis, & magni ſunt per omnia qui pendent in ea; ideò vſq; ad feſtũ exaltationis S. crucis de hac cruce ſermonem reſeruemus; quem infra in feſto exaltationis quærere placebit, quia materia competit illi feſto.

Prou. 29.
Iob. 15.
Crux pœnitentium.
Eccl. 28.
Matt. 6.
Crux perfectorum.

DE SS. CORPORE CHRISTI.

SERMO.

Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo. Ioan. 6.

Princip. commendant potentia, clementia, & magnificentia.

TRIA ſunt ex quibus ſolet commendari Rex vel princeps terrenus, primum eſt potentia, quia principatus non eſt niſi quædam ciuilis poteſtas. Ideò dicit Salomon *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis*. Secundum eſt clementia, quia poteſtas ſine clementia vertit verum principem

Prou. 14.

cipem in tyrannum. Ideò dicebat Arthax-
Heſt. 13. erxes rex magnus in lib. Heſter: *Cum gen-
tibus multis imperaſſem, & vniuerſum orbẽ
meæ ditioni ſubiugaſſem, nequaquam volui
magnitudine abuti potentiæ, ſed clementia &
bonitate gubernare ſubiectos.* Vnde in libr.
3. Reg. 12. Reg. & Paralip. *Si placueritis populo huic &
2. Para. 16 leniteris eos verbis clementibus; ſeruient tibi o-
Prou. 20. mni tempore:* & Salomon in Prouerb. *Robo-
ratur clementia thronus regis.* Tertium eſt
magnificentia. Magnificentia enim eſt vir-
tus ſolis principibus conueniens. Ideò dici-
Heſt. 1. tur Aſſuerus rex feciſſe cœnam magnã cũ-
ctis principibus. In qua fuit miniſtrantiũ
abundantia, vinum quoque magnificentia
regia dignum apponebatur. Et quia domi-
Apoc. 1. nus noſter Ieſus Chriſtus eſt princeps Re-
Chriſtus gum terræ; ideirco poteſt ab hoc triplici
commen- præconio commendari, & ſingulariter in
datur à ſacramento diuiniſſimæ Euchariſtiæ. In
tribus an- quo primo oſtendit ſuam omnipotentiam
tedictis. quia non minoris virtutis eſt mundum de
nihilo creare, quam totam ſubſtantiam pa
nis ſubitò in corpus ſuum incorruptibile
Pſal. 110. conuertere; ideò di it Pſal. *Quoniam me-
moriam fecit mirabilium ſuorum*, Chriſtus
in hoc ſacramento. Opera enim mirabilia
declarant diuinam potentiam. Pro quibus
Pſal. 138. propheta dicit. *Confitebor tibi quia terribili-
ter magnificatus es, mirabilia opera tua & a-
nima mea cognoſcet nimis.* Secundò Chriſtus
oſtendit ibi clementiam ſuam; quia totum
ſemetipſum dedit, tàm dignis quàm indig-
nis: & ideò ſequitur, *miſericors & miſerator
Dominus.* De qua clementia dicit propheta
Pſal. 144. in Pſal. *Suauis dominus vniuerſis, & miſera-
tiones eius ſuper omnia opera eius.* Tertiò
Chriſtus oſtendit ibi ſuam magnificentiã
quia ibi ſtatuit dari vnum ferculum, quod
habet in ſe plus de pretioſitate quam ſuum
totum regnum: ideò Pſal. extollens mag-
nificentiam diuinam dicit. *Oculi omnium
Pſal. 144. in te ſperant domine, & tu das eſcam illis in
tempore opportuno.* Et quia opportuna manus
in principe deſignat magnificentiam; ideò
dicit. *Aperis tu manum tuam, & imples om-
ne animal benedictione.* Tantam igitur Sal-
uatoris noſtri potentiam, tantam clemen-
tiam, tantamque magnificentiam conſide-
rans mater ſancta Eccleſia erga ſe ex maxi-
ma Chriſti dilectione & charitate oſtenſã,
meritò hoc digniſſimum ſacramentum tã-
to deuotius, tantò celebrius venerari cen-
ſuit, quantò maiora ex eodem ſibi benefi-
cia proceſſiſſe conſpicit. Quorum quidem
beneficiorum illud præcipuum videtur,
quod hoc venerabile ſacramẽtum faciat in
nobis manere Deum & nos in Deo. Hinc
Saluator loquens de perfectione huius ſa-
cramenti dicit in verbis propoſitis: *Qui mã
ducat meam carnem & bibit meum ſangui-
nem in me manet, & ego in eo.*

Circa materiam præſentis ſermonis tria propoſit.
quæri poſſunt. Primo, quare Chriſtus inſti-
tuens hoc ſacramentum voluit nos partici-
pes eſſe eiuſdem per ſacramentalem man-
ducationem? Secundò, quare cum Chri-
ſtus iſtud ſacramentũ inſtituerit ſub dupli-
ci ſpecie; Eccl. Romana non tradiderit illud
laicis niſi ſub vna. Tertiò, quæ & quanta
ſit vtilitas huius ſacramenti vltra alia ſacra-
menta. Iſta tria tanguntur in verbis propo-
ſitis; nam ſacramentalis perceptio tangi-
tur, cum dicitur: *Qui manducat.* Sub dupli-
ci ſpecie inſtitutio tangitur, cum dicitur,
meam carnem, & ſanguinem meum. Vtili-
tatis fructus & effectus ſalutaris conſecutio
cum dicitur, *In me manet, & ego in eo.*

I.

Qui manducat: D. Thomas in ſermone
quodam dicit, quod Chriſtus inſtituens
hoc ſacramentum; voluit nos participes eſ-
ſe ipſius per ſacramentalem manducatio-
nem vt per hoc faceret memoriam qua-
druplicis ſui maximi beneficij, ſcilicet ſuæ
paſſionis, ſuæ propitiationis, ſuæ dilectio-
nis, & ſuæ vnionis. De primo ſcilicet, de
paſſione dicit ipſe apud Lucam. *Hoc facite* Luc. 22.
in meam commemorationem. Quæ verba re-
petit Apoſtolus in epiſtola hodierna, vbi
expreſſè dicit. *Quotieſcunque manducabitis* 1. Cor. 11.
*panem hunc, & calicem domini bibetis, mor-
tem domini annunciabitis.* Semper quidem
in memoria debet eſſe paſſio Chriſti iuxta
illud *Recordare paupertatis meæ abſynthij &* Thren. 3.
fellis: Vnde Gregor. dicit. *Hæc namque victi-* Greg. 4.
ma ab æterno interitu animas ſoluit, quæ no- dialog.
*bis illam mortem vnigeniti reparat, qui licet
ſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi
vltra non dominabitur, tamen in ſeipſo im-*

mortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Et poſt pauca. *Hinc ergò penſemus, quale ſit pro nobis illud ſacrificium, quod per oblationem noſtram vnigeniti filij paſſionẽ ſemper imitatur*. Hęc ille. Bernardus autem.

Bernar. *Memoria paſſionis Chriſti habetur in hoc ſacramento, ſi ad memoriam reuocetur, quomodò fiat panis de grano triturato, mola contrito in clibano cocto*. Granum Chriſtus eſt. *Niſi*

Ioan.12. *granum frumenti*. granum hoc trituratum eſt in flagellatione. *Tunc apprehendit eum*

Idem 19. *Pilatus, & flagellauit*, Contritum in mola

Figura. crucis: vnde figuratum in Samſone, quem Philiſtij excęcantes molere fecerunt. Sic Iudæi, niſi excæcati fuiſſent, mola crucis non attriuiſſent Chriſtum iuxta illud. *Attritus*

Iſa. 53. *eſt propter ſcelera noſtra*. Miſſus quoque eſt panis iſte in clibanũ, ſepulchri quoad corpus; inferni, quoad animam. Ecce memoriale paſſionis, quod toties recolitur, quoties venerabile Euchariſtiæ ſacramentum manducantur. De memoria propiciationis diuinæ dicitur in Leuit. *Sacerdos tollet pu-*

Leuit. 2. *gillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus, & ponet in memoriale ſuper altare*: hoc eſt memoriale propiciationis. Per oblationẽ ſuper altare propitiatio fit, maximè per altaris ſacramentum, ſecundum Greg. Eſt aũt ſciendum, quod in Chriſto ſunt tres ſubſtantiæ, ſcil. corpus, anima, & Deitas: per ſimilam ergò caro Chriſti ſignificatur propter candorem munditiæ, in ſimila ergò corporis Chriſti munditia: in oleo autem animæ eius gratia: in thure verò diuinitas, cui latria & honor debetur, quæ in thure oſtẽditur, iuxta illud Catonis; Thure Deũ placa. Per hanc igitur ſimilam habemus propitiationem contra culpam.

De memoria dilectionis Chriſti dicitur

Oſea 14. apud Oſeam. *Diligam eos ſpontanè*: vbi enumerans ſuæ dilectionis beneficia, inter alia hoc ſubiungit; *Viuent tritico, memoriale eius ſicut vinum Libani*. Pro memoriali ergò dilectionis habes triticum corporis Chriſti, & vinum ſanguinis eius. Dilectio aũt Dei, quę nobis in hoc ſacramento oſtẽditur, euidenter ſignificatur in lib. Regum. Vbi tria de ouicula pauperis narrantur; ꝙ

2. Reg. 12. pauper eam emerat, quod de pane & calice ſuo nutriuerat, quod in ſinu illius dormiebat. Pauper hic eſt Chriſtus. *Propter nos egenus factus eſt*. Ouicula huius pauperis eſt fidelis anima. *Inueni ouem, quam perdiderã*. *2. Cor. 8.*

Magna ergò dilectio Chriſti, quod hanc ouem pretio ſanguinis ſui emerit. *Empti eſtis pretio magno*. Item pabulo corporis Chriſti nutritur. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum*. Item ſinu miſericordiæ eius fouetur, vt tandem in ſinum gloriæ recipiatur. *Mortuus eſt mendicus, & portatus in ſinum Abrahæ*. De memoria vnionis eius dicitur pſal. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator dominus, eſcam dedit timentibus ſe*: ſicut enim magna eſt vnio eſcarum ad ſumentem, quia carni & ſanguini vniuntur: ſic nos vnimur mirabiliter eſcæ corporis Chriſti. Vnde ab Auguſtino dictũ eſt. *Cibus ſum grandium*. Et ſequitur; *Nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me*: ex quibus omnibus infero, quod perceptio huius ſacramenti ſit perfectio omnium virtutum in nobis: igitur meritò eſt frequentandum; & primo ad fidem catholicam extollendam, quia cum virtus ſit de bono & de difficili, quanto eſt difficilior, tantò eſt laudabilior. & quia hoc ſacramentum eſt arduum ad credendum, ideò dignificat fidem credentis, & eius meritum exaltat: vnde & dicitur myſterium fidei, id eſt, habens ſecretam & occultam intelligentiam tenẽdam per fidem, quia aliud videtur, aliud ſub viſis eſſe firmiter creditur. Secundò ad ſpem de futuro confirmandam, quia ſpes promiſſi boni maximè confirmatur per arram: iſtud autem ſacramentum eſt pignus & arra futuræ beatitudinis, quam expectamus. Vnde non ſolum eſt ſignum rememoratiuum, ſed etiam prænoſticum, ſecũdum Dionyſium in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia. Tertiò ad charitatem in nobis incendendam, quia naturaliter quilibet inclinatur ad diligendum ſe diligentes. Hinc Chriſtus vt maximè nos incitaret ad charitatem, in hoc ſacramento ſuam maximam dilectionem in nobis voluit oſtendere; in quo non ſua, ſed ſeipſum nobis dedit. Vnde hoc ſacramentum eſt, quod maximè eccleſiam tenet in ſanctitate & puritate, ſicut dicit Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia. Ex his patet ſolutio primæ dubitationis, quæ fuit: cur Chriſtus inſtituens hoc ſacra-

Margin notes (right column): *Luc. 15.* *1. Cor. 6.* *Sap. 16.* *Luc. 16.* *Pſal. 110.* *Aug. in 7. conf.* *Cur Euchariſtia frequentanda.* 1 2 3

ſacramentum voluerit nos eſſe participes ipſius per ſacramentalem perceptionem, quæ eſt manducatio. Quoniam vt audiſtis, hoc exigebat quadruplex memoriale magni beneficij humano generi impenſi, ſcilicet paſſionis, propitiationis, dilectionis, & vnionis. Inſuper requirebat hoc ipſum perfectio triplicis virtutis principalis, ſc. fidei, ſpei, & charitatis, quæ per hoc ſacramentum perficiuntur.

II.

Cur Chriſtus ſub aliena ſpecie ſumatur.

Ioan 20.

Gregor.

Meam carnem & meum ſanguinem. Cum Chriſtus illud ſacramentum inſtituerit ſub duplici ſpecie, cur Eccleſia Romana non tradit illud laicis niſi ſub ſpecie vnica? circa huius dubitationis ſolutionem etiam illud eſt conſiderandum, quod cum Chriſtus hic aſſerat eſſe carnem ſuam & ſanguinem ſuum, quare ſub proprijs ſpeciebus carnis & ſanguinis non potius ſumantur, quam ſub alienis, ſcilicet panis & vini. Hoc igitur primo ſoluendum. Aſſignatur autem huius triplex efficax ratio. Prima eſt, vt fides habeat meritum, dum aliud credit interius, aliud cernit exterius. Vnde ſic dictum eſt Thomæ: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Non [illegible] *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* [illegible] nus, quod cerneret oculus, [illegible] tione diſt. 2. quid ſit. Horret [illegible] mus carnem crudam comedere, [illegible] beſtia [illegible] Tertio ad ludibrium [illegible] de conſ. diſt. 2. [illegible] nobis [illegible] pollent, [illegible] habentes [illegible] His præmiſſis [illegible] ad propoſitam duo rationem ſoluendam, pro cuius ſolutione iſta ſit catholica concluſio. Communio Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, nō eſt neceſſaria toti populo credentium ſimpliciter, & abſolute ad ſalutem, licet Chriſtus de vtraque ſpecie in verbis Euangelicis faciat mentionem. Probatur primo per legem diuinam. Secundo per conſuetudinē & praxim Eccleſiæ primitiuæ. Tertio per ſacra concilia. Quartò per dicta ſanctorū

Altera ſpecies ſufficit ad ſalutem.

Probatur ex lege noua.

doctorum in lege Dei veracitēr ſe fundantium. Primò probatur per legem diuinã tã noui quam veteris teſtamemti; nam in lege noua Chriſtus loquens de hoc ſacramento quindecim vicibus, vel forte pluribus fecit mentionem de hoc ſacramento; de pane quidem, & de manducatione tantum, vndecim vicibus: de manducatione verò carnis, & bibitione ſanguinis quater: de vino verò in toto proceſſu non fecit mentionem, vt patet Iohannis ſexto per totum; ad oſtendendum vtique manifeſtè, quod ſumere ſub altera ſpecie tantum, ſcilicet ſub ſpecie panis, ſufficiat ad ſalutem; quodque ſub ſpecie panis contineatur vera caro Chriſti, & verus ſanguis ipſius. Vnde inquit, *Operamini cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis: hunc enim pater ſignauit Deus.* Ecce primum teſtimonium, in quo nullam facit mentionem de potu; & dicit cibum permanere & ſufficere in vitam æternam. Item ibidem. *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo verum?* Non dicit, [illegible] *Panis enim Dei eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.* [illegible] *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam.* Item [illegible] *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Item ibidem. *Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis de ipſo manducauerit, non moriatur.* Item [illegible] *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Item octauo. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Item nono. *Amen amen dico vobis, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Vbi primo incipit facere mentionem de bibitione ſanguinis, nullam tamen de ſpecie vini mentionem facit. Item decimo. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Item vndecimo *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus.* Item duodecimo in verbis noſtri thematis. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet.* In quibus ſolū quatuor locis fit mentio

de po-

de potatione ſanguinis, & nullo modo de potatione vini. Cum igitur ſub ſpecie panis contineatur totus Chriſtus & integer, patet, quod qui ſumit ſub vna ſpecie, ſumit vtrumque, ſcilicet carnem & ſanguinem, & implet domini mandatũ illud. *Niſi mã ducaueritis*. Vnde Chriſtus concludendo poſt omnia ſua dicta de hoc ſacramento finaliter dicit. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Cum ergò ſub ſpecie panis iſtud ſacramentum conferat vitam æternam; igitur ſufficit fidelibus laicis ſub vna ſpecie ad ſalutem; & per conſequens taliter ſuſcipiens implet præceptum Chriſti, quod dicitur de carne & ſanguine.

Et poteſt ex his ſic concludi hæretico. Aut totus Chriſtus eſt & integer ſub ſpecie panis, aut non; ſi non, tunc falſum dicit. *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.* ex quo enim non eſt totus, quomodo eſt viuus; ſi autem eſt totus & viuus; igitur eſt cum ſanguine, cum ſanguis ſit ſedes animę, quæ eſt vita corporis; Si igitur totus cum ſanguine, igitur qui ſumit corpus ſub ſpecie panis, ſimul ſumit & ſanguinem. Secundò idem probatur per illud, quod cum Chriſtus docuit diſcipulos orare pro neceſſarijs ad ſalutem, inquit. Sic orabitis. Pater noſter &c. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodiè.

Matth.6. *Luc.11.*

Quod vtique de hoc ſacramento exponitur ſecundum Hieronymum, Cyprianum, & Nicolaum Lyran. Vnde petendo hoc ſacramentum petimus omnia alia, quia omnia alia ordinãtur ad ipſum, qui ideò dicitur quotidianus, quia quotidiè ſumitur per miniſtros Eccleſiæ pro ſe & pro tota communitate: hæc Lyra. Nulla autem alia mentio fit ibidem de ſpecie vini.

Probatur ex lege veteri.

Idem probatur per illud, quod in veteri teſtamento figuratum eſt de hoc ſacramento. Et primo de Melchiſedech, qui in figura Chriſti panem & vinum obtulit.

Geneſ.14. *Hebr.7.*

Illud autem fuit in figura ſicut & cætera. *Omnia in figura contingebãt iais.*

1.Cor.10.

Nõ legitur autem Melchiſedech ſic dediſſe populo, ſed per ſemet tantũ ſic obtuliſſe more ſacerdotis. Idem probatur de agno paſchali. Vbi ſolum præcipitur eſus agni non cum aliqua bibitione vini. Agnus autem eſt figura huius ſacramenti, cum de Chriſto dictum ſit. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Ioan.1.

Idem probatur de manna, quod datur de populo Iſrael, ſine aliqua bibitione vini vel aquæ. Et tamen habuit per ſe omne delectamentum ſuauitatis.

Sap.16. *Leuit.1.*

Idem probatur per illud Leuitici, vbi dicitur, quod ſacerdos ſumens ſanguinem offerat pro peccato ſacerdotis, vel etiam totius multitudinis, & aſpergat quaſi velum ſanctuarij & eodem modo ponat ſuper cornu altaris reſiduum fundendo ſuper baſim altaris holocauſti. Et rurſus ibidem. *Sanguinem dedi vobis vt ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris.*

Ibid.17.

Ecce quidquid de ſacrificio ſanguinis fuit in veteri teſtamento, totum refertur ad ſacerdotem, & non ad populum. In cuius ſignum ſoli ſacerdotes vtebantur libaminibus, id eſt, his ſacrificijs, quæ fiebant ex fluida materia, ſcilicet oleo & vino. Idem patet de Abraham, qui venientibus ad ſe angelis fecit commiſceri tria ſata farinæ, & panem fieri, nulla mentione facta de vino.

Gen.18.

Idem patet de comeſtione Heliæ, qui comedit panem ſubcinericium, & ſciphum aquæ bibit, non autem vini, in quo ſacramentum ſanguinis Chriſti conficitur.

Probatur ex praxi Chriſti.

Hoc idem patet ex praxi Chriſti & Apoſtolorum. Nam non legitur Chriſtus aliquem laicum ſub vtraque ſpecie, præter ſolos Apoſtolos duodecim communicaſſe, quos tunc & ſacerdotes ordinauit.

Ioan.13. *Mar.14.* *Luc.22.*

Et tamen ſi iſta communio fuiſſet de neceſſitate ſalutis, vtique non prætermiſiſſet matrem ſuam chariſſimam & alios minores diſcipulos, de quibus nulla fit mentio tanquam laicis. Hoc etiam patet ex pluribus conuiuijs per Chriſtum factis, in quibus nunquam legitur aliquem potaſſe, vt dicitur apud Matth. & Ioan. de quinque panibus. Et apud Marcum de ſeptem panibus.

Matt.14. *Ioan.6.* *Mar.7.*

Vnde & poſt reſurrectionem cum duobus diſcipulis in Emaus ſolum panem legitur fregiſſe. Et tamen ille panis non ſolum figurabat, ſed etiam ſecundum Auguſtinum, Bedam, Theoph. & omnes alios erat corpus Chriſti.

Luc.24. *Auguſt. l.3 de conſenſu Euangel. c.25.*

Itẽ Chriſtus poſt reſurrectionem apparens diſcipulis comedit cum illis tantũ piſcem aſſum & fauum mellis. De quo dicit Innocentius, Gregorius & Auguſtinus, quod piſcis aſſus Chriſtus eſt paſſus.

Probatur ex praxi Apoſtol.

Hoc expreſsè quoque patet ex praxi Apoſtolorum in primitiua Eccleſia; dicitur enim in actibus Apoſtolorum;

lorum, *quod omnes fideles erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & fractione panis.* Magiſter in ſcholaſtica hiſtoria exponit, id eſt, Euchariſtiæ, vbi nulla mentio fit de vino. Nec Apoſtolus ita præcepit faciendum, ſed narrat per Chriſtum ita factum. Item nullus Apoſtolus legitur hoc dogmatizaſſe vniuerſaliter, prçterquã Paul⁹ ſolis Corinthijs, apud quos erat talis cõſuetudo. Quos quia abutebantur iſto ſacramento in ſumendo ſanguinem in multa materia reprehendit dicens, alius autem ebrius eſt: tamen ſi fuiſſet hoc neceſſitatis, quilibet Apoſtolus hoc in verbis docuiſſet, & ſcriptis reliquiſſet. Idem patet ex praxi multorum ſanctorum, qui in infirmitate politi

Multi SS. in infirmitate ſub vna ſpecie communicarunt.

ſolum ſub vna ſpecie communicabant per modum laicorum: licet etiam fuiſſent ſacerdotes; ſicut patet de beato Hieronymo; de quo ſcripſit Euſebius in epiſtola ad Auguſtinum. Simili modo beatus Ambroſius legitur communicaſſe de manibus beati Honorati Vercellenſis Epiſcopi. Idem legitur feciſſe beatus Benedictus. Idem legitur feciſſe beatus Agapitus papa, qui quendam claudum ſub vna ſpecie communicans, fertur perfectè curaſſe. Idem narrat VVilhelmus in ſuo ſacramentali, Hugonem de ſancto Victore doctorem maximum in extremis feciſſe. Idem probatur per canonem Iſidori ex libro conciliorum, qui in ſexta ſynodo Conſtantinopolitana

Probatur ex concilijs.

dicit; Citra ſanguinem, id eſt, excepto ſanguine cęremonias in Eccleſiis celebramus, quaſi dicat laicalem communionem, quæ eſt ex ſtatuto & præcepto Eccleſiæ introducta quaſi quædam cæremonia, ſine ſanguine damus. Et ſequitur de communione ſacerdotali. Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas, & ſanctificamur participes effecti tàm ſanctæ carnis, quàm pretioſi ſanguinis Chriſti: hæc ille. Hoc idem oſtendit concilium duodecimum Toletanum, quod narrat multos infirmos reieciſſe Euchariſtiam, quæ datur ſine hauſtu dominici calicis, cum alias multi infirmi non poſſent quicquam deglutire propter ſiccitatem oris. Idemque patet ex concilio Remenſi. de conſecratione diſtin 2. peruenit. Vbi declaratur quod ſufficit dare Euchariſtiam infirmis ſine vino. Idem dicit concilium Vormacienſe, quod præcipit habere paratam hoſtiam ad communicandum infirmum, nulla mentione facta de vino, vt de conſecratione diſtin. 2. Presbyter. Et hæc vocatur ſæpius laica cõmunicatio, vt l. diſt. ſi epiſcopus. & 55. di. ſi Euangeliſta. vbi dicitur quod epiſcopus vel presbyter propter crimen capitale per ipſum commiſſum depoſitus laicalem cõmunionem tantum accipiat, quamdiu vixerit. Idem habetur ex concilio Sardinenſi per duo decreta. Vbi ſimiliter laicalem cõmunionem vocat ſub vna ſpecie, ſcilicet, corpus Chriſti, ſecundum Abbatem. Secũdum Innocentium, id eſt, viaticum. Secũdum Hoſtien. id eſt, panis benedictus, vel corpus Chriſti. Idem Iohan. Andreæ in nouella de electione. Oſius. idem patet de cõſecratione di. 2. in tribus. Vbi præcepit Clemens papa presbyteris reliquias fragmentorum corporis dominici cuſtodire, nulla mentione facta de vino. De cuius tamen cuſtodia ſi fuiſſet in vſu; maior cautela fieri debuiſſet. Vnde dicit Archid. de conſecra. diſt. 2. Presbyter. quod non prçcipit ſeruari ſanguinem, quia opus eſſet nimia cautela in eo ſeruando; & ſequitur. Nec eſt opus, quia vbi eſt corpus, ibi eſt ſanguis. Item ſancta ſynodus Romana cui præſedit Leo papa de conſecratione diſt. 2. in quibus dicit. idem eſt corpus, de quo dictum eſt. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. ſequitur ibidem. Corpus Chriſti edimus, vt vitæ æternæ poſſimus eſſe participes. Ecce quomodo illa copulata corpori ſoli attribuit conciliũ, vt innuat quod ſufficit ſumere ſub altera ſpecie. Quis autem niſi fatuus audeat contradicere tantis concilijs, quorum eſt ſaluberrima auctoritas, & quibus Eccleſiæ negotia terminantur vt dicit Auguſtinus ad Ianuarium, & Gregorium 15. di. Canones, dicit, quod ſicut quatuor libros Euangelij, ſic quatuor concilia ſuſcipere & venerari debemus. Idẽ probatur ex antiquiſſima conſuetudine Eccleſiæ.

Probatur ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine.

Sunt enim ferè ducenti & plures anni, ex quo doctores catholici ſcribentes de hoc ſacramento, nihil faciunt de perceptione vini in calice, immò à tanto tempore

pore ſemper aſtruunt ſcriptis & exemplis non eſſe neceſſariam ſumptionem ſanguinis Chriſti in calice ipſis laicis perſonis. Vnde indubitanter tenendum eſt, quod nunquam fuerit in Eccleſia de vniuerſali conſuetudine Eccleſiæ. Sed ſecundum varium exemplum Chriſti in cœna, varia fuit conſuetudo in diuerſis Eccleſijs. Cum ergò generalis conſuetudo iam à tot annis ſic obtinuerit, non licet eam immutare, eò quod maximam vim habeat legis, vt dicit Thomas. ſecunda ſecundæ. quæſtione 4. articulo duodecimo. Et ideo dicit Auguſtinus ad Caſſulanum, quod contemptores conſuetudinis Eccleſiæ vniuerſalis, ſicut contemptores legis puniendi ſunt duodecima diſtinctione. De his. Turpis enim pars eſt, quæ toti non congruit vniuerſo. octaua diſtinctione. Quo iure. Ex his infero, quod ſentiens contra conſuetudinem Eccleſiæ vniuerſalis in ſacramentis, hæreticus eſt cenſendus. Patet per beatum Thomam ſecunda ſecundæ. quæſtione nonageſimatertia. vbi dicit. Sicut falſarius eſſet, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quæ non eſſent ſibi commiſſa; ita vitium falſitatis incurrit, qui ex parte Eccleſiæ cultum exhibet diuinum contra diuinam auctoritatem ab Eccleſia conſuetam. Idem hoc patet per ſanctos doctores antiquiſſimos. Nam Ambroſius in libro de ſacramentis, & in libro de paradiſo dicit; Iſta eſca quam accepiſtis, iſte panis viuus qui de cœlo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam adminiſtrat; & quicunque hunc panem manducauerit, viuet in æternum; quia corpus Chriſti eſt, de conſecratione diſtinctione ſecunda. Reuera. & can. Omnia. & can. In illo. & can. Non iſte. & ca. Ante benedictionem. In quibus omnibus habetur, quod ſumptio Euchariſtiæ ſine ſanguine ſufficiat per ſe ad ſalutem ſub ſpecie panis. Item Auguſtinus in epiſtola ad Hucaum, Chriſtus panis eſt, de quo, qui manducat, viuet in æternum. de conſecratione diſtinctione ſecunda. Chriſtus. Idem in ſermone de verbis domini habetur, & habetur in gloſſa, primo Corinth. vndecimo. & ſuper pſal. trigeſimum tertium. Vbi ſemper ſolum facit mentionem de pane, & nihil de potu. Idem Hilarius in multis locis de Trinitate. de cōſecratione diſtinctione ſecunda. Si non ſunt. Et ca. in Chriſto pater. Item Hieronymus exponens illa verba. Niſi manducaueris carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, dicit, intelligendum eſt de manducatione ſpirituali, quæ eſt incorporatio fidelis animę per gratiam, per quam incorporatur tanquam membrorum corpori Chriſti myſtico. Item Magnus Innocentius de officio miſſæ dicit, quod vbi non poſſet inueniri vinum, poteſt licitè alterum ſine altero conſecrari, ergò non eſt neceſſitatis abſolutę. Item doctor Alexander Halen. in quarta parte ſummæ ſuæ dicit, quod Chriſtus ſumatur integrè ſub vtraque ſpecie, ergò licet ſumere ſub altera ſpecie tantum, ſicut fit à laicis vbique. Omnes autem canones in contrarium allegati per hæreticos, intelliguntur de conficiente presbytero, qui ſub vtraq; ſpecie debere ſumere.

D. Thom. 2.2, q 4. a. 12.

Auguſt. ad Caſſulanum.

D. Thom: 2.2. q. 95.

Probatur ex Patribus.

Cur Euchariſtia laicis ſub vna ſpecie diſpenſetur.

Si quis autem quærat, quare ita Eccleſia conſueuerit diſpēſare laicis ſub vna ſpecie. Reſpondeo, quod hoc ſit propter plura. Primo propter periculum infidelitatis, quod ſe poſſet mentibus fidelium ingerere, ſi ſemper in ſpeciebus panis & vini daretur. Poſſent enim ſimplices credere & intelligere, quod ſub altera ſpecie non eſſet totus Chriſtus, ſed tantum ſub vtraque. Item propter periculum effuſionis, quod de facili committi poſſet in multitudine populi. Item propter periculum corruptionis, quod facile in æſtate contingeret in regionibus calidis. Item propter periculū, quod poſſet contingere in portando ad infirmū. Idem tenet Albertus magnus in tractatu de officio miſſæ, qui etiam ponit quod in regionibus carentibus vino poſſet diſpenſari etiam cum ſacerdotibus, vt ſine vino conficerent ſolum in pane hoc ſacramentum. Idem beatus Thomas dicit, quod duo conſiderantur circa vſum huius ſacramenti; vnum ex parte ipſius ſacramenti; aliud ex parte ſumentium. Ex parte ſacramenti conuenit, quod vtrumque ſumatur, quia de vtroque conſiſtit perfectio ſacramenti. Et ideo, quia ad ſacerdotem pertinet hoc ſacramentum conſecrare & perficere, nul-

D. Thom. 3. parte q. 80 a. 12.

lo mo-

lo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine. Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reuerentia & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat in iniuriam tanti ſacramenti, quod præcipuè poſſet accidere in ſumptione ſanguinis, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia creſcente multitudine populi Chriſtiani, in qua ſunt ſenes & iuuenes & paruuli, quorum quidam nō ſunt tantę diſcretionis, vt cautelam debitam circa huius ſacramenti vſum adhiberent; ideò prouidè ordinatum eſt, vt populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolum à ſacerdotibus ſumatur. Hæc ille. Idem dicit ſuper Ioannem in poſtilla. Et ibidem. Nicolaus Lyra. ſimiliter. Si ergò quęrat hęretic⁹ quare ſacerdotibus ſic liceat, & non laicis. Reſpondetur quod hoc eſt propter perfectionem ſacramenti quam ſoli ſacerdotes & nō laici debent peragere, vt dicit Thomas ſuper quartum ſententiarum diſtinctione duodecima. Secundò hoc fit propter periculum effuſionis: quia facilius vna gutta ſanguinis laberetur, quam vna particula corporis Chriſti, ſecundum ipſum. Idem ponit Bonauentura diſtinctione vndecima quarti ſententiarum, dicens. Quod quantum ad efficaciam huius ſacramenti ſufficit ſub altera ſpecie, ſed quantum ad ſignificantiam non ſufficit. Et ideò ſolus ſacerdos qui ſignificat paſſionem Chriſti in hoc ſacramento ſolus ſub vtraque ſpecie ſumit. Populus autem qui efficaciam & vtilitatem gratiæ quærit, ſub altera tantum recipit, cum ſub altera tota gratia Chriſti contineatur. Hæc ſententialiter ibidem. Idem Petrus de Tharentaſia. diſtinctione vndecima quarti ſententiarum. Richardus de media villa. Petrus de palude patriarcha Hieroſolimitanus. Similiter Scotus ſubtilis doctor. Thomas de Argentina, quod quātum ad rem ſignificatam ſub altera ſpecie datur vtrumque, licet non quoad ſpeciem ſignificatam. Dicit etiam ibidem, quod ſacerdos conficiens ſub vtraque ſpecie, ideò faciat, vt ſignificet quod tempore paſſionis Chriſti fuerit ſanguis ſeparat⁹ à corpore per effuſionem. Et idem Hugo poſtillator totius bibliæ. Similiter quidam doctor Anglicus, qui dicitur fiſcare ſuper quarto ſententiarum diſtinctione vndecima dicit, addens vltra prędicta hanc rationem, quod ſicut in veteri teſtamento de ſacrificijs & oblationibus ſumebant omnes offerentes, ſed de libaminibus, quæ conſiſtebant in materia liquida, ſoli ſacerdotes. Ita circa hoc ſacramentum populus debet ſumere tantam ſpeciem panis ſolidam, ſacerdotes autem ſpeciem vini liquidam. Ex his poteſt patere quod verbum noſtri thematis de carne & ſanguine Chriſti, intelligendū eſt de ſpirituali manducatione & bibitione quæ eſt incorporatio corporis Chriſti per gratiam & charitatem. Et hoc oſtendit illud verbum quod ſequitur; in me manet, & ego in eo, vt dicit Auguſtinus ſuper Iohannem, vbi ipſe dicit, quod ſi hoc intelligeretur de manducatione ſacramentali tūc falſum eſt, quia multi manducant ſacramenta, & tamen non manent in Deo, nec Deus in eis; igitur ſecundum ipſum intelligitur de ſpirituali: prout etiam dicit Thomas in poſtilla. Chriſtus ergò hic intelligit cibum & potum ſocietatem ſanctorum, corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & ſanctis, & glorificatis, & iuſtificatis, & fidelibus eius. Et quia per alteram ſpeciem ſufficienter incorporatur homo corpori Chriſti myſtico; ideò ſufficit ſumptio alterius ſpeciei. Tantum de ſecundo.

Aug. ſuper Ioannem ho. 23.

III.

In me manet, & ego in eo. In hoc denotatur vtilitas huius ſacramenti vltra alia omnia ſacramenta. Pro quo ſciendum, quod ſecundum Thomam ſuper illud Iohannis ſexto. Ego ſum panis viuus. Hoc ſacramentum eſt dominicæ paſſionis rememoratiuum. Et continet in ſe Chriſtum paſſum. Vnde quicquid eſt effectus dominicæ paſſionis ad nos, totum etiam eſt effectus huius ſacramenti. Nihil enim aliud eſt hoc ſacramentum, quam applicatio paſſionis ad nos. Non enim decebat Chriſtum ſecundum ſuam præſentiam ſemper nobiſcum eſſe, & ideò hanc voluit ſupplere per hoc ſacramentum. Vnde manifeſtum eſt,

 quod

quod deſtructio mortis, quam Chriſtus morte ſua deſtruxit, & reparatio vitę quam Chriſtus reparauit reſurgendo, eſt effectus huius ſacramenti. Et quia vita, quam confert, non eſt ſolum vita vnius hominis, ſed quantum in ſe eſt vita totius mundi, ad quam ſufficiens eſt mors Chriſti. *Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non ſolum noſtris, ſed etiam totius mundi.* & ſequitur. Alia ſacramenta habent ſingulares effectus ſicut in baptiſmo ſolus baptizatus ſuſcipit gratiam; ſed in immolatione huius ſacramenti eſt vniuerſalis effectus, quia non ſolum ſacerdos conſequitur effectum, ſed etiam illi, pro quibus orat, & Eccleſia tota tàm viuorum, quàm mortuorum. Cuius ratio eſt, quia in ipſo continetur cauſſa omnium ſacramentorum, ſcilicet Chriſtus. Hæc Thomas. Ille autem eſt principalis effectus huius ſacramenti, quia incorporat hominem Chriſto. Vnde dicitur in verbis noſtri thematis. *In me manet & ego in eo.* Et per conſequens qui coniungitur mihi, habet vitam æternam. Manet aũt in nobis Chriſtus dupliciter, ſcilicet in intellectu per fidem, in affectu per charitatem, quæ informat fidem. *Qui manet in me, in Deo manet, & Deus in eo.* Qui ergò ſic credit Chriſtum, vt in eum tendat, habet Chriſtum in affectu & intellectu, ergò qui ſic credit per fidem informatam charitate in Chriſtum, vt tendat in ipſum per charitatem, ſpiritualiter manducat Chriſtum, & talis habet Chriſtum in ſe manentem. Et quia Chriſtus diligentes ſe transformat in ſe, eò quod ſecundum Dionyſium; Amor eſt vis vnitiua transformans amantem in amatum; ideò quicunque ſic diligit Chriſtum manducando eum ſpiritualiter manet in Chriſto. Vnde Auguſtinus exponens illud Ioannis. Qui manet in me, hic fert fructum multum, dicit; manemus in Chriſto credendo, obediendo, perſeuerando. Manet in nobis Chriſtus illuminando, ſubueniendo, perſeuerantiam dando; Maximè autem hæc manſio fit per perceptionem ſacramentorum, & præcipuè huius ſacramenti Euchariſtiæ, vt hic dicitur. Vtilitas autem ex hac manſione reciproca Chriſti in nobis, & noſtra in Chriſto, eſt multiplex. Prima purgatio omnium peccatorum. Vnde Iohannis decimoquinto. *Omnem palmitem ferentem fructum purgabit, vt fructũ plus afferat.* Secunda diuina aſſociatio *Qui manet in me & ego in illo.* Magna vtilitas ex ſociatione diuina. Quid enim deeſſe poterit illi qui ſecum habet Deum: *Venerunt enim omnia bona cum illo.* Sapient. ſeptimo. Vnde Eccleſiaſtes quarto. *Væ ſoli,* ſcilicet ſine Deo. Hinc Seneca. Nullus vir ſine Deo bonus poteſt eſſe. Tertia eſt fructificatio bonorum operum. Vnde Iohannis decimo quinto. *Qui manet in me, hic fert fructum multum,* ſcilicet cordis per ſanctas cogitationes & meditationes; oris per confeſſionem & gratiarum actiones; operis per pœnitentiæ ſatisfactionem. Quarta impetratio petitorum. Vnde Iohannis decimoquinto. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis & fiet vobis.* Maneamus ergò in Chriſto per huius ſacramenti gratiam, vt cum ipſo tandem manere poſſimus in cœlo per gloriam.

Ad quam nos perducat Pater
& Filius, & S. ſanctus.

Amen.

(?)

Margin notes (left column): *Ioan. 2.* — *Chriſtus dupliciter in nobis manet.* — *1. Ioan. 4.* — *Ioan. 15.*

Margin notes (right column): *Vtilitas manſionis Chriſti nobiſcum.* — *Ioan. 15.* — *Ibidem.* — *Sap. 7.* — *Eccl. 4.* — *Ioan. 15.* — *Ibidem.*

DE

DE SANCTO IOANNE BAPTISTA.

SERMO.

Quis putas puer iſte erit? Luc. 1.

QVAMVIS ſecundum Gregorium in quarto dialogorum in regno cœlorum vna ſit beatitudo electorum quã illic percipiunt, diſpar tamen eſt retributionis qualitas, quoniam præmia diuerſa conſequuntur: nec immeritò: dicit enim Origenes in libro Moralium, quod ſicut in hac vita eſt diſcretio operum, in alia quoque vita erit procul dubio diſcretio dignitatum, vt quo hic alius alium ſuperat in labore, illic alius alium trãſcendat in retributione. Hæc ille. Cum itaq; beatus Ioannes Baptiſta omnes mortales natos ex muliere merito tranſcenderit, iuxta illud, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, meritò & in præmio omnes præire & excedere debuit, ipſe enim fuit famoſiſſimus præco Chriſti miſſus ad nunciandum eius aduentum. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen &c.* Ipſe fuit Chriſti præcurſor ad iter præparandum. *Ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuã.* Quod ad litteram intelligitur de Ioanne, vt patet apud Lucam. *Ipſe prædicator ad conuertendum*. Ipſe nuncius ad hoſpitium præparandum. *Ipſe præibit ante illum.* Ipſe vox veritatis. *Ego vox clamantis in deſerto.* Ipſe propheta futura & ſecreta reuelando. *Etiam dico vobis plusquam propheta.* Ipſe lucerna ardens in diuina dilectione. Ipſe lucens in conuerſatione. Ipſe erat lucerna lucens & ardens. Si igitur talis & tanta gratia Ioannis, qualis erit gloria? ſi tale eſt meritum, quale præmium? Si vera eſt Pauli ſcientia, qui in cælo vidit, vnicuiq; merito coronam congruam eſſe dandam, prout ipſe ait, *vnuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem*, & ſi vera, ſicut eſt immobilis Chriſti remuneratoris omnium, veritas, qua dicit, in domo patris ſui manſiones multas eſſe, non vtique propter aliud, quam propter diuerſitatem meritorum, certè Ioannis corona cęterorũ coronis electorũ maior erit, *quo maior inter natos mulierum non ſurrexit*, & cui veritas, quę coronas diſtribuit, tantum teſtimonium perhibuit. Meritò ergò admirantes nationes de eo dixerunt. Quis putas puer iſte erit? Ad quæ verba triplex Ioannis excellentia ſubiungi poteſt, quod ſcilicet fuerit magnus in ingreſſu vitæ naturæ, maior in proceſſu vitæ gratiæ, maximus in vita gloriæ, ſecundum ꝙ triplex eſt teſtimonium trium teſtium ad hanc interrogationem reſpondentium, ſcilicet humanum, Angelicum, & diuinum, quorum teſtimonium eſt verum, quia quod viderunt, teſtantur.

(Margin: Matt. 11. — Ioan. 1. — Malach. 3. — Luc 7. — Ibid. 1. — Iſa. 40. — Ioan. 5. — 1. Cor. 3. — Ioan. 14. — Propoſit.)

I.

Magna fuit beati Ioannis excellentia in ingreſſu vitæ naturæ. Nam primò in vtero ſanctificatus, poſt ipſius conceptio fuit ſancta, natiuitas lęta fuit, & impoſitio nominis miraculoſa. Si ergò quæris, quis fuerit vir iſte Ioannes in vtero reſpondet tibi Angelus quod ab omni labe purgatus. Quia ex vtero matris ſuę Spiritu ſancto repletus. Ecce ſanctitas adhuc in vtero exiſtentis. Cuius ſanctitas apparuit; Primò ex gaudio in vtero matris, quæ cæpit gaudere ad pręſentiam Saluatoris. Nam ſecundum Auguſtinum fuit in eo acceleratus vſus rationis. Vnde ſecundum Lyranum Lucæ. 1. quidã doctor Græcus dicit, recluſus ventre miles agnouit Dominum ac regem oriturum, ventris tegmine non abſtãte myſtica viſione inſpexit, non palpebris, ſed ſpiritu. Secundò teſtimonium eius ſanctitatis apparuit, quia in eodem vtero cępit prophetare. Prophetauit enim per os matris. Vnde dicit Chryſ. In eo quod Elizabeth cognouit Chriſtum conceptum in vtero virginis, eodem etiam Spiritu ſan-

(Margin: Teſtimonia ſanctitatis Ioannis. — Luc. 1.)

tu ſan-

tu ſancto Elizabeth nomen eius ſciuit, quod à marito muto ſcire nō potuit, vt dicitur apud S. Lucā. Tertiū teſtimoniū sāctitatis ei° apparuit in hoc, ꝙ contra naturā ex ſenibus parētibus & ſterili matre ſit conceptus. Vnde quod natura non potuit, gratia ſanctitatis effecit. Secundò eius natiuitas fuit læta. Lætitiam autē eius prædixit Angelus dicēs, *Erit tibi gaudium*, ſcilicet, in mente interius, & exterius *exultatio*. Dicitur enim exultatio quaſi extra ſaltatio. Et hoc eſt propriè tunc, quando gaudium eſt tantum interius, vt non poſſit benè contineri, quin appareat exterius. Erat autem gaudium triplici perſonæ Primo patri, quia ipſo nato apertum eſt os Zachariæ & prophetauit dicens. *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Vnde ſicut in vtero exiſtens matrē fecit prophetare, ſic in natiuitate fecit patrē prophetare. Secūdò gaudiū erat matri Elizabeth, q a per hanc natiuitatem liberata fuit ab opprobrio & maledictione ſterilitatis ſicut ipſa de ſe ait, quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines. Tertio gaudium erat omnibus cognatis eius, qui audientes quoniam magnificauit Dominus miſericordiam ſuam in Elizabeth; magnam enim miſericordiam ei fecit auferendo ſterilitatis opprobrium, & dando ei tantum ac talem filium, ſic nunciatum mirabiliter, & purgatum ſupernaturaliter; congratulabantur ei. Nec ſolum cognati ſed etiam multi extranei gaudebant de natiuitate eius. Multi in natiuitate eius gaudebunt. Quod ad litteram etiam hodie videmus completum. Quia dies ſuæ feſtiuitatis non ſolum feſtiuatur à Chriſtianis, ſed etiam à Sarracenis, vt dicit Lyran. Vnde in honorem eius ſemper tenent lampadem vt dicit quidam doctor. Tertio impoſitio nominis eius fuit miraculoſa, quia cum cognati circumcidentes puerum, vellent ei imponere nomen patris, ſcilicet Zacharias, mater Spiritu ſancto docta, à nullo hominum informata contradixit, dicens, nequaquam, ſed vocabitur Ioannes, quod tādem pater ſcriptura approbauit. Et ſic pater & mater concordauerunt in impoſitione nominis, contra cōſuetudinem ſolitam, qua ſolebant parentes imponere nomen patris in circumciſione. Ioannes interpretatur gratia. Et merito tale nomē imponitur, quia ipſe Chriſtū manifeſtauit, per quē veritas & gratia facta eſt, vt dicitur Ioan. 1. Magna ergo toti mundo ex Ioanne profluxit gratia, quoniam primus viam gratiæ prædicauit, & tandem auctorem gratię demonſtrauit. Et ſi quæris, quam gratiam prædicauit? audi illud eius præconium gratiæ, quod habetur apud Matt. *Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum cælorum*, id eſt, gratia, qua itur ad regnum cælorum.

Natiuitas Ioannis læta. *Nominis impoſitio miraculoſa.* *Matt. 3.*

II.

Ioannes fuit maior in proceſſu, ſcilicet & in vita gratiæ. Nam vita eius ab infantia vſque ad mortem multum erat dura & excellens quodammodo ſupra humanam facultatem. Statum autem ſuæ ſanctitatis in progreſſu vitæ gratiæ triplex fidele approbat teſtimonium. Vnde ad quæſtionem, qua quæritur, quis ſit Ioannes in vita gratiæ, Primo reſpondet pater Zacharias ſpiritu prophetico. *Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis.* Propheta autem non quilibet ſed prophetarum vltimus. Et ſic prophetis dignior & nobilior eſt, quia finis dignior & nobilior eſt ordinatis in finem. Vnde dicitur de eo. *Lex & propheta vſque ad Ioannem.* Non, quia lex & prophetię tunc ceſſauerint, ſed quia tunc perfectio euangelica prædicari incepit, quæ inducit ad contemptum temporalium propter amorem ſpiritualium & cæleſtium, tanquam propter manifeſtum bonum expedientius conſequendum. Et quia hoc eſt difficile & quaſi contra naturam vt quis contemnat temporalia, ideò Chriſtus dicit, quod tales bonorum temporalium propter bona æterna contemptores ſint violenter rapientes cælum. Quia quaſi quādam violentiam ſibi contra naturam inferunt, vt dicit Lyran. Fuit autem beatus Ioannes eximius prophetarum, quia quæ prædixit verbo, monſtrauit digito. Secundo pater eius dicit eum præcurſorem, cum addit. *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Quod etiam Angelus nunciauit dicens; Ipſe præibit ante illum in virtute & ſpiritu Helię parare Domino plebem perfectam, vbi deſcribit eum ſimilem Heliæ. Primò propter ſimilitudinem vitæ, quia vterque vixit in auſteritate victus & veſtitus. Auſteritas. n. victus fuit maxima, eo ꝙ

Teſtimonium triplex de ſanctitate Ioannis in proceſſu vitæ. *Ioannes propheta.* *Præcurſor.* *Similitudo vitæ Ioannis & Heliæ.*

Matt. 3. *Eſca eius erāt locuſtæ*, Quæ ſecundum Lyran. & Gorra ſunt animalia parua volantia per modum ſaltus & reperiuntur in deſerto Iudeæ, & frixa cum oleo ſunt cibi pauperum, & mel ſylueſtre. Hoc mel reperiebatur in truncis arborum ibidem dicit tamen & Gorra & Lyra, quod ibi fuerunt arbores habentes lata folia & rotunda lactei coloris, & mellei ſaporis quæ natura fragilia manibus conteruntur & eduntur, & habent saporē quaſi mellis, talibus veſcebatur ſanctus Ioannes & iſta fuit eius auſteritas quātum ad cibum. Auſteritas potus patet Lucæ. 1. vbi dicitur. *Vinum & ſiceram non bibet*, id eſt, quemuis potum inebriatiuum ſecundum Lyran.. Erat autem Nazareus, id eſt, conſecratus Domino per totam vitam ſuam, ideo ab omni inebriatione abſtinuit. Sicut Nazarei in veteri lege tempore ſeparationis, vt habetur num. 6. capitulo. Dicit enim Huguitio, quod Nazareus idē eſt quod ſanctus vel mundus. Nazareus enim diceba tur qui ſanctam comam nutriebat, & nihil contaminatum recipiebat, abſtinens ſe à vino & ſicera, quæ mentem ab integra ſanitate peruertit. Vnde ſicera eſt omnis potatio quæ extra vinum inebriat, cuius nomen licet hebræum ſit, tamen latinum ſonat, pro eo quod ſucco frumenti vel pomorum conficitur, aut palmarum ſuccus in liquorem extorquetur. Hæc ille. Et ſic ceruiſia noſtra media poteſt dici ſicera. Auſteritas veſtitus eius patet, quia habuit veſtem de pilis camelorum factam, & zonam pelliceam circa lumbos de pelle cruda & piloſa. Vnde rectè comparabatur Heliæ qui dicitur vir piloſus & zona pellicea accinctus renibus, & per talem auſteritatem vitæ parabat Ioannes viam Domino in cordibus fidelium. Nam viſa tali vita in ſanctitate exibat tot Ieroſolyma, id eſt, populus de ieruſalem, & omnis Iudæa, id eſt, multi, & baptizabantur in Iordane, confitentes peccata ſua.. Vbi dicit Lyra, quod iſte baptiſmūs Ioannis ad hoc erat ordinatus quaſi quædam præparatio & præfiguratio baptiſmi ipſius Chriſti de proximo venturi. *Tertio pater eius* dicit eum doctorem ſalutis vnde addit. Ad eandem ſcientiam ſalutis plebi eius, id eſt, miſſus es ad prædicandum ſalutem fiendam per Chriſtum, per quam ſcientiam parabat

Auſteritas victus.

Veſtitus Matt. 3.

4. Reg. 1.

Ioannes doctor.

etiam Domino plebem perfectam, ſcilicet per euangelij ſuſceptionem. Vnde de eo poteſt dici illud quod dixit Dominus per prophetam, filiæ Syon exultate & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ. Secundum teſtimonium de ſanctitate vitæ gratiæ ipſius eſt iudaici populi. Et hoc tripliciter, Primò per hoc quod propter eius ſanctitatem vitæ & famæ celebritatem iudæi ipſum Chriſtum credebant. Vnde miſerunt ad eum ab Hieroſolymis vt interrogarent eum, *Tu quis es?* Ioan. 1. vt habetur. Quam credulitatem verus amator veritatis humiliter refellit. Non ſum inquit ego Chriſtus. Non ſum propheta, ſcilicet ille quem putatis. Secundo hoc idē patet per hoc, quia ſine miraculis eſt acceptus. Cum enim videretur quaſi nouum cultum & ſtatum prædicare & inducere, & nullum miraculum ad hoc probandum induceret, neceſſe fuit vt eius vita tantæ ſanctitatis eſſet & inſuſpicabilis, vt nullus inde dubitare poſſet Tertiò quia licet Chriſt⁹ fuerit maximę ſanctitatis & vitæ tēperatiſſimę & auſteriſſimæ, Iudæi tamen comparata vitæ auſteritate vtriuſque, præferebant Ioannem Chriſto. Vnde & dixerunt. Quare nos & diſcipuli Ioannis ieiunamus, tui autem diſcipuli non? Nec ſolum in vita ſed etiam poſt mortē ipſius propter cōparationē ſanctitatis vitæ Chriſtū aſſimilabant Ioanni. Vnde & Herodes dicebat. Quem ego decollaui Ioannem ipſe ſurrexit a mortuis, & virtutes operantur in eo. Per hoc Chriſtus credebatur Ioannes eo quod ſanctus Ioannes fuerit miræ ſanctitatis. Tertiū teſtimonium de ſanctitate vitæ ſuæ gratiæ eſt euangeliſtarum Prophetarum & ſaluatoris. Teſtimonium Euangeliſtarum eſt fideliſſimum. Teſtimonium prophetarum eſt firmiſſimum. Teſtimonium ſaluatoris eſt excellentiſſimum.. De primò ſcilicet de teſtimonio Euangeliſtarum eſt ſciēdum. quod omnes quatuor Euangeliſtæ confiteātur eius ſanctitatē. Nam Matthæus deſcribit eum vt hypocritarum reprēhenſorem vbi reprehendens phariſæos dixit; *Progenies viperarum quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira.* Eſt natura viperæ ſecundū Chr. Cū mordet ad aquāfugit, ſed ſi aquā nō inuenit, moritur. Et eſt a foris picta & intus vene-

Eccl. 11.

Matth. 3.

venenoſa. Sic iſti ad Ioãnis baptiſmũ currebant poſt facta mortifera aliquando, vt commodũ aſſequerentur, vt periculũ mortis ſolum euaderent, tamen à foris erãt pulchri, intus autẽ veneno pleni. Secundo Marcus deſcribit eum tanquam pœnitẽtiæ prædicatorem. *Erat Ioannes in deſerto prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* Hoc eſt, quod prædicabat baptiſmum dandum per Chriſtum in proximo venturum, vt dicit Lyra. Tertio Lucas deſcribit eum tanquam ſalubrẽ conſultorem. Nam cuilibet ſtatui conſuluit ſalubriter, vt patet: nam turbis conſuluit. Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti. Vbi conſulit omnibus quibuſcunque ſuperfluunt veſtimenta, conſiderata conuenienti neceſſitate ſtatus perſonæ ſecundum Lyran. vt det talia ſuperflua. Item publicanis & collectoribus cenſuum, qui ſolent eſſe proni ad plus colligendum, quam ſit eis mandatum, & quod eſt amplius, eis remanet, conſuluit, ne plus quam eſt eis mandatum, exigant. Item militibus, ne aliquem concutiant, ſcilicet opprimendo pauperes & eos deſpiciendo, neque calumniando, ſcilicet ne imponerent falſum crimen diuitibus & potentibus, vt occaſionem torquendi bona eorum haberent, quia per aliam viam à talibus bona capere non poſſunt, ſed ait, contenti eſtote ſtipendijs veſtris, quæ dabantur eis ab imperatore pro labore militiæ, quem debent ſuſtinere in defenſione patriæ. Nam ſecundum Lyran reditus, quos habent multi milites per homines ſibi ſubditos, habent loco ſtipendiorum, & ideo debent eſſe contentĩ. Quarto Ioannes deſcribit eum tanquam ſupernæ lucis præcurſorem. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Fuit autem iſta miſſio ſecundum Lyrã. non ſolum per internam miſſionem, ſed etiam per expreſſam Dei miſſionem, & operationem exteriorẽ, licet modus huius operationis nõ ſit ſcriptus. Vnde idem Ioannes de ſe, qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem videris Spiritum deſcendentem &c. Ecce nobiliſſimum eſſe teſtem superni luminis, id eſt, filij Dei. Secundo teſtimonium prophetarum fuit firmiſſimum. Nam Iſaias ſanctificatus in vtero dicit *Vox clamantis in deſerto.* Chriſtus enim clamauit, quaſi verbum Dei patris, per Ioannem tanquam per vocem, quia ſicut vox verbum præcedit, ſic Ioannes præcucurrerat ſaluatorem. Secundo Ieremias dicit eum prophetam datum gentibus, quantum ad exemplarem conuerſationem. Prophetam in gentibus dedi te. Tertiò Malachias dicit eũ Angelum propter puritatẽ & officij nobilitatem. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Et idem Chriſtus allegat Matth. 11. & Luc. 7. Quartò accedit teſtimonium Chriſti, qui dicit eum omnium maximum inter natos mulierum.

Marci. 3. *Luc. 3.* *Ioan. 1.* *Ibid.* *Iſa. 40.* *Ierem. 1.* *Malach. 1.*

III.

Ioannes fuit maximus in vita gloriæ citra Chriſtum & eius matrem, vt piè creditur. Eſt autem duplex gloria in vita æterna, vna communis, & alia ſingularis præmij æterni. Prima vocatur præmium ſubſtantiale, ſecunda præmium accidentale. Prima comparatur coronæ aureæ. Secunda aureolę. Conſiderando igitur in beato Ioanne præmium eſſentiale habet coronam ſextuplicem ſcilicet ſtatus naturæ Angelicæ, ſtatus innocentiæ, ſtatus patriarchalis, ſtatus pontificalis, ſtatus regalis, & ſtatus prophetalis. Et iſti ſunt ſex ſtatus, qui præceſſerunt Chriſtum. Habet etiam coronam ſtatuum, qui ſequuntur Chriſtum, ſcilicet Apoſtolorum, martyrum, confeſſorũ, doctorum, virginum, & religioſorum. Et ſic habet coronam duodecim ſtellarũ. Quoad primam coronam aureæ dicitur in pſalm. *Corona aurea ſuper caput eius.* Sed de ſecunda, ſcilicet corona aureolæ dicitur, *Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo.* Vnde non ſolum poſita eſt corona, ſed etiam verè magna corona, quia magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. Vnde de ipſo poteſt dici illud; quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius &c. Non enim vna benedictione benedictus eſt aut præuentus, ſed pluribus. Nam magna fuit præuentio in amotione culpæ. *Benedictio illius quaſi fluuius inundabit, qui ſcilicet lauet ſordes.* Vnde bene dicit, præueniſti, ſcilicet ab immunitate peccati ante ortum in mundum

Duplex gloria in cælo. *Pſal. 20.* *Ibidem.* *Eccl. 39.*

dum abluiſti, quo nos omnes fœdamur, & quaſi maledictione præuenimur. Eſt tamen differentia inter ipſum & Chriſtum. Quia Chriſtus etiam ante conceptionem fuit præuentus ab immunitate peccati, ſed Ioannes poſt conceptionem, tamen ante natiuitatē
Gen. 27. ſuam. Secundo præuentus eſt in collatione gratiæ: *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiā.* Sed quia parū fuit dare donū gratiæ niſi etiā daret donum, per quod conſeruaret gratiā, ideò & præuenit eum in
Deut. 33. conſeruatione gratiæ: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſeph.* Sed quia parum eſſet conſeruare gratiam æqualiter cum cæteris, niſi etiam multiplicaretur eadem gratia, ideò præuenit eum
Hebr. 6. in benedictione, multiplicando gratiam. *Terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem & germinans herbam oportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.*
Pſal. 83. Ideò Pſalm. *Benedictionem dabit legislator. ibunt de virtute in virtutem.* Sed quia iſta omnia pro nihilo valerent, ſi deeſſet largitas gloriæ, ideò Deus beato Ioanni maiorem contulit his omnibus benedictionibus, ſcilicet in gloriæ largitione. *Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat.* Eccl. 11. Hæ fuerunt benedictiones dextræ, quas vocat meritò benedictiones dulcedinis. Siniſtræ amaritudinis ſunt, quæ conſiſtunt in collatione dignitatum & diuitiarum. Habet autem ſanctus Ioannes excellentiſſimam coronam aureolæ inter cæteros ſanctos, eo quod ſimul collectas habeat tres aureolas, ſcilicet virginum, martyrum, & doctorum. Virginum quia fuit carnis ſuæ exterius mortificator, vt patet ex vitę auſteritate ſuperius deducta. Secundò doctorum, quia fuit prædicator tam Iudæorum, quam gentilium; quia Romanis militibus qui tunc erant gentiles apud Herodem & Pilatum, formam viuendi prædicauit, & diuerſos ſtatus informauit, vti ſuperius dictum eſt. Tertiò martyrum, quia intrepidè caput gladio ſubmiſit. Ideoque magna eſt gloria eius in ſalutari tuo Deus &c.

DE SANCTIS PETRO ET PAVLO.

SERMO.

Beatus es Simon Petre. Matth. 16.

Si iuxta Apoſtolum laus & honor debetur omni credenti in Chriſtū, vt dicitur Romanorum. 2. Quantò magis laus & honor debetur illis, qui non ſolum ipſi crediderunt in Chriſtum veraciter, ſed etiam plurimos ad credendum in Chriſtum induxerunt. Cuiuſmodi fuerunt hi duo ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus, quorum hodie ſolennia celebramus, qui inter Apoſtolos primatum obtinent, ideò quia maiora pro fide Chriſti pertulerunt certamina. Meritò igitur beatus Petrus meruit à Chriſto audire inter cæteros: *Beatus es Simon Petre.* In quibus verbis beatus Petrus excellentiſſimè redditur commendabilis ex eius ſingulari dignitate, propter tres cauſas, ex quibus meritò dici poteſt beatus. Primò namque redditur commendabilis & venerabilis tanquam omnia pro Proposit. Chriſto relinquens, cum dicitur: *Beatus es.* Secundò tanquam Chriſtum fideliter confitens, cum dicitur Simon. Tertiò tanquam Chriſtū ardenter diligens, cū dicitur, Petre.

1.

Beatus es. Sciendum, quod licet cæteris ſtatibus debeatur beatitudo, tamen præcipuè paupertati voluntariæ. Vnde licet beati ſunt miſericordes, quia operibus miſericordiæ inſiſtentes multa pro Deo dimiſerunt, iuxta illud; *Diſperſit dedit pauperibus.* Et quod dicitur, *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Multo tamen beatior eſt, qui omnia ſimul pro Chriſto relinquit, vt Chri-

Beatitudo paupertati præcipuè debetur. Pſal. 111. Pſal. 40.

ſtum expeditius ſequatur. Secundò infero quod relinquentes pro Chriſto propria in beatitudine glôriæ propinquiores Chriſto erũt, &quodãmodo cæteris digniores apparebũt. Id ud patet per illud *Vos qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Ibi apparet, quod eis promittat iſta duo, ſcilicet iuxta ſe ſeſſionem, cum dic. *cum ſederit filius hominis, ſedebitis & vos*: ſecundo iudiciariã poteſtatẽ per approbationẽ, dic. *Iudicãtes duodecim tribus*; Vnde Iob; *Iudicium pauperibus tribuit*. Cũ ergo beatus Petrus pro Chriſto omnia reliquerit, nec ſolum reliquerit voluntariè ſed etiã promptiſſimè & facillimè; nam mox, vt vocem Domini audiuit, relictis omnibus cum fratre Andrea ſecutus eſt Chriſtum, propter quod appellatus eſt Simon id eſt, obediens. ô magna obedientia! nihil enim dixit, inducias nullas petijt, impoſſibilitatem non allegauit; meritò admiratur Gregorius dicens; *Ad vnius iuſſionis vocem Petrus & Andreas relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum. Nulla eum adhuc miracula facere viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant & tamen ad vnum Domini præceptum hoc quod poſſidere videbantur obliti ſunt*. Ex quo ibidem Gregorius ſtatim noſtram arguit inaduertentiam & negligentiam dicens; *Quanta nos miracula eius vidimus, quod flagellis affligimur, quantis minarum aſperitatibus deterremur, & tamen vocantem ſequi contemnimus.* Et poſt pauca. *Quid igitur in eius iudicio dicturi ſumus, qui ab amore mundi nec præceptis nec verberibus deterremur*. Sed quæres, quid Petrus magni pro Chriſto, reliquit, qui nihil præter rete & nauem habuit? Ad quod reſpondeo ſecundum Gregorium. In hac re magis conſideratur affectus, quam cenſus. Multum enim reliquit, qui totum deſiderium habendi finaliter reliquit. Vnde ſi Petro poſtea fuiſſet imperium Romanum oblatum, ſi omnes diuitiæ gemmarum Indiæ, auri Arabiæ, aut Hiſpaniæ, delitiæ Troiæ, Alexandri honores, Salomonis gloria, aut quæcunque maiora horum excogitari poſſent, Petrus omnia renuiſſet de cætero pro Chriſto, vt dicit ſocius eius Paulus. *Omnia arbitratus ſum vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Nec mirum. Sciebant enim quia leuius currit ad portum nauis vacua, quam onerata. Sic leo, dum venatores ſeſe agitantes ſentit, ventrem cibis euacuat. Sic ſimia dum agitatur à venatoribus, licet filios multum diligat, quos ſecum portat, niſi eos à ſe reiecerit, faciliter in manus venatorum incidit. Sic ceruus, dum ſe grauari pinguedine ſentit, latebras quærit, & paſtum fugit, vt macer expeditius fugiat. Sic fecerunt & hi Apoſtoli, qui ſcientes ſe Chriſtum non poſſe aliter melius ſequi, nec beatitudinem conſequi, quã per exonerationem diuitiarum, omnia reliquerunt. Vnde dicit de ipſis Bernardus. Beate Petre non ad inſipientiam tibi omnia reliquiſti: ſciebas enim quod ſequi non poteras oneratus. Qui enim oneratus vix per terram vadit, quomodo in cælum aſcendere poterit? Sed dic. Domine iſta ſunt dura. Nam ſic oportet nos eſſe monachos, & per conſequens nullus eſt eſt verus Chriſtianus, qui non omnia pro Chriſto reliquit. Ad quod ego reſpondeo. Conſtat benè Chriſtianum eſſe cum diuitijs. Vnde ſi quis non poteſt dimittere realiter, dimittat ſaltem affectualiter. Dimittant ergo peccatum, quo anima maculatur; dimittant ſæculares vanitates, quibus ad vana pertrahuntur; dimittant propriam voluntatem, qua in ſuperbiam eleuantur; dimittant concupiſcentiam auaritiæ, qua ſemper ad congregandum illicitè diuitias iniuſtas impulſantur. Vnde Ioannes in canonica ſua, non dicit, *Nolite habere ea, quæ in mundo ſunt, ſed nolite diligere. Omne enim quod eſt in mũdo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Nec Dauid dixit. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, Sed dixit, [illegible]. Nec Apoſtolus dixit. *Diuitibus præcipe: omnia dimittere.* Sed dixit, *præcipe eis non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, benè agere, facilè tribuere.*

Margin notes: Matt.19. — Iob.36. — Matt.4. — Gregor. homil. ſuper Matthæi. — Bern. — 1. Ioan. 2. — Pſal.61. — 1.Tim.6.

II.

Simon. Simon interpretatur confitens, Petrus autem confeſſus eſt Chriſtum verum

Dei fi-

Dei filium. Nam alijs dicentibus eum eſſe Heliam, alijs Ieremiam, alijs Ioannem Baptiſtam, alijs vnum ex prophetis, reſpondit Petrus; *Tu es Chriſtus filij Dei viui*. Super cuius confeſſionem Chriſtus fundauit eccleſiam ſuam ſicut hic dicitur. *Super hanc Petram ædificabo eccleſiam meam*, id eſt, ſuper hanc fidem confeſſionis tuæ; propter quam fidem etiam meruit à Chriſto beatificari. Nam ei dictum eſt verbum thematis. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi*. Habuit autem iſtam fidem tripliciter. Primò in corde. *Corde enim creditur ad iuſtitiam*. Secundò habuit eam in ore, quia ore cõfeſſus eſt eam ad ſalutem ſuã & aliorum. Tertiò habuit eam in opere, quia pro fide mortem ſubijt ſub Nerone Imperatore; & talis fides eſt perfecta. Alioquin fides in corde ſine oris cõfeſſione, dum opus eſt, & ſine operibus eſt mortua. Nam & dæmones ſic credunt & contremiſcunt. Certè multi ſunt hodie qui vt dicit Apoſtolus, *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*. Sunt autem triplices homines inter Chriſtianos malæ fidei. Primi ſunt qui credunt corde tantum; & ſunt illi qui omnibus aſſentiuntur, quæcunque prædicantur, ſed tamen non faciunt iuxta illa, quæ in prædicatione fidei audiunt. Iſta fides eſt dæmonum, qui etiam inuiti omni veritati aſſentiũtur, vt dicit Iacobus. Alij ſunt, qui corde credunt & ore confitentur tantum, ſed nunquam ſe ad opera extendunt; ſicut illi, qui de fide multa dicunt, prædicant, inſtruunt, ſed opera fidei cõtraria agunt, vt hypocritæ; de quibus ſaluator dicit; *populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè eſt à me*; id eſt, operatio ex corde procedẽs. Tertiò ſunt qui nec corde nec ore credunt, nec confitentur, imò quod deterius eſt, contrarium & ipſi credunt & alijs prædicant, ſicut hæretici; & iſti ſunt peſſimi: vnde etiam non merentur beatitudinem ſed pœnam æternam, iuxta illud. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Præter iſtos ſunt alij qui credunt corde ex deuotione, & ore confitẽtur fidem, tempore oportuno ſe offerente, & alios docent & inſtruunt ad ædificationem, & ſimul operantur ſecundum ea, quæ docent; & iſti ſunt veri beati Petri imitatores; de quibus dicit Chriſtus; *Qui autem ſic fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. Et verè non ſolum in futuro ſed etiam magnus in præſenti eſt, qui ſic credit; & hoc quantum ad plura etiam in præſenti. Nam primo magnus eſt apud Deum; quia per talem fidem obtinet remiſſionem peccatorum. Secundò quia talis meretur dæmoniorum expulſionem. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequẽtur.* Et ſequitur: *In nomine meo dæmonia eijcient.* Tertiò talis fides meretur optatorum conſecutionem, iuxta illud. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Et Iacob. 1 *Poſtulet in fide nihil hæſitans*. Hoc patet de Alexandro Magno, qui licet paganus, tamen quia credidit potentiæ Dei, ad ipſius petitionem Deus concluſit filios captiuitatis decem tribuum inter montes Caſpios; qui ibi detinebantur propter idololatriam per eos commiſſam. Vnde Ioſephus ait, Deus quid facturus eſt pro fidelibus ſuis, ſi tantum fecit pro infidelibus. Idem patet de regulo, ad cuius fidem Chriſtus ſanauit eius filium. Idem de Centurione, cui pro ſola fide puer ſanatus eſt. Vltimò fides confert beatitudinem & æternam benedictionem. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Vbi Gregorius dicit, quod in hac ſententia ſimus non ſignati, qui eum quem carne non vidimus, mente tenemus.

Rom. 10. — *Iacob. 2.* — *Triplices homines ſunt malæ fidei.* — *Marc. 16.* — *Matth. 5.* — *Mar. 16.* — *Ibid. 11.* — *Ioan. 4.* — *Matth. 8.* — *Ioan. 20.*

III.

Petre. Petrus dicitur agnoſcens vel diligens vel firmus. Ipſe enim Chriſti diuinitatem cæteris clarius agnouit, agnitam dilexit, & in eius dilectione poſtea firmior extitit, & per conſequens tres ſtatus in ſe verè expreſſit, ſcilicet incipientiũ, proficientiũ, & perfectorum. De ipſius autem dilectione, qua ardẽter Chriſtum dilexit, Chriſtus eum ter interrogauit, an eum diligeret, & ipſe reſpondit ter dicens; *Tu ſcis quia amo te.* Cui Chriſtus commendando vniuerſalem eccleſiam dixit; *Paſce oues meas*. Benè ergò quærit ab eo. *Simon diligis me plus his?* Quaſi expreſsè diceret. *Ioan. 21.*

Ille qui eligitur ad officium prælationis, debet Deũ diligere præ cæteris. Quia ſecundũ Greg. tantũ debet præcedere actionem populi vita præſulis, quantũ diſtat à grege vita paſtoris. Et ideò videtur, quod ille qui aliquẽ eligit ad tale officiũ tenetur ſemper eligere meliorẽ. Non tamen intelligatur melior, id eſt, litteratior vel aſtucior, ſed ille qui omnibus cõditionibus penſatis melior eſt tali officio ad honorẽ Dei & eccleſiæ vtilitatẽ ſecundum iudicium eligentis. Aliter autem, ſi eligens aut promouens non attendit ad honorẽ Dei, & eccleſiæ vtilitatẽ, nõ videtur diuinũ iudiciũ euadere. Et ſic cũ dilectis ſufficit eligere. Quod autem ſecundum iura dicitur de elect. c. Cum nobis olim. & c. Cũ dilectis ſufficit eligere ſufficientẽ. Hoc eſt ſecundum iudicium humanum, per quod talis non eſt puniendus, cum ſecundum veritatẽ aliqua mala permittantur humano iudicio incorrecta propter maiora mala vitãda, quę tamen diuino iudicio ſunt corrigenda, ſecũdũ quod dicit Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio. Sed quid dicat Petrꝰ Chriſto, audiamus attentius. *Tu ſcis Domine quia amo te.* Non dicit ſecundum Lyran. pluſquam alij, ſed abſolutè reſpõdit, quia expertus propriã facultatẽ in Chriſti negatione, non fuit auſus vltra ſe efferre in Chriſti dilectione, ſed veritatem & ardorem ſuę dilectionis poſuit in iudicio Chriſti, qui ſecreta cordiũ ſcrutatur. Vnde ſequitur. *Et contriſtatus Petrus, quia Chriſtus dixit ei tertio, amas me.* Nõ eſt intelligendũ quod fuerit cõtriſtatus ex indignatione contra Chriſtũ, quia ter repetiuit quęrendo ex eo, nõ acquieſcendo verbo primò ipſius Petri, ſed fuit turbatus, eo quod ſciebat eum ſcire etiam omnia futura, propter quod timuit ex tali replicatione nè Chriſtus vellet ſibi prædicere aliquem caſum ſuum futurum, ſicut prius fuit factum. Matt. 26. Mar. 24. & Luc. 22. vbi prædixit ei negationem futuram. Et ideò meritò turbatur Petrus, propter quod dixit ei, *Domine tu ſcis, quia amo te* Quaſi diceret. Tu ſcis omnia præſentia & futura, & ideò nunc ſcis quia diligo te. Sed quid mihi ſit futurũ neſcio, tu ſcis. Ex quo patet quod dilectio Petri fuit magna, maior, & maxima vltra alios Apoſtolos erga Chriſtum, ſaltem pro tunc, cum ex eo qua fuit. Nam Petrus iam tũc erat paratus & diſpoſitus pro Chriſto omnia contemnere. Et iſte eſt primus gradus dilectionis, quando pro amico bona noſtra non põderamus. *Si dederit homo pro dilectione omnẽ ſubſtantiam ſuam quaſi nihil deſpiciet eã.* Fuit etiam diſpoſitus tũc relinquere omnem affectum carnalem amicorum, filiorum, vxoris & parentum pro Chriſto. Et iſte eſt maior gradus dilectionis *Omnis qui reliquerit vxorem vel filios aut patrem aut matrem.* Fuit etiam paratus tunc ponere animam pro Chriſto. Et iſte eſt maximus gradus dilectionis. *Maiorem hac dilectionem nemo habet niſi vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* Inſuper fuit tunc paratus ponere vitam propriã, non ſolum pro perſona Chriſti inquantum occurreret eum iterum mori, ſed etiam pro eius quolibet minimo fideli. Et iſte fuit intẽſiſſimus gradus dilectionis, propter quod Chriſtus commiſit ei eccleſiam, quia in eo conſiderauit maximum zelum quem habuit ad ſubditos Chriſti, ſicut patet in eo quod quęſiuit quoties dimitteret fratri in ſe peccanti, & de Ioanne, quid eſſet de eo futurũ & ipſum ſæpius de diſpoſitione eccleſiæ & ſuorum fidelium interrogauit. Ex quibus omnibus patet quod Chriſtus multum ſibi ponderet animas fidelium, ex quo ita ſtudioſè curam ipſarum Petro commiſit. Nec mirum; precioſo enim ſanguine eas redemit, quia per mortem redemit. Secundò ex hoc habetur, quod cura animarum non niſi diligentibus Deum debeat committi. Vnde non eſt dictum Petro, diligis oues, ſed me, vt ſignificaret, quia mercenarius & qui oues propter lanam temporalis commodi diligit & nõ honorem Dei in eis quærit. Tertio ex hoc habetur, quod curam animarum ſuſcipiens debet habere dilectionem Dei & maiorem cæteris, ſcilicet vt diligat cordis affectione & operis exhibitione. Et quia hoc tertium graue eſt, ideò meritò contriſtatus eſt Petrus in tertia interrogatione. Quia igitur beatus Petrus hæc tria habuit, ideò in dilectione Dei maior fuit; & per conſequens in gloria cæleſti ſuper alios maior extitit; ad quam nos perducat &c.

Dilectionis primus gradus.
Cant. 8.
Matt. 19.
Maximus.
Ioan. 15.
Intenſiſſimus.
Matt. 18.
Ioan. 21.

DE V

DE VISITATIONE B. MARIAE VIRG.

SERMO I.

Benedicta tu inter mulieres. Lucæ I.

Licet Virgo glorioſa mater domini noſtri Ieſu Chriſti omnium gratiarum copia ſit repleta, eò quod ſic eam angelus ſalutauit, Aue gratia plena. Et ipſa de ſe di-
Luc. 1. cit. *In me omnis gratia vitæ & veritatis.* Ta-
Eccl. 24. men de nulla virtute redditur ſic commendabilis, ſicut de virtute humilitatis. Vnde ipſa quaſi oblita omnium virtutum & gratiarum de ſe dicit. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Non mirum; quia non eſt via ſecurior & tutior perueniendi ad regnum cœlorum præter humilitatem, per quam & non aliam ipſe Chriſtus & mater eius, imò omnes ſancti maiores & minores ad regnum cœlorum peruenerunt. De
Phil. 2. Chriſto dicitur; *Humiliauit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* De alijs ſanctis dicitur.
Iſa. 40. *Omnis vallis exaltabitur*; quoad maiores ſanctos: *& omnis collis humiliabitur*; quo ad minores. Licet autem principium huius viæ ſit quaſi infimum, tamen finis eius eſt ſummum. Nam finis eius in præſenti eſt
Iacob 4. gratia; iuxta illud. *Humilibus dat gratiam,*
Iob. 22. *& in futuro gloriam.* iuxta illud Iob. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Cum igitur virgo glorioſa fuerit ſummè humilis, eò quod facta regina cœlorum, & domina angelorum, & hominum ſe ancillam ap-
Luc. 1. pellauerit; meritò ad ſummam benedictionem peruenit. Hoc autem quod ſe ancillam humilem nominauit verbo, ſicut dixit ſic fecit & opere compleuit, tunc videlicet, quando Eliſabeth cognatam ſuam viſitauit, vt ei ſeruiret in partu. Secundum Bernardum. Verè magna humilitas Mariæ, quæ habens tam pretioſum theſaurum totius mundi, vnigenitum videlicet Dei filium, creatorem cœli & terræ, non dedignatur fatigari ad eius ſeruum Iohannem in vtero Eliſabeth conceptum. Hanc humilitatem Eliſabeth conſiderans in Maria, conticere non valuit, ſed quaſi admirando clamauit dicens, *Vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me?* Ex qua quidem humilitate quid conſequeretur, conſequenter dixit. *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à domino, & eris benedicta inter mulieres,* vt dicunt verba noſtri thematis. Circa quæ verba tria ſunt conſideranda, ex quibus redditur virgo intemerata multum commendabilis & glorioſa, & hoc ſecundum triplicem eius in euangelio præſenti excellentiſſimam virtutem. Vocatur enim humilis à ſeipſa; ab E- *Propoſit.*
liſabeth fidelis & credula; & ab eadem mirabiliter proclamatur genitrix fœcunda. Primum tangit de ſe dicens. *Reſpexit humilitatem.* Secundum Eliſabeth dicens; *Beata; quæ credidiſti.* Tertium addens. *Vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me?*

I.

Reſpexit humilitatem. Virtus humilita- *Humilitas cur commendabilis.*
tis inter omnes virtutes redditur commendabilis ex quatuor, propter gratiæ impletionem; propter impletæ augmentationẽ; propter augmentatæ conſeruationem; & propter conſeruatæ vel confirmatæ glorificationem. *Primò* namque humilitas meretur gratiæ impletionem, iuxta illud pſal.
Qui emittis fontes in conuallibus, id eſt, gra- *Pſal. 103.*
tiam tuam præſtas humilibus, *inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Duo montes ſunt duæ ſpecies ſuperbiæ. quarum vna naſcitur ex re temporali, alia ex re ſpirituali. Inter iſtos duos montes eſt vallis humilitatis non declinans ad aliquam ſpem ſuperbiæ: & in iſto ſcilicet medio pertranſibunt aquæ gratiarum. *Secundò* humilitas repletæ gratiæ meretur augmentationem: & hoc poteſt oſtendi per tria exempla. Primò per exemplum pupillæ, quia ſecundum

Greg. quanto pupilla eſt nigrior & minor, tanto eſt lucidior; ſic & homo, quantò eſt deſpectior coram ſeipſo, tantò eſt maior
Cant. 1. coram Deo. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Nigra ſum in reputatione mei, & ideò formoſa in conſpectu Dei. Quoad hoc comparatur humilitas lapidi pretioſo calcedonio, qui eſt pallidus, nec lucet in domo inter parietes incluſus, ſed in aere & in radijs ſolaribus poſit⁹. Sic & humilitas palleſcit reputatione ſui, quia gloriam non petit ab hominibus; Nec lucet inter parietes præſentis corruptibilitatis, iuxta illud. *Nunc filij Dei ſumus, ſed nondum apparet quod erimus.* Sed dum venerit ad conſpectum veri ſolis, poſtquam diſſoluentur parietes corporis mortalis, tūc apparebit pulchritudo & claritas huius lapidis. Secundò per exemplum candelæ. quæ quantò plus inclinatur, tantò plus inflammatur. Sic & homo quantò plus inclinatur per humilitatem, tantò plus inflammatur in Dei charitate, qua corda fidelium ita accenduntur, vt ferè ſint in amorem conuerſa, ſicut ferrum proiectum in ignem to-
Cant. 5. tum eſt ignitū. *Amore langueo.* Et ſicut cera in igne, quæ tota fit liquida & ignea *Ani-*
Ibidem. *ma mea liquefacta eſt.* Et ſicut homo vulneratus, qui totam intentionem ad vim ſui
Ibidem. doloris conuertit. Vnde dicit ibidem. *Vulnerata charitate ego ſum.* Et ſicut aer illuminatus, qui totus in radios lucis conuertitur. Tertiò per exemplum aquæ, quæ quantò plus deſcendit, tantò plus aſcendit. Vnde Auguſtinus. *Deſcendite vt aſcendatis ad Deum; deſcendiſtis enim contra eum aſcendendo.* Tertio humilitas meretur gratiæ augmentatæ conſeruationem. Et hoc oſtenditur per tria exempla. Vnum exemplum eſt cineris. Sicut enim cinis conſeruat ignem, ſic humilitas conſeruat gratiam Spiritus ſancti.
Eccl. 10. Vnde Eccl. *Quid ſuperbis terra & cinis.* Et ſicut cinis ignem, ſic humilitas conſeruabat Abraham in gratia dicentem. *Loquar ad*
Gen. 18. *Dominum*; quaſi dicat, non; *cum ſim cinis & puluis.* Secundò patet hoc per exemplum arboris. Rami enim arboris qui ſunt in imo, ſunt ſecurè poſiti, ſed qui ſunt in altum leuati, ſæpè franguntur à violentia venti. Ideò Lucifer corruit, quia in ſupremo ſtare
Iſa. 14. voluit. *Similis ero altiſſimo.* Tertiò patet per exemplum pulueris. Virtutes enim ſine humilitate ſunt ſicut pulueres, ſed cum humilitate ſunt ſicut firma terra & ſolida. Vnde Greg. *Qui ſine humilitate virtutes congregat, eſt quaſi qui puluerem cōtra ventū portat.* Gregor. Quanto meretur humilia gratiæ conſeruatæ glorificationem. Et hoc oſtendit Auguſtinus per tria exempla. Primo per exemplum turris, dicens. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento cogita humilitatis. Qui enim vult turrim conſtruere, per quam aſcendat ad cœleſtem celſitudinem, ponat pro fundamento humilitatem. Illud fundamentum ponebat Apoſtolus, dicens. *Dei ædificatio* 1. Cor. 3. *eſtis, vt ſapiens architectus fundamentum poſui.* Secundo, per exemplum arboris. Vnde dicit. Arborem attendite, figit radicem in humili, vertice tendit ad cœlum. Si ſine radice auras petit, ruina eſt non incrementum. Qui igitur facit ſiue figit radicem in humilitate faciet fructum altiſſimum in cœleſti hæreditate. *Quicunque relictus fuerit* 4. Reg. 19. *in domo Iuda mittet radices ſuas deorſum, & faciet fructum ſurſum.* Tertio per exemplū ætatis. Vnde dicit ibidem Auguſtinus. *Si magnus vis eſſe incipe à minimo. Homo enim primo eſt paruus, & poſtmodum per ætatem creſcit & fit magnus.* Ideò Saul. dicitur. *Non-* 1. Reg. 15. *ne cum paruus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus factus es?* Hoc Saluator per exemplum Matt. 18. oſtendit: nam ſtatuēs paruulum dixit. *Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum.* Quia igitur beata virgo perfectam humilitatem habuit, ideò meruit fieri mater Chriſti. Dicit enim Bernardus; quod beata virgo; etſi ex virginitate placuit. tamen ex humilitate concepit. Quantumcunque enim fuiſſet virgo ſi humilis non fuiſſet, Deum non concepiſſet. Vnde quia ex humilitate concepit, ideò humilitas quodammodo dicitur mater Chriſti. II.

Beata quæ credidiſti. Fides in virgine beata fuit perfecta, perfectior, & perfectiſſima. Perfecta, quia fuit operibus coniuncta; Perfectior, quia charitati annexa; Perfectiſſima, quia fuit perſeuerans & firma. Primò fuit eius fides perfecta, quia fuit operibus coniuncta. Opera enim virtutum cardinalium, vt fortitudinis, temperantiæ, prudē- *Fides Mariæ perfecta.* tiæ, & iuſtitiæ, in ea perfectè fuerunt: nam

tiæ,

per fortitudinem reſtitit diabolo; per temperantiam carni & appetitui inordinato; per prudentiam mundo; per iuſtitiam regulatè vixit cum proximo. Ideò & iſta fides eſt perfecta, cum alioquin ſine operibus habeat otioſitatem. Et iſta eſt fides malorũ
Iacob 2. Chriſtianorũ. *Fides ſine bonis operibus mortua eſt.* Secundò adhuc habuit fidem perfe-
Fides Mariæ perfectior. ctiorem *Si habuero omnem fidem, ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Iſta eſt fides dæmo
1. Cor. 13. num, qui ſunt extra ſtatum merendi, nec vlterius charitatem poſsũt habere; de quorum fide dicitur. *Tu credis, quia vnus eſt*
Iacob 2. *Deus, & benè facis & dæmones credunt, & cõtremiſcunt.* O quam multi multa mira de ſe iactant clariſſimam fidem ſe habere aſſerentes; Sed quia ſine charitate Dei & proximi, id eſt, non intendunt per hoc proximorum ædificationem aut Dei honorem, ideò audient in iudicio *Diſcedite à me maledicti,*
Matt. 25. *quia nunquam vos noui.* Quod er[illegible] dicunt quidam heſitantes de fide catholica & Apoſtolica, quæ eſt ſub obedientia Eccleſię Romanæ Ecce hæretici faciunt miracula; Ecce ſubijciunt ſuæ ditioni orbem terrarum; Ecce nullus poteſt eis reſiſtere, ſi nõ eſſet eorum fides recta, nunquam Deus eis adeſſet contra ſuos Chriſtianos veros. Nũ quid non defendet eos de manibus eorum. Quibus ego reſpondeo, quod hoc Deus permittat iuſto, & tamen occulto iudicio. Primò ſecundum Ambroſium 23. q. 5. Remittuntur &c. ad puniendum peccata hominũ fidelium. Vnde dicitur ibidem. Quod ſicut duobus modis [illegible], ſcilicet per orationem vel per præd[illegible], hoc eſt, per verbum Dei, & per confeſſionem ſacerdoti factam; Ita etiam duobus modis puniuntur, ſcilicet per iudices, qui poteſtate ad tempus vtuntur: & per populos alienos iuſſu Dei excitatos; ſicut ſæpè legimus, quod propter diuinæ maieſtatis offenſam ſubiectus ſit populus Iudæorum. Vnde dicitur ibidẽ, quod aliquando peccata puniãtur per neſciẽtes, ſicut per Sennacherib & per Antiochum & Titum & Veſpaſianum, & alios reges gentilium, per quos Iudæi ſunt puniti. Et hi ſunt quaſi inſtrumentum di-
Iſa. 10. uinæ iuſtitiæ, propter quod comparantur ſerræ vel ſecuri, quæ ſunt inſtrumenta inſenſibilia, quę gloriari non poſſunt, ſi eis manus artificis aliquid faciat. Similiter eſt de hæreticis: non enim poſſunt gloriari dicentes; quia Deus eſt nobiſcum, quia per nos talia facit. Aliquando verò peccata punit per ſcientes, ſicut per Iudęos puniuit Amorræos, quorũ terram Iudæi receperunt, & poſſederunt ipſis expulſis de ſpeciali mãdato Dei, quo dictũ eſt Abrahæ. *Semini tuo dabo terram hanc,* quaſi dicat, tibi nõ dabo, Gen. 12.
ſed ſemini tuo. Cuius ratio ſequitur: nondũ .n. ſunt conſummata peccata Amorreorũ, quæ tũc intelliguntur primò fuiſſe conſummata, cũ Iſrael exijt de AEgypto. Et quoties hoc fit, tũc eſt iuſtũ bellũ & noxius ſanguis ſine culpa effunditur. Aliquãdo verò excitantur mali ad puniendũ peccata malorũ, i. in ſignũ eorũ, qui ſunt futuri boni, vt tandẽ per bonos correctores ipſi quoq; puniãtur. Sicut in lib. Iudicum de Iabin rege Chananeorũ, & de Madianitis legitur; quod pro- Iud. 3.
pter idololatriã populi ſuſcitauit eos dominus Deus Iſrael, vt affligerent & terram eorũ occuparent. Cum aũt populus Dei ſub manibus eorũ diutius afflictus peccatũ ſuũ recognoſceret, & per pœnitentiã ſibi Deũ placaret; ex præcepto Dei Barach comitatus Delborã propheteſſam vxorẽ Lapidoth, Iabin regẽ Chananęorũ, & Siſaram ducem exercitus ſui cõtriuit. Et Gedeon Zebee deſtruxit, & Salmana: vnde & reges Madianitarum, & Oreb & Zeb duces eorũ morti tradidit. Idẽ patet per hiſtoriã de Iuda duce Iſrael contra tribũ Beniamin. Qui pro- Ibid. 20.
ſtrati fuerunt propter eorũ peccata, quia voluerũt vlciſci peccatũ adulterii leuitę eorũ in Gabaa factũ, exiſtẽtes ipſi peccatores; tertio tamẽ, poſtquã egerunt pœnitentiã, Deus dedit eis victoriã. Et ex hoc dicit Gre. ꝙ qui vult aliũ corrigere, prius debeat ipſe peccato carere. Ex his igitur patet, ſi nõ eſſet peccata in Chriſtianis, hæretici nõ præualerẽt eis. Vnde Achior loquẽs ad Holofernẽ dixit *Nũc ergo mi domine perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum,* Iudith 6.
aſcendamus ad illos, quoniã tradẽs tradet illos tibi Deus eorũ. Si aũt nõ eſt offenſio populi huius coram domino Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis. Hęc ille. Hinc dicitur in Leuitico.
Si in præceptis meis ambulaueritis, perſequemini inimicos veſtros, & corruent corã vobis. Leuit. 27.
Si ex-

Si ergò volunt catholici potiri victoria de hæreticis, habeant ſecum Deum, exemplo Abrahæ, Dauid, Ioſue, & aliorum. *Fides Mariæ perfectiſſima.* Tertiò fides Mariæ fuit perfectiſſima. Primò, quia perſeuerans & firma contra fidem dubitantium per puſillanimitatem, quibus dicitur. *Matt. 14.* *Modicæ fidei quare dubitaſti.* *Luc. 8.* *Ad tempus credunt, ſed in tempore tentationis recedunt.* Non ſic Maria, quæ tempore paſſionis Chriſti omnibus dubitantibus & fugientibus firma permanſit in fide: ideo de ea poteſt dici; *Matt. 15.* O *Mulier, magna eſt fides tua, propter quod beata es quæ credidiſti.*

III.

Vnde mihi hoc, vt veniat mater domini mei ad me? Circa quod ſciendum, quod virgo glorioſa eſt mater Chriſti per naturam, *Maria mater Chriſti & omnium fidelium.* & omnium fidelium, per gratiam & miſericordiam. Et ex hoc eſt ſummè benedicta inter mulieres, quia nulli mulieri eſt hoc collatum, vt ſit mater Dei per naturam, & mater totius generis humani per gratiam. Licet enim Eua fuerit mater generis humani, non tamē per gratiam, ſed per naturam & culpam. Et ideo fuit mater maledicta nō benedicta. Tria igitur ſunt conſideranda. Primò, quomodo virgo glorioſa fuerit mater Chriſti. Secundò, quomodo mater noſtra. Tertiò, quomodo benedicta inter mulieres. De primo ſciendum, quod virgo glorioſa fuit vera mater, & ſtudioſa mater, & pia mater. Vera mater fuit, quia materiam carnis ipſi dedit, & conuenientem locum in vtero tribuit: ſicut ipſa de ſe ait; *Eccleſ. 24.* *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Et cum hoc ei conueniens nutrimentum exhibuit: iſta enim faciunt eam veram matrem. Vnde in perſona Chriſti dicitur. *Sap. 7.* *In ventre matris figuratus ſum caro.* Secundo fuit mater ſollicita circa Chriſtum, ipſum educando, ipſum ab inimicis conſeruando, ipſum in templum ducendo, & circa ipſum omnia opera miſericordiæ exercendo. Nā ipſum nouem menſibus hoſpitauit, carne veſtiuit, in cruce poſitum viſitauit, & ad ſepulchrum deduxit &c. Tertio fuit pia mater erga eum, quia nunquam aliquo duro verbo eum corripuit, ſed piè hortabatur. *Ioan. 2.* *Fili vinum non habent. Fili quid feciſti nobis ſic?* *Luc. 2.* Nec mirum quod tam pia fuit, quia in ea fons pietatis nouem menſibus hoſpitauit. De ſecundo quomodo ipſa ſit mater noſtra, mater miſericordiæ & gratiæ. *Maria mater gratiæ.* Sciendum quod Maria eſt gratioſa peccatoribus. Primò, quia eſt mediatrix inter Deū, & hominem, *Maria mediatrix.* ſicut aurora inter diem & noctem. Pſal. *Facta eſt nox, in ipſa pertranſibūt omnes beſtiæ ſyluæ.* Quando enim peccator eſt in tenebris peccatorum, *Pſal. 103.* tunc beſtiæ infernales pertranſeunt cor ipſius, & paſcuntur oblectamentis vitiorum, ſed cum apparet aurora, id eſt, gratioſa mater Maria, tūc fugiunt ad latibula infernalia, & abſconduntur. Vnde ſequitur *Ortus eſt ſol, & congregati ſuntt & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Et tunc primo homo *exibit ad operationem ſuam,* quia tunc homo habilis fit ad bonum operandum, quando ad inuocationem Mariæ dæmones recedunt. Secundo *Auxiliatrix.* eſt mater gratioſa, quia eſt ſemper auxiliatrix parata & propinqua. Vnde comparatur lunæ, quæ ſicut cæteris ſtellis eſt terræ vicinior, ſic Maria cæteris ſanctis eſt propinquior. Et ſic luna habet efficaciam ſuper mare, ſic Maria ſuper amaricatos peccatores, quos dulciter conſolatur. Vnde ipſa dicit. *Eccl. 24.* *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Et ſequitur. *Spiritus meus ſuper mel dulcis, quæ ſcilicet amaritudinem veſtram dulcorabo.* *Adiutrix* Tertiò eſt mater gratioſa, quia eſt adiutrix communiſſima, ſicut ſol omnibus lucet. Et ſicut ſol tres habet planetas ſuper ſe, & tres infra ſe, & ipſe eſt in medio; ſic Maria habet tres perſonas diuinas ſuper ſe, & tres ſtatus ſaluandorum infra ſe, ſcilic. virginum, continentium, & coniugatorum. Quartò eſt *Protectrix* mater gratioſa, quia eſt protectrix ordinatiſſima. *Cant. 6.* Vnde dicitur. *Terribilis vt caſtrorū acies ordinata.* Et verè terribilis dæmonibus quaſi hoſtibus. Vnde dæmones timent nomen ipſius, vel ſalutationem eius, ſicut baculum vel virgam verberantem, eò quod ipſa eſt virga ex Iſrael orta. *Num. 24.* Siue ergò grauemur à diabolo, ſicut Theophylus; ſiue à carne, vt Maria AEgyptiaca, quæ appellauit ad miſericordiam Dei, per clementiam Mariæ. Auguſtinus dicit. Peccator iuſtitia Dei ſententiatus appellet ad miſericordiam Mariæ & conſequetur miſericordiam. Licet autem

autem omnes ſancti ſint miſericordes, ſicut pater eorum miſericors eſt; tamen Mariæ miſericordia eſt maior. Eſt enim miſericordia eius excedens, congrua, & patens. Excedens in hoc, quia non eſt reſpectiua alicuius certæ perſonæ, aut patriæ, aut regni: ſed omnibus diffunditur; & in hoc excedit ſanctos alios, quibus in certo caſu eſt conceſſum auxilium miſericordiæ ſuæ impendere. Vt ſancto Nicolao in periculis aquarum; Sancto Anthonio in periculo ignis; & ſic de aliis: ſed iſti in omnibus. Vnde clamamus ad eam *In omni tribulatione & anguſtia noſtra, ſuccurre nobis piiſſima virgo Maria.* Eſt etiam eius miſericordia congrua, quia tunc, cum eſt magis neceſſaria, adeſt. Iuxta illud. *Specioſa miſericordia in tempore tribulationis.* Vnde comparatur lunæ plenæ, quæ lucet per totam noctem tribulationis, non tantum in principio, aut in medio, aut in fine. Sunt enim aliqui ſancti, qui iuuant tribulatos non in principio, ſed aliquando permittunt eos tribulari in principio & medio, ſed tamen iuuant in fine; ſicut legitur de beato Hieronymo, qui in fine tribulationis Siluanum epiſcopum in Nazareth adiuuit, cum decapitari debuit. Sed virgo glorioſa eſt ſicut luna plena, quæ lucet in principio tribulationis dando conſtantiam, in medio dando perſeuerantiam, in fine dando coronam. Nec mirum quod ſic tribulatos adiuuat cum ipſa etiam fuerit tribulata tripliciter. Primò, fugiendo in Ægyptum. Secundò, perdendo filium in feſto. Tertiò videndo filium crucifixũ in patibulo crucis. Eſt etiam eius miſericordia patens, eo quod omnibus patet. Nã quidam ſancti claudunt ſuas miſericordias indignis, ſed iſta offert indignis, & de indignis dignos facit. Vnde comparat ſe oliuæ non clauſæ in horto ſed apertæ in campo. *Ego quaſi oliua ſpecioſa in campis,* ad quã quilibet ſcilicet poteſt accedere. Et in Canticis vocat ſe florem campi & lilium conuallium, id eſt, depreſſorum. Vnde ipſa dat faciliter, quia apertam manum ſemper tenet; largiter, quia quantumcunque quis poteſt optare, plenam manum porrigit, quia gratia plena. Et vniuerſaliter dat, quia omnibus indifferenter. Vnde non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius: de quo dicit Bernardus. De plenitudine eius accipiunt vniuerſi, æger curationem; Triſtis conſolationem; Peccator veniam; Iuſtus gratiam, Angelus lætitiam; Filius humanitatem; Et tota trinitas gloriam. *Propter tam excellentes prærogatiuas humilitatis, virginitatis, fœcunditatis virgo glorioſa dicitur inter mulieres benedicta.* Secundum, quod virgo glorioſa fuit benedicta à tribus; ab angelo ſalutante; ab Eliſabeth exclamante & prophetante; à Deo ipſam confirmante per Oziam. *Benedicta tu filia à domino. Benedicta es tu filia à domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram.* Et in hac triplici differentia deſignatur, quod omnis natura intellectualis ſiue homo ſiue angelus, ſiue Deus, in laude virginis delectatur, & quodammodo benedicitur. Prima benedictio fuit ad manifeſtandum ipſius excellentiam, quam habuit in corpore. Secunda ad eam quam habuit in mente. Tertia ad eam, quam habuit in vtroque. Vnde Eliſabeth eſt ſubſtantia corporea; Angelus ſubſtantia incorporea, & Deus vtriuſque conditor. Habuit igitur in natura corporea quadruplicem benedictionis excellentiam ſuper omnes mulieres. Omnis enim mulier concipit corrupta, lactat contaminata, parit anxiata, moritur poſtmodum incinerata. Iſta eſt maledictio data Euæ. *Et multiplicabo ærumnas tuas.* Econtra virgo glorioſa concepit ſine corruptione, lactauit ſine contaminatione, peperit ſine læſione, obiit ſine incineratione. De conceptione dicitur. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit dominus.* Sicut enim odor ab odorifero procedit ſine corruptione, ſic filius Dei de virgine ſine ventris Mariæ corruptione. Vnde ipſe dicit. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* Secundo fuit benedicta in anima quadruplici benedictione ſuper omnes mulieres. Mulier enim eſt ſeducibilis ad credendum; leuis ad loquendum; facilis ad iraſcendum; & grauis ad indulgendum; & debilis ad patiendum. De ſeductione Eua dixit *Serpens decepit me.* De leuitate in locutione dicit Apoſtolus. *Mulierem in Eccleſia loqui non permitto.* ſcil propter leuitatem. De facilitate iræ. *Non eſt ira ſuper iram mulieris.* De debilitate patientiæ dicitur. *Mulierem fortem quis inueniet.*

Miſericordia Mariæ excedens eſt.

Congrua eſt.

Eccl. 35.

Miſericordia eius patens eſt.

Eccl. 24.

Cant. 2.

Maria benedicta ſuper omnes mulieres.

Iudith 13.

Benedicta in corpore quadrupliciter.

Gen. 3.

Gen. 27.

Eccl. 24.

In anima quadrupliciter benedicta.

Gen. 3.

Eccl. 25.

Prou. vlt.

ueniet. Sed econtra virgo glorioſa ſe habuit. Fuit enim prænuncia fidei noſtræ in præclara cognitione. Magnam certè fidem habuit, cum ſe credidit habituram prolem & non perdituram pudorem. Cognoſcebat ſe virginem humilem, & tamen credebat ſe ad tam incompræhenſibile myſterium electam. Et quia à virgine receſſit auctor fidei & totius generis humani ideò tam beata dicitur, quod Deus benedictionem omnium gentium dedit illi. Contra ſecundum fuit magiſtra Eccleſiæ, in verbi Chriſti conſeruatione. *Maria conſeruabat omnia verba hæc* quæ Apoſtolis poſtea reuelauit. Contra tertium fuit regina miſericordię in defectuum noſtrorum compaſſione & in triſtitia, ita vt de ea dicatur illud *Benedictus Deus Iſrael qui miſit te in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuiſti me ne irem ad ſanguinem.* Sut verba Dei patris ad virginem ſpiritualiter intellecta. Contra quartum fuit conſtantiſſima in patientia & fortitudine in filij ſui paſſione. Vnde dicitur. *Stabat iuxta crucē Maria mater Ieſu;* Apoſtolis recedentibus. Et licet doloris gladius animam eius toties pertranſiuit, quoties vidit filium vulnerari, nihilominus fortiter ſtetit. Vnde poteſt dici de ea illud *Benedicta tu filia à domino, quæ priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.* Prior miſericordia fuit, quia dedit carnem filio Dei, vt fieret pretium noſtræ redemptionis. Poſterior, quando ſpiritus eius trāſfigebatur gladio paſſionis; vnde ſtabat ſub cruce, non cecidit; quia mori nō potuit præ fortitudine. Tertio fuit benedicta in vtroq; ſc. in corpore & anima. Et hoc habet quadruplici benedictione ſuper omnes mulieres. Legimus ſiquidem mulierem primo eſſe originem culpæ, quia à muliere factū eſt initium peccati. Eccl. 25. Secundo ſeminarium concupiſcentiæ. Eccl. 7. Inueni amariorem morte mulierem. Tertiò plenā malitiæ. Eccl. 25. Breuis omnis malitia ſuper malitiam mulieris. Et quartò ſubiectam ignominiæ. Vnde Eſdræ 1. dicitur. Lex Moyſi ſubiectas facit mulieres. Iſtos quatuor defectus deſtruxit virgo glorioſa ſua benedictione: Nam contra primum ſcilicet originalem culpam fuit in vtero ſanctificata. Vnde apud Aggeum dicitur; *Nunquid lignum oliuæ nō floruit ex die iſta benedicta* quaſi dicat, vtique. Statim enim poſt ſuā conceptionem fuit purgata ab originali peccato, & ſic habuit ſanctificatione. Vnde de ea poteſt dici, *Domine præuenisti eam in benedictionibus* Secundo fuit benedicta extra vterum in ſalutatione angelica, & ſic ab omni concupiſcentia purgata. Vnde Pſal. *Benedixiſti domine terram tuam.* Hæc eſt terra, quæ fluebat lac & mel. Lac fluxit, quando corpus lacteum & puriſſimum dedit Chriſto. Mel de cœlo deſcendit, quando diuinitas de cœlo deſcendens, fuit humanitati vnita. Et tunc auerſa eſt captiuitas, quia lex membrorum, id eſt, fomes concupiſcentię, quo captiuamur in peccatum, in virgine fuit deſtructa. Tertio fuit benedicta in filij Dei inhabitatione: quando enim filius Dei nouem menſibus inhabitauit vterum virginis, tunc multò perfectius, quam prius eſt ſanctificata, vt dicit ſanctus Thomas. Sicut enim multò plus vas incorporat ſibi ſaporem vini, quando eſt vinum longo tēpore in eo, quam quando ſolum perfunditur vino, ſic virgo glorioſa ſæpius perfuſa gratia in ſummo eſt ſanctificata. Vnde poteſt dici de ea. *Terra ſuperuenientem ſæpè bibens imbrem & germinans herbam opportunā illis, à quibus colitur, accipit benedictionem.* Sic enim virgo in vtroque hodiè fuit benedicta ſingulariter; ita vt eius cultores ab ea repleantur benedictione. Quartò fuit benedicta in corpore & anima, quando fuit ſuper omnes angelos exaltata; iuxta illud Iudith *Benedixerunt Iudith omnes vna voce dicentes, Tu gloria Hieruſalē, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia plebis noſtræ, quæ feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaueris.* Et ſequitur. *Ideo benedicta eris in ſæculum.* Cū igitur Deus dederit benedictionem omnium gentium virgini glorioſæ, ideò ad eam omnes currant indigentes & deficientes & miſeri. Si quis quærit amicam pulchram, hęc *eſt tota pulchra,* Si quis obſcuratur tenebris peccatorum, hæc eſt ſol illuminans, quia *electa vt ſol, & pulchrā vt luna;* Si quis pulſatur tentationibus, *hæc eſt lapis conterens ſtatuam Nabuchodonoſor;* Si quis debilis, *ipſa eſt omnis armatura fortium;* ſi quis fluctuat cogitationibus, *hæc eſt nauis;* ſi quis errat, *hæc eſt via* patens

Marginalia: Eccl. 44. — Luc. 2. — 1. Reg. 25. — Ioan. 19. — Ruth. 3. — In corpore & anima quadrupliciter benedicta ſuper omnes. — Aggæi. 2. — Hebr. 6. — Iudith. 15. — Cant. 1. — Dan. 3. — Cant. 4. — Prou. vlt.

Zach.13. Cant.4. Ioan.12.

patens & porta in cœlum; ſi quis ſordidatur, *hoc eſt fons patens in ablutionem*; ſi quis ſitit, *hac eſt puteus aquarum viuentium*; ſi quis eſurit, *hac eſt granarium, de quo granum frumenti proceſſit*. Hanc ſequens non deuiabis; ipſam cogitans non errabis; ipſa duce non fatigaberis; ipſa tenente non rues; ipſa protegente non metues; ipſa propitia perges ad gratiam, & tandem ad gloriam: ad quā nos perducat &c.

DE EADEM SOLENNITATE. SERMO II.

Fecit mihi Dominus magna. Luc. 1.

Etſi omnium ſanctorum veneranda ſint omnibus ſtudijs merita, præcipuè tamen glorioſæ virginis Dei genitricis Mariæ ſemper toto mentis affectu eſt celebranda feſtiuitas. Nam vt dicit Auguſtinus, vnuſquiſque ſanctorum ſpecialibus quibuſque locis certorum auxiliorum ſuffragia contulit, hæc virgo beatiſſima & ſingularis virgo & mater, vniuerſo mundo per peccatum lapſo, generaliter ſalutem inuenit. Propter quod idem Auguſtinus, etſi omnium ſanctorum memoriæ ſint mirabiles, nihil tamen ita mirabile in gloria, ſicut Mariæ merita. Nam Abel propter ſacrificium Deo placuiſſe narratur; Enoch propter complacentiam translatus memoratur; Melchiſedech ſicut homo Dei prædicatur; Noë propter iuſtitiam laudatur; Abrahā & Iſaac propter fidem memorantur; Iacob propter luctamen beatificatur; Ioſeph propter caſtimoniam honoratur; Iob propter patientiam prædicatur; & ſic de alijs. Sed nullus talis in mundo, qualis Maria Dei genitrix; quem enim omnes illi in ænigmate viderunt, iſta incarnatum in vtero portauit. Hæc ille. Quis igitur eius explicare poterit magnalia? Quis valebit enarrare tot, tantaque beneficia, quibus eam Deus viſitauit oriens ex alto? Quis laudare dignè poterit tot prærogatiuas, quibus eā Deus vltra cæteros ſanctos decorauit? Certè nullus. Nam, vt dicit Auguſtinus; *Nullus ſermo in laude eius inuenitur idoneus, de qua mediator Dei & hominum cognoſcitur incarnatus. Impar eſt illi omne lingua humanæ præconium, quæ de intemerata carnis ſua viſceribus nobis cibum protulit animarum. Qualiter namq;*, vt ait idem, *feſtiuitatem eius dignè celebrare valet infirmitas hominum, quæ gaudium meruit portare angelorum? Qualiter eam poterit laudare mortalium hominū tranſitorium verbum, quæ de ſe genuit verbū, quod manet in æternum? Quæ lingua in eius laude inuenietur idonea, quæ illum genuit, quem omnia benedicunt, & cui cū tremore obediūt elementa?* Et ſubdit idem. *Nam dum cuiuſlibet martyris fortia facta extollere cupimus, dū virtutum eius inſignia ad redemptoris noſtri gloriam prædicamus. Nam & licet ad præcogitandum tardior ſenſus non impediat, tamē ad loquendum balbutiens lingua non ſuppetit, vbi tamen copiā ipſius rei materia ſubminiſtrat. Cum verò beatiſſimæ genitricis laudem ſcribere volumus, quia noua mandata contrectanda ſuſcipimus, nulla inuenimus verba, vt ad hæc dignè exprimenda ſufficere valeamus: tollit enim facultatem ſermonis materia ſimplex.* Hæc ille. Verum licet ſecundum Auguſtinum ad tantæ laudis promenda præconia noſtrum totum ingenium & imperita lingua non ſufficiat, eò quod nec peritiſſimorum philoſophorum poſſet ſufficere loquacitas, vrget tamen noſtri in eam inflammata charitas. Nec mirum, quod hæc virgo ſanctiſſima ſuis laudibus humanæ vocis inopiam exſuperat, quando & ipſam humani generis excellentibus meritis tranſcendit naturam. Nihilominus tamen non omninò ab eius eſt laude ceſſandum, aut reticendū, quia etſi minus ſufficit ſenſus inopia ad effectum ſufficiens, tamen apud Deum eſt deuotæ mentis affectus. Nec ambigendū, quin valeat hæc de ſe loquenti, ſapientiæ præbere eloquium ignitum, quæ totius ſapientiæ plenitudinem caſtiſſimo portauit in vtero, nec dicas valet quidem,

Auguſt. in ſerm. 1. de aſſumptione eius.

Idem ſermone. 5. vbi ſup.

Auguſt. ſerm. 1. de natiuit. Mariæ.

Auguſt. ſerm. 5. de aſſumpt. Mariæ.

ſed non vult. Quomodo enim negabit efficaciam verbi tribuere, quæ verbum, per quod facta ſunt omnia, virgineis viſceribus geſtauit incorporatum. Vt igitur aliquid de ea audire valeamus, ipſam deuotis mentibus accedamus, ſalutantes eam voce pia, per illud angelicum *Aue Maria*. in quibus verbis glorioſa virgo Maria, tanquam humilis & deuota recolens ſibi à Deo præſtita beneficia, toti mundo ea prænunciat & proponit valdè excellentiſſima & admirāda, dicēs voce amoena. *Quia fecit mihi magna dominus.* Vbi tria intinuat circa ſe mirabiliter facta. Primo nanque proponit & confitetur potentiam Dei eam creantis, cū dicit. *Fecit dominus*; Secundo ſubiungit & confitetur humilem erga Deum reuerentiam, eam dignam ad talia reddentem ſingulariter, cum addit *mihi* Tertio annectit & confitetur donorum magnificentiam cum infert; *Magna*. *Propoſit.*

I.

Fecit dominus. In hoc virgo beata gratam ſe exhibet pro munere ſuæ creationis. Quod beneficium eſt commune omnibus hominibus gratis præſtitum. Multi obliti ſunt diuinorum beneficiorum, & maxime dignitatis creationis ſuæ, nullas agentes gratias Deo tanquam ingrati & maleuoli. De quibus Moyſes *Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Dei creatoris tui.* Et tribus ante legendo propheta eodem dicit *Nūquid non ipſe eſt pater tuus qui fecit te, creauit te, & poſſedit te.* Volens ergo b. virgo eſſe grata de hoc beneficio communi creationis, dicit. *Fecit dominus*, ſ. me producendo in eſſe naturæ & gratiæ. Vnde in perſona eius dicit Iob *Et me ſicut te creauit Deus*. Hoc eſt contra miſerabilem diaboli ſuperbiam, qui ingratus huius beneficij, nō ſicut creaturam ſed creatorē ſuipſius præſumpſit ſe eſſe. In cuius perſona dicitur. *Ego creaui memetipſum.* E contra virgo glorioſa dicit de ſe *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* In quo virgo [illegible] dicta laudat Dei potentiam, per [illegible] tualiter eſt producta, dicens; *Fecit dominus.* Quia nullus potuit me producere, niſi ille, qui eſt fortis & potens dominus. Circa quod ſciendum, quod Deus circa cuiuſlibet hominis creationem tria oſtendit, ſcilicet potentiam, ſapientiam, & bonitatem. Potentiam in hoc, quod animam de nihilo creauit, & corpus de terra alterius corporis, quæ tamen nullam habent proportionem ſeu ſimilitudinem adinuicem. Secundò oſtendit ſapientiam in hoc, quod mirabiliter & prudenter ſingula membra ordinauit, in numero, pondere, & menſura, cuilibet ſuum officium deputando, & vnumquodque in alterius ſubſidium ordinando, omniaque ſimul in miniſterium totius corporis diſponendo. Tertiò oſtendit bonitatem ſuam in hoc, quod creauit hominem tanquam dominum præeſſe omnibus creaturis. Pſal. *Omnia ſubiecisti. Vt præſit piſcibus maris & beſtijs terræ.* Quæ omnia mouere debent hominem ad laudandū Deum, & gratias agendum ei. Iſta enim ſicut à Deo data ſunt, ſic & poſſunt auferri iuxta illud. *In manu eius ſumus nos.* Exponit Holcoth, id eſt, noſtra ſubſiſtentia *Deum qui habet ſtatum in manu ſua & omnes vias tuas, non glorificaſti.* Eſt ergo prima materia ſeu cauſa regratiandi Deo beneficium creationis, quo nos fecit. Sed ne parum videantur ingrati, attendant adhuc maiora beneficia, ſcilicet redemptionis, expectationis ad pœnitentiam; iuſtificationis per gratiam; confirmationis in bono; præmiationis in cœlo; & generaliter attendat quis, vnde ſibi proueniat miſericordia & gratia. Nam ſi ſapiens eſt, certè non aliunde datur ſapientia niſi à Deo *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt. Si quis indiget ſapientia poſtulet eam à Deo.* Ipſe enim eſt dominus ſcientiarum, vt dicit Anna. Sed etſi diues eſt, certè non aliundè diuitiæ niſi ab ipſo, qui vt ait Apoſtolus, eſt rex regum, diues in omnes. pſ. Gloria & diuitiæ in domo eius. Et ſicut ipſe dicit de ſe per Salomonem. Mecum inquit ſunt diuitiæ Denique ſi quis potens eſt & fortis; nonne ab illo qui fortis & potens eſt? De quo pſal. dicit. *Dominus fortitudo mea.* Et quid neceſſe eſt vagari per multos, cum non ſit minimum bonum, quod poſſit homo aliundè cogitare, quàm ab illo, de quo dicitur, *Omne datum*

Margin notes: *Deut. 32.* — *Ezech. 29* — *Eccl. 24.* — *In carnatione hominis tria Deus oſtendit.* — *Pſal. 8.* — *Gen. 2.* — *Sap. 7.* — *Dan. 5.* — *Eccl. 1.* — *Iacob 1.* — *1. Reg. 1.*

Iacob. 1. *tum optimũ, & omne donũ perfectũ deſurſũ eſt deſcendens à patre luminum*. Ipſe enim eſt fons & origo omnium noſtrarum operationum, eo quod non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed 2. Cor. 3. ſufficietia noſtra ex Deo eſt. Hinc eſt quod Salomon vocat Deum mare bonitatum noſtrarum, in quem noſtræ mentes tanquam fluuij, ſi continuè volunt fluere, per Eccl. 1. gratiarum actionem debent refluere. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant*. Vnde Bernardus dicit. *Ori-* Bern ſer. 13 ſuper Cant. *go fontium & fluminum omnium. eſt mare, virtutum & ſcientiarum eſt Christus Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo casta conſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria ex illo manant; ſi quis claret ingenio, ſi quis nitet eloquio ſi quis moribus placet, inde prudentia, inde ſapientiæ ſermo Ad locum ergò vnde exeunt flumina reuertuntur gratiarum actione, vt iterum fluant: ſicut dicit Apoſtolus. in omnibus gratias agentes. Quicquid* [illegible] *virtutis te habere confidis, Dei virtuti & Dei ſapientiæ deputa*, ſcilicet Christo; *ſi quidem fluminis aqua ſi ſtare cæperit computreſcit: ſic planè gratiarum ceſſat decurſus, vbi recurſus non fuerit nullo modo enim augetur gratia in ingrato, ſed etiam quod accepit, ei vertitur in perniciem*. Hæc Bernardus Ideò Hermes Triſmegiſtus in li. ſuo de natura Deorum verſus finem dicit, quod ſummæ incenſiones Deo ſint, cum gratiæ aguntur Deo ab hominibus. Hinc & Auguſt. ad Marcellam dicit, quod nihil melius poſſimus dicere, quam Deo gratias agere; quod tunc fit, quando dona Dei cogitamus, & ipſum de eis honoramus. Hoc modo fecit virgo beata, quæ diuina beneficia recogitans & ipſum per os virgineum honorans dicit, *Fecit Dominus*, quaſi dicat. Ego nihil à meme tipſa me habere recognoſco, quia non ipſa me feci, ſed ipſe fecit me producendo tam glorioſam de ſtirpe regia, tam ſpecioſam & formoſam inter filias Ieruſalem, tam virtuoſam & gratioſam, vt omnes ad me pro gratia confluant obtinenda; & iſta fuere non meis meritis, ſed ſua gratia fecit: Ideo hũc lau[illegible] quia tam potenter, & excellenter me fecit producendo, decorando, & extollendo.

II.

Mihi Hac voce D. Virgo ita dicere videtur. Etſi multa beneficia omnib⁹ vniuerſaliter à Deo præſtita ſint & facta, mihi tamẽ ſingulariter, ſpecialiter & appropriatè quædã fecit Dominus; ideo meritò ei ago gratias ſpecialiter; quia fecit mihi ſpecialiter. Vbi ſciendum, quod virgo beata fuit benè diſpoſita, & ſingulariter vltra cæteros mortales præparata à Deo, vt eſſet digniſſimũ vas receptionis beneficiorum tantorum: & hoc ſpecialiter propter tres virtutes, ſcilicet puritatem, humilitatem, & fortitudinem. Fuit enim purior aliis per virginitatis munditiam; abſconſior ſiue ſecretior cæteris, per humilitatis conceptam: ſecurior cæteris, per fortitudinis conſtantiam. Ideo meritò dicere poteſt ſingulariter præ cæteris. *Et fecit mihi Dominus*. Mihi inquam puriori, mihi humiliori, mihi conſtantiori. [illegible] purior alijs per virginitatis munditiam; [illegible] liæ ſiquidem mulieres habent munditiam coniugalem vel vidualẽ, quæ nõ modo nõ eſt pura ſed corrupta & permixta: ſed hæc virgo habet virginalem puritatem, quæ ſimpliciter eſt pura. Nec eam habet æqualem alijs virginibus, ſed excellentius omnibus virginibus. Ipſa enim eſt regina virginitatis, aliæ omnes ſunt pediſequæ: Nam ipſa prima vouit Deo virginitatem ſine præcedenti cuiuſquam exemplo: aliæ verò exemplo eius vouent eam. Ideo de ipſa dicitur. *Offerẽtur regi virgines poſt eam*. Vnde ipſa eſt fons & origo ac medium totius virginitatis; de qua dicitur. *Stetit ſol in medio cæli*. Cælum dicitur eccleſia iuxta illud. *Simile eſt regnum cælorum*. Medium eſt virgo glorioſa, quæ ſemper medium virtuoſum in omnibus tenuit ab extremis vitiorum declinans De quo medio dicitur in pſalm. *Deus in medio eius non commouebitur* in hoc ergo medio virginitatis glorioſa virgo corpore ſtetit, quæ eſt ſol puritatis virginalis; puritas ſiquidem virginalis, beatæ virginis fuit ad ſimilitudinem ſolis. Sicut enim ſol, cũ eſt in medio cæli, circa feſtũ S. Viti, quando eſt in maxima eleuatione, maximè adurit inferiora & exſiccat etiam maximas humiditates; ita caſtitas virginalis in beata virgine fuit ma-

D. Virgo [illegible] virgi-nia.

Pſal. 44.

Ioſue. 18.

Matt. 13.

Pſal. 45.

 xima,

xima, ſpiritu ſancto eleuata ſuper carnalem concupiſcētiā ipſius, vt eā totaliter extingueret, eò quod in ea fomes non ſolum fuit reſtrictus vt in alijs virginibus per gratiam communem, ſed etiam fuit totaliter extinctus, præſertim in conceptione filij Dei & eius geſtatione in vtero per gratiam ſingularem. In huius ergò puritatis cōparatione aliæ virgines ſunt ſicut ſtellæ, quæ lumen ſuum recipiunt ab ea ſicut à ſole. Sicut enim ſol nunquam poteſt totaliter obſcurari, & ſi eclypſatur, non diu obſcuratur, ſed ſtatim purgatur: Ita caſtitas huius virginis nunquam potuit obſcurari actuali peccato, nec etiam originali, quod tamē de alijs virginibus non poteſt dici. Vnde de hac poteſt dici illud Iob. *Obſcurentur ſtellæ caligine eius; expectet lucem & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ.* Stellæ intelliguntur omnes ſancti, qui obſcurati fuerunt caligine peccati originalis: Sed lux, id eſt, beata virgo, dicitur non vidiſſe caliginem, quia non ſtetit in peccato originali, imò antequam naſceretur mundata eſt, & ſic dicitur non vidiſſe etiam ſurgentis ortum auroræ, quia non concepta eſt, id eſt, orta ſeu nata in peccato originali. Ideò meritò dicitur ipſa gloria omnium virginum. *Species cæli gloria ſtellarum.* Et: *Specioſior ſole,* ſcilicet materiali, *& ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum.* Ex his patet quod virgo glorioſa in ſua puritate præcipuum teneat gradum, iuxta illud Ambroſij. *Quid nobilius Dei matre? Quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? Quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contaminatione generauit?* Hæc ille. Verè optimus ſol glorioſa virgo, quæ nobis tot beneficia præſtitit omnibus, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius. Fugat enim nebulam & nubem, id eſt, ignorantiæ noſtræ cæcitatem per ſplēdorem lucis gloriæ filij ſui, quia lucem mundo generauit. *Ego ſum lux mundi.* Siquidem totus mundus operiebatur tenebris denſiſſimis ignorantiæ. Figura. *Nubes denſiſſima cœpit operire montem.* & apud Ezechielē idē patet de viſione myſtica. Miſit ergo Deus ſolem iſtum, quem fecit oriri ſuper bonos, ad eorū conſeruationē, & ſuper malos, ad eorum conuerſionem. Sol etiam iſte præſtat decorem & pulchritudinem omnibus rebus, ſcilicet viris & mulieribus; omnes illuminantur per ipſum, non ſolum homines in mundo, ſed etiam Angeli in cælo & peccatores in inferno. Vnde Bernardus. In te virgo oculi omnium reſpiciunt, & qui in mundo ſunt, vt ſaluētur; & qui in inferno, vt eruantur; & qui in cælo vt lætificentur. Vnde de ea poteſt exponi illud Eccl. *Sol illuminans per omnia reſpexit.* Et quem reſpexit? Certè ſicut dicitur Iudith 15. *Tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri.* Iſrael dicit illos, qui iam vidēt Dominum in cælo, qui de eius præſentia gaudent. Gaudent enim Angeli, gaudētes & laudantes benedicunt Dominum. Honorificentiam populi noſtri, dicit populi nobiſcum habitantis in terra, quorum omnium ipſa eſt gaudium. Secundo virgo beata fuit ſecretior cæteris per humilitatis conceptum; omnia enim opera ſua abſcōdebat mundo: de qua exponitur illud Iudith 8. *Fecerat ſibi Iudith cubiculum in quo clam cum puellis ſuis morabatur;* Per quod ſignificatur, quod Maria intra cubiculum cordis ſui cum puellis, id eſt, virtutibus diuerſis morabatur, omnem vanæ gloriæ fugiens pompam; propter quod ipſa de ſola humilitate gloriando hodie dicit; *Reſpexit Dominus humilitatem ancillæ.* Vbi dicit Lyra, quod virgo beata licet ex omnibus virtutibus fuit diſpoſita ad conceptionē Dei, maximè tamen ex humilitate. Vnde dicit Bernardus: Fateor quia Mariæ virginitas ſine humilitate nihil placuiſſet Deo, ſcilicet quantū ad conceptionem filij Dei, quia etſi ex virginitate placuit, tamen ex humilitate cōcepit. Magna humilitas poſt Gabrielis legationem de conceptione filij Dei dicere ſe ancillā; magna humilitas ire ad Elizabeth & ſeruire ei circa partum; magna humilitas cum tanto theſauro filio Dei, quem geſtabat in vtero viſitare ſeruū Ioannem. Tertio virgo beata fuit ſecurior cæteris per fortitudinis conſtantiam. Vnde de ea dici poteſt, ô viri nōne fortes ſunt mulieres, ſed certè fortior eſt omniū beata virgo, de qua dicitur. Fortitudo & decor indumentum eius. Prouerb. vlt. Et ibidem; *Accinxit fortitudine lumbos ſuos.* Verè magna fortitudo per quam quodammodo Deus vinctus eſt & de ſeuero factus

[Margin notes: Iob. 3. — Eccl. 43. — Sap. 7. — Ambr. lib. 3. de virginit. — Ioan. 8. — Exod. 19. — Ezech. 10. — Matt. 6. — Eccl. 43. — B. Virgo ſecretior alijs per humilitatem. — 2. Exod. 4. — Prou. vlt.]

eſt pius Figura ad hoc fuit ipſa regina Heſter, quæ iram regis Aſſueti contra Iudæos mitigauit, & eum propitium reddidit. Sic Abygail iram regis Dauid contra Nabal virum ſuum muneribus placauit. Magna fortitudo, per quam victus eſt diabolus.
Iſa. 30. *Ipſa conteret caput tuum* Hæc eſt enim illa
Ibid. 11. virga, de qua apud prophetam Pauebit Aſſur virga percuſſus. Virgo beata dicitur virga, *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Aſſur interpretatur ſublimis, & ſignificat diabolum ſuperbum. Hunc ergo ſublimem percuſſit virgo beata per filij ſui paſſionem ſicut Chriſtus. Tertio fortis fuit cōtra mundum, cuius omnes pompas, honores, diuitias, & delitias calcauit. Nam ſicut dicit Ambroſius libro 3. de virginitate; ipſa non in incerto diuitiarum ſpem poſuit, ſed in ſolo Deo; diuitiæ ſiquidem eius ſunt eius virtutes, delitiæ, ſpirituales conſolationes, honor verò gloria ſolius Dei.

III.

Magna. Magna dona data ſunt virgini glorioſæ in eius ſanctificatione, ſed maiora in filij Dei conceptione; ex quibus donis magna in beatitudine prædicatur, ſicut ipſa de ſe dicit. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* De primo, quomodo magna fuerit in ſua ſāctificatione, dicit Holcoth ſuper librum ſapientiæ 13. Quod Chriſtus matrem ſuam ſic ſolidauit virtutibus & gratijs ſic affixit, vt nunquā defluere potuerit in aliquod peccatum. Fuit enim ſic ſanctificata in vtero, vt emundata ab originali peccato, & in ea fomes ligatus, ſic vt nunquam eam ad peccandum impegerit: & hæc fuit prima ſanctificatio in vtero matris ſuæ. Sed ſecunda fuit in conceptione filij quando fomes fuit ablatus totaliter ſecundum eſſentiam, & gratia ſuperaddita quæ flexibilitatem liberi arbitrij determinauit ad bonum, ſic vt extunc nullo modo potuerit in malum flecti Vnde tunc cōfirmata fuit ſicut in via fieri potuit; Hæc ille. Propter iſta dona ſibi diuinitus collata meritò de ſe dicit virgo glorioſa. *Fecit mihi Dominus magna.* Verè magna; nam pulchrā eſſe totaliter & ſine macula, magnū quid eſt, & ſoli ſponſæ Dei ſingulariter conuenit, cui ſponſus dicit illud; *Tota* Cant. 4.
pulchra es amica mea & macula nō eſt in te.
De ipſa etiam dicitur, quod Spiritus Sap. 7.
Sanctus per Salomonem dicit. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis* Ex quibus breuiter infero, quod virgo beata maior fuerit cæteris ſāctis tripliciter. Primo quidem maior fuit cæteris in gratia, ſicut Angelus atteſtatur ei dicens. Lucæ 1. Aue, inquit, gratia plena. Verè plena; quia nos de eius plenitudine recipimus, vt dicit Bern., triſtis cōſolationem; æger medicationem; peccator veniam; iuſtus gratiam; Angelus lætitiam; Et quomodo rogo non plena, in quam auctor totius gratiæ ſe totum infudit? Cum igitur dicit, quia ſibi Dominus fecit magna, quia de ipſa adeò parua creatura in naturalibus fecit tam magnam in gratia, vt
de ea poſſit dici illud. *Fons paruus creuit in* Eſther. 10
fluuium maximum & in aquas plurimas redundauit & in lucem ſolemq́; conuerſus eſt. Fons paruus fuit virgo beata ſecundum naturam propriam, ſed creuit in fluuium miſericordiæ maximum, quando Spiritus Sanctus deſcendit in ipſam. Qui fōs in lucē ſolemque conuerſus eſt, quando Dei filius per carnem aſſumptam factus eſt filius virginis. Ecce audis virginem glorioſam, fontem, lucem & ſolem. Fons inquam eſt, ſine quo neceſſe eſt areſcere peccatorem; lux ſine qua neceſſe eſt errare viatorem; ſol ſine quo neceſſe eſt infrigidari in dilectione. Si ergo ſitis & æſtuas ardore concupiſcentiæ, hæc eſt fons patens in refrigerium; Si erras in via morum, hæc eſt lux dirigens in viam pacis æternæ; Si deniq; gelicidio peccatorum conſtringeris, hæc eſt ſol calefaciens in Dei dilectione. Secundo maior fuit cæteris ſanctis Maria, quia lucidior cæteris ſanctis per exemplum vitæ. Illa enim ſola ſufficit omnibus, ad exem-
plar & ad modum viuendi. Vnde dicit Ambroſ.
Ambroſius. *Talis fuit Maria vt eius vnius* lib 3. de
vita omnium diſciplina ſit. In ipſa namq; ſunt virginitate.
poſita exempla viuendi & tanquā in exemplum exemplariter magiſteria expreſſa ſunt probitatis. Ibi quiſq; inuenit cōgruè quid fugere, quid

quid tenere debeat. Magna igitur virgo fuit in hoc quod ſola omnibus ſufficit ad exẽpla virtutum. Omnes enim virtutes in ea pariter confluxerunt, & quod cæteris ſanctis per partes eſt diſtributum, totũ in Maria eſt congregatum. Tertio fuit virgo glorioſa maior cæteris, quia efficacior & vtilior cæteris ſanctis quoad neceſſitatum ſuffragia, eo quod generalem habet efficaciam omnium auxiliorum in quibuſcunque neceſſitatibus. Vnde Bern. in quodam ſermone dicit *Si criminum immanitate turbatus ſi conſcientiæ fœditate confuſus: ſi iudicij horrore perterritus ſi baratro deſperationis abſorptus fueris, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore tuo nec à corde tuo. Nam ipſam recogitans non erras, ipſam rogans non deſperas, ipſam ſequens non deuias, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris.* Oportet ergò vt dicit idem, vniuerſos Chriſticolas inter fluctus huius ſæculi nauigantes attendere hanc maris ſtellam. Nam ab ea auerſus neceſſe eſt vt pereat: & ad eam reuerſus impoſſibile eſt ꝙ pereat. Ipſa n. omnib' omnia facta eſt, ſecundum Bernardum. Sapientibus & inſipientibus omnibus miſericordię ſinum aperit, vt de plenitudine eius capiant vniuerſi: captiuus redemptionem; æger curationem; triſtis conſolationem; peccator veniam; iuſtus gratiam; Angelus lætitiam; denique tota Trinitas gloriã: ad quam nos perducat pater & filius & Spiritus ſanctus. Amen.

Bern.

Notandum quod feſtum viſitationis Mariæ agitur ad ſignificandum & deuotè contemplandum, qualiter Deus viſitet animam. Vnde per Elizabeth ſignificatur anima humana; interpretatur enim Dei mei ſaturitas; quod vtique fit per gratiam, per quam anima eſuriens repletur bonis. Per Mariam ſignificatur gratia diuina, quæ illuminat tenebras culparum noſtrarum, iuxta illud. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Vnde Apoſtolus idem gratiam appellat diem dicens; *Nox præceſſit, dies autem appropinquabit.* Et ſequitur: *Abijciamus ergò opera tenebrarum & induamur arma lucis.* Viſitat igitur Maria Elizabeth, cum gratia viſitat animam eſurientem & ſitientem iuſtitiam. Circa quod ſciendum, quod Deus viſitet animam multipliciter. *Primo* eam redimẽdo, iuxta illud. *Luca. 1. Viſitauit nos oriens ex alto.* Et eiuſdem 8. *Viſitauit Deus plebem ſuam.* Et iſta eſt mirabilis viſitatio, quã admirando propheta dicit. *Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum:* Quod exponit Innocent. 4. *Quid eſt homo*, id eſt, quam miſer & vilis, fragilis, breuis, putridus, imbecillis, vanus, & diaboli ſeruus. *quod memor es eius* filium incarnando: quia ante incarnationem videbatur oblitus hominis. Pſalm. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? Aut filius hominis quoniam viſitas eum*, ſicut medicus ægrotum: Figura. Iacob miſit Ioſeph de Hebron in Sichem, vt viſitaret fratres ſuos; & inuenit eos in Dothaim, quod interpretatur defectus; & ſignificat hunc mundum, in quo eſt omnis defectus. *Secundo* viſitauit eidẽ miſerẽdo per beneficia. *Viſitauit Dominus Saram ſicut promiſerat.* *Tertio* iuſtificando pſalm. *Viſita nos in ſalutari tuo.* *Quarto* inſpirando prophetiam. *Oſſa illius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt.* *Quinto* probando. *Viſitas eum diluculo* *Sexto* conſolando. *Requiram oues meas & viſitabo eas.* *Septimo* reuelando per ſomnium. *Niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio.* *Octauo* conſeruando in bono. *Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* *Nono* corrigendo. Pſalm. *Viſitabo in virga iniquitates eorum*, id eſt, in leui flagello. *Decimo* liberando. *Viſita me & erue me.* Iudicũ. 4. *Orabant Dominum vt viſitaret populum ſuum.* *Vndecimo* temporaliter vlciſcendo. *Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longè venientis* *Duodecimo* iudicando *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* *Tredecimo* æternaliter damnando. *Poſt multos dies viſitabuntur.* Et: *Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro & grandi, & forti ſuper Leuiathan &c.*

Cur agatur feſtũ viſitationis.

Epheſ. 5.

Rom. 13.

Deus viſitat animam multis modis.

Pſal. 8.

Pſal. 12.

Gen. 37.

Gen. 21.

Eccl. 49.

Iob. 7.

Ezech. 34

Eccl. 34.

Iob. 10.

Ierem. 15.

Iſaia. 10.

Iſa. 24.

Idem. 27.

DE

DE SANCTA MARGARETHA. SERMO.

Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Matth. 13.

Auguſt. DICIT beatus Auguſtinus in li. de ſancta viduitate. Bona eſt pudicitia coniugalis, melior continentia vidualis, ſed optima caſtitas virginalis. In ſignum huius licet Chriſtus ſub matrimonio voluerit concipi, *Commẽdatio virginitatis.* & à vidua Anna prædicari & laudari, tamen non niſi de virgine voluit naſci, & in virgine corporaliter elegit morari. Quod aduertẽs beatus beatus *Ambr.* Ambroſius in li. de offic. dicit; Quanta eſt virginitatis gratia, quæ meruit à Chriſto eligi, vt eſſet corporale Dei templum, in qua habitauit corporaliter plenitudo diuinitatis: nam virgo genuit mundi ſalutẽ, vitam peperit virgo vniuerſorum. Hæc ille. Magna igitur eſt laus & honor virginum, quæ meruerunt familiarius cæteris cũ Deo habere conſortium. *Apoc. 14.* Vnde de eis dicitur. *Sequuntur agnum quocunq; ierit.* Eſt enim iſta familia ſpecialis Chriſti. *Hieron.* Nam ſicut dicit Hieronymus ad Euſtochium epiſtola. 44. *Vt filius Dei ingreſſus eſt mundum nouam familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adoratur in cælis, haberet Angelos in terris, ſcilicet virgines* Eſt igitur hæc vita potius Angelica, quam humana. Vnde dicit Ambroſius in li. de virginitate. Quis neget hanc vitam fluxiſſe de cælo, quam non de facili inuenimus in terris, niſi poſtquam in hæc terreni corporis membra deſcendit. Sed & de Helia, de Ioanne Baptiſta, de Maria ſorore Moyſi & de virginibus quas legimus in tẽplo deputatas, hęc omnia in figura cõtingebant illis, vt eſſent indicia futurorum. Figura in paucis, veritas in pluribus. Hæc ille. *Virginitas comparatur theſauro.* Propter tantã ſublimitatẽ & excellentiã meritò virginitas comparatur theſauro præcioſo, ſicut loquitur euangeliũ. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro &c.* In quibus verbis commẽdatur virginitas omnium generaliter, ſed ſpecialiter beatæ Margarethæ, cuius feſtum hodie agimꝰ, ex triplici prærogatiua; Habet enim theſaurus virginitatis incomparabilem dignitatẽ; delectabilẽ amœnitatẽ, & inæſtimabilẽ vtilitatem Nihil enim theſauro in rebus & poſſeſſionibus precioſius & dignius, eo quod eſt ex rebus excellẽtiſſimis & precioſiſſimis ſcil. auro, argento, lapidibus precioſis &c. Nihil etiam eo delectabilius & amęnius, quia dulce eſt oculis aurũ, amœni ſunt ad videndũ & tractandũ lapides & margaritæ; nihil inſuper theſauro vtilius, quia ad omnia valet; nutrit enim & ſuſtẽtat vitam, redimit à morte, & memoriam facit durabilem poſt mortem. Eſt igitur theſaurus virginalis primo precioſus *Propoſit.* & incomparabilis dignitate, delectabilis amœnitate, & inæſtimabilis vtilitate.

I.

Theſaurus virginalis caſtitatis eſt precioſus & incomparabilis dignitate. *Virginitatis dignitas cõſtat ex quatuor.* Patet autẽ dignitas virginitatis ex quatuor, ſcil. ex arduitate ſeu difficultate facili; ex natura ſupernaturali; ex humilitate illuſtri; & ex mortalitate immortali. *1.* De primo patet Caſtitas enim virginalis eſt res multũ excelſa & difficilis ex vna parte, & tamen eſt facilis ex alia. Difficile namq; eſt in carne contra legẽ carnis viuere, ſicut difficile eſſet in regno Polonię contra legẽ regis Polonię viuere: hoc aũt faciunt virgines. Vnde dicit Ambroſius in libro de viduis. Supergreditur virginitas cõditionẽ humanæ naturæ, per quã homines Angelis aſſimilãtur; & ex hoc dicit idem, quod maior ſit victoria virginũ, quã Angelorũ: Angeli enim ſine carne viuunt, virgines verò in carne triumphant. Apoſtolus. *Si ſecundum carnẽ vixeritis, moriemini* Hæc ille. Ex altera verò parte eſt facilis, quia facilius ſe continent virgines quã viduę aut corruptæ, pro-

Aug. lib. 15. cont. Julianum.

ut deducit Aug. Cuius ratio eſt ſecundum ipſum; quia quantò magis caſta eſſe voluerit, tantò amplius in ſuperanda cõcupiſcẽtia laborabit. Eo magis videlicet ſi ei ſcil. cõcupiſcentiæ & voluptati maiores curas cõſuetudo dedit. Propter quod Apoſtolus. *De virginibus præceptũ Domini non habeo, conſiliũ autẽ do.* Et ſequitur. *Si nupſerit virgo non peccabit, tribulationẽ tamen carnis habebũt huiuſmodi.* Tribulationẽ inquã, non ſolũ filijs neceſſaria prouidendo, ſed etiã difficilius ſe poſtea in viduitate continendo. Et Hieron. in epiſtola 79. dicit, difficilior cõtinentia viduarũ minorem habebit mercedem. Sed dices, ex quo virtus eſt circa difficile & bonũ, ergo videtur quod difficilior continentia ſit magis meritoria, & per cõſequens viduæ debuẽt habere maius præmiũ quã virgines. Reſpõdeo, quod non omne difficilius bonũ eſt magis meritoriũ, ſed tantũ illud quod eſt difficilius ex genere operis; vt ieiuniũ eſt magis meritoriũ ex ſe, quã eleemoſyna: nõ tamen ex hoc ſi fuerit difficilius ipſi agenti ex naturali cõplexione, & vt difficilius eſt ieiunare colerico, quã flegmatico. Talis autẽ difficultas quæ fit ex cauſa naturali nõ auget meritum ſed diminuit. Sicut auarus difficilius dat vnum denariũ quã largus centum, quod in auaro eſt vituperabile, in largo laudabile. Quicquid tamen dicat Hieronymus, ſimpliciter loquendo pugna virginũ eſt difficilior quã viduarũ. Nã licet verũ ſit, quod recordatio expertæ voluptatis maiores ſit difficultates inviduis, prout etiã dicit Philoſophus in li. de animalibus; tamen in virginibus imaginatio inexpertæ laſciuiæ cũ iſtis tribus circũſtantijs, quæ ſunt deſideriũ experiẽdi ex curioſitate, exiſtimatio maioris delectationis quã ſit in rei veritate, & ignorantia incõmodorũ & turpitudinis concomitantis, faciũt maiorẽ pugnã, & per conſequẽs maiorẽ difficultatẽ. *Secũdo* patet virginalis caſtitatis dignitas ex natura ſupernaturali. virginitatis enim obſeruatio aliquid habet naturale, aliquid ſupernaturale. Habet inquã naturale, quoniam in actu carnis, ſine quo virginitas nõ ſoluitur, ratio obruitur ex immoderantia delectationis ſenſibilis, & hoc eſt innaturale quod ratio omninò ſuccũbat & ſenſualitas dominetur. Et quia

1. Cor. 7.

Pugna virginum ſimpliciter loquẽdo eſt difficilior.

peruerſitas huius ordinis inuenitur in omni actu carnis, ideò omnis actus carnis hui⁹ aliquid habet innaturale. Actus. n. carnis non poteſt exerceri, niſi ratio deijciatur ab arce ſua. *Tertio* patet virginalis caſtitatis dignitas ex humilitate illuſtri, quia quando aliqua illecebra illuſtris dicitur, hoc eſt quãtum ad ſęculũ ſolũ. Sed quando remanet in virginitate, nolens in matrimonium duci propter Chriſtum, humiliata dicitur quantũ ad ſęculũ. Sed hæc humilitas eſt illuſtris, quia nulla corrupta penitus eſt liberata, id eſt, de ſeruitute emiſſa: Sed omnis incorrupta eſt illuſtris & liberata: imò omnis corrupta quantumcunq; eſt illuſtris quantũ ad ſęculum, ſemper eſt ſerua & illibera, quoad Deũ; & econuerſo omnis incorrupta eſt humilis quantũ ad ſæculũ, ſed illuſtris quoad Deũ. *Quarto* patet virginalis caſtitatis dignitas ex mortalitate immortali. Omnia. n. hic mortalitatis opera moriuntur cũ carne mortua, & cum ipſa in perpetuũ nõ reſurgẽt: Virginitas autẽ, etſi moriẽte carne ad tempus moriatur in carne, tamẽ ſuſcitabitur æternaliter remãſura.

II.

Theſaurus virginalis caſtitatis eſt gratus & delectabilis in amœnitate. Quæ quidem amœnitas conſiſtit in quatuor, ſcil. in humanitate Angelica; in honeſtate verecunda; in memoria illibata; & in puritate ex puritate occaſionata. Primò cõſiſtit in humanitate Angelica, quia Angeli etſi abũdant delectationibus ſpiritualibus, tamen carẽt ſenſibilibus. Igitur & in virginib⁹ eſt humanitas Angelica, quia virgines carent delectationibus ſenſibilibus & abundant ſpiritualibus. Ex quo patet quod cũ propriũ ſit Angelicæ naturæ nõ poſſe carnales delectationes experiri ſed ſpirituales, & virgines in hoc eos ſequantur, neceſſe ſit vt Angeli amore naturali plus diligant virgines, quã viduas vel coniugatas. Cuius ratio eſt, quia omne animal diligit ſibi ſimile, & volatilia ſibi ſimilia quærunt. *Secundo* cõſiſtit in honeſtate verecunda. Quod patet ex eo. Ex quo. n. virginitas eſt res honeſtiſſima, naturaliter debet verecũdari, audire vel videre turpia. Legitur de beata vvalpurga, quod cũ fuiſſẽt eius exequię in ſepultura ſui corporis, & quidam vir ex deuotione maxima ipſam

Amœnitas virginitatis conſiſtit in quatuor.

Exemplum notabile.

ipſam in feretro iacentē in faciē oſculatus eſſet, ſtatim illa quaſi ſubridēdo erubuit, in ſignū quod fuit virgo verecundiſſima. Nō ſolū ergo virgo debet eſſe pudorata in animo, ſed etiā in omnibus ſenſibus exterioribus & geſtu cōuerſationis. Sicut enim dicit

Valerius.

Valerius li. 4. c. 3. Non ſolū manus pecuniæ, ſed etiā oculus libidinoſus aſpectu, cōtinētes eſſe debēt. Et li. 6. c. 1. dicit de quadā, quæ informauit filiā ſuā, vt non ſolum ſeruaret virginitatē illibatā, ſed etiā nec oſcula ad virū quātumcunq; ſincera proferat. Tertio cōſiſtit in memoria illibata; virgines enim ex eo, quod non habent quod eas maculet in conſcientia; ſicut corruptas, ſemper habent amœnitatē & delectationem in memoria, cum earū cor non titillet memoria alicuius turpitudinis. Et ideo dicitur; *Secura mens, quaſi iuge conuiuiū.* Legitur de quadā virgine quæ multis annis ſeruarat virginitatē: cū aūt fuiſſet corrupta, ſtatim propter remorſū conſcientiæ vt tantā triſtitiā incidit, vt ſibiipſi diſplicēs ſeipſam occiderit. *Quarto* conſiſtit in puritate ex puritate occaſionata. Nā ſi Adā nō peccaſſet (omnes enim homines forent in parauiſo) genuiſſet ſine fœditate carnis & ardore libidinis. Nunc aūt vtroq; modo generantur, & cū fœditate carnis, & ardore libidinis. Hæc autē concupiſcētia in virginibus frænatur virtute continentiæ; & ideò virginitas, quę non generat, eſt mūditia, quæ ſumpſit occaſionē ſuæ puritatis ex immunditia coniugali. Nā virgines videntes, quod nō poſſint generare ſine immunditia corporis & cordis, malunt non generare quam fędari.

III.

Vtilitas virginitatis conſiſtit in quatuor.

Theſaurus virginalis caſtitatis eſt fructuoſus inæſtimabili vtilitate; quę quidem vtilitas conſiſtit in quatuor, ſcilicet in ſterilitate fœcunda; in neceſſitate gratuita; in precio incomparabili; & in gloria ſui gloriari. De primo Hieronymus ſuper

1. In ſterilitate fœcunda.

Oſeæ. c. 2. loquens de fœcūditate virginitatis dicit; coniugium terram, virginitas cælum replet. Non eſt ergo putandū virgines eſſe inutiles in eccleſia militante, ſicut hæretici Huſſitæ æſtimant, dicentes ſtatum monialium eſſe inutilem propter infœcunditatem, cum multo copioſius & fęcundius repleant cœlum quam coniugatę.

Non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum, *Iſa. 56.* quaſi dicat, non æſtimet quis virgines ſine fructu, quia etſi ſunt ſine fructu ventris, ſunt tamen cum fructu mentis. Et notanter dicit propheta de ligno. Nam virgines non ſunt ligna ſed lapides viui, quibus ædificatur Ieruſalem cæleſtis. Apoca. *Precioſi omnes muri eius, & turres Ieruſalē gemmis ædificabuntur.* Triplex materia occurrit in ædificijs. Nā quædam ædificia ſunt de glebobra ſiue de argilla, vt ſunt domus pauperum; quædā de lignis, vt ſunt domus nobilium; & quædam de lapidibus duris & quadratis, vt ſunt domus Principum. Prima ædificia minus precioſa, quia caduca; ſecunda ſolidiora; tertia perpetua. Sic eſt de iſtis tribus ſtatibus. Nam coniugium eſt ſicut argilla terrea propter ſolicitudinem corporalem & terrenam. *Tribulationes carnis habebunt huiuſmodi;* & ideo non ſunt *1. Cor. 7.* precioſa, quia datur eis merces triceſima. Viduæ ſunt velut ligna arida, quæ ad ædificandum ſunt apta. Fuerunt enim quandoq; viridia in coniugio, quando germinabant prolē & fructū ventris, ſed iā aruerunt per continentiā abſtinētes à corporalibus, & fructificantes in ſpiritualibus. Virgines aūt ſūt lapides perpetui & quadrati, id eſt, quadruplici virtute cardinali ornati, ſcil. temperantia, prudentia, fortitudine, & iuſtitia; Sunt etiā politi & dolati varijs tribulationibus & tentationibus. De ſecūdo ſcil.

2. In neceſſitate gratuita.

de neceſſitate gratuita patet, quia qui virginitatē conſeruare volūt, in duplici ſe neceſſitate conſtituūnt, ſcil. mortificationis pęnitentię, abſtinendo à delitijs & voluptatibus, & obligationis votiuæ. Quæ. n. virginitatē ſeruare voluerit, de neceſſitate habet

Neceſſitas mortificationis.

mortificare mēbra ieiunijs, vigilijs, fugiēdo etiā omnia ſpectacula vanitatū, in quibus poteſt eſſe periculū caſtitatis. Nā iuxta Bern. perit caſtitas in delitijs. Refert Valerius li. 2. c. 1. quod vini vſus Romanis fęminis ignotus fuit olim, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur Hinc Eccl. *Mulier ebrioſa ira magna, & contumelia & turpitudo eius non tegetur.* *Eccl. 26.* Recitat Seneca epiſtola *Seneca.* 99. quod maximus quidam medicus dixit, quod fæminæ naturaliter non debeant pati podogram, nec etiam fluxū capillorū, quod tamen hodie videmus,

 quia

quia eodē modo patiuntur vt viri vtrumq; defectū; cuius ratio eſt ſecundum Senecā, quia æqualiter viuunt ſicut viri. & ita non mutata eſt natura, ſed vita; quia non minus potant quā viri, imo potu prouocāt viros. Et ſequitur. *Beneficium ſexus ſuis vitijs perdiderunt & quia fœminam exuerunt, morbis virilibus implicita ſunt*. Per hoc patet reſponſio ad quæſtionem qua quæritur, quare pauci ſint hodie virginitatem ſeruantes illibatam; & eſt breuis reſponſio; quia viuunt delicatè & voluptuosè. Certè vidi aliquando in monaſterijs monialium, cum eſſem prædicator earum, nonnullas virgines ſic delicatè viuentes, vt ſi filiæ regum eſſent, ſatis eſſet tantis delitijs affluere. Sed quid accidit inde? produxerunt quidem gradientia ſuper terram. Vera eſt cuiuſdam philoſophi, qui dicitur Comicus, ſententia qua dixit, *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Quod verum dictum recitat Hieronymus epiſtola. 90. Nam ventrem diſtentum mero & cibo ſequitur voluptas membrorum impudicorum. Idem dicit, quod Metellus vxorem fuſte interemerit pro eo quod vinum bibiſſet. Nec mirum, quia vt ait idem, quæcunque fœmina vini vſum immoderatè appetit, omnibus virtutibus ianuam claudit & vitijs aperit.

Hieron.

Idem epiſt. 37.

Neceſſitas obligationis votiuæ.

Quod pertinet ad neceſſitatem obligationis votiuæ, ea ita eſt neceſſaria in ſtatu virginali, vt ſine ea meritum conſequi non poſſit virginitas, eo quod votum perficiat meritum virginale. Vnde ſecundum Bonauenturam, ſi duo faciant idem genus operis, & vnus faciat ex ſimplici propoſito, alter ex voto, magis merebitur ille, qui facit ex voto. Propter ꝙ dicit D. Thomas melius eſſe idem opus ex voto quam ſine voto, triplici de cauſa; Primo, quia vouere eſt actus latriæ, cum ſit promiſſio Deo facta; & iſte actus eſt præcipuus inter virtutes morales. Vnde Auguſtinus dicit. *Neque virginitas quia virginitas ſed quia Deo dedicata eſt honoratur, quam vouet & ſeruat continentia pietatis.* Secundo quia ille, qui vouet aliquid & facit, plus Deo ſe ſubijcit quam ille qui facit ſolum. Subijcit enim ſe non ſolum ad actum, ſed etiam quantum ad poteſtatem, quia de cætero non poteſt aliud facere. Sicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus. Tertiò quia per votum voluntas immobiliter firmatur in bono: facere autem aliquid ex voluntate in bonū, pertinet ad perfectionem virtutis, vt patet per Philoſophum; Sicut etiam peccare mēte obſtinata aggrauat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum ſanctū. Si ergo quæris, quare homo voueat aliquid Deo cū Deus nō indigeat certificari à nobis. Reſpondeo ſecundū Augſtinū, quod talis promiſſio nō cadat in eius vtilitatem, qui à nobis certificari non indiget, ſed ad vtilitatem noſtram, in quātum voluntatem noſtram vouendo immobiliter firmamus ad illud, quod expedit facere.

D.Tho. 2 2 q.8. a.4.

Aug, lib. de virg.

2. Ethic.

3. *Conſiſtit virginitas in pretio incomparabili.*

Tertiò virginitatis caſtitas conſiſtit in precio incomparabili, quia cum ſecundū Poëtam libertas non benè pro toto venda tur auro; & ſecundum leges humanas libertas ſit bonum impreciabile, virginitas autem ſit libertas ſpiritus; *Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, quia cogitat tantum quæ Domini ſunt*, & hoc facit multum expeditè, mul. um liberè, quia eſt ſine ſolicitudine corporis & mundi; Ideò libertas hęc ſeruiendi Deo non eſt appreciabilis aliquo precio. Vnde Eccl. *Non eſt digna omnis ponderatio animæ continentis*: Quod exponit Thomas, dic. ꝙ nec fœcūditas carnis, nec aliquod corporale bonum ſit comparandum continentiæ, quæ inter bona animæ computatur; Propter quod Auguſtinus in in li. de virginitate. Notanter dicit, animæ continentis, non corporis cōtinentis, quia caſtitas corporis ſine caſtitate mētis eſt ſicut ſpica ſine grano; burſa ſine argēto; nux ſine nucleo; lampas ſine oleo; ciſta foris alba, intus ſpurcitia plena; ſepulchrū foris pulchrū, intus fœtidū; pomū foris rubeū, intus acidum: in quibus omnibus modicus eſt valor; Sic eſt & in virginibus ſolū corpore & non mente caſtis. Nam tales nullum habent præmiū in cælo, prout euangelium dicit; *Soli enim mundo corde Deum videbunt* Hunc theſaurum ita precioſum cuius homo neſcit preciū, multū ſolicitè deberet cuſtodire virgo per duas cuſtodias, ſcil. per humilitatē & pudicitiā; Nam humilitas abſcōdit eū, ne à furibus per vanā gloriā ſubtrahatur. Vnde Greg. in homel. Deprædari deſiderat, qui talē theſaurū in via publicè portat; Pudicitia autē defendit eū à mani-

1. Cor. 7.

Eccl. 26.

Matt. 5.

Cuſtodia virginitatis duplex.

bus latronum. Nam ſicut in viris neceſſaria eſt prouidentia, ſic in fœminis pudicitia, per quam fœminæ conſeruentur in honeſtate famæ & odore opinionis bonæ. Hoc autem nomen pudicitia à pudore venit, in quo verecundia ſignificatur, ſecundũ Thomam 2. 2. q. 151. Et attenditur propriè circa ſigna venerea, ſicut ſunt aſpectus, oſcula, tactus, & ſic de alijs. Quantum autem antiquæ fœminæ fuerint ſollicitæ ſeruare pudicitiam ponit Valerius dicens; quod quædam maluerint perdere vitam quam pudicitiam. Sicut narrat de quadam, quæ cum eſſet in mari per hoſtes & prædones capta, ne ſibi auferrent pudicitiam, ſe in mare proiecit. Similiter de Lucretia, quę quia violenter fuit oppreſſa à Sexto Tarquinij regis ſuperbi filio, gladio ſe occidit. Similiter narrat de quodam qui filiam ſuã vidẽs ſollicitari per Appium Claudiũ principem, eam occidit, malens filiæ ſuæ eſſe interemptor quam corruptæ pater. Hoc tamen hodiè non debet ſeruari, ſicut dicit Auguſtinus, vt pro tuenda vita corporali vel etiam pro verecundia amiſſæ pudicitiæ virgo ſe occidat; ſed potius debet ſuſtinere violentiam non conſentiendo voluntate libidini; quia pudicitia eſt res animi, virginitas eſt res corporis, & ea integra permanente in animo, non poteſt iſta violenter de corpore auferri, vt dicit beatus Auguſtinus ad Iulianum libro 8. Quod autem Ambroſius vocat illas mulieres ſanctas, quæ ad conſeruationem caſtitatis ſuæ ſubmerſerunt ſeipſas; ſanè quilibet intelligat, quia non ideò ſanctæ quia ſe occiderunt, ſed alio modo, quia voluit eas Deus ſe occidere; forte enim illud eis Spiritus ſanctus inſpirauit.

Auguſt. libr. 1 de ciuitate Dei.

Cum ergò theſaurus iſte inpretiabilis ſit, vt ait Hieronymus, diligenter cuſtodiat eum virgo his virtutibus; debet enim eſſe tacita ſilentio; vt ait idem. *Sit ſermo eius prudens, nec tam eloquentia pretioſus, quam pudore. Similiter non ſit vaga, nec diſcurrens, ſed clauſa exemplo B. Virg. quã clauſam angelus inuenit; ſit cũ honeſtis matronis; ſit cõpetentib. horis orationi intenta*, vt dicit Hieron. epiſtola 44. *Sit operoſa manibus, diſcat lanam facere, tenere colum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere, fugiat virorum aſpectum, & colloquia, exemplo illius, de qua narratur in libro, qui dicitur Paradiſus. quæ pro eo, quod quidam iuuenis fuit de eius pulchritudine ſcãdalizatus, per decem annos intra quoddam ſepulchrum ſedebat, donec moreretur, vt eius vultum nemo poſſet videre: & interrogata cur hoc faceret reſpondit; Malui me in ſepulchro reclinare, quam nocere animæ ad ſimilitudinem Dei factæ.* De alia etiam narrat D. Hieronymus epiſtola 42. Quam cum viſitare vellet beatus Martinus, illa per feneſtrã miſit encœnium ſeu donum dicens, ora pro me, quia a viro non ſum viſitata.

Quibus virtutibus virginitatis theſaurus cuſtodiatur.

Quomodo virginitatis caſtitas conſiſtat in præmio excellenti, & gloria ſingulari, patet per illud Apocal. *Nemo poterat dicere canticum nouum, niſi centum quadragintaquatuor millia, qui empti ſunt de terra hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.* Illud canticum eſt lætitia ſpiritualis, & gratiarum actio de incorruptione virginalis cuſtodiæ. Habent autem virgines ſingularem triplicem prærogatiuam beatitudinis & felicitatis vltra alios ſtatus, ſcilicet in vita, in morte, & poſt mortem. In vita, quia vitam angelorum ducunt, & liberè percurrunt orationibus cœlum, quod alij vix facere poſſunt; In morte etiam ſunt beatiores cæteris, quia ſpecialiter à Chriſto & virgine glorioſa viſitantur, & ab eis in cœlum conducuntur; ſicut narrat Hieronymus de Tharſila, quæ exſpirans, ait circumſtantibus: Cedite, cedite, quia Ieſus venit; Poſt mortem autem habent gloriam ſingularẽ, & excellentiſſimam in genere caſtitatis; quia tranſcendit gloria eorum caſtitatem vidualẽ & coniugalẽ, vt dicit D. Thomas. Non autem ſingulariter habent excellentiſſimam gloriam, quia martyres, qui ad vehementius inhærẽdum vltimo fini poſtponunt propriam vitam, & religioſi propriam voluntatem viuentes in monaſterijs, ſed præferũtur eis, quia ſolũ poſtponunt ventris voluptates. De hac gloria dicit Iſidorus; Virgines feliciores in vita æterna ſunt alijs, quia ſunt ſimiles angelis Dei qui nec nubent, nec nubentur. Vnde in eis verificabitur illud Apoc. *Eadem eſt menſura hominis quæ & angeli*; Imò habent vltra angelos aureolæ præmium, quod erit gaudium ſpeciale de caſtitate mentis, & de integri-

4. Virginitas conſiſtit in gloria ſingulari.

Apoc. 14.

Iſid. lib. 2. de ſummo bono. c. 39.

Apoc. 21.

tegritate corporis, quod angeli non habēt. Vnde Salomō; *Felix ſterilis & incoinquinata.* Quod exponit Holcoth, id eſt, felix eſt illa, in qua eſt ſteriliras prolis cum munditia corporis. Vnde vult dicere, quod felix ſit iſta quæ habet mentis & corporis integritatem. Sed quia iſta eſt merces communis, quam habent virgines, coniugatæ & viduæ; Ideò nè quis putet ſolum eis dari iſtam mercedem cum alijs, ſtatim ſubdit; Dabitur illi, ſcilicet virgini, fidei donum electum, in vita æterna, in contemplatione diuinitatis, quæ fidei ſuccedit, & omnibus fidelibus promittitur in Apocal. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ,* & non ſolum hoc, ſed dabitur eis ſors in temqlo acceptiſſima. Quod exponit Holcoth, id eſt, dabitur eis in cœlo aureola ſingularis prærogatiuæ virginitatis, quę eſt conditio nobiliſſima & acceptiſſima in cœlo, quia eſt conditio Chriſti & matris ſuæ. Dicitur aureola diminutiuè, quaſi parua corona. Duplex enim præmium eſt beatorum; Vnum eſſentiale, commune omnium ſanctorum, & vocatur aurea corona; Aliud accidentale, quod debetur operari excellentis victoriæ, & vocatur aureola, id eſt, parua corona addita ſuper auream Hoc eſt, præmium accidentale ſuperadditum eſſentiali. Vnde tale, præmiū erit quaſi quidā decor in corporibus virginum. Ex quo decore habebunt virgines in mente gaudium ſpeciale, lætantes de hoc, quod pro Chriſto corpus martyrio expoſuerunt. Et in doctoribus, prædicatoribus, prælatis actualiter prædicantibus, & in omnibus ſacerdotibus fideliter & catholicè prædicantibus, erit ſpecialis decor de conſeruis conuerſis per Chriſtum. Cum igitur virgo ſancta Margaretha fuit virgo & martyr, habet duplicem aureolam de theſauro Dei, in quo ſunt noua & vetera, ſibi hodiè datam. Ad quam nos dignetur etiam perducere ſua interceſſione, vt cum ea poſſimus de prædicta aurea ſine fine gaudere.

Amen.

DE DIVISIONE APOSTOLORVM SERMO.

Miſit illos prædicare regnum Dei. Luc. 9. Matth. 10. Marc. 6.

SI gloria & honor, id eſt, incorruptio, ſcil. memoriæ in ſeculo, datur omni credenti in Deum, vt Apoſtolus dicit; quantò magis digni ſunt honore & gloria illi, qui non ſolum principaliter crediderint, ſed etiam ad credendum vniuerſum orbem ſua prædicatione induxerint, quales fuerūt ipſi ſancti Apoſtoli. Qua de cauſſa hodiè per mundum diuiſi ſunt, vt ad fidem Chriſti gentes inuitarent. Multum igitur honorandi ſunt, quod tàm citò, tàm promptè crediderint. Mox enim, vt vocati ſunt à Chriſto, nullis adhuc miraculis ab eo viſis, ſtatim crediderunt. Magis autem honorādi ſunt ob id, quod Chriſtum tàm læti, tā alacres, tam expediti ſecuti ſunt, & relictis omnibus proprijs illi adhæſerunt. Nam vidimus, quod ad vnius iuſſionis vocem Petrus & Andreas relictis omnibus ſecuti ſunt Redemptionem. Sed maximè ſunt honorandi, quia nos ad Chriſtum adduxerūt prædicatione. Et ideò propheta Dauid eorum celſitudinem attendens ait. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Vbi dicit Gorra. *Pſal. 138.*
quod honorauit eos Chriſtus in eo, quod non per patriarchas aut prophetas, ſed per ſeipſum eos vocarit. Magis autem honorauit, quod eos in familiaritatem & amicitiam recepit ſpecialem. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Similiter dando eis poteſtatem eijciendi dæmonia & miracula faciendi. Sed maximè honorauit eos, quod eis principatum eccleſiæ contulit, faciens eos principes mundi, Iuxta illud Pſal. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Et præmittitur. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.* Quod exponit Innocentius 4. Pro patribus, id eſt, Patriarchis & Prophetis nati ſunt tibi filij, ſpirituli generatione, ſcilicet Apoſtoli & prædicatores. Et alij qui con-

Apoſtoli à Chriſto honorati

Ioan. 15.

Pſal. 44.

uerſi

uerſi ſunt per eorum prædicationem quos Eccleſia genuit, & multos ex his in ſede patrum conſtituit. Vnde ſequitur. *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, id eſt, non in vno loco tantum, ſed ſuper omnem terram. Et quæ inde vtilitas ſequatur, ſubditur. *Memores erunt nominis tui Domine*, id eſt, nomen tuum prędicantes ipſum in memoria habentes etiam alijs in memoriam adducent. *in generatione & generationem*, Iudæorum & gentium, quia vtrique populo prædicauerunt Apoſtoli. Quia igitur per prædicationem ipſorum ſumus ad fidem Chriſti conuerſi & adducti, quod alias non fuiſſet, ſi non fuiſſent per mundum diuiſi, ideò dies diuiſionis Apoſtolorum debet eſſe nobis celebratiua in memoriam tanti beneficij nobis ex ea collati. Hæc enim eſt dies, in qua miſſi ſunt nobis prædicare regnū Dei. Non ſolum Iudæis vt prius, cū eis di-

Matt. 10 ctum erat; *In viam gentium ne abieritis*; Sed nunc dictum eſt eis: *Ite in mundum vniuer-*

Marc. 16. *ſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.* Iſti ergo ſunt primi nuntij noſtræ ſalutis. Iſti ſunt præcones glorioſi diuinæ gratiæ, gentibus deſtinatæ. Nam per eos non ſicut olim antiquis patribus bona terrena pro-

Iſa. 1. miſſa ſunt, iuxta illud, *Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis*; ſed potius cœleſtia gaudia nunciantur vobis. Quia hodiè filius Dei miſit illos prędicare regnum Dei. In præmiſsis verbis tria circa miſſionē A-

Propoſit. poſtolorum tanguntur. Primò quidem deſcribitur miſſio ipſorum autentica ex mittentis auctoritate, ſcilicet Dei: Secundò miſſio eorum redditur digna & congrua ex mittendorum qualitate. Tertiò miſſio eorum redditur efficax & fructuoſa, ex multiplici vtilitate.

I.

Miſſio Apoſtolorum redditur autentica ex mittentis auctoritate; quia non ſeipſos miſerunt, ſed filius Dei, quem Deus pater miſit quærere & ſaluum facere, quod perie-

Ioan. 20. rat. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Circa quod ſciendum, quod nullus debeat ſibi vſurpare propria temeritate officium aut dignitatem tàm ſpiritualem, quàm ſæcularem, ſed debet à Deo & eius Eccleſia expectare electionem ſuæ miſſionis. Vnde Saluator Apoſtolos inſtruens ait; *Rogate dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam*; quod eſt, à Deo poſtulandam eſſe auctoritatem, & à ſe præſumendum non eſſe. Sunt autem homines conſtituendi in eorum officijs quadrupliciter ſecundum Iòhannem Gallenſem. Primò quidem ex diuina ordinatione. Secundò ex Eccleſiæ collatione. Tertiò ex paterna & legitima ſucceſſione. Quartò ex communis populi electione. Sic enim antiqui dignitates aſſumpſerunt. Diuina ordinatione prefectus

Quatuor modis cōſtituuntur homines in officijs.

fuit Dauid. Vnde & Moyſes orauit, vt De- 1. Reg. 16.
us prouideret hominem ſuper multitudinem populi, qui poſſit exire & intrare ante eos. Secundò Eccleſia habens diuinam auctoritatem, confert & diſtribuit officia iuxta gradus ſuos. Sic & Moyſes accepta auctoritate à Deo, vocauit Ioſue & dixit ei, Deut. 31.
vt introduceret populum in terram promiſſionis. Sic miniſterio Samuelis vnxit Deus Dauid in regem, quamuis ipſum per ſe elegerat; ſignificans per Eccleſiam eſſe approbandum, quem Deus elegit per ſeipſum. Tertiò ex paterna ſucceſſione Salomon ſuper thronum Dauid patris ſui poſitus fuit. Vnde Deus promiſit cuilibet regi Deut. 17.
rectè gubernanti populum ſuum, quod filius ſuccedat ei in regnum. Quando ergò deficit hæres & legitimus ſucceſſor in aliquo officio, timendum eſt, ne ſit ex culpa parentum. Quartò homines ponuntur in officijs vnanimi populi electione. Solinus Solinus
narrat de quibuſdam habitantibus quan- lib. 11. c. 4.
dam inſulam, quod in electione regis illius inſulæ, non nobilitas præualeat, ſed ſuffragia meritorum. Populus enim eligit ſpectatum moribus, & inueterata clementia, etiam omninò grauem. Sic de Romanis recitat Valerius Maximus libro quarto, Valerius
capite tertio, vbi dicit; quod ab aratro ſæpi- maximus
us recipiebantur in conſolatum; ſicut fuit lib. 4. c. 3.
factum Attilio; qui, cum ſeminaſſet agrū, receptus fuit in Imperatorem; & maximè contra hoſtes proſperabatur. Similiter narrat de Quinctio Cremato, de quo id etiam narrat Auguſt. Hic cum vix quatuor iugera agri haberet, vt ea ſuis manibus

coleret,

coleret, ab aratro fuit in maximum conſulem receptus. Ratio autem harum electionum fuit ſecundum Valerium, profectus patriæ, quem vnuſquiſque omiſſo proprio curabat augere. Quicunque igitur aliter quam aliquo prædictorum modorum ponitur in aliquo officio, dignitate, vel domo, certè non eſt verus dominus aut prælatus, ſed fur aut latro.

Ioan. 10.

Iſtud enim eſt quadruplex oſtium, per quod debet ingredi quilibet ad legitimè principandum in populo. Taliter fuit de Apoſtolis, qui non ſe ingeſſerũt propria auctoritate, ſed poteſtate diuina, iuxta illud Saluatoris;

Ioan. 15.

Ego vos elegi & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis &c. Vnde Apoſtolus

Heb. 5.

Nemo ſibi honorem aſſumit, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Licet dicti quatuor modi miſſionis alicuius ſint multum commendabiles, iſte tamen qui fit à Deo immediatè, eſt multò excellentior & certior; eò quod licet Eccleſia habeat poteſtatem eligendi, aut etiam communitas populi, aut paterna ſucceſſio, tamen illi omnes poſſunt errare in ſuis electionibus, quia Eccleſia militans fallitur & fallit; vt dicitur, *de ſent. excom. c. A nobis,* Deus autem qui ſcrutatur corda & renes falli non poteſt; & ideò quemcunque elegerit, neceſſe eſt, vt dignus ſit. Hinc eſt, quod licet Petrus cum Apoſtolis habuerit plenitudinem poteſtatis eligendi alium Apoſtolum in locum Iudæ, noluerunt tamẽ hoc facere ſine familiari Spiritus ſancti cõſilio, ne errarent vt homines: Vnde & dixerunt;

Act. 1.

Domine qui noſti corda omnium, oſtẽde ex his duobus quem elegeris, quia errare non potes, qui noſti corda: nos errare poſſumus, qui ſolum exteriorem apparentiam quæ ſæpè decipit, videmus. Sed dices, tamen Chriſtus elegit indignum, ſcilicet Iudam: quomodo ergò dicis, quod Deus errare non poteſt, cum tamen ipſe dicat;

Ioan. 6.

Nõne duodecim elegi vos, & vnus ex vobis diabolus eſt? Reſpondeo, quod licet Chriſtus Iudam elegit ſecundum pręſentem iuſtitiam, non tamen ſecundum æternam prædeſtinationem. Nec per hoc dicitur Chriſtus ignoraſſe Iudæ malitiam, quod eum elegit quaſi neſciens eum fore indignum, ſed per hoc potius docuit nos tolerare malum inter bonos, ſicut ipſe tolerauit eum ſciens eius malitiam. Nec per hoc datur exemplũ Eccleſię militanti eligere ſcienter indignũ, quia hoc eſſet ponere ſcandalum in Eccleſia, quod dominus prohibet, imò facit abſcindere & proijcere pedẽ & manũ ſcandalizantem,

Matt. 18.

& multò fortius oculum, qui eſt prælatus in Eccleſia ſpiritualis, vel ſecularis; ſed potius datur exemplum ſubditis obediendi malis prælatis, cum exigentibus peccatis populi fuerint diuina permiſſione dati ſuper populum. Facit enim Deus quãdoque hominem regnare hypocritam propter peccata populi, vt dicit Iob; Super quo dicit Gregorius.

Iob 34. *Greg* 25. *moral.*

Qui malum patitur rectorem, eum quem patitur, non accuſet, quia nimirum ſui fuit meriti, peruerſi rectoris ſubiacere ditioni. Culpã ergò proprij magis accuſet operis, quam iniuſtitiam gubernãtis. Vnde Dominus per Prophetam ait;

Ozea 13.

Dabo tibi regem in furore meo; Quem dabo tibi, ſcilicet ob meritorum tuorum prauitatem. Hæc dicit Ozeas; & ponitur in canone 6. q. 1. Ex merito plebis nonnunquam epiſcopi deprauantur, quatenus procliuius cadant, qui ſequuntur. Quamuis autem in omnibus officijs & dignitatibus neceſſaria ſit inſtitutio legitima ab Eccleſia catholica, tamen maximè in officio prędicatoris neceſſaria eſt miſſio autentica ipſius Eccleſiæ, ne ſub prætextu pietatis veritatem Eccleſiæ impugnent.

II.

Qualitas teſtium Chriſti.

Miſſio Apoſtolorum redditur digna & congrua ex mittendorum qualitate; quia tales fuerunt, qui meritò digni erant reddere teſtimonium Chriſto: quales autem fuerint, præmittitur in Euangelio; *Sine virga, ſine pera, ſine pane, ſine pecunia, ſine duabus tunicis.* De iure ſeculari hic eſt, quod in teſtimonio, præcipuum quod requiritur, ſit fortuna, ſcilicet bonorum temporalium copia. Vnde, quantum homo habet in bonis, tantum etiam ei creditur, iuxta illud. *Quantum quiſq; ſua nummorum poſſidet arca, tantum habet & fidei.* E contrario verò Chriſtus pauperes Apoſtolos voluit teſtificari myſterium redemptionis noſtrę, propter quod miſit eos ſine omnium bonorum huius ſeculi abundantia, vt eis non propter

diuitias, ſed propter virtutem Chriſti habitantem in eis crederetur. In quo Chriſtus magnam & mirabilem ſuæ virtutis potentiam oſtēdit, dūm per pauperes & ignaros, rudes ac indoctos, & paucos viros tantam mundi potentiam ſtrauit. Noluit dominus primos fundatores eligere ſapientes, potentes, aut nobiles huius ſeculi, ne fides Euangelij & virtus fidei ad opera, quæ futura erant, aſcriberentur eorum ſapientiæ, vel potentiæ, aut nobilitati, ſed ſibi hoc reſeruauit: quia ſua ſapientia, potentia, & nobilitate nos redemit. Non ergò elegit ſapientes, aut nobiles, ne meritis ſuis dicerent ſe eſſe electos. Vnde Gregorius dicit, quod relictis ſapientibus inſipientes, relictis fortibus debiles, relictis diuitibus pauperes elegit, & prædicatores infirmos abiectoſque, qui potentes quoſque colligerent. Cuius rationem ſubdens ait; ad prædicandum namque tales venire debebant, qui de laude propria nihil habebant, vt tanto ſolius veritatis cognoſceretur eſſe, quod agerent, quantum & apertè cerneretur, quod ad hoc agendum idonei per ſe non fuiſſent. Propter quod Chryſoſtomus exclamans dicit; *O beatos piſcatores, quos inter tot Doctores legis & ſcribas, inter tot ſæculi ſapientes, & ad diuinæ prædicationis officium, & ad gratiam Apoſtolatus primos Chriſtus elegit; & digna domino noſtro atque conueniens prædicationi eius fuit talis electio, vt in prædicatione ſui nominis tantò maioris laudis admiratio noſceretur, quantò magis eũ mũdi infimi & humiles prædicaſſent, qui non per ſapientiam mundi cœperant, ſed per ſimplicitatem fidei prædicationem de errore mortis humanum genus liberarent. Non ergò nobiles mundi aut diuites elegit, ne ſuſpecta eſſet prædicatio; non ſapientes ſeculi, quia ſapientiam mundi perſuaſiſſe humano generi crederentur. ſed elegit paſtores illiteratos, imperitos, indoctos, vt aperta eſſet gratia Saluatoris. humiles quidem ſeculo, etiam in ipſo artis officio, ſed pretioſos fidei ac deuotæ mentis obſequio, ignobiles ſeculo, ſed nobiles Chriſto; deſpectos terræ, ſed acceptiſſimos cælo pauperes mundo, ſed diuites Deo.* Ex quibus ego infero, quod publicatio & anunciatio myſterij noſtræ redemptionis per Apoſtolorum prędicationem fuerit multum miraculoſa:

Cur Chriſtus Apoſtolos ſimplices elegerit.

Chryſoſt.

Prædicatio miraculoſa.

vt patet ex eo, quia fuit contra legem ſeculi, ſecundum quam non niſi potentibus, diuitibus, aut nobilibus creditur. Iuxta illud; *Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent.* Vnde Thomas dicit. Diuinæ ſapientiæ ſecreta ipſa diuina ſapientia, quæ omnia pleniſſimè nouit, dignata eſt hominibus reuelare: quæ ſui præſentia & doctrinæ, & ſapientię veritatem oſtendit conuenientibus argumentis, dum ad confirmandum ea, quæ naturalem cognitionem ſiue rationem excedunt, opera viſibiliter oſtendit, quæ totius naturæ ſuperant facultatem, videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum ſuſcitatione, cœleſtiũ corporum mirabili immutatione, & quod eſt mirabilius humanarum mentium inſpiratione, vt idiotæ & ſimplices dono Spiritus ſancti repleti ſummam ſapientiam, & facundiam in inſtanti conſequerentur. Hæc ille. Fuerunt autem Apoſtoli congrui teſtes & nuntij myſteriorum Chriſti, eò quod habebant omnes conditiones in teſtimonijs requiſitas. Quæ ſecundum Iſidorum ſunt natura, conditio, vita. Natura vt ſit vir, non fœmina; licet fœmina in quibuſdam teſtimonijs admittatur, ſicut in ſimonia, capitulo. Per tuas. Secunda conditio, vt conditionis liberæ ſit, non ſeruilis, quia ſeruus metu domini ſolet faciliter à veritate abduci, licet in crimine ſimoniæ admittatur contra dominum, vt dicitur extra de ſimonia cap. Per tuas. Tertia conditio eſt vita honeſta, Nam infamis non admittitur. 2. q. 7. Teſtes de teſtibus cogendis. cap. Præterea. Propter iſta prælati Eccleſiæ, qui vel ſunt effœminati libidinoſè viuendo; vel ſeruilis conditionis mundo & mammonæ ſeruiendo; vel læſi in bona opinione publicè delinquendo, non ſunt admittendi. Sed Apoſtoli fuerunt viriles propter cordis conſtantiam. Quia in Act dicitur. *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis* Fuerunt liberi & ſine timore per veritatis abundantiam. Vnde dicebant flagellati. *Magis oportet Deo obedire quam hominibus.* Fuerunt inſuper famoſi & bonæ opinionis per ſanctitatis vitam. Nam eorũ vita erat quædam lux illuminans longè lateque, & redolens, iuxta illud, Matthæi

D. Thom. lib 1 cont. gent. ca. 6.

Act. 4.

quinto

Matth. 5. quinto. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus.* Et ideò fuerunt congrui teſtes myſteriorum Dei.

II.

Miſſio Apoſtolorũ fructuoſa. Apoſtolorum miſsio redditur efficax & fructuoſa ex multiplici vtilitate. Quia miſit eos prædicare verbum Dei. Circa quod ſciendum, quod ante Chriſti aduentum & prædicationem ipſius, ac ſuorum Apoſtolorum mundus hic fuit triplici defectu infectus. *Triplex defectus in mundo ante aduentum Chriſti & ſuorum.* Primò erat obſeſſus per diabolicam tyrannidem & potentiam. Secundò tenebroſus & obſcurus per cæcitatis ignorantiam. Tertiò fuit pauper & inops per bonorum cœleſtium defectum & carentiam. De primo patet; nam diabolus poſsidebat mũdum, ſicut tyrannus ciuitatem. Ad cuius nutum omnia fiebant in mundo; ſecundũ legem carnis viuebant luxurioſi; ſecundum legem cupiditatis, viuebant auari; & ſecundum legem elationis, viuebant ſuperbi, & ſic de alijs. Quicquid erat in mundo, aut erat concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. *1. Ioan. 2.* Vnde totus mundus in maligno erat poſitus. Veniens igitur Chriſtus eiecit iſtũ tyrannum non per potentiam, ſed per ſapientiam, iuxta illud Iob; *Prudentia ſua percuſſit ſuperbũ.* Quod & ſuos Apoſtolos docuit, vt non viribus, nõ potentia, non violẽtia ſed arte S. ſancti, & prudentia verbi diuini eum eijcerent, ſicut & fecerunt. Nam plures vno verbo prædicationis vno die conuerterũt, quã diabolus per multos annos auertit. De Petro enim dicitur, quod ad prędicationem eius conuerſa ſunt tria millia vno die. Secundò fuit mundus tenebroſus & obſcurus per cæcitatis ignorantiam; & ideò Chriſtus miſit Apoſtolos quaſi ſolis radios; quaſi roſa ſuauitatis odorem ſui diffundens, & quaſi ignis ſcintillas ſuas diſperſit. In quibus Chriſti potentia cognita eſt, ſicut in radijs ſolis lux ſolis ſentitur. Propter hoc enim, vt dicit Leo Papa in ſermone, Chriſtus igne Spiritus ſancti Apoſtolos ſuos perfudit, vt ipſi poſtmodum vniuerſum mundum tanquam duodecim ſolis radij ac lampades veritatis illuminarent; & iſta fuit maxima vtilitas ex prædicatione Apoſtolorum. Tertiò fuit mundus pauper & inops per bonorum cœleſtium defectum & carentiam; & ideò Apoſtoli miſsi ſunt hodiè prædicare regni cœleſtis bonorum abundantiam, quia regnum Dei dicitur, in quo eſt omnis copia bonorum. Pſal. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* *Pſal. 111.* *Accipient ſancti regnum decoris & diadema ſpeciei.* *Sap. 5.* Bene dicit, decoris. Nam ſecundum Holcoth ibidem; nunc eſt regnum timoris, & in inferno eſt regnum horroris, in cœlo autem regnum decoris; vbi ſecundum Auguſtinum vita eſt vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita caſta, vita ignara mortis, neſcia triſtitiæ, vita ſine labe corruptionis, & ſine perturbatione, vita totius elegantiæ & dignitatis pleniſsima. Vbi non eſt aduerſarius impugnans, vbi nulla peccati illecebra, vbi eſt amor perfectus, & nullus timor; vbi dies æternus, & vnus omnium ſpiritus; videbimus Deum facie ad faciem; & manna cœleſte cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſaciatur. Hoc ergò regnum prædicabant Apoſtoli nunciantes eius appropinquationem. Vnde Matt. 10. dicitur; dicit eis Chriſtus, *prædicate & appropinquabit vobis regnum cœlorum:* *Matt. 10.* ad quod nos perducat Rex Regum, & Dominus dominantium &c.

DE

DE SANCTA MARIA MAGDALENA. SERMO.

Ecce Mulier. Luc. 7.

QVamuis omnia opera diuinæ potentiæ fuerint multum mirabilia, in tantum, vt magnitudinem eius potentiæ, qua potē ter de nihilo cuncta produxit, homo nō ſufficiat cognoſcere ad plenum, iuxta illud.
Pſal. 138. *Terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua domine.* Licet etiam opera diuinæ ſapientiæ ſint multum mirabilia, eò quod ſatis mirabiliter cuncta diſpoſuit & regit. (Omnia enim in ſapientia fecit) ſed tamen hominibus inperſcrutabiliter.
Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incōprehenſibilia ſunt iudicia eius!* Non minus tamen eſt mirabilis Deus in bonitate ſua, quam peccatoribus hominibus tempore
Pſal. 144. gratiæ oſtendit & exhibet abundanter. Vnde licet ſuauis ſit dominus in vniuerſis, & miſerationes ſuper omnia opera eius, nullibi tamē melius relucet ſuæ pietatis & miſericordiæ multitudo & magnitudo, quam in conuerſione peccatoris. Magna ſiquidem miſericordia Dei apparet in hoc, quod de filijs diaboli fecit filios Dei, de filijs tenebrarum filios lucis *Eratis aliquandò*, inquit Apoſtolus, *tenebræ, nunc autem lux in domino.* Magna miſericordia Dei diffuſa eſt hodiè in mundo, per quam quaſi gratis ſaluat homines peccatores. Vnde Pſal. *Pro nihilo ſaluos facies illos.* Olim antè Chriſti aduentum magnis ieiunijs, orationibus, eleemoſynis, holocauſtis, & victimis boum & arietum, peccata vix redimebantur, quæ etiam à Deo ſæpius refutabantur & reijciebantur, Iuxta illud Ieremiæ. *Cum ieiunauerint, non exaudiam orationes eorum, & ſi obtulerint holocauſta non ſuſcipiam.* Et Iſai. *Contempſi ſanguinem vitulorum, & carnes arietum & hircorum, & cum præſentaueritis coram me, quis recipiet ea à vobis: Si eleuaueritis manus veſtras ad me, auertam vultū meum à vobis.* Et poſt pauca. Nunc autem poſtquam pater miſericordiarum miſit miſericordiæ filium ſuum in mundū quærere & ſaluum facere quod perierat, iam nō in perpetuum iraſcetur, neq; in perpetuum comminabitur. Si tamē iratus fuerit, miſericordiæ, recordabitur. Vnde facile flectitur ad miſericordiam. Nec enim holocauſta pro peccato poſtulat aut victimas, ſed ſpiritum contribulatum contriti cordis & humiliati. Iam ergò clamat toti mundo. *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* *Matth. 9.* Iā cogitationes pacis & nō afflictionis. Vt ipſe dicit apud Ieremiam. Et verè cogitat pacem & non af- *Ierem. 49.*
flictionem. Ideoq; his prærogatiuis diuinę miſericordiæ conſideratis, circa iſtam benedictam mulierem Eccleſia recitat verbū propoſitum omni admiratione digniſſimū dicens; *Ecce mulier.* *Propoſitio.* In quibus verbis deſcribitur B. Marię Magdalenæ ſtatus & cōditio ſub triplici conſideratione. Vnde ſi conſideremus eius ſtatum vitijs culpabilē, deformatum, in quo auerſa à Deo ſeruiuit ſæculo, verè de ea poteſt dici cum ſtupore mirabili; *Ecce mulier.* Secundò ſi ponderemus eius ſtatum laudabilem, virtutibus ornatum, in quo auerſa à ſęculo pœnituit pro peccato, verè de ea poteſt dici cum ſtupore mirabili; *Ecce mulier.* Tertiò ſi penſemus eius ſtatum commendabilem, gratijs decoratum, in quo coniuncta Chriſto profecit in magno merito, verè poterimus de ea dicere cum ſtupore mirabili. *Ecce mulier.*

I.

Maria Magdalena, ſi ſecundum ſtatum vitijs deformatū conſideretur, benè ipſi dici poteſt, *Ecce mulier.* Muliebris ſexus naturaliter fragilis eſt, & per conſequens facilè ſeducibilis per diabolū; ſicut patet in Gen. Vbi cum dominus quęreret ab Eua, cur peccaſſet, reſpōdit. Serpens me decepit. *Gen. 3.* Et propter hoc Apoſt. dicit, quod mulier ſeducta *1. Tim. 2.* ſit, & non vir; & ideò quilibet faciliter ſeducibilis dicitur eſſe fœmina vel mulier à mollitie reſiſtētiæ. Vnde de quolibet molli & reſoluto conſueuimꝰ dicere. *Ecce mulier.* In tantū. n. in iſto ſexu difficile eſt inuenire fortē cōcupiſcētiarū naturaliū reſiſtētiā, vt

Salomon admirando dicat; *Mulierem fortẽ* *Prou. 31.* *quis inueniet?* quaſi dicat difficulter. Ex quo patet, quod mulier eſt naturaliter fragilis, & ita debilis ad reſiſtendum paſſionibus & concupiſcentijs. Maria igitur Magdalena, quia mulier, ideò ad peccandum prona fuit. Sunt autem quatuor rationes & *Quatuor occaſiones peccandi in Magdalena.* cauſæ, propter quas expoſita fuit ad peccandum. Primò pulchritudo corporis corporis, quia dicitur multum fuiſſe pulchra & formoſa. Secundò opulentia temporalis, quia fuit multum locuples. Tertiò ſecu- *1. Occaſio.* ritas libertatis, quia fuit domina. Quartò vanitas mentis, quia fuit à laboribus licitis otioſa. De pulchritudine corporis dicit Salomon; *Fallax gloria & vana eſt pulchritu-* *Prou. 30.* *do.* Et verè eſt vana, quia omnis gloria eius *Iſa. 40.* quaſi flos fœni. Propter quod Sapiẽs comparat mulierem & fatuam ſcrophæ habenti annulum aureum in naribus ſuis, quem toties fœdat, quoties intingit in lutum fœtidum, non attenta pretioſitate fulgoris eius; de quo in Prouerb. dicitur. *Circulus au-* *Prou. 11.* *reus in naribus ſuis mulier pulchra & fatua.* Notanter autem dicit mulier pulchra & fatua. Quando pulchra eſt mulier & ſapiens, non eſt periculum, quia ſapienter ſeruat. Sicut patet de Iudith ex Heſter, quæ licet pulchræ eſſent, non tamen abutebãtur pulchritudine. Similiter, quandò eſt mulier turpis & fatua, non eſt periculum, quia nemo eam ſollicitat, ſed quandò eſt pulchra & fatua, tunc eſt periculum. Nam quia eſt pulchra, ideò ſollicitatur a multis; quia eſt fatua, ideò neſcit ſe cuſtodire. Propter quod tali pulchritudini fatuæ maledicit Iob. dic. *Vidi ſtultum firma radice & maledixi pulchri-* *Iob 5.* *tudini eius.* Ex quibus patet, quod pulchritudo corporalis eſt multum periculoſa & *Pulchritudo corporis periculoſa.* multũ damnoſa. Primò eſt periculoſa; quia eſt bonum defectiuum, & bonum infectiuum, & bonum deceptiuum. Defectiuum, quia continuè fugit, continuè perditur & diminuitur. Vnde Boetius. Formæ nitor *Boetius de conſol. philoſ. lib. 3. proſ. 8.* rapidus eſt, & vernalium florum mutabilitate fugacior. Et ſubdit; *Sed æſtimate, quam vultis nimio corporis bona, dum ſcia is quæcũque miramini, triduanæ febris igniculo poſſe diſſolui.* Secundò eſt bonum infectiuum. Rarò enim coniunguntur pulchritudo & prudentia. Vnde autor libri de varietate carnis ad Iohannem dicit; Tria ſunt ſemi- *Seminũ tria genera.* num genera, quæ in electo iuuentutis agro abſque concomitantibus zizanijs rariſſimè concreſcunt; elegantia pulchritudinis, vigor fortitudinis, ſuauitas vocis. Pulchritudo enim in iuuene alienam prædam libidinis, aut prædonem efficit caſtitatis. Fortitudo autem audaciam ingerit; Audacia verò ad iniurias committendas impellit. At verò qui vocis amœnitate præeminent, laſciua modeſtis, ludicra proficuis, & iocoſa ſerijs anteponunt. Vnde Helinandus dicit, ſicut narrat Vincentius libr. 3. Difficile inuenitur aliquis leuis vocis, & grauis vitę; quantum vocis leuitas gaudium & iubilu, tantum vitæ grauitas planctum deſiderat. Et ſubdit. Vidi infinitos tàm viros quàm fœminas, tantò vitæ peioris, quantò vocis melioris. Eſt ergò bonum infectiuum, quia eſt magni mali occaſio. Et ideò dicit Eccl. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeci-* *Eccl 9.* *em enim mulieris multi perierunt, & ex hoc, concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Tertiò pulchritudo eſt bonum deceptiuum, quia erigit hominem in ſuperbiam aliquoties, & ſic per formam carnis perdit gratiam mentis. In cuius figura legimus, quod Herodes in conuiuio ſuo celebrans diem na- *Matt. 14.* talem ſui iuſſit occidi Ioannem baptiſtam. Herodes interpretatur glorians in pellibus; Et ſignificat homines de pulchritudine pellis carnalis glorianteſ, quæ tota eſt in pellibus ſiue in ſuperficie & non in profundo. Vnde Boet. vbi ſupra de conſo. *Si .n. lynceis oculis vterentur, vt viſus eorũ queq; obſtantia penetraret, nonne introſpectis viſceribus illud Alcibiadis corpus ſuperficie pulcherrimũ, turpiſſimum videretur. Ergò te pulchrum videri non tua natura, ſed oculorum ſpectantium reddit infirmitas.* Homo ergo glorians in pelle ſuæ pulchritudinis, celebrat ſuum natalem diem, dum in vanum gloriatur de bono tam vano, quod non operando, ſed naſcendo recepit. Et iſte ſtatim occidit Iohannem baptiſtam, id eſt, gratiam propter vanam gloriam. Vnde patet, quod pulchritudo eſt bonũ deceptiuũ. iuxta illud Dani. *Species, i. pulchritudo decepit te.* Ex hoc patet *Dan. 13.* ꝙ ſi quis delectatur in pulchritudine creaturæ ſiſtens in ea, vt in fine, hoc eſt, nõ referẽs

huiuſ-

huiuſmodi delectationem, nec ordinãs in Deum, peccet mortaliter. Patet, quia vt ſic delectando in creatura finaliter, auertitur à creatore, & per conſequens quodammodo videtur ſibi conſtituere Deum alienum; ſeu idolum, & per conſequens eſt idololatra. Vnde Robertus Holcoth ſuper librum Sapientiæ fornicatores delectantes in ſpecie & ornatu mulierum appellat idololatras. Cui concordat illud Sap. Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum. Vnde licet creaturæ factæ ſint principaliter ad honorem Dei & ad profectum hominum, tamen per abuſum cõuertuntur in odium Dei, vt Deus propter illas in odio habeatur, & homines decipiantur & perdantur; Et hoc eſt quod dicitur. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

Sap. 14.

Pulchritudo damnoſa.

Ex his concludo quod damnoſum eſt delectari in pulchritudine tam propria quam aliena: de propria patebit ſicut refert Ouidius Metamorphoſeos libro. 3. quod Narciſcus puer quidam fuit tantę ſpeciei, vt ſtatim natus ab hominibus amaretur. Parentes igitur eius admirantes pulchritudinem conſuluerunt quendam vatem, ſi iſte puer attingeret terminos ſuæ ſenectutis, & ſi eſſet ętatis longæ. Reſpondit ille; diu, inquit, viuet, ſi ſemetipſum non nouerit. Poſtquam igitur fuit adultus ille iuuenis, tantam concepit de ſuo decore ſuperbiam, vt omnium tam iuuenum quam puellarum contempſerit amorẽ. Fatigatus autem quadam die de venatione venit ad quendam fontem dulciſſimum cauſa ſitis ſedandæ; & dum biberet, imaginem ſuæ faciei vidit in aqua, miratur ſpeciem ſuæ imaginis, conſiderat frontem, crines, os, genãs, & oculos, & amore imaginis captus alloquitur eam; extendit brachia vt eam appræhendat, offert oſculum & imago videtur reddere ſibi; ridet puer & ille corridet ei; lachrymatur, & ille complorat: Sic igitur exardeſcens in amore ſuipſius languens deficit; & in florem ſui nominis eſt conuerſus. Ecce damnum irrecuperabile. Secundo de pulchritudine aliena eſt damnoſum delectari, ſicut patet de duobus ſenibus, qui delectati in pulchritudine Suſannæ, eam concupierunt, ob quod fuerunt lapidati; quibus per Danielem dicebatur; *Semen Chanaan & non Iuda, ſpecies decepit te.* Sic Holofernes delectatus ſandaliis Iudith occiditur; Sic Dauid captus eſt in ſpecie Berſabeę. Vera eſt ergo ſententia illius, qui dixit; *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. Ex hoc enim concupiſcentia quaſi ignis exardeſcet.*

Dan. 13. Iudith. 16. 2. Reg. 2.

2. Occaſio fuit opulentia.

Secunda occaſio peccati in muliere, quę fuit etiam in Magdalena, eſt opulentia & abundantia temporalium: fuit enim multũ diues. Vnde habuit caſtra oppida & villas plurimas, & ex hoc potuit eſſe voluptuoſa & delitioſa; quia ſunt fomẽta peccati Pſalm. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Et Hugo de ſancto victore dic. Qui carnem ſuam indiſcretè affligit, carnem ſuam occidit; qui verò immoderatè nutrit, hoſtem nutrit. Sic ergo nutrienda eſt caro, vt ſeruiat Deo; ſic domanda, ne ſuperbiat.

Pſal. 72.

3. Peccati occaſio.

Tertia occaſio peccati in Magdalena fuit ſecuritas libertatis, quia fuit ſui Domina & nullum timebat. Vnde gloſſ. ſuper illud Pet. *Abſtinete à carnalibus deſiderijs,* dicit; Solet libertas vitæ remiſſioris titillantium tollerare pericula. Iſtud patet de vxore Phutifaris procuratoris Pharaonis, quæ inuenta oportunitate, cum maritus abſens eſſet de domo ſua, & ipſa ſub nullo eſſet regimine aut cuſtodia, iniectis oculis in Ioſeph appræhendit eum per laciniam veſtimenti, cogens eum ad peccandum ſecum. Ideò Salomon docens cuſtodire fæminas dicit, *In filia non aduertente ſe, firma cuſtodiam, ne inuenta occaſione abutatur ſe.* Et bene dic. *firma cuſtodiam*: quia enim mulier eſt fragilior, ideò magis cuſtodienda à viro. Propter quod leges plures cuſtodias mulieribus adhibent, quam viris ſecundũ Auguſtinum in li. de 10. chordis; timorem ſcilicet Dei, cuſtodiam viri, verecundiam mentis, confuſionem hominum, & terrorem legum publicatum; In quibus multæ ſunt pœnæ contra eas poſitæ. Ex hoc patet reſponſio ad quæſtionem, qua quæritur, vtrũ in peccato adulterij plus peccet mulier quam vir; Et dicendum ſecundum Rob. Holc. quod quamuis omne quod non licet fæminis, ęquè non liceat viris, 32. q. 5. Præcepit: Et idem recitat Magiſter

1. Pet. 2. Gen 39. Eccl 26.

in 4. ſententiarum diſt. 25. c. 2. Chriſtiana religio adulteriũ in vtroq; ſexu pari conditione condemnat, tamen cæteris paribus vxor plus peccat. Vnde licet quantũ ad bonũ fidei, quia æqualiter ſeruare tenẽtur ſibi mutuo, æqualiter peccent, quia æqualiter obligantur, tamen quantũ ad bonum prolis plus peccat mulier, quia cauſat incertitudinẽ prolis, & ſic dupliciter peccat. Licet ergo æqualiter peccent & ad æqualia iudicentur, nõ tamen ex æqualibus cauſis. Sicut duo fures quorũ vnus duplo peior eſt alio, ad æqualẽ pœnã ſuſpendij iudicantur: Sic etiam vir & mulier in actu adulterij æqualiter pœnam diuortij incurrunt, licet mulier grauius peccet. Et dico notanter in actu adulterij, quia in actu fornicationis vir magis peccat, quã mulier, cęteris paribus, vt dicit ſanctus Thomas. Cuius ratio eſt, quia plus habet de bono rationis, mulier plus habet de materia tentationis, quia eſt magis fragilis. Et idem tenet Petrus de Taranthaſio ſuper 4. ſententiarũ. Propter quod dicit Aug. in li. de adulterinis coniugijs, & ponitur in Canone. 32, q. 6. Indignantur. vbi dicitur. Indignantur mariti ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas, cũ tantò grauius eos puniri oporteat pro adulterio, quãtò magis ad eos pertinet & virtute & exẽplo regere fœminas. Debent ergo viri eſſe cuſtodes fœminarũ, & per bonum exemplũ pudicitiæ propriæ eas cõfirmare in caſtitate. Non ſolũ autẽ debent eſſe cuſtodes fœminarum, ſed etiã filiorũ & filiarum. Quarta occaſio peccati in Magd. fuit vanitas mẽtis, q̃a fuit à laboribꝰ licitis otioſa. Hinc dicitur *Multa mala docuit otioſitas*. Vnde ocia ſunt quaſi arma diaboli ad miſeras animas capiẽdas, vt dicit Innocen. de renunciatione ca. Niſi cum pridem. Patet in Dauid qui quamdiu occupatus fuit bellis caſtus fuit, quam primum ocio vacauit, adulteriũ perpetrauit. Patet etiam de Salomone, qui quamdiu templum ædificauit non peccauit, ſed conſummato templo idololatrauit. Hinc dicit Iſidorꝰ; Ocio deditos citò luxuria ſurripit, vacantem citò pręoccupat carnis libido, vrit quem ocioſum inuenit. Quia igitur Magdalena ita fuit ex his cauſis reſoluta, & in vita diſſoluta atq; ad peccandum expoſita, rectè de ea dici tunc potuit, *Ecce mulier*, ſcilicet mulicbriter & molliter viuens.

4. Occaſio.

Eccl. 33.

II.

Si cõſideremus Magd. ſtatũ laudabilẽ virtutibus ornatũ, in quo auerſa à ſæculo pœnituit pro peccato, verè poterimus de ea cũ ſtupore dicere; *Ecce mulier*. Status ſiquidẽ conuerſionis eius fuit prudentiſſimè ordinatus. Vnde cũ mulieribus non ſit connata ſapientia, niſi eã diſcant à maritis, eo q̃ dicitur Sap. 3. Mulieres eorũ inſenſatæ: iſta tamen ſapientiſſimè ſtatũ culpæ in ſtatum pœnitentiæ commutauit. idcò poteſt dici quaſi quoddã miraculũ inter mulieres pro iſto ſtatu. Non verò eſt mirabile, ſi mulieres ſint ſapientes, vt faciant mala, ſed multũ mirabile eſt ſi ſciant facere bona, cũ ſexus ille ſit naturaliter fragilis, & ſit ſeducibilis ad malũ, ad bonũ verò difficile mobilis. Quia verò virtus eſt circa difficile, idcò cũ Magdalena ſic ſapienter fuerit ad bonũ cõuerſa, verè mirabilis eſt & in oculis noſtris ſtupoſoſa. Fuit itaq; mulier ſagaciſſima ad veniã impetrandã, eo quod ſagaciter inchoauit & terminauit. Inchoauit enim ſagaciter in hoc, quia celeriter pœnituit. Nam quã citò cognouit Chriſtũ eſſe peccatorũ remiſſorẽ, culparũ indultorem, gratiæ collatorẽ, mox ad eũ cucurrit, non procraſtinauit, nõ diſtulit; contra noſtros peccatores, qui ſingulis diebus habentes ad manũ ſacerdotes & confeſſores, & eos videntes in eccleſia quaſi ſingulis horis, non accedunt ad confeſſionẽ, ſed differunt ad quadrageſimã. Contra quos Eccl. *Ne demoreris in errore impiorum* Et *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Cuius ratio eſt, quia vulnus, quod non citò curatur, fit incurabile. Vnde Greg. Peccatu quod per pœnitentiã nõ deletur, mox ſuo pondere in aliud trahit. *Secundo* ſapienter negotiũ ſuũ continuauit, quia attulit alabaſtrũ vnguẽti, noluit apparere in conſpectu Domini vacua, & ideò cũ vnguẽto venit. quod fortè ad propriũ corpus confecerat vngendum; Et iſtud fuit ſignum pietatis & deuotionis quam habuit ad Chriſtum. *Tertio* ſapienter continuauit, quia ſtetit retro, in quo apparuit timoroſa & verecunda pro peccato, non audens in faciẽ Chriſti intendere, quia cum Pſal. dicit; *Vultum tuũ*

Conuerſio Magdalenæ.

Magdalena velociter conuerſa.

Eccl. 17. Idem. 5.

Greg.

Sapienter continuauit.

depre-

Pſal. 44. *deprecabuntur Domine omnes diuites plebis.* Ego autem pauper ſum & dolens, indigniſſima & infęliciſſima omniũ mulierũ, quæ non ſum digna videre altitudinẽ cæli præ multitudine iniquitatis meæ, quia irritaui irã tuã & malũ corã te feci. Donec.n.auerteris faciẽ tuã à peccatis meis, nõ audeo videre faciẽ tuã iratã mihi. Redde igitur mihi lętitiã ſalutaris tui, & ſpiritu ſancto confirma me, & ex[illegible] neveniã & apparebo ante faciẽ tuam. O[illegible]tima conditio in peccatore, quando timet poſt peccatũ. Vnde patet ꝙ hodie homines ideò diu morantur in peccatis, quia nõ proponunt ante oculos diuinæ vindictæ ſeueritatem. *Quarto* ſapienter continuauit, quia acceſſit ad pedes Chriſti & ſtetit iuxta pedes Chriſti, ſecus quos ſtãt peccatores, quia miſericordia quaſi dexter, & iuſtitia quaſi ſiniſter pes eſt. Qui ergò vult benè pęnitere, ſecus vtrumq; ſtet cum Magdalena; quæ licet iuſtitiã timuit, tamẽ in miſericordia ſperauit. Sic debet verè pęnitens facere timendo iuſtitiã diuinã, quæ etiã minima ponderat: vt pœniteat & diſtrictè exigat, vt peccator ſoluat ad nouiſſimũ quadrantẽ. Debet etiã ſperare de miſericordia, quia etſi iuſtus eſt, tamen miſericors & propicius eſt & præſtans ſuper malitia. Vnde peccator dicat cũ pſal. Scio quia iuſtus es Domine & rectũ iudiciũ tuũ, cum ſeruo tuo fac ſecundũ miſericordiã tuam. Sed multi faciunt contrariũ. Quidã.n. ſtant tantũ iuxta vnũ pedẽ, ſiniſtrũ, ſcil. attendẽdo tantũ ſeueritatem iuſtitiæ, & ex hoc veniunt ad deſperationẽ. Sic ſtetit Iudas qui laqueo ſe ſuſpendit. Quidam autem ſtant tantum ſecus dextrum pedẽ, ſcil. attendendo tantũ magnitudinem miſericordiæ, & hi veniunt in præſumptionẽ: Et hi ſæpius decem ſumentes ſibi exempla diuinæ miſericordiæ in antiquis ſanctis oſtẽſa, & vix vnũ diuinæ iuſtitiæ, licẽtius & præsũptuo ſius pecc[illegible]nt, quã alij. Quidã.n. aſſumunt in exẽplum Dauid peccatorem; vt adulteri & homicidæ; Quidam Mattheũ & Zachęum; vt auari, vſurarij; quidam Petrum; vt perfidi & periuri; quidam latronem tardè cõfitentẽ; vt obſtinati; quidam verò Magdalenam; vt luxurioſi; quidam Paulũ; vt Chriſtianorum turbatores ſeculares, dicentes, tamen Deus fecit cum illis miſericordiam, quare mecũ non faceret? Faciã vt illi, & Deus miſerebitur mei ſicut & illis miſert⁹ eſt. Sed ô infęlix homo, vt quid tibi laqueũ paras & foueã, in quã cadens non reſurgas? Non enim vt dicit Aug. ſuper pſal. Deus tibi propoſuit iſtos ſanctos in exemplum peccandi; ſed, ſi cecideris, dedit tibi eos in exẽplum reſurgendi, vt queadmodũ illi de peccato per pœnitẽtiam reſurrexerunt, ita & tu reſurgas. Quid ergò vis cadere cũ Dauid & non reſurgere cũ Dauid? Iſta fuit excuſatio Imperatoris Theodoſij, qui poſt homicidium multorum innocentum ad excuſandum multiplex peccatum ſuum dicebat; Dauid peccator erat & homicida, & tamen ſanctus eſt. Sed audiuit à beato Ambroſio ſibi dici. Si ſecutus es Dauid in peccato, ſequaris & in pœnitentia. *Quinto* continuauit ſapięnter, quia fuit doloroſa pro peccato. Signum doloris maxim, fuit exceſſiua & copioſiſſima effuſio lachrymarum: Et in hoc maximè apparet mirabilis, quia quaſi contra naturam effudit tantã lachrymarum copiam, vt quaſi de fonte riuos emittens pedes Chriſti ſufficiẽter rigauerit, & à ſordibus pulueris quibus ſqualebant Chriſti veſtigia, abundantiſſimè ablueret. Oſtendit etiam in hoc Magdalena pudorẽ humilitatis, quæ non caput, ſed pedes lachrymis rigauit, reddens ſe indignam tangere ſanctum Dei verticem, quẽ vnxerat Deus præ conſortibus eius. Hic eſt primus gradus conuerſionis peccatorũ, à quo neceſſe habet peccator incipere. Vnde Aug. dicit. Nemo currit ad remiſſionem peccatorũ niſi qui diſplicet ſibi, niſi qui ſe confitetur peccatorẽ, Et nemo confitetur ſe peccatorem, niſi humiliando ſe Deo. *Sexto* ſapienter cõtinuauit, quia fuit operata multipliciter. Nam per quæ mẽbra peccauit per eadẽ ſatisfecit, ore ſuperba locuta fuerat, ideò oſculabatur pedes. Capillis ſuperbiuit, ideò capillis terſit. Oculis illicita aſpexit, ideò rigauit lachrymis. Vnguento vnxerat faciem & corpus ſuum, ideò pedes Chriſti vnxit vnguento tantum de ſecundo.

Timere poſt peccatum optimũ.

Ioel. 2.

III.

Si penſemus beatæ Magdalenæ ſtatum commendabilem, gratijs & donis decoratum; in quo coniuncta Chriſto proficit in magno merito, verè de ea dicere poterim⁹ cum ſtupore mirabili. *Ecce mulier.* Fuit

autem

Magdalena qualis poſt remiſſionem peccatorum. autem ſtatus huius ſanctiſſimæ fæminæ decoratus poſt remiſſionem peccatorum diuerſis gratijs & donis, ita vt verè poſſit admirari tantus confluxus gratiarum in eadem, vt de ea dicatur admiratiuè. *Ecce mulier*. Ecce inquam mulier ardentiſſima ad diligendum; deuotiſſima ad contemplandum; clementiſſima ad miniſtrandū; fideliſſima ad perſeuerandum. Primo fuit *Ardentiſſima ad diligendum.* ardentiſſima ad diligendū, vt patet ex teſtimonio Chriſti dicentis; dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum Sunt *Tria ſigna dilectionis.* autem tria ſigna dilectionis, per quæ quis probatur aliquem feruenter & ardenter diligere; Primum eſt fortis adhæſio; ſecundum propriorum bonorum dimiſſio; tertium aſſidua de eo locutio. Quæ tria perfectè fuerunt in hac muliere ſanctiſſima, & ideò magnum dilectionis habuit donum. De primo patet; nam quantò quis fortius adhæret amico in tribulationibus, tantò magis eum diligit. Vnde Eccl. de imperfecto amico. *Eſt quidam ſocius menſæ, ſed non* *Eccl. 6.* *permanebit in die neceſſitatis*. Hæc autem ſancta Chriſto fortiter adhæſit, quia in nullo ſtatu ab eo diſceſſit. Adhæſit enim prædicanti, morienti, in ſepulchro iacenti; prædicanti, quia ſemper ſedebat ſecus pedes Domini audiens verbum illius; morienti, quia alijs diſcedētibus domum, ipſa ſtabat ſub cruce; ſepulchro, ſtabat enim foris ad monumentum plorans. Secundum ſignum dilectionis eſt pro amico multa facere & expedire. *Si dederit homo omnem* *Cant. 8.* *ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Vnde amantes pro nihilo reputant ſubſtantiam temporalem ratione amoris. Iſta autem multa expendit in amore Chriſti, quia trecentis denarijs emit vnguenta. Tertium ſignum magnæ dilectionis eſt de eo, quem diligit, loqui fre- *Rom. 8.* quēter. Vnde ſuper illud: Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti, dicit Chryſoſtomus; Hic amantium mos eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere non valeant, ſed amicis & caris ſuis oſtendant & prodant, & flammas ſuas intra pectus ſuum cohibere non poſſint; enarrant frequentius, vt ipſa aſſiduitate narrandi ſolacium ſui amoris recipiant, & refrigeria immenſi ardoris aſſumant. Hoc autem apparet in Magdalena, cuius omnia verba, quæ dixit, aut erant de Euangelio, aut fuerunt cum Chriſto, aut de Chriſto. Secundo fuit altiſſima ad contemplandum, quia cum ſoror eius Martha in- *Altiſſima ad contēplandum.* ſiſteret actiuæ vitæ, iſta inſiſtebat contemplationi; quia illa ſatagebat circa coquinā, iſta ſedebat in prædicatione. Nec mirum eſt, quia magnitudo dilectionis inducit celſitudinem contemplationis. Tertio fuit *Clementiſſima ad miniſtrandū.* hæc mulier clementiſſima ad miniſtrandum; ſequebatur enim Chriſtum miniſtrando ei de facultatibus ſuis; & ipſa vltra omnes alias ante paſſionem corpus Chriſti recreauit & refocillauit vnguēto præuenit *Matt. 26.* vngere corpus meum. Quarto fuit fideliſſima ad perſeuerandum, quia fugientibus *Fideliſſima ad perſeuerandum.* Apoſtolis ipſa cum matre Chriſti à cruce non receſſit; & vltra omnes in die reſurrectionis ſepulchrum Chriſti frequentabat plorans, vt dicitur Ioan. 20. Et quia filius *Prou 8.* Dei dicit, *Ego diligentes me diligo*; Idcirco verſa vice, Euangeliſta oſtendit quadruplicem benignitatem Chriſti ad iſtam mulie- *Benignitas Magdalenæ exhibita.* rem. Primo enim liberaliter donauit & remiſit peccata. Iſtam autem remiſſionem non ſolum intelligunt Doctores quantum ad culpam, ſed etiam quantum ad pœnam; ita vt ſi ſtatim mortua fuiſſet confeſtim ſine purgatorio ad limbum deſcendiſſet, vbi tunc erant ſancti. Cuius ratio eſt, quia cum omnis culpa ſufficienter remittatur per confeſſionem & contritionem; & ipſa ſufficienter fuerit contrita, & Chriſtò, qui intuetur omnia, mentaliter confeſſa; ſequitur quod non ſolum ei tunc dimiſerit peccata, ſed etiam ſalutem æternam donarit. Secundo excuſauit eam apud Simonē Phariſæum, qui eam accuſabat de peccato publico luxuriæ. Vnde cum Simon dixit; Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt; confeſtim Chriſtus protexit eam dicens excuſando: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Et Chriſtus neglecta propria iniuria defendit iniuriam Magdalenæ: quia ipſe tacentibus ſuis pro eis pugnat. Tertio defendit eam à Iuda & Apoſtolis, quibus cauſantibus de prodigalitate, quod effudiſſet in vanum alabaſtrum vnguenti, Chriſtus reſpōdit; Sinite eā; bonum n. opus operata eſt in me,

quam

quam cum ei Chriſtus dilectionem exhibuit indicibiliter conſolatus eſt eam. Et hoc multis modis; Primo peccata eius parcendo. Nam ſtatim eam inſpexit, nec prodidit, ne erubeſceret, quod tamen Marthæ non fecit, quam ſtatim vt eius fimbriã tetigit, publicauit dicens; quis me tetigit? Secundo de venia certificando eam dixit; re-
Ioan. 20 mittuntur tibi peccata, tangi ab ea ſe permittẽdo. Mira res: Oza tetigit arcam figuralem & percuſſus eſt, qui tamen legitimo vtebatur coniugio; meretrix tangit Dominum arcæ verum Deum & hominem, & permittitur. Sed hæc in figura contingebant nobis, vt detur ſpes peccatoribus de venia. Tertio ei poſt reſurrectionem principaliter apparendo. Apparuit primo Mariæ Magdalenæ. Quarto quia ei Angelicũ officiũ commiſit, quando ei dixit; vade ad fratres meos & dic eis; aſcendo ad patrem. Vnde ipſa gauiſa, gaudia dulcis reſurrectionis & præconia eius aſcenſionis Apoſtolis annunciauit. Propter quod vocatur Apoſtolorum Apoſtola, id eſt, nunciatrix Apoſtolorũ miſſa in bonis ad Apoſtolos. Apoſtolus .n. interpretatur miſſus. Quartum dilectionis ſignum exhibuit ei Chriſtus, eam in bono perfectiſſimè confirmãdo, cum dixit; vade in pace, quaſi dicat, ſis pacifica in conſcientia, vt amplius nõ perturberis à culpa. Habuit igitur pacẽ, id eſt, tranquillitatẽ, quia omnibus vitijs perfectè ſubiugatis, caro obediuit rationi, ratio verò Deo; & ita per hanc pacem peccator peruenit ad pacem æternitatis: ad quam nos perducat Dominus &c.

DE SANCTO IACOBO SERMO.

Neſcitis quid petatis. Matth. 20. & Marci. 10.

Luc. 14. & 18.

SI iuxta ſaluatoris ſententiam, omnis, qui vult peruenire ad ſublimitatẽ cœleſtis gloriæ, neceſſe habet prius humiliari hic in terris, eo quod non niſi qui humiliatur hic in terris exaltabitur in cœlis. Et: *Qui humiliatus fuerit erit in gloria.* Et *Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Reuera ſtultiſſimus eſt qui per aliam viam quàm
Iob. 22. Prou. 29. humilitatis & tribulationis præſentis illuc vult accedere, & ſine labore præmium capere omni iuſtitia repugnante. Dicit enim Gregorius in quadam homel. ſuper Lucam quod ad magna præmia non perueniat niſi per magnos labores; nec coronabitur niſi qui legitimè certauerit, ſicut ait Apoſtolus. Vnde ſtultus eſt miles qui cingi vult auro, & nunquam pugnauit in campo, cum dicat poëta. Vile decus quod non erexit primus labor. Non enim venit ad ſummam pacem niſi qui magno ſtrepitu cum inimicis pugnat, inquit gloſa quædam ſuper Pſalm. 9. Hinc Petrus Damianus in ſermone de vno martyre, Delicatus eſt miles, qui prius vult vincere, antequam dimicare incipiat; qui vult ſine pugna victoriã, aut ſine victoria anhelat ad palmã. Stultus agricola, qui vult turgentes autumni botros de vite ſuauiter carpere, & negligit propaginum ſurculos laborioſè plantare: cupit implere frugibus horreum, & non curat excolere exhorreſcentem vepribus agrum. Quocirca ſubdit idem, quod nobis expediat anguſtam laboris viam arripere cum ſanctis in hoc ſæculo, ſi poſtmodum volumus ad eorum latitudinem gaudij peruenire. Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut Chriſtus & ipſe ambulare. Procul dubio autem à veſtigijs Chriſti exorbitat, qui anguſtiam viam fugiens latã calcat. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. In quibus verbis breuiter redarguitur humana ambitio indignè honores appetens; quia his, qui indignè honores ambiũt dicitur à Deo. *Neſcitis quid petatis.* Nec immerito. Si enim penſemus ardua & alta probitatis merita, quibus ad honorem veniendum eſt; ſi conſideremus & pericula cum

quibus in honore viuendum eſt, & ſi ponderemus mutuæ obligationis debita, quibus ex honore vnicuique quod ſuum eſt reddendum eſt; certè propter huiuſmodi ardua merita, propter damna & pericula, & propter obligationis debita, verè dicitur omnibus ambientibus honorem. *Neſcitis quid petatis.*

I.

Si pēſemus ardua & alta probitatis merita, quibus ad honorem veniendum eſt, meritò audire merebimur, *Neſcitis quid petatis.* Ariſtot. dicit in Ethicis; nullus prauus dignus eſt honore, quia virtutis præmium eſt honor. Ex quo ipſe concludit, ꝙ ad honorem veniendum eſt per virtutem, quod vtique eſt difficile & arduū, quia virtus eſt circa difficile. Recto igitur ordine ſeruato non per honorē ad virtutem, ſed virtute ad honorē veniendū eſt, iuxta illud Aug. gloriā & honorē nō debet ſequi virtus, ſed ipſe honor debet ſequi virtutē. In cuius ſignū narrat Aug. quod Romani antiquitus virtutē & honorē ſicut duos Deos colebant, quibus duas ædes ſiue duo tēpla conſtruxerant, ſic ad ſe inuicem ordinata & coniuncta, quod nullus poſſet intrare tēplum honoris, niſi prius templum virtutis tranſiret, ad ſignificandū quod nemo apud eos honorem reportaſſet, niſi cū per virtutis probitatē meruiſſet; & ideò dicit Ariſt. quod ſecundū veritatē ſolus bonus honorandus eſt. Vnde Apoſtolus inquit; *Honor & pax omni operanti bonum.* Quis autem honor debeatur virtuti ſicut præmium, nihilominus honor frequenter derogat virtuti, dum mentem honorati in ſuperbiam nititur eleuare. Et ideò ad iſtam peſtem rationabiliter euitandam legimus, quod victoribus triumphantibus & Romam redeuntibus triplex honor impendebatur, & triplex iniuria inferebatur. Primus honor fuit, quod victori populus obuiauit cum iubilo & lætitia; Secundus quod omnes captiui ſequebātur currum eius ligatis manibus poſt tergum. Tertius quod victor indutus tunica Iouis ſedebat in curru, quem trahebant quatuor æqui albi, & ducebatur vſque ad capitolium ſeu ad prætoriū. Iuxta illud poetæ Ouidij. Cū quatuor niueis ibis equis. Ne tamen tātis honoribus ſublimatus obliuiſceretur ſui, triplicē moleſtiā ſuſtinere debuit illa die. Prima erat quod ponebatur cū eo vna perſona ſeruilis conditionis in curru, vt daretur ſpes cuilibet quātūlibet fuerit vilis cōditionis perueniendi ad talē honorē, ſi per probitatē & virtutē ſe dignificare vellet. Secunda moleſtia erat, ꝙ illa die licebat cuilibet dicere aſperrima opprobria quæcumq; in victorē. Vnde Iulio Cæſari reuertenti poſt multas victorias fuerunt grauiſſimæ iniuriæ dictæ, nulla penitus vltione ſequente. Et de hoc tangit Iſid. ethi. li. quod primo ducebātur per exercitū. Secundo per ſenatū. Tertio per populū. Ille autem ferebatur in quadriga, colore rubeo veſtiebatur, palma aurea & laurea corona coronabatur, & ſceptro ſuper quod ſcribebatur aquila, ornabatur. Si ergo tanta dabantur virtuoſis & victorioſis apud gentiles, illis quos pro virtute voluerunt honorare, quanto magis Chriſtus honorabit ſuos victores. Quos primo vehet in curru Angelico miniſterio præparato; iuxta illud Pſalm. *Currus Dei decem milibus multiplex, milia lætantium.* Certè magna gloria erit iuſto deduci non quatuor equis albis tantū, ſed mille miliū Angelis. Sicut patet de Lazaro, qui licet, cū fuiſſet in terris, non habuit vnum aſellum quo portaretur, ſed iacebat ad ianuam diuitis, tamen poſt mortem ab Angelis ſuſceptus, deductus eſt cum honore in ſinū Abrahæ. Secūdo Chriſtus honorabit ſuos victores colore rufo, qui eſt color igneus. Et ſignificat perfectionem charitatis, quæ in ſanctis in cælo multum augebitur, iuxta illud. Ignis eſt in Sion & caminus eius in Ieruſalem. Tunc enim videbunt & affluent, mirabuntur & dilatabuntur in charitate, vt dicant illud Canticorum. Dilectus meus candidus & rubicundus. Tertio Chriſtus honorabit ſuos victores cum palma in ſignum triumphi & victoriæ. Vnde in Apocal. dicit Ioannes ſe vidiſſe turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat, ſtantes ante thronum Dei amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Quarto Chriſtus coronabit ſuos victores corona laurea. Eſt autem laurus arbor nobiliſſima & ſemper

virens.

Ethic. 4. Virtute ad honorem itur.

August. lib. 5. de ciuitate Dei. Ibidem.

lib. 4. Ethi. c. 2.

Rom. 2.

Pſal 67.

Lucæ. 16.

virens tam in hyeme quam in æſtate, vt di-
cit magiſter li. 7 de proprietatibus rerum,
& Iſidorus. Et hæc ſola arbor creditur à
vulgo non fulminari. Vnde Cæſar Tybe
rius, cœlo tonante, laurum in capite ſoli-
tus erat ferre contra fulminum ictus. Iu-
ſtus autem non ſolum ſicut laurus, ſed eti-
am florebit ſicut lilium. Secundo Chriſtus
Pſal. 44. dabit ſuis ſceptrum, quod eſt virga regalis,
in ſignum quod omnia æquiſſimè direxe-
runt. Pſal. *Virga directionis, virga regni tui.*
Ioan. 17. Super qua virga ſedebit aquila, id eſt Chri-
ſtus, qui erit merces & conſolatio eorum
ſempiterna, ex cuius viſione victores præ-
miabuntur. Hæc eſt vita æterna, vt cogno
ſcant te Patrem, & quem miſiſti Ieſum
Chriſtum.

In honoribus magna pericula.

II.

Si conſideremus damna & pericula, cũ
quibus in honore viuendum eſt, non im-
meritò dicitur omnibus honorem ambien
tibus *Neſcitis quid petatis.* Magna ſiquidem
ſunt pericula & damna in honoribus, eò
quod peruertunt mores, & quoniam in a-
liam formam transmutant, iuxta illud, Plu-
rima cum ſoleant hominum corrumpere
mores. Vnde dicit Innocentius quartus;
Gregor. quod honores mutant mores. & auferunt
intellectum multis rationibus. Prima eſt,
quia nimis occupant homines. Gregorius.
Quos multiplex actio occupat, à ſemetip-
ſis alienos eſſe demonſtrant. Vnde in ver-
ſu dicitur

Pluribus intentus vix eſt ad ſingula ſenſus.
Secunda ratio eſt, quia mox oritur tumor
Iob 15. ſuperbiæ, quæ excæcat mentem. Gregori
Pſal 9. us. Tumor mentis obſtaculum veritatis.
Operuit faciem eius craſſitudo. Tertia, prop-
ter aſſiduitatem adulationem. Pſal *Lauda-*
Eccl. 34. *tur peccator in deſiderijs animæ ſuæ.* Quarta
eſt, quia honor facit homines obdormire,
id eſt negligere ſalutem. *Somnia extollunt*
imprudentes. Pſal. *Dormitauerunt omnes qui*
aſcenderunt equos. Sed væ dormiẽti in equo.
Nam equo recalcitrante vel labente ipſe caput
frangit. Quinta ratio, quia inebriat quodã-
modo, vt quod nõ vtatur perfectè ratione.
Pſ. *Aſcendunt vſq; ad cœlos, ſ. per honores, &*
deſcendunt vſq; ad abyſſos ſcil. per peccata.
Et ſequitur. *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut*
ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata
eſt. Quia ſapientes ſunt vt faciant mala,
bona autem facere neſciunt. Sexta, quia *Eccl.* 34.
infatuat. Eccl. *Quaſi qui apprehendit vm-*
bram & perſequitur ventum, ſic & qui *Pſal.* 48.
attendit ad viſa mendacia. Propter hoc di-
cit Pſalm. *Quod homo poſitus in honore non*
intellexit ſcilicet ſecundum Innocentium,
qualis fuit, qualis eſt, qualis futurus eſt,
comparatus eſt iumentis inſipientibus. Et hoc
multis rationibus. Primo, quia homo in
honore poſitus inclinat ſe ad terrena. in *Pſal.* 16.
Pſalm. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in*
terram. Secundo, quia tantum quæ car- *Philip.* 3.
ni ſunt quærunt. *Quorum Deus venter*
eſt. Romanorum. 8. *Qui enim ſecundum*
carnem viuunt, quæ carnis ſunt ſapiunt.
Tertio, quia velut altum indiſcretè im- *Ezech.* 34
petit. *Lateribus & humeris impingebatis,*
& cornibus veſtris ventilabatis omnia in-
firma pecora donec diſpergerentur foras, id
eſt, pauperes & debiles opprimebatis per
iniuſtam rapinam. Quarto, ſeſſorem non *Eccl.* 33.
diſcernit. *Equus emiſſarius ſic & amicus*
ſubſannator; ſub omni ſupra ſedente hin-
nit. Hoc eſt dicere, quod honorati &
potentes ſuis ſuperioribus rebellant &
contradicunt. Et ideò Agellius poeta di-
cit leges ſimiles eſſe aranearum telis,
quæ paruas muſcas capiunt, à magnis
autem animalibus rumpuntur. Vnde
Ieremias conqueritur illud dicens; *Va-* *Ierem.* 5.
dam ad optimates, & ecce hi ſimul confre-
gerunt iugum, ruperunt vincula. Propter *Honores*
has conditiones tam turpes, tam ma- *fugiendi.*
las, quam etiam periculoſas & dam
noſas, multi non ſolum Catholici, ſed
etiam gentiles refutabant honores. *Et*
primo ideò, quia conſiderabant honores
dignitatem eſſe phantaſticam, id eſt, *Pſal.* 36.
tranſitoriam, iuxta illud Pſalm. *Vidi im-* *Honores*
pium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut *tranſi-*
cedros libani. Et tranſiui, & ecce non *torij.*
erat, quæſiui eum & non eſt inuentus lo-
cus eius. Quod exponit Innocen-
tius quartus dicens; *Vidi impium ſu-*

perexaltatum, id eſt, vltra quam debuit & ſuper illud exaltatum honoribus, *& eleuatũ* ſuperbia, non parum, ſed *ſicut cedros Libani*, id eſt, ſicut cedri ſunt excelſiores aliis arboribus, & præcipuè cedri ex Libano; ita ipſe impius omnibus ſe ſupraponit in corde ſuo. Et ſequitur. *Tranſiui*, ſcilicet ad contemplanda æterna. *Et ecce* quaſi in euidenti & in proximo vidi quod *non erat*, id eſt, quod eius dignitas nulla erat & eius eſſe non eſſe erat, quia ſocius eius qui non eſt, ſcilicet diaboli. Vnde Gregorius. Cum æterna retributio cogitatur, præſens gloria quam ſit nulla cognoſcitur. *Secundo* antiqui ſpreuerunt honoris dignitatem, quia conſiderabant eam eſſe timore, ſolicitudine, & anxietatè plenam. Mundus enim continuè commouet gentem contra gentem, & regnum contra regnum, vt dicit Saluator; vbi & ſi omnibus, tamen plus honoratis timendum eſt, quia rami in ſummo poſiti plus à vento quaſſantur, iuxta illud poëtæ. Perflant altiſſima venti. Vnde ſicut probat Boëcius in li. de cõſo. Philoſophiæ; iſtud regnum honoris eſt regnum timoris. Narrat Macrobius libro primo de Somnio Scipionis de Dionyſio tyranno, quod cum quidam eum miles beatum diceret, ille volens vitam ſuam miſeram eſſe oſtendere, facto ſolenni conuiuio illum militem loco ſuo ad menſam locarit, & euaginatum gladium ſuper caput ſedentis tenuiſſimo filo appenderit. Cum autem miles nec comedere nec conſolari potuiſſet, videns ſibi mortem imminere ex gladij appenſione, dixit illi Dionyſius; talis eſt vita mea, ſcilicet in continuo timore, quam tu beatam æſtimas. Quomodo enim felix eſſe poterit, qui timere non ceſſat. Idẽ narrat Tullius. lib. 5. Tuſc. quæſt. Et idcò dicit Apoſtolus. Qui præeſt in honore, præeſt in ſolicitudine. Et propter hoc Chriſtus dicitur fugiſſe, dum eum regem turba facere voluiſſet, docens nos fugere mundanas dignitates. Vnde dicit Chryſoſtomus in Ioan. homelia 13. Quod cum quidam nobilis triumphator Romanus dictus Titus triumphaſſet de bello, quo pro Romanis hoſtes debellauerat, ſubito reſpexerit in aquam, & viderit faciem ſuam quaſi cornutam. Abſtinans autem ſe deluſum in aqua, manum ad caput appoſuit & cornua in fronte inuenit. Quod benè poterat eſſe operatione ſathanæ, qui gentilibus illudebat, & eos ad ſeruiendum ſibi per temporalia alliciebat. Iſte ergo conſuluit quẽdam prophetam, quid hoc ſignificaret; & informatus fuit; quod ſi ipſe Romam intraret, Rex & Imperator fieret, quia hoc à conſulibus Romanis iam definitum erat. Vnde metrice ei dicitur; Tu modo rumpe moras portaſque intrare potentes. At proſpera ſic fata iubent, vrbe receptus Rex eris & ſceptro tutus potiere perenni. Quod ille audiens ſtatim cum indignatione à ciuitate receſſit: nec eam perpetuis temporibus voluit intrare; ne Rex fieret. Vnde etſi omnibus timendum eſt, magis tamen in dignitatibus conſtitutis. Quia vt ait Tullius libro ſecundo de offic. Qui ſe metui volunt à quibuſdam, neceſſe eſt vt eoſdem metuant ipſi. Et ponit exemplum de Dionyſio Tyranno, qui tantum timuit, vt etiam capillos barbæ ſuæ ab aliquo radi permittere non præſumpſerit; quin hos ardenti carbone ſibi ſolus adurebat. Similiter recitat Tullius de Alexãdro Phrygio, qui non audebat intrare cubiculum, niſi vnus familiaris cum gladio euaginato præcederet, Qui ciſtas vxoris ſuæ ſcrutaretur, ne aliquod ferrum abſcondiſſet ad eum occidendum & tamen ab ea finaliter fuit occiſus propter pelicatus ſeu concubinatus ſuſpitionem. *Tertio* fugiebant honoris dignitatem conſiderantes eam vitijs implicatam. Nam ſicut dicit Gregorius, Deus potẽtes abijcit, quia eo ipſo quo quis præeminet cæteris, cogitatione propria intumeſcit. Sunt ergo tria vitia annexa dignitatibus. *Primo* ſuperbia. Quia vt ait Gregorius vbi ſupra. Humana menſ plurimum extollitur etiam cum potentia nulla fulcitur, quanto magis ſe in altum erigit cum ſe poteſtas adiungit. *Secundo* annexa eſt cupiditas. Quia enim multis indigẽt, omnia cupiunt, omnia concupiſcunt, vt dicit Seneca de Alexandro, quod vaſta-

Honores timore & anxictate pleni. *Matt. 21.* *Rom. 12.* *Ioan. 6.* *Honores vitijs implicati.* *Dignitatibus tria vitia annexa. Superbia.* *Cupiditas.*

vaſtârit furor eum ex cupidine aliena vaſtandi. Et Valerius; quod cum Anexaritus ex præcepto Domoreti infinita virorum fortium acta laudabilia coram Alexandro narraſſet, reſponderit; heu me, ꝙ ne viro quidem adhuc ſim potitus. Tertiò dignitatibus eſt annexa luxuria; quia prodijt qua ſi ex adipe iniquitas eorum, vt dicitur in pſalmo. Patet in rege Dauid, & Salomone, & Nerone, & in alijs multis. Similiter legitur de ſancto Gregorio & Amonio; qui cum in Epiſcopum eligi deberet aurem ſibi ſiniſtram obtruncat, vt inhabilis ad hoc fieret: cumque hoc non obſtante nihilominus ad cathedram traheretur, linguam voluit præmordere; quod vidēs Epiſcopus Dorotheus & alij Epiſcopi dimiſerunt eum in pace. Tot igitur tantiſque periculis in honoribus attentè conſideratis, rectè poteſt dici honorem ambientibus; *Neſcitis quid petatis*. Sicut enim dicit Seneca, Honor eſt res tumida, vana, ventoſa, nullum habens terminum. Et ideò, ſi quis eam petat à Deo, vel ab homine, rectè ei poteſt dici; *Neſcitis quid petatis*.

III.

Si conſideremus mutuæ obligationis debita, quibus ex honore vnicuique quod ſuum eſt, reddendum eſt; certè nobis dicetur honorem petentibus; *Neſcitis quid petatis*. Cum enim honor non ſit in honorato, ſed in honorante, vt dicit Philoſophus; certè non ſolum honoratus, vt iam dictū
1.Ethic. eſt, ſed etiā honorans eſt in magno & difficillimo ſtatu, quia multis obligatur reddere ꝙ ſuū eſt, iuxta illud Apoſtoli; *Cui honorem, honorē; cui vectigal vectigal*. Vnde dicit D. Thomas; quod ſicut in alijs rebus & humanis negotijs, opus eſt iuſtitia diſtributiua, ſic etiam in honoribus. Eſt aūt triplex honor, ſcilicet honor ſubiectionis & obedientiæ; honor ſupportationis & beneficentiæ; honor affectionis & beneuolentiæ. Primus debetur Prælatis & Principibus. Dicit enim Ariſtotel. quod quilibet teneatur illi dare mercedē, qui pro ſe laborauit. *Dignus eſt mercenarius mercede ſua*. Sed princeps laborat pro tota multitudine: igitur danda eſt merces ei a tota multitudine. Hæc

Rom. 13. Ariſtoteles 5. Eth. Matt. 10.

autem merces tota, honor eſt & gloria: Et cui iſta non ſufficiunt, Tyrannus eſt, & non Princeps. *Deum timete, Regem honorificate*, inquit Petrus. Huic concordat Paulus. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*. Gloſ. vt ſcilicet eis obediatur, & neceſſaria miniſtrentur. Secundus honor eſt ſupportationis & beneficentiæ, qui maximè debetur parentibus iuxta illud: *Honora patrem tuum & matrem tuam*: Et, *Maledictus qui non honorat patrem ſuum & matrem ſuam*. E contrario. Benedictus qui honorat parentes ſuos. Iſtud patet de Iacob; qui meruit benedictionem à patre, quia eum honorauit, offerendo ei cibum iuxta eius voluntatem. Contraria tamen faciunt hodiè filij parentibus, non offerendo eis cibum & permittentes mendicare eoſdem, cum tamen ipſi mendicantes deberent eos nutrire; ſicut narratur de ciconijs, quæ parentes ſuos ſenes nutriunt. Tertius honor eſt affectionis & beneuolentiæ, qui debetur omnibus. *Omnes honorate, fraternitatē diligite*. Vt interlinearis dicit, vnumquēque ad hoc teneri pro poſſe ſuo. Et Paulus inquit; *Honore inuicem præuenientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*. Vnde & Chriſtus magis honorauit illos, qui plus pro eo virtuosè meruerunt. Sic fecit beatus Iacobus, qui viriliter cum fratre reſpondit Chriſto; *Poſſumus bibere calicem tuum*, id eſt, paſſionem tuam pati: & ideò meruerunt ſedere à dextris, ſicut mater petijt. Iſto modo etiam ſi nos volumus conſequi ſedem regni cœleſtis, neceſſe è prius bibemus poculum amarum, ſcilicet tribulationem vitæ præſentis, & hoc in memoriam noſtri Saluatoris, quia ſemper in tribulatione dat aliquam conſolationem. Pſal *In tribulatione dilataſti mihi*. Et iterum. *Cum ipſo ſum in tribulatione &c.*

1.Pet.2. 1.Tim.5. Deut.5. Ibid.27. Gen.27. 1.Pet.2. Rom.12.

* * * *

DE SANCTO LAVRENTIO SERMO.

Qui amat animam ſuam, perdet eam. Ioan 12.

Auguſt. lib. de vera religio. Et ſuper Epiſt. ad Rom. c. 1.

SAuguſtinus dicit, ꝙ vita humana, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilũ, & eſt iſta nequitia deteſtabilis. Hoc peracto autem vita carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam caro & terra nominatur. Et quamdiu eſt ita, regnum Dei nõ poſſidebit, & eripitur ei quod amat, iuxta illud. *Qui amat animam ſuam in hoc mundo, perdet eam.* Multò magis anima diligens terrena; amat enim, quod & minus eſt quam vita. Et poſt pauca ſubdit; quod talis anima trahitur ad pœnas, quia diligendo inferiora, in egeſtate voluptatum ſuarum, & in doloribus apud inferos ordinatur. Hæc Auguſtinus. Ex quibus verbis clarè patet, quod ſit periculoſus amor præſentis ſeculi ex carnalium voluptatum, quæ animam ordinant ad inferos, & ad perpetuam egeſtatem perducunt. Quapropter Dei filius volens nos retrahere ab hoc inordinato animæ noſtræ amore, ne perdamus eam finaliter, venit in mundum ſaluſiferam oſtendens doctrinam, qua conſulit dicens; *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* In quibus verbis monemur, ne animã noſtram amore inordinato perdamus, & finaliter amittamus. Quod tunc faciemus, ſi animæ nobilitatem; amoris illiciti infructuoſitatem; & finalis tribulationis pœnalitatem attendamus. Nam propter nobilitatem animæ non eſt ipſa anima voluptate carnali deturpanda; propter amoris carnalis infructuoſitatem non eſt voluptas appetenda; & propter pœnæ finalis acerbitatem omninò eſt fugienda.

Propoſit.

I.

Anima nobilitas tribus cognoſcitur.

Ne amando animam perdamus, ad nobilitatem eius attendamus. Nobilitas animæ attenditur ex tribus, ſcilicet ex opere creationis, opere recreationis, & mercede retributionis. Ex opere creationis, quia creata eſt ad imaginem & ad ſimilitudinem Dei. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* In hoc autem maximè dignitas & nobilitas animæ noſtræ attenditur, quod eſt immortalis. Vnde in hoc quodammodo aſſimilatur Deo in perpetuitate; quod autem ſit immortalis, tripliciter oſtenditur: philoſophica auctoritate; catholica prędicatione; miraculorum approbatione. Primum patet per Platonem; quod anima humana eſt immortalis & ſecundum hoc, ſi vicerit paſſiones, vel ab eis victa fuerit, præmiabitur, vel punietur poſt mortem; & hoc quaſi concordat cum Euangelio præſenti, in quo dicitur; *Qui amat animam,* ſcilicet ſequendo ſuas paſſiones, *perdet eam* poſt mortem: *Qui autem odit,* vincendo eas, *cuſtodit eam in vitam æternam.* Secundo immortalitas animæ oſtenditur catholica prædicatione, idque tripliciter. Primò ex diuina bonitate, quæ vult ſuos amicos ſibi conuiuere, prout hoc iuſtum eſt. Vnde Apoſtolus. *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Secundo, ex diuina æquitate, qua reddendum eſt vnicuique quod ſuum eſt. Vnde cum hic bonis non redditur bonum, neceſſe eſt ponere aliam vitam, in qua reddatur. Tertiò, ex diuina veritate, quæ nullum fallit, ſed ſicut promiſit bonis præmia, ita malis ſupplicia. Neceſſe ergo eſt ponere aliam vitam, in qua hoc implebitur. Tertiò, immortalitas animæ oſtenditur miraculorum approbatione; ſicut patet de multis animabus, tam damnatorum, quàm beatorum, quæ poſt mortem multis apparuerunt. Prout ſufficienter approbat beatus Gregorius in libro Dialogorum, & alij ſancti. Et ſpecialiter hoc habetur in Euangelio, vbi Chriſtus dicit diuitem in anima cruciatum in inferno, & Lazarum autem in ſinu Abrahæ. Secundo patet nobilitas, imo dignitas & pretioſitas animæ huma-

1 Ex creatione. Gen. 1. Pſal. 4.

Plato de anima.

8. Eth.

1. Cor. 15.

Luc. 16.

2. Ex recreatione

humanæ ex opere recreationis. Quæ pre tioſitas ex tribus inducitur, videlicet ex eius doloroſa amiſſione; ex eius diligenti inquiſitione; & ex eius chariſſima redemptione. Ex doloroſa amiſſione; Sapiens enim non dolet de amiſſione rei paruæ. Chriſtus autem ſapientia Dei patris plus dolorem monſtrauit de amiſſione paucarũ animarum, quam ſi totum aurum Arabiæ perdidiſſet. Nam multa talenta auri ſuo tempore perdita ſunt, ciuitates combuſtæ & deſtru ctæ, pro quibus Chriſtus legitur nullatenus fleuiſſe. Sed certè de perditione paucarum animarum in Hieruſalem legimus
Luc. 19. eum fleuiſſe, vbi dicit Gloſſa. Plangit reprobos, qui etiam neſciebant, cur plangebantur, ſed exultabant in rebus peſſimis. Multum ergò dilexit Chriſtus animas. Secundò ex eius diligenti inquiſitione. Sapiens enim non multum curat, ſi perdit aliquid vile. Sed Chriſtus in temporibus remiſſionis quæſiuit animam triginta annis
Fabula. laborioſè in paupertate vili. Narrant fabulæ, quod Orpheus vxorem ſuam quæſiuit vndique, nec eam inuenit, donec pro ea deſcenderet ad infernum; ſic Chriſtus animã in tantum diligit quod pro ea moriens deſcendit in infernum. Vnde Pſal. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam.* Tertiò ex eius cara redemptione: pro cuius redemptione videns totum mundum non ſufficere, dedit ſeipſum. *Empti eſtis pretio magno.*
1. Cor. 6. Signum autem pretioſitatis animæ, eſt cuſtodia ſolius Dei. Reges non cuſtodiunt vilia, ſed pretioſiſſima in theſauris ſuis; ſic Chriſtus commiſit alia alijs, ſed ſolus cuſtodit animas Pſal. *Cuſtodit Dominus ani-*
Sap. 3. *mas ſanctorum ſuorum.* Et Sap. *Iuſtorum a-*
3. Ex mercede retributionis. *nimæ in manu Dei ſunt.* Tertiò patet nobilitas animæ ex mer-cede retributionis. Nulli enim creaturæ dat tantam mercedem ſicut animæ humanæ, cui ſeipſum reſeruat in
Gen. 15. mercedem. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Sol, luna, ſtellæ, cœlum, terra, aqua, aër, & cæteræ creaturæ ſeruiunt Deo à principio creationis mundi vſque ad finem ſæculi, nec tamen illud premium habere poſſunt, ſcilicet viſionem claram Dei. Quæ tamen interdum datur animæ pro labore vnius horæ. ſicut patet de latrone, cui ſtatim dictum eſt, *Hodiè mecum eris in paradiſo.* In hoc quod mirabilius eſt, quodammodo maior merces animæ in cœlo datur extenſiuè, quam Angelis: quia Angeli habent gloriam ſuæ beatitudinis ex intuitione Deitatis, ſicut ſpiritus; Homo verò habebit & viſionem Deitatis, ſanctæ Trinitatis ſecundum animam, & viſionem glorioſiſſimę humanitatis in Chriſto ſecundũ corpus; & ita quodammooo pluribus modis gaudebit in ſuo præmio. Ex his igitur patet, quàm pudoroſum, quàm ignominioſum eſt, contaminare animam in amore terrenorum & ſæcularium voluptatum: Anima enim apta eſt talis fieri, quale eſt illud quod amat, ſecũdum Hugonem; ideoque ſi diligit voluptatem carnis, & vanitatem ſæculi, fit vilis & abiecta, ſicut ſus lota in volutabro luti. Et certè hoc non eſt diligere animam, ſed eam perſequi & odiſſe, iuxta illud pſal. *Qui diligit iniquitatem, odit* Pſal. 10.
animam ſuam. Et tantum de primo.

II.

Ne per illicitum amorem animam perdamus, ad amoris infructuoſitatem attendamus. Eſt autem amor illicitus animæ ad Quis amor animæ illicitus.
ſeipſã, quando ſibi in nullo delectabili parcit, à nulla voluptate abſtinet, omnia quæ carnis ſunt facit. Talis fuit Salomon qui de ſe dicit; *Non negaui animæ meæ, quin omni voluptate frueretur.* Sed hoc reprobat Apoſtolus dicens, *Carnis curam ne feceritis in deſiderijs.* Et iterum: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Rom. 13.
Qui autem vult animam ſuam ſaluare, debet eam abſtrahere à voluptate carnis; nec eam quo ad hoc amare, ſed potius debet odiſſe & quaſi perdere, ne animã perdat in futuro. Non poteſt aũt melius homo euelli ab huiuſmodi illicito amore animæ ſuæ, niſi cognoſcat, quale ſit illud, aut quam vile ſit, quod amat. Debet ergò attendere infructuoſitatem illiciti amoris, quem habet ad voluptates & delectationes, cæteraſq; vanitates huius ſæculi. Vnde ſecundum Robertũ Holcoth oſtenditur qualiter hoẽs voluptuoſi multipliciter affligũtur, ſ. per falſitatem in intellectu; per voluptatẽ in affectu; & vanitatẽ in effectu. Ponit aũt ſex affectus Primò, quia ſunt defraudati in falſis æſtimationibus, Secũdò, fatigati

in va-

in vanis occupationibus; tertiò vilificati in
abominationibus; quartò effœminati in
delectationibus; quintò dãnificati in pro-
pagationibus; ſextò conuicti in ſuis adin-
Prima pœna. uentionibus. Prima ergò eorum pœna eſt,
quod decipiuntur, & à veritate elongantur
in ſuis iudicijs. Hęc eſt magna miſeria, quia
naturaliter homo appetit non falli, etiam
qui diligit alios fallere. Ipſi autem volup-
tuoſi appetunt ea, per quæ falluntur, & de-
cipiuntur finaliter, ſcilicet diuitias, & ho-
nores, & voluptates, quæ omnia ſunt qua-
ſi equus fallax ad ſalutem. Equus enim im-
prouiſè cadit ſub homine, ita vt frequenter
homo frangat collũ ad terrã colliſ⁹ vel ſub-
mergatur in aqua. Ita diuitię, delitiæ, & ho
nores quantumcunq; promittant fixè ſta-
re, ſubitò deiiciunt. Secunda pœna in præ-
2. Pœna: ſenti eſt, quod fatigentur in vanis occupa-
tionibus. Vanum eſt, quod non aſſequitur
finem, ad quem ordinatur, ad fructum ali
quem percipiendum; quia ergò homines
amantes vitam iſtam beſtialem laborant
pro voluptatibus in bellis, in pace, in terra,
in mari, in nocte, dieq́; & tamen nullũbo-
num fructũ percipiunt, ideò benè dicit Sap.
Sap 3. *Labores eorum ſine fructu.* Non eſt ergò fru-
ctus præſentis voluptatis, niſi *labor & affli-*
Eccl. 1. *ctio Spiritus.* Et ideò damnati hoc confiten
Sap. 5. tur, & dicunt in inferno; *Laſſati ſumus in*
via iniquitatis & perditionis. Sicut fructus
immaturi, ſi comedantur, generãt vermes;
eodem modo voluptates pręſentes, ſi an-
te tempus futuræ gloriæ comedantur, ge-
nerabunt vermẽ remorſionis conſciẽtię in
Ibid. 4. ventre animæ. Vnde Sapiens. *Fructus eorũ*
3. Pœna. *inutiles & acerbi ad manducandum.* Tertia
pœna talium eſt, quod vilificentur in abo-
minationibus. Magna miſeria eſt homini,
quando opera ſua ſunt ita vilia, ita mon-
ſtruoſa, ita repugnantia rationi, vt homo
non poſſit ea manifeſtè defendere nec ex-
cuſare: & certè, quicunque diligunt ani-
mas ſic ad voluptatem, faciunt talia opera,
quæ communi rationi repugnant, & abo-
minabilia Deo fiunt, & Angelis eius, nec
humanę interdum cogitationi congruunt,
ſed repugnant. Vnde à ciuitate talium &
conſortio Deus, qui omnes creaturas inha-
4. Pœna. bitat, quodãmodo videtur elongari. Quar-
ta pœna eſt, quod effœminantur in dele-
ctationibus. Homines voluptuoſi priuant
mulieres ſenſu, & à mulieribus ſenſu pri-
uantur. Canis amens & rabidus vbicunque
hominem momorderit, facit eum amen-
tem. Eodem modo mulier fatua facit virũ
rabidum. Et adoleſcens fatuus mulierem
facit inſenſatam. Et cum mulieres ſunt in-
ſenſatæ, tunc viri fiunt effœminati, imò in- *Prou. 6.*
animati. *Mulier viri pretioſam animam ca-*
pit. Quando verò eſt ſine gratia in anima,
efficitur inſenſatus. Vnde damnati confi-
tentur ſe fuiſſe inſenſatos dicentes; *Nos in-* *Sap 5.*
ſenſati vitam illorũ æſtimabamus inſaniam. *Eccl. 19.*
Vnde dicitur apud Eccl. *Mulieres faciunt a-*
poſtatare ſapientes, id eſt, à ratione & a fide
diſcedere. Quia ex quo mulieres ſeu vxo-
res talium ſunt inſenſatæ, & viri impij, ne-
ceſſariò fiunt filij eorum imitatores ipſo-
rum, iuxta illud; Sequitur Patrem ſuũ pro-
les. Quinta pœna illorum eſt, quod dam-
nificantur in propagationibus. Vnde ſub- *5 Pœna.*
ditur *& nequiſſimi filij eorum*, id eſt, per-
uerſis informationibus corrupti, & exem-
plis Patrum damnati. Et in hoc eſt magnũ
damnum parentibus, quia poſtea mala pro
les inſurgit in parentes. Sexta pœna eorum *6. Pœna.*
eſt, quod reprobantur in ſuis adinuentio-
nibus. Et hanc ſubdit, cum dicit; *Maledicta*
creatura eorum, id eſt, opera per eos adin-
uenta. Tales enim multa adinueniunt in o-
mni genere nequitiæ, tàm luxuriæ, quàm
iniuſtitiæ, quæ poſſunt dici creatura illo-
rum. Vnde & omnis creatura Dei eſt be-
nedicta, eò quod omnis eſt bona. Super o-
mnia autem attendendus eſt huiuſmodi a-
matoribus inordinatis triplex defectus in
voluptatibus, ſcilicet breuitas durationis,
quia exiguum tempus eorum. Sapi. 2. &
Sap. 9 Homo infirmus & exigui temporis.
Secundò pęnalitas grauis afflictionis, quia
non ſolum eſt exiguum, ſed etiàm cum tæ-
dio illud tempus. Sap 2. Iob. 10. Tædet a-
nimam meam vitæ meæ. Tertiò labilitas
continuæ mutationis. Eccleſ. 18. A ma-
ne vſque ad veſperam immutabitur tem-
pus. Vnde patebit ex iſtis tribus fatuitas
mundanorum hominum præſumentium
de longitudine voluptatis, non obſtante
breuitate; diligentium amaritudinem, non
attenta pœnalitate; differentiũ morũ emẽ-
dationẽ non attenta labilitate mutationis.

III.

Nè animam noſtram per illicitum amorem perdamus, non ſolum infructuoſitatem in præſenti; ſed etiam pœnalitatem grauem in futuro attendamus, Dicitur enim, *perdet eam.* Grauis pœna, quia perditionis æternæ. Tales enim voluptuoſi inordinato amore animas diligentes proprias, cunctis videntibus præcipitabantur ab æterno Iudice terribiliter apparente. Vnde Sapiens de his; *Erunt poſthac*, id eſt, poſt hanc vitam, *decedentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum. Quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes* Et ſequitur finalis concluſio; *& memoria eorum peribit.* Ecce æterna perditio, vbi nulla memoria. Vnde damnati dicunt hodiè; *Quid profuit nobis ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Et eſt facilis reſponſio. Certè nihil profuit, ſed magis obfuit, quia perditionem induxit. Circa quod ſciendum, quod de numero peruerſorum aliqui animam ſuam perdunt, aliqui vendunt, aliqui impignorant, aliqui pro nihilo dant. Vendunt cupidi qui pro diuitijs huius vitæ exponunt ſe rapinis & furtis, periurijs & falſis mercantijs, ſimonijs, de quibus apud Eccl. *Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet.* Animas ſuas perdunt otioſi, negligentes, timentes, & accedioſi ad opus bonum, non curantes, niſi quod vna dies vadat, & alia ſuccedat. *Eſt qui perdet animam ſuam præ confuſione.* Vnde Pſal. cum quæreret. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Reſpondet ibidem; *Innocens manibus, qui non accepit in vano animam ſuam.* dicit Innocentius; illud eſt contra otioſos & negligentes. Quidam animam impignorant. qui impignorat rem, non intendit alienare dominium perpetuò, ſed tantum ad tempus alienat, ſcilicet ad vſum. Sic faciunt iſtis vanis hominibus dæmones, quaſi eorum fœneratores & vſurarij, dāt ad tempus eis quaſi mutuo, quicquid volunt, dignitates, voluptates, diuitias; tandem ſeneſcunt, fiunt debiles, ſoluere non poſſunt, quia vitam conſuetam dimittere nequeunt, & ſic finaliter pignus, id eſt, animam perdunt, licet illud, quando impignorate incipiunt perdere, non proponunt. Eſt tamen ſciendū, quod duo genera animas ſuas impignorant, ſed diuerſimodè; aliqui vitioſè, pro voluptatibus huius vitæ, ſicut fuit factum Theophilo, qui vt haberet diuitias in hoc mundo, promiſit ſuo tempore dæmonibus animā. Alij impignorant virtuoſè, vt Prælati, & Curati, qui animas ſuas obligant pro animabus ſuorum ſubditorum; quorum vnicuique dicitur illud. *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius* Aliqui animas ſuas dant pro nihilo; hi ſunt inuidi iracundi. Nam cupidus recipit diuitias, lubricus voluptates, ſuperbus & ambitioſus honores, guloſus cibum; ſed iſti miſeri nihil recipiunt delectabile, ſed amaritudinem & dolorem: & ideò animā ſuam gratis dant diabolo, de quorum quolibet verificatur illud Iudicum; *Animam ſuam dedit periculis.* Nos igitur attendentes tot pericula & damna, tàm præſentia quā futura amātibus animas ſuas inordinato & illicito ſæculi amore imminere, amorem noſtrū potius ab iſtis externis bonis & infimis, ad primū bonum & ſummū conuertamus, diligentes animas noſtras propter illud ſummum conſequendum, & odientes & contemnentes deſideriorum carnalium appetitum: quæ qui verè in ſe extinguit cum beato Laurentio æternaliter gaudebit &c.

(?)

Marginal notes: *Amoris illiciti pœna poſt hanc vitam.* Iob. 40. Sap. 4. Ibid. 5. Eccl. 10. Eccl. 20. 3. Reg. 20. Iud. 9.

DE ASSVMPTIONE MARIAE. SERMO I.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delitijs affluens. Cant. 8.

VErba iſta quæ propoſui, oſtendunt magnum honorem, & magnam laudem huius virginis, quæ hodiè eſt aſſumpta ſuper omnes choros angelorum. Sed quid ego de laude & honore huius virginis loquar, cum Angeli in cœlo exiſtentes laudem ipſius nequeant enarrare? Quid ego, cum ſim peccator, loquar de ſanctitate huius virginis, quæ ſuper omnes ſanctos eſt? Quid de puritatate, cum ſim ego pollutus labijs? Et dicat Scriptura; *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Et quid de iſta loquar, cuius laudem, ſi linguas angelicas haberem, non enarrarem? cum etiam ſi omnia membra in linguas verterentur, adhuc minutiſſimam laudem huius virginis tàm ſanctæ, tã mundæ, tàm pulchræ, non poſſim explicare. Beatus Hieronymus, Doctor tàm eximius, Sacra ſcriptura illuminatus, Spiritu ſancto repletus, noluit loqui de ſanctitate huius virginis dicens; Si audeam meditari de ſanctitate huius virginis, deficiam; Si loqui non perficiam; Ipſa ſanctiſſima eſt, puriſſima, & beatiſſima. Quid ego homo peccator, tenebris ignorantiæ inuolutus loquar de ea? Ipſa eſt altior cœlis, clarior ſole, latior terra, ſtellis purior, abyſſo profundior. Quamuis aũt nõ ſim dignus, nec meditari, nec loqui de ſanctitate huius virginis; nihilominus tamen in gratia ipſius ſperans, *Propoſit.* quam ipſa non tantum bonis, ſed & peccatoribus ſemper oſtendit, dicam de ea iſtud verbum; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit?*

I.

Chriſtus petijt hoſpitium à Maria.

Mos eſt in mundo, vt cũ quis peregrinus, incognitus venit in aliam prouinciam, & ab aliquo in hoſpitium recipitur, & benè tractatur, nunquam huius bonitatis poſſit obliuiſci: ſed eandem bonitatem libenter faceret ſuo hoſpiti ſi peregrinando ad illius hoſpitium perueniret. Chriſtus volens peregrinari de ſede ſuæ maieſtatis miſit angelum Gabrielem ad Mariam, an vellet eum in hoſpitium ſuſcipere; qui ingreſſus ad eam dixit; *Aue gratia plena, Dominus tecum &c.* quaſi diceret. Tu es plena gratia, quia Dominus omnium vult in domo tua tecum manere; ſis plena gratia, quia Rex regum vult ad te venire. Audiens hoc beatiſſima Virgo, quod à tàm remotis partibus, tàm magnus Rex peregrinando in hũc mundũ apud ſe petat hoſpitium, & velit ſecum manere, expanſis manibus, & erectis oculis in cœlũ dixit; *Ecce ancilla domini.* Ecce ego ſerua minutiſſima Domini. Si dignatur iſte Rex, iſte Dominus apud me manere, ego eum libenter ſuſcipiam; *fiat mihi ſecundum verbum tuum*; & filius Dei altiſſimi conceptus eſt in vtero eius de Spiritu ſancto, verus Deus, & homo. Ex quo ergò tàm benignè eum hæc virgo in ſuum hoſpitiũ ſuſcepit, quomodo tantæ bonitatis Chriſtus potuit obliuiſci, vt ſuam matrẽ non honoraret in regno ſuo: & ideò hic dicit; *Quæ eſt iſta &c.* In his verbis dicit, ipſius ſanctitatem maximam; quia ſancta, priuſquam nata; de qua dicitur; *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 4. Tota pulchra, & in corpore, & in anima, & in corde, quia nullum peccatum habuit: & ideò dicitur; *& macula non eſt in te vlla,* Ibid. 6. Pulchra vt luna, electa vt ſol. Ideò vocat eam Rex regum dicens; *Surge propera amica* Ibid. 2. *mea.* Veni vt mecum regnes, quia ego ſum Rex, tu autem Regina; ego Dominus, tu verò Domina; & ob hoc veni, vt mecum domineris. Ob hoc Dominus in cœlo dicit; Tranſite ad me omnes, qui memoramini mei, quia ego veſtri nunquam obliuiſcar. & ita eam ille memorabatur; de quo dicit Vincẽtius, quod fuerit quidã vir, qui dum videret imaginem beatæ Virginis *Exempl.*

Mariæ,

Mariæ, ſemper dicebat, Aue Maria. vſque ad finem. Factum eſt autem, dum quadam vice in ſuo habitaculo quieſceret, venit ad eum virgo cum maximo ſplendore dicens; Pax tibi æterna. Qui vbi nimio pauore cecidit in terram, dicit ei; Surge fili mi, ſurge & reſpice; Ecce ego mater omnis miſericordiæ; ecce ego conſolatio peccatorum omnium; ecce ego Regina cœlorum, & Domina angelorum, quam tu ſæpius ſalutaſti, ergò æternam ſalutem habebis: & dico tibi, pete à me, quidvis. At ille; O ſanctiſſima Virgo, quid aliud petam, niſi cum ſis Regina, vt etiam regnem. Illa ait; Poſt triduum regnabis. Appropinquante autem poſt triduum hora mortis venit Maria cum luce nimia, & dixit; Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & inuenietis æternam conſolationem. Vnde Auguſtinus; Ecquis eſt, qui poteſt ipſius maximam miſericordiam enarrare, cum ipſa pro paruo ſeruitio multam mercedem det? Ideò dicitur gratia plena. Plena eſt gratia, quia toti mundo gratiam oſtendit, quando peperit Deum, qui mundum redemit: & ideò admirans Scriptura clamat hic dicens; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto*, id eſt, de hoc mundo, vt regnet cum ſuo dilectiſſimo filio, & nobis omnibus ſuam gratiam oſtendat. Quæ eſt iſta, cuius dies hodiernus eſt ita nobilis? Quæ eſt iſta, per quam triſtitia verſa eſt in lætitiam? Quæ fortitudinem ſemper Angelorum recipit? Quę fregit poteſtatem diabolicam? Quæ mortem mutauit in vitam? Quæ eſt eleuata ſuper omnes cœlos hodiè? Quæ eſt, de qua Angeli in cęlo lætantur? Quę ita pulchra, vt Chriſtus de dicat: *Tota pulchra es amica mea*; cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur. S. Hieronymus dicit eam ita pulchram, vt non fuerit homo pulchrior in mundo. Hoc audiens quidam Eremita ſanctus, cum quo Angelus loquebatur dicens ei; quod qui cunque ipſam intueretur, in maiorē deuotionem accenderetur: & factum eſt anno ſeptimo poſt aſcenſionē Chriſti. Venit ergò ad montem Sion, vbi Maria manſit, videſque eam, præ nimio gaudio ſtare non potuit, ſed cadens in terram dixit; Aliud regnum cœlorum non deſideraui, niſi vt eam continuè inſpicere poſſem. Ideò hic dicitur; *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto?* Ob hoc dicit Anſelmus; Feſtinate ad tam pulchram virginem, in qua inuenietis omnē delectationem, omne gaudium, & omnem conſolationem; ſalutate ipſam ſæpè ex deuoto corde dicentes; Aue Maria: quia quoties illa ſalutatio dicitur, toties gaudium eius renouatur, & dæmon repellitur.

II.

Chriſtus volens ſuam genitricem honorare, miſit duodecim exercitus cœleſtes, & vltimo ſolus aduenit ſicut audietis. Primò miſit pro ea nouem choros Angelorum, id eſt Angelos de nouem choris. Miſit Patriarchas, Prophetas, Confeſſores, Martyres, Virgines, Apoſtolos. Et hoc figuratum eſt, cum Dauid reduxit arcam in caſtra filiorū Iſrael, tunc vociferatus eſt omnis populus, & cum maximo gaudio in Ieruſalem eam deduxerunt. Per iſtam arcam, in qua erat totum ſolatium Iudæorum, intelligitur B. virgo, in qua eſt ſolatium omnium Chriſtianorum: quam hodiè Dauid, id eſt, Chriſtus deduxit ad cœleſtem Ieruſalem cum maximo gaudio, & vociferatus eſt populus id eſt, ſancti Angeli dicentes. *Quæ eſt iſta? &c.* Gregor. dicit. Qua gloria in cœlis iſta Virgo colitur, quæ Domino cœli præbuit hoſpitium ſui ſanctiſſimi corporis? Et ideò de ea dicitur in hodierno Euangelio. *Intrauit Ieſus quoddam caſtellum* Bern. O beatus venter Mariæ, qui circumdedit illum, quē cœli & terra comprehēdere non potuerūt! O venerabilis humilitas, qua tu filium de cœlo euocaſti! O conſolatiuum toti mundo verbum Mariæ quando dixit. *Ecce ancilla domini.* Quia poſtquam dixit hoc, & addidit. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ſtatim filius Dei in eam tanquā in aliquod caſtellum intrauit. Illud caſtellum ſignificat beatam Virginem Mariam propter tria. Primò, quia ad caſtellum requiritur firmus murus. Sic beata Virgo habuit firmum murum perfectæ fidei. Sicut de ipſa teſtatur Euangelium. *Beata es quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à domino.* Nam ſi Abraham in Scriptura commēdatur, eò quod credidit Deo, multò magis commendanda eſt Virgo Maria, quæ tēpore paſſionis Chriſti in fide permanſit. Secūſequitur turris quę decorat murū. Sic in B. Maria

Quomodo Chriſtus matrem ſuam honorârit.

2. Reg. 6.

Luc. 10.

Maria caſtellum dicitur & quare.

Luc. 1.

Maria fuit turris caſtitatis, quæ omnes virtutes decorabat tanquam turris murum. Tertiò requiruntur foſſæ, per quas prohibetur acceſſus ad turrim, & ad murum. Talem foſſam humilitatis habuit virgo B. Maria, ſicut ipſa teſtatur dicens; *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*; Iuxta illud, *Viderunt te filiæ Syon, & beatiſſimam prædicauerunt te, & reginæ laudauerunt te cum Angelis dicentes quæ eſt iſta? &c.* Tàm ſancta, tam pulchra, quia ſanctior Angelis, ſanctior Prophetis, ſanctior Apoſtolis, ſuper omnes ſolo filio eius excepto ipſa eſt ſanctior; & ideò ſuper omnes in cœlis eſt exaltata, ſicut hodiernum teſtatur Euangelium. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Obtinet partem in dextra ſui dilectiſſimi filij, vbi iam regnans, orat pro nobis, vt nobis Dominus Ieſus Chriſtus omnia peccata dimittat. Sed quis poſſet enarrare, qualis ſit iſta pars, quã ipſa elegit. Quis enim poſſet gloriam Marię excogitare, quam ipſa habet cum filio in cœlis? ipſa. n. eſt cęlũ, quia in ea Deus habitat. Ipſa eſt ſedes Dei, quia in ea requieſcit. Et ob hoc vocauit eã filius ſuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus; *Veni in hortum meum, ſoror mea, ſponſa mea.* Eccè dicit ſoror propter conformitatem. Sicut enim filius fuit virgo, ſic & mater virgo ſemper permanſit. Dicit enim, veni amica mea & ſponſa propter nimiam dilectionem; quia ipſa diligit, & è conuerſo. Et vocat eam in hortũ, quia ipſa etiam vocabat eum dicens; veniat dilectus meus in hortum ſuum. Nõ dicit meum, quia omninò ſe contulerat diuinę voluntati. Omnia poma noua & vetera ſeruaui tibi dilecte mi. Veniat in hortum, vt comedat fructus pomorum ſuorum. Et quẽadmodum B. virgo vocauit Chriſtum in hortum, ita Chriſtus vocauit eam in hortũ dicens; *Veni in hortum &c.* ſicut in vita eius audiſtis.

III.

Hiſtoria aſſumptionis ad longum texitur.

Poſt aſcenſionem Chriſti Apoſtolis propter prædicationem diſperſis B. virgo iuxta montem Sion in domo ſua morabatur, & quotidiè loca filij ſui, ſc. beatiſſimæ captionis, flagellationis, paſſionis, ſepulchri & aſcenſionis viſitabat. Tandem quadam vice cum maximo deſiderio fuiſſet accenſa, vt poſt filium de ſęculo hoc citius tranſmigraret, mox cæpit tædere & flere. Tunc Angelus apparuit ei dicens; Aue beata à filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui omne genu flectitur cæleſtium, terreſtriũ, & infernorum. Ecce palmam de paradiſo attuli tibi regina cælorum, quam ante feretrum portare iubebis cum die tertia aſſumeris: Nam filius cum gaudio te expectat. Cui Maria. Si inueni gratiam apud te, tria rogo; Primo, vt omnes Apoſtoli congregentur, vt eos ante mortem meam videã, & ipſi me ſepeliant. Secundo, vt dæmones non videam in exſpiratione. Tertio, vt filius meus prò anima mea veniat. Cui Angelus dixit, O mater miſericordiæ omnia quæ poſtulaſti obtinebis. His dictis Angelus cum multo lumine cœlos aſcendit. Palma autem illa nimĩa claritate ſplẽdebat & erat viridis; folia autem ſicut ſtella matutina fulgebant. Factum eſt autem dum Ioannes in Epheſo prædicaret, cælum ſubitò intonuit & nubes candida ipſum ſuſtulit & in momento oculi ante ianuam Mariæ collocauit; percutienſque oſtium introiuit, & virgo virginem ſalutauit reuerenter. Quem Maria videns obſtupuit, & præ gaudio lachrymas continere non potuit, ſed voce flebili dixit ei; fili Ioannes, memor eſto verborum Chriſti, qui me tibi in matrem, & te mihi in filium in cruce pendens commendauit dicens; *Ecce mulier filius tuus*; & ſic de alijs. Ecce enim me vocat & ego cõmitto me tibi. Audiui enim Iudæos conſilium inijſſe dicentes; expectemus viri fratres donec illa quæ Ieſum portauit moriatur, corpus eius continuo rapiamus, atque igne comburamus. Tu igitur hanc palmam facies portari ante feretrum, cum corpus meum portabis ad ſepulchrum? Ego autem tertia die aſcendam in cælum. Tunc dixit Ioannes; o vtinam hic eſſent omnes Apoſtoli fratres mei chariſſimi, vt decentes tibi poſſemus parare exequias. Hoc autem illo dicente omnes Apoſtoli de locis, in quibus prædicabant, à nubibus rapiuntur, & ante ianuam Mariæ collocantur, Et videntes ibidem eſſe ſe inſimul collectos mirabantur dicentes; quęnam cauſa eſſet propter quam nos hic Dominus omnes

nes congregauit. Ioannes ad eos exiens Dominam de hoc ſeculo migrare prædixit, & addidit dicens; videte fratres cum obierit ne quis defleat eam, ne hoc populus videns dicat; ecce iſti reſurrectionem prædicant & mortem timent. Cum autem beata virgo omnes Apoſtolos vidiſſet, Deum benedixit in medio eorum. Tertia verò hora noctis Ieſus venit cum Angelorum choris, Patriarchis, Martyribus, confeſſoribus, virginibus & veniens dixit; *Veni electa mea & ponam in te thronum meum.* At illa; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Tunc omnes, qui aderant Angeli & omnes ſancti clamauerunt dicentes; hæc eſt illa, quæ neſciuit delictum thori. Ipſa de ſeipſa dicit; *Beatam me dicent omnes generationes; Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Tunc Chriſtus dixit; *Veni ſponſa mea chariſſima, veni coronaberis.* Tūc illa; ecce venio dilectiſſime fili; quia ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam Deus. *Quia exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* His dictis expirauit, & animam in manus filij commēdauit. Dixitque Apoſtolis Dominus; corpus virginis matris meæ in vallē Ioſaphat deferte, & in ſepulchro nouo, quod ibi inuenietis, locate, & me ibidem triduo donec ad vos redeam expectare. Statimque eam circumdederunt flores roſarum ſcilicet martyres, & lilia conuallium, id eſt, Angeli, confeſſores, & virgines, cœperūtque Angeli clamare poſt eam dicentes; *Virgo prudentiſſima quo progrederis quaſi aurora valdè rutilans filia Sion tota formoſa, pulchra vt luna, electa vt ſol.* Tunc concentum Angelorum aſcendentium audientes cœtus, qui remanſerunt admirati concitè obuiam proceſſerunt, videnteſque regem ſuum fæminæ animam in vlnis proprijs baiulantem, illamque ſuper ipſum innixam obſtupefacti clamare cœperunt. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſertò delitijs affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* Quibus alij dixerunt. *Iſta eſt ſpecioſa inter filias Hieruſalem ſicut vidiſtis eam plenam charitate.* Sicque in cælum gaudens aſcendit, & à dextris filij ſui thronum gloriæ ſuſcepit. Viderunt autem Apoſtoli eius animam ita cādidam, vt nulla lingua poſſet effari. Tunc Apoſtoli corpus reuerenter acceperunt, & ſuper feretrū poſuerunt. Dixitq; Ioannes Petro; Tu Petre hāc palmam ante feretrum portabis, quia te Dominus nobis prætulit. Tunc Petrus; tibi portare conuenit, quia à Domino virgo es electus, ergo dignum eſt, vt virgo ante virginem portet. Tu inſuper in pectore Domini recubuiſti, tu ergo portare debes hanc palmam ante virginem, ego autem portabo corpus ſanctiſſimum. Tunc Paulus accedens dixit. Et ego qui ſum minimus veſtrum, nec dignus ſum vocari Apoſtolus, volo tecum portare. Eleuanteſque Petrus & Paulus feretrum cum ſanctiſſimo corpore, cœperunt cantare dicentes; exijt Iſrael ex Ægypto alleluia. Tūc & Angeli affuerunt, qui dulciter cantauerunt. Excitati autem omnes ad tam dulcem cantum de Hieruſalem exierunt, & qui eſſent, diligenter ſciſcitantur. Tunc vnus dixit; Mariam illam diſcipuli Ieſu efferunt mortuam, circa illam hanc, quam auditis, concinunt melodiam. Tunc ad arma omnes cucurrerūt, & ſe mutuo hortabantur dicentes; venite occidamus omnes Apoſtolos, & corpus, quod illum ſeductorem portauit, comburamus. Princeps autem ſacerdotū hoc audiens obſtupuit & ira repletus ait; ecce tabernaculum illius, qui nos conturbauit, qualem gloriam nunc accipit. Et hoc dicens cucurrit & manus in feretrum miſit volens euertere, vt corpus caderet. Tunc manus eius ambæ ſubito aruerunt, & ad feretrum adhæſerunt. Præ nimio itaque dolore cœpit lamentabiliter eiulare. Reliquus autem populus percuſſus eſt cæcitate. Tūc ille Princeps ſacerdotum cœpit clamare voce magna dicens; *Sancte Petre adiuua me.* Cui Petrus ait; in obſequio noſtræ Dominæ ſumus impediti, ideò curationi tuæ intendere non poſſumus, ſed in Dominum Ieſum Chriſtum crede, quem iſta portauit & ſanus eris. Cui reſpondit. Credo in Dominum Ieſum Chriſtum, credo ipſum eſſe verum filium Dei, & hanc ſanctiſſimam matrem eius eſſe virginem puram, ſtatimque à feretro eius manus ſunt ſolutæ. Sed tamen in brachijs adhuc ariditas remanſerat & dolor vehemens. Tunc dixit Petrus. Oſculare feretrum & dic; credo in Dominum Ieſum Chriſtum, quem iſta in vtero

portauit,& peperit, & poſt partum virgo permanſit: quod cum dixit, ſtatim vt prius factus eſt ſanus. Tunc dixit ei Petrus; Accipe hanc palmam de manu fratris noſtri Ioannis,& pone illam ſuper populum excæcatum, & quicumque voluerit credere in Chriſtum, recipiet viſum; qui autem non credet, non videbit in æternum. Portantes autē Apoſtoli corpus Mariæ in nouo monumento poſuerunt,& iuxta illud, vt Dominus iuſſerat, vſque in triduum conſederunt. Veniens autem Ieſus cum multitudine Angelorum ipſos ſalutauit dicens; *Pax vobis chariſſimi.* Cui reſponderunt. *Gloria tibi Domine, qui facis mirabilia magna ſolus.* Et dixit eis, Quid gratiæ & honoris videtur vobis, vt mea nunc conferam genitrici? At illi; iuſtum videtur & conuenit, vt ſicut tu deuicta morte iam regnas in ſæcula: ſic & reſuſcites corpus matris & à dextris tuis collocés in æternum. Tūc Michaël Archangelus continuo animam Mariæ præſentauit. Et Dominus Ieſus Chriſtus locutus eſt dicens; Surge dilectiſſima mater mea, ſurge proxima mea, ſurge columba mea, ſtatimque ad corpus acceſſit, & è tumulo corpus mox proceſſit glorioſum; Sicque Chriſtus cum ſua genitrice ad altitudinem cæleſtem proceſſit ipſos Angelorum multitudine comitante. Cum autem ad primum chorum veniſſent Angeli mirantes eius pulchritudinem, dixerunt ad inuicem; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Et iterum. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, tota formoſa, & pulchra vt luna, electa vt ſol?* Chriſtus reſpondens dixit; *Iſta eſt ſpecioſa inter filias Hieruſalem, ſicut vidiſtis eam plenam charitate.* Et dixit ad eam; *Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te vlla.* Et audientes Angeli dixerunt; *Specie tua & pulchritudine tua intende proſperè, procede & regna,* quaſi dicerēt. O Maria aſcēde ſuperius, quia non ſumus digni, vt maneas nobiſcum; Et ſic proceſſerunt ad ſecundum chorum: cumque perueniſſent ad ſecundum chorum dixerunt Angeli; *Iam hyems tranſijt, imber abijt & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.* Et Dominus ad Angelos dicens; *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Hieruſalem*: Et dixit ad Mariam; *Mel & lac ſub lingua tua, odor veſtimentorū tuorū ſicut odor thuris* Et dixit Maria; *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Vocat ſe florem campi, quia vt quicquid creſcit in campo, non cuſtoditur; ſic Maria eſt omnibus peccatoribus communis & omnibus eſt parata, nulli occulta. Et dixit; Quicunque eam inuocat, ſicut adhuc in fine audietis. Tunc Angeli ad Mariam; ô Maria non ſumus digni, vt nobiſcum maneas; aſcende ſuperius. Ideò ad tertium chorum proceſſit; in quo Angeli dixerunt ad Mariam; Super ſalutem & omnem pulchritudinem dilecta es à Domino, & regina cælorum digna es vocari. Gaudent chori Angelorum conſortes & conciues tui. Tunc Ieſus ad Mariam; *Lætentur cæli & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.* Et iterum dixit Dominus ad Angelos; *Inueni quam diligit anima mea; nec dimittam eam, introducam eā in tabernaculum patris mei.* Tunc Angeli ad Mariam; *Specie tua & pulchritudine tua* vt ſupra. In quarto choro Angeli dixerunt ad Mariam; *Tu dominaris poteſtati maris.* Et Dominus ad Angelos; *A ſolis ortu vſque ad occaſum eſt laudabile nomen eius.* Hic Maria reſpondit; *Dabo in Sion ſalutem, & in Hieruſalem gloriam meam.* Angeli ad Mariam; *Specie tua & pulchritudine tua &c.* In quinto choro Angeli dixerunt. Surgite vigilemus, venite adoremus, quia ipſa Domina eſt ſancta corona ſanctorum omnium. Dominus ad Angelos. Hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugauit. Et dixit ad Mariam; *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra* Et Maria; *Trāſite ad me omnes qui concupiſcitis me.* Tunc Angeli ad Mariam; *Specie tua & pulchritudine tua &c.* In ſexto choro Angeli ad Mariam dixerunt; *Multæ filiæ regum congregauerunt diuitias, tu ſola ſupergreſſa es vniuerſas.* Et Dominus ad Mariam; Hæc eſt, quæ neſciuit thorum in delicto. Et dixit ad eā; Veni dilecta mea, intra cubiculum ſponſi tui, & pro quibuſcunque orabis, ſalui fient. Tunc Maria; Mecum ſunt diuitiæ gloriæ & opes. Angeli ad Mariam; *Specie tua & pulchritudine tua &c.* In ſeptimo choro Angeli ad Mariam dixerunt; *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Dominus ad Angelos. *Vide-*

mus

runt eam filiæ Sion & beatiſſimam prædicauerunt eam & reginæ laudauerunt eã Tunc Dominus ad eam; tu lux oriẽs in Nazareth, Tu gloria in Hieruſalẽ. Tu lętitia in Iſrael, Tu decus mundi. Tunc Angeli ad Mariam; *Specie tua &c.* In octauo choro Angeli ad Mariam dixerunt; *Audi filia & vide, quia concupiuit Rex ſpeciem tuam.* Dominus ad Angelos. *Quæſiui mihi eam aſſumere ſponſam & effectus ſum amator formæ illius.* Et dixit ad eam; *Veni columba mea, veni ſponſa mea dilectiſſima, veni amica mea.* Maria reſpondit, *Et in Hieruſalem poteſtas mea.* Et iterum; Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem. Tunc totus chorus cæleſtis venit ad eam cantando, gaudendo, & dicendo; o Maria tu es virgo virginum, & quomodo eſt quod nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequẽtem. Maria reſpondit; Quid admiramini? diuinum myſterium eſt quod cernitis. Tũc omnis multitudo cæleſtis clamauit ad eam dicens; o Maria, tu es templum diuinitatis. Tu es balſamus ſuauitatis, ſpeculum puritatis, cryſtallus charitatis, lilium caſtitatis, roſa candoris, folium humilitatis, radix omnium virtutum, gloria & honor omnium mulierum, margarita virginum, ſtella ſacerdotum, roſa Martyrum, Domina Apoſtolorum, regina Angelorum. Tunc Maria reſpondit; *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Tunc Dominus coronauit eam corona perpetua, vbi iam ſedens ad dexteram filij ſui ſemper orat pro nobis; & quicunque inuocat eam, ſemper inuenit cõſolationem. De hac multa ſunt exempla quæ cauſa breuitatis omittam: Nihilominus tamen ad noſtram meliorationem vnum exemplum dicam. Quidam clericus virgini Mariæ deuotus, dum ſcholas frequentabat, conſueuerat ſtatim mane facto imaginem beatæ Mariæ viſitare, priuſquã ſcholas ingrederetur, & ibi ſemper vnum Aue Maria oraret. Hic cum nimio labore ægrotaret, ex pauore nimio cœpit cõturbari. Cui virgo apparẽs dixit; Cur fili tantum times, qui toties me ſalutaſti: eſto nunc ſanus in anima, & veni mecum vt æternaliter gaudeas; & ſtatim expirauit, & Angeli eius animam viſibiliter ſuſceperunt beatæ virgini commendatam. Ecce videmus, quomodo adiutrix ſit omnibus inuocãtibus eam. Inuocemus ergo eam & libenter ſalutemus, vt nobis parare dignetur gaudium inter Angelos in cælos ad quod gaudium Deus trinus & vnus pater ſuæ genitricis dignetur nos perducere, vt cum eo regnemus in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE EADEM SOLEMNITATE.

SERMO II.

Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum. Lucæ. 10.

AVSA prima, Deus ſcilicet eſt ſuperior omni narratione, à qua omnes linguæ deficiũt propter eius excellentiam ſingularem, quæ nec ſenſu nec intellectu nec imaginatione valet attingi. Cũ autem beatiſſima Virgo, mater Chriſti benedicta tãta proximitate Deo cõiungatur, tãta dignitate extollatur, tãta familiaritate vniatur, vtpotè eius mater, vt nec linguæ, nec rerum ſimilitudines, nec ſcripturæ, nec picturæ eius dignitatem ſufficienter enarrare valeant: eo quod non ſolũ propter diuinitatis participationẽ, ſed etiam propter quandam mirabilem & nobilẽ elationẽ ſupergreditur creaturas vniuerſas: in hoc videlicet, ꝙ ipſa cũ Deo Patre vnũ meruerit habere filiu; ideoq; ſãcti, quãuis multa de ea prædicauerint, ſcripſerint, docuerint, tamen inſufficientes ſe dixerũt. Vnde Hierõ. Quicquid humanis poteſt dici verbis, minus eſt laude cæli: Quia diuinis & Angelicis eſt excellẽtiũ prædicata & lauda- *Hieron. In hodierno ſerm.*

laudata pręcônijs, à Prophetis quidem pręnunciata, à Patriarchis figuris & ænigmatibus præſignata, & ab Euangeliſtis exhibita & monſtrata, ab Angelo venerabiliter & officioſiſſimè ſalutata. Hæc ille. Sicut igitur ineffabilis fuit ſuſceptio Chriſti in vtero virginis, ſic ineffabilis & inenarrabilis eſt ſuſceptio matris Chriſti in ciuitatem ſupernæ felicitatis. Veruntamen licet ad plenum enarrari non poſſit tantæ dignitatis excellentia, tantæ fælicitatis copia, & tantæ beatitudinis, ad quam hodie ſuſcepta eſt, abundantia, non ideò tamen debet ab ipſius ſilere laudibus humana lingua;

Bern.

Cum dicat Bernardus in ſermone hodierno; Tempus eſt loquendi nō ſolum homini ſed omni carni, cum aſſumitur verbi mater incarnati in cælum, nec ceſſare debet à laudibus eius humana mortalitas, cum hominis natura ſupra immortales ſpiritus exaltatur in virgine. Hæc ille. Ne igitur ſiluiſſe pœniteat, paucis inſinuanda ſingularis illa dignitatis & excellentię eius prærogatiua, quam ex eo habere dignoſcitur, quod Chriſtum Dei filium in ſuo vtero hoſpitare meruit, dum in eam velut in quoddam gratum hoſpitiū intrare voluit. Circa quod cōſiderare debemus triplicem Dei habitationem velut quoddam triplex

Propoſit.

caſtellum Chriſti filij Dei ſuſceptiuum. Eſt enim caſtellum corporale & allegoricum, in quod Dei filius ſemel intrare dignatus eſt; Eſt caſtellum morale & myſticum in quod filiꝰ Dei ſæpè intrare dignatus eſt; Eſt tertio caſtellum anagogicum ſeu cæleſte & ſempiternum, ad quod Dei filius virginem glorioſam aſſumere hodie dignatus eſt.

I.

Vterus Mariæ caſtellum.

Dei filius deſcendens de cælo in vterum virginis Mariæ congruè dicitur deſcendere in caſtellum corpore & allegoricum. In corporale quidem, quia corporaliter in ea habitare dignatus eſt nouem mēſibus. Sed quia vterus virginis non fuit caſtellum fabricatum ex lignis & lapidibus materialibus; ideò hæc intelligenda ſunt ſecundum quandam ſimilitudinem, & per conſequēs ſecundum quandam allegoriam. Nam licet illud, quod dicit euāgelium, ſit factum ſecundum hiſtoriam corporaliter, hoc tamen non intenditur à Chriſto principaliter, ſed quia ipſe ingreſſus eius in vterum virginis ſignificabat ingreſſum ſpiritualē in mentem hominis; ideò allegoricè ingreſſus in illud caſtellum ſignificabat aliud, ſcilicet confirmationem in bono. Ex quibus patet quod virgo glorioſa eſt aptū hoſpitium filij Dei; ideò ad commendationem huius virginis glorioſæ videndum eſt, quod hæc virgo comparetur diuerſis creaturis propter diuerſas gratias & vera dona ſibi à Deo ad ſuam & noſtram vtilitatem collata. Comparatur quidem creaturis ſuperioribus, id eſt, cæleſtibus; medijs, id eſt, ſub cęleſtibus, inferioribus, id eſt, terreſtribus.

Prou. vlt.

Superioribus propter excellentiam dignitatis, quia ſola eſt ſupergreſſa vniuerſas, medijs propter gratiam reconciliationis, quia ipſa eſt mediatrix Dei & hominum. Inferioribus propter profunditatem humilitatis, quia ipſa ſe ancillam humilem aſſerit.

Maria comparatur creaturis cæleſtibus. Soli.

Primo itaque comparatur creaturis ſuperioribus, vt ſoli, lunæ & ſtellis ſoli; quia ſicut ſol illuminat obſcuritates, ſic ipſa aufert omnes hæreſes mundi, & illuminat corda noſtra, ſicut canit eccleſia; Gaude Maria virgo, cūctas hęreſes ſola interemiſti. Itē, quia ſicut ſol fertur ſuper lunā, ſic ipſa ſuper tēporalia. Vnde dic.

Apoc. 12.

Apparuit ſignū magnū in cælo, mulier amicta ſole, id eſt, Maria habēs proprietates ſolis; *& luna ſub pedibus eius.* Item ſicut ſol nunquā deficit, ſic ſola virgo ſtetit in fide in paſſione.

Cantic. 7.

Vnde in Cant. *Statura tua,* ſcil. quæ in iuſtitia & fide immobiliter ſteuſti, *aſſimilata eſt palmæ,* quæ virorem foliorum nunquam amittit, ſic nec tu fidei virtutem. Itē dicitur ſol, quia ſicut ſol illuminat mundū, ita virgo Maria illuminat eccleſiam.

Comparatur lunæ. 1. Ratione nominis.

Secundo comparatur lunæ propter tria virgini appropriata. Primo ratione nominis, quod habet ex impoſitione. Secundo ratione pulchritudinis, quam habet ex ſolis irradiatione. Tertio ratione virtutis, quam habet in recepti luminis diffuſione. De nominis impoſitione patet. Nam triplici nomine appellatur. Dicitur luminare minus & hoc reſpectu maioris ſcilicet Chriſti, qui eſt ſol iuſtitię; & hoc nomine ſignificatur meritum perfectæ humilitatis. Sicut enim luna minor eſt corpore omnibus ſtellis cæl.,

excepta illa ſola; quæ eſt coniuncta ſoli, ſcilicet mercurio; ita beata Virgo omnibus ſanctis eſt humilior, excepta humana natura vnita ſoli, id eſt, diuinitati in Chriſto. Ideò quãto plꝰ habuit de humilitate in terra poſt Chriſtum, tanto plus de fęlicitate in cælis poſt eum. Luna ſecundo dicitur regina cæli, quo nomine inſinuatur pręcomium regię dignitatis. Sicut enim luna poſt ſolem tenet principatũ in cęlo æthereo, ita
Heſt. 5. & beata virgo poſſidet poſt Chriſtũ in cælo empyreo. Vnde ipſa figuratur in Heſter, cui Rex conceſſit dimidium regni. Regnũ Dei conſiſtit in duobus, in iuſtitia & miſe-
Deut. 32. ricordia: Iuſtitiã ſibi reſeruauit, ideò dicit; Mihi vindictam & ego retribuam. Sed miſericordiam conceſſit diſpenſandam ſuæ matri. Vnde dicit Bern. ꝙ omnibus miſericordiæ ſinũ aperiat. Tertio dũ luna noctis tenebras illuminat, deſeruit exiſtẽtibus in caſtris, vt videant & poſſint ſe cuſtodire ab impugnationibus aduerſariorũ & defẽdere. Hoc nomine inſinuatur officiũ ſedulæ pietatis, quo B. Virgo deſerui, exiſtentibus in certamine vitiorum contra diabolum; ideò in Cãticis dicitur: *Pulchra vt luna, ter-*
2. Ratione pulchritudinis. *ribilis vt caſtrorũ acies ordinata.* Secundo dicitur luna ratione pulchritudinis, quia ſicut luna recipit triplicẽ pulchritudinẽ à ſole, ſecundũ quam pulchra eſt in principio, quando eſt noua; pulchrior in medio, quãdo eſt plena; pulcherrima in termino, quãdo eſt ſoli coniuncta, licet nobis tunc non appareat; tunc .n. magis profunditur luce, quã ante, vt probant Aſtronomi: Sic beata virgo triplicẽ gradũ habuit pulchritudinis à ſole iuſtitiæ. Fuit .n. pulchra in ingreſſu velut noua luna per donũ gratiæ ſanctitatis, quę ipſam mundauit à peccato origina-
Cant. 6. li. Vnde de ea dicitur. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur pulchra vt luna.* Pulchrior fuit in ingreſſu velut luna plena in diebus ſuis; Et hoc per donũ gratiæ fœcundantis. Tunc .n. fuit mundata à fomite carnali. Sicut enim luna pulchrior eſt in plenilunio quã in nouilunio, quãdo ex nulla parte eſt vacua: Sic & beata virgo in conceptione filij ſui pulchrior fuit, quando ex nulla parte erat vacua, ſed plena diuinitate. Nã dictũ eſt ei *Aue gratia plena.* Sed pulcherrima fuit in egreſſu velut ſoli coniuncta per donum gratiæ eleuantis. Sicut enim luna in coniunctione ſui cũ ſole eſt clariſſima, vtpote radijs ſolaribus illuſtrata, licet nobis non appareat: quia tũc lucem habitat inacceſſibilẽ; ita & beata virgo Maria, quando in aſſumptione eleuata, eſt ſoli iuſtitiæ aſſociata. Tertio di- *3. Ratione virtutis.*
citur luna ratione virtutis, quã habet in recepti luminis diffuſione: luna namq; lumine ſuo tria facit ſecundũ Philoſophos in inferioribus, replet cõchylia humidum augmentando; attrahit maris fœtidum de profundo humorem extrahendo; temperat de nocte aëra ardorem ſolis reprimendo. Hæc autem tria tunc valdè neceſſaria habitantibus in regione vmbræ mortis quibus Maria ad ſolacium eſt conceſſa.

Secundo Maria comparatur medijs creaturis & ſubcæleſtibus, & hoc ſpecialiter tribus ſcilicet auroræ, nubi, pluuiæ ſeu rori. *Maria comparatur creaturis medijs.*
Primo auroræ: eſt autem aurora lumen ſolis diffuſum in aëre oriente ſole, quod nec eſt in cælo nec in terra, ſed in aëre medio; *Aurora.*
cuius tres ſunt proprietates. Primo enim, quando rubet & rutilat aurora, tunc funduntur pluuiæ ad terras; ſic Maria ſi fuerit per nos ad rubedinem excitata, fundit imbrem gratiarum. Vnde Oroſius ſuper Cantic. Candor es virgo Maria præclaræ maieſtatis Dei imbrem, id eſt, gratiã fundendo in ſanctitatẽ & perfectionis plenitudinem his, qui ad te confugiunt. Secundo aurora fugat vel alleuiat morbos febriũ in languidis, vt dicit Galenus; ſic virgo beata mitigat vniuerſas tribulationes noſtrarũ miſeriarũ Tertio in aurora oriente ros deſcendit & nubes aſcendit: ſic ad virginem glorioſam ſi nubes mentis noſtræ aſcendat per deuotionem, ſtatim ros conſolationis deſcendet per irrigationem. Secundo compa- *Nubes*
ratur nubi, & hoc propter tria. Eſt enim nubes leuis quantum ad motum; ſublimis ad ſitum; vtilis ad effectum. Leuis fuit virgo quantum ad culpę incorruptionem: Peccatum enim eſt graue pondus *Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Sublimis ad ſitum, *Pſal. 37.*
quia per vitę conuerſationem eleuata eſt & prælata vniuerſis. Tertio virgo eſt vtilis ad effectum per gratiæ impetrationem. *Creauit Dominus ſuper omnem locum montis* *Iſa. 4.*
Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, id eſt, virginẽ, *in refrigerium tẽtationis.* Tertio

comparatur pluuiæ propter tria ; quia ſe
cundũ commentatorem in lib. de impreſ-
ſionibus aëris, inſtante pluuia quędã fumi
gatio mox elicitur extra montes: ſic aduc-
niẽte gratia beatæ Virginis eleuatur in no-
Pſal. 67. bis fumus deuotionis. De hac pluuia in Pſ.
*Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hære-
ditati tua.* Secundo quia pluuia quanto al-
tius eleuatur, tanto dulcius deſcẽdit, vt di-
cit Magiſter 11. lib. de proprietatibus rerũ.
Sic quia Maria altiſſimè eſt eleuata, ideò
quando deſcendit ad noſtrã conſolationẽ,
dulciſſimè mentẽ noſtrã conſolatur. Vnde
Eccl. 24. Eccl. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Tertio
quia pluuia herbas recreat, & flores reparat,
quos ardor ſolis inclinàuerat & arefecerat:
ſicut patet de rore nocturno, q herbas are-
factas de die, recreat de nocte; ſic & Maria
ęſtus tẽtationũ, quib⁹ adurimur, gratia ſuę
virtutis in nobis recreat & refocillat. Vnde
ipſa facit fornacem, id eſt, tentationẽ dia-
boli ardentiſſimam quaſi ventũ roris flan-
Maria comparatur creaturis inferioribus. tẽ. Tertio Maria comparatur creaturis in-
ferioribus & terreſtribus, ſcilicet arbori-
bus, floribus. & habitationibus inter arbo-
res. Comparatur primo cedro propter vir-
tutem quã habet contra ſerpẽtes ipſos fu-
gando: & ſignificat virtutẽ fidei in Maria,
Cedro. quæ fugauit oẽs errores & hæreſes in fide.
Vnde de ſe dicit. *Quaſi cedrus exaltata ſum.*
Secundo cypreſſo per altiſſimã paupertatẽ:
Eccl. 24. vnde ibidem. *Quaſi cypreſſus in monte Sion.*
Cypreſſo. Tertio palmæ propter longanimitatẽ ſpei,
quia palma non niſi centenaria reddit
Palma. fructũ: Vnde ibidẽ dicitur *Quaſi palma ex-
Oliua. altata ſum.* Quarto oliuæ propter miſeri
Platano. cordiã & pietatẽ. Quinto platano, propter
ſpecialis gratiæ abundantẽ honorẽ. Ibidẽ.
Viti. *Quaſi platanus iuxta aquam.* Sexto viti pro-
pter cęleſtis botri, id eſt, Chriſti generatio
nem. Ibidem. *Quaſi vitis fructificaui* Com-
Balſamo. paratur etiam aromaticis ſpeciebus: Balſa-
mo autem ſpecialiter propter humilitatẽ,
quæ eſt arbor humilis & parua, duorũ tan-
tũ cubitorum, & eſt viti ſimilis in ſtipite; in
folijs aũt ſimilis rutę, vt dic. Iſi. l. Ethymol.

II.

Anima hominis caſtellum. Aliud caſtellũ, quod Chriſtus ſæpius in-
trare ſolet, eſt mens humana & conſciẽtia
hominis, quæ licet ſit ciuitas delectabilis,
cum eſt virtutibus ornata; & in tãtum ſpe-
cioſa, vt Deum, quem cœli cœlorum cape-
re non poterant, in ſe recipere mereatur, &
quodammodo comprehendat; tamẽ quia
vnicum & ſingularẽ hoſpitẽ ſcil. Deũ infi-
nitũ hoſpitatur, ideò in eius comparatione
dicitur diminutiuè caſtellũ, eo ꝙ aduerſa-
rio. ſ. diabolo locum habitationis nõ relin-
quat, iuxta illud; Coãguſtatũ eſt ſtratũ: Bre-
ue. n. palliũ debet eſſe dilectionis & chari-
tatis, ꝙ vtrũq; ſcil. Deũ & diabolũ operire
nõ poſſit. Debet aũt iſtud caſtellum primo
fundari & ædificari; ſecũdo mũdari; tertio
cuſtodiri. Qui aliquid ædificat, primo fun-
damentũ debet mittere in profundũ; per ꝙ
ſignificatur humilitas, quæ eſt quaſi lapis
primus; deinde charitas quaſi ſecundus: de
qua Apoſtolus; *In charitate radicati & fun-* *Epheſ. 3.*
dati Sequũtur deinde virtutes aliæ. ſ. fides,
quæ ponitur ad fundamentũ conſcientiæ,
quia eſt ſubſtantia ſperandarũ rerum: Inde
ſequitur ſpes, quę iã altius ſupra terrã erigit
ad cœleſtia: deinde locãtur virtutũ lapides
cardinaliũ, ſcilicet temperantia, prudẽtia,
fortitudo & iuſtitia: deinde aliæ virtutes
morales: deinde opera pietatis. Talis autẽ
ædificatio debet eſſe in monte eminentis
cõuerſationis; queadmodum Ezech. ſupra *Ezech.*
montẽ excelſum nimis vidit ciuitatem, ita *40.*
ſcil. vt ad talẽ conſcientiã nõ accedat pul-
uis cupiditatis, fętor carnalis voluptatis,
aut ventus vanitatis. Vnde de tali caſtello
dicitur; *Fundamenta eius in mõtibus ſanctis.* *Pſal. 86.*
Sed è cõuerſo multi fundãt caſtra ſua in lo-
cis aquoſis & baſſis, quod eſt multum peri-
culoſum: Nã caſtrũ ſitũ in monte carente
aquis non de facili expugnatur ab hoſtibus
propter aquarũ penuriã, ſine quibus exer-
citus non poteſt ſubſiſtere diu in loco: Sed
vbi ſunt aquæ, plurimũ ab vna vel duabus
partibus eſt in periculo, & multo fortius, ſi
eſt vbiq; aqua circũdatũ. Sic eſt & de homi-
nibus delicatis & voluptuoſis, quorũ con-
ſcientia eſt in periculo, quia ſemper habet
in ſe & iuxta ſe aquas delitiarũ, quibus dia-
bolus cõtra eos armatur: & ideò iſtas aquas
facit Dominus per Prophetas effundi di-
cens; *Effunde ſicut aquã cor tuũ.* Multũ ergò
voluptates & carnales concupiſcentiæ im-
pediunt iſtius caſtri fũdationẽ. Poſtquã au-
tem fuerit iſtud caſtellũ fundatum & ędifi-
catũ, debet ſtatim neceſſario mundari a fę-

toribus,

toribus, ne corrumpant inhabitantes. Scopa, qua mundatur hoc caſtellū conſcientię ſecūdū Bern. in homelia præſentis. Euāgelij eſt confeſſio. Quæ quidē mūdatio debet eſſe diligens, non in medio tantū caſtelli, non in vno angulo, ſed circumquaq;, iuxta illud quod dicit Spōſa. *Surgā* ſcil. per contritionē *& circuibo ciuitate, per vicos & plateas.* Gloſſa ordinaria, id eſt, totā conſcientiā, ne aliquis angul⁹ pateat diabolo. Debet etiā homo circuire exēpla ſanctorū: Vnde. Patientiā Iob audiſtis, & finē Domini vidiſtis. Pręmia iuſtorū de quib⁹ dicitur. Vincēti dabo mānā. Supplicia malorū, de quibus Iob. Tranſibunt ab aquis niuiū ad calorem nimiū. Poſtquam aūt ſic fundatū & ædificatū, ſic mundatū & purgatū fuerit caſtellū conſcientiæ, neceſſaria eſt ipſius diligens cuſtodia, iuxta illud Prou. Omni cuſtodia cuſtodi cor tuū, quoniā ab ipſo procedit vita tua; & bene dicit, omni cuſtodia, id eſt, ab omnibus partibus: Homo enim eſt poſitus in medio inimicorū. Sic & ſi opus eſt nobis occuparim exteriorib⁹, ſtatim tamē redeamus ad interiora conſcientiæ, enecemus mulieres, id eſt, molles affectus & deſideria carnalia, & tantū viri reſeruentur, id eſt, viriles cogitationes: mittantur nuncij ad Dominū caſtri, vt defendat eos & ſuccurrat illis, ꝙ fit per orationē ad Dominū. Pſal. *Ad Dominū cū tribularer clamaui.* Quod ſi alia deſunt auxilia & remedia defenſionū contra hoſtes, dantur pecuniæ, datur munera, veſtimenta & quæuis precioſa, vt inimicus abſcedat. Sic ſi non ſufficiat auxilium ieiuniorum & orationum, detur eleemoſynę, & fiant opera pietatis in hoc caſtello, quibus vincantur hoſtes conſcientiæ.

Cant 3.

III.

Cœlum caſtellum. Tertiū caſtellū anagogicū & cęleſte ſeu ſempiternum, ad quod Dei filius Virginē glorioſam matrē ſuā benedictā aſſumere dignatus eſt; eſt cęlū, de quo dic. per Proph. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Et certè glorioſa; quia ciuitas illa eſt aurum mundū. Dicitur tamen caſtellū diminutiuè, nō quod in ea ſit aliqua diminutio gaudij, ſed ſic dicitur ex amoris affectu, quo conſueuimus res dilectas diminutiuè vocare: ſic vocat mater filiū adultū filiolū. Eſt ergo ciuitas hæc in ſe maxima & ſpecioſa iuxta illud, *O Iſrael quam magna eſt domus tua & ingens locus poſſeſſionis tua.* Eſt, inquā, ciuitas illa nobiliter ſituata, quia in aëris amęnitate: vbi per diē ſol nō vret eā, neq; luna per noctem. Eſt nobilior, quia nobiliter fabricata, quia ſtructura muri eius ex lapide iaſpide; & plateæ eius ſternentur auro mūdo. Eſt tertio nobilior & ſpecioſior, quia nobiliſſimè inhabitata; ciues .n. illius oēs ſunt Reges & principes. Ibi enim reges cōgregati ſunt, conuenerunt in vnū. *Principes populorū cōgregati ſunt cū Deo Abraham* Inter quos] Virgo glorioſa ſedet excellētius, ſcil. vt imperatrix & Regina: Vnde de ſe dicit; ſedeo vt regina & vidua non ſum, & luctū non video. Excellit igitur Virgo glorioſa oēs cōmuniter & vniuerſaliter. & ſingulos ſingulariter tā Angelos, quā ſanctos. Primo Angelos, quia ipſis omnibus eſt in loco & dignitate ſublimiori prælata: Vnde Hieron. in ſermone hodierno. In regni ſolio ſubl mat i poſt Chriſtū prima reſedit. Et poſt pauca Tantā & talē virginē conuenit vltra Angelicā quodammodo dignitatem, quantu tas eſt, laudibus digniſſimè efferri, ꝗ eſt p Chriſti grat ā ſuper choros Angel. exaltat i, Secundo excellit omnes Angelos & ſanctos, quia licet in quolibet ſācto De⁹ per gloriā in cęlo habitet, in virgine tamen glorioſa excellentius, quā ſibi quodāmodo thronū ſingularē elegit, ſicut ipſe ad eā dixit; *Veni dilecta mea & ponam in te thronū meū.* Tertio excellit oēs ſāctos in hoc, quia ad eius exequias multo plures Angeli occurrerunt, quā alicuius ſancti, & vniuerſa curia cęlorū lætabatur, vt dicit Hieron. in ſerm. hodier. Nulli dubiū eſt omnē illam cæleſtem Hieruſalē tunc exultaſſe ineffabili gaudio. Quarto in hoc excellit oēs ſanctos, quia creditur, quod Saluator ipſe perſonaliter per ſe totus feſtiuus occurrerit, & cū gaudio matrē ſecū in throno collocauerit, vt dicit Hieron. Illa aūt proceſſio fuit multū mirabilis; quia in ea primo fuerunt omnes Apoſtoli, qui omnes ſepulturæ interfuerunt. Secundo quia omnes Angeli occurrerunt. Tertio chorus martyrum, virginum, confeſſorū, qui iam fuerunt in cęlo. Quarto quia anima Marię innixa fuit ſupra filium ſuum, ipſam baiulantem, vt dicunt Angeli admirantes in Canti. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delitijs affluens, & innixa ſuper dilectum ſuum.*

Pſal. 86.

Apoc. 21.

Ibid. 22.

Maria omnes excellit.

Quāuis autem ſit hodie ad tantā dignitatem & ſublimitatem eleuata, nihilominus non eſt eleuata in ſuperbiam, vt noſtri obliuiſcatur. Licet enim honores mutent mores in peius, mater tamen Chriſti ex honore ſibi hodie collato non eſt mutata in peius, ſed melius, quia in matrem miſericordiæ & totius conſolationis. Quæramus ergò gratiam per Mariam, vt per gratiam eius tandem venire poſſimus ad gloriam eius; quam nobis præſtare dignetur &c.

DE SANCTO BARTHOLOMAEO.

SERMO.

Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Lucæ. 22.

Iob. 7. BEnè inquit S. Iob. Militia eſt vita hominis ſuper terrā, eo quod homo ſemper eſt in continuo conflictu cum aduerſarijs, iuxta illud quod canit Eccleſia; In curſu tot phantaſmatum turbatur cordis Sabbatum, vix hora vel dimidia fit in cælo, id eſt, in anima iuſti vel in Eccleſia militante, ſilentium, id eſt, quies vel pax ab impugnatione hoſtium. Caro enim militat cum exercitu ſuarum tentationum contra hominem: Tentat enim domum cordis modo comburere igne luxuriæ, modo fundere aquam ingluuiei. Mundus etiam certat cum exercitu tribulationum: modo terret ſupplicijs, modo ligat negotijs, modo trahit conſortijs. Vnde Iob dicit. Pœnæ militant contra me. Similiter diabolus boſtis humani generis infeſtiſſimus, & bellator aſtutiſſimus militat cum exercitu vitiorum: modo promittit ſublimia, vt noceat per ſuperbiam; modo ſuggerit delectabilia, vt deijciat per luxuriam. 1. Pet. 2. *Carnalia deſideria militant aduerſus animam*. Sed quia talis militia nihil valet, ſi non fuerit ad finem conſummata, iuxta illud *Greg. 1. moral.* Gregorij. Incaſſum bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur: quia fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metam venerit, deficit. ideò de ſe Apoſtolus dicit; 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui; de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c.* *2. Tim. 4.* Non dicit cœpi, ſed conſummaui: ex quo patet quod in pugna perſeuerantia eſt neceſſaria, iuxta illud. Eccl. 4. *Vſque ad mortem certa pro iuſtitia.* *Eccl. 4.* Hinc Apocal. 2. dicitur; *Eſto fidelis vſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* *Apoc. 2.* Hinc ait Apoſtolus; *Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*. Vnde Bern. epiſt. 20. dicit. *Bern. epiſt. 20.* Abſque perſeuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur: hæc eſt nutrix eſt ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum modus, vnanimitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle perſeuerantiam nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Hęc ſola eſt cui æternitas redditur, dicente Domino; *Qui perſeuerauerit vſque ad finem hic ſaluus erit.* Hæc Bernardus. Quia igitur beatus Bartholomæus, cuius feſta hodie celebramus, conſtans & perſeuerans Chriſto, tanquam bonus miles Chriſti & agoniſta præclariſſimus fuit ideò à Domino cum cæteris commendari meruit; *Vos eſtis, qui*

per-

permanſiſtis mecum. In quibus verbis tria tanguntur; Primò namque commendantur Apoſtoli à perſeueranti tolerantia, cum dicitur; *Vos eſtis qui permanſiſtis*. Secundò à tentationum experientia, cum additur; *in tentationibus meis*. Tertiò deſcribitur eorũ mercedis & pręmij æterna lętitia, cum ſubiungitur; *Et ego diſpono vobis regnum*.

I.

Vos eſtis qui permanſiſtis. Ad bonam vitam cuiuslibet, ſecundum Bernardum duo requiruntur, ſcilicet mala pati, & bona facere, & ſic perſeuerare vſque ad mortem; & ideò non ſufficit homini bona agere, vel mala pati, niſi perſeuerauerit in his. Vnde Auguſtinus tractans illud Apoſtoli. Non poteſt coronari, niſi qui in campo certaminis legitimè certauerit, dicit; Non poteſt coronari, niſi qui in campo certat finaliter, & ſi certat vſque in finem certet legitimè, vnde tales meritò coronantur. Non eſt igitur magnũ ſecundũ ipſum, incipere quod bonum eſt, ſed conſummare, hoc ſolum perfectum eſt. Multi magna aggrediuntur, ſed deficiunt in via. Multi exierunt ad deſertum, ſed pauci peruenerunt ad terram promiſſionis. Quapropter idem hortatur; dicens; Non tædeat nos incipere magna, nec faſtidiat nos firmiter tenere inchoata, ſcientes, quod perſeuerantia dat meritum: Nam hęc ad bonũ propoſitum incitat, currentem coronat, pugnantem ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum. Et paucis interpoſitis oſtendens, qualiter diabolus homini aduerſetur, vt eum deſtruat, dicit; Attendite fratres, quia aliquando diabolus ſeruos Dei irritat & conducit ad bonum, vt de bono grauius deijciat in malũ. Contra hunc inſultum diabolicum ſola valet perſeuerantia, vt bono fine bona cõcludantur initia; nec primum medio, nec medium vltimo contradicat. Bonum enim inchoare, & malo fine concludere, quid aliud eſt, quam monſtroſas res conficere? Illa enim actio eſt quaſi Chimera, quæ initium habet à ratione, sed finem à ſenſualitate. Cum enim ſic agit, humano capiti ceruicem equinam pictor inducit. Quidam enim habent initium bonorum operum, quorum vita monſtrum mirabile eſt, quaſi ſi hominis caput præcideres, & caput equi inſereres, & horum hominem medium, vt lynx guloſitatis & auaritię deſcendat in vẽtrem, & ad vltimum in rapacitate omninò lupi pedes oſtendat. Hæc Auguſtinus. Vnde talis eſt, ſicut ille, qui poſt aliquantam cædem hoſtium & conflictum aduerſariorum terga vertit; de quo dicitur; *Melius fuit viam veritatis non agnoſcere, quam poſt agnitam retroire*. Sed heu quid de noſtris Chriſtianis dicemus, qui non ſolum poſt aggreſſum certamen, cum aduerſarijs reijciunt, ſed ab acie ipſa fugiunt & reuertuntur. Sunt autem quatuor genera hominum qui non perſeuerant, ſed fugiunt ab acie belli, qui pulchrè deſcribuntur in lege veteri. Primi ſunt, qui nouiter duxerunt vxores; hos enim tanquam timidos & nondũ voluptate carnali ſatiatos, iuſſit Pontifex redire: & ſignificant omnes fornicatores, qui multum ſunt timidi aggredi bellũ pœnitentiæ contra diabolum in aſperitate vitæ; & ideò à diabolo, vt frequentius cæteris proſternuntur, iuxta illud Tobiæ; *Oſtendam tibi, in quos habet poteſtatem dæmon: hi namque, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus*. In ſignum huius tradidit Apoſtolus Corinthium fornicatorẽ diabolo. Secundi ſunt, qui non perſeuerant in bello ſunt illi, qui nouã plantant vineam: Cuius ratio; nam ex quo nondum guſtauerunt vinum lætificans de ea, certè tempore belli fugient, & reuertentur ad eam, vt de labore ſuo guſtent. Iſti ſunt ſæculares, qui bibunt vinum lætitiæ ſæcularis. Sed aduerte, quid contigerit Holoferni vino potato; abſciſſo namque capite à ſancta Iudith, relictus eſt ſicut truncus in lecto. Tertij ſunt, qui ædificant nouam domum: Cuius ratio; nam ex quo multa impendunt in ædificium, dolentes de impenſis, ne alius eis vtatur, fugiunt ad ædificium inchoatum; & iſti ſunt milites nouas exactiones habentes, mercatores nouas vſuras. Iſti malè ædificant: Vnde dicitur de eis; *Ædificabunt domos, & non habitabunt in eis*. Et certè ſic eſt; quia iuxta Pſalmiſtam;

Marginal notes: *Perſeuerantia neceſſaria.* — *Auguſt. ſerm. 7. ad Eremitas* — 2. Pet. 2. — Qui non perſeuerēt — Tob. 6. — 1. Cor. 5. — Soph. 1.

Relinquent alienis domos ſuas & diuitias Quatri ſunt formidoloſi; & ſignificant acediolos & puſillanimes, qui trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Sed è conuerſo erat de ſanctis Apoſtolis, qui & vxores ſponſas reliquerant, & vineas, & agros, & domos, vt dicit Petrus pro omnibus; *Ecce*
Matt. 19. *nos reliquimus omnia.* Et ideò erant animoſi & fortes, audaces; conſtantes in bello;
Hebr. 11. *Fortes facti ſunt in bello.* Vnde non mirum, quod perſeuerauerint cum Chriſto in ſuis tentationibus, eò quod omni tempore diligat qui amicus eſt. Propter quod Saluator commendans eorum conſtantiam, meritò dicit; Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tempore tribulationis. Vbi tria de eis dicit præconia laude digna. Primò enim quaſi eos præ cæteris agnoſcendo, & denotando dicit ſpecialiter; *Vos eſtis.* Secundo fidelitatem eius declarando ſubditis; *Qui permanſiſtis.* Tertiò ſe ſigniferum eorum oſtēdit, cum adiungit; *Mecum* pugnando contra vitia, perſeuerando in amicitia, & ideò
Eccl. 22. meritò mecum eritis in gloria. *In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, vt & in bonis illius cohæres ſis.*

II.

Hebr. 11. *In tentationibus meis.* Apoſtoli, & cæteri martyres ludibria experti ſunt quantum ad confuſionem, & verbera, quantum ad dolorem, inſuper & vincula, & carceres. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſcilicet promiſſionibus antequam occiderentur. Et quia tentationibus nō acquieuerunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Hæ fuerunt graues, ad quas Chriſtus vocat ſuos; quia ipſe pertulit, & quia etiam pro eius honore deferendo, Apoſtoli eas pertulerunt. *Beati eritis cum maledixerint vobis homines*
Matt. 5. *mentientes propter me.* Circa quod ſciendū, quod licet non ſit tentator alicuius, vt eum ſeducat, vel vt experiatur de homine quantum valeat, tamen eſt tentator in bono, vt virtutem perſeuerantiæ alicuius hominis cæteris manifeſtet, & oſtendat. Sicut tentauit Abraham. Vnde Iacob. *Nemo cum ten-*
Iac. 1. *tatur,* ſcilicet ab interiori tentatione ſecundum interlinearem, *dicat, quod à Deo tentetur, quia nemo à Deo tentatur,* quia hoc eſt proprium diaboli. Vnde ibidem; Deus tentauit exercendo non ſeducendo. Vnde non tentat inducendo ad malum, ſed exercendo & hortando ad meritum. Pro quo Cur Deus permittat nos tentari.
ſciendum, quod Deus electos ſuos permittat tentari propter tria; videlicet ad exercendum probitatem noſtræ naturæ; Ad retundendum noſtræ cenſuræ ſeu ſuperbiæ vanitatem; ad promerendum vitæ æternæ fælicitatem. Primò ad exercendum noſtræ na- 1.
turæ probitatem: quia cum habeamus vſum liberi arbitrij per gratiam informati, ſi volumus, poſſumus facere opera virtutum & vitiorum. Si Rex dediſſet arma & equum nobiliſſimum alicui militi, & ille probe & viriliter in bello ſe pro regis amore & honore exponeret, Rex non immeritò eum acceptaret. Chriſtus dedit nobis arma liberi arbitrij cum equo corporis noſtri, & ſunt quaſi ſimilia arma Dei, quia ad imaginem & ſimilitudinē factus eſt homo. Et Apoſtolus ait; *Induite vos armatura Dei, vt poſſitis reſiſtere aduerſus inſidias diaboli.* Igitur niſi pro honore regis bella viriliter nos exponamus, nos decipimus. Iob 7. Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Alia litera habet militia. Sic tentauit Deus amicos
Tob. 12. ſuos. Vnde Tob. dicitur; *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt Deus tentaret te,* ſcilicet per exercitium virtutum. Conſtantinus volens probare qui eſſent de eius familia fideles Chriſtiani, dedit omnibus liberum arbitrium, vt quem vellent ritum religionis ſeruarent, tandem indixit, vt qui eſſent ſui fideles remanerent ſecum ad ſacrificandum Dijs. Qui ergò voluerunt exierunt de pallatio, vbi illi, qui erant veri Chriſtiani, nolentes ſacrificare cum imperatore, exierunt; Illi autem adulatores qui remanſerūt, ſed ipſe tanquam prudens homo, illos adulatores de pallatio eiecit dicens; Ex quo fuiſtis infideles Deo veſtro recedentes ab eo, multò magis eritis mihi in tempore neceſſitatis, & ita illos veros Chriſtianos accepit in gratiam, & honorauit. Sic Chriſtus probat ſuos, qui veraciter ei adhæreant, & qui non, & hoc in tempore tentationis. Vnde
Eccl. 2. Eccl; *Fili, prepara animam tuam ad tentationem.* Secundò, Deus permittit nos tur- 2.

baſi

bari & tentari ad retundendum noſtræ cē ſuræ ſeu ſuperbiæ vanitatem. Niſi enim tē tarēmur, certè propter defectum cognitionis noſtræ & experientiæ de nobiſipſis ſuperbiremus. Ideò Deus clementer permittit ſanctos ſuos de ſua carne tentari. Sicut
2. Cor. 12. patet de Paulo, *Ne magnitudo reuelationū extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis.*
3. Tertiò, ad promerendum vitæ æternæ fæ-
Iacob. 1. licitatem. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia cū probatus fuerit &c.* Et quamuis diabolus omnes tentat, aduerſus tamē electos & Prælatos maximè exardeſcit. Nam & ſecundum Hieron. defalcato Iuda, diabolus ad excribrandos Apoſtolos expetijt poteſtatem. *Simon ecce ſathanas expetijt, vt cri-*
Luc. 22. *braret vos ſicut triticum.* Exponit Lyran. id eſt, illud ore quæſiuit per tentationes ſubuertere vos, quia multum nititur ad ſubuerſionem ſanctorum. Illos pulſare negligit, quos quaſi iure quieto poſſidere ſe ſentit, vt dicit Greg. Vt cribraret, id eſt, tentationū impulſu cōcuteret ſicut triticū, id eſt, ſicut in tali cōcuſſione remanet palea & trāſit farina, ſic Iudas remanſit diabolo ad pœnā; Alij verò diſcipuli tranſierūt ad gloriā.

III

Regnum cœlorum meritò dari Apoſtolis.

Et ego diſpono vobis regnum. Nec mirum, quod Apoſtolis & eorum imitatoribus dabis regnū cœlorum. Ex quo enim hic regnaſunt ſuper corpus proprium, & vicerunt per fidem regna mundi, & diaboli, meritò dandum eſt eis regnum perpetuum, & ita
Sap. 5. dabitur eis regnū pro regno. Sed certè multum diſſimile, quia accipient regnum decoris & conſolationis, pro regno mœroris & deſolationis; de quo Sapiens. *Accipient ſancti regnum decoris & diadema ſpeciei, quoniā dextera ſua teget illos, & brachio ſancto ſuo defendet illos.* Secundum Robertu Holcoth quatuor dicit de eis. Primò, quod dominabūtur in honore; ſecundò, quia coronabūtur cū decore; tertiò, quia conſeruabantur ſub vno tutore; quarto, quia defendebuntur ab omni timore. De hoc regno in Pſal. *Gloriam regni tui dicent.* Quod oſtenditur apud
Matt. 11. Matth. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nullus enim niſi fortis in bello, & pugnator ſtrenuus cum antiquo ſerpente, gloriam illius regni poſſidebit. Vnde Bern. dicit, quod quatuor genera
Bern. in florb. libr. 9. cap. 40. regnum cœlorum poſſidebunt: quidam enim rapiunt illud; alij mercantur; alij furātur; alij ad illud compelluntur. Rapiūt, qui relinquunt omnia & ſequuntur Chriſtum, vt Apoſtoli. Sunt alij inferioris gradus, à quibus metuntur carnalia dum ſeminant ſpiritualia, & dicuntur mercatores. Aliqui nonnulla bona occultè faciunt, & illi furari dicūtur, quia laudem humanam vitātes, ſolo diuino teſtimonio ſunt contenti: Hi autem qui compelluntur, ſunt pauperes neceſſariò, quos hic ignis paupertatis probat Deo diſpenſante, ne in futuro iudicij ignis damnabiliter puniat; de quibus dicitur. *Compelle intrare.* Compelluntur enim diuerſis neceſſitatibus afflicti. Hæc Bernar. Circa quod ſciendum, quod merces ſanctorum Apoſtolorum deſcribatur hic in litera à multiplici perfectione; tamen quantumcunque deſcribatur, non poteſt ad plenum deſcribi, nec enarrari. Iuxta illud, *O-*
1. Cor. 2. *culus non vidit, nec auris audiuit nec in cor*
Iſa. 64. *hominis aſcendit, quanta præparauit Dominus diligentibus ſe.* Vnde Pſal. exclamat, di-
Pſal. 30. cens; *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, quaſi dicat, enarrari non poteſt. Ab huius dulcedinis refectione principaliter regnum illud commendatur, ita vt poſſit conuenienter cuilibet beato attribui illa benedictio, quā dedit Iſaac filio ſuo Iacob, in qua dicitur; *Det tibi Deus de rore*
Gen. 27. *cœli, & de pinguedine terræ abundantiam fru-*
12. Conditiones regni cœleſtis. *menti &c.* Vbi exprimuntur 12. conditiones regni cœleſtis. Primò in rore notatur refrigerium & protectio contra æſtum tri-
Pſal. 65. bulationis. Pſal. *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Secundò in pinguedine terræ, notatur ſtabilitas & firmitas in bono: quia inter elementa firmior eſt terra. Vnde Pſalm. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Et Eccl. *Ge-*
Eccl. 1. *neratio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat.* Tertiò in frumento, notatur omnis defectus ſuppletio & amotio. *Non eſurient neque ſitient amplius.* Quar-
Apocal. 7. tò in vino notatur obliuio omnium miſeriarū.
Prou. *Date ſiceram mœrentibus & vinum his, qui amaro ſunt animo: bibāt & obliuiſcātur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui nō recordabitur amplius.*

Iſaias.

Iſa.65. Et apud Iſaiam; *Obliuioni tradita ſunt an-*
guſtiæ priores. Quintò in oleo notatur gau-
Pſal. dium ineffabile. Pſalm. *Vt exhilaret faci-*
Iſa.35. *em in oleo.* Iſaias. *Lætitia ſempiterna ſuper*
capita eorum, gaudium & lætitiam obtine-
bunt, & fugiet dolor & gemitus. Sextò ſub-
iungitur, ſeruient tibi populi: per quod
notatur, quod omnis creatura ſeruiet vo-
Matt.25. luntati eorum. Matthæi vigeſimo quinto.
Euge ſerue bone bone, quia in pauca fuiſti fi-
dilis &c. Septimò dicit; Adorent te tribus,
per quod ſignificatur honor, quem habe-
Sap.5. bunt. Sapientiæ quinto. *Ecce quomodo com-*
putati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos,
Pſal.8. *ſors illorum eſt.* Pſalm. *Gloria & honore &c.*
Octauò dicit; Eſto dominus fratrum tuo-
rum: In quo ſignificatur participatio bo-
norum omnium. Sicut enim lucente ſole
omnes participant de lumine ſine diminu-
tione & præiudicio alicuius; ita quilibet
ſanctus participabit de gaudio alterius.
Pſal.118. Pſalm. *Particeps ego ſum omnium timenti-*
um te. Nono dicit; Et incuruentur ante te
filij matris tuæ; per quod intelligitur om-
nium rerum dominium. Pſalm. *Omnia*
Ibid.8. *ſubieciſti ſub pedibus eorum.* Decimo dicit.
Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus,
In quo notatur vindicta inimicorum. A-
Apoc.6. pocalipſis ſeptimo. *Vſquequo non vindicas*
ſanguinem noſtrum? Et reſponſum eſt eis;
Suſtinente modicum tempus, donec impleatur
numerus fratrum veſtrorum, qui interfici-
endi ſunt ſicut & illi. Vndecimo dicit; Qui
benedixerit tibi, ſit ille benedictus, per
quod notatur remuneratio amicorũ. Mat-
thæi decimo. *Qui potum dederit vni ex mi-*
Matt.10. *nimis meis calicem aquæ non perdet mercedem*
ſuam. Duodecimo in oſculo Iſaac, vbi
ſignificatur coniunctio Chriſti & Eccleſię,
perpetua cum ſanctis eius. Quia ſicut nulla
eſt diuiuiſio inter oſculantes, ita nulla erit
diuiſio inter Chriſtum & Eccleſiam. Hoc
eſt oſculum ſponſæ. Canticorum quarto.
Oſculetur me oſculo oris ſui. Hæ ſunt duode- Cant.4.
cim ſtellæ, quæ erunt in corona capitis cu-
iuslibet animæ, ſponſæ Chriſti, quæ quia
perſeuerauit in tentationibus ſuis, ideò de-
lectatur in cõſolationibus ſuis. Vnde ad eã
Chriſtus poteſt dicere hodiè; *Fili tu ſemper* Luc.15.
mecum es, in proſperis & aduerſis; *Et ideò*
omnia mea tua ſunt. Hoc etiam promittit
nobis hodiè Chriſtus, ſi fuerimus boni mi-
lites eius, dicens illud Apocalipſis; *Vincen-* Apoc.3.
ti dabo mecum ſedere in throno meo. Verè
magna & mirabilis ſocietas ſedere duos in
vno throno. Qui ergò vult eſſe cum Chri-
ſto in throno, ſit & cũ eo in crucis patibu-
lo, vt dicat illud Apoſtoli ad Gal. ſecundo.
Chriſto confixus ſum cruci; quod fit per a- Gal.2.
ctionem pœnitentiæ. Sed certè de multis
conqueritur per illud Iſaiæ ſexageſimo ter-
tio. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non* Iſa.63.
eſt vir mecum. Secundò fit in abiectione &
humilitate contra mundum; Ioannis de-
cimo quinto. *Vos teſtimonium perhibebitis,* Ioan.15.
quia ab initio mecum eſtis. Tertio fit cum eo
in vigilia contra diabolum, qui quærit, quẽ
deuoret; primo Petri vltimo. Sed de mul 1.Pet.vlt.
tis conqueritur Chriſtus illud Matthæi vi-
geſimo ſexto. Vna hora non potuiſtis vi-
gilare mecum? Talis ergò qui ſic erit cum
Chriſto in labore, erit etiam cum eo in æ-
terno honore, iuxta promiſſum eius; Io-
annis duodecimo. *Vbi ego ſum illic & mi-*
niſter meus erit: Ad quem honorem ipſe Ioan.12.
nos perducat Ieſus Chriſtus cum Pa-
tre, & Filio, & Spiritu
ſancto. A-
men.

DE SANCTO AVGVSTINO SERMO.

Vos eſtis lux mundi. Matt. 5.

NAtura hominis in tātum fuit per peccatū vitiata, vt non ſolum erraret, malum pro bono, falſum pro vero, iniquum pro iuſto eligendo, iuxta illud Iſa. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*: ſed etiam ipſa in ſeipſa conſiderata ſub præuaricatione quodammodo conuerſa fuit in tenebras. Hoc figuratum eſt in tenebris Aegypti quas Dominus fecit ira denſas & groſſas propter peccatum Aegyptiorum, vt palpari poſſent. Tenebræ cæcitatis humanæ ita fuerunt groſſæ, vt homo eas palpare poſſet, id eſt, percipere & cognoſcere, non ſolum ratione intelligendo, ſed etiam ſenſibus exterioribus percipiendo. Vnde autem iſtæ tenebræ fuerint, benè exprimit Salomon dic. *Excæcauit eos malitia eorum*, quaſi dicat, Malitia ſubtraxit ſolem iuſtitię hominibus, nè eos illuminaret. Hinc reprobi dicunt: *Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis*. Ideò ſancti clamabant ad Deū dicentes; *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*. Præuidit itaque Saluator de Sanctis Doctoribus, & Prædicatoribus, qui in locū Apoſtolorum ſuccedentes illuminarent hos, *qui in tenebris ſedent ad dirigendum pedes eorum in viam pacis*. Per quos Dominus ſedens in excelſis illuminat mundum, vt dicitur apud Eccl. Hi enim ſunt qui obſcura Prophetarum dicta, Patriarcharum inuoluta ænigmata & Chriſti myſteria nobis in lucem apertam deduxerunt iuxta illud Pſal. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis*. Itaque non immeritò propter eorum claritatis refulgentiam dici poteſt de eis; *Vos eſtis lux mundi*. In quibus verbis tria ſunt conſideranda, quæ ſtatum & dignitatem ſanctorum Doctorum & Prælatorum attollunt & dignificant. Primò namque redduntur commēdabiles propter ſpecialis prærogatiuæ excellentiam, cum dicitur, *Vos eſtis*; Secundò propter lucis diffuſionem & refulgentiam, cum dicitur, *lux*; tertiò propter vanitatis ſęcularis effugatiuam malitiam, cum dicitur, *mundi*.

Cæcitas humanæ naturæ. *Exod. 10.* *Sap. 2.* *Ibid. 5.* *Pſal. 42.* *Luc. 1.* *Eccl. 43.* *Pſal. 118.* *Propoſit.*

I.

Status ſanctorum Doctorum magnæ prærogatiuæ in Eccleſia eſt: quia ſecundū locum tenet poſt Apoſtolos 40. *di. Ante omnia*. Vbi ſciendum, quod licet Deus ad omnes fideles habeat magnam dilectionē, eò quod omnes ſe diligentes diligat; tamen ad illos maiorem videtur habere, qui non ſolum eum per ſeipſos diligunt, ſed etiam ad eius amorem alios trahunt. Quod ſi ille multum diligitur à Deo, qui ſermones eius ſeruat; quantò magis ille eſt à Deo diligendus, qui non ſolum ſeruat in ſe faciendo, ſed alios ad faciendum incitat diuinis præceptis informando. Eapropter Saluator in præſenti Euangelio concludit, quod is ſit magnus in regno cœlorum, qui facit, & alios facere docuit. Talibus igitur, ſcilicet facientibus, & facere docentibus, meritò præ cæteris Chriſtus poteſt dicere. Vos eſtis, ſerui mei fideliſſimi, milites ſtrenuiſſimi, & amici chariſſimi. Primò poteſt dicere; Vos eſtis ſerui mei fideliſſimi. Fidelitas Prælatorum & Sanctorum Doctorum deſcribitur in parabolis de ſeruis tribus, quorum vnus accepit quinque talenta, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque; alius accepit duo, & lucratus eſt alia duo; tertius verò vnū, & quia non eſt operatus in eo, nihil lucratus eſt; propter quod damnatus eſt à Domino. Primus accepit quinque talenta, ſcilic. bonum naturæ, bonum gratiæ, bonū ſcientiæ, bonū potentiæ, bonum opulentiæ, ſeu temporalis ſubſtantię. Secundus accepit duo, ſc. bonū naturæ, & aliud quodcunque ex prædictis. Tertius accepit

Prærogatiua Doctorum. *Prou. 8.* *S. Doctores fideles, ſtrenui, & chari.* *Matt. 25.*

cepit vnum, ſ. bonum naturæ commune omnibus. Ille igitur qui acceperat quinque, operatus eſt in eis per exercitium exterioris operis, & lucratus eſt alia quinque per fructum ædificationis in proximis. Similer qui duo talenta acceperat, lucratus eſt alia duo, ſ. quia & in ſe operatus eſt, merendo ſibi vitam æternam, & proximum ædificando per informationem & exemplum. Tertius verò qui vnum acceperat, abſcondit talentum in terra. quia ſecundum Greg. Acceptum ingenium terrenis actibus implicauit, & lucrum ſpirituale non quæſiuit. Vnde dicit; *Abſcondit pecuniam domini ſui,* ſci. ſine ædificatione proximi ea vſ⁹ eſt. Sed quid de eis ſequitur.) Veniens dominus dicit primo & ſecundo. *Euge ſerue bone & fidelis quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam*, vbi commendat ſeruum à tribus, quæ debent eſſe in quolibet Prælato, Prædicatore, & Doctore. Primò humilitas in hoc, quod dicit eum ſeruum: debet enim Prælatus & Prædicator reputare ſe ſeruum inutilem, iuxta illud; *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſumus quod debuimus:* ipſe enim eſt ſeruus Euangelicus, quem miſit Dominus vocare ad nuptias, & ad cænam magnam, & eſt operarius, non Dominus in vinea Domini. Vnde Petrus monens tales dicit, *non quaſi dominantes in clero.* In tribus autem debet eſſe humilitas; primò ſubdendo ſe in opinione minoribus. ſicut Chriſtus dicens; *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* ſecundò in honoris exhibitione pro lucris, iuxta illud; *Cui honorem, honorem. Honore inuicem præuenientes*: tertiò in ſubijciendo ſe maioribus. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Debet autem ſeruire miniſtrando in temporalibus, & corporalibus, & ſpiritualibus bonis, vt ſic ſecundũ Apoſtolum. *In omnibus exhibeat ſe miniſtrũ.* Secundò commẽdat eum Dominus de eius probitate, cum dicit; *Bone.* Bonus ſeruus eſt, qui diſpenſat bona ad vtilitatem, & ad lucrũ Domini ſui. Tertiò commendat eũ à fideli diſpenſatione, cum dicit; *& fidelis.* Per primum ſe habuit fideliter ad proximũ; per ſecundum prouidenter ad ſeipſum; per tertium humiliter quoad Deum. Similiter anima eſt fidelis, quando omnia facit ad gloriam & honorem Domini ſui dilatandum, nihil ſibiipſi de gloria vendicando. Hoc debet prouidere maximè Prælatus, Prædicator, & Doctor, nihil ſibi attribuendo honoris vel gloriæ, ſed totum Deo. Vnde Saluator in Euangelio præcepit; *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videãt opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrũ, qui in cœlis eſt.* Secundò fidelitas ſerui apparet, quando præcauet damnum domini ſui, *Quis putas eſt ſeruus fidelis & prudens.* Tertiò fidelitas ſerui apparet, quando à vero Domino nunquã recedit in periculo. Pſal. *Nec receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Sed quia iſta omnia modicum valerent, ſi deeſſet diſcretio; ideò in ſeruo fideli debet prudentia eſſe: ſed pauci ſunt prudentes ſerui Dei, qui tempora congrua obſeruent, & modũ docendi rectũ teneant: cum proh dolor plures hodiè prædicent vana & ſubtilia, vt periti & docti videantur, & non vt ſubditi ædificentur. Hi prędicant ſeipſos & nõ Chriſtum; contra quos dicit Pſalm. *Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna.* Tuam dicit, & non ſuã, quam prohibet Saluator; *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Iſta erant in ſanctis primitiuis Doctoribus, & Prælatis & Prædicatoribus. Eiuſmodi fuit Hieronymus, Auguſt. Ambroſ. &c. qui ſerui erant quaſi humiles, quia oẽ ferè in ſtatu humili, ſc. clauſtrali (vbi paupertas, labor, & contemptus omnium) fuerunt. Ideò eis meritò dicitur præ cæteris ſingulariter; *Vos eſtis,* ſc. ſerui boni & fideles, quos poſueram *vt eatis & fructũ afferatis, & fructus veſter maneat.* Secundum etiam poteſt Chriſtus dicere ſanctis Doctoribus, Prælatis, & Prædicatoribus; quia fuerunt milites ſtrenuiſſimi. Habet aũt Chriſt⁹ triplices milites ſecundũ triplices hoſtes: nam virgines militant contra carnem; martyres contra mundũ; Doctores verò & Prędicatores contra diabolum, quẽ de cordibus fugant ſubditorum. Ideò dicit Apoſt. exhortando; *Labora ſicut bonus miles Chriſti, prædica verbum, inſta oportunè:* Verè igitur omnibus & ſingulis, qui ſic militãt, vt à ſe & ſuis ſubditis diabolũ repellant, poteſt dici; Vos eſtis milites ſtrenui. Tales aũt fuerunt S. Doctores, quorum vita pariter, & doctrina expugnatus eſt diabolus cũ ſuis errori-

Prælatus ſit humilis. — *Luc. 17.* — *Matt. 22.* — *Luc. 14.* — *Matt. 20.* — *1. Petr. 2.* — *2. Cor. 6.* — *Probus ſit* — *Fidelis.* — *Fidelitas in quibus conſiſtat.* — *Matt. 24.* — *Pſal. 25.* — *Matt. 5.* — *Triplices Chriſti milites.*

erroribus & hæreſibus multiplicibus, quæ temporibus eorũ pullulauerunt: ſicut patet de hæreſi Manichæorum, Arrianorum, & Donatiſtarum, & ſic de alijs, quæ tempore B. Auguſtini viguerunt, quas ipſe viriliter expugnauit: vnde & vocant eũ malleum hæreticorum, propter eorũ fortem & animoſam militiam. Tertiò Chriſtus verè poteſt dicere S. Doctoribus; Vos eſtis ſcil. præ cæteris amici chariſſimi; & hoc propter tria, quæ debent eſſe in veris amicis. primò propter voluntariam conformitatẽ & cordium vnitatem: quia vera amicitia debet velle & nolle idem cauſare in amicis. Sic ſeſe habebant S. Doctores, qui adhærẽtes Deo vnum erant cum eo. Secundò erãt amici Dei propter ſecretorum reuelationẽ: quia omnia ſecreta ſua Chriſtus eis reuelauit, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; vt ſunt arcana Trinitatis benedictæ, gaudia cœli quam ſint iucunda, pœna inferni quam ſit acerb. Vnde Chriſtus: *Quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis*, quia Spiritus ſanctus aſſumptus in corda eorum omnia reuelabat. Tertiò erant amici Dei, quia pro eo omnia relinquebant, quod eſt ſignũ veræ amicitiæ: erant enim in paupertate voluntaria, quia clauſtrales, ſicut patet de omnibus; ideoque verè de eis poteſt dici. Vos eſtis ſingulariter præ cæteris, quia rara eſt auis in Arabia eſſe ſeruum fideliſſimũ, militẽ ſtrenuiſſimum, & amicũ ſinceriſſimũ.

II.

Lux, Doctores erant lucernæ poſitæ ſuper candelabris in Eccleſia Dei, in quibus Prophetiæ, ſermones, & Scripturæ poſitæ mundum ritum caliginoſum illuminabant tamdiu, quouſque luceſceret dies, ſ. diuinæ cognitionis, & Lucifer orietur veræ claritatis. Vbi nota, quoniam neceſſaria ſunt hæc luminaria, quouſq; luceſcat dies, id eſt, clarus intellectus noſter, vel ipſe Lucifer Chriſtus oriatur in cordibus noſtris ſecundum gloſſam ordinariam. Hinc patet, quod ſine claritate doctrinæ S. Doctorum non poſſimus habere veram cognitionem, & perfectam diuinorum præceptorum, & fidei credendorum. Vbi ſciendum, quod in Eccleſia militante, triplex ſit lux vera illuminans Eccleſiam. Prima lux ſolaris, & vera, eſt doctrina Chriſti: qui de ſe ait; *Ego ſum lux mundi.* De hoc ſole apud Malachiam dicitur: *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ.* Cõparatur aut primo ſoli Chriſtus, quia ſicut ſol eſt fons luminis, & cauſa caloris, & vitæ corporalis in his inferioribus; ita & Chriſtus eſt cauſa lætitiæ, & vita gratiæ in omnibus hominibus. *In me omnis gratia vitæ & veritatis.* Secũdò ſicut ſol indifferenter illuminat pulchra & fœda; ita Chriſtus tàm iuſtos, quàm peccatores illuminat. *Sol illuminans per omnia reſpexit.* Et apud Matth. *Facit ſolem ſuum oriri ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Sed quare non omnes calefaciat iſte ſol, ratio eſt, quia ſicut ſol, quando projicit radios ſuper niuem vel glaciem, & non liqueſcunt, eſt ſignum quod planeta aliquis impediat virtutem ſolis: ſicut quãdo Chriſtus calefacit cor hominis, reducẽdo ad memoriam eius beneficium creationis, redemptionis, & alia multa; & cor hominis non conteritur, ſignum eſt obſeſſionis diaboli, qui infrigidat cor eius. *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam: ſic frigidã facit malitiam ſuam dominator ſuper regionẽ cordis.* Vbi ergo non eſt diabolica obſtinatio in corde, ibi faciliter ſol iuſtitiæ calefacit, ſicut Petrum & Magdalenam & Zachæum & Matthæum; qui ſic fuerunt liquefacti. Tertiò ſicut ſol, ſi fuerit mane rubeus, ſignum eſt tempeſtatis futuræ: ſi aũt rubet veſperi, ſignum eſt ſerenitatis in craſtino, iuxta illud *Facto veſpere dicitis, ſerenum erit; rubicundum eſt enim cœlum: & mane hodiè erit tempeſtas; Rutilat enim triſte cœlum.* Eodem modo circa Chriſtum accidit; nam in ortu natiuitatis ſuæ, quando circumciſus ſanguinẽ rubeũ amiſit, & poſt hoc ſecuta eſt tempeſtas fugæ eius in Aegyptũ. Quartò vt ſol non poteſt videri oculis in tota ſua rota, niſi in nube, ita Chriſt⁹ in diuinitate ſua nõ potuit à nobis videri, niſi in humanitate. *Solẽ nube tegã.* Quintò vt ſol radio immiſſo in domũ, quantũuis videatur pura, oſtẽdit eam habere pulueres, quę tamẽ nõ videtur, niſi in radio; ſic domus noſtræ conſciẽtiæ ſi fuerit illuminata doctrina Chriſti, certè apparebit immũda, quæ nobis apparet mũda. *Quod altũ eſt hõinib ſtultitia eſt apud Deum.* Tria aũt obſcurãt nobis hunc ſolẽ. ſ. terra, nubes, & luna. Terra mũdi cũpiditas, nubes tẽporalis vanitas, luna corporalis voluptas.

Doctores Eccleſiæ lucerna. — *1 Pet. 1.* — *Ioan. 8.* — *Malac 4.* — *Chriſtus comparatur ſoli.* — *Eccl. 24.* — *Eccl 43.* — *Matth 5.* — *Ierem 6.* — *Matt. 16.* — *Ezech. 32.*

Ecce auaritia, ſuperbia, & luxuria. Sed certè licet multi obſcurent iſtum ſolem, veniet tamen tempus, quando eum obſcurare non poterunt, quin omnibus clarè appareat. *Tempus adfuit, quo ſol reſulſit, qui prius erat in nubilo.* Sicut autē ſol, cum eſt in meridie, tunc optimè exurit; non ſic autem mane, quando habet ante ſe multos vapores, & nebulas, nec veſperi, quando iā occidit: Sic Prælatus, & quilibet paterfamilias benè arguit & corrigit viriliter, & erudit efficaciter, quando habet in ſe magnum calorem charitatis; Quando verò ipſe obſcuratur nebula peccati, & vaporibus ſuperbiæ, malè arguit, vel quando occidit, inclinando ſe ad terrena per auaritiam, non efficaciter arguit: quia ei dicitur. *Medice cura teipſum*; Vnde talis ſol magis ponitur in ſcandalum ſubditis, quam in profectum. Vnde Greg. Puto, fratres chariſſimi, maius præiudicium non tolerant, quam à ſacerdotibus Deus, dum eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, date exempla prauitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui aliorum peccata prohibere debemus. Item ſicut Eclypſin patiente, nullus ſplendor poteſt apparere in inferioribus; ità malè viuēte Prælato fides in ſubditis non feruet, ſed torpet; opus non lucet, ſed fœtet. Non ſolum autem debet eſſe Prędicator & Pręlatus, vt lux ſolis, ſed etiam vt lux lunæ, quę tunc eſt pulchrior eſt, quando eſt plena, quia tunc magis lucet per noctem. Sic Prælatus & Prædicator nō debet eſſe defectuoſus in aliqua virtute, nè in vna ædificet, & in alia deſtruat. Debet ergò habere plenitudinem virtutum, vt luceat per totam noctem, ſc. tam proſperitatis, quam aduerſitatis, vt dicatur de eo: *Quaſi luna plena in diebus ſuis, ſic ipſe refulgeat in templo Dei.* Et ſicut luna non habet à ſe lucem, ſed à ſole; ſic Prædicator omnem doctrinam non habet ſibi, ſed Chriſto attribuere: quia dicit Petrus; *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti.* Nihil ergo prædicet de ſuo ſenſu, quod à Chriſto non accepit: & ſicut luna ſæpius recurrit ad ſolem pro lucis reparatione; ſic Prædicator debet ſæpius per orationes currere ad Chriſtum, vt detur ei gratia prædicationis. Nec ſolum etiam debet habere lucem lunæ, ſed etiam ſtellarum: Stella enim aliam naturā habet in ſua quantitate, quā luna: quia habet quantitatē clarā, luna aūt obſcurā, ſed illuminatam lumine ſolis, ſimulq; habet quantitatē parua; ſic & Prædicator, & Doctor debet eſſe clarus in cōſcientia, & honeſtus in fama: quia dicit Auguſtinus. *Nobis neceſſaria eſt conſcientia noſtra, proximis verò fama.* Breuiter recolligēdo Prçlatus debet eſſe lux generalis, quę habet in ſe tria; ſ. quia generat calorem, quo ſignificatur charitas. Hanc habuit Auguſt. qui de ſe dicit in lib. confeſſionum; *Sagittaueras Domine cor meum ſagitta acuta, ſcil. charitatis.* Secundò lux generat ſplendorē, quo ſignificatur lucida doctrina, quæ fuit in Auguſtino: quia cæteris lucidius doctrinam Scripturarum expoſuit. Vnde canitur de eo; *Quæ obſcura prius erant plana nobis feciſti.* Tertiò lux generat candorē, quo ſignificatur caſtitas & munditia, quę tanta fuit in Auguſtino, vt etiam minima fleret, quę ab alijs pro nihilo reputabātur. De tali Prælato meritò poterit dicere illud Zachariæ: *Vidi, & ecce candelabrum aureum totū.* Erat aūt candelabrum luminoſum per ſapientiam, aureū per iuſtitiam, totum per perfectā & conſummatam vitam rectam, & honā.

1. Mach. 1. — *Doctor ſiue Prælatus habeat charitatem.* — *Luc. 4.* — *Gregor.* — *2. Pet. 1.* — *Zach. 4.*

III.

Mundi. Quantò maiores ſunt tenebræ, tantò maior eſt commendatio lucis: vnde minus de die, quam de nocte apparet lucis dignitas. Nox eſt præſentis ſæculi vita. Vnde Gloſſa ſuper 2. Pet. 1. *Quaſi lucernæ lucēti in caligonoſo loco*; dicit in huius ſæculi nocte plena tentationibus, & vitijs, & erroribus, vbi difficilè inuenitur quiſquā, qui nō offendat; contra quæ neceſſaria eſt hęc lucerna, ſ. ſanctæ prædicationis. Hæc Gloſſa ordinaria. Quoniā igitur mundus eſt nox, certè neceſſaria eſt lucerna ſapientię omnibus inhabitantibus eum. Videant ergò, qui debent alios illuminare in hac nocte, vt diligant lumen ſapientiæ. Sapient. ſexto. *Diligite ſapientiam, qui præeſtis populis*; quia alias tàm duces, quàm ſequaces cadent. Debet igitur Prædicator in mundo, tanquam in tenebris, lucere, & illuminare tenebras peccatorum, & præſertim triplicis peccati, ſcilicet ſuperbiæ, auaritiæ, & luxuriæ. *Nam omne quod eſt in mūdo, aut eſt cōcupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorū,*

In nocte vita huius ſæculi neceſſaria Lux prædicationis. — *Sap. 6.* — *Prædicatoris eſt illuminare.*

1 Ioan. 2. & vlt. *aut ſuperbia vitæ. Ita totus mundus in maligno poſitus eſt*. Ab iſtis ergo tribus debet prædicator retrahere homines cum Ioan-

1. Ioan. 2. ne dicente; *Filioli nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt quoniam ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo.* Sed dicet fortè quis prædicatoribus, ſicut ſæpè dicunt moderni mundani; Quæ in mundo ſunt fecit Deus, id eſt, cęlum, & terram, mare, ſolem & lunam, ſtellas, & omnia ornamenta cælorum: itē omnia repentia quæ ſunt ornamenta maris, vt piſces; itē quæ terræ, vt animalia, arbores, volatilia. Hęc ſunt in mūdo; Deus illa fecit: quare ergo non debeo amare quę ſunt in mundo? Reſ-

August. hom. 3. ſuper cant. pondet huic inſaniæ præclarè S. Auguſtinus dicēs; Licet iſta omnia bona ſunt; ſed quanto ille pulchrior eſt, qui iſta formauit? Eſt ergo iſta ſuggeſtio diaboli, quia dicunt ſæculares; Quare iſta fecit Deus, niſi vt benè nobis ſit; & ita inebriantur iſtis temporalibus, vt pereant, & obliuiſcantur creatorem ſuum: & dum non temperanter, ſed cupidè vtuntur creatis, creator contemnitur. De his dicit Apoſtolus, *Coluerūt, & ſeruierunt creaturis potius, quam creatori, qui eſt benedictus in ſæcula.* Non te prohibet amare iſta, ſed animo diligere ad ſalutem & beatitudinem, id eſt, vt in eis ſis beatus. Sed & approbare & laudare omnes decet ſuum creatorem. Perpendite fratres, ſi ſponſus faceret ſponſæ ſuæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret, quam ſponſum, qui fecit annulum, nonne in ipſius doni paruipenſione non cenſeretur vera amatrix ſponſi, ſed adultera anima depræhenderetur: quoniam hoc amaret, quod dedit ſponſus, pluſquam ſponſum. Nonne ſi diceret; Sufficit mihi annulus iſte; iam illius faciem nolo videre, qualis ſit, quiuis deteſtaretur hanc amentiam? quis nō adulterum hominem conuinceret? Amas aurū pro viro, amas annulum pro ſponſo. Quod ſi ita ſis affecta, vt ames annulum pro ſponſo, & nolis videre ſponſum tuū, adultera es. Ad hoc tibi arram dedit; ad hoc vtique arram dat, non vt tibi impignoret arrā illam, ſed vt te ſibi amore colligat, non vt te à ſe auertat ſponſus: vt in arra ſua ipſe ametur. Quoniam ergò dedit tibi Deus iſta omnia, ideò ama illum, qui fecit: plus eſt, quod vult tibi dare, id eſt, ſeipſum, qui iſta fecit: ſi autem hæc amaueris; quamuis illa Deus fecerit; & neglexeris creatorem, & amaueris mundum, adultera es. Mundus enim appellatur non ſolum iſta fabrica, quam Deus fecit, cœlum, & terra, mare, viſibilia, & inuiſibilia, ſed & habitatores mundi vocantur mundus. Et poſt pauca. Omnes enim dilectores mundi ideò dicuntur mundus, quia dilectione inhabitant mundum; ſicut cœlum inhabitant illi, quorū ſurſum eſt cor, & ambulant carne in terra: omnes enim dilectores mundi mundus vocantur. Hi non habēt niſi iſta tria, deſiderium carnis, deſiderium oculorum, & ambitionem ſæculi: deſiderant manducare, bibere, concumbere, vti voluptatibus huius ſæculi. Nunquid non eſt in iſtis mundus, aut quādo dicitur; Nolite iſta diligere, hoc dicitur; Non manduceetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis Non hoc dicitur, ſed vt fiat modus propter creatorē, non vt vos illiciāt iſta dilectione, nè ad fruēdum hoc ametis, quod ad vtendum habere debetis. & verſus finem concludendo dicit; Si fuerit in te dilectio mundi, non ibi erit dilectio Dei. Hęc Auguſtinus Ex his patet error illorum qui dicunt; Si Deus me permitteret hic eſſe immortalem in voluptatibus ſæculi, vt haberem omnia ad placitū ſine dolore, ſine infirmitate, ſine cura, ſine labore & triſtitia, ſufficeret mihi pro regno cœlorū. O fatuitas fatuitatū, quia ſtultius nihil eſt! Certè exiſtimo, hanc cogitationē eſſe de profundo conſilio diaboli: quid enim prodeſſent iſta, ſi creator in ęternum non videretur in ſpecie facie ad faciem ſicuti eſt? Grauis igitur error iſte; grauis blaſphemia, creaturam creatori præferre. Eiuſmodi mundanos & ſolis delitiis deditos homines, debet arguere prædicator diuinus & iſtas tenebras illuminare, & fugare deteſtando ſuperbiam: quia *DEVS ſuperbis reſiſtit*; arguendo auaritiam, *quæ eſt idolorum ſeruitus*; & confundendo luxuriam, quæ eſt brutorum proprietas, vt dicit Ariſtotiles in epiſtola ad Alexandrum. Quod cum fecerit, erit vera lux in Chriſto Ieſu Domino noſtro per ſæcula. Amen.

DE NATIVITATE B. MARIAE.

SERMO.

Liber generationis Ieſu Chriſti. Matth. 1.

PETRVS Damiani in ſermone huius feſtiuitatis a t: Natiuitas beatiſſimę & intemeratæ Dei genitricis meritò præcipuũ & ſingulare præbet hominibus gaudium, vt quæ totius extitit humanæ ſalutis exordium. Sicut enim omnipotens Deus ineffabili prouidentiæ ſuę intuitu, antequã fieret homo, hominẽ periturũ diabolica machinatione præuidit; ſic etiã redemptionis humanæ conſiliũ ante ſæcula in immenſæ *Excellentia huius feſtiuitatis.* pietatis ſuæ viſceribus habuit: & non ſolũ qualiter redimeret ordinẽ & modũ in profundiſſimæ ſapientiæ ſuæ ratione cõſtituit; verũ etiã quando redimeret, certũ temporis articulũ præfiniuit. Sicut ergo impoſſibile erat, vt humani generis redemptio fieret, niſi Dei filius de virgine naſceretur; ita etiã fuerat neceſſariũ, vt virgo, ex qua verbum caro fieret, naſceretur: oportebat quippe prius ædificare domũ, in quã deſcẽdens cęleſtis Rex habere dignaretur hoſpitiũ; illam videlicet, de qua per Salomonem dicitur. *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Ita Petrus Damiani. Ex quibus verbis patet huius feſtiuitatis celebritas & dignitas, quę tanto eſt dignior cæteris, quanto illa, cuius ortus in ea recolitur, præcelſior eſt vniuerſis. In hac feſtiuitate ſecundũ Hubertinum in ſermone hodierno Angelorũ omnis exultat militia, Patriarcharũ cõplentur veridica, & abdita myſteria, Prophetarum panduntur vaticinia; in hac etiã gentiliũ reſerãtur prænũcia ſcripta: in hac oritur ſpõſa ſine exẽplo Deo cõiuncta; de cuius materia oritur lumen in tenebris ad extergendas veterum piaculorum tenebras. Hæc eſt, inquit, dies in qua pręlucida ſtella, immo lumen maris, hoc eſt, huius mundi, illuxit. Hæc eſt honoranda diei lætitia, in qua iuxta diuini roris infuſionem adornatur omnis huius mundi qualitas, præparatur vas virgineum diuinis chariſmatibus ac micantibus margaritis ineffabiliter ornatum. Hæc ille. Merito igitur vt dicit Fulbertus inter omnes ſanctos memoria beatæ virginis frequentius agitur atque feſtiuius, quæ maiorem gratiam apud Deũ creditur inueniſſe. Hactenus ille. Exultemus itaque chariſſimi in hac die, quia vt dicit Petrus Damiani, dum beatiſſimæ virginis veneramur ortum, cunctorum etiam noui teſtamenti feſtiuitatum celebramus initium. Exultemus, inquit, in hac die præcipua, & totis viſceribus in Domino delectemur. Quæ enim cunctis ſolẽnitatibus antiquior eſt tempore, nequaquam debet eſſe dignitate poſterior. Hæc ille. Sed quo pacto eius feſtiuitatẽ dignè celebrare valet infirmitas hominum, quæ gaudium meruit parere Angelorum? *Qualiter,* vt dicit Auguſtinus *Auguſt.* in ſermone hodierno, *eam laudare poterit mortalium hominum tranſitorium verbum, quæ de ſe illud protulit verbum, quod manet in æternum? Quæ lingua in eius lab de inuenietur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa? Nam dum cuiuslibet Martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutum eius inſignia recolimus, redemptoris noſtri gloriam prædicamus; etiamſi ad cogitandum tardior ſenſus impediat, vel ad loquendum balbutiens lingua non ſuppetat, verborum tamẽ copia ipſius rei materiam ſubminiſtrat: cũ verò beatiſſimæ Dei genitricis laudẽ ſcribere aut dicere volumus, quia noua & inaudita ſunt, quæ tractãda ſuſcepimus, nulla inuenimus verba, vt ad hæc dignè exprimenda ſufficere valeamus.* Hęc Auguſt. Verum licet noſtris viribus inſufficientes ſimus, vt eius ſolennia dignè recolamus, agnita tamen noſtri conatus in-

effica

efficacia, vt dicit Beda in ſermone hodierno eius poſtulanda ſunt ſuffragia, eius imploranda pietatis viſcera; vt per eius ſanctiſſima merita nobis diuina repropicietur clementia. Sedulis igitur exposcamus eam precibus, vt illa ſuo interuentu efficiat poſſibile, quod ſancta eccleſia de eius gaudeat natiuitate. Quod vt conſequamur pro impetranda ſpiritus ſancti gratia ad eam recurremus, ſalutantes eam voce pia. *Aue Maria &c.* In verbis noſtri thematis propoſitis deſcribitur natiuitas glorioſæ Virginis Mariæ, per quandam ſimilitudinariam comparationem, per quam libro comparatur: circa cuius cōſiderationem triplex libri ſimilitudo occurrit: Eſt enim liber naturalis, & connatæ creaturarum productionis; eſt liber ſupernaturalis & gratuitæ creaturarum reparationis; & eſt liber virginalis & maternæ ſanctificationis.

Propoſit.

I.

Liber naturalis tres ſub ſe continet

1. Liber creaturæ

Pſal. 103.

Liber naturalis & connatæ creaturarum productionis, compræhendit tres libros in ſe; ſcilicet creaturæ, ſcripturæ, & conſcientiæ. Primus liber ſcilicet creaturæ non eſt aliud, niſi deſcriptio omnium creaturarum in mundo. Cœlum enim, & terra ſunt quaſi quædam pellis, in qua deſcripta ſunt opera creatoris, iuxta illud Pſalm. *Extendens cælum ſicut pellem.* In iſto autem libro ſcripta ſunt tria, ſcilicet credenda, facienda, & fugienda. *Primo* ibi ſcripta ſunt credenda, vt potentia, quæ apparet in magnitudine, & multitudine, ac varietate creaturæ: Sapientia filij in illius gubernatione, diſpoſitione, & regimine omnium viuentium: Et bonitas Spiritus ſancti, quæ apparet in tam bona, vtili, & delectabili creaturæ pulchritudine: per hæc enim tria creator cognoſcitur, iuxta illud: *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciūtur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Secundo* in hoc libro ſcripta ſunt facienda vt renouatio, communicatio, & ordo: nā oēs creaturæ renouātur ſuis temporibus, ſicut apparet in animalibus, auib⁹, & arboribus: quæ informant hominem, vt depoſita vetuſtate culpę, quā traxit ab Adam, renouetur in ſpiritu ſuæ mentis. *Induentes novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt.* In communicando etiam docēt hominem libertatem & mutuam ſubuentionem: ſicut enim omnes creaturæ cōmunicant ſe alteri ad vſum, vt herba animali, & animal homini & muſca araneæ, & aranea paſſeri; ſic homo omnia ſua debet alteri cōmunicare, ſubueniēdo neceſſitati proximi; iuxta illud Apoſtoli; *inuicem ſupportantes, & inuicem diligentes,* In ordine etiā docent hominē rectitudinē vitæ: ſicut enim omnia ſeruant curſum ſuū & ordinē ſibi inditum à natura; quia omnia ordinatè procedūnt, nec vnū alterius turbat officiū, ſed propriū exercet; ſic homo debet omnia ordinatè facere, iuxta illud Apoſtoli; *Omnia ſecundū ordinē fiant in vobis. Tertio* in hoc libro ſcripta ſunt fugienda, ſcil. mala, & contraria. Nā omne animal in mundo ſalutē tueri laborat, vitamq; conſeruare conatur, & ob hoc omnis res ſuo cōtrario ſemper reſiſtit; ſicut aqua igni, & calidū frigido, & frigidū calido. Sic & homo debet fugere peccatū, quod ipſum corrūpit in vita gratię. Pſalm. *Corrupti ſunt, abominabiles facti ſunt.* Vnde Eccl. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* De huius libri vtilitate dicit Iſa. *Erit viſio omniū,* ſcil. creaturarum, *ſicut verba libri.* Omnia enim, quæ ſunt in mūdo, plena ſunt doctrina, dūmodo homo velit ab eis doceri. Itapropter hoc arbores folia habent ad modū linguæ annunciantes Deū, aues cantantes ad laudē eius incitāt hominē, & omnis ſpiritus laudans Dominū mouet eū ad laudandū. Sed multis iſte liber ſignatus eſt, qui quaſi pueri pulchritudinem eius mirantes nihil in eo ſciunt legere, accipientes ſolas litteras pro ſententijs, ſigna pro ſignatis, picturas pro rebus, vmbram pro veritate: cum tamen DEVS iſta operatus ſit ad hoc, vt oſtenderet, qualem erga nos haberet dilectionem, vt nos ab amore huius mundi ad amorem ſuum reuocaret. Ex his igitur patet, quod liber creaturarū ſit vtilis ad duo; Primo ad cognitionē propriā & Dei, quia à magnitudine ſpeciei, & creaturæ harum cognoſcibiliter creator poterit videri, iuxta Sapientem; & ita DEVS potuit cognoſci à prophetis, & à paganis. Secundo ad informationem hominis illis tribus modis vt dictum eſt. Ex

Rom. 1.

Ephef. 5.

Pſal. 13.

Eccl 21.

Iſa. 29.

Vtilitas huius libri.

Sap. 13.

his.

his infero, quod inexcuſabilis ſit homo, ſi Deum non laudet, nec diligat pro tãtis beneficijs.

2. *Liber S. Scriptura. Baruch. 4. 2. Tim. 3.*

Secundus liber partialis contentus ſub iſto magno volumine mũdi eſt liber ſacræ ſcripturæ; de quo Baruch. *Hic eſt liber mandatorum Dei.* qui vtilis eſt ad plura, *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum ſcilicet ignaros: ad arguendum rebelles ad corripiendum peccatores; ad erudiendum iuſtos.* In hoc libro ſcribuntur decem præcepta ad faciendũ cærimonialia, id eſt, figuratiua ad credendum, iudicialia ad timendũ. De his dicitur in Deuter. *Deut. 6.* Hæc ſunt præcepta & cęrimoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Deus noſter. Docet etiam quid fugiendum, quia peccata; quid appetendũ, quia præmia. Ideò aũt iſte liber numeratur cum libro naturæ, & cõtinetur ſub eo, quia lex præcepta in iſto libro, data eſt ad correctionem legis naturæ; vel quia suppleuit iſta lex, quod legi naturæ deerat, vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus, quantũ ad aliqua, corrupta erat, in tantum vt æſtimarent bona, quæ naturaliter ſunt mala, & talis corruptio correctione indigebat.

3. *Liber cõſcientiæ. Dan. 7.*

Tertius liber partialis contentus ſub iſto volumine magno mundi eſt liber conſciẽtiæ cuiuslibet hominis; de quo Daniel. *Libri aperti ſunt, & iudicium ſedit, & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta ſunt in libris ſecundum opera eorum.* Et in Apoc. *Aperti ſunt libri, & alius liber, qui eſt vitæ, apertus eſt.* Ideo autem iſte liber pertinet ad illum magnum librum naturæ, quia naturaliter vnicuique conſcientia dictat, quid faciendum, quid reſpuendum *Ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſciẽtia illorum.* *Rom. 2. Pſal 44.* *Liber conſcientiæ quomodo ſcribatur.* Circa hunc librum duo ſunt conſideranda: Primum eſt, quomodo iſte liber ſcribatur & componatur: ſecundũ quomodo vitietur. De primo dicit Inno. tractans illud Pſ. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*: quod ſicut ad librum requiritur pergamenum: ita cor hominis, in quo Spiritus ſanctus ſcribit, eſt quaſi pergamenum. *Cor hominis pergamenũ. Ierem. 31.* *Scribam legem meam in corde eorum.* Et *Scribam eam in tabulis cordis eorum.* *Prou. 7.* Hoc pergamenũ debet ſic aptari: *Primo* debet ſeparari à carne per abrenunciationem carnalium deſideriorum, *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* *Rom. 8.* Et: *Surrexit Nathan Propheta quaſi adeps ſeparatus à carne.* *Eccl. 47.* Secundo debet poni in confectu per contritionem & dolorem. *Pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* *Ierem. 31.* Tertio debet depilari per confeſſionem. *Sume tibi gladium acutum, radentem pilos; & trahe per caput tuum, & barbam tuam, & aſſumes tibi ſtateram ponderis, & diuides eos.* *Ezech. 5.* *Sume*, ſcilicet ſpontaniè. *gladium*, ſcilicet confeſſionis, quo diabolus interficitur. *radentem pilos*, id eſt ſpiritualia peccata *& duces per caput* id eſt, per mentem cõfitendo malas cogitationes, in quibus apparet fortitudo hominis ad malũ; ſicut in barba apparet virilitas. *Debet etiam ſumi ſtatera* vt iuſto iudicio ponderẽtur, *& debent diuidi*, vt cõfiteatur homo peccata, etiam non opere perpetrata, ſed voluntate facta. Quarto debet extendere in latum per charitatem, & in longum per futuram expectationem De primo. 2. Cor. 6. *1. Cor. 6.* Cor noſtrum in tantum dilatatum eſt. De ſecundo Phil. 2. Quinto debet deſiccari ab humore carnalis delectationis per ardorem dilectionis *Sol in meridiano exurens montes.* *Eccl. 43.* Sexto debet radi per ſatisfactionem. Pſalm. *Paratum cor meum Deus.* *Pſal. 107.* Septimo debet permutari per manſuetudinem *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* *Iacob. 1.* Octauo debet regulari per exemplorum ſanctorum conſiderationem *Sol deſcendit in horologio Acham per decem lineas.* *Iſa. 39.* Sol, id eſt, cognitio Dei per has regulas deſcendit. Nono ſuper ipſum ſcribitur per tenacem memoriæ impreſſionem. *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* *Eccl. 21.* Decimo corrigitur per diſcuſſionem. Pſalm. *Iuſtitia & iudicium correctio ſedis tuæ.* *Pſal. 95. Idem. 39.* De tali libro poteſt dicere Spiritus ſanctus illud Pſalm. *In capite libri ſcriptum eſt de me*, ſecundum Innocent. id eſt, in recta conſcientia, quæ dicitur liber. *Liber cõſcientiæ quomodo vitiatur.* Sed multi vitiant iſtum librum, & pro ſcriptura Dei ſcripturam ſcribunt diaboli. Aduertamus ergo quid ſcribamus, dum liber noſter eſt in manibus noſtris, vt quod falſum eſt corrigamus, dum poſſumus per miſericordiam. Sed hæc eſt conditio oculi, quod optimè videat alia à ſe, quæ

ex di-

ex directo ſibi opponitur, ſed ſemetipſum nullo modo poteſt videre, niſi ſpeculo repræſentante ſibi; Eodem modo ſeſe res nobiſcũ habet, vt qui aliorũ defectus optimè notamus, proprios vero non videmus, niſi fortè per ſpeculũ, hoc eſt, per correctionẽ alicuiꝰ ſancti. Hinc noſtrũ quẽlibet arguit

Matt. 7.

Saluator; *Quid vides feſtucã in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis, vt eijcias feſtucam de oculo fratris tui*. Reuera enim difficillimum eſt cognoſcere ſeipſum. Non enim ſolus oculus, quæ extrinſecus habentur inſpiciẽs, ſeipſum non valet intueri, ſed etiam mens ipſa ſatis acuta, aliena delicta contemplãs tardior eſt erga ſuorum cognitionem vitiorum, & ideò ſignanter dicitur vnicui-

Ierem. 1.

que noſtrum illud Hieremiæ *Vide quam amarum & malum eſt dereliquiſſe te Deum tuum*. Tantum de primo.

II.

Hic liber continet tres.

Liber ſupernaturalis & gratuitæ reparationis eſt liber gratiæ, qui eſt Chriſtus, qui confert gratiam; quia lex per Moyſen data

Ioan. 1.

eſt, gratia autem per Ieſum Chriſtum: & hic continet tres libros, ſcil. librũ vitæ & prædeſtinationis æternæ; vitæ præſentis iuſtitiæ; & vitæ exemplaris imitationis. De

Luca. 10. Liber prædeſtinationis.

libro prædeſtinationis æternæ dic.; *Gaudete quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*. In iſto libro ſcripti ſunt tantum boni: quia mali de ipſo finaliter delebuntur, licet ſe æſtiment in eo ſcriptos, iuxta illud; *Deleantur de libro viuentium*. Vnde dicit Auguſt. quod iſte liber ſit notitia Dei, quia prædeſtinauit ad vitam, *quos præſciuit conformes fieri imaginis filij ſui*. Nõ ergo eſt intelligendũ quod aliquid in hoc libro ſcribatur, & poſtea deleatur; ſed ita accipiẽdũ eſt. *deleantur de libro viuentium*, ſcil. ſecundum ſpem eorum, qui putant ſe in illo

Prædeſtinatio in quo conſiſtat.

ſcriptos. Vnde Thom. dicit in 1. ſententiarũ, ꝙ prædeſtinatio conſiſtat in deſtinatione alicuius in finem hic per gratiam, & in futuro per gloriam: & inter cætera inquit, Quemadmodum in libris ſcribitur aliquid ad ſuccurrendum memoriæ; ita Dei notitia memoriter & firmiter tenet, quos prædeſtinauit: & ſicut ſcriptura eſt ſignum eorum, quæ futura ſunt; ita notitia Dei eſt ſignum apud ipſum eorum, qui ſunt ſaluandi. Nullus itaque deletur de hoc libro vitæ, qui ibi ſemel ſcriptus eſt. Nam ſecundum Auguſtinum Deus certiſſima ſcientia tenet eos, quos prædeſtinauit ante conſtitutionem mundi regnaturos cum filio ſuo in vita æterna. In quo quidem libro mali non ſcribuntur, ſed potius delentur, non vt iam ſcripti poſtea deleantur, ſed quia hi, qui nunquam ibi erant, ſcripti abolentur. Hæc ille.

Liber præſentis iuſtitiæ.

Secundus liber ſub ſupernaturali contentus eſt liber præſentis iuſtitiæ, in quo

Pſal. 138.

ſcribuntur boni & mali; iuxta illud *In libro tuo omnes ſcribentur*. Gorra exponit, id eſt, tam perfecti, quam imperfecti; ſicut in arca Noë non ſolum aues, ſed etiam iumẽta ſaluata ſunt: ſed taliter ſcripti ſæ-

Iſidorus.

pius delentur. Iſid. l. 1. *Multos credendum eſt poſſe perire in die iudicij ex eis, qui nunc electi videntur, & ſancti*. De his propheta ait; *Vocabit Dominus iudicium & ignem, & vocabit abyſſum multam, & comedet partem domus*. Pars quippe domus deuorabitur, quia etiam illos in inferno abſorbebit, qui

Matt. 7.

nunc ſe eſſe in præceptis cœleſtibus gloriantur. de quibus Dominus dicit; *Multi dicent mihi in die illa; Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus &c. & confitebor illis, quoniam nunquam vos noui*. Hæc

Obiectio.

ille. Sed dices quare qui modo ſcripti ſunt in libro præſentis iuſtitiæ, qui eſt liber in quo ad præſens ſcribũtur bona & mala cuiuslibet. quæ in futuro reducentur ad memoriam, ſecũdum Auguſtinũ, finaliter nõ omnes ſaluabantur, cum tamẽ dicat Chri-

Ioan. 5.

ſtus; *Omne, quod dat mihi Pater, non perdam ex eo*; Si ergo non perdet, quomodo multi fideles qui modo ſunt Chriſtiani perden-

Reſponſ.

tur? Reſpondeo ſecundum Lyrã ſuper Ioannem c. 5. quod illi, qui dati ſunt Chriſto, non ſolũ ſecundũ præſentem iuſtitiam, ſed etiã ſecundũ æternã prædeſtinationẽ, non perdentur ab eo: quia ſi tales ceciderint, finaliter tamẽ reſurgent. Vnde Chriſtus;

Ioan. 17 Liber exemplaris imitationis.

Cum eſſem cum eis, ſeruaui eos, & nemo perijt niſi filius perditionis, ſcil. Iudas; id quod non accidit ex defectu cuſtodiæ Chriſti, ſed ex malitia ipſiuſmet Iudæ. Hæc ille. Tertius liber ſub iſto contentus eſt liber exemplaris imitationis: & dicitur Chriſtus liber

vitæ quatuor rationibus, ſecundũ Gorran. ſuper epiſtolã ad Phil. 4. Primo quia liber [*Heb. 4.*] viuens *Viuus enim eſt ſermo Dei* Et. [*Apoc 21.*] *Non intrabunt in eã, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ & agni;* ſecundo quia eſt liber viuentium. [*Ibid 20.*] *Qui nõ eſt inuentus ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* [*Baruch. 4.*] Tertio quia eſt liber viuificans. *Hic eſt liber mandatorũ.* Quarto [*Apoc. 20.*] quia eſt liber viuendi *Alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ;* Propriè ergo Chriſtus eſt liber vitæ quia in Chriſto omnia viuunt. *In ipſo* [*Act. 17.*] *viuimus, mouemur, & ſumus.* Et. [*Ioan 14.*] *Ego ſũ via, veritas, & vita.* Eſt ergo vita omniũ, quia in ipſo, de ipſo, per ipſum, & propter ipſum viuunt: Inſuper quia exemplo Chriſti viuunt ſicut vita perfecti hominis dicitur vita Chriſti, quia ſimilis eſt Chriſto iuxta il- [*Gal. 2.*] lud: *Viuo ego iam non ego viuit autem in me Chriſtus.* Hic eſt liber grandis, de quo Iſaiæ dicitur, & vnicuiq; noſtrũ; *Sume tibi librũ grandem.* Grandis dicitur, quia omnia beneficia, quæ nobis dare potuit Deus Pater, in eo ſcripta ſunt: quæ autem ſcripta ſint, breuiter explanantur in titulo eius, qui eſt, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum; in quo nobis exempla imitanda proponũtur. Primo enim dicit Ieſus, quod interpretatur Saluator. Ecce remiſſio peccatorum. [*Matt. 1.*] *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum,* ſi ergo ſaluat à peccatis, igitur ſalutem ab eo humiliter poſtulemus, & quæramus. Secundo dicitur Nazarenus, quod interpretatur floridus, vt nos ſimiliter virtutibus floreamus, vt flores noſtri ſint flores fructus honoris & honeſtatis. Tertio dicitur Rex à regendo, vt nos regere doceat actus noſtros & opera noſtra, ſenſus, corda & corpora noſtra. *Fecit nos* [*Apoc. 5.*] *Deo noſtro regnũ.* Quarto dicitur Iudæorũ, id eſt, confitentiũ, qui eum per fidem cõfi- [*Pſal. 91.*] tentur Dominum ſuum, & humiliter cõfitentur peccata ſua. Pſal. *Bonum eſt confiteri Domino.* Hic liber ſcriptus eſt intus, & foris intus donis & gratijs, & virtutibus; foris vulneribus in corpore: ſuprapoſitus autem eſt pulpito crucis, quia nullus eũ permittitur legere, niſi qui carnẽ crucifixerit cũ vitijs & concupiſcentijs. Sic in eo legit Apoſtolus qui dixit; *Chriſto confixus ſum cruci.* Ex his infero quod nullus benè vtatur, hoc libro, niſi qui quærit ſalutem, floret in virtutibus, regit affectus, & confitetur fidem Chriſti.

III.

[*Maria eſt liber.*] Liber virginalis & maternæ ſanctificationis eſt principium generationis Ieſu Chriſti, qui eſt virgo glorioſa mater Dei benedicta; de qua verificatur illud, quod ipſa de ſe ait; *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* Et ſequitur: [*Eccl. 24.*] *Hæc omnia liber vitæ.* Eſt autem liber hic multipliciter ſcriptus digito Spiritus ſancti; ideo multiplex eſt idem. Eſt enim mirabiliter ſcriptus in ſui conceptione & in mundum egreſſione; mirabilius in conuerſatione; & multo mirabilius in filij conceptione: quoad primum eſt liber ſanctus; quo ad ſecundum liber ſanctior; quo ad tertium ſanctiſſimus. De primo patet quia in conceptione [*1 Scriptura.*] & natiuitate ſua ab originali peccato fuit mundata, ſeu purgata & conſequenter ſanctificata: Fuit autem eius ſanctificatio excellentior cæteris ſanctificationibus aliorũ ſanctorũ, Secundũ D. Tho. [*D. Thomas. 3 ſent. diſt. 3.*] ſanctificatio triplex eſt & oẽs excellit ſanctificatio Mariæ. In ſanctificatione, quæ fit per legẽ cõmunẽ, originalis quidem tollitur culpa, ſed manet fomes, ſecundum quod eſt inclinans ad peccatum mortale & veniale: At in ſanctificatione in vtero non manet fomes, ſecundum quod eſt inclinans ad mortale, ſed manet inclinatio fomitis ad veniale, vt in Ieremia & Ioanne Baptiſta, qui peccatum actuale habuerunt, non mortale, ſed veniale; ſed in beata Virgine inclinatio fomitis omninò fuit ablata quoad vtrumq; & quod plus eſt, gratia ſanctificationis non tãtum repreſſit motus illicitos in ipſa, ſed etiã in alijs efficaciã habuit; vt quamuis eſſet pulchra, tamen non poſſet concupiſci nec concupiſcere carnaliter. Fuit ergo eius prima hęc ſanctificatio in vtero matris ſuæ, per quam fuit ab originali purgata, & fomes ligatus, ſic vt nunquã ad peccandũ impegerit. Secũda [*2. Scriptura.*] ſcriptura, quã ſcripſit Spiritus ſanctus in hoc libro, fuit adhuc multo excellentior, & mirabilior, & hæc fuit in eius vitæ conuerſatione, quæ multiplicibus virtutũ generibus fuit ornata; de qua dicit Ambr. in hæc [*Ambr. l. 2. de virginit.*] verba; *Sit nobis,* inquit, *tanquam in imagine deſcripta Maria, ex qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis: hinc ſumatis*

matis

matis exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa ſunt probitatis: in hac quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, oſtenditur. Et ſequitur; *Primus diſcendi ardor eſt nobilitas Magiſtri: Quid nobilius Dei matre? quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generat? De cæteris autem virtutibus Mariæ quid loquar? Virgo erat nõ ſolum corpore, ſed etiam mente quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulteraret affectum corde humilis verbo grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior: non in incerto diuitiarum ſed in Chriſto ſpem ponens; intenta operi verecunda ſermone; cuius erat propoſitũ non hominem, ſed Deum quærere; nullum lædere, ſed velle omnibus; maioribus natu aſſurgere; æqualibus non inuidere fugere iactantiam ratione ſequi, amare virtutem. Quando iſta vultu læſit parentes? quando diſſenſit à propinquis? quando faſtidiuit humilem? quando deriſit debilem? quando vitauit inopem? eos ſolos cœtus virorũ ſolita inuiſere, quos miſericordia non erubeſcit, nec præterit verecundia: nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. non geſtus fractior, non inceſſus inſolentior, non vox petulantior, ſed talis fuit, vt ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fieret mentis & figura probitatis.*

3. Scriptura. Tertia ſcriptura huius libri fuit excellentiſſima, quia Spiritus ſanctus ſcripſit in conceptione filij Dei, per quam fuit fomes ablatus ſecundum eſſentiã, & gratia ſuperaddita, quę flexibilitatem liberi arbitrij determinat ad bonũ, quod extunc nullo modo ad malũ potuit flecti: Vnde tunc cõfirmata fuit, ſicut in via potuit fieri, & ita ſanctificata, vt deinceps peccare non potuerit. In prima ſanctificatione fuit ſanctificata quoad perſonam; in ſecunda quoad materiam pro materia prolis; ex iſta autẽ ſanctificatione conceptionis Chriſti, poſtquam eam filius Dei inhabitare nouẽ mẽſibus dignatus eſt; fuit adhuc mirabilius deſcripta gratiarum prærogatiuis; quia per hanc omnes diſpoſitiones fomitis fuerunt ſublatæ; ſicut quando curatur morbus, adhuc remanent reliquiæ curandæ. Simul etiã ita directa eius voluntas fuit ad diuina, vt ex hoc licitis vſibus & matrimonialibus eã aptari eſſet impoſſibile. Vnde tum, vt dicit Thomas, non ſolũ mens, ſed etiam corpus eius reſplenduit ſumma puritate. Per primam ergo excellebat omnes baptizatos; per ſecundam excellebat puritatem Adæ, quam habuit ante peccatum; per tertiam confirmationem Angelos excellebat; quoniam illi nec creſcere poſſunt in præmio ſubſtantiali, ſicut nec decreſcere; ſed beata virgo potuit creſcere in merito, & non decreſcere. Hæc D. Thomas.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS. SERMO.

Exaltaui lignum humile. Ezech. 17.

PLVRES ſunt cauſæ propter quas venerandum crucis lignũ dicitur exaltatũ. *Primo* namque meritò exaltatum dicitur ob cõtactum membrorũ Chriſti, & ſanguinis eius aſperſionem: & hoc eſt quod canit eccleſia. *Arbor decora, & fulgida, ornata Regis purpura*; Et in legenda ſancti Andreæ legitur; *Salue crux quæ in corpore Chriſti dedicata es; & ex membris eius tanquam margaritis ornata.* Et iterum, *O bona crux quæ pulchritudinem, & decorem ex membris Chriſti accepiſti &c.*

Caussæ exaltationis S. Crucis. 1.

Secundo exaltata eſt fidelium veneratione: quæ enim prius fuit ignominioſa, nunc fidelium veneratione facta eſt glorioſa; quę prius fuit dedecoris & horroris, nunc eſt honoris & decoris. Vnde prius pendentes in ligno erant maledicti; nunc autem imitantes CHRISTVM dicuntur benedicti. Hinc beatus Andreas; *Antequam*, inquit, *Dominus aſcenderet ad te, timorem terrenum habuiſti, nunc autem amorem cœleſtem obtines,* 2.

& pro

3. *& pro voto ſuſciperis.* *Tertio* exaltata eſt in miraculorum operatione, ſicut legitur apertè tam in crucis inuentione, quam etiam in eius exaltatione: & quantum ad hoc ex parte crucis venerandæ verificari poterit illud Pſalm. *Exaltabor in gentibus & exaltabor in terra &c.* *Quarto* exaltata

4. eſt in hoſtium corporalium & ſpiritualiū ſuperatione. Chryſoſt. *Crucem diabolus vt enſem timet, in quo quaſi letale vulnus ſuſcepit &c.* Audiuiſtis ſupra de triplici cruce:

Propoſit. audiuiſtis de cruce latronis mali, & boni: reſtat dicere hodie de cruce Chriſti, in qua cum eo pendent perfecti. Dicit namque Greg. *Quanto perfectiores ſunt homines, tanto inueniunt, quod durius portant.* Cuius rei cauſa eſt, quia parua paſſio perfectos non mouet; vt ergo eorum paſſio mordeat, neceſſe eſt, vt in proficientibus proficiat, & in magnis etiam hominibus paſſio fiat magna. Vnde dicitur in figura apud Ezechielem:

Ezech. 1. *Cum eleuabantur animalia, eleuabantur pariter & rotæ.* Quid per animalia niſi electi? quid per rotas niſi tribulatio? Quanto ergo amplius electi eleuantur ad perfectionem vitæ, tanto magis & rotæ, id eſt, tribulationes ſequuntur homines, quantumcunque profecerint.

Crux electorum quatuor habet cornua. Crux hæc ſpiritualis figurata per crucem Chriſti, in qua pendent electi, ex quatuor etiam conſtat cornibus ad modum crucis Chriſti: pars inferior conſtat ex omnium terrenorum elongatione; pars ſiniſtra ex diuerſarum tribulationum perpeſſione; pars dextera in difficilium & arduorum operatione; & ſuperior pars in cœleſtium contemplatione.

Pars inferior. Primo inferior pars huius crucis conſtat ex terrenorum elongatione, vt videlicet tam operis effectum, quam animum maximè à terrenis occupationibus eleuemus: Qui enim cruci affigitur, ambobus pedibus (per quos affectum & effectum accipimus) à terra longius ſiue altius eleuatur. Similiter ergo neceſſe eſt, vt qui cum Chriſto crucifigi deſiderant, nihil de terrenis affectu & effectu contingant: & hoc eſt, quod dicitur apud Iſa.

Iſa. 51. *Eleuare, eleuare Ieruſalem*, id eſt, fidelis anima. Bis dicitur eleuare propter affectum & effectum. Sic dicitur apud Ierem. *Si ſeparaueris precioſum à vili, quaſi os meum eris.* *Ierem. 15.* Quid per precioſum niſi anima? quid per vile, niſi quæque terrena accipimus? De quo Auguſt. *Auguſt.* Nihil vilius terra dicitur, eo quod tam vilitate, quam veritate inferior eſt omnibus elementis; & ideo affectum & effectum à terra eleuemus, & nihil occupationis & conſolationis, niſi quantum requirit neceſſitas vel obedientiæ iuſſerit auctoritas habeamus: & erimus quaſi os Dei, ſcilicet, vt ita familiaris nobis fiat, frequenter nos viſitans, ſicut nos ſumus familiares ori noſtro: quod ſi aliquo modo ex neceſſitate noſtra, aut præcipientis auctoritate in terrenis verſari oportet; hoc tamen ita agendum vt ſemper intentio noſtra in Deū ordinetur, vt videlicet illa non propter lucrū, nec propter delectationē, ſed purè propter Deū faciamus. In hunc ſenſū ſic Greg. *Greg.* *Ea*, inquit, *quæ nobis neceſſaria ſunt, ſic nobis ſeruiant exterius, quatenus à ſuperna delectationis ſtudio animā noſtrā non deflectāt, nec lucrū nobis internæ peregrinationis tēperent, hoc tādiu agentes, quouſque adiuti per gratiā omnia veniant in contemptū.* Et nota, in hac terrenorū alienatione vel abſtractione duplicē paſſionē nos cruciare: vnā in principio, aliam in fine.

Duplex paſſio in terrenorum alienatione. Paſſio principij eſt conatus abſtrahēdi, quæ vtiq; cruciat animalē hominē, cū à cōſuetis præcipitur abſtinere. Secūda paſſio nos crucians, nos afficit, cū conatu hominis & auxilio gratiæ adiuuātis ita veniūt omnia in contēptum, vt nihil delectet hominē niſi Deus, ſed omnia mundi ſint pœnalia: & ſicut in principio cruciabat hominē alienatio, ſic tum cruciat ad eadē inclinatio. In hoc cruciatu ſtetit Apoſtolus, dic. *Mihi mūdus crucifixus eſt, &c.* *Gal 6.* q. d. quæ mūdus habet pro delitijs, ego habeo pro ſupplicijs.

Dextrum cornu crucis. Secundū cornu ſc. dextrū cōſiſtit in difficiliū & arduorum operatione, vt ſemper exercitemus nos in his, quæ nobis maximè ſunt cōtraria, difficilia & pęnalia: Talibus laborioſis & duris operibus exhauriamus ſanguinē noſtrū, & offeramus ipſū Deo, ſicut ipſe pro nobis ſāguinē ſuū fudit: qua de re dicitur, *Effundūt ſanguinē belli in pace:* *3. Reg. 2.* ſanguinē. n. belli fundere eſt per ſāguinē perſecutorū martyriū ſuſtinere: ſanguinē autem belli in pace effūdere eſt corporali afflictione ſanguinē atte-

attenuare Hinc Bernardus: *Verè martyrij genus eſt in quotidiana corporis afflictione, illo nimirū, quo cæduntur membra ferro, mucrone, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius: ſic enim infirmis & puſillis corde neceſſe eſt, vt qui ſemel pœna non ſufficiant, mitiori & diuturniori martyrio ſanguinem fundant.* De his duris & aſperis laboribus patienter ſufferendis nos admonuit Dominus

Luc. 13.

apud Luc. dic. *Contendite intrare per anguſtam portam*; valdè enim anguſta eſt via illa, & fortiſſima indiget contentione.

Siniſtrum crucis cornu.

Tertium cornu crucis, ſcilicet ſiniſtrum conſiſtit in aduerſorum perpeſſione, quoniam ſi quis configi voluerit cum Chriſto in cruce, ſtatim aderunt aduerſa, iuxta illud Eccl. *Accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore, & ad tentationē præpara animam tuam.* Quis enim vnquam affixus cruci requiem habuit? *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Sed ſi compatimur & conregnabimus*, eodem Apoſtolo atteſtante. Quod ſi quis dicat: libenter me cruci Chriſti affigerem, ſed non eſt, qui me cruciet: huic ego reſpondebo: Ne timeas, nec ſoliciteris: Fidelis enim Deus, qui ſi quem voluntarium inueniat, non ſine tentatione permittet, ſed prouidebit ei de victima holocauſti. Armabit enim Deus contra te omnem creaturam, quia cœlum & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, commouebuntur aduerſum te; imò quod mirabilius, teipſum contra teipſum, iuxta illud; *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vndiq; & coanguſtabunt te &c.* Quod ſi benignus Deus voluerit hanc crucem clementius exercere in te, perfice tu, & age per te metipſum acrioribus verberibus, vigilijs, & diſciplinis, ac caſtigationibus temetipſum crucifige: dignum quippè eſt, vt qui configit ſe Chriſto, duris eius vulneribus ſe conformet. Sunt autem tria, quibus nos configimur Ieſu Chriſto, ſcilicet per rerum ſubtractionem in tenuiſſima paupertate; per corporalem afflictionem, in duriſſima infirmitate; vel per ſpiritualem tribulationē cordis & animæ, in profundiſſima anxietate. In his tribus verſantur omnes religioſorum paſſiones, quia non habemus aliud, in quo affligatur homo, niſi res, corpus, & animam; & ſic omninò omnis tribulatio

Eccl. 2. — 2. *Tim.* 3. — *Luc* 19. — *Confixio cū Chriſto fit tribus.*

in his tribus eſt incluſa: in quibus ſi ſaluabiliter pati volumus, conformemus nos domino noſtro Ieſu Chriſto, qui paſſus eſt innocenter, ſilenter, & amanter. Primò innocenter, quia de eius innocentia Pilatus, qui eum iudicauit, teſtimonium perhibuit, dicens; *Ego nullam cauſam in eo inuenio.* Et Pet. 2. *Peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Secundò ſilenter: vnde Propheta Iſaias inquit. *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & non aperuit os ſuum.* Et iterum: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Tertiò amanter, idque adeò, vt etiam in duriſſimis ſuis paſſionibus non ſe vindicârit, nec verbum vnicum querelæ emiſerit, quin & pro crucifixoribus ſuis Deum Patrem exorarit dicens; *Pater ignoſce illis &c.* Dicunt interpretes, quod ex virtute charitatis illius orationis, multi ad Deum è crucifixoribus ſint conuerſi. Qui ergò cum Domino ſe cupiunt crucifigere, debēt ſe omni poſſibilitate Domino ſua crucifixione conformare; ſcilicet vt paſſiones ſuas ſufferant innocenter, ſilenter, & amanter. Primò innocenter. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè.* Et ſubdit: *Quæ eſt enim gratia, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis?* quaſi dicat nulla? *In hoc enim vocati eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum; vt ſequamini veſtigia eius,* ſ. innocenter patiendo, ſicut & ipſe. Secundò ſilenter, vt quicquid nobis de opprobrijs, contumelijs, humiliationibus, de pœnis, vel de quibuslibet malis irrogatum fuerit, tacita conſcientia amplectamur, niſi ſcandala tollendo breuiter dicere velimus; Non ſum mihi de tali malo conſcius: ſic enim de ſanctis Martyribus canitur; *Cæduntur gladijs more bidentium*, id eſt, ouium, *non murmur reſonat, non querimonia, ſed corde tacito mens bene conſcia conſeruat patientiam.* Tertiò amanter ſufferamus, ſicut Chriſtus, de quo Pet. *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non cōminabatur.* Sic & nos contra maledictores noſtros odium non feramus, ſed diligamus eos, vt promotores noſtros, & benefactores, conſiderantes, quod nobis coronas fabricent ad ſalutem. Sic legitur de ſancto Dauid, quod cum Semei fugientem Dauid

Paſſio noſtra conformāda Chriſto. — *Iſa.* 53. — 1 *Pet.* 2. — 1. *Pet.* 2. — 2. *Reg.* 16.

malediceret, mittens contra eum lapides, dicens eum virum ſanguinum, virum Belial; dixit Abiſai filius Saruiæ; *Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo regi? Vadam ego, & amputabo caput eius. Et ait rex David Quid mihi & vobis filij Saruiæ dimittite eum, vt maledicat mihi iuxta præcepta Domini ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac.* Qui ergò voluerit cum Domino crucifigi, debet ei, per quem ſibi opprobrij, contumeliæ, maledicti, aut cuiuslibet iniuriæ aliquid irrogatum fuerit, iniuriam charitatiuè dimittere, iuxta formã orationis Dominicæ; & cum amicabiliter amplecti dicendo; Benedictus tu à Domino, qui offers mihi miſericordiam & gratiam Domini mei Ieſu Chriſti. Hoc eſt quod in forma Dominicæ paſsionis apertiſsimè edocemur, quia expanſis manibus voluit crucifigi, vt ſi quiſpiam de ſuis crucifixoribus vellet gratiam, ſtatim amplexatus eum, reciperet dilectum, vt glorificetur ab eo, cum eum fuerit amplexatus. *Eleuabit certè Dominus ſignũ in nationibus procul, amplexabitur, & nõ erit qui eruat.* Tunc dilectus poterit dicere ad Chriſtum illud Canticorum. *Tenui eum, nec dimittam donec introducat me in æterna tabernacula:* ad quæ introducat nos pariter Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſine fine viuit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Cant. 3.*

DE SANCTO MATTHAEO EVANGELISTA. SERMO.

Sequere me. Matth. 9.

Argumẽtum diuinæ miſericordiæ.

Licet multa, ac varia argumẽta diuinæ miſericordiæ & propitiationis erga genus humanum, tàm in creaturis ſuperioribus, quàm medijs, quàm etiã inferioribus poſſint apparere diligenter perſcrutanti; Nam *facit ſolem ſuum oriri non ſolum ſuper bonos, ſed etiam ſuper malos & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos,* tolerat in terra electos ſuos & reprobos, de qua & paſcit omnes indifferenter, iuxta illud; *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione:* Quia tamẽ hæc omnia diuinæ pietatis indicia aſſiduitate nimia viluerunt, vt peccatorem ad ſperandam veniam vix mouere poſſint, hinc eſt, quod filius Dei veniens in hunc mundum, vt peccatoribus perfectam fiduciam remiſſionis peccatorum oſtenderet, cum peccatoribus miſericorditer conuerſari, ipſoſque ad ſequẽdum ſe vocare ſit dignatus, ſicut patet in hoc B. Apoſtolo, quem Dominus videns auaritiæ quæſtibus inhiare, vocauit dicens; *Sequere me.* Tria hic conſideranda: primò vocatio Chriſti piiſſima, cum dicitur; *Sequere:* ſecundò de ſequendi exemplaritate, cum dicitur, *me;* Tertiò de conſolatione peccatorum omnium, cum dicitur ſingulariter, *Sequere me.* *Matth. 5.* *Pſal. 144.*

I.

Maxima ſanè hic conſolatio datur peccatoribus, quos Chriſtus non abijcit, ſed ad ſe vocat, dicens vnicuique; *Sequere,* ſicut & dixit huic Apoſtolo. Non poteſt peccator deſperare, quando audit Dominum Deum dicentem; *Sequere me.* Non ait diſcede à me fili iniquitatis, vel fuge à me, ſed *Sequere me,* quaſi diceret; *Etſi erraſti, ſicut ouis quæ perijt;* ego tamen ad hoc deſcendi, vt more pij paſtoris reducam te. *Conuerſi eſtis ad paſtorem animarum veſtrarum.* Et: *Ego ſum paſtor bonus.* Certè bonus & pluſquam bonus, qui te potuit non ſolum doctorem, ſed etiam viam ad patriam, à qua aberrauimus. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Hoc ergò attendens B. Matthæus ſecutus eſt Chriſtũ; & hoc tripliciter. Primò celeriter, quia ad vnius iuſſionis vocem, quia mox vt vocatus eſt, ſtatim ſecutus eſt, nulla ſigna, nulla miracula facientem videns: cum è conuerſo dicatur de reprobis. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.* Secundò congruenter, quia Chriſtum paupere pauper ſecutus eſt: Nam relictis omnibus ſecutus eſt quia ſcil. ſe, ſuos, & ſua reliquit, vt dicitur Luc. 5. Tertiò faciliter, quia abſq; aliqua promiſſione *1. Pet. 2.* *Ioan. 10.* *Ibid. 14.* *Ioan. 4.*

Vocatio Matthæi mirabilis. ſione. Hæc autem vocatio fuit admirabilis ex tribus: primò ex parte vocationis, quia nondum deſtiterat à malis; & tamen vocatus eſt per Chriſtum: quod ideò factũ eſt, vt daretur ſpes deſperatis, quos Chriſtus etiam vocet, licet indignos. *Vocat ea quæ nõ ſunt tanquã ea quæ ſunt.* Et: *In hoc eſt charitas Dei; non quaſi nos dilexerimus Deũ: ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Vnde Propheta dicit: *Miſericordia eius præueniat me.* Nequaquam enim alias mens noſtra ad bonũ aliquando ſurgeret: nam licet appetitus naturaliter ſit inclinatus ad bonũ, eò quod omnia bonum appetunt, & maximè homo, cui naturaliter eſt inſita boni perf. cti cupiditas, ſecundũ Boet. in l. de conſ. tamẽ neceſſaria eſt gratia Dei mouens & promouẽs ad bonũ & conuerſionem ad Deum. Vnde Henricus de Vrimaria dicit, quod licet omni animæ virtutum quædam ſemina ſint complantata, tamen niſi hæc miſeratione diuina fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt prouenire: quia nec qui plantat eſt aliquid, nec qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Hæc ille. Hæc autem diuina miſeratio ſemper eſt in promptu eſt iuxta illud; *Ego ſto ad oſtium & pulſo, &c.* Ex his patet deteſtabilis error dicentium; Si Deus vellet, eſſem bonus. O fatuitas, & blaſphemia! Nonne audis Apoſtolum dicentem: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Et iterum. *Vult omnes homines ſaluos fieri.* Non eſt ergò aliquid in Deo ſed in noſtro corpore & deſidia, qui vel nolumus gratiam recipere, vel receptã nolumus conſeruare. Vnde quod quis ſit malus, ſibi, nõ Deo imputet: quod aũt bonus, Deo, non ſibi aſcribat, quia ab ipſo omne bonum, & nullum malum. Secundò fuit vocatio iſta mirabilis ex parte vocati, quia ſine miraculo aliquo ſecutus eſt Chriſtũ. Sed quid mirum? cum dicat Hier. *Fulgor quidam ex eius oculis & facie exibat, qui peccatores ad ſe trahebat ſicut magnes ferrũ.* Tertiò vocatio iſta fuit mirabilis, quia Chriſtus eũm obligatũ ad rationẽ alienam, vocat eum præiudicio alterius, ſc. Domini, a quo telonium tenebat; quod facere, vt videtur, non debuit cũ dicat ſaluator; *Vade primo reconciliari fratri tuo.* Sed poteſt dici, quod Domino omnium hoc facere licuit, cui non eſt qui dicat, *Cur ita facis?* Ipſe enim non tenebatur minori Domino ad rationem, qui à Domino omnium vocabatur. *Obedire magis oportet Deo, quam hominibus.*

1 Cor 1.

1 Ioan 4.

1.Ethicor.

Apocal. 3.

1.Theſſ 4.

1.Tim 2.

Iacob 1.

Matth 5.

Act 5.

II.

Exemplum perfectionis in ſe Chriſtus voluit oſtendere, nõ in alio; ideò addit *Me,* quaſi dicat: *Inſpice, & fac ſecũdum exemplar, in me tibi monſtratum.* Me ergò ſequere, non mundũ qui eſt deceptuoſus; nõ carnẽ, quę corruptibilis eſt, ſed me qui verax, non diabolum, qui crudelis eſt, ſed me veracem in promiſſione; veraciorẽ in retributione; veraciſſimũ in æterna conſolatione. Sciẽdum quod diuerſi diuerſimode Chriſtũ ſequantur: nam quidã omninò non ſequuntur Chriſtũ; quidam ſequuntur, ſed impulſi; quidã ſequuntur etſi non impulſi, tamen attracti; quidam ſequũtur expediti, alacres & læti, ſpontanei & voluntarij, & hi ſunt perfecti. Eiuſmodi fuit D. Matthæus Apoſtolus. Primi qui omninò nolũt ſequi Chriſtũ, ſunt homines vani, mundani, & diſſoluti, qui potius eligunt concupiſcentias ſuas ſequi, quæ videntur eis valdè faciles, leues, delectabiles; vt ſunt illi, qui intendunt vanitatibus ſæculi, quibus videtur facile omne difficillimũ, omne falſum verũ, omne prauũ optimum. Sed hi dicent in fine. *Ambulauimus vias difficiles &c.* Verè difficiles, quia conſumũt patrimonia & corpora, inſuper & animas perpetuis pœnis exponunt. O Cæcus amor! O inſenſatio mentis quæ dicit *bono malum, & malo bonum?* Sed vnde eſt, quod tales ſequãtur libentius iſta vana, quã Chriſtum? Reſpõdeo id euenire ex falſa opinione taliũ: inueniunt n. multas occaſiones, ꝓpter quas excuſari poſſint à ſeruitio Dei; dicunt n. primo dura eſſe diuina præcepta, ſicut & illi apud Ioan. *Durus eſt hic ſermo, & quis intelliget eũ.* Hoc faciũt oẽs fatui dicentes, Nunquid oẽs debemus eſſe monachi, vt ita ſanctè viuere debeam⁹. Nil minus, ſed ſufficit nobis via communis, & ſeruare decẽ præcepta, ad literã ſeruem⁹ ea. Sed verè non eſt ita: nã Chriſtianis dicitur. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Phariſæorum & Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 5. Nõ ergo ſufficit Chriſtiano non adorare idolũ, ſed nec amare quãcunq. creaturã præter Deu: non

Exod. 25.

Chriſtus ſequẽdus.

Vani & mundani nolunt Chriſtum ſequi.

Sap. 5.

Iſa 5.

Excuſationes mundanorum. Prima.

Ioan. 6.

Matth. 5.

Præcepta ad literã ſeruare nõ ſufficit Chriſtiano.

Non ſufficit abſtinere à pariurio; ſed oportet abſtinere etiam ab omni otioſo verbo: non ſolum non laborare die feſto, ſed nec otiari, ingurgitari, vel ludos exercere, aut iocos, choreas ducere, & cantilenas laſciuas cantare; non ſolum honorare parentes carnales, ſed etiam Confeſſores, Prædicatores, Presbyteros, & omnes Patres ſpirituales: non ſolum non mœchari, ſed nec illicito aſpectu videre mulierem ad concupiſcendum; non ſolum non occidere, ſed nec iraſci: non ſolum non falſum teſtimonium ferre, ſed nec veritatem reticere, & ſic de alijs præceptis ſpiritualiter implendis. Secundò dicunt tales; Ad quid ſerui-
2. Excuſatio. endum eſt Deo, cum videamus malis melius eſſe, quam bonis? Pſal. *Zelaui ſuper ini-*
Pſal. 72. *quos pacem peccatorum videns*. Sed falſa eſt excuſatio, quia idem Pſal. dicit, *Nunquam*
Pſal 36. *vidi iuſtum derelictum*; Et mali qui florent, citò decident. Pſal. *Tranſiui, & ecce non erat, nec inuentus eſt locus*. Tertiò dicunt ta-
3. Excuſatio. les; Ad quid ſeruiendum eſt Deo, cum ſuos non iuuet, ſed tribulationibus exponat?
Abacuc. 1. *Taces conculcante impio iuſtiorem ſe*. Sed certè in pſalm. dicitur. *Adiutor in tribulationibus, in oportunitate*, id eſt, tempore opportuno. Et Apoſtolus. *Fidelis Deus eſt, qui nõ patietur vos tentari ſupra illud, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere*. Quartò dicunt tales; Ad
4 Excuſatio. quid ſeruiendum eſt Deo, cum ſemper ipſe ſuos affligat: *Mutatus es mihi in crudelem*.
Iob 30. Sed certè dicitur; *Ego quos amo, caſtigo*. Et:
Apoc. 3. *Flagellat omnem filium, quem recipit*. Quin-
Hebr 12. tò dicunt tales; Quare ſequendus eſt Chri-
5. Excuſatio. ſtus, cum ſuos non videatur remunerare? Vnde apud Mal. *Dixiſtis Vanus eſt, qui ſeruit*
Malach. 3 *Deo; & quod emolumentum habemus, quia ſeruiuimus ei, vel quia præcepta eius cuſtodi-*
Gen 15. *uimus?* Sed certè dicitur in Geneſ. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*; Nõ eſt ergò excuſatio non ſequendi Chriſtum omnibus talibus. Secũdi ſunt, qui etſi Chriſtum ſequuntur, tamen coacti & compulſi. Impelluntur autem tripliciter: primò ti-
Qui compellantur ſequi Chriſtum. more inferni; ſecundò pudore humano; tertio paupertate mundi. Multi ſunt, qui ſi neſcirent pœnas inferni, non curarent de præmijs cœli: Multi qui ſi homines non vererentur, Deum non reuererentur: multi, qui ſi eſſent diuites, nunquam recordarentur Dei, qui tamen in paupertate cogũtur ad Deum ſuſpirare; & hoc eſt, quod Luc. 14.
quoſdam Dominus iuſſit ad cœnam compelli: quod fit per defectus, tribulationes, & anguſtias, infirmitates, damnationes, pericula rerum, per mortem amicorum. Vnde Gregor. *Mala, quæ nos hic premunt,* Quidam trahuntur ad ſequendum.
ad Deum ire compellunt. Tertij ſunt, qui ſequuntur Chriſtum attracti, de quibus in pſalm. *Confitebitur tibi, cum benefeceris illi*. Iſti ſunt ſimiles muſcis quæ ſequũtur mel; & lupis, qui ſequuntur cadauer; & formicis, quę ſequuntur frumenta: Sic enim & iſti ſeruiunt Deo, vt conſequantur delitias, diuitias, & honores. Talis fuit ille qui dix- Matth. 8.
it; *Magiſter ſequar te, quocunque ieris*. Cui Chriſtus reſpondit; *Vulpes foueas habent*. Quarti ſunt, qui ſequuntur Chriſtum onerati, ſicut diuites & auari, qui grauantur la- Auari ſequuntur onerati.
bore in acquirendo; timore in ſeruando; dolore in perdendo. *Vidi cuncta ſub ſole, &* Eccl 1.
ecce nihil aliud, niſi labor & afflictio ſpiritus. Omnes iſti imperfectè ſequuntur Chriſtũ. Quinti ſunt, qui perfectè, quia voluntariè, Qui perfecti Chriſtum ſequantur.
non coacti, non attracti, vel allecti terrenis, ſed æternis: non onerati corruptibilibus, ſed expediti in omnibus, ſequũtur ſolũ Chriſtũ, quęrentes illi ſoli placere; intendẽtes, vt eum ſolum in vita, & in moribus, & conuerſatione imitentur. Tales fuerunt Apoſtoli, qui videntes Chriſtum reſpuiſſe omnia ſeculi bona, & ipſi ſimiliter reſpuerunt: & hæc eſt perfecta ſequela Chriſti, quæ conſiſtit in volũtaria paupertate. Sunt autem tres rationes, quare ſancti & perfe- Cur ſancti pro Chriſto omnia relinquant.
cti Chriſtiani omnia relinquant pro Chriſto: primo quia Chriſtus, cum diues eſſet, factus eſt pro nobis pauper. 2. Corinth. 8. *Dimiſi hereditatem, & domum meam propter te*; ſecundo, vt Chriſtum expeditius ſequerentur, & induſtrius cum hoſte pugnarent: ſicut enim oneratus ſarcina non poteſt cito currere, ſic nec diues in virtutibus proficere. *Facilius eſt camelum &c.* & ſic Matt. 19.
pugnans tonſus & raſus non habet, quo ab hoſte rapiatur: ſic & relinquens omnia. *Tonde capillum, & proijce*. Hinc & Chriſtus. Ierem. 7.
Venit princeps mundi huius & in me non habet quicquam. Ioan. 14.
Tertio vt ſemper parati ſtarent, quando à Domino vocarentur. *Vos*

eſtote

eſtote parati. Diuites nõ ſunt parati ad mortem, quia habent facere teſtamenta, reddere debita, prouidere familiæ, vxori, filijs, & timere, nè relinquant alienis. Nec ſolum in morte, ſed & in vita diuites non ſunt parati, quia ſemper ſunt turbati labore & dolore. Inſuper reliquerunt omnia, vt ſolum Chriſtum ſibi monſtrarent ſufficere. Auguſtinus. Nimis cupidus eſt, cui non ſufficit Chriſtus.

III.

Sequere me. Nuſquam legimus iſta verba dixiſſe iuſtis, ſed peccatoribus; ideò maxima conſolatio debet eſſe deſperatis, qui etſi offenderunt Deum, tamen eis dicitur: *Sequere me,* & non auerteris à me: quia Eccleſia magis celebrat feſta ſanctorum per pœnitentiam ſaluatorum, quam per innocentiam. Nam & Abel erat iuſtus, vt Saluator teſtatur; & Iob ſimplex & rectus, cui non fuit ſimilis in terra; & Enoch vir perfectus in generatione ſua cum Deo ambulauit; & Abraham iuſtus & perfectus etiam coram Deo ambulauit; qui & credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam in ſempiternũ: Hieremias & Iſaias in vtero ſanctificati; Dauid vir ſecundum cor Dei inuentus, & oleo ſancto Dei vnctus. Salomon in omni ſapientia doctiſſimus, ſed & in nouo teſtamento multi ſanctorum per innocentiam vitæ ſaluat, vt Alexius, Anthonius, Macharius, cæterique Eremitæ: quorum tamen feſta Eccleſia rarò & ſimplici, non ſolemni celebritate celebrat, imò de quibuſdam nullam facit memoriam: alios quos gratia Saluatoris per pœnitentiam multiplicat, replicat frequentius conuertendo recidiuantes; ſic de Petro, ſic de Matthæo, ſic de multis alijs. Ad quid autem aliud, quam ad dandum fiduciam veniæ de peccatis? Vnde non eſt aliqua ſpes deſperationis, quæ non extinguatur à magnitudine diuinæ miſericordiæ, iam in ſanctis oſtenſa. Sunt autem ſex ſpecies deſperationis: nam quidam deſperant propter multitudinem peccatorum, ſicut Cain dicens; *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Secundò propter magnitudinem peccatorum. *Peccator cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Tertiò propter turpitudinem peccatorum, quia quidam potius deſperent, quam turpe confiteantur ſacerdoti. Quartò propter diuturnitatem peccatorum: quandò enim quis ſtetit in peccato vſque ad mortem non habet vbi ſperet veniam, iuxta illud: *Eſt peccatum ad mortem, non dico, vt quis roget pro eo.* Quintò propter magnitudinem peccatorum, quia dicit apud ſe, quia rupiſti pœnitentiam, factus es ingratus, & ita pro vno ſicut pro omnibus damnaberis *Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus.* Sexto propter infamiam peccatorum, ex quo publicum eſt eorũ peccatum: dicunt enim tales: Quid prodeſt mihi pœnitentia, cum ſemper infectus ero apud homines. Contra iſtas omnes deſperationes habemus exempla miſericordiæ: Nam ſi deſperaſti propter peccati magnitudinem, habes Petrum qui negauit fidem, quod eſt maximum peccatum, & tamen Dominus reſpexit eum: Si deſperaſti propter multitudinem peccatorum habes Magdalenam, quæ habebat ſeptem dæmonia: cui Dominus dixit: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa.* Si deſperaſti propter turpitudinem peccatorum, habes deprehenſam mulierẽ in adulterio: Vnde ei dictum eſt. *Vade, & amplius noli peccare.* Si deſperaſti propter peccatorum diuturnitatem, habes latronẽ, qui vſque ad mortem in peccato perdurauit, & tamen meruit audire; *Hodiè mecum eris in paradiſo.* Si deſperaſti propter peccatorum magnitudinem, habes promiſſum Chriſti dicẽtis; *Nõ dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Si deſperaſti propter peccatorũ infamiam, habes Matthæum publicanum, cui dictum eſt; *Sequere me.* Nos igitur tantam miſericordiam Dei ſuper nos liberaliter effuſam ſentientes, tanto fiducialius ſpem veniæ habeamus, vt tandem gloriam conſequamur: ad quam &c.

* *
*

Marginal references: *Matt.23.* *Iob.1.* *Gen.4.* *Prou.18.* *1.Ioan.5.* *Iacob 2.* *Matt.26.* *Luc.7.* *Ioan.8.* *Luc.23.* *Matt.18.*

DE

DE SANCTO MICHAELE. SERMO.

Acceſſerunt ad Ieſum diſcipuli eius, dicentes; Quiſputas maior eſt in regno cælorum? Matth 18.

HOmo in creatione ſua maxima immeritus à Domino Deo accepit beneficia, dum ſ. illi non ſolum eſſe cum inanimatis, non ſolum vigere cum arboribus & plantis; neq; ſolum ſentire cum animalibus, ſed etiam intelligere & ratiocinari cõtulit in quo eum, vt inquit Dauid paulò minus ab Angelis minuit. Dedit enim ei poteſtatem cũ eis cognoſcendi diuinam maieſtatem paulò minus tamen ab eis, quia illi ipſius fœlicem notitiam iam habent per ſpeciem, homo verò per ſpem; illi facie ad faciem, homo verò per ſpeculum & in ænigmate; illi plenè, homo ex parte. Veruntamen in hoc eminet vniuerſos, & ipſis etiã Angelis præſtantior quodãmodo eſſe videtur, q ipſos ad ſui cuſtodiam & ſeruitium habeat deputatos. In hoc, inquit, D. Auguſtinus, diuinę dilectionis immenſitas erga hominem apparuit, quod cum eum ad ſuam imaginem creaſſet, quod non fecit Angelis, & cum hoc omnibus creaturis præpoſuiſſet; inſuper fecerit Angelos ſuos ſpiritus, quibus mandauit cuſtodire hominem in omnibus vijs ſuis. Vnde hi ſunt cuſtodes Hieruſalẽ, id eſt, hominum pertinentium ad cœleſtẽ Hieruſalem; qui cuſtodiunt vigiliam noctis ſuper gregem hominum, nè quando diabolus, vt leo, rapiat animas eorum, qui ſemper quærit quem deuoret. Hi ſunt ciues ſupernæ Hieruſalẽ; quæ ſurſum eſt mater noſtra, in miniſterium miſſi propter eos, quæ hæreditatem capiunt ſalutis, vt eos liberẽt ab inimicis ſuis, confortent contra tentationes, & orationes filiorũ ante conſpectũ diuinæ Maieſtatis offerant. Non n. inuident, ſed potiùs promouent conciues ſuos, per quos ſuę ruinę ſ. ſſuras reſtaurari expectãt; Ea propter magna cura & vigilanti ſtudio aſſiſtunt nobis omnibus horis, locis, momẽtis ſuccurrentes & prouidentes neceſſitatibus noſtris; vt ipſos, quos nunc habemus vitæ noſtræ cuſtodes in via meritorum noſtrorum, ante conſpectum diuinę Maieſtatis habere mereamur ſocios, ſicq; cum eis videre mereamur faciem Patris noſtri, qui eſt in cœlis; Dicitur namq; in fine Euangelij *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*, & propter hunc verſum hodie iſtud Euangelium legitur; in quo primò præcipitur humilitas; ſecundò prohibetur ſcandalum & contemptus puſillorũ; denique de Angelis agitur.

Aug in ſoliloquijs c.27.

Propoſite

I.

Diſcipuli Chriſti mouerũt inter ſe quęſt. quiſnam maior eſſet in regno cœlorũ; quæ quęſt. orta eſt ſecundũ Bedã ex illa aſſumptione diſcipulorum in monte, videbantur n. in hoc alijs præferri, quod admittebantur ad ſecreta eis reuelanda. Orta potuit etiã eſſe ex hoc, quod audiuerant Petro claues regni cœlorum collatas, ſuſpicantes ex hoc eum magnũ futurũ in regno cœlorum. S. Hieron. inde dicit natam, quod diſcipuli vidiſſent Chriſtũ Dominum pro ſe & Petro tributum dare; & hinc eum maiorem putabant. Acceſſerunt ergò & quæſierunt; Quis putas maior eſt in regno cœlorũ? Ecce optima quæſtio, quia quærunt de maioritate regni cœlorum, & non terreni; contra modernos Apoſtolos, quibus cura eſt tantum præeſſe, & non prodeſſe. Quamuis autem hæc ſit ſancta quæſtio diſcipulorum, tamẽ quia non recto zelo procedebat, cum primatũ deſiderarent, antequam miniſterijs ideo Dominus volens eis ſoluere quæſtionem prædictam adducit plures rationes exemplares. Et vt non ſolum verbis videretur arguere, aduocat in medium paruulum, paruulum, inquam, tam ætate, quam humilitate (Hic paruulus creditur eſſe B. Martialis, qui poſtea fuit Epiſcopus Lemonicẽſis) & ſtatuit eum in medio, vt æqualiter omnibus eſſet exemplar. Notanda ſunt plura in hoc

Matt. 17.

in hoc facto, quia ſcil. habet conuerſationem cum paruulo, cum dicitur; *aduocans:* ſimile enim nominat ſibi ſimile; & ſecundum Senecam, paruuli vocant illos, cum quibus ludere conſueuerunt. Secundò familiaritatem, vnde ſtatuit eum: Habet n. proprium humilitas, vt, nè cadat, metuat, quia ſi laquei diaboli tenſi ſunt ſuperius, inclinat caput; & ſi infra ſunt, præuidet, cum ſemper in imis gradiatur. Tertiò protectionem, quia in medio; qui n. in medio, tutior eſt: & nos ſi humilitatem ſeruamus omnium virtutum cuſtodiam, & protectionem habemus, ſine qua nulla virtutum poterit in ſuo robore conſeruari. Ex his verbis patet, quod humilitas ſit via ad regnū cœlorum, per quam & non aliam Dominus introiuit patriam, & conſequenter alios introduxit. *Habemus itaq; fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, qui initiauit nobis viam nouam per velumen*, id eſt, carnem ſuā. Via vetus eſt ſuperbia, qua primus Angelus de cœlo, & Adam de paradiſo exularunt. Chriſtus ergò (quaſi argueret regnum cœlorum ſolum humilibus dari, iuxta illud Prou. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria,) dicit. *Niſi efficiamini ſicut paruuli, &c.* Paruuli ſecundum Chryſ. & Hieron. ſuper Matth. de illatis malis non iraſcuntur, illata verbera non vlciſcuntur; de honore non gaudent, nec primatum appetunt; non ad diuitias anhelant acquirendo, ſed manſueti ſunt, humiles & puriſſimi: Ideò maxima capacitas eis erit in gloria. *Humilibus dat gratiam.* Præmialibus virtus eſt humilitas in proprio ſubiecto, & in alieno; ideò ſubdit *Et qui ſuſceperit vnum paruulum talem* meæ innocentiæ imitatorem, nō gratia cuiuſcūq; ſed *in nomine meo*, id eſt, ꝓpter amorē nominis mei, ſeu ad mei nominis ꝓuocationē. *me ſuſcipit* æqu ualēter, *Quia quicquid vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Qui autem ſcandalizauerit &c.* Dehortatur nos Dominus à ſcandalo, nè cui ſimus offendiculo; & ſcandali grauitatem & pœnam declarat, dum inquit. *Qui aūt ſcandalizauerit*, ſ. dicto vel facto minus recto, ſit occaſio ruinæ, id eſt, peccati mortalis dando occaſionem. *vnum*, (ergò multò magis plures) *de puſillis iſtis*, id eſt, infimis vel infirmis. Qui ſcandalizatur puſill[9]

Hebr. 10.

Proue 29.

Iacob. 4.

Matt. 25.

Scandalū prohibetur.

dicitur ſecundum Hieron. quia perfecti licet ſcandalizari poſſint, non tamen de facili ſcandalizātur. Hinc dicitur in Prouerb. *Non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit.* Quamuis aūt ſcandalum generaliter ſit malum, tamen magis fidelium: & ideò addit. *Qui in me credunt*; Magis n. vitandū eſt ſcādalum fidelium, quā infidelium. Sequitur. *Expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Ecce pœna ſcandalizantis puſillum. *Expedit ei*, id eſt, vtilius eſſet ei, ſi in ſua innocentia permanens ſuſtineret grauiſſimam pœnam, quæ vſitata fuit in terra Palæſtinorum, ſubmerſio ſc. in mari cum magno lapide ad collum appenſo, qualem aſini in molendino vertebant: quia ſic mortem æternam euitaret. Vel ſic de nocentibus exponatur idem; Melius eſſet pœnam pro culpa commiſſa pati hic, quam in futuro ęternis reſeruari cruciatibus, vt exponit Beda. Rabanus tamen qui ſubtilius hoc penſauit, exponit de pœna æterna ſic, *Melius*, id eſt. minus malum eſſet alicui. Qui enim peccat in habitu religioſo, multos lædit exemplo: & quamuis hæc pœna ſit contra omnes generaliter, tamen ſpecialiter eſt contra omnes Apoſtolos, qui quoniam mittendi erāt ad docendum puſillos & ignaros, nè de facili eos ſcandalizarent, exhortantur: ſic enim ipſi, vbi proficere debuiſſent, obfuiſſent, niſi præcuſtoditi fuiſſent. Quantū autem noceat ſcandalum Prælati, hic aduertat quilibet, quia ſunt velut lectio viua ſubditorū, & hi quicquid in ea legunt, ad ſuæ operationis trahūt exemplum. Vnde Greg. Quod legūt in vita noſtra ſubditi, ſiue bonū ſiue malū, nobis imputabitur, ſiue ad pœnam ſiue ad præmium. Idem in paſtorali. *Lectio viua eſt vita iuſtorum.* Sic & ſcandaloſa vita Prælatorum eſt damnatio ſubditorū. *Væ mundo à ſcandalis*, i. peccatoribus mūdanis ob ſcādala, quę nō cauēt. Sed quia Chriſto poſſet obijci. Si væ eſt venturū pro ſcandalis mundo, cur ergò pateris ea fieri, cum ſint aliorū impedimēta ſalutis? Poſſet ipſe reſpondere ſicut dicit quod ſequitur, *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala.* Non inquam neceſſe eſt, vt dicat ſimplicem neceſſitatē, ſine qua non poteſt eſſe; ſed neceſſe, id eſt, expediens eſt, vt veniant ſcandala ad alio-

Proue. 12.

Scandali pœna.

Greg. libr. 24. moral.

rum probationem: Tali enim neceſſitate neceſſe eſt & fieri hæreſes: *Vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis: Væ autem illi, per quem ſcandalum venit*, quaſi dicat, licet ſit vtile ſcandalum venire, tamen quia hoc non eſt ex intentione ſcandalizãtium quorum non eſt meliorare, ſed corrumpere; idcò propter talem finem, quem intendit quilibet talis, *væ* illi. Nec poſſunt excuſari, quod neceſſe ſit euenire, cum neceſſitas illa ſolum reſpiciat ſimplicem euentum ſcãdalorum, nõ radicem, ex qua ſcandala procedunt, ſed malitiam, quæ non ex neceſſitate, ſed libertate arbitrij procedit; & ideò totum imputatur libero arbitrio. Ideò conſequenter Dominus ponit cautelas circa huiuſmodi ſcandala dicẽs: *Bonum eſt ei &c.* Hoc Leo papa ad litteram impleuit; cum enim in Eccleſia maioris Mariæ in Paſcha celebraſſet, & fideles communicaret, & quędam matrona manum eius oſculata fuiſſet, in eum vehemens tentatio irruit, & eadem die manum ſe ſcandalizantem occultè amputauit & à ſe reiecit quam ei poſtea B. virgo reſtituit. *Si autem manus tua.* Hæc tria ponuntur, quæ ſcandalum facere poſſunt: aut enim quis ſcandalizatur per adiutorium, & ſic dicit de manu; aut per ſeruitium, & ſic dicit de pede; aut per conſilium, & ſic de oculo. De primo dicit; *Si manus tua*, id eſt adiutor tuus, ſecundũ Rabanum, quantumcunque vtilis; *vel pes tuus*, id eſt, diſcurſor vel ſeruitor in tuos vſus; *vel manus tua*, id eſt amicus in operandis; *vel pes*, amicus in ſupportandis. *ſcandalizet*, id eſt, lædat te per exemplum malum, maximè vt dicit Rabanus, in cauſa animæ *abſcinde eum*, ſ. affectum ipſum rumpendo *& proijce abs te*, ſocietatem eius deuitando; vel ſi ſit ſubditus *abſcinde*; excommunicãdo, & *proijce* euitando, aliquando tolerando: Sed ſi ſit prælatus, *abcinde* eum tolerando, & *proijce* euitando. Sunt quos caſtigare nõ poſſumus, dicit Auguſtinus; alias aũt vitãdi ſunt, quorum corruptione alij inficiuntur; & conſequenter ſubdit duplicem rationem, quare non ſint facienda ſcandala: primo propter conſecutionem æternę glorię; & hoc dicit. *Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem* ſine pernicioſo adiutore vel ſocio: *vel claudum* ſine pernicioſo ſuſtẽtatore vel amico; qui intelligitur per manum; *quam duas manus, vel duos pedes habentem*, id eſt, quam cum iſtis mitti in ignem æternum. *Si oculus tuus*, Gloſ. id eſt, prouiſor in conſilijs vel dilectus, ſicut oculus, *ſcandalizat*, id eſt, in errorem vult ducere, *erue eum*, ſeparãdo volũtate, *& proijce abs te*, ſocietate. *Bonũ eſt enim tibi cum vno oculo*, id eſt, ſimplici veritate *in vitam intrare quam duos oculos habentem*, id eſt, cum malis conſiliarijs, *mitti in gehennam*, & hoc eſt quod dicit Chryſo, Chriſtum hoc dixiſſe non de membris corporis, ſed de amicis & conſiliarijs, quos in ordine noſtrorum, vti ſpiritualium membrorum, vt ſpeciales habemus. Hi aũt neceſſariò vitandi ſunt, etſi non ſemper corpore, ſemper tamen, ſi ſcandalo ſunt, opera eorũ ſunt deteſtanda. Aliter tamẽ Gorr. exponit dicens; *Si aũt manus tua*. id eſt, opera tua, aut mercatio, aut aduocatio, vel huiuſmodi; *aut pes tuus*, id eſt, affectio tua & imaginatio carnalis & terrena, *ſcandalizat te*, dando occaſionem peccandi *erue eum*, non membrum, ſed affectum, nè faciat corruere, *& proijce abs te*, quantum ad affectum. *Bonum eſt tibi debilem*, id eſt, impotentem & tardum ad mala, vel debilem intrare ad vitam ęternam *quã quaſi duas manus habentẽ*, id eſt, diuitias terrenas ſic iniquè acquiſitas habentem, *mitti in gehennã*. Similiter de oculo: melius eſt cũ parua doctrina ire in regnum, quam cum multis literis ire in infernum. Vt aũt ſciamus qualiter, & quando peccati ſcandali rei ſimus, & quando non, notandum, ſcandalum eſſe duplex, ſ. actiuum, & paſſiuũ. Scandalũ aũt eſt dictum vel factum alicuius præbens alteri occaſionem ruinæ: contingit verò dictũ vel factũ alicuius eſſe occaſionem peccandi dupliciter: primò per ſe, quando aliquis per ſe malo facto vel modo intendit aliũ ad peccatum inducere, vel etiamſi ipſe hoc non intendat, ipſum tamen factum eſt tale, vt de ſui ratione habeat, vt ſit inductiuum ad peccandum puta quod aliquis publicè faciat peccatum, quod habet ſimilitudinem peccati; & hoc vocatur ſcandalum actiuum: ſed paſſiuum eſt, quando præter actionem operantis & præter conditionem operis aliquis malè diſpoſitus inducitur ad peccandum, puta cum quis inuidet bonis

1. Cor. 10.

Exemplũ de S. Leone.

Scandala quare non facienda.

Explicatio Gorrani.

Scandalũ actiuum

Paſſiuum

bonis aliorum:& ſic ille, qui facit, non dat occaſionem ruinæ, ſed ille ſumit occaſionem ſcandali paſſiuè. Dicit D. Thomas ꝙ ſcandalum paſſiuum imperfectorum non ſemper ſit peccatum mortale, ſed aliquando excuſetur à parte, nunquam in toto; ſicut & actiuum; poteſt tamen ſcandalum patientis eſſe ſine peccato agentis. Dicit idem B Thom. art. 7. Nullus debet quæ ſunt neceſſitatis omittere propter ſcandalum vitandum. *Videte ne*: Poſtquam docuit vitare ſcandalum; hic conſequenter docet vitare contemptum *Videte*; id eſt, vigilanter attendite, *ne contemnatis vnum* corde vel opere, *vnum* inquã *ex puſillis*, id eſt, ſecundum Orig. qui nouiter nati ſunt in Chriſto, quia hoc eſt, quaſi radix ſcandali. *Dico enim vobis*; ſumit hic rationem à minori, quaſi dicat, *Dico vobis, quia Angeli eorum ſcilicet puſillorum ſemper vident faciem patris mei*, ecce fœlicitas eſt autem talis ratio. Quod non contemnitur à maiori, non eſt contemnendum à minori; ſed paruuli non contemnuntur à maioribus & beatis, ſcilicet Angelis; ergo nec ab hominibus miſeris ſunt contemnendi. Hinc dicit. *Angeli eorum*, id eſt, cuſtodes; Ecce dignitas in conditione *In cœlis* Ecce ſublimitas in habitatione. *Semper vident faciem patris mei.* Ecce fœlicitas in viſione Dei; *vident* inquã *faciem*, id eſt, immediate aſſiſtunt Deo, & certiſſime cognoſcunt Deum; *qui in cœlis eſt*, vt glorificator, licet vbique ſit, vt gubernator. Eſt autẽ ratio eiuſmodi; Ex quo Angeli cuſtodes taliũ ſemper aſſiſtunt coram Deo, ideò timendum, ne ſcandalum aut contemptum Deo nuncient. Sed circa hoc notandum; cum dicatur ſemper videre faciem Dei, quomodo id fiat, quando recedunt ad nos, aut mittuntur in miniſterium noſtrum; num etiam videre Dominum interim eos dicemus. Ad hoc breuiter beatus Gregorius tractans illud Iob. *Nunquid eſt numerus militum eius* ſic ait. Quamuis aliud eſt aſſiſtere & aliud miniſtrare: aſſiſtunt illæ procul dubio poteſtates, quæ ad quædam hominibus pronuncianda non exeunt; miniſtrant verò, qui ad explenda officia nunciorum veniunt, ſed ipſa quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Hæc Gregorius.

Contemptus paruulorum prohibetur.

Greg. lib. 18. moralium.

Sunt igitur à nobis honorandi & venerandi, tanquam benefactores, tanquam noſtri cuſtodes, tãquam noſtræ ſalutis diſpenſatores, qui inter nos & Deum diſcurrunt, portantes ſalutem noſtram. Dati ſunt porrò nobis Angeli ob quinq; defectus in nobis. Primo enim nos ſumus debiles, homo enim per peccatum debilitatus eſt. *Infirmata eſt in paupertate vitus mea.* Angeli autem fortes ſunt, quia vnus Angelus vna nocte percuſſit in caſtris Aſſyriorum. 185. millia & ideo ipſi poſſunt pugnare pro nobis contra diabolum, non quidem prælio corporali, ſed ſpirituali. Hinc dicit beatus Greg. nos Angelicos ſpiritus rectè Dei milites dicere, quia decertare eos contra aëreas poteſtates non ignoramus; hæc tamen certamina non labore, ſed imperio peragunt, quia quicquid agendo contrã immundos ſpiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis poſſunt. Secũdo nos ſumus inſipientes, ipſi autem ſapientes, vnde & in pugna nos docent, vt non decipiamur. Hinc ipſi ſunt quaſi ligatores armorũ circa haſtiludentem, qui docent, quomodò debeat obijcere: per hunc enim modum factum eſt, vt Domino volente multa nunciarent Ioanni & alijs, qui multa retulerunt ſanctis Patribus de perſecutione diaboli & Antichriſti in fine temporum, quæ conſcripta ſunt ad cautelam noſtram, vt dicit Greg. Tertio quia ſumus mali, ipſi boni; ideo pro nobis poſſunt orare; nam de nobis ſcriptum eſt; *Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei.* Quarto nos ſumus turbati & triſtes, cum tribulationes cordis noſtri multiplicatæ ſint: ipſi autem læti, eò quod lætitia ſempiterna ſuper capita ipſorum: ideo poſſunt nos facilè conſolari, ſicut patuit in Petro, quem tribulatum de carcere Angelus eduxit: ſiquidem nos de carcere noſtri corporis educit in fine mortis. Quinto, quia ſumus nos à Deo elongati, ipſi verò Deo propinqui; ideo nos poſſunt illuc adducere, cum ſciant vias regni cæleſtis. De nobis enim dictum eſt. *Ecce elongaui fugiens*, de ipſis autem dictum quod aſſiſtant Deo. Vnde & Tobiæ dixit Angelus; *Ego ſum Raphael vnus ex ſeptem qui ſtamus ante Dominum*, et hic Chriſtus dicit, quod ſemper ſtantes videant faciem

Angeli propter defectus nobis dati.

Thren. 1.

Pſal. 30.

Iſaia. 37.

Act. 12.

Tob. 12.

Patris ſui in cęlo. Vnde Greg. in hom. Faciē patris ſēper vident, etiam cū ad nos veniūt: quia etſi ad nos ſpeciali præſentia exierint, tamen ſecum, vnde receſſerunt, per internam contemplationem perſiſtunt, neque ſic à diuina viſione foras exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs priuētur. Hæc Greg. Sed dic. Cum Angeli Deum cōtinuè videant, quare Petrus dixit: *In quem deſiderant Angeli proſpicere,* ſin, falſum erit quod hic dicitur. Ad hæc Iſido. ſic reſpondit, quod vtrumq; veraciter credamus, quia & Deum Angeli vidēt & videre deſiderant; & habēt, & habere deſiderant; & amant, & amare nituntur. Si enim ſic videre deſiderant, vt effectu deſiderij non perfruantur, deſiderium hoc neceſſitatē habet: neceſſitas autem iſta ipſis pœnalis eſt; & à B. Angelis omnis pœna longe eſt, quia nunquā pœna & beatitudo cōueniunt ſimul. Rurſum ſi eos Dei viſione ſatiari videmus, ſatietas iſta faſtidiū habere ſolet, etſi illos viſione Dei, qui deſiderant, faſtidire non poſſe certum eſt. Quid ergo eſt niſi vt miro modo, ſimulque vtrumq; credamus, quia deſiderāt & ſatiātur, & deſiderāt ſine labore & ſine faſtidio: ne enim ſit neceſſitas in deſiderio, deſiderantes ſatiantur; & iterū, ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Vident igitur Angeli faciē Patris per ſatietatē, quia ſatietas iſta faſtidium neſcit. *Angeli deſiderant in eum proſpicere ſemper.* Quæres. Cur Angeli cuſtodiunt nobis? Reſpondeo id fieri propter tria; Primo propter ruinæ ſuæ reparationem: ſecundo propter meriti ſui accumulationē, quod augetur eis vſq: ad diem iudicij; tertio propter amoris erga nos demonſtrationē. Habet ergo homo Angelos ad ſui cuſtodiā deputatos ab egreſſu de vtero matris, vt dicit D. Tho. Nec ſolū quiſque Angelū bonū, ſed etiā malū: nam ſecundū eundē ſicut perfecti, ſic & infideles habent Angelos cuſtodes, quin & ipſe Antichriſtus, quia ſicut non priuatur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiā non priuatur auxilio toti naturæ humanæ diuinitus conceſſo, ſcilicet cuſtodia Angelorum, per quam etſi non meretur quantum ad vitam æternam bonis operibus, meretur, & iuuatur tamen, quantum ad hoc, quod ab aliquibus malis retrahitur, quibus & ſibi ipſi & alijs nocere poſſet: nam & ipſi dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant, quantum volent. Item dicit; Chriſtus non habuit proprium Angelum cuſtodem, quia immediatè regulabatur à verbo Dei, & ſecundum animam erat comprehenſor, ſed ratione paſſibilis qualitatis erat viator, & ſecundum hanc non debebatur ei Angelus, tanquam cuſtos, tanquam ſuperior, ſed Angelus miniſter, tanquam inferior. *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Item Adam habuit Angelum, quia licet erat in ſtatu innocentiæ, quia non patiebatur periculum ab interiori; quia interius erant omnia ordinata; imminebat tamen ei periculū ab exteriori ob inſidias dæmonū, & ſic indigebat Angelo.

Iſid. lib. 1. de Summo bono cap. 1.

D. Thomas 1 parte q. 113.

Idem ibidem q. 4. in fine.

Matt. 4.

Angeli item à nobis honorandi ſunt, quia poſt Deum nobiliores: vnde Dionyſius de diuinis nominibus dicit, quod ſint imago Dei per ſpeculum purū, clariſſimū, incontaminatū; ſecundo quia noſtri cuſtodes vt ſupra habes; ſicut etiam patet de Raphaele cuſtodiente Tobiam cōtra dæmonem. Tertio quia ſunt noſtri cōſolatores. *Apparuit illi Angelus*. Quarto, quia ſunt noſtri à ſomno peccati excitatores. *Percuſſoq; latere Petri.* Quinto ſunt eleemoſynarum & orationum oblatores. *Quando orabas tu & nurus &c.* Huc facit quod dicitur in cōmento Calcidij ſuper Platonem ad Ocioſium Papam; Vtinā Deus iuxta Angelum ſit, Angelus iuxta hominem, nunciāns Deo preces noſtras, & iterum hominibus Dei voluntatem, & ad nos opem eius ferendo. Teſtis huius beneficij eſt tota gratia. Sexto quia ſunt nobiſcum diuinæ maieſtatis collaudatores. *Non ceſſant dicere ſanctus* Sunt autem effectus huius Angelicæ cuſtodiæ; primus impedimenta boni & occaſiones peccandi remouere. *Mittam Angelum præcurſorem, qui eijciet Iebuſæum* Secundus eſt paſſiones mitigare. *Angelus Domini deſcendit in fornacem*. Tertius eſt contra hoſtes viſibiles adiuuare. Elizæus vidit caſtra Angelorum. Quartus orationes noſtras & eleemoſynas Deo præſentare & orare pro nobis. Quintus viam oſtendere. *Ego ſanum perducam, & reducam.* Sextus eſt in agendis docere. *Qui inſtruxit eum de quatuor quadrigis.* Septimus ſeipſum, & alia

Angeli honorandi.

Tob. 7.

Luc. 22.

Act. 12.

Tob. 12.

Iſa. 6.

Effectus cuſtodiæ Angelicæ.

Exod.

Dan.

4. Reg.

Tob 12.

Ibidem.

Zach. 6.

Tob.12. aliis ſecreta reuelare. *Ego ſum Raphael vnus de ſeptem, qui aſtamus coram Deo.* Octauus
Act. 12. a peccatis excitare. *Percuſſoq́ latere Petri excitauit eum.* Nonus ad honorem ex-
3.Reg. 19. citare. *Grandis enim tibi via reſtat, ſurge.* Decimus eſt conſolari. *Fortis animo eſto.* Vndecimus de peccato increpare. In libr. Iudic. *Dixit Dominus de populo Iſrael, Cur hoc feciſtis.* Duodecimus poteſtates contrarias Deo arcere, ne tantum valeant, quantum volunt. Hinc apud Tob. legitur Angelus ligaſſe Aſmodeum. Vltimus animas hominum in regnum Dei perducere. Angelus Michael interpretatur, quis vt Deus? quia ſtantes Angeli Michaeli adhærentes, Lucifero dixerunt, quis es tu, quia vis eſſe vt Deus? & eſt de ordine principatuum.

Huic attribuuntur quatuor, ſcilicet eſſe præpoſitum paradiſi, id eſt, Eccleſiæ, ſicut olim fuit Princeps ſynagogæ; item deferre animas in paradiſum; item pugnare cum diabolo; item venire in adiutorium populo Dei. Scandalum aliquando dicitur triſtitia; *Ne ponatis ſcandalum fratribus veſtris.* Item ruina pedum. *Phariſæi ſcandalizati ſunt.* Gloſſa, ſcandalum eſt offendiculum. Item contrarium. *Scandalum es mihi.* Item ſcandalizatio. *Tollet de regno omnia ſcandala.* Item afflictio in pœna. *Quouſque patiemur ſcandala hæc?* Item occaſio culpæ. *Væ illi per quem ſcandalum venit.* Item offendiculum fidei. Malach. 2. *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactū Leui &c.*

Attributa S. Michaelis. 4.
Acceptiones ſcandali
Rom. 14.
Matt. 15.
Ibid 16.
Mar 8.
Exod. 10.
Matt 8.
Luc. 17.
Mal. 2.

DE SIMONE ET IVDA APOSTOLIS.

SERMO.

C *Iſti ſunt duæ oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum.* Apoc. 11.

ALcabitius in Theorica planetarum ſic inquit. Benigni benignum habet planetam ſuæ naſcentiæ, atque mortis, quaſi diceret; omnes homines benigni nati ſunt ſub benignis planetis. Cuius ratio eſt, cum quidam planetarum ſint maleuoli, ſcilicet Mars & Saturnus, & qui ſub his naſcuntur, ſunt ad malitiam naturaliter inclinati. Quidam verò ſunt benigni, vt Venus & Sol, ideo benignos faciunt effectus. Verſus.

Veneris hic natus cunctis extat benè gratus,

Quiq́ laudabiles virtutes hic tenet in ſe.

Myſtice. Chriſtus eſt omnium benigniſſimus & mitis, quia dicit Origenes ſuper Iſaiam. Tanta eſt benignitas ſaluatoris, vt magis crucietur in damnatione peccatoris, quam ipſe cruciatur peccator in multitudine pœnæ & doloris. Ideo hanc pietatem influit ſuis filijs. Quia ſecundum Richardum de ſancto Victore, ſumma Dei delectatio eſt, effundere ex ſe imbrem ſuæ benignitatis & naturæ. Et quia iſti duo ſancti Apoſtoli Simon & Iudas ſunt ſub eo ſpiritualiter nati, cum adhuc eſſent in terris mortales, ideò influit eis ſuam ſalubrem doctrinæ mititatem, ſcilicet cū dixit. Matthæi vndecimo. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* quaſi diceret: ſicut ego mitis ſum, ſic & vos eſtote mites & benigni. Influit etiam illis miſericordiam, cum dixit Lucæ 6 *Eſtote miſericordes* & benigni. Ex illo influxu poſſunt de eis competenter exponi verba prædicta: *Iſti ſunt duæ oliuæ.* In quibus duo ponuntur. *Primò,* benignitatis miræ nutrimentum, ibi: *Iſti ſunt duæ oliuæ. Secundò,* charitatis ſplendoriſq́ incrementum, ibi: *Et duo candelabra.* 1. — Propoſit.

De primo eſt notandum. Hi ſancti Apoſtoli oliuę nō immeritò cōparātur. Primò ſecundū Iſid. libro decimo ſeptimo. Oliua eſt ar- — Cur Apoſtoli oliuæ comparati.

eſt arbor pacis nuncia, ideò in ſignum pacis, columba portauit ad Noë in arcam, ramum oliuæ, Geneſis octauo. In ſignum pacis Romani mittebant ad rebelles ramum oliuarum, vt darent intelligere, quod eſſent eis reconciliati & vniti, vt dicitur in hiſtoria Romanorum. In ſignum pacis pueri Hebræorum tulerunt ramos oliuarum, & obuiauerunt Domino in die *Palmarum*, vt habetur Matthæi 21. & Lucæ. 19.

Ita iſti beati Apoſtoli Simon & Iudas, velut veræ oliuæ, fuerunt nuntij pacis, & ſunt figurati per nuntios, qui fecerunt pacem inter Ioſue & Gabaonitas, de quibus legitur Ioſue nono, Qui venerunt habentes cibaria & vtres vinarios, induti veteribus veſtimentis, & panes erant duri, & in fruſta comminuti, perrexeruntque ad Ioſue, & dixerunt: *De terra longinqua venimus pacem vobiſcum cupientes.* Sic & ipſi beati fecerunt pacem inter verum Ioſue Chriſtum & Gabaonitas, id eſt, peccatores, quos Chriſto in pace per ſuas doctrinas vnierunt. Quia veri diſcipuli Chriſti non poſſunt pati diſcordias, ſed amant concordiam & pacem, ſecundum illud Hugonis de ſancto Victore. Veri diſcipuli non miracula, ſed pacis & concordiæ, & amoris opera, conſtituerunt. Ipſi enim ſancti Apoſtoli Simon & Iudas, non ſolum fuerunt pacis nuncij inter Deum & peccatores, ſed etiam inter Perſas & Indos, qui continuè litigabant.

Ideò Chriſtus ſecundum Gregorium & auctor pacis, & amator, miſit eos in Perſidem regionem, vt vtrumq; populum concordarent. Simon igitur, qui interpretatur obediens, & Iudas quaſi confidens, obedienter & confidenter iuerunt, portantes verba Dei, quod eſt cibus animæ, ſecundum illud Deuteronom. 6. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Similiter vtres vinarios, hoc eſt, corda plena charitatis, quæ tanquam nobile vinum lætificat hominem ſecundum Pſalm. 103. *Vinum*, ſcilicet charitatis, *lætificat cor hominis.* Ideò Simon alia interpretatione, ponens triſtitiam, dicitur, Iudas quaſi iubilum dans. Ipſi enim mediante illa depoſuerunt triſtitiam afflictorum, & iubilum infuderunt ſeu dederunt cœleſtium gaudiorum. Ita de quolibet illorum dicitur illud, Tobiæ tertio. *Poſt lachrymationem & fletum, exultationem & gaudium infundas.*

Portauerunt etiam ſecum veſtimenta vilia & vetera, propter quæ & ipſi fuerunt contempti, quia nouerunt dictum Sapientis Eccli. 11. *In veſtitu ne glorieris vnquam.* Inſuper habuerunt ſecum panes duros aſperæ correctionis, contra hos magos Zaroën & Arphaxat, ſecundum illud Apoſtoli ad Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue*, ſcilicet durè, *vt cæteri timorem habeant.* Sic igitur iſti Apoſtoli habentes cibaria verbi veritatis, & corda plena vino charitatis, venerunt, ad ducem Baradach, & dixerunt: De terra longinqua, ſcilicet Iudæa, venimus, & facere pacem inter vos Perſas & Indos: & noli timere, quia pax huc nobiſcum intrauit, & cras hora diei tertia legati Indorum ad te venient, & tuæ poteſtati ſubijcientur cum pace. Quis enim dubitet iſtam pacem merito Apoſtolorum ſanctorum eſſe factam? Certè nullus. Quia dicit beatus Hieronymus in quadam epiſtola: Pacifici primò in corde ſuo, deinde inter fratres diſſipantes, faciunt pacem.

Pax, quid?

Ita nos fideles neceſſe eſt eſſe oliuas pacis. Quia dicit beatus Auguſtinus de verbis Domini, ſermone 5. Pax eſt ſecuritas mẽtis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. Hæc eſt quæ bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordias ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, neſcit extolli, inflari, & hanc qui accipit, teneat, qui perdidit, repetat, qui nõ habet, exquirat. Hæc ille. Sed (heu) quidam noſtrum habent ſe ſicut rhamnus, propriè Hagendorn/ quę ſecundum Iſidorum lib. 17. eſt arbor ſpinoſa. Si enim vento fuerit agitata, ſeipſam aculeis lædit, manumque tangentis, & pedes pungit. In calidis regionibus multoties igneum flatum emittit. Sic & illi ſunt tam rancoroſi in ſeipſis, quando ſolum à ventis aduerſitatis pulſantur, ſtatim pacem dimittunt, & ad diſcordias incitantur. Sicut legitur de quodam in Vitis Patrum lib. 4. cap. 7. de patientia.

§. 6. qui

Iracundi fratris aqua faſculum dæmon tribus vicibus euertit.

§ 6 qui habitans in clauſtro frequenter ad diſcordiam mouebatur. Hic ait intra ſe; Si ſolus habitarem, ad iram nō tam citò prouocarer. Intrans igitur in eremum, reliquit clauſtrum, ſed quadam vice cum vaſculum aquę compleuiſſet, & illud mox eſſet euerſum, impleuit mox ſecundò & tertiò, ſed iterato vas euerſum eſt, & aqua effuſa. Tūc ille furore commotus, proiecit vaſculum in terram, & confregit. In ſe autem reuerſus, cognouit, quia ab eodem dæmone iracundia ſit illuſus, ſurgens, reuerſus eſt in locum ſuum.

Secundò, oliuæ faciunt varios fructus, quorum *primi* ſunt terreſtres & virides; *ſecundi* ſunt rubei; *tertij* ſunt nigri, & quanto ſunt nigriores tanto ſunt maturiores, vt dicit Plinius in hiſt. nat. lib. 17 cap. 2. quod oleū extorquendū vt melius eliquetur, neceſſe eſt baccas ſiue grana aqua feruentiſſima perfundere. Nā per talē vnctuoſitas ab amurca & nucleo ſeparatur. Ita iſti ſancti Apoſtoli Simon & Iudas triplices fecerūt fructus olei miſericordię, de quibus legitur in Canone diſt. 42 tria ſunt genera. *Primū* fuit in remittēdis iniurijs, ſicut patet de iniurijs magorū prædictorū, qui ipſos perſequebantur cū pontificibus idolorū; ſed ipſi eis omnia remittebant, ſecundum doctrinā Magiſtri ſui ſcilicet Chriſti, qui docuit eos, dicens, Matth. 5 *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos; vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt*. Sic & nos ſi volumus eſſe filij Dei, debemus iniurias nobis illatas remittere, quia dicit Caſſianus in libro ſanctorū Patrum: Nequaquam cœleſtia ſumūnt pręmia, qui ſeipſos vindicant, iniuriasque illatas.

Triplex fructus olei miſericord. 2.

1 Remittere iniurias.

Quod autem non ſit bonum proprias iniurias vindicare, refert Greg. in 3. dialogorū. Quidam vir ſimplex, nomine Florētius in eremo habitans, habens vrſum ſibi à Deo in conſolamen datum: quod ſciētes quatuor monachi, condixerunt, vt vrſum occiderent. Quod ille cum comperiſſet factū, ait: Spero in omnipotentem Deū, quia in hac vita ante oculos hominum ex malitia ſua vindictam recipient, qui nihil lædentem ſe vrſum meum occiderūt, ſtatimque illi quatuor qui hoc fecerunt, elephātico morbo percuſſi ſunt, ita vt mēbris putreſcentibus interirēt. Quod factū ille cernens, expauit vehemēter, & omni tempore vitæ ſuæ deplorauit. Et dicit Gregorius, quod Deus ideò hoc fieri permiſit, ne vir miræ ſimplicitatis, quantolibet dolore commotus, vltra præſumeret iaculum maledictionis & vindicationis intorquere homini, ſed patientiam eſſe ſemper in omnibus habendam. Vnde Auguſtinus de verbis Domini, dicit: Patientia eſt æquo animo omnia tolerare, & non murmurare contra illum, qui malum ei facit. Taliter fecerunt ſancti Apoſtoli, quia hoc eſt valdè meritorium. Auguſtinus vbi ſuprà. Non granum de palea percutitur, ſed mundificatur. Roſa inter ſpinas oritur, non tamen læditur, ſed pulchrior creſcit, & cautior. Sic Iob cautior fuit in doloribus, quàm Adā in voluptatibus paradiſi; quia ille vicit per patientiam, iſte autem victus erat per gulam. Ita adhuc (heu) multi inueniuntur, qui omnes iniurias ſuas volunt illico vindicare, verbis maledictionis, non attendētes illud Deut. 32. Et ad Romanos 12. quod dicit Dominus: *Mihi vindictam & ego retribuam.* Sic autem iſti Apoſtoli non fecerunt, quia nec iniurias eis illatas per alios vindicare voluerunt. Nam cum Dux Pontifices incendere vellet, prohibuerunt Apoſtoli ne hoc fieret, cum ipſi non venientes occidere, ſed viuificare mortuos, miſſi eſſent, vt dicit Affricanus in Legenda.

Patientia quid eſt?

Secundus fructus quem fecerunt ſancti Apoſtoli, fuit in corrigendo erroneos. Ipſi enim errores gentilium correxerunt, & in hoc miſericordiam oſtēderunt. Quia dicit Auguſtinus in Enchiridio, & habetur 42. diſt. c. Et qui emendat. Non ſolum inquit, in eo, quod dimittit, atque orat vt dimittatur, verum etiam in eo, qui corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam facit; quia miſericordiam præſtat. Iacobi 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.*

2. Corrigere errores.

Tertius fructus fuit, in retribuendis eleemoſynis. Ipſi enim tanquam fructiferę oliuæ, de ſe fuderunt oleum ſanctę eleemoſynæ; quia fuerūt perfuſi feruentiſſima aqua Spiritus ſancti, ſicut dicitur Ezech. 26.

3. Dare eleemoſynas.

Effundam ſuper vos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et vbi fuerit illa aqua Spiritus ſancti, ibi vnctuoſitas miſericordiæ fluit ab homine. Sic & nos debemus eſſe oliuæ fructiferę de nobis dantes oleum eleemoſynæ.

Rectè enim ſicut oliua de ſe fundit oleũ, & tamen nõ deficit in futurũ; ita & nos, ſi pauperibus miſericordiam fecerimus, in bonis non deficimus, ſecũdum illud Prou. 29 *Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.* Quod confirmat Auguſtinus in ſermone 10. de Aduentu Domini. Ideò, inquit, flagellamur in frugibus, quia egentibus non benè facimus. *Ideò ſubdit.* Dicit tibi Deus, ſi conſideras homo ingrate, teipſum ego feci; ꝙ fueris, meum eſt; quicquid habes, ego dedi tibi, & ingratus es. Ecce quod tibi dedi, auferã à te: & ſi potes, viue ſine me: Tibi dedi, quæ habes; pauperi non dedi, vt te probarem; non quia vnde darem, non habui; ſed per pauperem te probare volui. Ego ſum Deus, qui pauperem & diuitem feci: per te diuitem paſcere volui: erogatorem in bonis meis conſtitui. Fac ergo miſericordiã, quia nihil perdis, & me qui tibi dedi, non offendes. Nec ſolus comedas quodambobus creaui, quia te fingis filijs tuis ſeruare, quod omnibus poteſt ſufficere. An ſi tuo hoc labore habes, aſſignes: ſi tuos eſſe putas ipſos fructus, quos terra producit, proba. Ecce aufero auxiliũ meũ, habeto tu laborem tuum; abduco pluuiam meã, & are faciam terram tuam; auferam miſericordiã meã, & apparebit miſeria tua. Si tua eſt terra, mea eſt pluuia. Pluc ſuper terram, ſi potes; producat germẽ tuum, ſi valeat; fac oriri ſolẽ vt excoquat meſſem tuam. Ecce nunc ſpargã pluuiam meam, & producet terra tua panem. Et ipſa terra non eſt tua, ſed mea: Pſalm. 23. *Domini eſt terra, & plenitudo eius* Ego fructuoſiſſimam feci pluuiam meam, vt producat terra tua panem; & pauperes mei habentes me, omnia habent. Si quid habes, qui me non habes, quaſi diceret. Nihil Hæc ille.

Ex his dictis patet, ſi fuerimus fructiferę oliuæ in donis eleemoſynarum, Chriſtus erit miſericors dator in bonis diuitiarum. Refert venerabilis Thomas Cantipratẽſis Epiſcopus libro 2. Apum, c. 25 part. 7. quod circa annum Domini M. C. XCV. in partibus Brabantiæ erat matrona, quæ circa montes Alpium & Anglicũ mare habitabat, & magna eo tempore erat fames tam valida, vt communis populi multitudo moreretur. Illa autẽ matrona opibus & genere clara, egenis cœpit ſine pondere, mẽſura, & numero, liberaliter erogare. Quod cernens vir eius miles, arctauit eam, & ei farinæ mẽſuram certam per ſingulas hebdomadas dari fecit. Cum autem die quadam totum expenderat, inſtante paupere & petente, præcepit Domina ancillæ, vt diligenter ciſtam ſcoparet, in qua farina repoſita fuerat, & pauperi det, & fecit ancilla vt Domina iuſſit. Poſt hũc verò venit alter, qui ſe nihil comediſſe infra biduum deplorabat. Quod audiens Domina, fleuit amarè. Iteratoque iubet ancillam ſcopare ciſtam, & pauperi dare. Iurauit ancilla, nihil penitus in ciſta remanſiſſe Inſtante autem Domina cum lachrymis, vt attenteret; cucurrit impatientius illa, & ciſtam aperiens, plenam florentiſſima ſimila mox inuenit. Ad huius intuitũ, ancilla clamãs cecidit in ea ſin reſupina. Clamore audito, accurrit Domina, accurrit Dominus & familia, & viſo miraculo, Dominũ in omnibus benedicũt. Mox ipſe Dominus horreũ aperuit, lætus omnibus ex illa die petentibus & veniẽtibus largiſſimè dedit. Nec defecit farina in ciſta, donec ſuperueniente Auguſto propitiaretur Dominus populo ſuo, quem afflixit. Et dicit Epiſcopus, qui hoc ſcribit, quod prædictus miles ſibi retulerit, niſi fuiſſet hoc diuinum miraculum, nequaquam tria vel quinque horrea ſibi ſuffeciſſent.

Matronæ farina à Deo mittitur, quia erat liberalis in pauperes.

Tertio, oliuæ ſunt pingues in materia olei, & quanto ſerenius fuerit cœlum, tanto melius proficiunt. Quia ſecundum Plinium libro 11. capite tertio. Serenitatem, roremque cœli & aëris diligunt, caliginemque pluuiarum deficiunt. Si enim tunc oliuæ maturæſcant, vitiatur oleum & conſumitur. Serenitas autem quàm citò venerit, liquor ſubſequitur. Ita noſtri beatiſſimi Apoſtoli, oliuæ ſpecioſæ, fuerunt pingues in gratia Spiritus ſancti, quam copioſè in

die.

die Pentecoſtes, cum aliis Apoſtolis, rece perũt, ſecundum illud Actorum 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*. Ideò dicexerunt lumen cœli, id eſt, Chriſtum qui eſt lux vera, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ioan. 1.

Ipſi ſunt figurati per duos filios Iſaac, Geneſis 28. quibus benedixit, dicens Iacob: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei: ſeruiant tibi populi*. Sed Iſaac benedixit Eſau: *In pinguedine terræ & rore cœli deſuper erit benedictio tua.*

Iſaac interpretatur gaudium, & ſignificat Chriſtum, qui ſecundum venerabilem Bedam in homil. ſuorum gaudium omnium effectus eſt populorum, angelo atteſtante, qui ait: *Ecce euangelizo vobis gaudiũ magnum, quod erit omni populo* Lucæ 2. Hic, inquam, benedixit Simonem beatum, dicens: *Det tibi Deus de rore cœli*, hoc eſt, de gratia Spiritus ſancti, *& de pinguedine terræ*, de qua Pſalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium & abundantiam frumẽti*, id eſt, doctrinæ, *vini*, id eſt, amoris *& olei*, id eſt, miſericordiæ, *& ſeruient tibi populi*: quia hodie per totam Chriſtianitatẽ fidele ſeruitium ab omni populo in ſancta Eccleſia beato Simoni exhibetur, & Iudæ fratri ſuo, ſecundum illud quod canitur:

Exultet cœlum laudibus,
Reſultet terra gaudiis,
Apoſtolorum gloria,
Sacra canunt ſolennia.

Sic etiam nos Chriſtiani exemplo horũ Apoſtolorum ſerenitatem conſcientiæ, & rorem, ſcilicet gratiam Spiritus ſancti debemus diligere, vt ſimus bonæ oliuæ, & vt quilibet dicere poſſit cum Pſalm. pſ. 51. *Ego quaſi oliua fructifera in domo Dei*. Sed (prò dolor) aliqui noſtrûm plus diligunt caliginem peccatorum, in qua impingueſcimus. Ioan. 3 *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis, quàm lucem*, quia vt dicit Cõſtãtinus in libro de natura liquidorum. Sumus etenim in tenebris naturaliter pinguiores. Cuius ratio eſt quia tenebræ frigida corpora conſtringunt, & operiunt, ne humidum quod in natura dulce fuerit, euaporari quidem poſſit, quemadmodum in captiuis cernitur, quia poſtquam è tenebris exeunt, pinguiores ſolito apparent, vt refert Valerius libro ſexto. Sic & nos intra caligines & tenebras peccatorum, vt frequenter ſumus pinguiores, quo ad fœlicitatem & affluentiam terrenorum, ſecundum quod Richardus de ſancto Victore teſtatur. Quanto enim magis quis ſuæ mentis cæcitate caligineque oppreſſus fuerit, tanto in hac vita fœlicior apparebit. Sicut patuit de diuite epulone & auaro, qui hic fœliciter abundabat, & lautè comedebat, Lucæ decimo ſexto: poſtea ſpoliatus fuit per mortem omnibus rebus, & nudus eſt in inferno ſepultus. Et nũc pro illa pinguedine dicere poteſt cum Pſalm. 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea.*

II.

Quantum ad ſecundum eſt notandum. Refert Iſidorus libro decimoſexto. de gẽmis, cap. 1. cum Solino in libro de mirabilibus mundi, quod in quodam templo Deæ Veneris erant facta candelabra ſubtilia, in quibus erant lumina ardentia, quæ nullo imbre, nec vlla poterant exſtingui tempeſtate; & prouenit ex virtute cuiuſdam lapidis, qui Abeſton dicitur, qui vt Magiſter libro decimo ſexto proprietatum dicit, cum ſemel accenſus fuerit, exſtingui nunquam poterit, de quo & dicta candelabra erant facta. *Lumina ardentia nunquã exſtinguibilia.*

Myſtice. Per hoc templum intelligitur ſancta Eccleſia, in qua homines debent cõtemplari diuina, ſecũdum illud Auguſtini diſt. 42. cap. Oratoriũ. In Eccleſia, inquit, præter orandi & pſallendi cultũ, nihil penitus agatur. In hac, inquam, erant duo cãdelabra, Simon beatus Apoſtolus & Iudas, de quibus in verbis thematis. *Iſti ſunt duo candelabra lucentia ante Dominum*, quia mundum illuminarunt vndique, ita quod de eis poteſt exponi illud Matthæi quinto. *Vos eſtis lux mundi.*

Super hæc ipſa candelabra poſuit Deus ſpecialiter lumen intellectus, quia Deus ſecundum Ariſtotelẽ 3. Rhetoricorũ, animæ infundit lumen. Illo igitur lumine illuſtrati cognouerunt verſutias dæmonis & magorum, quorum præſagia detegebant. In hoc etiam lumine cognouerunt verum *Dæmon & Magi comparantur.*

lumen Chriſtum; vt dicere poſſint cũ Pſal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Illud lumen in eis nunquam potuit exſtingui, nec in bre tribulationis, nec tempeſtate aduerſitatis, ita vt quilibet dicere poſſit cũ Pſal. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, quia in aduerſitatibus omnibus à Chriſto nunquam receſſerunt.

Sed hoc lumen intellectus (heu) nobis multoties extinguitur & obfuſcatur; & hoc declarant Naturales, & præcipuè Auicebron in libro fontis vitæ. Lumen quidẽ omni altero lumine ſuperueniente, quodammodo obumbratur, ſicut manifeſtum eſt de ſtellis, quæ ſolẽt lucere de nocte, ſurgente autem mane ſole, ſtellæ obumbrantur, quia lumen maius obfuſcat minus. Sic lumen veritatis, gratiæ & intellectus, in nobis nonnunquam obfuſcatur, veniente vmbra tribulationis, & in mundanæ felicitatis aduentu. Teſte Damaſceno lib. 7. contra errores Græcorum. Venit lux, inquit, de cœlis, quæ lumine mundanæ felicitatis & affluentia penitus obũbreſcit, ſed hoc lumen mundanæ affluentiæ, interdũ infert pœnalitatem æternam. Quia dicit Athanaſius in ſermone. Nihil enim aliud quàm mortem corporis & animæ ipſa infert felicitas & affluentia huius vitę Cui cõſonat Hieronymus contra Iouinianum. Cãdor, inquit, & charitas huius vitæ, caliginem infert cæcitatis atque horroris æternæ. Et probatur in ſimili. Refert Philaretus in tractatu de natura morborum. Ita diſponuntur anni, vt poſt annos ſiccos & calidos anni proueniant humidi, poſt humidos ſicci. Cuius ratio eſt. Nam, ſecundum Calcidium ſuper Timæum Platonis, quod vni annorum ſubtrahitur, hoc anno ſequente vlterius adimpletur.

Ita prouidentia iuſti Dei conſilio diſponit, vt prius lumen mũdanæ felicitatis, dolor ſequatur æternæ pœnalitatis. Sed poſt egeſtatem præſentis miſeriæ, felicitas prę ſto ſit beatitudinis ſempiternæ. Ad hoc ſonat dictum Sidonij in epiſtola. Poſt mundi, inquit, huius gaudia, æterna debetur mœſtitia; & preſſuram huius ſeculi, neceſſe eſt gaudium æternæ beatitudinis comitari. Ideò lumen intellectus nõ debet in nobis ſtatim extingui, mundana felicitate veniente, ſed mediante eo videre debemus quid eam finaliter ſequatur, ſcilicet miſeria ſempiterna. Quare Moyſes Deuter. 32. optat, dicens. *Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* Et Metriſta.

Mundi gaudia habent æternum triſtitiam.

Quicquid agis, prudenter agas, & reſpice finem.

Non debes, ô homo, per mundanam felicitatem vel aduerſitatem, lumen vitæ extinguere rationis, ſcilicet in proſperitate te extollere, & in aduerſitate deficere, à Deo recedendo. Quia ſancti Apoſtoli Simon & Iudas, tam in proſperitate, quàm in aduerſitate, ſemper lucebãt. Quod figuratum eſt Zachariæ. 4. vbi legitur. *Vidi cãdelabrum, circa quod ſtabant duæ oliuæ, vna à dextris, & alia à ſiniſtris.* Per has duas oliuas ſignificantur hi duo Apoſtoli, qui ſemper ſtabant circa Chriſtum, & lucebant à dextris proſperitatis; cui adhuc manebant cum Chriſto dicebant, Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ habes.* A ſiniſtris aduerſitatis, quando perſecutiones patiebantur, nec ab eo recedebant. Sed iam poteſt dici illud cum Pſalm. 90. O Chriſte, *cadent à latere tuo*, id eſt à ſiniſtra tua, *mille, & decem millia à dextris tuis*; quia multi in aduerſitate à Deo recedunt per impatiẽtiam, & multò plures in proſperitate per excellentiam. Sic non iſti Apoſtoli.

Ideò quilibet ipſorum figuratur Zachariæ 4 vbi legitur, quod dixit Zacharias *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ſuper illud: & ſeptem infuſoria erant ſuper caput eius.* Per hoc candelabrum ſignificatur beatus Simon cũ fratre eius Iuda. Ipſi enim luxerunt per mundi climata, ſecundum doctrinam Magiſtri Matthæi 5 *Sic luceat lux veſtra coram hominibus* &c. Luxerunt aurei, quia ſicut aurum in ignem poſitum, nihil euaporat: ita iſti ad ignem poſiti tribulationis, non euaporauerunt per impatientiã, nec minorati ſũt in fide per idololatriã. Ideò poteſt exponi de ipſis illud Sap. 3 *Tãquam aurum in fornace probauit eos, & ſicut holocauſta accepit eos.* Sicut etiam aurũ inſpicientes lætos facit homines, ſecundũ illud Fontini in deſcriptione vniuerſi; Cũque aurum inſpicimus, naturaliter læti ſumus. Quia ſecundum Tarentinum

lib.

lib. de onerat. In natura aurum ſibi dulcorat proximum æ̈rem, & alterat; aer autem alteratus cor alterat humanum.

Sic in ſiri ili, cum deuoti homines hodiè inſpiciunt per fidele ſeruitium hos aureos Apoſtolos, veraciter lætantur in omnibus ſuis neceſſitatibus, & tribulationibus, ideò dixit Ambr. lib. præfationũ. Ingruente metu tribulationis & anguſtiæ, tutũ eſt ſub vmbra ſanctorũ Apoſtolorũ confugere, quorum a facie omnis fugit dolor tribulationis, afflictioniſque humanæ & mundanæ. Fugata igitur tribulatione lætitiam comitatur, & præcipuè lætitia ſempiterna erit eis qui dignè ſeruiunt illis Apoſtolis, ſecundum illud Euſebij ſermone III. Intuentes quidem auream lucem cœleſtium gaudiorum, ſpiritum intus accipimus æternum, beati Apoſtoli. Hæc candelabra habuerunt. Et ſic patet quod fuerunt candelabra aurea ſuper caput lampadem auream, id eſt, fidẽ, quæ ſecundum Chryſoſtomum ſuper Matthæum, animam ſicut lampas domum illuminat, quia fides eorum luxit contra hæreticos, & Magos deceptorios.

In hac lampade fuit oleum charitatis, iucunditas mentis, & puritas conſcientiæ. Super illa igitur ſpiritualia candelabra fuerunt ſeptem lucernæ, per quas intelliguntur ſeptem virtutes beatorum Apoſtolorũ Simonis & Iudæ quas habuerunt, quarum tres ſunt Theologicæ, ſcilicet Fides, Spes, & Charitas, aliæ quatuor cardinales, quæ ſunt Prudentia, Magnanimitas, Continentia & iuſtitia. Habuerunt inſuper iſta nobiliſſima candelabra ſeptem infuſoria, quæ ſunt ſeptem Spiritus ſancti dona, ſcilicet, Timor, Pietas, conſilium, intellectus Fortitudo, Scientia, & Sapientia. Sic moraliter. Omnis Prælatus, ſiue vir Eccleſiaſticus, debet eſſe candelabrum luminoſum. Sed (heu) quidem ſunt, vt aſſerit Petrus Rauennas in ſermone, qui ante dignitatis adeptionem ſatis commendabiles extiterunt, ſuper candelabrum Eccleſiæ conſtituti, lucem in tenebras, & famam in infamiã conuerterunt. Quorum vnus, ſcilicet Saul, qui ante electionem in regiam dignitatem erat electus & bonus; & *non erat de Iſraël vir melior eo*, vt habetur 1. Regum 9. Sed factus rex, eſt in malitiam peruerſus. Et ſic in multis alijs inuenitur, de quibus ſubdit prædictus Doctor: Melius, inquit, fuiſſet illos latere ſub modio quàm cum infamia candelabrum aſcendiſſe. *Et ſubdit*. Adhuc enim turpitudo eorum ſub paupertatis obſequio lateret, niſi eam dignitas diuulgaſſet. Creuit honor, & cum honore infamia: priuato peccanti ſæpè parcitur, ſed ſi Prælatus Deum quærit, in eius infamiam linguæ omnium acuuntur. Hæc ille. Ex quo habetur quod neceſſe eſt, quod Prælatus ſit candelabrum luminoſum per ſapientiam, & lampas ſuper caput eius, hoc eſt, Chriſtũ fulgens per gratiam in mente ipſius. Et ſic de alijs virtutibus. Et tantum de ſecundo.

IN SOLENNITATE OMNIVM SANCTORVM, SERMO.

Videns Ieſus turbas aſcendit in montem. Matth. 5.

SAnctus Pontifex Leo in feſtiuitate SS. omnium ad turbas verba faciens, ita decenter non ſine ingenti gaudio loqui exorſus eſt; Hodiè, dilectiſſimi omnium ſanctorum ſub vna ſolennitatis lætitia celebramus feſtiuitatem, quos terra editos, pretioſus Chriſti ſanguis gratuita pietate ad cœleſtia euocauit, quorum ſocietate cœlum exultat, patrocinijs terra lætatur, triumphis Eccleſia ſancta coronatur: quorum confeſſio quãtò in paſſione fortior, tantò clarior eſt in honore; quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria; & martyrij triumphus multiplici paſſionum genere adornatur: per quem grauiora tormenta perpeſſi ſunt, grauiora fuêre data & præmia dum mater *SS. honor, gloria & triumphus.*

 Catholica

Catholica Eccleſia per totum orbem longè lateq; diffuſa, in ipſo capite ſuo Chriſto Ieſu edocta, contumelias crucis & mortem non timere; magis autem magiſq; roborata eſt ex perſecutione, non reſiſtendo, ſed perſeuerando. O vera mater B. Eccl. quā ſic honor diuinę dignationis illuminauit, quā glorioſorū Martyrū ſanguis exornat; quā inuiolatæ cōfeſſionis cādida virginitas induit floribus, cui nec roſę, nec lilia deſunt. Certè chariſſimi, vt nunc ſinguli ad vtroſque honores ampliſſimam accipiamus dignitatem, & adipiſcamur vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpuratas, aggrediamur virtutem, reuertamur ad ciuitatem, in qua aſcripti ſumus, & ciues decreti. *Non enim ſumus hoſpites & aduenæ, ſed ſumus ciues ſanctorum & domeſtici Dei*, & hi ſimiliter, quorum hodie recolimus feſtiuitatem. Conſideremus itaq; matris illius fœlicitatē, in quantum poſſibile eſt: Etenim hāc verè nullus ſermo comprehendere ſufficit. Dicitur namq; de ea quod ab ea aufugiet dolor, & triſtitia & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas; nemo læditur, nemo iraſcitur, nemo inuidet; nulla cupiditas, nullum exardeſcit ibi deſideriū, nullius honoris pullat aut poteſtatis ambitio. Sed quid ſuper hæc omnia? Nonne maximum eſt conſortium Angelorum & Archangelorum? Nonne magnū cæteris thronis & dominationibus, principatibꝰ & poteſtatibus omniū cœleſtium ſupernorū virtutum contubernijs perfrui, & intueri agmina ſanctorum plus ſplendidis ſyderibus micantia, Patriarcharū fide fulgentia, Prophetarum ſpe lætantia, Apoſtolorum ſublimitate duodecim tribus Iſrael iudicantia, Martyrum purpureis coronis victoriæ lucentia, virginum quoque candentia ſerta inſpicere geſtantia? De rege autem horum, qui medio reſidet dicere, vox nulla ſufficiet: fugit n. omnem ſermonem, atq; omnē ſenſum humanæ virtutis excedit: de cuius illuminatione eius illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa maieſtas abundans teſtimonium perhibet; vltra enim omnium ſanctorum gloriam eſt inæſtimabilem adipiſci perennitatem, & in conſpectu & in ſplendore eius maieſtatis irradiari. Hactenus B. Leo. Sed quis ad hos ſupernorum ciuium aſcendere poterit ſtatus? quis ad inhabitandam tantæ beatitudinis patriam vocari dignus exiſtet? quis ad fruendum deſideratiſſimo omnium Saluatoris & Domini noſtri vultu dignus eſſe meretur? niſi is, qui calcatis huius mundi delectationibus, ſpretis blandimentis, & oblectationibus, & omni ſpurcitia, tota mente diuinæ ſe diſponit vacare contemplationi, toto cordis affectu renunciauit ſæculo, totoq; deſiderio virtutū ſe mancipauit ſtudio. Sanè ſecundū Rabanū in ſermone feſtiuitatis pręſentis, nō alij niſi orationibus inſiſtētes, ieiunijs adhęrētes, vigilias ſacras amantes, eleemoſynas ſectātes, pauperes recreantes, nudos veſtientes, infirmos viſitantes, in tribulationibus gaudentes, in verbis calumniæ vel contumelię patientes, in augmento ſuæ profeſſionis humiles &c. hanc gloriam conſequentur. Audi quid Dominus in pręſenti Euangelio de acquiſitione huiuſmodi gaudiorum æternorum, & conſortio adipiſcendo dicat, niſi quod tales beatificet, qui pro eo paupertatem, contumelias, tribulationes aut quęuis perſecutionū genera ſuſtineant: de quibus hoc modo loquitur. *Beati eritis*. Et quidem in præſenti Euangelio deſcribitur meritum & præmium omnium ſanctorum cū Deo regnantium, aut adhuc regnare volētium. & primo Apoſtolorū cum dic. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Secundo Patriarcharum, cū ſubditur, *Beati mites quoniam ipſi poſſidebūt terram*. Tertiò, pœnitentium his verbis; *Beati qui lugent; quoniā ipſi conſolabuntur*. Quartò Confeſſorum miſericordium dum dicitur; *Beati miſericordes, quoniam miſericordiā conſequentur*. Quintò, Virginum mūdi cordis, ibi. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deū videbunt*. Sextò Pontificum. *Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur*. Septimò perſecutionem patientium Martyrū. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiā, quoniam ipſorum eſt regnū cœlorum*. Octauò Doctorū & Prædicatorū maledictionē patientiū, *Quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Quod ad primum attinet, dicit Euangeliſta; *Videns Ieſus turbas &c.* Hoc factum eſt quando electis 12. quos Apoſtolos nominauit,

Q . ad cœlum conſcenſurus.

Propoſit.

minauit, aſcendit in montem eoſdē docturus, vt ſic familiarius diſcipulos doceret à turba ſegregatus. Videns ergò turbas ſecūdū interlineare, & fugiens eas, vt ſolis diſcipulis loqueretur; aſcendit in montem ſ.

Cur Chriſtus in montem aſcenderit

Thabor, ſecundū Hier. qui mons eſt in Galilæa, duplici ratione: primò vt impleretur prophetia de ipſo; *Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion*; ſecundò, vt ſignificaret altitudinē virtutum neceſſariā eſſe prædicāti: ſi n. in terra eſt animus Prędicatoris, fruſtra loquitur lingua de cœlis; Chryſ. In altitudine virtutū debet conſiſtere, qui docet iuſtitiam. Nemo n. poteſt in valle ſtare, & de monte loqui, qui audit, nō præſumat vt loquatur, ſed audiat Chriſtū vt diſcipulus magiſtrū. Vel tertiò ſecundū Bedā, vt ſignificet iſta, quæ dat hic maiora præcepta eſſe iuſtitiæ, quibus minora erāt Iudæis data, quos timore alligari oportebat, maiora verò populo, quē charitate iam liberauerat. *Et cum ſediſſet* vt magiſter autenticus & Prælatus. Beda, Sedens docet, quia id ad dignitatem magiſterij pertinet. *Ego Dominus Deus tuus docēs te vtilia. Vocatis me magiſter, & benè dicitis.* Sedet vt quietē doceat; imò laborātes quietat. *Venite ad me oēs qui laboratis. Acceſſerunt ad eū diſcipuli eius*, tanquā noti, tanquā familiares, dilecti, tanquā ſpecialiter vocati: prius n. erant remoti ab eo, ſed poſtquā vocati ſunt in Apoſtolatū, propinqui facti ſunt. *Et aperiens os ſuum docebat eos.* Quid docuerit ſubditur. *Beati pauperes ſpiritu* Bern. Diligenter, inquit, attende, quod non ſimpliciter pauperes nominat, propter plebeos pauperes neceſſitate miſerabili, non voluntate laudabili. Spero equidē profuturam eis apud diuinę bonitatis miſericordiam hanc ipſam afflictionis miſeriā; ſcio tamen hoc in loco Dominum de huiuſmodi non fuiſſe locutū, ſed de his, qui poſſunt dicere cū Propheta; *Voluntariè ſacrificabo tibi &c.* Nec voluntaria quidē paupertas omnis laudem apud Deu habet; nam & Philoſophi omnia ſua reliquiſſē dicuntur; vt expediti mundialibus curis ſtudio vanitatis liberius poſſent vacare; & ideò dictū eſt *Spiritu*, id eſt in ſpirituali voluntate, & intentione ſpirituali, & deſiderio, ſ. propter ſolū beneplacitum Dei, & animarū ſalutem.

Iſa.40.
Cur ſederit.
Iſa. 48
Ioan.13.
Matt 11.
Pſal. 53.

Beati pauperes ſpiritu. Cum mentio fiat circa quamlibet iſtarum beatitudinum de beatitudine, primò neceſſe eſt diſtinguere hoc nomen beatitudo, in quo ſenſu capiatur hic. Accipitur aūt beatitudo quandoq; pro proſperitate temporali; & hæc ſecundum vulgares conſiſtit in bonis temporalibus & honoribus, iuxta illud; *Beatū dixerunt populū, cui hæc ſunt.* Et *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Secundò beatitudo eſt gratum faciens, quia facit animam dignam æterna beatitudine; de qua in Pſal. *Beatus vir, cui eſt auxilium abs te &c.* Quod eſt contra illos, qui in multitudine virtutis ſuæ confidunt, cum tamen non in fortitudine &c. Vnde Auguſtin. ſuper illo; *Quoniam Dij fortes terræ.* dicit; Homo quiſque à Deo præſumere debet, & inde ſperare auxilium, non de ſe: non enim terra pluit ſibi, aut ſol lucet ſibi: quomodo aūt de cœlo terra pluuiam aut lucem recipit; ſic homo à Deo debet miſericordiam & veritatem expectare. Tertiò beatitudo ſtrictius capta eſt ipſe habitus procedens ad pręmium, per modum meriti; Sic quælibet virtus formata, & quodlibet donum Spiritus ſancti & fructus poteſt dici beatitudo; & huiuſmodi beatitudines poſſunt eſſe plures, ſecundum pluralitatem virtutum; ſicut eſt iſta virtus, ſecundum quam quis maiorum conſortio non acquieſcit, ſecundum illud; *Beati qui audiunt verbum Dei.* Quartò beatitudo magis propriè ſumpta eſt actus ſiue perfectio animæ purgatæ, immediatè ad beatitudinem: & iſto modo hic eſt ſermo de beatitudine. Per has enim octo beatitudines perficietur homo, & per ipſas poteſt & competēter & immediatè ſuſcipere beatitudinem. Quintò beatitudo eſt, quæ cōſiſtit in ſtatu omnium bonorum aggregatione perfecto: & hæc erit in patria, ad quā quia non peruenitur, niſi per beatitudinem in quarta acceptione, ideò de ipſa per ordinem videamus.

Beatitudo quo ſenſu hic accipiatur.
Pſal. 143.
Iſa.3.
Luc.11.

Beati pauperes ſpiritu. Hic primo deſcribit beatitudinem quantum ad meritum; ſecundò quantum ad pręmiū, cū ſubditur; *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Dicit ergò; *Beati pauperes,* no quiuis *ſed S. ſancto,* ſ. volūtate per deuotionē gratiæ; vt excludatur cōtētio, coactio, falſa intētio. Eſt aūt

tripiex.

Paupertas triplex.

1 Voluntaria.

triplex paupertas, ſcilicet voluntaria & laudabilis; & hæc eſt pauperum Chriſti: quia quidem paupertate erant pauperes Apoſtoli Chriſti, qui omnia reliquerunt, & ſecuti ſunt Deum; & hæc eſt cum maximo merito. Alij, qui habent facultates, voluntatem tamen non apponunt ad eas, etiam pauperes Chriſti ſunt. Vnde Auguſtinus ſuper illud Pſal. *In vnum diues & pauper* dicit; Habeat aliquis multas pecunias, ſi in eis non extollitur, pauper eſt: ſi quis autem non habeat aliquid, & inde inflatur, inter omnes reprobos reputat cũ Dominus; duo ad hoc ſunt neceſſaria, benè adminiſtrare pro Deo, & vtilitate familiæ: de huiuſmodi autem gaudere, non dolere expedit; Beatus enim eſt, qui pauper eſt ſpiritu: non autem qui de eorum ablatione dolet, ſed quaſi depoſito onere gaudet. Alia eſt paupertas neceſſaria, quæ eſt tolerabilis; & hæc eſt pauperum mundi, quia pauperes illi ſint, qui abundantia rerum carent mundanorum, non tamen perfectè abdicârunt voluntatẽ rebus; & hæc eſt ſine merito. intellige de illis, qui valido corpore mendicant; contra quos eſt lex. C de mendicantibus validis. Tertia paupertas eſt ſimulatoria, & eſt deteſtabilis, cum ſit pauperum diaboli hypocritarum; & hæc eſt cum demerito: de qua loquitur Auguſtin. ſupra Pſal. 71 tractans illud. *Iudicare populum tuum in iudicio.* Sũt quidam, inquit, pauperes, qui facilius omnia ſua pauperibus diſtribuunt, quam ipſi pauperes Dei fiant: inflati enim ſunt iactãtia, qua putant eſſe ſibi tribuendam. Nam gratiæ Dei eſt, quod benè viuunt, quantũcunque facere opera videãtur: de ſuo quippè ſic ſe habere putãt, & gloriãtur quaſi nõ acceperint, diuites ſui, non pauperes ſui, nõ pauperes Dei, abundãtes ſibi non egentes Deo; ſicut ait Apoſtol *Si diſtribuero omnia mea, & tradidero corpus meum, ita vt ardeã, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*, ideò eiuſmodi non pertinẽt ad pauperes Dei, nec eis hic dicitur; *Beati pauperes ſpiritu*; ſed primis, qui ſunt pauperes voluntate. Congrue autem beatitudo debet attribui pauperibus voluntarijs propter Chriſtũ: Ipſa enim facit agiles, & diſponit quodãmodo ad facilius ſequendum Chriſtum. Vnde & Apoſtoli prius non poterant dicere Chriſto, Ecce nos ſumus te ſecuti, niſi prius ſeipſa dicere potuiſſent; *Ecce nos reliquimus omnia &c.* Facit etiam paupertas ad intrandum portam anguſtam eos, qui propter tumorem diuitiarum intrare non poſſunt, de quibus dicitur; *Facilius eſt camelum &c* Facit etiam eos ſufficientes ad emendum regnum cœlorum. *Qui enim reliquerit domum &c centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et quo ad hoc ſubditur. *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Gloſ. id eſt, ſpes, quæ beatos facit. Ecce benè reſpondet meritum præmio: Ipſi enim pauperes hic timoroſi: Vnde & vulgares pauperes conſueuerunt timoroſi vocari: & ideò ſecuritas eis redditur in præmio, cum dicitur; *Ipſorum eſt*, iure ſpeciali *regnum cœlorum*: Ipſi enim habuerunt coniunctam abiectionem ad humilitatem; & ideò habent regnum. Secundò hic habuerunt indigentiam & paupertatẽ temporalium, ideò ipſis redditur copioſius, quam cæteris regnum cœlorum. Si ergò talium eſt regnum cœlorum, cur diuites præſumunt de ſe, & non comparant apud huiuſmodi pauperes, cum illorum ſit regnum cœlorum vendere, iuxta illud, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vbi nota, quod octo bona dentur pauperibus. Primò, quia Deus eos adiuuat. Pſal *Adiuuit pauperem de inopia.* Secundò, quia parcit eis. Idem. *Parcet pauperi & inopi.* Tertiò quia exaudit. Idem. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Quartò, memor eſt eorum. *Non in finem obliuiſcaris.* Quintò, ſolicitus eſt eorum. *Ego mendicus & pauper ſum; Dominus ſolicitus eſt mei.* Sexto, quia dat eis ad poſſidendum regnum. *Facite vobis amicos.* Septimò, quia honorat eos. Pſalm. *Honorabile nomen eorum coram illo.* Patet in Lazaro, quem Angeli detulerunt. Octauò, quia eos iudices aliorum facit. *Sedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes &c.* Vnde D. Thomas docet. Quod vnicuique licet viuere de eo, quod ſuum eſt, vel quod ſibi debitum; & ideò religioſi & clerici, quorum monaſterijs vel Eccleſijs ex magnificentia Principũ vel quorumcunque fidelium ſunt facultates collatæ, ex quibus ſuſtentantur, poſſunt de eis viuere licitè, abſque hoc, quod manibus

Pſal. 48.

2. Neceſſaria.

3. Simulatoria.

Matt 19.

Ibidem.

Ibidem.

Octo bona dantur pauperibus.

Luca 16.

Pſal. 71.

Matt. 19.

bus laborant, & tamen certum eſt eos de eleemoſynis viuere. Item dicit in ſolutione argumenti quinti, quod cum apparet neceſſitas vel vtilitas, propter quam religioſus eleemoſynis viuit, non ſcandalizentur infirmi, ſed maleficorum ſcandalum eſt contemnendum. Item dicit argumento 2. quod in hoc, quod religioſi mendicant, ſuperbiã vincunt per actum abiectionis, coniunctum paupertati; ſi autem quis ex cupiditate mendicaret, damnabile eſſet. Sic etiam neceſſitate, vel vtilitate illi, qui intendunt bonum aliquod facere, poſſunt mendicare, ſicut ſtudioſi; ſic & religioſi.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Congruè poſt paupertatem beatificantur & mites. Quia enim pauper multis laſſatur iniurijs, ideò neceſſe eſt vt & ſit mitis, & manſuetus; mitis, vt neminem offendat; manſuetus, vt malos ſe offendẽtes toleret. Dicitur manſuetus, quaſi manu aſſuetus, quia talis non reddit malum pro malo. Vnde Pſal. *Manſueti autem hæreditabunt terrã triplicem*; quam gerunt, ſ. corporis; quam quærunt, ſcilic. paradiſi; & quam calcant, elementarem. Quantopere manſuetus Deo placeat, indicat Eccl. dicens; *Complacet illi, fides & manſuetudo.* Secundò in curã a Deo ſuſcipitur. Pſal. *Suſcipiens manſuetos Dominus.* Tertiò datur ei gratia, *Ipſe deludet irriſores, & manſuetis dabit gratiã.* Quartò præparatur ad intelligentia verbi Dei. *Eſto mãſuetus ad audiendum verbum Dei vt intelligas.* Pſalm. *Docebit mites vias ſuas.* Quintò impetrat per orationem. *Humiliũ tibi ſemper placuit oratio & manſuetorum.* Sextò in fine habet æternam retributionem, vt hic. *Beati mites.* Patet de Moyſe, qui fuit mitiſſimus hominum: vnde loquebatur ei Deus facie ad faciem, & vlciſcebatur iniurias eius ſpecialiter, ſcil. ſororem eius lepra percutiens contra ipſum murmure percutiens. Iacob quoq; Eſau volenti ſe interficere, quantam manſuetudinem oſtendit cum dixit? *Placabo eum muneribus.*

Mitibus triplex terra datur.

Effecti manſuetudinis. Eccl. 1. Pſal. 146. Prouer. 3. Eccl 5. Iudith. 9. Gen. 32.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Hæc beatitudo bene ſequitur primas duas: nam poſt contemptum mundi, poſt quietem mentis, cum homo iam ſecurus in ſe & in alijs confidendo ſe fixerit, nihil inueniet niſi flebile: & ideò luget; quod pertinet ad pœnitentes, qui lugere debent anteacta mala, ſi conſolationem volunt, iuxta thema. *Beati qui lugent*, propria ſcilicet & aliena mala. Primo pro proprijs eſt lugendum. Pſal. *Quaſi lugens & contriſtatus, ſic humiliabar.* Secundo pro peccatis alienis *Tu luges Saül, cum ego proijecerim eum. Planctum vnigeniti fac tibi amarum.* Tertiò pro incolatu miſeriæ præſentis. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Quartò pro periculo in dubio pœnæ æternæ: *Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelliget*, id eſt, opera, ſiue bona, ſiue mala ſint. *Attamen caro eius dum viuet, dolebit, & anima illius ſuper ſemetipſo lugebit.* Quintò pro dilectione gloriæ *Lætamini cum Ieruſalem, & exultate omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugebatis ſuper eam.* Et: *Conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos & beatificabo à dolore ſuo.* Item luctus de proximorum bonorum ſalute, malorum de cõdemnatione conuertitur in gaudium. Pſal. *Facti ſumus, ſicut conſolati.* Item conſolabuntur de euaſione pœnæ æternæ & futuræ: ſicut conſolatus eſt Ioſeph fratres ſuos. Hinc & apud Luc. dicitur: *Hic gaudet, tu verò cruciaris.* Item conſolabuntur in gloriæ adeptione *Ego conſolabor vos, & conſolabimini.* Luget enim peccator propter duo, quia bonum, quod oportuit, non fecit, & malum, quod non oportuit, fecit. Hinc eſt, quod Dominus per Moyſen duos turtures vel pullos columbarum offerri fecit, vnum pro peccato, & alterum pro holocauſto: vnum offerimus, cum pro culpa gemitum damus; de altero holocauſtum facimus, cũ pro eo, quod bonum neglexmus, doloris igne ardemus: ſicque ſecundum multitudinem dolorum in corde meo erunt conſolationes. Vnde ſequitur, quod hi qui veram charitatem habent, dolent & gemunt, quia habent quod amant. Adducitur Gloſ. ſuper illud Pſal. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. tanquam vulnerata charitate ego ſum.* Amabat n. inquit, quem nondum tenebat; dolebat quaſi q̃ nondũ habebat: ergò ſi dolebat, vulnerata erat; ſed hoc vulnus ad verã ſanitatem capiebat: qui hoc vulnere non erit vulneratus, ad veram charitatem non poterit peruenire. Hæc Auguſtinus.

Quare lugendum. 1. Reg. 16. Ierem. 6. Eccl. 7. Iob 14. Iſa. vlt. Gen. 45. Luc. 16. Iſa. vlt.

bb Beati

Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Quia cũ aliquis primo mundana contempſit, mores verò mãſuetudine rexit, atq; ſufficienter luxit, neceſſe habet eſurire: ideò conuenienter ponitur quarta beatitudo, quæ poſt erepſionem animi per illas tres, puta, p paupertatẽ à diuitijs; per manſuetudinem ab iniurijs; per luctum dolẽdo à peccatis; demũ ipſum animum ad cœleſtia appetenda erigit; quod facit eſuries iuſtitiæ.

Cur dicatur eſuries

Et benè dicitur eſuries; in præſenti n. perfectam iuſtitiam non poſſumus habere, ſed eſurire poſſumus. Verè ergò beati qui ſic eſuriunt iuſtitiam, *quoniam ipſi ſaturabuntur.* Hanc iuſtitiam quærebant & ſitiebant Prophetæ, deſiderantes aduentũ Domini vt fideles inuenirẽtur: vnde vnus eorum dixit; *Vtinã diſrumperes cœlum & deſcenderes*

Iſa. 64.

Magna eſuries, quę ad ſaturitatem ſuam cœlum poſtulat rumpi. Sed hi ſaturati ſunt, quando Domino incarnato viderunt gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre: vnde tunc *eſurientes* Patres *impleuit bonis. Sicut locutus eſt ad Patres noſtros,* ſcil. Prophetas.

Ioan. 1.
Luc. 1.
Saturitas perfecta erit in gloria.

Saturati aũt ſunt, ſed ex parte per quandam prælibationem; ſed perfectius ſaturabuntur & plenius, *cum apparuerit gloria eius*, quia tunc totus homo remunerabitur. Sic dicetur; *Repleti ſumus miſericordia tua, exultauimus & lætati ſumus omnibus diebus noſtris.* Et: *Famelici ſaturati ſũt.* Et: *Ecce ſerui mei comedent & vos eſurietis.*

1. Reg. 2.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur; quia dicitur, quod miſericordia & veritas, id eſt, iuſtitia obuiarint ſibi. & habent ſe tanqnam ſorores vterinæ quarum vna ſine alia claudicet; miſericordia enim ſine iuſtitia declinat ad crudelitatem; Vnde Gloſ. Iuſtitiæ lumen eſt miſericordia.

Pſal. 84.

Triplex miſericordia.
1. erga ſe Eccl 30.
2. erga proximũ. Luc. 10.
3. erga Deum.

Fit autem miſericordia tripliciter, 1. ſ. in ſe. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine & congrega cor tuum in ſanctitate:* ſecundo fraterna ad proximum per beneficẽtiam. *Videns Samaritanus vulneratum, alligauit vulnera eius:* tertiò filialis ad Deum. Prima miſericordia conſequitur miſericordam in remiſſione omnis iniquitatis culpę; ſecunda conſequitur miſericordiam in diminutione pœnæ & interceſſorum multiplicatione. Prouerb. 25. Tertia conſequitur miſericordiã in adeptione gloriæ: *Qui miſeretur pauperi benedicetur & benedictus erit.*

Prou, 1[illegible].

Hanc miſericordiam habuerut confeſſores, quorum principatum tenens B. Nicolaus patrimoniũ ſuum in opus miſericordiæ gratiâ reuelandæ inopiæ & fugiendi ſtupri erogauit.

Definitio miſericordiæ.

Miſericordia, prout eſt virtus, eſt dolor alienæ miſeriæ, ſed ſecundum quod diſplicet alicui malum alterius, eſt donũ Spiritus ſancti: ſed pietas eſt, prout homo exhibet cultum Dei ex filiali affectu, & expeditè ſubuenit omnibus miſeris, pro loco & tempore conſtitutis.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Poſtquam animus informatus fuerit præcedentium habituum gradibus, reſtat vt purgetur idem, vt in vno mandatorum non offendat, nè ſit omnium reus, ſed ſit, ſicut domus ſine palea auaritiæ, ſicut ſpeculum ſine macula luxuriæ; ſicut aër ſine nube ſuperbiæ; ſicut argentum ſine rubigine acediæ, ſicut pellis ſine pinguedine gulæ.

Animus purgandus.

Quid autem eſt eſſe mundo corde, niſi ſimplex habere cor? vt dicit Beda, ſicut alibi ſcriptum eſt. *In ſimplicite cordis quærite illum,* Sicut enim lumen hoc non poteſt videri, niſi oculis mundis, ita nec Deus videri poteſt, niſi mundum ſit illud, per quod videri debet. Vnde ſecundum Hieronymũ; mundi ſunt corde, quos non arguit conſcientia peccatorum. Vnde dicit. *Corde*, non ſuperficie, vt hypocritæ fallaces. *Væ vobis Phariſæi qui mundatis vos deforis, intus autẽ eſtis pleni rapina.*

Quinam mundo corde.
Matt. 23.

Hæc beatitudo eſt ſanctarum Virginum, quæ præ cæteris purius Deum videbunt: illarum dico, quæ ſunt virgines mundi cordis, non ſolum corporis mundi: virgo enim caſta corpore & non mente, nullum habet præmium in retributione. Quid enim prodeſt à carnalibus amplexibus abſtinere, & malignarum cogitationum ſtupro in corde coinquinari, quaſi dicat, nihil. Vnde triplex bonũ conſequentur virgines mundo corde: primo, quia vident Deum purius cæteris per affectum dilectionis, iuxta illud *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit ſibi amicum Regem.*

Prou. 22.

Secundò per affectum ſolicitudinis. *Si mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te*; tertiò per affectum beatitudinis, & hoc per gratiam in præſenti familiarius. Vnde Bernard. *Ama*

Iob 8.

confeſſio-

confeſsionem, ſi optas mundationem. Pſal. *Cõfeſsio, & pulchritudo in conſpectu eius &c.*

Triplex mundatio in lege veteri.

Fuit autem in veteri lege triplex mundatio: prima per aquam expiationis: per hanc ſignificatur ſanctificatio in baptiſmo; ſecunda per ſanguinem; *Omnia pænè per ſanguinē mũdantur*: per hanc ſignificatur pœnitentia, quæ eſt in carnis mortificatione: tertia per vnctionem, qua ſola vaſa & ſacerdotes vngebantur: per hanc ſignificatur gratiæ infuſio. Deficiens ergò à prima, neceſſe habet recurrere ad ſecundam.

Num. 19.

Tria ad munditiā hortantur.

Ex tribus porrò hortamur ad munditiam: primò Scriptura, in Leuit. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*; ſecundò reiectione creaturæ: nam mare reijcit mortuos, vinum feces; tertiò deteſtatione immunditiæ, quæ imaginem ligneam, ſcil Dei miſericordiam deturpet, ita vt intelligibiliter appareat, & tenaciter adhæreat, vt patet in Lucifero &c.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quoniam in ſabbatho ſextæ ætatis plenius dabitur pax habenti beatitudines prædictas: ideò poſt mundam cordis voluntatem, primò ponitur præconium pacifici,

Luc.

quia pax bonæ voluntati promittitur. Ideò de pacificis benè dicitur, *Filij Dei vocabuntur*, quia cum Deo gaudentes.

Matth. 9.

Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu ſponſus eſt cũ illis? Secundo quia Deo ſimiles.

1. Ioan. 3.

Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit nobis, quod erimus: ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus. Tertio quia hæredes.

Rom. 8.

Si autem filij Dei, etiam hæredes. Hanc beatitudinem Pontifices habēt, qui pacem faciunt in populo, iuxta illud; *Talis decebat, vt eſſet nobis Pontifex, qui inter Deum & peccatores, & inter ipſoſmet homines pacē reformaret*; ſicut & primus Bontifex Chriſtus fecit.

Hebr. 7.

Ad pacē habendā quæ neceſſaria.

Qui vult habere pacem, primum benè viuat; quia *non eſt pax impijs*: quia nō poteſt eſſe pacificus, qui cum Deo bellum gerit: ſecundo voluntatem ſuam Deo conformet: tertio contemnat terrena, quia ſi vult ea ſequi, non poteſt ei eſſe pax. Vnde Beda in homilia. *Beati pacifici &c.* In pace, inquit, perfectio eſt, vbi nihil repugnat, & ideo filij Dei pacifici, quoniam in eis nihil reſiſtit Deo. Pacifici aũt in ſemetipſis ſunt, qui oẽs animi ſui motus contemnentes, ſumũt regnũ Dei. His conuenit illud poëticũ.

Pax reprimit litem, concordes nectit eadem.
Lis pacem metuit, refugit diſcordia pacem.
Odia pax pellēs, ipſum pax nutrit amorem.

Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Poſtquam poſitæ ſunt beatitudines, quarum præmium eſt aurea; conſequenter ponitur beatitudo, cuius præmium eſt aureola, quia eius meritum conſiſtit in perfectione paſsionis. Ponit ergo primo ſententiam generalem; ſecundo ſpecialem conuertens ad Apoſtolos ſermonem, dic. *Beati eritis, cum maledixerint vobis &c.*

Quæ faciant martyrem.

Ponuntur autem circa principium contraria, quę faciunt martyrem, ſcilicet pœna in paſſione, cauſa in iuſtitia, perſeuerantia in remuneratione. Dicit ergo. *Beati qui patiuntur perſecutionem propter iuſtitiam.* Gloſſa non propter ſcelera, vt malefici, hæretici, latrones. *Nemo veſtrum patiatur, vt fur, aut maleficus*, ſed propter iuſtitiam, ſcilicet defendendam, vt ſancti martyres, quorum eſt regnum cœlorum, quantum ad aureolā, quia ſtatim euolāt in cœlum.

1. Pet. 3.

Patiendū eſt propter iuſtitiam.

Vnde Beda in homilia. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, non propter iniquitatem, ſeu propter Chriſtianæ vnitatis diuiſionem. Hinc & Iſidorus. *Nō omnis qui patitur ꝓbra, iuſtus eſt. ſed ſi innocēs pro veritate patitur, ille tantummodo iuſtus putatur.* Aliud eſt pati tribulationem, aut pœnam, aut moleſtiam, aut ſuppliciũ propter maleficia, aliud propter iuſtitiam. Conſidera vbi ſis, quid egeris; vide quare patiaris, vide quia ius & iniuria contraria ſunt: ius enim eſt, quod iuſtum eſt; neque enim omne, quod ius dicitur, ius eſt: Quod ſi aliquis concedat ius iniquum, nec ius dicendum eſt, ſed iniuſtitia eſt. Vnde conſidera, quid veri feceris, quid vero patiaris: ſi ius feciſti & iniuriam pateris, iuſtus es. Quare iſta dixi fratres? Vt ſe nō extollant hæretici, ſi quid fortè patiantur ex iuſsionibus Principũ terrenorum, nec ſe numerent inter eos, qui iniuriam accipiũt, & dicant. *Ecce.* Pſal. conſolatur me: lego aliud ex Euangelio. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Notater dicitur *propter iuſtitiam*, vt inſinuetur multos pati, ſed nō ꝓpter iuſtitiā. Vnde Aug. ſuper pſ. *Adducētur regi virgines in templũ* dicit; ſunt quædā Virgines, ſed extra tēplũ vt hęreticę

Pſal. 44.

ſanctimoniales; ſunt quidē virgines, ſed qd prodeſſerit eis, niſi in templum regis adducātur. Templum regis in vnitate eſt, templū regis non eſt ruinoſum, non diſciſſum, nō diuiſum, quia regnum Dei eſt iunctura lapidum regnantium, & viuentium, quæ eſt charitas; & ſic cognoſcāt, qui præciſi ſunt, & veniant ad vnitatem. Subdit etiam ſuper alium paſſum. Nemo ergò dicat perſecutionem patior, non ventilet pœnam, ſed probet cauſam: ſi cauſam non probauerit, annumeretur cum impijs. Et meritò dicit Auguſtinus. tales numerari cum impijs in pœna æterna, qui in conſortio iniquorum paſſi ſunt; eos autem annumerari in vita æterna, qui paſſi ſunt ex conſortio bonorum pœnam temporalem. Danda eſt igitur nobis opera, vt hic cum ſanctis viris vnitatem charitatis teneamus, ſi volumus pati cū illis propter iuſtitiam. Tenēda eſt nobis, inquit S. Iſidorus, cum S. viris vnitas charitatis; & quantò magis ſe vnuſquiſque ſubtrahit mundo, tantò opus eſt, vt ſe aſſociet bonorum conſortio hic in patientia, vt aſſocietur eis in præmij gloria. Eſt autem ſciendū, quod regnum cœlorum debeatur patientię propter 4. Primò iure ſociali. *Particeps in tribulatione & regno.* Et: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Secundò iure pugnatorū. *Regnum cœlorum vim patitur &c.* Iſti enim digni ſunt regno, qui pati fortiter pro iuſtitia non metuunt. Tertiò iure hęredum. *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum.* Datur autem hic idem pręmium paupertati & patientię, quia paupertas eſt compos martyrij: vtrobiq; enim oportet vincere mundum, quo ad delectabilia mundi; vel dicitur, quod non ſit idem præmium, quia ibi aureæ, hic aureolæ; vel illis promittitur regnū cœlorū ad diuitias, iſtis ad dominiū; quia tūc martyres dominabuntur perſecutorum ſuorū. Pſal. *Dominabuntur eorum iuſti in matutino.* Et: *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt.* Secundum quoſdam, hæc non eſt octaua beatitudo, ſed præcedētium illuminatio, vt ſit prima referenda ad alias. Sequitur. *Beati eſtis, cū maledixerint vobis.* Hic perſuadet Dominus ſpecialem perſuaſionem pręter illam generalem ſententiam: vnde dicit, *Beati eſtis &c.* Perſuadet aūt eam à tribus; quæ debent eos incitare ad ardenter patiendum pro Chriſto; primo ex paſſionis cauſa, cum dicit. *propter me:* ſecundo ex præmio, cum ſubditur; *gaudete:* tertio ex aliorum exemplo, *ſic enim perſecuti ſunt Prophetas.* Quantū ad primum, notandum eſt, quod iniqui perſequuntur bonos verbis & factis: dupliciter autem homines maledicuntur, quia vel præſentes, & eſt maledictio; vel abſentes, & eſt detractio. In medio aūt ponit perſecutionem in ſanctos, quaſi notans ordinem rei conſuetæ: primo enim maledicunt præſentibus; ſecundo fugant de loco ad locum; tertio detrahunt abſentibus: & hoc eſt quod dicit; *Beati eſtis* modo in ſpe, ſed tandem in re, *cū maledixerint vobis,* ſ. innocentibus, *homines* vt ſonent in vitium, ſ. carnales, & infideles, *maledixerint* inquam ſecundum Gloſſ. id eſt, ex odio in faciem contumelias dixerint *& perſecuti vos fuerint,* ſ. vim inferentes, iuxta illud. *Vidi ſubtus altare Dei animas interfectorū propter verbū Dei.* Hoc ſpecialiter pertinet ad prędicatores: vnde Dominus conqueritur de perſecutoribus prædicatorum apud Iob, dicens; *Quaſi capitio tunicæ ſuccinxerint me:* Tunicæ quippè capitium circundat collum induentis: collū vero ſi ſtringitur, vocis vſus & vitalis flatus necatur. Sanctā ergo Eccl. reprobi quaſi capitio tunicæ conſtringunt, quia in ea perſecutionibus ſuis vitā fidei & prædicationis vocē extinguere conantur: hoc quippè conari perſecutores eius ſpecialiter ſolent, vt ab ea ante omnia verbū prædicationis tollant. Vnde & hi, qui ſanctę fidei primordiis reſiſtebant, cæſis Apoſt. denunciabāt dicentes; *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto, & repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra.* Corpus ergo Eccl. quaſi capitio tunicæ cinxerant, quia conuitiis prædicatoribus velut eius collū premētes pręcludere nitebantur iter lucis: ſed quia electi quiq; perſecutionis tempore potiores ſunt, potius mori, quā tacere maluerunt. *Gaudete in illa die.* Ecce præmiū alliciens ad patiendū; & hoc dupliciter: primo ſpei, qua *gaudete in illa die;* ſecundo rei, *quoniam merces veſtra.* *Gaudete* ergo interius corde, *exultate* exterius corpore, id eſt, propter exemplum.

Regnum cœlorum debetur patientiæ propter 4

Apocal. 1.
2. Tim. 2.
Matt. 11.
Luc. 22.

Pſal.

Sap. 5.

Apocal. 6.

plum exterius gaudium oſtendite corpore, Vel dicit duplex, ſcilicet aureę, & aureolæ; vel propter duplicem ſtolam corporis & animæ *Gaudete* ergò ſicut mercatores lucroſæ mercis. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij. &c.* quia eorum corona fuit iuxta meritum copioſa ex affluentia ſuper condignum, in cœlis diffuſa vltra terminum iuxta illud: *Ego ſum merces tua magna nimis.* Redditur itaque eis merces, tanquam laboratoribus. *Voca operarios, & redde eis mercedem;* Corona tanquam præliantibus: *Illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam;* Fructus tanquam ſeminatoribus ſecundum triplicem ſtatum, centeſimum, ſexageſimum, & triceſimum. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu & metet.* Regnum tanquam hæredibus, *Nonne Deus elegit pauperes ex hoc ſæculo, diuites in fide, & hæredes regni.*

Act 5. Gen. 15. Matt. 20. 1. Cor. 9. Gal. 6. Iacob. 2.

Sciendum quod ſecundum Bedam per omnia præmiſſa ſpecialiter ſeptem vitia excludat; 1. cũ dicit, *Beati pauperes*, auaritiã excludit; per *Beati mites*, iram & indignationem; per. *Beati qui lugent*, ſæculi lætitiã, quæ mortem operatur, repellit; per. *Beati qui eſuriunt*, gulam, ſiue omnium delitiarum cupiditatem, per ieiunium retundit; per. *Beati miſericordes*, ſuperbiam humili compatiẽdo deijcit. per. *Beati mundo corde;* fornicationem, & omne corporis inquinamentum fortiter extorquet. *Beati pacifici*, qui vanam gloriam pacis dilectione humiliant; *Qui perſecutionem patiuntur*, acediam omnem diſcurrendi amore abijciũt. Omnibus his ſecundum eundem magnopere curandum eſt reſiſtere, & ab eis peccatorum ſordibus purgare his, qui volunt ad vitam peruenire: ad quam nos perducat Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Amen.

DE SANCTO MARTINO.

SERMO.

Oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus.

HAEC ſunt verba Eccleſiæ de vita & ſanctitate S. Martini. *Sãctorum exempla* inquit S. Gregorius, *animos audientium accẽdunt, vt videant, quæ ab eis fortiter facta ſunt, & valde ſibi indignentur pariter & humilientur pro eo, quod talia non operantur.* Verba propoſita maximam ſanctitatẽ huius glorioſi Principis inſinuant. Erigamus igitur caput noſtrum, & imitemur eum, quantum poſſumus. Sancta mater Eccleſia commendat ſanctum Martinum, quod oculis & manibus in cœlum ſemper fuerit intentus: per oculos deuotionem, & intentionem accipimus; per manus vero operationem. De vno oculorum dicitur in Cãticis; *Vulneraſti cor meum, ſoror mea, ſponſa in vno oculorum tuorum*, ſcilicet deuotionis; de alio oculo dicitur apud Matth. *Si oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus lucidum erit.* Ab oculo enim intentionis opera noſtra tenebroſa vel luminoſa iudicantur: quod autem per man⁹ operatio deſignetur, declarat S. Gre. dic. Quod per manus niſi operatio deſignatur? Eſt ergo ſenſus propoſiti thematis: Beatus Martinus per deuotionem in cœlo verſabatur; & ſimul per intentionem omnia ſua opera in Deum ordinauit, vt nihil propter ſe aut propter homines, ſed omnia propter Deum faceret. Expoſitis igitur verbis thematis videamus, quomodo ſanctum hunc virum imitari debeamus: ſi enim gloriæ eius participes fieri cupimus, viam, per quam venit ad gloriam, non recuſemus oportet: Sed quia nemo repentè fit ſummus, ſtudeamus ab inferioribus ad ſuperiora duce gratia oculos noſtros ſimiliter in cœlũ erigere. Debemus igitur primo oculos noſtros cũm manibus, id eſt, deuo-

Cant. 4. Matt. 6. Propoſit. 1.

deuotionem,& intentionem, & omnem operationem retro nos reflectere;ſecundo ante nos proſpicere; tertio infra nos deflectere,quarto à dextris & ſiniſtris ſtatuere, quintò intra nos includere; ſexto in cœlũ cũ ſancto Martino erigere; vltimo tandẽ, quantũ poſſumus eoſdẽ ipſi Deo infigere.

1. *Oculi reflectendi ſuper mala commiſſa.* Primò oculos noſtros poſt tergum ſuper mala, quæ commiſimus, reflectere oportet, deuotionem profundæ pœnitentiæ cum recta intentione & operatione ſatisfactionis Domino offerendo; ſic agentes vt pura deuotione pœniteamus, conſiderantes intimo timore & dolore, quæ, qualia,& quanta commiſerimus: ita vt,ſi fieri poſſit,ſingulis peccatis, ſingulas deuotiones & operationes recta intẽtione tribuamus. Hoc modo feciſſe legitur S. Propheta Ieremias,cum peccata populi deploraret, dic. *Diuiſiones aquarum deduxerunt oculi mei*. Quod exponens D. Gregorius dic. Diuidimus aquas, & ex oculis lachrymas deducimus,cum ſingulis peccatis diſpertitas lachrymas tribuimus. Sic legimus de ſancto Dauid in Pſalm. *Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei,quia non cuſtodierunt legem tuam*. (*Pſal.* 118.) Hunc ergo reſpectum tam diu teneamus,quouſque in nobis verificari poterit illud. *Deleui vt nubem, iniquitates tuas,& quaſi nebulam peccata tua.* (*Iſa.* 44.) Sed quia non ſufficit remiſſio peccatorum, niſi detur nobis etiam gratia continendi; ſecundo oculos cum manibus ante nos in Dei iudicium dirigamus,cogitantes, quam diſtricte pro ſingulis & maxime poſt remiſſionem iteratis,à Deo iudice iudicabimur: quia omnia in numero pondere, & menſura nos exſoluere oportet, iuxta illud *De omni errato adducet te Dominus ad iuditiũ.* (2. *Oculi dirigendi ante nos in iudicium Dei.* — *Eccl. vltimo.*) Quod ſi apertis oculis videremus peccata, cum ſumma diligentia caueremus: quis enim niſi mentis inops à Iudeo mutuaret obolum pro eo breui marcam redditurus auri? aut quis pro delectatione momentanea pœnam longiſſimam & grauiſſimam ſuſtinere deſideret? At ita eueniet in futuro Dei iudicio. Cum ergo vitijs & dimiſſis iam peccatis iterum impugnamur, ſenſus noſtros fortiter cohibeamus, dirigentes oculos cum manibus ante nos ad Dei iudicium, atque dicentes illud Apoſt. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis*. (*Heb.* 10.) Nam etſi iterum peccanti, iterum detur gratia pœnitendi, multo tamen facilius eſt cauere, quam emendare: oportet enim hominem per multa trahi antequam peccatum penitus deſtruatur. Hinc optimè D. Ambroſius, *Facilius*, inquit, *inueni qui ſeruauerit innocentiam, quam qui veram atque dignam egerit pœnitentiam.* Tanta enim mala homo incurrit per peccatum, vt rarò vnquam ad plenum emendetur. Quod figuratum legimus.1.Machab.cap.4. vbi dicitur, licet templum poſt primam deſtructionem fuerit reparatum, nunquam tamen ad decorem priſtinum fuiſſe reformatum. (1. *Macha.* 4.) Verum quia poſt peccatorum ceſſationem, & eorum emendationem iam inter amicos Dei incipimus computari;ideo neceſſe eſt, vt in ſignum eius amicitiæ incipiamus à Domino tanquam filij chariſſimi flagellari: ſic enim dixit Angelus Tobiæ; *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te &c.* (*Tob.* 12.) Vt ergo flagella Dei cum patientia ſufferamus; tertio oculos cum manibus infra nos in infernum cum multa ſolicitudine dirigamus, vt ſi amara videantur flagella Domini, cogitemus, melius eſſe, vt hic caſtigemur in iudicio miſericordiæ, quam in inferno deputemur perpetuo igni, cogitantes illud Iudith; (3. *Oculi dirigendi infra nos in infernum.*) *Omnes qui tentationes non ſuſceperunt cũ timore Domini &c exterminati ſunt. Non ergo vlciſcamur nos pro his, quæ patimur, reputantes ipſa ſupplicia minora eſſe peccatis noſtris quibus quaſi ſerui Domini corripimur ad emẽdationem, & non ad perditionem.* (*Iudith.* 8.) Hæc ibi Hinc & Iob inquit, *Qui timet pruinam, cadet ſuper eum nix.* (*Iob.* 6.) Cum ergo flagellamur à Domino, dirigamus oculos noſtros cum manibus infra nos ad pœnas inferni, dicentes cum gaudio: melius eſt hic purgari, quam ibi æternaliter cruciari. Sed quia hoſtis humani generis diabolus videt, nos per peccatorum remiſſionem & eorum ceſſationem, pariterque per Dei flagellationem, non ſolum erutos & liberatos à ſua poteſtate, ſed etiam longè a ſe alienatos eſſe,hinc acrius incipit nos infeſtare, inſtaurans contra nos ruinam per delectabilia hu-

lia huius mundi, per quæ tanquam per machinas fortiſſimè nos impugnat, immittens in nos tales & ſimiles intoxicatas immiſſiones & ſagittas dicens nobis; Quid facis? Viſnè præſentem vitam perdere pariter & futuram? & ſic de alijs. Hinc igitur neceſſum, vt & quarto oculos cum manibus circa totum mundum cum eidem adhærentibus dirigamus, cautè æſtimantes, quod omnia, quæ in mundo ſunt, non habita proficiant, & habita noceant; quia per ea Dei amicitiam perdimus, iuxta illud; *Qui vult eſſe amicus mundi, inimicus Dei conſtituitur.* Inimicos autem ſuos percutiet in poſteriora eorum, & opprobrium ſempiternum dabit eis, vt dicit Pſalm. Spreta autem eadem propter Deum multum proficiunt, quia pro eis omne bonum promittitur. Domino dicente; *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* O fœlix commutatio, relinquere mala, & accipere bona! De omnibus his adhærentibus & coniunctis mundo dicit diuina ſapientia; *Vidi cuncta quæ ſub ſole ſunt, & ecce vniuerſa vanitas.* Sed quid pro his homo accipit? Accipit Deum, in quo ſunt omnia bona. Licet aut hac conſideratione homo luce clarius videat, omnia quæ mundi ſunt, penitus contemnenda tanquam vilia & inutilia, & pernicioſa, interior tamen affectus difficilè diſtrahitur ab eiſdem; ideo oculi cum manibus, id eſt, deuotio & intentio, & omnis noſtra operatio intra nos eſt dirigenda, vt interior noſter homo ab hac viſcoſa & feculenta materia fortius abſtrahatur. Atque hinc quintò eſt neceſſarium vt oculos cum manibus intra nos dirigamus, diligenter conſiderantes, vbi interiora noſtra iaceant, vbi ſordidentur, & inueniemus, quod etiam malis expulſis, adhuc reliquiarum vicioſitas ſuperſit, multumque animæ ad virtutis cultum & culmen aſpiranti reluctetur. Vndè optimè D. Bernardus ait; huiuſmodi peſtes vitiorum vſque in vltima ſolitudine ſolitarium perſequuntur, & non niſi pertinaci ſtudio expurgatæ Leniri poſſunt, & quocunque componat ſe animus, erunt præſtò, & in quacunque ſolitudine ſecretum ſilentium cordis eſſe non patientur, quib⁹ quo maior ineſt cõſuetudinis vſus, eò nequiores, & rebelliores inueniũtur. Ergo introrſus homo ingrediẽs potentias animæ ex malo conſuetudinis vſu deprauatas, & ad hæc terrena appetenda peſſimè inclinatas, rationem, quæ data eſt homini, vt Deum cognoſcat, inueniet obtenebratam; volũtatẽ, quæ eſt homini data, vt in cognito & amato dulciter requieſceret, inueniet inſtabilem & inquietam. Erigat ergo rationem ad Deum, vt eum ſemper cogitet; corrigat voluntatem, vt ſolum Deum cognitum amet; compeſcat memoriam, vt in Deo diſcat aliquando ſtabiliri: Sic namque potentiæ vt dictum, reparatæ citò recuperant pro modo amoris, quem habent ad Deum, quæcunque auerſæ à Domino perdiderũt. Verum quia, vt dictum eſt, eædẽ potentiæ à terrenis difficulter auelluntur, niſi oſtendatur eis aliquid melius, quo ſe vertant, & cui promouente gratia inhæreant; idcirco erigendi ſunt oculi noſtri cum manibus ad diuina. Vndè præclarè Bern. *Iuſtum eſt, ait, vt quos præſentia non delectant, præſto ſit eis memoria futurorum, vt qui de rerum affluentia deſpiciunt conſolari, recordatio illos delectet æternitatis: quia nequaquam ſine delectatione eſſe poterunt. Anima enim ſine delectatione eſſe non poteſt: aut enim delectatur infimis & caret ſupremis aut ſupremis, & infima contemnit.* Sexto ergo erigamus oculos noſtros cum manibus ad ſuperna; conuerſationem noſtram habentes in cælo; vbi hæreditas noſtra eſt à lõge, eo erigamus oculos noſtros, ſicut monet Iſa. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide.* Et in Gen. dicitur Abrahæ; *Vide in directum ad orientem & occidentem, ad aquilonem & meridiem: omnem terram, quam conſpicis, dabo tibi.* Quòd reuera cogitatum ſolum poſſet corda noſtra duriſſima inflammare, quod ſcilicet nos viles vermiculi tam glorioſam hæreditatem in æternum, & omnium bonorum abundantiam debeamus poſſidere. In hac ergo peregrinatione in corpore conſtitutos, cogitatione & auiditate oportet in illa æterna patria continuè conuerſari, iuxta illud Apoſtoli; Coll. 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite,*

4 Oculi à dextris & ſiniſtris ſtatuendi.

Iacob. 4.

Pſal. 77.

Matt. 19.

5 Oculi intra nos dirigendi.

6 Oculi ad cœleſtia erigendi.

Iſa. 60.

Gen. 15.

Coll. 3.

vbi

vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Bern. Circuite & vos dulciſſimi, animo ſedes ſupernas, & multas, quæ in domo Patris ſunt, manſiones humiliter contemplantes, erigẽtes corda veſtra ad thronum Dei, & agni, ſupplicantes præcelſis cordibus, Angelorum, Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, & Virginum choros admirantes; & quantum præualet infirmitas cordis, talibus cogitantes intereſſe &c. Septimo adhuc altius ſancti erigunt viſum ſuum, contemplationem ſuam, quantum humanæ fragilitati poſſibile eſt, in ipſum Deum dirigentes: ad quod faciendum etſi interdum, rariſſimè tamen admittuntur; & hoc ipſum ad punctum accidit viris ſanctiſſimis & perfectiſſimis, neque tamen adhuc in viſionẽ diuinæ eſſentiæ pertingunt, iuxta illud Ioan. *Deum nemo vidit vnquam.* Nequaquam tamen veteris teſtamenti Patres, qui referunt Deum ſe vidiſſe, male dicunt, vt Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* Et Iob *Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te.* Et Iſaias. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Hanc

7. *Oculos in ipſum Deum dirigunt.* SS.

Ioan.1.

Gen.32.

Iob. 42.

Iſa. 6.

controuerſiam Gregorius declarat per diſtinctionem, dic. Quid eſt quod Patres veteris teſtamẽti Deum ſe vidiſſe teſtati ſunt, cum tamen Ioan. dicat; *Deum nemo vidit vnquam*; niſi hoc, quod patenter datur intelligi, quia quamdiu hic mortaliter viuitur, videri per quaſdam imagines Deus poteſt, ſed ſecundum naturam ſuæ ſpeciei videri non poteſt? Anima enim afflata per gratiam Spiritus ſancti per figuras quaſdam Deum videt; ſed ad ipſam vim eſſentiæ non pertingit. Hinc Bernardus quicquid de Dei viſione fidelibus impartitur, ſpeculum eſt, & ænigma, tantum diſtans à futura vita, quantum à veritate fides, tempus ab æternitate; & adhuc breuiter & raptim ſanctis conceditur quaſi per modum ſtillæ, quod modicitatem ſignificat. Huic tamen viſioni ſancti Dei, quantum ſinit humana fragilitas in hoc ſeculo, fideliter inſiſtant, & Deum in ſe & in effectibus ſuis videre ſatagant, donec ipſo fauente per gratiam veniant ad gloriam. Eiuſmodi exercitio inſiſtebat ſanctus Martinus iugiter, de quo thema propoſitum. vt ſupra.

Greg.

DE SANCTA ELISABETHA.

SERMO. I.

Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit. Prou. vlt.

PRæmiſſa verba aſſumuntur ad laudem & gloriam ſanctæ Elizabeth; in quibus eius perfectio à duobus commendatur; primo à ſuæ mentis diſcuſſione ſtudioſa, cum dicitur: *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ*, id eſt, motus interiores mentis ſuæ; ſecundo ab eius operatione virtuoſa cũ ſubditur: *Et panem otioſa non comedit.*

Propoſit.

I.

Circa primum ſciendum, quod quilibet homo iuſtus diligenter debeat conſiderare omnes ſemitas, id eſt, omnes cogitationes & affectiones mentis ſuæ; ne in eis aliquid erumpat, quod oculos diuinæ maieſtatis offendat. Ad hanc conſiderationem inducit Hugo de S. Victore, dic; *Diligenter attende, quantum proficias, vel quantum deficias, qualis ſis in moribus, & qualis in affectionibus: redi ergò ad cor tuum, & diligenter & ſubtiliter diſcute teipſum: conſidera quid agas, quomodo viuas, & quo tendas: & cum totum interioris & exterioris hominis ſtatum & habitum, quantum poſſibile eſt, plenè cognoueris, non ſolum, qualis ſis, ſed etiam qualis eſſe debeas;*

Cogitationes & affectiones omnes diligenter conſiderandæ.

Hugo.

beas, tunc de cognitione tui poteris ſubleuari ad contemplationem Dei; præcipuum enim & principale ſpeculum ad videndum Deum eſt animus intuens ſeipſum. Iſtam conſiderationem & diſcuſſionem mentis beata Eliſabeth quotidiè frequentabat: fecit enim, ſicut Seneca refert de ſuo otio: hic cum omni die ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogauit animum ſuum, quid boni hodie peregiſti? quid mali hodie perfeciſti? cui vitio reſtitiſti? qua parte in virtutibus profeciſti? Hæc ille. Hæc porro præclara conſideratio tripartita ſit oportet. Primo vt homo conſideret defectus ſuos præteritos, vt corrigantur: quod bene docet Bernardus dicens. Conſideret anima maculas ſuas, vt inde doleat, dolens lugeat, lugens Deo placeat, & ſibi placens audiat; *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra & macula non eſt in te*. Hoc verbum propriiſſimè competit beatæ Eliſabethæ cuius pulchritudo bis inſinuatur, quia non ſolum fuit pulchra interiori mentis affectu, ſed etiam in interiori conuerſatione: ita vt exempla ſanctæ conuerſationis & ædificationis omnibus eam intuentibus reliquerit. Secundo homo conſideret oportet affectiones ſuas præſentes, vt dirigantur: ad quod iterum hortatur nos Bernardus dicens; à te tua conſideratio incipiat, nec te neglecto in alia te extendas. Quid enim prodeſt, ſi noueris omnes vires herbarum, curſus ſiderum &c. ſi te neſcieris? Eris ſimilis ædificanti ſine fundamento; ruinam enim facis, non ſtructuram. Nam quicquid conſtruxeris extra teipſum, hoc, vt ipſe dicit, erit tanquam puluis, qui à vento diſſipatur. Et ſubdit. Non ſolum autem conſideratio tua à te incipiat, ſed etiam in te finiatur; vt quicquid conſiderationi tuæ ſe offerat, quod ad tuam ſalutem non pertinet, hoc noueris reſpuendum. Tertio homo conſideret defectus futuros, in quos propria infirmitate labi poſſet, vt caueantur. Auguſtinus Magis cogitare debet homo, quid ſibi deſit quam quid ſibi aſſit. Quod habes caue ne perdas. Quod non habes conare vt aſſequaris. Semper cogitare debes, quod ſis minor in meritis & non maior. Si enim cogitas quantum alium præceſſiſti, time elationem; Si cogitas quantum tibi deeſt, ingemiſce; & cũ ingemiſcis, à delicto curaris; & cum humiliaris, proficis. S. Chryſoſtomus dicit quod conſideratio ſui parit homini quadripartitum fructum. Primo cauſat humilitatem ſui. Vnde Gregorius. Magnæ humilitatis radio ſua opera illuſtrat, qui aliorum bona ſubtiliter penſat. Tamdiu enim peccata ſua, quæ noſſe & flere debet, ignorat, quamdiu aliorum defectus curioſè cõſiderat. Secũdo inducit charitatẽ proximi. Ex hoc enim quod propriam fragilitatem agnoſcit, neceſſitati proximi libenter ſubuenit. Tertio inducit cõtemptum mundi; quia ex conſideratione propriæ nobilitatis & ex magnitudine cœleſtis præmij ad quod homo factus eſt, omnia tranſitoria velut ſtercora arbitratur. Quarto inducit amorẽ Dei; quia dum homo conſiderat, quod Deus cum tanti pretij æſtimauit, quod pro ipſo incarnari & mori voluit, in amore diuino merito inardeſcit. Et hoc quo ad primum.

Seneca. — *Conſideratio tripartita.* — *Bern.* — *1. Defectuum præteritorum.* — *2. Affectionum præſentium.* — *D. Bern.* — *3. Defectuum futurorum.* — *Auguſt.*

Conſiderationis ſuipſius fructus 4. — *1 Humilitas.* — *2 Charitas proximi.* — *3. Contẽptus mũdi.* — *4. Amor Dei.*

II.

Commendatur etiã B. Eliſabeth virtuoſa operatione, cum ſequitur, *& panem otioſa non comedit.* Eſt autem triplex panis, ſcilicet materialis, doctrinalis, & ſacramentalis. Et quemlibet illorum beata Eliſabeth otioſa non comedit. Et hoc ex eodem capitulo colligitur in verbis epiſtolæ, vbi dicitur; *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*, ſcilicet veſtiendo pauperes, & prouidendo de eorum indigentijs. Etiam per linum, quod per multas occupationes ad candorem deducitur, poſſunt intelligi opera pœnitentiæ, puta vigiliæ, orationes, & abſtinentiæ, quibus caro mortificatur & mens ad candorem puritatis deducitur. In iſtis omnibus fuit beata Eliſabeth multum ſollicita & fortis, vt idem ſapiens declarat dicens. *Manum ſuam miſit ad fortia*, id eſt, prædictis operibus fortiter inſiſtebat, *Et digiti eius*, id eſt, affectiones & cogitationes, *apprehenderũt fuſum*, ſcilicet vt de lana & lino fila faceret, & veſtes texeret quibus pauperes corporaliter veſtiret, & etiam mentem ſpiritualiter adornaret. Nam beata Eliſabeth de lana agni, id eſt, de exẽplis & vita Chriſti, de lino internæ puritatis ſibi veſtẽ texuit,

Panis triplex. 1. Materialis.

 de quo

de quo ibidem dicitur; *Fortitudo & decor eius indumentum eius*. Sed hic notanter aduertendum eſt, quod quanto mulier eſt fortior & ſedet altius, tanto filium trahit longius; ſic mens beatæ Eliſabeth, quanto magis a terrenis eleuabatur, tanto limpidius diuinam veritatem contemplabatur, & feruentius amore diuino accendebatur.

2. Doctri-na. Secundo panem doctrinalem non comedit otioſè ſed potius operoſè, quia veritatem vitæ quam audiendo didicit vel meditando per boni operis exercitium & boni exēpli euidentiam euidenter oſtendit. De hac congruè poteſt intelligi quod ſcribitur ibidem; *Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Cananæo*. Per ſindonem, quæ de ſubtilibus filis contexitur, poteſt intelligi congregatio bonorum, exemplorum & factorum verborum vel operum, quibus beata Eliſabeth confecit panem, mentem confortantem, quo ſeipſam & alios reficiebat. Prædictam autem ſindonem vendidit, quia per bonam opera æternam mercedem meruerat eſt. Et cingulum tradidit Cananæo: Cananæus interpretatur commercius, & ſignificantur illi, qui per eius exempla ad bonum ſtatum ſunt conuerſi. Illis tradidit cingulum continentiæ, quo mens retrahitur a noxijs cogitationibus carnalis concupiſcentiæ. Et cingulum iuſtitiæ quo aſſectus ab inordinato amore retrahitur, & ſic de alijs. Tertio beata Eliſabeth panē ſacramentalē et ſā nō comedit otioſè, ſed virtuoſè & operoſè, quia ad ſacramētū Euchariſtiæ nō cū tepiditate & deſidia acceſſit, ſicut plurimi dolor multi faciunt, ſed ad eius perceptionem ſe cum magno feruore charitatis, cum ſumma deuotione & mentis puritate ſtudioſè præparauit. Et ideo per hoc triplicem fructum percepit, qui ſolet dono diuini muneris dignè communicantibus euenire. *3 Sacra Euchariſtia.* Hoc enim Sacramentum accedentem cōfortat in virtuoſa operatione; mentem ſubleuat in diuina contemplatione; cor accendit in cœleſtium bonorum deſideratione. Iſta tria figurantur per hoc quod Helias in fortitudine panis cinericiei, monitu Angeli in deſerto deguſtati, quadraginta diebus & noctibus ambulauit vſque ad montem Domini. Tunc enim homo in fortitudine cibi illius ambulat, quando virtute huius ſacramenti in bonis actibus laborare non ceſſat. Tunc autem mens ad montem Dei Horeb perducitur, quando mens per contemplationem ad cœleſtia deſideria virtute huius ſacramenti ſuſcitatur. Et dicitur *Stetit in oſtio &c.* Tunc autem ſtat in oſtio ſpeluncæ, quando per feruidum amoris deſiderium vult liberari à nexibus corporis, & ſemper appetit peruenire ad regnum æternæ beatitudinis.

DE SANCTA ELISABETH.

SERMO. II.

Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo. Prouerb. vltimo.

Propoſit. IN his verbis beata Eliſabeth a duobus cōmendatur; primo ab vbertate virtuoſæ ſuæ perfectionis, quam habuit in via. ibi: *Fortitudo & decor indumentum eius*, ſecundo à ſublimitate vitæ glorioſæ, quam nunc poſſidet in patria, ibi; *Et ridebit in die nouiſſimo.*

I.

Circa primum eſt ſciendum, quod vbertas virtuoſæ perfectionis eius conuenienter deſignetur per fortitudinem & decorem indumenti; quia perfectio, virtuoſa, qua *S. Eliſabeth triplici ratione ornata decora.*

mens

mens ornatur, conſiſtit in fortitudine amoris, & in decore omnis virtutis: in tali autem ornatu refulget triplex decor, ſcilicet incipientium, proficientium, & perfectorum: incipientium conſiſtit in innocentiæ recuperatione; proficientium in virtuali augmento & progreſſione; ſed perfectorum in perfecta Chriſti imitatione. Innocentia in qua decor incipientium conſiſtit, recuperatur per pœnitentiam, quę ſecundum Auguſtinum peccata diluit, & Angelicæ ſocietatis conſortes facit. Nec ſolum pœnitentia recuperat innocētiam, ſed quandoque etiam per pœnitentiam reſurgit homo ad maiorem gratiam; vt dicit Ambroſius de ſancto Petro. Fidelior factus eſt Petrus, poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit, atque ſic maiorem gratiam reperit, quam amiſit. Qualiter autem agenda ſit pœnitentia, docet D. Ambroſius in libro de Ioſeph dicens; Qui pœnitentiam agit, paratus debet eſſe ad opprobria perferenda & ad iniurias ſubeundas, nec commoueri ſi quis ei peccati ſui crimen obijciat. Hinc & Bernardus dicit; *Ad agendam pœnitentiam nulla auſteritas te deterreat: quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ inde remittitur: non ad præſentis conſolationis gratiam, quæ inde immittitur: non ad futuram gloriam, quæ inde promittitur.* Talem pœnitentiam beata Eliſabetha continuauit, & ſic decorem perfectæ innocentiæ conſecuta fuit. Patet quia perfecta innocentia, vt dicit Origenes, tres habet pediſſequas: *Prima* eſt fama celebris, & illæſa, quæ naſcitur ex deteſtatione peccati. Vnde Origen. Ad recuperandum famam læſam nihil adeo efficax puto, quam illud perfectè horrere, per quod maximè contingit famam maculari: Per hoc enim fit regreſſio ad bonum. &c. *Secunda pediſſequa* eſt ſecura & ſuauis conſcientia, quæ etiam naſcitur ex dolore peccati. Vnde Origen. Quantò magis pars ſenſitiua pro peccato commiſſo in ſe vim doloris excipit, tanto iucundius in ſe ratio dulceſcit. Sicut ergo ſemper præſumit ſæua perturbata conſcientia, ſic econtra ſecura mens eſt quaſi iuge conuiuium ex hoc, etiam patet, quod vbi eſt innocentia, ibi neceſſario ſit ſuauis conſcientia. *Tertia pediſſequa* eſt pudica verecundia. Vnde Origen. Impudicæ verecundiæ, tanquam peſſimæ prolis peſtilentiæ mater eſt conſuetudo peccandi: quod enim frequenter malè committitur, eo creditur committi decentius, quo frequentius. Sed ſanctæ innocentiæ ſe ſociat nobilis verecundia, in qua per totam innocentis faciem fit rubra perfuſio de peccato alieno. Hanc pediſſequam gignit in in nobis pudor confeſſionis. Propter iſtum ergo decorem innocentiæ beata Eliſabeth & quælibet mens deuota fit amabilis diuinæ maieſtati iuxta illud Pſalm. *Et concupiſcet Rex decorem tuum.*

Incipientium. — *Bern.* — *Innocentia perfecta pediſſequas tres habet.* — *Pſal. 44.*

Secundo beata Eliſabetha fuit induta decore proficientium, qui conſiſtit etiam in tribus; videlicet in forti tentationum luctatione; in continuo proficiendi deſiderio ſine interruptione; & in feruido bonorum operum exercitatione. De primo ſciendum, quod ipſi proficientes præcipuè ſuſtineant triplices tentationes: *primo* vagarum cogitationum, quibus ipſis aduerſarius peccata præterita ad memoriam reducit; *ſecundo* titillationem inordinati amoris; quia hoſtis antiquus per nihil aliud plus impedit progreſſum virtutis, quam per immiſſionem inordinati amoris: *tertio* patiuntur diffidentiam virtutis, quam per immiſſionem inordinati amoris: *tertio* patiuntur diffidentiam virtuoſæ continuationis; quia timent, ne in rigore cœpto perſeuerare non poſſint. His tribus tentationibus beata Eliſabeth vigoroſè reſtitit, quia ipſa præſentiam Domini iugiter concupiuit, & mens eius diuino amore perfectè ſuccenſa fuit, iugemque perſeuerantiam in bono virtutis tenuit. Vnde & ipſa non incongruè figuratur per Iudith de qua legitur, quod triplici ornatu vſa ſit contra Holofernem: diſcriminauit namq; crinē capitis ſui, & poſuit mitram ſuper caput ſuū, & accepit ſandalia in pedibus, & annulos digitis ſuis. Per mitrā intelligit animi ſtabilitas, qua vage

2 Proficientium, quorum decor in tribus conſiſtit. — *Proficientium tentationes tres.*

cogitationes prohibentur; ſicut pueri per mitram conſtringuntur. Per ſandalia in pedibus ſignificatur ſincerus affectus diuini amoris, qui prohibet amorem adulterinum. Per annulum, qui portatur in ſignum conſtantiæ ad ſponſam, deſignatur fiducia & mentis robur in bono concepto perſeuerandi &c. Secundo deſiderium proficiendi in hoc attenditur, quod homo feruido conatu ſemper ad meliora nititur, nihil reputans ea, quæ iam habet reſpectu priorum, exemplo Apoſtoli qui dicit; *Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad anteriora me extendens &c.* Quia dicit Caſſiodorus; Ibi bonus incidit in deficiendi periculum, vbi proficiendi deponit appetitum. Ideo Auguſtinus. Summa perfectio Chriſtianæ religionis eſt, vt quantumcunque homo in hac vita proficiat, ſemper ſibi putet ſupereſſe quod quærit. Hoc autem feruidum deſiderium habuit beata Eliſabeth. Quod iterum figuratur per Iudith, de qua vbi ſupra legitur, quod habuit ſandalia in pedibus. Sandalia ſunt inferius clauſa, ne pes terram contingat, & ſuperius aperta; & ſignificant affectum proficientis, qui debet eſſe inferius clauſus, ne attendat ad ea, quæ bene geſſit. Sed apertus ſuperius quantum ad proficiendi deſiderium. De tali proceſſu virtuali dicitur in Canticis. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis tuis filia principis.* Filia principis eſt anima diuina imagine inſignita, cuius greſſus in progreſſu virtutis ſunt pulchri & diuinis oculis grati. Sed dicuntur fieri in calciamentis, id eſt, affectibus virtutum decore ornatis. Tertio attenditur deſiderium proficiendi in exercitio virtuoſorum operum. Hoc autem exercitium non eſt vniforme, ſed variatur ſecundum varios ſtatus & conditiones hominum, & ſecundum varietatem donorum, quæ quis à Deo recepit. Nam ille qui accepit à Deo quinque talenta, id eſt, quinque dona gratuita tenetur ſe exercitare in omnibus. Et de ipſis donis & eorum lucris tenetur Deo reddere rationem. Ad quod non tenetur ille, qui ſolum duo talenta acceperat. &c. Beata ergo Eliſabeth ſecundum omnem ſuam virtutem omni tēpore in bonis actibus ſe exercitauit.

Deſiderium proficiendi eſt conari ad meliora. *Philip. 3.*

Cant. 7.

Proficientium eſt exercere virtuoſa opera.

Matt. 25.

Tertio beata Eliſabeth fuit induta decore perfectorum. Qui conſiſtit primo in perfecta Chriſti imitatione, ſicut enim Chriſtus per perfectam paupertatem omnibus renunciauit; Sic tales imitantes Chriſtum in hoc, ſunt in ſtatu perfectorū. Dicit namque Saluator. *Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* In hoc exemplo beata Eliſabeth Chriſtum ſecuta eſt, quia propter Chriſtum omnibus diuitijs & honoribus renunciauit. *Secundo* conſiſtit in ſuiipſius perfecta derelictione. Homo enim perfectus etiam debet ſeipſum derelinquere, ſcilicet, quantum ad propriam complacentiam & amorem naturalem, quem habet erga ſeipſum, ita vt nec ſeipſum diligat, nec etiam in actibus virtuoſis, quos Deus in ipſo operatur, aliquam complacentiam habeat propter ſe, ſed própter honorē Dei. In hoc actu etiam beata Eliſabeth ſecuta fuit, quia purè omnes actiones ſuas in Dei honorē ordinauit. *Tertio* conſiſtit in mentis ad Deum perfecta ſubleuatione. Sicut enim mens Chriſti fuit in perfecta vnione ad Deū iugiter ſublimata, ſic tales debent habere continuū deſideriū ad Deū, quantū ſinit humana fragilitas. Debēt enim ſapere ea, quæ ſurſum ſunt, & nō ea quæ ſunt ſuper terram. Et per hoc rectè nō ſibi viuūt, ſed Deo. De hoc decore dicitur apud Iob; *Spiritus Domini ornauit cœlos.* Nam ſicut cœli continuè manent circa terrā, & tamē terrā numquam tangunt nec contingunt ſic iſtæ mentes licet verſentur circa carnē quātum ad inhabitationē & naturæ ſuſtētationē, carnē tamē & terrena nō contingūt per conſenſum & delectationem. Et hoc fit propter eorū mentalē abſtractionē. Sic.n. abſtrahuntur & ſublimantur, vt iam non in terra ſed in cœlo conuerſari videantur. Hanc ſublimationem etiam habuit beata Eliſabeth, ita quod dicere poſſit cum Apoſtolo; *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Et ſic patet vbertas ſuæ perfectionis, quam habuit in via.

3. Perfectorum & horum decor eſt in tribus.

Luc. 14.

Iob. 26.

II.

Quantum ad ſublimitatem gloriæ retributionis quā nunc poſſidet in patria, ſubditur, *& ridebit in die nouiſſimo* ſcil. quādo Deus perfectā retributionē dabit vnicuiq; ſecūdū opera ſua bona vel mala. Et talē acquiſiuit

Sublimitas gloriæ.

quiſiuit ſibi beata Eliſabeth per fortitudinẽ patientiæ, per opera miſericordiæ & iuſtitiæ. Ipſa enim diuina præcepta fideliter obſeruabat, & ſeipſam in operibus miſericordiæ iugiter exercebat, ita quod de ea legitur hodiè in epiſtola; *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum*, ſcilicet ſeipſam in operibus patientiæ, miſericordiæ & iuſtitiæ viriliter & fortiter exercendo. Et ideò meritò gaudebit, & ridebit in die nouiſſimo &cæt. ſcilicet quando dicet Saluator; *Venite benedicti &c.*

DE SANCTA CATHARINA. SERMO.

Hæc eſt virgo ſapiens. quam Dominus *vigilantem inuenit.*

HÆc verba Eccleſiæ quæ leguntur de vna virgine in matutinali officio, benè cõueniunt beatę Catharinæ, atque in eius laudibus aſſumũtur. In ipſis namq; à tri- *Prærogatiuæ in Catharina tres.* plici prærogatiua commendatur, ſcilicet à carnis incorruptione; animæ illuſtratione; & operum circumſpectione. Primum ibi. *Hæc eſt virgo*: Secundum ibi; *ſapiens*. Tertium ibi, *quam Dominus vigilantem inuenit*. *Virginitas Catharinæ.* Primum patet manifeſtè in eius legenda. Cum enim Maxentius alloqueretur eam dicens. Non te quaſi famulam habere cupimus, ſed vt Regina præpotens & præelecta in regno meo eris. Ipſa reſpondit; Attende & tu Rex, & diſcerne. Quid magis eligere debeam, aut potentem, æternum, glorioſum, & decorum; vel infirmum, mortalem, ignobilem, & deformem. Ibi fatebatur ſe Dei filio in perpetua virginitate eſſe deſponſatam. *Illuſtratio animæ Catharinæ.* De ſecundo, ſcilicet animæ illuſtratione iterum dicitur in legenda ſua. Cum enim cum Oratoribus diſputaret, ipſa eos apertis rationibus ſapienter ſuperauit. Stupefacti enim quid reſponderẽt, protinus aliud quam in Chriſtum credere non habuerunt. Vnde vnus ex eis ſic dixit. Hæc puella in qua Spiritus ſanctus loquitur, ſic nos in admirationem conſtituit, vt non ſolum contra Chriſtum quem prædicat, nihil loqui poſſimus, ſcilicet niſi probabiliores rationes de Dijs, quos vſque huc coluimus dare poteris, omnes ad Chriſtum conuertimur. Ecce quantam illuſtrationẽ ſapientiæ Deus ei contulit, per quam patenter etiam ſapientiſſimos Oratores conuicit. De tertio videlicet, de operũ circumſpectione ſimiliter legitur. *Circumſpectio Catharinæ in operibus.* Cum Rex grauiſſimis tormentis ei minaretur; Reſpondit, quæcunque tormenta excogitare poteris, mihi exhibere non differas, quia corpus, & animam meam, & omnia mea illi offerre deſidero, qui ſe totum mihi dedit. Ecce quam circumſpecta hæc virgo extitit, quę ſe ad viciſſitudinem Domino obligauit. Et tantum de eius commendatione iuxta thematis verba dicta ſufficiant. Nunc ergò ſermo ad noſtram ædificationem retorquendus eſt. *Imitanda eſt S. Catharina.* Qui hanc virginem voluerint honorare, ipſam ſtudeãt imitari. Maximus enim honor eſt, quem ſanctis exhibere poſſumus, vt ipſos pro viribus noſtris imitari ſtudeamus.

I.

Cupientes cum hac virgine meritis ſanctificari, & cum ea in cœlo æternaliter glorificari, primo ſtudeamus habere loco virginitatis in corpore continentiam & ſobrietatem; *Tria nobis habenda.* ſecundo in anima ſapientiam & puritatem; tertio, in operibus conſtantiam & continuitatem. *Continẽtia & ſobrietas in corpore.* Primò habeamus in corpore continentiam, nihil penitus admittẽtes, quod ſinceritatem fidei, per quam Deo in baptiſmo copulati ſumus, corrumpat, ſed fideliter adhærentes ei contineamus nos ab omnibus, quæ eandem adhæſionem inter nos & Deum violare poſsint. Auguſtinus; Sicut corpus violatum corrumpit virginitatem, ſic violatio fidei corrumpit mentis integritatem. Et ſubdit; Virginitas carnis corpus eſt intactum, & virginitas

 men-

mentis fides incorrupta. Quamdiu ergò ſeruamus Deo fidei veritatem, ipſi fideliter adhærentes, tamdiu mentis integritatem, quam pro virginitate accepimus, cuſtodimus. Quod ſi eam violamus, peccatis nos proſternentes, per pœnitentiam & ſatisfactionem nos reparemus, & in poſterum ſimilia caueamus. Et ſic nobis iterum eadem continentia pro virginitate cõputabitur, etſi non quantũ ad aureolam, tamen quantum ad meritum. Non enim ſolum abſtinentiam à carnis illecebra, ſed omnium delectabilium carẽtiam continentiam nominamus. Nunquam in ſpirituali ſtudio poteſt quis proficere, niſi carnalibus delectationibus, quæ ſine peccato mortali admitti non poſſunt, ex integro renunciet penitus propter Deum. Item de religioſis dicit Iob. *Lapides excauant aquæ.* Per lapides, qui duri ſunt & inſenſibiles, religioſi debẽt intelligi, qui debent eſſe duri & firmi ad reſiſtendum omnibus malis, & inſenſibiles ad omnes impugnationes carnalium voluptatum. Sed heu, hos excauant aquæ cõſolationum delectabilium vel carnalium. Hi enim proh dolor plus tam in veſtibus, quam in cibis & alijs voluptatibus delectãtur, quam ſæculares. Et ideò etiam plus intus conſolationibus diuinis euacuãtur. Ab his ergò carnalibus voluptatibus debemus nos continere, ſi volumus integritatem fidei ſeruare. Nec ſolum habenda eſt continentia in corpore, ſed etiam ſobrietas, quæ in triplici exercitio cuſtoditur. Primò in neceſſariorum moderata fruitione, vt ſola neceſſitate contenti nihil ſuperfluitatis penitus admittamus. Omnes enim res corporales Dominus creauit, vt noſtræ neceſſitati ſubueniant, non ſuperfluitati ſeruiant. Vnde quoties ſuperfluis vtimur, proximos noſtros, qui carent neceſſarijs, ſpoliamus. Hinc Gregorius. Beati viri in omne, quod agunt, ſtudioſiſſimè vigilant, ne quid ab eis plus neceſſitatis ſuæ infirmitas, quam illi debetur, exigat, nè ſub neceſſitatis pallio vitium in eis voluptatis ſuccreſcat. Debet ergò à nobis quæri in victu & veſtitu non ſuperfluitas aut voluptas, ſed ſola neceſſitas. Secundò, ſobrietas cuſtodienda eſt in exteriorum ſenſuum gubernatione, ſemper enim refrænandi ſunt ab illicitis, ne hauriant illicita, quæ introrſum recepta noxia ſubminiſtrant. Eccleſiaſtici. nono. *Virginem nè conſpicias, nè forte ſcandalizeris in decore eius.* Quia quod non licet concupiſci, non licet intueri. Bernardus. Habeat homo Dei ſenſus ſuos non duces, ſed ſibi ſeruientes; habeat familiam ſuam ſic ordinatam, vt cum dicit vni, veni, & veniat; & alij, vade & vadat, & ſeruo ſuo, fac hoc, & faciat. Tertiò, ſobrietas cuſtodienda eſt in morum humili exhibitione, vt homines videntes conuerſationem, noſtram propter exterioris hominis decentiam ædificentur. Ad hoc hortatur nos Saluator; Matthæi quinto. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona &c.* Et Apoſtolus. *Prouidentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Eſt autem differentia inter continentiam & ſobrietatem, quia continentia conſiſtit in abſtinentia malorum; ſobrietas verò in moderata fruitione bonorum. Chryſoſtomus. Mens ſobria paſſiones cohibet, ſenſus gubernat, ſermones regit, totum hominem ſub regula diſciplinæ cõponit.

Iob 14. — *Sobrietas in tripliciexercitio cuſtoditur* — *1. In moderata neceſſariorum fruitione.* — *Gregor.* — *2. In exteriorum ſenſuum gubernatione.* — *Eccl. 9.* — *Bernard.* — *3 In humili morum exhibitione.* — *Matth. 5.* — *Differentia inter continentiam & ſobrietatem.*

Secundò, in anima habeamus ſapientiam & puritatem, quæ duo ſummè neceſſaria ſunt ad ſalutem. De ſapientia dicit Ambroſius, Sicut mundus indiget ſplendore ſolis, ſic animus ſplendore indiget ſapientiæ. Ideò primò habeamus ſapientiam non huius mundi, quæ contumelioſa eſt; nec carnis, quæ eſt impudica. Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, & quæ carnis eſt ſapientia, inimica eſt Deo; ſed eam ſapientiam habeamus, de qua dicit Iacobus in ſua canonica. Iacob. 1. *Quæ à Domino deſurſum impetratur.* Quæ ſecundum Apoſtolum primò pudica eſt, contra impudicitiam carnis. Et eſt ſecundò pacifica, contra contumeliam mundi. Per illam ergò ſapientiam, quæ deſurſum eſt, omnia nobis ſapiunt, quæ Dei ſunt. Inueniſti ſapientiam, ſi præteritæ vitæ peccata defleas, præſentia paruipendas; ſi futuram vitam toto deſiderio concupiſcas. Et hoc eſt ſapere ſingula prout ſunt. Hac ſapientia ſi anima illuſtrata fuerit, mala non admittit, bona facere non negligit. Mala autem non admittere, & bona nõ negligere, ſumma

2. Habenda in anima ſapientia & puritas. — *Iacob. 1.*

ma ſapientia eſt, & ſumma fœlicitas huius vitæ. Secundò in anima noſtra habeamus puritatem. Ipſa enim puritas conſequens eſt ad ſapientiam. In illam namque vt dicitur Sapient. 1. nihil intrat coinquinatum. Nullam enim penitus ſapientia impuritatē
Ad puritatem habendā duo neceſſaria. admittit. Hanc autem puritatem, ſi in nobis plantare cupimus, duo ſunt neceſſaria, videlicet, vt peccatum ſumma diligentia caueamus, etſi aliquid in nobis irrepſerit, cū pœnitentia ſtatim exhauriamus. *Cauete ne*
Deut. 11. *forte decipiatur cor veſtrum; & recedatis à*
Tob. 4. *Domino Deo veſtro.* Et Tob. *Caue ne vnquā*
Iob 36. *conſentias peccato.* Et Iob. *Caue ne declines ad iniquitatem.* Quod ſi cauere cupimus, ſciendum eſt, quod tres ſint riui, per quos omnis iniquitas in conſcientiam noſtram, tanquam in ſentinam nauis confluit, ſcilicet cogitationes, locutiones, & operationes. Et hi riui ſunt cum omni diligentia ob
4. Reg 3. ſtruendi; *Cunctos fontes aquarum obturabitis.* Si quid autem irrepſerit per qualeſcunque negligentias, non ſinamus introrſum vlterius demorari. *In hac die ab omnibus*
Leuit. 16. *peccatis veſtris mundabimini.* Gloſſ. in hac die, ſcilicet qua peccamus. Ratio, quia peccator nec vnius diei vel horæ certitudinem habet pœnitēdi, licet n. Deus aliquando cōcedat illi longum ſpacium temporis, tamē de hoc nullo modo certus eſt. Gregor. Qui
Gregor. pœnitenti veniam ſpopondit, diem craſtinum ei non promiſit. Hęc autem duo tam diu continuemus, quouſque remiſſionem conſequamur; vel quouſque teſtetur nobis conſcientia noſtra puritatem; vel etiam, quod certius eſt quouſque Spiritus ſanctus nobis inſpiret remiſſionem omnium peccatorum: Teſtimonium enim conſcientiæ dat quidem fiduciam, nullam tamen certitudinem, iuxta illud Apoſtoli. *Nihil mihi*
1. Cor 4. *conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum. Qui enim iudicat me Deus eſt*, quaſi dicat; licet conſcientia mihi teſtetur remiſſionē peccatorū, nullam tamen ex hoc promittit certitudinem, quia ſolus Deus habet veraciter iudicare. Poteſt enim Deus videre peccata mea, quæ ego non video. Ideò Spiritus ſanctus dat certitudinem, qui eſt Spiritus veritatis, & docet omnem veritatem. Bernardus. Spiritus ſanctus certiſſima ſig-

na imprimit, quod remiſſionem omnium peccatorum conſequuti ſimus.

Tertiò, habeamus in opere conſtantiam & continuationem. Hæc duo omnibus o- *3. Habenda in opere conſtātia & cōtinuitas.*
peribus noſtris dant virtutem, efficaciam, & valorem, quia ſine his omnia ſunt nullius meriti &c. & virtutes quæcunque. Vnde Saluator Matth. 10. *Qui perſeuerauerit vſque* *Matt. 10.*
in finem hic Saluus erit. Eſt aūt triplex conſtantia; ſcilicet deuotionis, operationis, & *Conſtantia triplex*
tribulationis. In quibus virtus conſtantiæ dignoſcitur, & in ſingulis tribus iſtis mutat nomen. Nam conſtantiam, vt eſt deuotio- *1. Conſtātia deuotionis.*
nis, vocamus confidentiam; prout autem eſt operationis, eſt magnificentia quaſi magnā faciens; quando verò eſt tribulationis, tunc deuoti homines magnam fiduciam ad Deum habentes audent magna petere, & petita fiducialiter ſine hæſitatione ſperare. Nec immeritò; quia dicit Bernardus. *Quantum pedem fiducia in Deum ponimus, tantum à Deo accipimus:* Magna enim fides magna meretur: magna autem ſancti & deuoti audent, quia magni ſunt, & ſic quæ audent, obtinent. Secunda conſtantia *2. Conſtātia operationis.*
eſt operationis, per quam audacter audemus aggredi difficilia, ardua, & laborioſa opera exercere. De hac conſtantia dicitur in Prouerb. *Cogitatio robuſti ſemper eſt in abundantia, & piger ſemper in egeſtate eſt. manus enim fortium diuitias parant ſemper.* Tūc ergò conſtantia operationis conſequimur, ſi in Dei operibus aſſuefacti grauia laborioſa, aggredi non pertimeſcimus. Hinc eſt q̄ dicitur apud Iob. *In arduis ponet nidum ſuū,* *Iob. 39.*
id eſt, nidum conuerſationis in arduis operationibus. Operemur ergo & nos ardua, & difficilia, imitantes Dominum noſtrum Ieſum, cuius opera etiam valdè difficilia fuerunt. Tertia conſtantia conſiſtit in im- *3 Conſtātia tribulationis.*
perterrita ſufferentia tribulationū: patienter verò & libenter atque intrepidè ſufferamus qualeſcunque tribulationes, ſiue ſint paſſiones innatæ, quas ex corruptione naturæ ſufferimus, per quas tāquā per machinas dæmones nos impugnant; ſiue ſint paſſiones illatæ, ſiue affectatæ, i. ſiue domin⁹ nos miſericorditer affligat, ſiue per noſmet ipſos nos affligam⁹: in quib⁹ omnib⁹ ſi Deo placere cupim⁹, debemus eſſe imperterriti.

Secun-

Conti-nuitas. Secundò habeamus non ſolum in opere conſtantiam, ſed etiam continuitatem, vt ſicut per conſtantiam facimus opera fortia, ſic faciamus per continuitatem multa. *Eccl. 9.* *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Et infra. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua &c.* *Ibid. 11.* Bernard. *Seruum Dei nec dies, neq; hora inueniat otioſum; ſed ſemper vel in exercitij labore, vel proficiendi ſtudio, vel in experienda dulcedine, vel fruendi gaudio:* *Bernard.* ad quod exercitium nos perducat, qui viuit & regnat.

TABVLA SERMONVM DE FESTIVITATIBUS.

De S. Andrea ſermo { primus pag. 3 | ſecundus. 7 }
De S. Nicolao ſermo { primus. 11 | ſecundus. 16 }
De conceptione B. Mariæ Virginis. 20
In feſto S. Thomæ. 23
De Natiuitate Chriſti ſermo I. 27
In eadem ſolemnitate ſermo II. 29
Sermo III. pag. 31
De S. Ioannne Euangeliſta. 37
In die circumciſionis Domini. 39
In feſto trium Regum. 43
In die purificationis B. Mariæ. 47
De S. Agatha. 54
De S. Dorothea. 58
De cathedra S. Petri. 62
In feſto S. Matthiæ Apoſtoli. 65
De S. Gregorio. 68
De S. Benedicto. 21
In feſto Annuntiationis B. Mariæ ſermo primus. 74. ſecundus. 76. tertius. 79
De S. Ambroſio. 82
De S. Marco. 85
De SS. Philippo & Iacobo. 87
De inuentione S. Crucis. 90
In feſto Sacratiſ. corporis Chriſti. 92
De S. Ioanne Baptiſta. 101
In feſto viſitationis B. Mariæ. 109
De eadem ſolennitate ſermo 2. 115
De S. Margaretha. 121
In feſto diuiſionis Apoſtolorum. 126
De S. Maria Magdalena. 131
De S. Iacobo. 137
De S. Laurentio. 142
In feſto Aſſumptionis B. Mariæ. 146
De eadem ſolennitate ſermo ſecũdus. 151
De S. Bartholomæo. 156
De S. Auguſtino. 161
In feſto Natiuitatis B. Mariæ 166
In feſto exaltationis S. Crucis. 171
De S. Matthæo Euangeliſta. 174
De S. Michaele. 178
De SS. Simone & Iuda Apoſtolis. 183
In ſolennitate omnium Sanctorum. 189
De S. Martino. 197
De S. Eliſabetha. 200
De S. Catharina. 205

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM, MAXIME NOTABILIVM,

quæ hac parte de Sanctis continentur.

A.

Actus iuſtus, 160.1
Actus noſtri confirmandi Chriſti actibus, ibid.
Aduentu Dei triplex allata benedictio, 67.2
Agnus quid ſignificet, 53.1
Amor animæ illicitus quis, 143.2
Amoris illiciti pœna poſt hanc vitam, 145.1
Amoris erga Chriſtum in Petro & Ioanne diſcrimen, 38.2
Angelicæ cuſtodiæ effectus, 182.2
Angeli propter defectus nobis dati, 181.2. *Honorandi,* 182.2
Angelorum, Dei, pacis, veritatis, miſericordiæ concilium, 77.2
Anima hominis, caſtellum, 154.1
Animæ nobilitas ex tribus cognoſcitur, 142.1. *Ex creatione,* 142.2. *Ex recreatione* ibid. *Ex mercede retributionis,* 143.1
Animæ illicitus amor quis, 143.2
Animam Deus viſitat multis modis, 120.2
Animarum piſcatio triplex, 6.2
Animarum omnium fidelium ornatus, 57.1
Animus purgandus, 194.2
Anna commendatur, 52.2. *Diuerſos arguit,* ibid.
Ab Anna & Simeone Chriſtus in præſentatione ſuſceptus, 51.1
Annuntiationis Mariæ vtilitas, 79.1
Apoſtoli à Chriſto honorati, 126.2
Apoſtolis meritò regnum cœlorum dabitur. 159.1
Apoſtolorum continentia à tribus, 88.1. *A diuitijs,* ibid. *A carnis delitijs* ibid. *Ab aſtutijs diaboli,* ibid
Apoſtolorum ſapientia triplex, 88.2. *Docendo ſine errore* ibid. *Sine terrore,* ibid. *Verba ſua operibus implendo,* ibid.
Apoſtolorum patientia, 89.1
Apoſtolorum fructuoſa miſſio, 130.1
Apoſtolos quare Chriſtus elegerit ſimplices, 129.1
Aſſumptionis Mariæ hiſtoria ad longum texta, 148.1
Aureolam non adipiſcitur Virgo quæuis, 56.1

B.

Beatitudo paupertati debita, 105.2
Beatitudinis vox quo ſenſu accepta, 191.2
Benedictio triplex ex aduentu Dei, 67.2
S. Benedictus, magnus, 71.1 *Initia eius in tribus,* 72.1. *In ſeparatione;* ibid. *In elongatione,* ibid. 2. *In ſolitudine,* 73.2

C.

Cœlo quis potiturus, 190.2
Cœlum caſtellum, 155.1
Cœlum patientiæ debitum propter quatuor, 196.1
Charitas Prælatum decet, 164.1
A Carnis delitijs Apoſtoli ſibi temperabant, 88.1
Carnem cur aſſumpſiſſe dicatur Chriſtus, 35.2
Caſtellũ, vterus Mariæ, 152.1. *Anima hominis,* 154.1
Caſtellum, cœlum, 155.1
An Caſtitati virginali poſſit æqualis eſſe continentia coniugalis, 55.2
Cautela duplex, 53.2
Charitas, vide Caritas.
Chriſtus iudex peccatoribus quare timendus, 15.2
Chriſtus quare primogenitus, 78.2
Chriſtus cur aſſumpſiſſe carnem dicatur, 35.2
Chriſtus vt quærendus, 45.2
Chriſtus à parentibus præſentatus, 51.1. *A Simeone & Anna ſuſceptus,* ibid.
Chriſtus commendatur à potentia, clementia, & magnificentia. 93.1
Chriſtus ſub alienis cur ſumatur ſpeciebus, 9.1
Chriſtus [illegible] in no[illegible]s, 100.1
Chriſtus [illegible] honorauit, 126.2
Chriſtus Apoſtolos cur elegerit ſimplices, 129.1
Chriſtus hoſpitium petijt à Maria Virgine, 146.1
Chriſtus vt honorarit matrem ſuam. 147.2
Chriſtus comparatur Soli, 163.2
Chriſtus ſequendus, 175.2
Chriſtus in montem cur aſcenderit, 191.1.

Cur ſederit, ibid.
Chriſti vocationes diuerſæ, 5,1
Chriſti ſeruum quæ deceat prudentia, 19,1
Chriſti aduenientis dignitas, 28,1
Chriſti natiuitatis opera miranda, 26, 1. 30, 1
Chriſti generationis modus, 35,2
Chriſti in Ioannem amoris cauſæ, 37,1
Chriſti ſponſa qualis eſſe debeat, 55,1
Chriſti opera quibus comprobata ſignis, 66,2
Chriſti manentis nobiſcum vtilitas, 100,2
Chriſti teſtium qualitas, 128.2
Chriſti milites triplices, 162,2
In Chriſti paſſione cruces tres, martyrium triplex, 91,1
Cum Chriſto confixio tribus perficitur, 173,1
Pro Chriſto cur omnia relinquant ſancti, 176,2
Chriſtum quærentes debent eſſe Reges, 43,1
Chriſtum ſequi vani & mundani nolunt, 175,2
Chriſtum qui compellantur ſequi, 76,1 Qui trahantur ad ſequendum, ibid. 2. Auari ſequuntur onerati, ibid. Qui perfecte ſequantur, ibid.
In Chriſtum dilectionis à Petro & Ioanne diſcrimen, 38,2
Ante Chriſtum & Apoſtolos triplex defectus in mundo, 130,1
Clementia, potentia, & magnificentia commendant principem, 92,1
Cogitationes omnes & affectiones diligenter conſiderandæ, 200 2
Columba ſimplex eſt & cauta, 53,2
Columbarum pulli quid deſignent, ibid.
Concilium inter Deum, Angelos, pacem, veritatem, miſericordiam, 77,2
Concionatoris eſt illuminare, 164,2
Concionatores trifariam piſcantur animas, 6,2
Confixio cum Chriſto tribus perficitur, 173,1
Coniugalis caſtitas an æqualis poſſit eſſe continentiæ virginali, 55,2
Coniugium in quibus à virginitate ſuperetur, 55,2
Conſcientia liber, 98,1 Quomodo ſcribatur, ibid Vt vitietur, ibid. 2
Contemptus paruulorum prohibetur, 181, 1
Continentia coniugalis an caſtitati virginali poſſit æqualis eſſe, 55.2
Continentia Apoſtolorum in quibus, 88,1
Cor hominis pergamenum, 168 1
Corde mundo qui, 194,2
Corporis pulchritudo periculoſa, 132,1. Damnoſa. 133,1
Creaturæ liber, 167,1. Cuius vtilitatis, ibid. 2
Credere, & non videre, quanti meriti, 25,2
Crux peccatorum, 91, 2. Pœnitentium, 92,1. Perfectorum, ibid.2
Crux electorum quatuor habet cornua, 172,1. Superius & inferius, ibid. 2, Dextrum, ibid. 2. Siniſtrum, 173,1
Crucis exaltationis cauſa, 171,1

D.

Dæmon aquæ vaſculum iracundi cuiuſdam eremitæ, antea cœnobitæ, ter euertit, 185,1
Dæmon & Magi comparantur inter ſe, 187, 2
Deus in quo ſole tabernaculum poſuerit, 76,2
Deus iudex ipſe ad pœnam ſeſe offert, 78, 2
Deus animam viſitat multis modis, 120,2
Deus cur tentari nos permittat, 158,2
Deus matronæ in pauperes liberali farinam mittit, 186,2
Dei filij tribus modis efficimur, 34,2
Dei ſors cadens ſuper nos, 65,1
Dei aduentu triplex allata benedictio, 67, 2
Dei; Angelorum, pacis, veritatis, miſericordiæ concilium, 77,2
De[illegible]tendum quare, 17,2
Circa Deum tria contemplanda, 70,2
A Diaboli aſtutijs Apoſtoli cauebant ſibi, 88,1
Dignitatibus annexa tria vitia, 140,2
Dilectio [illegible] magnus, maior, maximus, & intenſiſſimus. 108,2
Dilectionis tria ſigna, 136,1
Dilectio, vide Amor,
[illegible] etiam paupertas adeſt, 8,2
In [illegible]uitijs ordo rationis obſeruandus, [illegible]
[illegible] continebant, 88,1
[illegible] virtute nominis Ieſu [illegible] 48,1. 2

Vocem-

Docendum Apoſtolorum exemplo, ſine errore, ſine terrore, verba ſua operibus complēda, 88,2
Doctor ſeu Prælatus ſit humilis, probus, fidelis, 162,1. Caritate præditus, 164,1
Doctores fideles, ſtrenui, & cari, 161,2
Doctores Eccleſiæ lucernæ, 163,1
Doctorum prærogatiua, 161,2

E.

ECcleſiæ lucernæ, doctores, 163,1
Electorum crux quatuor habet cornua, 17.,.Superius, inferius, ibid... Dextrum, ibid.2. Siniſtrum, 173,1
Eleemoſynas dare, fructus olei miſericordiæ, 185,2
Elongatio tribus fit modis, 72,2. Per defectum fruitionis, ibid. Per deſiderium affectum deuotionis, ibid.
Eremitæ cuiuſdam, antea cœnobitæ, iracundi vaſculum aquæ Dæmon ter euertit, 181,2
Errores corrigere, fructus olei miſericordiæ, 185,2
Eſuries cur ſic dicta, 194,1
Eucariſtia ſub vna ſpecie laicis cur diſpenſetur, 98,2
Euchariſtia cur frequentanda, 94,2
Exaltatio noſtra vnde proueniat, 63,2.64,1.2
Exaltationis S. Crucis cauſa, 171,1
Exemplum notabile, 122,2.146,2
Exemplum ſcandali de S. Leone, 180,1

F.

FAma hominis vt diuulgetur, 40,2
Farina mittitur à Deo matronæ in pauperes liberali, 1 6,2
Fidelis verus vnde quis euadat, 26,1
Fidelis omnis eſto ſimplex, 53,2. Accipiat à turture tria. 54,1
Fideles triplices nauigant huius ſeculi mare, 6.1
Fidelium omnium animarum ornatus, 57 1
Fidelitas in quibus conſiſtat, 162,1
Fidelitas Prælatum decet, 162,1
Fides per ſtellam cur ſignificata, 46,1
Fides Mariæ Virginis perfecta, 110, 2. Perfectior, 111,1, Perfectiſſima, 112,1
Fidei malæ triplices homines, 107,1
Figura, 94,1
Filium Dei fieri quatenus eſt in hominis poteſtate, 34,2
Filij Dei tribus modis efficimur, 34,2

G.

GAudia mundi triſtitiam habent æternam, 188,1
Gloria duplex in cœlo, 104,2
A Gorrano locus explicatus, 180,2
Gratiæ plenitudo in quo conſiſtat, 81,2

H.

HOmo recens conditus, trium dignitatum particeps, 78,2. Ex quibus in triplicem lapſus eſt miſeriam, ibid.
Hominis fama vt diuulgetur, 40,2
Hominis in creationis exordio quatuor virtutes, 76,2
Hominis anima, caſtellum, 154,1
Hominis cor pergamenum, 168,1
In Hominis poteſtate quatenus eſt filium Dei fieri, 34,2
In hominis creatione tria Deus oſtendit, 116,
Hominem ſeruum faciunt maximè tria peccata, 43,2
Hominem tria faciunt perfectum, 58,2
Homines tripliciter efficiuntur filij Dei, 34,1
Homines triplices malæ fidei, 107,1
Homines in officijs conſtituuntur quatuor modis, 127,2
Ad Honorem per virtutem itur, 138,1
Honores periculoſi, 139, 1. Fugiendi, ibid.2. Tranſitorij ibid. Timore & anxietate pleni 140,1. Vitijs implicati, ibid.2
Honoribus ſeu dignitatibus annexa tria vitia, 140,2. Superbia, cupiditas, ibid. Luxuria, 141,1
Humanæ naturæ cæcitas, 161,1
Humilitas quare commendabilis, 109,2
Humilitas Prælatum decet, 162,1

I.

IEſu nomen cur oleo comparatum, 41,1. Quam efficax, 42. 1.2. Eius virtute Dionyſius Areopagita conuerſus, ibid. 1, & 2
Imitationis exemplaris liber, 169,2

Incarnatio ad reparandum hominem, ut cō ueniētiſſimā, 27.1. Reparationi, & reparatori, ibid Reparabili, ibid. 2. Quare filio magis congruens, quam Patri aut Spiritui S. 28.1

Incarnatio mirabilis, 30.2. Ex parte generantis, geniti, & modi generationis, ibid

Incarnationis neceſſitas: ut illuminaretur homo, 33.1. Cauſa triplex, ibid. 2. Vtilitas, 34.1.

Incipientium ſtatus ut purgetur, 49.2

Iniurias remittere, fructus olei miſericordiæ, 185.1

Ioannes Baptiſta Propheta, 102.2. Præcurſor, ibid. Doctor, 103.1

Ioannis Baptiſtæ ſanctitatis teſtimonium, 10 .2: Natiuitas læta, 102.1. Nominis impoſitio miraculoſa, ibid. Teſtimonium ſanctitatis triplex in vitæ proceſſu, ibid. 2. Vitæ ſimilitudo cum Helia, ibid. Auſteritas victus, 103.1. Veſtitus, ibid.

Ioannem cur dilexerit Chriſtus, 37.1

Ioannes & Petrus dilexerunt Chriſtum differenter, 3[illegible].2

Iracundi cœnobitæ cuiuſdam, ſed eremitæ poſtea, vaſculum aquæ dæmon ter euertit, 185.1.

Iudex Deus ad pœnam ſeſe offert ipſe, 78.2

Iuſtitia præſentis liber, 169.2

Iuſtitia cauſa patiendum, 195.2

L.

Laicis cur ſub una ſpecie diſpenſetur Euchariſtia, 98.2

Leonis proprietates ſex, 85.1 Prima, ſecunda, tertia 86.1 Quarta, quinta, ibid 2 Sexta, 87.1

De S. Leone ſcandali exemplum, 180.1

Liber naturalis trium partium, creaturæ, ſcripturæ, con[illegible], 167.1

Liber [illegible], & gratuitæ reparationis [illegible], trium [illegible], præd[illegible]tionis æternæ, præſentis iuſtitiæ, exemplaris imitationis, 16[illegible].1

Liber virginalis, Maria Virgo, 170.2.

Lugendum quæ, 193.2

Lumina ardentia inextincta, 187.2

Lunæ triplex operatio. 22.2

M.

Magdalena conuerſa, 134.2. Idque velociter, ibid. Sapienter, in bono continuauit, ibid.

Magdalena qualis poſt remiſſionem peccatorum. 136.1. Fuit ardentiſſimæ dilectionis, ibid. altiſſimæ cōtēplationis, ibid 2. Clemētiſſimi miniſterij, ibid. Fideliſſimæ perſeuerantiæ, ibid.

Magdalenæ benignitas à Chriſto exhibita, 136 2

In Magdalena peccandi quatuor occaſiones, 132.1.133.2.134.1

Magi cum Dæmone comparati, 187.2

Magnificentia, potentia, & clementia principem commendant, 92.1

Magnus, bene ſciens uti ſenſibus ſuis, 59.2

Mandata ad literam ſeruare non ſufficit, 175.2

Manſuetudinis effectus. 193.1

Mare huius ſeculi, 6.1

Maris deſcriptio, 80.2

Maria Virgo replet, 22.2. Attrahit vapores, 23.1 Reconciliat, ibid. 2

Maria Virgo cur voluerit purificari, 49.1

Maria Virgo elegit oblationem pauperum, 53.1.

Maria Virgo ſoli comparata, 74. 1. Puritate ſuperat, ibid. Omnes antecellit in ſplendore, ibid. 2.

Maria Virgo ab omni malo libera, 79.2. Cur nouo modo ſalutata Virgo, 80.1. Omnibus virtutibus repleta, 80.2

Maria mater Chriſti, & omnium fidelium, 112.1 Mater gratiæ, ibid. 2 Mediatrix, auxiliatrix, protectrix, ibid. Benedicta ſuper omnes mulieres, 113.2. In corpore, & in anima quadrupliciter, ibid & 114.1

Maria Virgo omnium Virginum puriſſima, 117 2. Omnium per humilitatem ſecretiſſima, 118.2

Maria Virgo caſtellum quare dicta, 147.2

Maria Virgo cōparata creaturis cœleſtib⁹, 152. 2 Soli & Lunæ, ratione luminis, ibid Pulchritudinis, 153.1. Virtutis, ibid. 2. Comparata creaturis medijs, auroræ, nubi, ibid. Creaturis inferioribus, cedro, cypreſſo, palmæ, oliuæ, platano, viti, balſamo, 154.1

Maria antecellit omnes, 155.2

Maria Virgo liber, 170 2. Scriptura, ibid. & 171 1

Mariæ Virg. humilitas, 20.2. Dignitas, pietas, 21.1

Mariæ Virg. puritas exemplis declarata. 48.1

Mariæ

Mariæ Virg. & Solis continuus motus, 75.1. *Fœcunditas, ibid.* 2. *Communicatio, ibid. Singularitas,* 76.1. *Dolor,* ibid. 2
Mariæ Annuntiationis vtilitas, 79.1
Mariæ Virg. fides perfecta, 110. 2. *Perfectior,* 111.1. *Perfectiſſima,* 112.1
Mariæ miſericordia excedens, congrua, & patens, 113.1
Mariæ Viſitationis feſtum cur agatur, 120.1
Mariæ Aſſumptionis hiſtoria ad longum texta, 148.1
Mariæ Virg. vterus, caſtellum, 152.1
Mariæ Natiuitatis feſti excellentia, 166.1
A Maria Virg. dupliciter iuuamur, 75.2
A Maria Virg. petijt hoſpitium Chriſtus, 146.1.
Martyrem quæ faciant, 195.2
Matrem ſuam vt honorarit Chriſtus, 147.2
Matronæ in pauperes liberali, farina mittitur à Deo, 186.2
Matthæi vocatio mirabilis, 175.1.
Milites Chriſti triplices, 162.2
Miſericordia triplex, erga ſe, erga proximum, erga Deum, 194.1. *Definitur,* ibid. 2
Miſericordia & Veritas diſceptant, 77.2
Miſericordiæ diuinæ argumentum, 174.1
Miſericordiæ olei fructus triplex, 185.1. *Iniurias remittere, ibid. Errores corrigere, ibid.* 2. *Eleemoſynas dare,* ibid.
Mitibus terra datur triplex, 193.1.
Mortis circumſtantiæ incerta, 15.1
Mundani vanéq; Chriſtum ſequi nolunt, 175.2
Mundanorum excuſationes, 175.2. *Prima, ibid. Secunda, tertia, quarta, quinta,* 176.1
Mundatio triplex in lege veteri, 195.1
Ad Munditiam hortantur tria, ibid.
Mundo corde qui, 194.2
Mundus relinquendus, 8.1
Mundi huius mare, 6.1
Mundi gaudia triſtitiam habent æternam, 188.1
In Mundo triplex defectus ante Chriſtum & Apoſtolos, 130.1

N.

N*Atiuitas triplex,* 36,1.2 37.1
Natiuitatis Chriſti opera miranda, 29,1 30,2
Natiuitatis B. Mariæ feſti excellentia, 166.1
Nauis in huius ſeculi mari triplex, 6.1
Neceſſitas gratuita, 123. 2. *Mortificationis, ibid. Obligationis votiuæ,* 124.1
Negotiandum nobis circa ſeptem, 68.1. *Circa peccata, ibid.* 2. *Circa defectus noſtros, ibid. Circa beneficia à Deo accepta,* 69.1. *Circa mũdum, ibid.* 2. *Circa infernum, ibid. Circa cœlum,* 70.1. *Circa Deum,* ibid.
Negotiationis noſtræ primæ lucrum, pœnitentia & remiſſio peccatorum, 68.2. *Secunda, humilitas,* 69.1. *Tertia, charitas, ibid.* 2. *Quarta, mundi contemptus, ibid. Quinta, odium peccati,* 70.1. *Sexta, deſiderium ſupernorum, ibid. Septima, pauor de Dei iudiciorum profunditate, dulcor de dulcedinis bonitate, ſtupor de maieſtatis ſublimitate,* ibid. 2
Nomina noua cur aſſumantur, 40.1
Nos ipſos relinquere debemus, 9.2
Nox huius ſeculi prædicationis eget luce. 164.2

O.

O*Bedientiæ forma,* 10.1
Oculi reflectendi ſuper mala à nobis commiſſa, 98.1. *Dirigendi ante nos in iudicium Dei, ibid. Dirigendi infra nos in infernum, ibid.* 2. *Circa totum mundũ vertendi,* 199.1. *Intra nos flectendi, ibid. Ad cœleſtia erigendi, ibid.* 2. *In ipſum Deũ dirigendi,* 200.1
Opera noſtra ſignis operum Chriſti comprobanda, 67.1
Oratio triplex, 84.2. *Filialis, ibid. Sponſalis, ibid. Diuina,* 85.1

P.

P*Aruulorum contemptus prohibetur,* 18.1
Paſſio in terrenorum alienatione duplex, 172.2
Paſſio noſtra conformanda Chriſto, 173.2
In Paſſione Chriſti tres cruces, martyrium triplex, 91.1
Paſſuum quinq; vita noſtra profectus, 65.2. *Paſſus primus, & ſecundus,* 66.1. *Tertius, ibid.* 2. *Quartus,* 67.1. *Quintus,* ibid. 2
Paſtorum eſt tripliciter paſcere, 62.2
Patiendum iuſtitiæ cauſa, 195.2
Patientia quid. 185.2
Patientia Apoſtolorum, 89.1
Patientiæ debetur cœlum propter quatuor, 196.1
In Pauperes liberali matronæ Deus mittit farinam, 186.2

Pauperibus octo bona dantur, 192.2
Paupertas etiam cum diuitijs eſt, 8.2
Paupertas triplex, voluntaria, neceſſaria, ſimulata, 192.1
Paupertati debita beatitudo, 105.2
Pax quid, 184.2
Pax in concilio loquitur, 78.1
Ad Pacem neceſſaria quæ, 195.1
Peccandi occaſio, pulchritudo corporis, 132.1. *Opulentia* 133.2. *Securitas libertatis, ibid. Vanitas mentis,* 134.1
Peccatoribus iudex Chriſtus quare timendus, 16.2
Peccatorum crux, 91.2
Poſt Peccatum timere optimum, 135.1
Peccata onerant, 5.2
Peccata relinquenda, 7.2
Peccata tria maximè faciunt hominem ſeruum, 43.2
Peccatorum remiſſio & pœnitentia, noſtræ negotiationis eſt lucrum, 68.2
Perfectum tria faciunt hominem, 58.2
Perfecti vt purgentur, 51.1
Perfectorum ſtatus purgandus, 50.2
Perfectorum crux, 92.2
Perſeuerantia neceſſaria, 157.1
Non Perſeuerantium quatuor genera, 157.2
Perſonæ diuinæ venientis dignitas cur magna, 28.1
Petrus & Ioannes dilexerunt Chriſtum diuerſimodè, 38.2
Petrus, ſummus Pontifex, 62.1 *Miraculorum patrator, ibid.* 2. *In cruce pro Chriſto paſſus.* 63.1
Petri exaltatio prima, 62.1. *Secunda, ibid.* 2. *Tertia,* 63.1
Petri, propter tres exaltationes tria feſta, 63.1. *Exaltatio triplex vnde nata,* ibid.
In Petro dilectionis gradus, 08.2. *Magnus, ibid. Maior, ibid. Maximus, & Intenſiſſimus,* ibid.
Pœnitentium crux, 92.1
Pœnitentia & remiſſio peccatorum negotiationis eſt noſtra lucrum, 68.2
Potentia, clementia, & magnificentia commendant principem, 92.1
Præcepta ad literam ſeruare non ſufficit. 175.2
Prædeſtinatio in quo conſiſtat, 169.1
Prædeſtinationis æternæ liber, ibid.
Prædicatio miraculoſa, 129.1
Prædicationis lux neceſſaria in huius ſeculi nocte, 164.2
Prædicatoris eſt illuminare 164.2
Prædicatores, vide Concionator.
Prælatus ſit humilis, probus, & fidelis, 162.1
Prælatus caritate ſit præditus, 164.1
Circa Præſentationem obſeruanda quæ, 51.1
Principem quæ res potiſſimum commendent, 92.1
Probitas Prælatum decet, 162.1
Proficientes iā purgatos, purgari quid ſit, 50.2
Proficientium ſtatus purgandus, 50.1
Prudentia quanam deceat Chriſti ſeruū, 19.1
Pulchritudo corporis periculoſa, 132.1. *Damnoſa,* 133.1
Pulli columbarum quid ſignent, 53.2
Purgamur per tria, 82.1
Purgandi ſumus ſpiritualiter, 49.2

R

Recidiuandi occaſio ſubtrahenda, 66.1
Reges Magi legitimo numero tres fuerunt, 44.1.2. *Venerunt ex Oriente eminenti loco,* 45.1
Regnum cœlorum meritò dabitur Apoſtolis, 159.1
Regnum cœlorum patientiæ debitum propter quatuor, 196.1
Regni cœleſtis conditiones, 159.1
Relinquenda peccata, 7.2. *Mundus,* 8.1. *Nos ipſi,* 9.2
Relinquere nos ipſos debemus, 9.2
Cur Relinquant omnia pro Chriſto ſancti, 176.2
Relinquuntur omnia bifariam, 8.1

S

Saluator dictus puer, Dux, Chriſtus, 46.2
Salutis ſigna, 14.1
Ad Salutem præcipuè neceſſaria quæ, 23.1
Sancti cur omnia pro Chriſto relinquant, 176.2
Sanctorum honor, gloria ac triumphus, 189.2
Sapientia Apoſtolorum triplex in quo, 88.2
Saturitas perfecta erit in gloria, 194.1
Scandalum prohibetur, 179.1. *Et quare,* 180. *Actiuum, & paſſiuum,* ibid. 2
Scandali pœna, 179.2. *Exemplum de S. Leone,* 180.1, *Acceptiones,* 183.2
Scripturæ liber, 168.1
Seculi huius mare, 6.1
Seminum tria genera, 132.2
Senſus pius hominem ſanctificat, 61.1. *Cur dicatur pius,* 61.1. *Poteſt attingi gradibus tribus*

tribus, ibid.
Senſibus ſuis bene ſciens vti, magnus, 59,2
Separatio ſit à tribus, 72,1
Seruus ignarus, inobediens piger, voluptuoſus, 17,1. Nequam, indecenter ſeruiens, humilis ac timoratus, ibid.2
Serui fidelitas in quo poſita, 18,2
Seruum Chriſti quæ deceat prudentia, 19,1
Simeon ſenex, 51,2. Timoratus & iuſtus, ibid.
Simeon iuſtus erga proximum, 52,1. Erga ſeipſum, ibid.
A Simeone & Anna ſuſceptus in præſentatione Chriſtus, 51,1
Simplicitas duplex, 53,2
Sobrietas quid ſit, & an difficilis, 58, 2. In quibus conſiſtat, 59,1
Sol habet in ſe puritatem, 74,1. Splendorem, ibid.2
Sol, in quo Deus tabernaculum poſuit, quis, 76,2
Solis & Mariæ motus continuus, 75,1. Fœcunditas. ibid. 2 Communicatio, ibid. Singularitas, 76,1. Dolor, ibid.2
Solitudo duplex, corporalis, & ſpiritualis, 73,2
Solus quiſnam, 72,1
Sors Dei ſuper nos cadens, 65,1
Speciem alteram ſufficere ad ſalutem, 95,1. Probatur ex lege noua, ibid. 2 Ex veteri, 96,1. Ex praxi Chriſti, ibid. 2 Et Apoſtolorum, ibid. Ex Concilijs, 97,1. Ex vſu Eccleſiæ, ibid. 2 Ex Patribus, 9[illegible],1
Sub ſpecie vna multi Sancti communicarunt in infirmitate, 97 1
Sub Specie vna cur Euchariſtia diſpenſetur Laicis, 98,2
Sub Speciebus alienis panis & vini cur ſumatur Chriſtus, 95,1
Sponſa Chriſti qualis eſſe debeat, 55 1
St[illegible] quid præoccurrendum, 57,2
Status incipientium purgandus, 49,2. Et proficientium, 50,1 Et perfectorum, ibid 2
Stella fidei ſymbolum, & cur, 46,1

T.

Tentari nos cur Deus permittat, 158,2.
Tentatio aquæ, igni, & oneri comparata, 5,1
In Terrenorum alienatione duplex paſſio, 172,2
B. Thomæ dubitatio nobis vtilis, 24,1
Timere poſt peccatum optimum, 135,1
Timor quis laudabilis, 51,2
A Turture tria fidelis accipiat, 54,1

V.

Veritas & miſericordia diſceptant, 77,2
Vigilandum quare, 11,2
Vigiliæ tres neceſſariæ, 83
Virginali continentiæ an poſſit æqualis eſſe cōiugalis caſtitas, 55, 2
Virgo qu[illegible] aureolam non habet. 56,1
Virginum ornatus conſiſtit in tribus, 56,2
Virginum pugna difficilior, 12[illegible],1
De Virginum ſanctarum merito, 56,2
Virginitas in quibus antecellat coniugium, 55,2
Virginitatis commendatio, 121, 1. Comparatio cum theſauro, ibid. Dignitas, ibid. 2. Amœnitas, 122,2. Vtilitas, 123,1. Sterilitas fœcunda, ibid Neceſſitas gratuita, ibid 2. Neceſſitas mortificationis, ibid. Neceſſitas obligationis votiuæ, 124,1 Pretium incōparabile, ibid.2. Cuſtodia duplex, ibid. Virtutum theſaurus, 125,1. Gloria ſingularis, ibid,2
Virginitatem ex voto ſeruare melius, 56,1
Virtute ad honorem itur, 138,1
Viſitationis Mariæ feſtum cur agatur, 1[illegible]0,1
Vitæ noſtræ profectus quinq; paſſuum, 65,2
Vocationes Chriſti diuerſæ, 5,3
Voluptuoſorum hominum pœnæ, 144,1. & 2.

FINIS.

INSTITUT OSSOLINSKIEGO.

Amen dico vobis Dn̄s tecum Dn̄s
tecum tecum Ih

13906-7

8285.